

2
6
11



CONSILIA sive RESPONSA NICOLAI EVERARDI A MIDDELBURGO JCTI. Ac SVPREMI BELGARVM Senatus quondam Præsidis.

Accessere huic editioni, præter typorum varietatem, Vita & Epicedia Autoris.

ARENACI,
Ex Officina JACOBI BIESII Illustrium
Ordinum Gelriæ Typographi.
M. DC. XLII.

Nobilissimis Amplissimis Consultissimisque

DOMINIS,

CANCELLARIO

AC

Supremæ Gelrorum Curiæ

CONSILIARIIS

S. P.

Eniunt ad vos, Nobilissimi Domini, CONSILIA clarissimæ memoriæ Præsidis EVERARDI. Opus diu disideratum, & cui novissimè, præter bellaria, ac concinniores ipsa varietate typos, vitam quoque Autoris addimus. Ut lenocinio ac fructu cum majore in oculos lectorum exiret, qui nescio quâ superstitione non solent illustria quæque nisi cum pompâ admirari. Intererat quoque pop. Batavorum, quorum famam ac nobilissimas dotes unus orbis jam non capit, ne tantum antiquitus patriæ suæ ac fori propè unicum ornamentum, diutius in doctorum bibliothecis quærendũ foret, aut prælorum incuriâ detereretur. Atque utinam effigiem Sanctissimi Senis, integerrimi Senatorum, cujus suf-

fragium in tribunalibus Hollandiæ adhuc omnia poteſt, ſatiando gentis ſtudio, exhibere hîc liceret! Non minus ibi Batavi ac Zelandi populares, omneſque in univerſum Belgæ ſe oblectarent, quam ſi Eraſmos, Junios, aut, ut propius huic rei dicam, Leoninos, Weſenbecios, aut Grotios in tabulâ intuerentur. Eò magis; quod vix unum alterumque parem, in iſto certè argumento majorem nullum vidimus virum, votique res eſt, ut ſimiles in poſterum habeamus. Non ille, in morem cauſidicorum, verbis rem agit, aut aucupijs formularum; non Soritas intricandæ aut obſcurandæ veritati intorquet; non falſis allegationibus aut cautelis tam auguſti ordinis famã proſtituit aut venales manus; ubique candoris ac fidei mira argumenta; diſerta totius negotij explanatio; rationum ac inductionũ pondera invicta; tum quodque Reſponſum multiplici legum ac Interpretum utriuſque juris ſerie, convulſis in adverſum opinionibus, ita ſtabilitum, ut Ciſalpini ac Tranſalpini exinde habuerint, quod Belgico Septentrioni poſſent invidere. A jejunitate (communi vitio ſcriptorum de vulgo, & cauſas agentium, qui cætera ſatis clamoſi, à ſola juris ſcientia ut plurimum deſtituuntur

tur) tantum abest, ut in proferendis rationum momentis, ac auctoritatibus dici possit propemodum immodicus. Quibus, ex genio sæculi istius, plurimum defert, ut alicubi cum numero Commentatorum non minus in consilum dat, quam cum vera legum sententia; quamvis intermedij illi Scribentes (quod acutè a Magno Viro dictum) sæpè optimi sint condendi juris autores, etiam tunc cum conditi juris mali sunt interpretes. Et fori certè adsuetudo jam ubique subscripsit istis moribus, qui maximam jam partem (ut vetus verbum paulum immutem) Romanas leges in potestatem suam perduxere. Et mehercule hodierna Jurisprudentia, velis nolis, ex istorum libris potissimum addiscenda est. Nimium enim hîc Academiarum umbræ à fori palæstra distant, explicatio legũ ab applicatione & usu. Neque enim qui in ideis rerũ aut solâ cõtemplatione hæret, Jurisconsultus dici meretur, sed qui legum & consuetudinis ejus, qua privati in civitate utuntur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cavendum peritia æstimatur. Secus quam alij putant, qui vel prurigine ingenij, aut malo more, in veteris Romæ aut Græciæ rudera inutili studio tantum intenti, æ-

vum ibi occupantur; dum quæ ante oculos versantur, & in ipsis rerum obtinent argumentis, aut negligunt aut dispiciunt. Veræ Cynici Diogenis simiæ! qui cum civitas Corinthiorum ferveret in opere, ac nova libertati suæ præsidia moliretur, & ipse nihil agendo admodum defatigatus est, dum, alter Sisyphus, dolium suum sursum deorsum, de monte in montem labore admodum ridiculo volutaret. Quanquam alicubi (ne præconem potius quam censorem agam) aliquot vocabula hîc animadvertas, minus latina aut semibarbara, ad quæ Papinianus aliquis aut Scævola non nisi cum supercilio respiciat, quæq; cum fuco ac calamistris delicata ingenia libentius admittant. Unumquemque ego non invitus sensui suo permitto: mihi hoc usu venit, ut simplicitatem illam inaffectatam & incomptas voces non cum nausea, sed festivo ac ingenuo risu transmittam. Nec quenquam adeò obtusum aut iniquum puto, qui amurcam illam verborum data sæpè opera irrepsisse non videt, & meliora potuisse substitui. Et pauciores hujusmodi nævi de reliqua pulchritudine nihil delibant. Ego tantorum manium reverentia dum sub prælo sudaret hoc opus, ante

te omnia ſategi, ut quam emendatiſſimè prodiret. Verſiculos quoſdam frigidos, exoticos, indignos certè qui tam ſanctum locum occuparent, expunxi, quorum in locum, Autorem, Filiorum ſuorum ſtylo eximiè deſcriptum repræſento. Præterquam quod characterum diverſitate, totum opus primi è more diſtinximus, ac mendarum non exiguas reliquias eiecimus. Tam auguſtum ſcriptum cum dignos ſe patronos, dignumque frontiſpicium deſideraret, veſtram Amplitudinem compellandam continuò cenſui, Clariſſimi Senatores. Scio quam temerarium ſit, CONSILIA in Concilium veſtrum afferre, id eſt, ut ego interpretor, ligna in ſilvas. Cæterum confido, acceptam fore vobis illius Viri memoriam, vel ea de cauſa, quod expreſſam ejus effigiem, Spectatiſſimi Ordinis veſtri conſortem olim præcipuum, Gelria noſtra, veſterque ille conſeſſus, felices tanto lumine, grata adhuc recordatione venerantur, HADRIANUM NICOLAIUM MARIUM dico, qui non minor Apollinis quam Aſtrææ Sacerdos, arduo Concellariatus muneri Muſarum delicias raro exemplo conjunxerat. Valete, viri Nobiliſſimi, dumque Auriacus noſter pro finibus veſtris foris excubat,

cubat,

cubat, vos domi CONSILIIS ac ſedendo Rempubl. ſuſtentate. Dabimus, ſpero, propediem documenta, quæ communem patriam, veſtramque propius tangent exiſtimationem. Ex Arenaco Gelrorum, Curiæ veſtræ ſede A.C. cIↄ Iↄc xLII. poſtridie Eid. Quintil.

Reverend. Ampl. veſtræ obſervantiſſimus.

ARN. SLICHTENHORSTIUS.

VITA
NICOLAI EVERHARDI.

[*Edente CL. V. Petro Scriverio.*]

PRædicet Antiquitas ſuos Mucios, quorum aliquot continenter Juriſconſulti fuêre. Plures NICOLAIORUM familia extulit. Caput & parens NICOLAUS EVERARDUS, *Middelburgenſis* cognomento notus, quod in Viciniâ ejus urbis, quæ Zelādiæ in Walachriâ inſulâ facile princeps, natus eſſet atque editus, Everardo & Glycerâ parentibus; Juris Civilis Pontificijque vetus, variâ eruditione & judicij acumine (quod præclarè docent CONSILIA ejus & TOPICA LEGALIA) doctos inter ſui ævi viros neutiquam poſtremus. Dialecticam enim ratiocinationem, quam plerique legulei homines ſupercilio quodam temerè contemnunt, Juris ſacerdotibus in primis neceſſariam eſſe, ante Udalricum Zaſium, magni nominis Jctum, commonſtravit. Hinc Doctor apud Lovanienſes renuntiatus, primum Aſſeſſor in magno Senatu Machlinienſi; deinde Hagæ-Comitatenſi in Aulâ Batavis Præſes à Principe Caroli V. Imp. datur. Quam provinciam annos ipſos duodeviginti ſummâ fide vigilantiâque ſuſtinuit: donec ad ſummam Supremi Senatus Belgici præfecturam ab eodem Cæſare Machliniam accerſiretur. Vbi & hoc munere laudabilitur fungens, ſexagenarius? [illegible] ſeptuagenarus in vivis eſſe deſiit, An. cIↃ IↃ XXXII, v. Eid. Aug. *Nicolaus Grudius*, Nicolai filius, patri optimo, in urbe Machliniâ ſepulto, ſic parentavit, & mortem deſcriptus, vitam ejus totam breviter complexus eſt:

Evrardo patre, de Glycera genitrice creatum
Walchria Nicoleon me tulit inter aquas.
Docta rudimentum dederat Lovania legum
Quæ mihi, mox a me, quas docuit, didicit.
Juverunt justos oracula nostra clientes.
Inflexere animum munera nulla meum.
Integer hac Æquum colui prius urbe Senator;
Post Batavis Præses jura sacrata dedi,
Magnatum rigidisque minis precibusque potentum
Infractus, senas pæne trieterides:
Cum vocat huc iterum Cæsar me Carolus ultrò,
Præses & ensigeræ Virginis arce locor.
Nostro nec sat habens seclo prodesse, reliqui
Quæ, bona Posteritas, te quoque lecta juvent.
Natorun licuit viventi cernere honores.
Quos mihi Bladellæ stirpus Elissa dedit:
Qui tumulum & titulos rapto posuere parenti,
Astrææ, & Clario turba probata choro.
Parte mei meliore ævi satur, astra petivi;
Deterior quadro hoc marmore pressa latet:

NICOLAO EVERARDO,
MIDDELBURGENSI,
JURISCONSULTO CLARISS.
SUPREMI BELGICI SENATUS
PRAESIDI,
IN URBE MACHLINIA SEPULTO,
PATRI OPT.

Machliniæ itaque in vivis esse desijt: si tamen ille desiisse censendus est qui ex ornatissima Elissa Bladella Machliniensi filios quinque, rarâ omnes doctrinâ & amplissimis dignitatibus, orbi reliquit: *Petrum Nicolaium*, Præmonstratensis Ordinis Prælatum. Theologiæ ac Juris Civilis candidatum: *Everardum Nicolaïum*, JC. Regij Senatus Frisici apud Leowardienses, ac deinde supremi apud Machlinienses Præsidem; Poetices etiam non ignarum: *Nicolaum Grudium* (ita nuncupatum quod Lovanij natus esset; sed Grudios Cæsaris fallò Lovanienses putant vulgò) eximium Poetam & JC. Regium Consiliarium, & Illustri Equitum aurei Velleris Ordini ab Actis: *Hadrianum Marium*, magnum Gelriæ Zutphaniæque Cancellarium: & *Johannem Secundum*; quà Juris Civilis, quà Poeticæ tractatione claros. Hac erudita Liberorum sobole veluti renatus, & immortalitati transcriptus, venerandus pater *Nicolaus*, vivit etiam nunc,

nec adhuc crudelibus occubat umbris.

Conditus Machliniæ ad D. Mariæ, hac epigraphe sepulchrali:

D. O. M. S.

CLARISS. D.

NICOLAO EVERARDO

MIDDELBURGENSI,

SUMMI CONSILII PRÆSIDI,

MARITO CARISS. PATRIQ. PIENTISS.

UXOR LIBERIQ. CUM LACRYM. POSS.

VIXIT AN. LXX. OBIIT Aº. A SALUTE

RESTITUTA

cIↃ IↃ xxxII. V. IDUS AUG.

Jura velut tenebris jam dudum offusa jacebant,
Pœneque Lethea sub pede mortis erant.
Astræa ad Grudios rediȷt te vindice campos,
Juraque, Romani quæ coluere patres.

Sequitur

JOHANNIS SECUNDI QUERELA,

In obitum pientiss. Patris.

ILicet, invenit vox interclusa meatum,
Exiguumque viam per tot suspiria duxit,
Et condensatæ ruperunt claustra querelæ
Pectoris angusti: nunc, dum licet, ite per auras
Clamoresque graves, & fœminei singultus,
Sublimique meo pulsetur regia questu,
Agnoscantque suum fatalia sidera crimen,
Palleat & Phœbus, nigrescat & ignea Phœbe,
Stellaque nulla vago lucem diffundat Olympo,
Nox tenebris incincta caput nigrantibus adsit;
Mors tenebris longoque oculos immersa sopore,
Quicquid & observat nigra limina flebilis orci,
Ante meos oculos pallentia proferat ora.
Aspiciam cunctos hodierna nocte dolenteis,
Aspiciam nullos ridenteis luce sequenti;
Non levis occurrat, sponsæ placiturus amatæ
Purpureus juvenis, nec compta puella marito;
Omnibus in vicis mihi se pullata caterva
Offerat, infelici humeros onerata feretro.

Quos

Quos circum, nigra frontem velata cupressu
Funereas plebs tota faceis per compita quasset.
Huc veniant lachrymæ, Niobe quibus obruta mater
Non abstergendas tulit in nova marmora guttas;
Huc veniant gemitus, gelidus quos audijt olim
Hæmus, & indoluit vidui bis sorte mariti;
Quosque graves planctus per & æthera fudit & æquor,
(Conjugis agnoscens, ah, non sic expectati
Pallidulum cano quassatum gurgite corpus,
Flebilis Alcione, plumis tectura dolorem;
Et quoscunque sonos infelicissima Progne,
Vel dedit, audita crudeli morte sororis,
Vel cum tam miserè superesse videret eandem;
Et quicquid Pryamus lachrymaverat Hectore fuso,
Et quicquid Pryamo cæso Prijameïa coniux;
Proruat huc, geminetque meo de vulnere vireis.
Quæque meis lachrymis nondum maduere sepulchra,
Chara sepulchra, sepulchra Patris mœstissima chari,
Nec nostras habuere rosas, nec olentia serta,
Hac voces, hac accipiant de gente remota
Luctisonas voces, quas & Nabatheïus Eurus,
Frigida flabra movens orientis conscia Solis,
Audiat, & Zephyrus declivi Sole tepescens,
Quæque jacet Phoebi tellus ignota quadrigæ,
Suspirentque meis longinquæ fletibus auræ.
Hæc, pater infelix, hæc subsidentibus annis
Præmia debebas operosæ sumere vitæ?

Fas erat, emensis agitati fluctibus ævi
Tranquillo in portu corpus componere fessum,
Et lætam positis curis evolvere vitam;
Quæ nunc vecta procul Lethæas nuda per undas,
Ingemit humani molimina vana laboris.
Forsitan atque animas, si quas redeuntibus annis
Fata jubent iterum superas evadere ad auras,
Consuetoque novum moderari flamine corpus.
Admonet, ut curis nunquam innectantur amaris,
Sera neque extendant in longam vota senectam.
Tunc igitur loca pallida, tu squallentia regna,
Ignavique nigrum cocyti littus oberras?
Nec virtus tua, chare Pater, tibi profuit uni?
Nec pietas? justique amor inconcussus & æqui?
Quin iter obscurum, Fatis urgentibus, ires,
Et natis miseris, & multum flente maritâ,
Et populo indignante, & suspirante senatu!
Nos pietate tuâ studijsque fidelibus orbi,
Tædia desertæ traheremur in aspera vitæ:
Qualiter implumes celsâ super arbore pulli
Amissum trepidante parentem voce requirunt;
Quem, dum pauca suis pro pullis grana legebat,
Agricolæ rigidi telum confixit in herbâ;
Flent illi, tenuique sono loca frondea complent,
Si quà expectatum videant revolare parentem,
Felices illi, quia nunquam certa videbunt
Signa necis patriæ. Nos cogimur omnia scire,

Et nobis

Et nobis homines, & nobis muta papyrus,
Et nocturna malum funestum somnia narrant.
Si tamen est aliquid, quod de tellure sepultis
Fertur, & antiqui non fingunt omnia vates,
Innocuæque animæ mundo meliore fruuntur
Colle sub Elysio, vel si quid amœnius illo est,
Inter odoratas lauros, ad flumina sancta,
Sole sub ambiguo, traducis in otia lætos
Lenta dies, neque nocte unquam, neque nube tegendos;
Et quocunque moves gressus, tibi totus eunti
Assurgit latè populus, tibi magnus eunti
It comes, Elysiâ redimitus tempora quercu
Justus Aristides, teque in loca devia ducit
Manibus ignorata novis, ubi florida tellus
Felices Zephyros meliori aspirat odore,
Numina quà liquidi septem flaventia mellis;
Et totidem nivei labuntur flumina lactis,
Luxuriantis opus Naturæ, ubi porticus arcu
Innumero frondens trunco dependet ab uno
Ordinibus paribus; mediâ consurgit in umbrâ
Arbor Tenariæ speciem mentita columnæ,
Summa operis pulchri, terramque cacumine pungit
Implicito, annectitque comam radicibus imis,
Diffusis latè per opaci jugera campi.
Et circum labyrinthæos curvatur in orbes,
Floribus & variis, & pomo multicolore.
Et virideis ramos plumis distincta volucrum,

Mulcen-

Mulcentûm liquidis puram concentibus auram.
Illic Heroës, proles invicta Deorum,
Et qui magnanimæ virtutis castra secuti,
Heroum per facta alacres, ivêre Deûmque,
Frondosis tecti cameris spatiantur, & arteis
Exercent, vitæ memores in sæcula priscæ,
Et veteres renovant curas, vetereſque labores,
Curarum immunes, onerosorumque laborum,
Obvius ingredienti omnis ruit agmine longo
Cætus, & antiquis socium te Manibus addunt,
Manibus antiquis, qui jus coluêre fidemque,
Tunc cum sola sibi merces pulcherrima virtus
Esset, & utilitas nunquam certasset honesto.
Cumque Solone suo te Græcia, cumque Lycurgo,
Cumque Numâ veteri latium veneratur, & Anco.
Quid tamen hæc prosunt (quamvis tamen hæc quoque prosunt,
Et lachrymis nostris cursum tua gaudia sistunt)
Si nunquam post hac te te, Pater, aspiciemus?
Visuri in gelido tantum tua nomina saxo,
Cum nos ad patrios Fortuna reduxerit agros,
Ingratos agros, ubi te, charissime rerum,
Cernere non liceat: ubi magni membra parentis
Occulet exiguâ tellus injusta cavernâ:
Mater ubi longo tabescit saucia luctu,
Turgenteisque oculos in flumina salsa resolvit,
Fumanteis in aquas nix ut nocturna residit,
Cynthius afflavit quam sidere matutino:

Frater

Frater ubi, & scissis moeret germana capillis,
Udaque frigidulis singultibus ora fatigant.
At si Fata sinent tamen, ibimus, ibimus illuc,
Cernemusque lareis, quibus, heu, quibus optimus ille,
Extremæ moriens submisit lumina nocti;
Visemus tumulum, & tumulo sua dona feremus,
Tercentum tepidas thuris pro munere guttas,
Tercentum gemitus, tercentum tristia verba,
Pro violisque, rosisque, & pulvere suavis amomi,
Et sanctam magnâ ter voce vocabimus umbram,
Illa sacros lucos, & fortunata vireta
Divitis Elysij tunc læta libensque relinquet,
Et pennis allapsa petet pernicibus urnam
Ipsa suam, ridensque sui ludibria busti,
Pauca aspirabit leni mihi verba susurro,
Demulcens curasque meas, & tædia luctus
Longa supervacui, placidaque ita voce loquetur:
Nate, meæ nuper lenimen dulce senectæ,
Et nuper mea cura, & nunc mea cura, beati
Si curare tamen possunt mortalia Manes,
Quo mihi tot lachrymæ? non has mea funera poscunt.
Poscunt illorum, quorum mors omnia finit.
Vixi, & nascenti dederant quam longa Sorores
Stamina, maturo devolvit pollice Clotho.
Ipse meos annos vitæ sine labe peregi,
Exiguumque mei tellus obscura recondit;
Cætera tam parvâ non compescuntur in urnâ;

Pars ſed in æthereas ſedes natalia regna
Ceſſit, pars Famæ niveæ plaudentibus alis
Ingenti vehitur ventura in ſæcla triumpho.
Quoque magis vario vita eſt mihi ducta labore,
Hoc magis elucet fatis exercita virtus.
Namque ubi (fabor enim, ſi ſic tua forte leventur
Vulnera) poſt primos ævi juvenilis honores,
Principis invicti dono pars una Senatus
Ipſe forem Magni; cujus ſub legibus olim
Antiquæ Belgarum urbes, populique potentes
Submiſſi, juſtumque colunt, æquumque tuentur,
Continuo Batavas Præſes dimittor ad urbes,
Effreneis populos, qui tunc vix ulla tenebant
Fœdera Juſtitiæ, ſed vi, ſed cæde cruentâ,
In commune malum contemptâ lege ruebant,
Mutua civili miſcentes vulnera bello.
Quæ mala non illic, quæ non diſcrimina ſenſi,
Improba dum meditor confringere facta potentum
Nobilium, innocuoſque homines arcere rapinâ?
Sed fretus juſtiſque Deis, & Principe juſto
Fraudibus obſeſſum atque minis gladijſque nefandis
Obnixus perrupi iter, Aſtrææque potentis
Signa per obſtanteis acies interrita duxi;
Armatumque domans ſacratis legibus hoſtem,
Otia paulatim populis tranquilla paravi:
Jamque mali tanti veſtigia rara manebant,
Et jam bis novies Sol circumvolverat axem,

Ex quo coepissem Batavæ moderamina gentis,
Cum me, supremo Cæsar dignatus honore,
Mandavit rebus Magni superesse Senatus
Machliniâ in clarâ, sinuoso ubi gurgite Delus
Fert flavas opulentus aquas, æquataque coelo
Templaque Divorum procerumque palatia surgunt,
Moeniaque hostili nunquam calcata tumultu.
Illic, in magno dominatu, mitia lætis
Jura dedi populis (sunt hæc tibi cognita, Nate,)
Semper in obtutu mentem defixus honesti:
Non amor hanc, non hanc odium, non gratia flexit,
Non metus, & domitrix regina pecunia rerum:
Sæpè videns rejecta alto sua munera vultu,
Attonitum nostro retulit de limine gressum
Indoluitque nocens, quod non minus integer essem.
Sic ego cum fidus Domino consultor, & idem
Litibus implicitis judex æquissimus essem,
Pauca mihi aggessi maesuadæ pondera gazæ:
Quod tamen aggessi multo pretiosius istis,
Innocuam famam vobis nomenque relinquo,
Quod non una terat revolutis Solibus ætas.
Vivite feliceis, & nostras ite per arteis,
Naturæque datum consumite legibus ævum.
Tempus, erit, cum vos ater quoque pulvis habebit,
Vestraque cum nostris calcabunt ossa nepotes
Immemores, & tam multis rara superstes
Litera nominibus tritá evanescet in urna.

Interea speciem nostri tamen orbis habebit
In vobis: neque enim mea me præsagia fallunt,
Nec monitus ventosa meos discerpserit aura.
Quod si vos etiam tenuis fortuna sequetur,
Præmiaque accedent laudato parca labori;
Sic etiam simileis non sit pudor esse parenti,
Magnarum ne forsan opum tam dira cupido
In diversa trahat sensim vestigia vitæ
Ignaros, & dum similes non esse parenti
Una in re cupitis, similes non sitis in ulla.

EVERARDUS, NICOLAUS, & ADRIANUS NICOLAII, CANDIDO LECTORI S. P. D.

EN tibi, Candide Lector, Nicolai Everardi Patris quondam nostri Responsa, quæ varijs & locis & temporibus ab illo conscripta, nunc in unum volumen congerenda nobis esse duximus, quum ut optimi Parentis memoriæ, quam pietatem jure naturæ debebamus, eam exhiberemus: tum vero maximè, ut pariter apud nostrum seculum, gratiam (quod fore planè confidimus) iniremus neutiquã vulgarem: pariter de ipsa posteritate nõ malè hac ipsa sedulitate nostra mereremur. Etenim si illud affirmaverimus, nihil illum unquam ad quæstum, nihil ad gloriam, nihil ad amicorum quantumvis potentium gratiam respondisse, nullius neque legis neque interpretis verba ad suam sententiam, obtinendæ, causæ studio, detorsisse, nihil etiam citasse, quod non peritissimè excussisset (quibus omnibus in rebus ferè peccare vulgus de jure respondentium solere, utinam negari posset) haud quaquam sanè verebimur, ne testimonium nostrum, etsi domesticum, fidem non inveniat. Præsertim autem nostratibus hominibus gratum nos esse facturos, confidimus, & quod ejusmodi sunt ea omnia quæ hîc tractantur themata, ut in quotidianum harum regionum usum facile cadant? & quod plerique eorum qui etiam nunc supersunt, controversias hîc, olim ab sese agitatas, non sine gratâ victoriæ recordatione agnoscent. Bene Vale.

RESPON-

RESPONSORVM (QUÆ CONSILIA VOCANT) D. NICOLAI EVERHARDI

Middelburgensis Juresconsulti, magnique Senatus Belgici apud Mechliniam quondam Præsidis,

CONSILIUM I.

SVMMARIA.

1 *Fidejussor solvens totum debitum non habet actiones contra confidejussorem, nisi creditor eas ipsi cesserit.*
Nemo sine actione experitur.
2 *Cognatio spiritualis non contrahitur inter simul levantes prolem de sacro fonte.*
3 *Actus agentium ultra eorũ intentionem non operantur.*
4 *Actio præsupponit obligationem, ut filia matrem.*
5 *Confidejussores, contutores, magistratus, & correi qualiter aliis & sibi invicem sint obligati, &c.*
6 *Fidejussores habent beneficium divisionis ex Epistola D. Adriani.*
7 *Emens nomen debitoris à creditore, habet utilem actionem, sine cessione.*
8 *Fidejussor solvens dicitur principaliter gessisse negocium debitoris.*
9 *Fidejussor solvens non dicitur emere nomen debitoris.*
10 *Supervacuis laborat impendijs, qui solem facibus certat adiuvare.*

VISO processu actisque & actitatis coram venerabilibus & discretis dominis Decano & Capitulo Ecclesiæ collegiatæ oppidi Bergensis per & inter Ioannem de Costere Actorem ex una, & Dominum Lambertum de Costere ipsius fratrem ex alia partibus agitato, difficultas & punctus totius materiæ in hoc consistit: An dictus actor debitum à se solutum creditori , cui ipse & reus & quilibet eorum in solidum, fidejussorio nomine obligati fuerunt, possit pro medietate à dicto suo reo fratre & confidejussore recuperare, absque eo quòd actionem per creditorem sibi cedi adversus eundem reum petierit, vel actiones cessas habuerit.

1 Et breviter respondeo, quod non, † per casum legis expressum *in l. ut fidejussor. ff. de fidejuss. & ibi Bart. Ang. Paul. de Castr. Ioan. de Imol. & omnes Doctor. & est text. notabilis in l. cum alter. C. de fidejuss.* quæ idem decidit, etiam quando intercessio facta fuit pro debitore fisci. Et ratio est manifesta, quia nemo sine actione experitur. *l. si pupilli. §. fina. ff. de nego. gest. cum similibus.* Iste autem actor sine cessione non habet actionem contra suum cõfidejussorem, ut est *text. planus in dicta l. ut fidejussor, ibi actio danda non est, &c. & in dicta l. cum alter, & ibi Cynus. Bart. Bal. Ang. Salic. Io- Fab. & Doctor.* Ex actis autem non constat, quod sibi sunt cessæ actiones, ergo nullo modo habet actionem, & per consequens malè egit: & idẽ vult Io. Fab *in §. si plures. Instit. de fideiuss. in finalibus verbis: & dominus Ioan. de Imol. in cap. pervenit, in 2. colum. de fideiuss.* Et confirmatur istud ex

4

theorica Innoc.& Docto.*in cap. Martinus*
2 *Bertram,de cogna.spiri.* quæ habet, quod † inter simul levantes prolem de sacro fonte, non contrahitur cognatio spiritualis, licet vulgares existiment contrarium, & malè, qui tamen sunt fidejussores pueri baptisati, *cap.vos ante omnia,de consecra.dist.*4. Pro
3 isto etiam facit, quia † actus agentium non operantur ultra eorum intentionem. *l.non omnis,in princ. ff.si certum pet. cum simil.* Cùm ergo isti fidejussores non voluerunt se sibi mutuò obligare,sed tertio creditori,sequitur, quod inter eos non est nata aliqua
4 obligatio,& per consequens nec actio † eis competet contra se mutuo, quæ præsupponit obligationem,ut filia matrem. *l.licet.§. ea obligatio.ff. de procur.* Et ad præmissa benè facit *text.solennis,in l.quæcunque gerimus.ff.de actio,& obligat.*

Restat modò respondere ad nõnulla jura per quæ venerandus pater Dom. Adrianus Blict consuluit contrarium, & malè,quia contra casum legis expressum: Sed non est mirum,quia de brodio juris nihil gustavit: Unde meritò juris dolor appellari potest, testeCyno.*in l.minus instructus,Cod.de acquir.possess.*

Et primò non obstat *l. ex facto. de nego. gest.& l.* 1.*§.nunc tractemus,versicul.& si fortè.ff.de tute.& ratio. distra.* Quia illæ ll. per eum allegatæ,loquuntur in tutoribus vel magistratib.ut patet,eas inspicientibus.

Non obstat etiam *l.* 1. *C.de de duob. re.* quia illa l.per quam præcipuè movetur,loquitur in duobus correis, quorum est alia natura & conditio,ut patet *ex not.per gloss Angel.Bald.& Docto.in dicta l.*1. Et ratio diversitatis inter confidejussores ex una, & contutores,magistratus & correos ex alte-
5 ra,est clara:quia † tutores, magistratus, & duo correi sunt principaliter obligati,& uno solvente alter per hujusmodi solutionẽ directò & principaliter liberatur.Fidejussores autem non sunt principaliter obligati, sed accessoriè, & uno eorũ solvente totum debitum,alter confidejussorum non liberatur directò & principaliter, sed duntaxat ex consequentia, per hoc, quòd principalis debitor liberatur à creditore.Et sic id quod fidejussor solvit, id solvit pro liberatione principalis debitoris,& pro sua obligatione efficaci,& non principaliter pro obligatione sui confidejussoris,nec eum directò liberat, sed duntaxat in consequentiam,ut præmittitur. Unde non est mirum, si non habet actionem contra eum, nisi sibi actio cedatur per creditorem.Hanc rationem diversitatis assignat glossa notabilis licet obscurè, *in dicta l.ex facto,in fin.*& *sequuntur ibid. Bartolus,Baldus,Angelus, Paul. de Castro.* & *Docto.* Et declarat valde magistraliter Paulus de Castro *in l.fidejussoribus.ff. de fidejusso.*& *idem Paul.de Castro,* & *Ioan.de Imol.in dicta l.ut fidejussor,*& *Cynus* & *Salicet.* & *alij Scribentes in præalleg. l. cum alter,*& *Paulus de Castro,*& *Doctor.in l.* 1. *C.de transactio.* Tria autem faciebant du-
6 bium in hoc casu, Primum est,quod † fidejussores habent beneficium divisionis ex epistola Divi Adriani. *§.si plures.institut. de fidejusso. cum similib.* & sic iste solvens videtur gessisse negocium confidejussoris,pro dimidia soluta,& per cõsequens debet posse agere actione negociorum gestorum. Secundum est,quia id videmus in correis, tutoribus,& magistratibus, ut supra dictum est. Tertium est,quia ipse fidejussor solvens videtur emere nomen confidejussoris, solvendo totum. *l.si dubitetur, post principium*
7 *ff.de fidejussoribus.*Sed† emens nomen debitoris à creditore, habet utilem actionem etiam sine cessione *l.* 2.*Cod.de actio & obligat.*ergo,&c.Sed primum tollitur ex eo, quia negocium non pertinet principaliter ad confidejussorem, sed ad principalem de-
8 bitorem,& illius † negocium dicitur fidejussor solvens,gessisse principaliter: licet in generali,liberato debitore, liberetur etiam confidejussor,& hoc est quod dicit glossa *in dicta l. ex facto,*quod potius ex natura obligatio-

ligationis liberatur, quàm officio gestionis, hoc est, obligatio fidejussoris, quæ est accessoria, tollitur sublata principali, non autem ex eo quòd fidejussor solvens voluerit gerere negocium illius, secundũ Paul. de Cast. & alios, *in d. l. ut fidejussor*. Secundum solvitur eodem modo, ut patet ex ratione diversitatis suprà tacta. Tertium autem tol-
9 litur, quia † non est propriè emptio nominis cùm fidejussor cogatur solvere ex necessitate preambuli contractus, secundum Io. de Imola, & Paulũ de Cast. *in d. l. si dubitetur*.

Et quia casus præsens est expressissimè & clarissimè decisus, *in d. l. ut fidejussor, & in præalleg. l. cum alter*, cum utrobique notatis per omnes scribentes nemine discrepante, quæ ll. per alia jura nova cononica, vel civilia non reperiuntur correctæ, supervacuum mihi visum fuit, amplius circa hoc
10 instare, cũ † supervacuis laboret impendiis, qui solem facibus certat adjuvare, *cap. qui omnia, 6. quæst. 1. cum similibus*.

Concludendo ergo dico, reum ab impetitione actoris esse absolvendũ, & actorem in expensis condemnandum. Posset tamen æquus judex certam quotam expensarum, propter conjunctionem sanguinis, & quia actor consilium unius se pro jurisperito gerentis habet, & sic à dolo & temeritate videatur excusari, compensare. In quam sententiam tanquam humaniorem & mitiorem proclivior essem.

CONSILIUM. II.

SUMMARIA.

1 *Sententia quæ transivit in rem judicatam, rescindi vel retractari non debet.*
2 *Filius personam patris repræsentat.*
3 *Exceptiones peremptoriæ post sententiam diffinitivã regulariter opponi non possunt*
4 *Militi armatę militiæ licet opponere except. perempt. usque ad executionem sententiæ exclusivè.*
5 *Privilegium competens alicui ipso jure, transit & ad ejus hæredes.*
6 *Exceptiones quæ post sententiã regulariter nõ admittuntur, admitti debent, quãdo probationes in continenti offeruntur.*
7 *Non habentes facultatem producendi instrumenta ante prolationem sententiæ, possunt interdum post sententiam, præmissa scilicet cognitione.*
8 *Interdictum recuperandæ possess. nõ competit judicialiter vel autoritate principis privato.*
9 *Contra factum principis non admittitur probatio. & num. 19. & 20.*
10 *Sententia lata contra usufructuariũ non præjud. proprietario, qui in causa nõ fuit.*
11 *Procurator negligenter vel dolosè defendens causam domini, tenetur.*
12 *Iura specialia derogant juri communi, idque cessare faciunt.*
13 *Pater legitimus administrator est bonorum filij.*
14 *Pater proprio nomine conventus & condemnatus bona liberorum obligare vel distrahere nequit.*
15 *Cedens potentiori jus suum, de quo est controversia, perdit illud, idque in adversarium transfertur.*
16 *Paria sunt cedere jus suum potentiori, & potentiorem procuratorem in rem suam constituere.*
17 *Expulsus castro jus suum potentiori cedere non potest.*
18 *Pignus ipso jure liberatur, quando tantũ ex fructibus, ad quantum sors ascendit, perceptum fuerit.*
19 *Semper pro justitia principis presumitur.*
20 *Rescriptum principis, etiam contra legem divinam, causa subsistente procedit.*
21 *Restitutio omnia reponit in pristinum tum.*
22 *Bannitus omnibusq; bonis privatus, virtute restitutionis bona alienata nunquam recuperat. Sicuti nec fructus perceptos.*
23 *Princeps in prejudicium illius, in quem bona banniti translata sunt, restituere non potest.*

24 *Pignus remanet in dominio debitoris.*
25 *Habens rem à Principe, tutus est adversus dominum verum.*
26 *Iuris executio non habet injuriam.*
27 *Notorius defectus proprietatis obstat agenti interdicto recuperandæ possessionis.*
28 *Prędo restituendus est, si de violentia sibi illata verè docere potest: aliàs non.*
29 *Restitutio fieri non debet, quando sequeretur inde periculum aliquod ingens vel damnum irreparabile.*
30 *Iudex secundum allegata & probata judicare debet.*

CIrca materiam quæstionis pendentis indecisè per & inter nobiles ac generosos viros, Dominum Philippum de Croy &c. actorem sive impetrantem in materia executionis sententiæ, pridem in supremo Concilio Illustrissimi Domini Archiducis Austriæ, Burgundiæ, Brabantiæ Ducis, &c. ex una, & domicellum Everhardum de Arenberch, reum sive opponentem ex altera partibus. Visis & maturè recensitis scripturis, & munimentis, requestaque civili pro parte dicti opponentis eidem Domino Archiduci oblata, ac appoinctuamento sive sententia interlocutoria dominorum dicti Concilij, infrascripta recolligi dubia, ex quorum decisione, merita hujus causæ poterunt elucidari, ac justa oppositio dicti opponentis manifestari.

Primum igitur dubium est, an dictus opponens, non obstante prætacta sententia redintegrationis in possessorio contra ipsius opponentis patrem, in favorem impetrantis anno septuagesimo nono lata, ad proponendum suas exceptiones peremptorias, quas idem suus pater ante sentẽtiam latam proponere potuisset, aliasque docendũ de bono suo jure, admittendus sit de jure, nec ne.

Secundum dubium est. Posito, quod dictus opponens, de jure admitti debeat ad proponendum suas omissas peremptorias exceptiones, quas ante latam sententiã suus genitor proponere potuisset, An suæ exceptiones sint relevantes, & an per eas constet sufficienter de ipsius bono jure, tàm in possessorio, quàm in petitorio, ac de non jure ipsius impetrantis.

Ad primum igitur dubium veniendo, videtur, quòd dictus opponens non sit audiendus neque admittendus. Tum primò, quia prætacta sententia in tam solenni consistorio contra ipsius genitorem lata, in rem
1 transivit judicatam, † quam rescindi vel retractari non licet, etiam imperiali rescripto, *l. fin. C. sententiam rescind. non poss.* Res enim judicata pro veritate accipitur, *l. ingenuum. ff. de statu hom. & ff. de reg. jur. l. res judicata.* Sed dictus opponens, tanquam di-
2 cti sui patris † filius & hæres, eandem personam repræsentat, *ut in Authent. de jurejurand. à mori. pręst. in principio*, ergo, sicut quondam Everhardus suus pater non potuisset, ita nec ipse opponens poterit aliquid allegare contra eandem sententiam, nec se executioni ejusdem opponere.

Item secundò, Idem confirmatur & à fortiori, quia si pater tãquam legitimus administrator potest agendo & defendendo filium obligare in bonis, in quibus ipse duntaxat habet usumfructum, *ut l. prima, C. de bonis matern. cum ibi notatis.* Ergo sive dictus quondam Dominus Everhardus pater opponentis fuerit dominus & proprietarius bonorum unde quæstio, sive duntaxat usufructuarius, non potest idem opponens aliquo modo contravenire.

Præmissis tamen non obstantibus, videtur mihi contrarium de jure dicendum. Pro cujus declaratione præmitto primò, quod
3 licet † regulariter post sententiam diffinitivam non liceat opponere exceptiones peremptorias in ipsius executione, ut *l. peremptorias. C. sent. rescindi non posse, & c. inter monasterium, de re judicata.* Militi tamen armatæ militiæ etiam post sententiam diffi-
4 nitivam à qua non appellavit, † ante tamen factam executionem licet opponere exceptiones peremptorias. *l. prima, C. de juris & fact.*

fact.ignor. quæ est singularis, & non habens concordantias secundum Bartolum & Paulum de Castr. ibidem, & Bald. *in cap. final. extra de confess.* Secundò præmitto, quòd privilegium *dict. leg.* 1. competit ipso jure, & sic in perpetuum, *Institut. de perpet. & tempo. actio, in principio*, & non per restitutionem in integrum, quam restitutionem necesse est petere infra quadriennium continuum. *l. fin. C. de temp. in integr. restit. pet.* Quod autem privilegium *dictæ l. primæ*, militi competat ipso jure, firmat *Cyn. Bartolus. Ioannes Fab. in breviario, & post eos Dominus Iason in dicta l. prima, super glossa verbi, permitto, & Paulus de Castro, in principio, ejusdem leg.* declarans etiam quomodo hujusmodi privilegium militis sit majus quàm illud quod competit minori, vel absenti causa Reipublicæ, cùm illi necesse habeant petere restitutionem in integrum, infra tempus à jure statutum, militi autem competit ipso jure, & poterit quandocunque conventus re integra, exceptionem peremptoriam omissam opponere secundum eum. Est & tertiò præmittendum
5 quod cum indubitati juris sit, quòd † privilegium alicui competens etiam per remedium extraordinarium, & restitutionem postulandam à judice transeat ad hæredes, & quoscunq; successores, ut est textus multum elegans *in l. non solùm. ff. de in integr. restitut. & l. minor autem magistratus. §. fina. ff. & de mino cum concord.* Multò magis & à fortiori privilegium cõpetens ipso jure, prout in casu nostro, trãsit ad hæredes.

Quibus præsuppositis, dico, quòd ex quo tempore prolationis sententiæ prætactæ, & diu antè, dictus quondam Dom. Everhardus fuerit miles armatæ militæ, ut patet saltem præsumptivè ex literis felicis recordationis Ducis Caroli, de data anni septuagesimi primi, in quibus miles appellatur, & est aliàs satis notorium, cùm etiam constet, quod ipse pro tũc in expeditione cum strenuissimo Romanorum Rege, tunc harum patriarum Duce extiterit, sitque ipse opponens, ipsius successor & hæres indubitatus: Ex quo etiam executio sententiæ nondum est facta, sequitur evidenter, quòd adhuc potest tempestivè suas exceptiones, & quæ suo patri competebant, opponere, & de suo jure docere, *dicta l. prima ibi, si nondum satis fecisti*, ubi de hoc est casus, quod procedit, maximè cùm ipse opponens offerat eas in continenti se probaturum absque longa dilatione, *argumento leg. 3. §. ibidem. ff. ad exhib. & cap. veniens secundo, de testibus. & l. si ii, à quo in principio. ff. ut in poss. lega.* ubi dicit textus, hodie constat, hodie agatur, quod habet locum etiam in interdicto recuperandæ possessionis, *ut dicit Baldus in l. prima. C. de momen. possess. allegans ad hoc pulchra dicta Innocent.* & patebit latius in-
6 frà. † Exceptiones enim quæ regulariter nõ admittuntur post sententiam, debent admitti, quãdo offeruntur probationes in continenti, prout notabiliter dicit *Panormitanus in cap. suscitata, post gloss. super verbo, effectum sententiæ, de in integrum restitut. & Doctor. & multis alijs passibus.*

Pro confirmatione hujus, & à fortiori facit quod notat *Innocen. in c. ultra tertiam, extra de testib. & post eum Barto. in l. 1. in versic. item illud quod dicit gloss. C. de sent. adver. fiscum lat. retract. lib. 10. & Specu. in tit. de execu. sent. §. postremo. versic. illud autem quæritur. & Paulus de Castro in dicta l. Imperatores. ff. de re judicata.* qui in effe-
7 ctu omnes volunt, quòd nedum, † fiscus vel aliàs privilegiatus, sed etiam privatus, qui non habuit facultatem producendi instrumenta ante prolationem sententiæ, vel propter viarum discrimina, vel quia illa erant perdita vel quia erant in terra inimicorum, potest post sententiam, præmissa summaria cognitione, contra communes juris regulas audiri. Sed præfatus opponens jam primùm potuit recuperare sua instrumenta, quæ prout offert se probaturum ultra plures annos præcedentes sententiam, & tempore

sentētiæ fuerunt deposita in quodam monasterio sub dominio Francorū situato, & quæ pater suus tempore sententiæ prolatę tum propter guerras, quibus impediebatur accessus ad hujusmodi monasterium, tum quia ipse tunc temporis in expeditione cū principe harū patriarum fuit, recuperare non potuit. Ex quibus instrumentis & literis proculdubiò constitisset de justo titulo possessionis quondam Dom. Everhardi, cùm post privationem ipsius impetrantis per Ducem Carolum factam eandem possessionem ex ejusdē Ducis Caroli donatione acceperit Et per consequens constitisset, quòd interdictum redintegrandæ vel recuperandæ possessionis eidem impetranti minimè cōpetiisset, cùm hujusmodi
8 † interdictum non competat, judicialiter, vel authoritate principis privato, *ut dicit glossa notab. in cap. præsentium. 7. quęst. 1.*
9 † Semper enim pro facto Principis, ad quod justè motus fuerit, præsumitur; *juxta notata in cap. quę in ecclesiarum de constitu. & per Cyn. & Docto. in l. fi. Cod. si contra jus & utilit. public. & plenius per eundem Cynum in l. rescripta. Cod. de precib. impe. offer.* ubi dicit, quòd adeo præsumitur pro facto Principis, quod non admittitur probatio in contrarium.

Est etiam benè notandum & considerandum, quod tempore prolationis hujusmodi sententiæ sæpe dictus Dom. Everhardus juxta consuetudinem loci situationis bonorum undè quæstio, prout ipse opponens probare intendit, fuit nudus usufructuarius eorundem bonorum, & proprietas per & post mortem matris ipsius opponentis extitit ad ipsum opponentem le-
10 gitimè devoluta. Cùm autem † sententia lata contra usufructuarium non præjudicet proprietario qui in causa non fuit, sed illa debet duntaxat demandari executioni contra usufructuarium, in quantum sine præjudicio proprietarij fieri potest. *l. si cū usufructuario, cū ibi notatis. ff. si ex noxa. cau. aga. & l. si finita. §. si qua sint jura, & § si de vectigalibus, & ibi Bartolus & Doct. ff. de damno infecto.* Sequitur quòd dicta sententia non debet demandari executioni contra præfatum opponentem qui in causa non fuit, sed possessionem post mortem sui patris consolidato usufructu cum proprietate, virtute suæ proprietatis justo & bono titulo accepit, & interim semper eandem continuavit, absque eo quòd interim unquam turbatus fuerit.

Nec præmissis obstat, si dicatur, quòd *dicta l. prima, Cod. de juris & facti ignor.* non debeat suffragari præfato quondam Everhardo, & per consequens, nec dicto opponenti, ex quo habuit procuratorem, cùm dicta lex videatur concedere militi privilegium propter ipsius præsumptam imperitiam, quæ præsumptio cessat, quādo causam egit per procuratorem, prout Doctores ibi notant. Quia respondeo, quòd
11 hoc est verum, † quando procurator habuisset omnia munimenta & instrumenta facientia pro justificatione causæ apud se, & negligenter vel dolosè defendisset causam domini sui, quia tunc dominus posset habere regressum contra suum procuratorem: Secus autem est, quando nihil potest imputari procuratori, sed stat per ipsum militem & ipsius occupationem, vel quia instrumēta haberi nō possunt, ut patet ex supradictis, vel etiam quando procurator non esset solvendo, prout indubiè procurator quantumcunq; dives, in causa præsenti, ubi agitur de possessione tot castrorum & dominiorum solvendo, non esset, prout notat *glossa & Doctores in cap. significante, de appell.* & *glossa* & *Doctores in l. prima. §. fina. ff. quando appell. sit, cum similibus.*

Similiter ex his patet solutio ad ea, quæ in principio pro contrario allegata sunt, *d. l. finali. Cod. senten. rescindi non posse, cum similibus.* Quia dicendum est quòd illa jura sunt intelligenda generaliter

ter &regulariter habere locum, sed in casu
12 nostro † privilegium *dictæ l. 1.* & alia supra deducta faciunt cessare, & non habere locum illa generalia jura.

Pariformiter non obstant deducta ex *dicta l. prima, Cod. de bonis matern.* Quia
13 licet pater † sit legitimus administrator bonorum filij, & teneatur filius habere gratum & ratum, quicquid per patrem suum ut legitimum administratorem circa bona hujusmodi, sive agendo, sive defendendo factum fuerit, ut dicit *dicta l. prima.* Ta-
14 men secus † est, quando pater suo proprio nomine conventus & condemnatus fuit, *ut toto titulo. Cod. ne filius pro parte, & in l. 3. §. sed utrum, in fine, junctaglossa, in verbo, separatur. ff. de minor. cum similibus: & notat Bartolus, Paulus & Docto. in dicto § si de vectigalibus.* Nec est circa hoc multum insistendum, cum juxta suprà dicta etiamsi dictus quondam Everhardus adhuc viveret, admittendus esset ad proponendum suas exceptiones peremptorias, *d. l. 1. de jur. & facti ignor.*

Deinde veniendo ad secundum dubium deducam primò, quod dictus impetrans tempore prolatæ sententiæ nec jus in petitorio, nec in possessorio habuit, unde sibi interdictum recuperandæ possessionis cōpetere potuisset, prout clarè constitisset, si dictus quondam dominus Everhardus suas deféßiones exhibuisset, deinde dicā de justo titulo ac legitima possessione dicti quondā Domini Everhardi, & ipsius opponentis.

Primam igitur partem deducendo, præsuppono illud quod notissimi juris est,
15 quod † quandocunque transfertur jus vel actio, maximè, de quo est controversia, in potentiorem ratione officij vel præcipuæ dignitatis, cessio non valet: cedens jus suum perdit quod habet in tali re, aliasque pœnas juris sustinet, *ut toto titulo. Cod. de ne lice. poten. & ibi per Doctores. & cap. secundo, de alien. judi. mut. caus. fact.* & *ibi per glossam, Panormitanum,* & *alios,* & illud jus quod cedens transferre voluit, transfertur in adversarium, ut notabiliter dicit *glossa. in l. prima. C. de his, qui poten. no.* & *Paulus de Castro in l. secunda. Cod. ne lice. poten.* ultra hoc dicens,
16 idem † esse in eo qui non cessit, sed potentiorem procuratorem in rem suam cōstituit. Specialissimum enim est in juris-
17 dictionibus Castrorum, quod † expulsus non possit ad æmulationem alterius vendere jus suum potentiori, & disponere de jure suo, vel moderari prout lubet, ita singulariter dicit *Baldus in lege prima, circa finem. Cod. qui testamentum facere poss.* Idem valde singulariter ante eum dixit *Bartolus, quem sequuntur Paulus de Castro, Alexander de Imola,* & *Doctores in secunda. Cod. ne fiscus vel respublica, per illum textum, ubi Paulus de Castro, dicit hoc esse quotidianū, & se hanc quæstionem bina vice vidisse de facto;* fallit enim in hoc casu regula *l. in re mandata. Cod. manda. & regula l. nemo exterus. Cod. de Iudæis.* Sed indubitatum est, quod ipse impetrans tempore cessionis sibi factæ, de prætactis castris & dominiis fuit sine comparatione, tam ratione officij, quàm præcipuæ dignitatis potentior executoribus quondam Iacobi de Marcka sibi cedentis jus & actionem, cùm ipse fuerit ex principalioribus apud piæ memoriæ bonum Ducem Philippum, ergo ipse impetrans ex cessione hujusmodi de jure nulla, nullum jus acquirere potuit, nec etiam aliquam possessionem, nisi invalidam & absque titulo adipisci: Tanto minus aliquid juris in dictis bonis idē impetrans acquirere potuit, cùm ipsi executores nullum jus dominij in eisdem bonis habuerint, sed duntaxat eadem bona obligata afferant pro summa decem millium florenorum, ex prætenso testamento dicti quondam Iacobi de Marcka, qui tamen nullum consensum Principis de hujusmodi feudis testandi habuit. Sed cùm fructus ex pignore percepti sortem princi-

principalis diminuant & extenuent, teneaturque ipse creditor fructus computare
18 in sortem, adeò quòd pignus † ipso jure liberetur, quando tantum ex fructibus, ad quantum sors ascendit, perceptum fuerit. *l. 2. C. de pignorati. actio. cap. ad nostram, primo, de jurejurand. & c. illo vos, de pign.* & constet sufficienter, quòd ipsi executores multò amplius quàm summam decem millium florenorum ex eisdem dominiis spacio octodecim annorum, quo dicta dominia detinuerunt, perceperint: ergo, &c. Item licet idem impetrans ex cessione prædictorum executorum, aut aliàs aliquam possessionem acquisivisset, tamen ex quo idem impetrans, per Ducem Carolum omnibus suis bonis confiscatis, bannitus sententialiter fuerit, & ipse Dux Carolus possessionem eorundem dominiorum per suos commissos ingressus fuerit, & longo tempore continuaverit, saltem quousque prætacta dominia pleno jure præfato Domino Everhardo ritè dederit, atque concesserit, prout inferius dicetur, ipseq; Dominus Everhardus per quinque aut sex annos ante tempus prolationis prætactæ sententiæ possederit. Constat notoriè, ipsi impetranti nullum competiisse neq; competere interdictum recuperandæ possessionis. Nefas enim esset dicere, quòd ipse fuisset per Ducem Carolum fontem ju-
19 stitiæ, injustè privatus, quia licet † de ipsius justitia non constaret, tamen semper, prout superius deductum est, pro ipsius Principis justitia præsumitur, adeò quòd si
20 Princeps † aliquid rescribat etiam contra legem divinam, in eo quod potest causa subsistente procedere, ut si rescribat aliquem suspendendum vel occidendum, vel similia, ei est obtemperandum, *ut notat Cynus in dicta leg. rescripta, in tertia & quarta quæstione. Cod. de preci. impe. offer.* ubi etiam dicitur, quòd adeo præsumitur pro Principe, quòd non admittatur probatio in contrarium, ut suprà dixi.

Nec obstat præmissis, si dicatur, præfatus impetrans ab eodem Duce Carolo est
21 restitutus, & quod restitutio † omnia reponit in pristinum statum: restitutus enim recuperat honores, ordinem & cætera omnia. *l. prima, cum sequent. Cod. de senten. pass. & restitut.* & *2. quæst. 3. §. notandum in fine, cum similibus.* Ergo sequi videtur, quod etsi fuisset idem impetrans justissimè bannitus, & omnibus bonis privatus, tamen virtute hujusmodi restitutionis, omnia bona recuperasset. Quia respondeo, quòd hoc habet veritatem quo ad bona nondum alienata, & quæ tempore restitutionis nõ fuissent in alium trans-
22 lata. Sed bona † alienata restitutus nunquam recuperat, prout est *text. optimus in cap. quamvis, de rescriptis, lib. sexto,* & *ibi Doctor.* & *facit l. fina. Cod. de senten. pass.* & *restitut.* & *ibi expressè hoc firmant Bartolus, Baldus* & *Doctores.* Imò etiam fructus perceptos ex bonis non alienatis non consequitur restitutus, ut est textus singularis, *in Authent. de Nestorianis, aliàs idem est de Nestor. Cod. de hæreti.* & *voluit Baldus in cap. domino guerram, circa finem. in titu. hic finitur lex, in usibus feudorum,* & quod bannitus restitutus non intelligatur restitutus ad bona alienata, neque etiam ad fructus perceptos, ultra prædicta tenent *Bartolus* & *Baldus, Paulus de Castro, Alexand. de Imola* & *Doctor. in l. Gallus. §.* & *quid si tantùm, super glossa verbi emancipatus esset. ff. de liberis* & *posthumis.* ubi etiam Baldus determinat quæstionem nostram in terminis, videlicet: Si fiscus quoddam castrum banniti concesserit cuidam militi, qui postea fuit restitutus, an ipse bannitus restitutus poterit recuperare castrũ, & decidit quòd non. Idem & fortius tenent ibi *Alexan. de Imo. in versic. utrum autem princeps, post Cynum* & *Bald. ibi-*
23 *dem,* videlicet quod † princeps non potest restituere in præjudicium illius, in quem bona

bona fuerunt prius translata, etiamsi hoc expresserit. Sed cùm Dux Carolus post privationem, & ante restitutionem dicti impetrantis contulerit ex sua certa scientia, & propter benemerita dicti quondam Domini Everhardi, dicta dominia & castra eidem quondam Domino Everhardo, sibi fuit jus quæsitum ex donatione ipsius Principis, & factus est ad statim in perpetuum securus, reservatâ bannito vel privato actione, si quam habuit contra fiscum *l. benè à Zenone. C. de quadriennij præscr. & Institut. de usucapt. § finali.* Sequitur ergo evidentissimè, quod prætacta restitutio ipsi impetranti facta, præjudicare nõ potuit prædicto quondam Domino Everhardo, & per consequens nec dicto opponenti.

Item ex alio, prætacta restitutio, etiam si se extenderet ad bona alienata per principem (prout non) tamen non potest se extendere ad prætacta castra & dominia unde quæstio, quia ut suprà dictum est, illa castra nunquam fuerunt sua, ex quo ipsi executores, à quibus ipse impetrans causam prætendit se habuisse, nunquam fuerunt domini dictorum castrorum, sed dun-
24 taxat habuerunt ea obligata. † Cùm ergo pignus remaneat in dominio debitoris, *ut l. pignus. Cod. de pignora. actio, cum similibus*, ergo, &c.

Postremò in alia parte secundi quæsiti, licet multa possent deduci pro bono jure opponentis sibi competentis ex legitima successione quondam Domini Everhardi sui proavi, qui primùm eadem dominia in gageriam à Rege Sigismundo Duce Lutzamburgiæ recepit, & ex successivis releviis per suos prędecessores à Ducibus Lutzamburgiæ habitis, continuataq; possessione parentum & prædecessorum ejusdem opponentis: Ne tamen in longum præsens materia deducatur, cumq; sufficiant infra dicenda cum his quæ dicta sunt, pro justificatione intentionis ejusdem opponentis, superfluis omissis: Probo ex alio bonum jus ipsius quondam Domini Everhardi,
25 hoc modo: † Quicunque rem aliquam à principe vel habente jura principis acquirit, tutus est in continenti adversus dominum, reservata tamen actione domino contra ærarium principis infra quadriennium, *ut dicta leg. benè à Zenone, Cod. de quadriennij præscript. cum similibus.* Sed prædictus dominus Everhardus sæpe tacta dominia habuit ex concessione principis, & ea ultra quadriennium pacificè possedit, ergo nulla actio contra eundem dominum Everhardum competebat: Sed si quam actionem ipse impetrans sibi competere ad dicta castra existimavit, illam intentare adversus principem debuit. Et multo minus eidem competebat interdictum recuperandæ possessionis contra eundem Dominum Everhardum. Quia ex quo idem impetrans per principem eisdem castris justè, juxta supra dicta, privatus fuerit, ipseque quondam dominus Everhardus possessionem suam ab eodem Duce Carolo via juris, & per executorem judicialiter acceperit, sequitur quòd nullum interdictum sibi competijt, ex quo privatus sua possessione judicialiter redintegrari, vel restitui non debeat, *per glossam ordinariam dicto capit. præsentium, cum a-*
26 *lijs suprà allegatis.* † Iuris enim executio non habet injuriam, *leg. injuriarum. §. 1. ff. de injurijs.* Et justè possidet, qui authore prætore possidet. *l. justè. ff. de acquirenda possessio. cum similibus.*

Et posito, quod aliquod interdictum recuperandæ possessionis impetranti competiisset, & quod petere possit sententiam prius latam mandari executioni: Tamen
27 obstaret † eidem notorius defectus proprietatis, quem defectum contra petentem executionẽ opponere licet, dummodo opponens offerat probationes in continenti paratas, per leges superius allegatas, & voluit expressè *Innocent. quem omnes se-*

quuntur, in cap. constitutus, de filijs presbyterorum.

Nec obstat cap. *in literis, de restitut.*
28 *spoliato. cum similibus.* ubi dicitur, † quòd etiam prædo est restituendus. Quia respondeo dupliciter. Primò, quòd hoc habet locum, quando petens restitutionem docet de vera violentia, ut ibi probat textu. in verbo, violenter elenctum. Secus autem est, quando privatus sua possessione non potest docere de vera violentia, quo casu admittũtur exceptiones proprietatis, dummodò offeruntur probationes paratæ: nec habet locum restitutio, ita apertè dicit *Bartolus in leg. si de vi, circa finem. ff. de judic. & est Glossa ordinaria in verbo, per ignorantiam, in fine, & ibi etiam Bartol. & Doctores, in l. cum quæreretur, Cod. unde vi, & voluit Panormitan. in cap. literas super gloss. verbi offeratur, circa finem, extra de restitut. spoliato.* quemadmodum in casu nostro, ubi quondam dominus Everhardus per violentiam non acquisivit dicta dominia, sed ex manu dicti Ducis Caroli, alio prius per sententiam privato. Item respondeo secundò & fortius, quod & si idem quondam Dominus Everhardus possessionem dictorum castrorum violenter à præfato impetrante accepisset: Tamen ex quo restitutis dictis castris posset ipsi opponenti irreparabile damnũ obvenire, propterea non tenetur ad restitutionem castrorum, dummodo in continenti posset probare de dominio, *argument. capituli significasti, de di-*
29 *vort.* ubi habetur, † quòd non debet fieri restitutio, quando sequeretur aliquod periculum vel damnum irreparabile restitutione facta, & istud voluit in terminis nostris singulariter *Paulus de Castro, in d. le. si de vi,* circa finem, ubi dicit, quod si spoliasti me fortissimo castro, & ego ago contra te interdicto recuperandæ: Tu autem offers in promptu probationes de dominio, debes audiri, subdens rationem, quia si fieret mihi restitutio, licet obtineres in dominio, difficilè esset tibi recuperare possessionem, & idem voluit ipse *Paulus de Castro in le. secunda, in finalibus verbis. Cod. de edict. Divi Adriani tollen. & ibi hoc dictum refert & sequitur Domin. Iason.* Illud dictum Paul. de Castro etiam refert & sequitur Dom. *Alexander de Imola, in l. naturaliter, in §. nihil commune. ff. de acquirenda possessione.* In nulla tamen culpandi sunt judices, qui prætactam sententiam redintegrationis protulerunt, cùm
30 præmissa minimè allegata fuerint, & † judex secundum allegata & probata judicare debet. *lege illicitas. §. veritas, & ibi Doctores. ff. de offic. præsid. cum similibus.*

Sed cum ex præmissis luce clarius pateat præfatum opponentem jure speciali *dict. l. prim. Cod. de jur. & fact. ignoran.* jam cùm convenitur, admittendum esse de jure ad proponendum suas exceptiones peremptorias per suum patrem pridem omissas, constetque sufficienter de bono jure legitima possessione dicti opponentis, & quod ipse impetrans nullum unquam titulum legitimum vel aliquam possessionem saltem post suam bannitionem & privationem habuerit, junctis cæteris medijs & motivis superius allegatis, alijsque brevitatis gratia hic omissis, per circumspectiones dominorum judicum supplendis, quodque prætacta sententia contra nudum usufructuarium opponentem, in expeditione cum suo principe existentem & facultatem producendi sua instrumenta minimè habentem lata fuerit: Sequitur evidentissimè, quod ipse opponens justissimè petitioni ipsius impetrantis se opposuerit, quodque minimè executio sententiæ in prætacta castra & dominia fieri debeat, sed ipso opponente admisso ad probandum suas exceptiones peremptorias, & aliàs de illis & suo bono jure ac legitima possessione constituto, absolvi debeat

debeat ab impetitione & conclusione ipsius impetrantis. Et ultra hoc, in quantum petitum fuerit, manuteneri in possessione, in qua hactenus fuit.

CONSILUM III.

SVMMARIA.

1 *Maria & flumina publica sunt communia & libera usque ad cœlum, de jure naturali.*
2 *Per vias publicas liber licitusq; est transitus. Similiter & per flumina publica, & maria.*
3 *Levantes pedagium à transeuntibus per viam publicam edictis prohiberi possunt, ne levent, nisi habeant à principe.*
4 *Dicens rem vel personam debere servitutem, debet illud probare.*
5 *Vectigaliū impositio ante tempora Caij Caligulæ Imper. Rom. quarti non erat cognita, sed per eum primum inventa.*
6 *Vectigalia & telonia quando debeantur, &c.*
7 *Vectigalia nova instituens tenetur l. Iulia, de vi publica.*
8 *Vectigalia inter regalia numerantur, & numer. 23.*
9 *Consuetudo, cujus contraria memoria non existit, vim privilegij habet.*
10 *Inferiores à principe, qui præscripserunt regalia, possunt justa causa subsistente etiam telonia & vectigalia imponere.*
11 *Facta non præsumuntur.*
12 *Consuetudo & præscriptio non recipiunt extensionem personarum neque actuum.*
13 *Antiquitas temporis facit præsumi Vectigal legitimè institutum in loco, ubi consuevit levari.*
14 *Presumptio juris transfert onus probandi in adserentes contrarium.*
15 *Tantum prescriptum, quantū possessum.*
16 *Non probat hoc esse quod ab eo contingit abesse.*
17 *Libertas contra exactionem vectigalis prescribi potest, & quanto tempore, numer. 19.*
18 *Favorabilior est prescriptio libertatis contra servitutem, quàm prescriptio servitutis contra libertatem.*
20 *Vbi reperitur casus legis, ibi nulla est dubitatio.*
21 *Contra functiones publicas que prestantur in signum vere subjectionis, non currit prescriptio.*
22 *Subjectio non potest prescribi.*
24 *Vtens jurisdictione in parte, conservat eam in universo, & num. 34.*
25 *Conservari non potest, quod non probatur habitum.*
26 *Mutanda non sunt que certam semper habuerunt observationem.*
27 *Ex separatis non bona fit illatio.*
28 *Odiosa & alteri prejudicialia non debent extendi.*
29 *Publicani ultra antiquam consuetudinem exigentes, &c. pœna exilij plecti jubentur.*
30 *Iurisdictio ordinaria sed non ordinario modo, ut est jurisdictio legati, non est favorabilis nec extendenda.*
31 *Vulgaris appellatio sive nominatio magnam præsumptionem inducit.*
32 *Surrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum surrogatur.*
33 *Diversæ universitates diverso jure censeri possunt.*
35 *Extra territorium jus dicenti impunè non paretur.*
36 *Experientia est efficax rerum magistra*
37 *Verbis edicti cessantibus recurrendum est ad officium Iudicis.*
38 *In dubio pronunciandum est contra fiscum vel causam ab eo habentes.*

AB antiquo circa oppidum ac portum Antverpiensem certū est constitutum telonium sive vectigal, quod à transeuntibus cum suis mercibus & bonis per flumen Schaldæ, vel illic applicantibus exigi

exigi & levari solet, deputatis illo in loco certis ad hoc stationarijs sive publicanis. Extra autem hos terminos, vel saltem illi propinquos, non consuevit dictum vectigal levari, nec aliunde stationes deputari: quinimò ultra memoriam hominum unicuique licitum fuit cum suis navibus, mercibus, & bonis, portum oppidi Bergensis liberè absque solutione dicti vectigalis intrare, & inde exire, dummodo hujusmodi naves per vel ante oppidum seu portum Antverpiensem minimè transirent, fueruntque Dominus & oppidum suũ Bergense, ac mercatores & nautæ illic applicantes ab octavo, decimo, 20. 30. 40. & 60 annis, ac à tanto tempore, & per tantum tempus, quod de illius contrario hominum memoria non existit, in vera & pacifica possessione, seu quasi, hujusmodi libertatis seu immunitatis. Et si aliquo tempore aliquod impedimentũ factum fuerit in contrarium, hoc postquam ad notitiam ipsorum pervenit, vijs & remedijs juris amoveri curarunt, adeò quòd semper in eorũ libertate eis de jure naturali & primævo competente remanserunt. Verum cùm pauco tempore elapso, prætacti publicani vigore cujusdam mandati Ducalis à mercatoribus dictum oppidum per aquam appellentibus præassertum Vectigal exigere conabantur, præfati Bergenses pro conservanda ipsorum & mercatorum illic applicantium libertate & possessione, se hujusmodi mandatis, appellatione etiam interposita, opposuerunt. Cujus occasione lis coram certis Commissarijs illustrissimi Domini Archiducis Austriæ, Brabantiæ Ducis, &c. inchoata est inter præfatos publicanos adjuncto eis procuratore fisci impetrantes ex una, & memoratos dominũ & oppidum Bergenses opponentes ex altera partibus. In qua causa dicti impetrãtes pro fundanda sua intentione præcipuè allegant, telonium Antverpiense esse generale telonium Brabantiæ per aquam, sicut Lovaniense per terram, & quòd Duci Brabantiæ, tàm de jure quàm antiqua consuetudine, pro introitu suæ patriæ semel debeatur, sicut Comitibus Flandriæ & Hollandiæ, & eo semel soluto in portu Antverpiensi, amplius non solvitur telonium, quemadmodum fit de telonio Lovaniensi, & quod in contrarium tanquam contra publicas functiones nõ currat præscriptio & tantò minus cum recipiendo telonium in oppido Antverpiensi patriæ Brabantiæ, reservaverit sibi Princeps jus in universo, quodq; propterea liceat Duci Brabantiæ, (qui non debet esse minoris authoritatis vel præeminentiæ prætactis Comitibus) deputare stationarios in quolibet loco vel portu patriæ Brabantiæ. In contrarium dicti Bergenses negant dictum teloniũ Antverpiense esse universale per aquam, sicut Lovaniense per terram: sed dicunt esse locale Marchionis Antverpiensis, cùm illud aliundè nusquam receptum vel levatum fuerit, vel stationes in alio loco deputatæ. Telonium autem Lovaniense per terram, in alijs locis diversis levari, & pro illo colligendo diversæ stationes deputari consueverunt. Dicunt præterea, telonia non posse exigi, ubi non sunt legitimè instituta. Ac quod non constat, aliquod telonium in portu vel oppido Bergensi super navibus vel mercibus per aquam illic applicantibus fuisse institutum, vel aliquo tempore illic esse levatum, & quod de jure gentium omnibus libera per mare & flumina competit navigatio. Allegant etiam in confirmationem antiquissimæ suæ possessionis & præscriptionis libertatis, privilegia & provisiones Principum patriæ Brabantiæ, & præcipuè boni Philippi, Ducis Burgundiæ & Brabantiæ, qui habito desuper maturo consilio, voluit & concessit, ut omnes mercatores undecunque venientes, possent per aquas & terras visitare & frequentare nundinas Bergenses, sub justis & consuetis teloniis, ac talibus quæ tempore suo levabantur,

bantur, absque eo quòd ultra hoc ab eis
aliquid exigi possit.
Ex præmissis sub correctione cujus-
cunque duo principaliter dubia consulenda
occurrunt. Quorum primum est, an inten-
tio impetrantium sit de jure cõmuni fun-
data, sic quod præsumatur telonium per a-
quam institutum legitimè, ac Duci Bra-
bantiæ universaliter debitum in suo Du-
catu, an potius ipsi opponentes releven-
tur ab onere probandi, certantes pro liber-
tate de jure gentium omnibus cõpetente.
Secundum dubium est, præsupposita
sine præjudicio legitima universali insti-
tutione dicti telonij, an ne dicti Bergenses
& mercatores illic applicantes, per pos-
sessionem tanti temporis, cujus non extat
memoria in contrarium, libertatem præ-
scribere potuerunt, ac præscripserunt.
Pro quorum dubiorum clara decisione,
primò præsupponendum censeo, quòd de
1 jure † naturali maria & flumina publica
communia sunt, & libera omnibus navi-
gare volentibus. *Instit. de rerum divi. post
principium, & leg. 2. cum sequen. ff. eodem
titul.* & libera quidem usque ad cœlum,
ita quòd non licet de jure communi supra
ipsa ædificare privatos pontes, sicut nec
supra viam publicam, *ut ff. ne quid in loco
publico. leg. 2. §. tractatum, & ibi per Bar-
tolum, & voluit expressè Baldus in consi-*
2 *lio suo 65. primi voluminis.* † unde quem-
admodum per vias publicas liber licitusq́;
est transitus. *leg. viam publicam. ff. de via
publica. & leg. 2. §. viarum. ff. ne quid
in loco publico,* ita etiam per maria & flu-
mina publica libera debet esse navigatio.
Hinc est, quod prodita sunt interdicta cõ-
tra eos qui in flumine publico vel via pu-
blica, aut mari fecerunt aliquid quo pejus
navigetur, *ut patet toto titulo. ff. ne quid
in loco publico. ff. ne via publica. ff. de flu-
min. ff. ne quid flumin. public. ff. ut in flu-
mi. public. navig. lice. cum similibus.* in tan-
3 tum, quòd levantes † pedagium à transe-
untibus per viam publicam, possunt per
hoc edictum prohiberi ne levent, cùm im-
pediant transeuntes contra jus & utilitatẽ
publicam; nisi habeant à principe privile-
gium, *ita notat Speculat. in titul. de causa
possess. & proprieta. in §. quia verò, in ver-
sicul. quid de colligendis.*
Secundò est præmittendum, quòd jus
recipiendi vectigal sive telonium à mer-
catoribus vel nautis, cum suis mercibus
per mare vel flumen publicum naviganti-
bus, est quædã servitus, & per consequens
ejus contrarium est libertas, *ut vult Bal-
dus in dicto suo consilio sexagesimo quinto,
post Bartolum in leg. si publicanus. §. finali.
ff. de publica.* Quæ servitus non præsumi-
4 tur, unde dicens † rem vel personam de-
bere servitutem, debet hoc probare, cùm
omnis res & persona præsumatur libera,
*lege altius, & leg. si in ædibus, & ibi Bar-
tolus. Cod. de servitut. & aqua, & para-
graph. jus autem gentium. Institut. de jure
natura. gentium & civi.* Hinc est, quòd
5 ante Cajum Caligulam, † qui erat Impe-
rator Romanorum quartus, & tyrannus
pessimus impositio vectigalium non erat
cognita, sed per eum primum inventa, ut
commemorat Suetonius, in ejus vita, ca-
pite de novis vectigalibus, & sordidis
quæstibus.
6 Tertiò est præsupponendum, † quòd
hujusmodi vectigalia & telonia non de-
bentur, nisi probentur autoritate Impera-
toris, vel Regis Romanorum, aut Conci-
lij generalis, seu Papæ introducta: *text. est
ad literam cap. super quibusdam, in §. præ-
terea, & ibi Doctor. de verborum significa-
tio. & Cod. nova vectigalia instit. non poss.*
7 *per totum,* imò nova † vectigalia instituens
tenetur lege Julia, de vi publica, *leg. ultima
ff. ad legem Iuliam, de vi publica.* Hinc est,
8 quòd hæc † inter regalia numerantur *toto
titulo, quæ sunt regal. in usibus feudor. &
ibi Bald. & Doctores.* Et ergo inferiores
à supremo principe non possunt pedagia

vel telonia recipere, nisi habeant privilegi-
um à supremo principe vel nisi hoc juri-
9 dicè vendicent ex consuetudine, † cujus
contraria memoria non existit, quæ vim
privilegij principis habet. *leg. hoc jure.* §.
ductus aquæ. ff. de aqua quotidiana & æsti
& dict. cap. super quibusdam. §. *præterea, &*
ibi hoc notat Panormit. & voluit Bald. in
consi. suo 177. *secundi volum. & Bartol. &*
Doct. in d. l. si publicanus. §. *fin. & Hostien.*
in summa, in titu. de censi, in §. *ex quibus.*
Quartò est presupponendum, quòd in-
10 feriores † à supremo principe qui jã præ-
scripserunt regalia cursu tanti temporis,
de cujus initio non est memoria, cum usu
regaliũ (prout possunt, ut dixi) non debent
hujusmodi nova & inconsueta telonia vel
vectigalia imponere, nisi subsistente justa
& legitima causa, cùm sint odiosa, juri
naturali & libertati contraria, & alteri
præjudicialia. *cap. innovamus, cum ibi not*
per Henricum Boick, & alios, de censib. &
leg. 1. cum concord. ibi positis in gloss. Cod.
nova vectigalia institut. non posse.
Ex quibus præsuppositis infero ad pri-
mum quæsitum, & dico, quòd intentio ip-
sorum impetrantium non est de jure com-
muni fundata, neque præsumitur telonium
universaliter in Ducatu Brabantiæ per a-
quam legitimè institutum, quia hoc facti
11 est, & in facto consistit, facta † autem non
præsumuntur. *l. quæcunque.* §. *finali. ff. de*
publiciana. Certi enim juris est, quòd cõ-
suetudo vel præscriptio non arctat illos
contra quos præscribentes vel consuetudi-
nantes nunquam sint usi præscriptione vel
consuetudine, *textus est bonus in cap. di-*
lecto. de offic. archidia. Nam cùm † consue-
12 tudo & præscriptio sint facti, & consistant
in facto, *cap. 1. de constit. lib. 6.* non reci-
piunt extensionem personarum, neque a-
ctuum, *dicto cap. dilecto,* & *determinat ex-*
pressè Bald. in consilio 125. primi volum.
& *Panorm. in c. 2. super gloss. fina. de coha-*
13 *bita. cleric.* & *mulier.* licet præsumatur †
legitimè, & ex legitima causa institutum
in loco ubi consuevit levari, propter anti-
quitatem & cursum tanti temporis, de
cujus initio non est memoria. *argum. nota.*
in l. si filius. C. de petitio. hæred. & *in leg.*
cum de in rem verso. ff. de usur. & *in leg. si*
certis annis. Cod. de pactis. & *cap. pervenit,*
de censibus. Ex quo sequitur, quòd ipsi op-
ponentes pro libertate certantes habent
14 præsumptionem juris pro se, quæ † trans-
fert onus probandi in adversarios. *leg. sive*
possidetis, cum ibi notat. Cod. de probatio.
& *l. si tutor petitus, cum ibi notat. per gloss.*
Bald. Salicet. & *Doctores. C. de pericul. tu-*
to. qui si non probaverunt canonicam &
legitimam institutionem dicti telonij, vel
levationem ejusdem in loco & districtu,
de quo est quæstio, per tantum tempus, de
cujus initio non est memoria, debent suc-
cumbere per regulam, actore non proban-
te, &c. de jure enim communi, ut dixi, di-
ctis impetrantibus non competit jus le-
vandi dictum teloniũ in districtu Bergensi,
Si ergo non probaverint jus speciale de-
bent succumbere, *dict. cap. dilecto.* Certa
15 est enim juris regula, † non plus præscri-
ptum quam possessum. *c. cùm olim, de pre-*
script. cum similibus, & *l. 1.* § *si quis hoc in-*
terdicto, cum ibi not. per gloss. Bart. Angel.
& *Doct. ff. de itine. actuque priva.* Nec per
hoc probatur universaliter institutum in
qualibet parte fluminis Ducatus Braban-
tiæ, quod simile telonium reperitur uni-
versaliter institutum per terram, quia non
16 † probat hoc esse, quod ab hoc contingit
abesse, *le. neque natales. C. de probatio, cum*
vulgaribus, de quo dicam latius infrà.
Ad secundam autem quæstionem parum
17 dubitabilem dico, † quòd hujusmodi liber-
tas præscriptibilis est, pro quo allegato
text. in leg. licitatio, in §. *earum,* & *ibi ex-*
pressè hoc tenent. gloss. Barto. Paul. de Cast.
Ioan. de Imol. & *Doct. ff. de publica.* Allego
etiam *text. cum gloss. in d. l. si publicanus.*
§. *fin.* & *ibi hoc pro certo* & *indubitato pre-*
supponunt

ſupponunt Dyn. Barto. & alij Doct. in determinatione illius quæſtionis antiquæ, An jus exigendi vectigal poſſit præſcribi, & *Salicet. in leg. vectigalia. C. nova vectigal. inſtit. non poſſe & Bald. in conſ. ſuo* 110. *primi voluminis.* Ita etiam expreſsè decidit Henricus Boick, *in d. cap. innovamus, & Paul. de Caſt. in l. ſequitur. in § fina. ff. de uſucapio, ubi etiam eſt bonus text. & probatur in leg. ſervitutes. ff. de ſervitut. titu. generali*, & *in l. hæc autem jura*, & *ibi Angel. ff. de ſervitut. urbano prædio.* Et ratio iſtius eſt manifeſta, quia favorabilior
18 † eſt præſcriptio libertatis contra ſervitutem, quàm præſcriptio ſervitutis contra libertatem. Si ergo jus exigendi vectigal præſcribatur, ut concludunt omnes Doctores in paſſibus ſuprà allegatis, & *eſt text. expreſſus in d. cap. ſuper quibuſdam. in §. præterea.* & *ibi Panormitan.* multò fortius præſcribetur libertas.

Hinc eſt, quòd libertas hoc caſu præſcribi poteſt contra privatum, jus exigen-
19 di † vectigal fortè ex cõſuetudine habentem, ſpacio 10. annorum, & contra fiſcum, ſpacio 40. annorum, *ſecundum Bart. Paul. de Caſt. Ioan. de Imol.* & *alios, in d. l. licitatio. §. fin.* ubi tamen ſecundum omnes in præſcribendo jure exigẽdi vectigal requiritur tempus, de cujus initio non eſt memoria, *per text. expreſſ. in d. cap. ſuper quibuſdam.*

Ex quibus ſine ulteriori proſecutione concludo, hujuſmodi libertatem abſq; ali-
20 quo dubio eſſe præſcriptibilem, ubi enim † reperitur caſus legis, ibi nulla eſt dubitatio, *l. ancillæ*, & *ibi gl.* & *Bald. C. de furtis.*

Nec præmiſſis obſtat. *l. comperit. C. de præſcript. 30. vel 40. annorum*, ubi habetur
21 † quòd contra functiones publicas nõ currit præſcriptio, quia omiſſis diverſis ſolutionibus per Doctor. in diverſis paſsibus, & præcipuè per Henricum Boick, *in cap. ſi diligenti, de præſcription.* ad illam leg. traditis. Reſpondeo breviter, quòd illa lex loquitur in caſu ſpeciali, ſcilicet in tributis & alijs functionibus, quæ dantur in ſignũ veræ ſubjectionis, ita dicit Cyn. *in dict. l, comperit, & Dom. Ioan. da Imol, poſt Bart. in d. leg. licitatio. §, earum*, & *Dom. Panor. in cap. ad audientiam, circa finem, de præ-*
22 *ſcrip.* Unde ſicut ipſa ſubjectio † non poteſt præſcribi, ita nec ſignum ipſius, quemadmodum alibi dicitur, quòd ſicut contra viſitationem non pręſcribitur, ita nec contra procurationem ratione viſitationis debitam, *ut eſt text. in cap. cùm ex officij. de præſcrip.* Secus autem eſt in aliis cenſibus vel juribus per principem impoſitis, ſeu ſi-
23 bi competentibus, quæ † etiamſi ſint regalia & ſibi reſervata, in ſignum ſpecialis privilegij, quale eſt jus recipiendi teloniũ vel vectigal, *ut tot. titul. quæ ſunt rega.* tamen poſſent contra principem præſcribi ſpacio tanti temporis, de cujus initio non eſt memoria. Etiam ut jus exigendi, alteri quàm principi competat, *ut eſt tex. expreſ. in d. cap. ſuper quibuſdam. §. pręterea*, & *ibi Panorm.* & *Docto.* & *voluit Bart. in d. l. ſi publicanus. §. fin.* & *alij Doctor. in paſſibus ſuprà alleg.* fortius ergo præſcribi poterit contra eũ libertas nõ ſolvẽdi, ut ſupra dixi

Nec præmiſſis obſtat, ſi dicatur, quod licet libertas non ſolvendi telonium poſſit præſcribi, tamen in caſu præſenti non videtur præſcripta, quòd ſic deducitur, quia ut præſupponitur in caſu, Dux Brabantiæ ſemper & in concuſsè percepit & levavit, ac hodie percipit atque levat hujuſmodi telonium in oppido Antverpienſi, & ſic in una parte Ducatus Brabantiæ à mercatoribus merces ſuas per aquam illic deferentibus, ergo cõſervavit jus ſuum recipiendi hujuſmodi telonium in omni parte aquæ
24 Ducatus Brabantiæ: conſequentia patet, † quia utens juriſdictione in parte, conſervat eam in univerſo, *ut not. Innocent. in cap. 2 de capel. mona.* & *ibi poſt eum, Ioan. Andr. Henr. Boick* & *alij Docto* & *Specu in titu. de juriſdict. omni. judic. in §. fin.* & *eſt text in leg.*

in leg. is qui usumfructum. ff. quibus mod. usufruct. vel usus amit. & ibi Bald. Sicut in simili dicti impetrantes deducunt de telonio debito Duci Brabantiæ à mercatoribus merces suas deferentibus per terram, pro quo colligendo licet in omnibus locis stationarios suos hactenus non habuerit, illos tamen ubique ponere posset. Ad quod argumentum prima facie multum apparens respondeo tripliciter.

Primo, quòd hoc benè procederet, si constaret ipsumDucem Brabantiæ hoc jus universale recipiendi & exigendi telonium à mercatoribus, Ducatum suum Brabantiæ in qualibet parte ejus cũ suis mercibus per aquam ingredientibus ab antiquo ex justo titulo habuisse, sicuti habet per terram, prout non constat, imo contrarium ejus dicitur esse notorium: quia asseruntur esse plures portus & partes aquæ Ducatus Brabantiæ, ubi à mercatoribus illic applicantibus, nihil unquam exactum, neq; receptum est, ut in territorio de Breda, de Sevenberge, de Heusden, & quod servit proposito in portu Bergensi, & in pluribus aliis. Cùm ergo non constet de universali institutione & perceptione telonij ab illis, qui Ducatum Brabantiæ cum suis mercibus per aquam ingrediuntur, sed duntaxat de locali institutione & perceptione telonij ab illis qui portum marchionatus Antverpiensis ingrediuntur, & constat ita semper observatum esse: Patet clarè argumentum hujusmodi non obstare,
25 cùm † conservari non possit, quod nõ probatur habitum. *arg. leg. decem. ff. de ver-*
26 *bor. obligatio.* † Et minimè sunt mutanda, quæ certam observationem semper habuerunt. *leg. minimè. ff. de legi.* maximè in vectigalibus, *d. leg. si publicanus. §. final.* Aliud enim est, cùm agitur de retinendo jure, quo casu locum habet, *d lex. is qui usumfructũ*, & aliud est, cùm agitur de jure quærendo, quo casu habet locum *d. l. prima, si quis hoc interdicto, cum ibi notat. per glos. Bart. Angel. & Doctor. & not. per gl. Bart. Ang. & Doctor. in §. sequen. qui incipit, Iulianus, eod. tit.* in quibus juribus videtur pũctualiter decidi casus noster. Nec valet consequentia, Dux Brabantiæ habuit
27 & habet in terra, ergo & in aqua, † cùm ex separatis non fiat bona illatio, *d. l. neque natales.* Et quia consuetudo & præscriptio non recipiunt extensionem personarum neque actuum, *d. c. dilecto, & voluit Bald. in consilio suo* 125. *suprà allegato.* Non plus enim potest dici præscriptum, quam possessum, *d. cap. cùm olim, & voluit ipsemet Innoc. in d. cap. 2. circa princip.* Et tanto
28 minus debet fieri extensio, † quia hujusmodi telonia sunt gravamina & servitutes, ut dictum est, & multum odiosa, tanquam juri naturali & libertati contraria, & alteri præjudicialia, quare non debent extendi. *regul. odia, & regul. in pœnis. de reg. jur. lib. 6.* Ita in pulchris terminis consuluit Do. Panor. *in consil.* 264. Confirmo etiam istud per theoricam *Bart. in d. leg. si publicanus, in §. fina* ubi dicit, quod si probetur quem habuisse jus levãdi vectigal in certa re, vel à certa persona tantùm, quòd propterea ab alijs exigere non poterit. Et hoc dictum benè probatur per illum text. qui vult, quòd ultra quàm consuetum est nihil nomine telonij exigi debet, cui consonat *text in d. l. licitatio, in § ear.* Quin-
29 imo publicani † ultra antiquam consuetudinem exigentes, pœna perpetui exilii plecti jubentur. *ut est text. in leg. fina. C. nova vectiga. instit. non poss.* Pro isto etiam facit, quod in simili dicit *glo. ordi. ab omnibus approbata, in Cle. fin. de offic. ordi.* quæ dicit, quod licet legati de latere per potestatem expressam in jure concurrant cum ordinariis in collatione beneficiorũ vacantium in provincia eis decreta, tamen quia per factum ipsorum fit præjudicium illis, ad quos collatio pertinet, ipsorum collatio, ut superinducta & collatoribus præjudicans, est restringenda. Episcoporum vero collatio,

collatio,ut naturalis &favorabilis,eſt ampliand a , per quod dicit ibi ſingulariter
30 Cardi. † quod juriſdictio ordinaria,ſed non ordinario modo ut eſt juriſdictio, legati,non eſt favorabilis nec extendenda, & ita dico in propoſito.

Secundò dico,quòd dictum argumentũ præſupponit duo, quorum neutrum præſupponitur conſtare ex actis, imò illorum contrariũ. Primò enim præſupponit,quòd iſtud telonium ſit debitum Duci Brabantiæ in quantum hujuſmodi,& non tanquã Marchioni,quod tamen ex pluribus veriſimilibus conjecturis præſumitur non eſſe verum. Primò ex nomine ipſius telonii, quod vulgariter nominatur & appellatur, **den Tol van der Marckgraefſchap van Antwerpẽ**/id eſt,telonium in Mar-
31 chionatu Antverpienſi, † quæ nominatio & appellatio concurrente uſu libertatis longiſſimi temporis maximam præſumptionem inducit,*cap.illud.* & *ibi gloſſ.* & *Doct.de præſump.* & *cap.per tuas, qui filij ſunt legit.* & *faciunt notata per I.Cyn.* & *Legiſtas, in l.ſi pater.C. de hered. inſtit.* Secundò ex loco levationis ſeu perceptionis dicti telonii , quia in loco diſtrictus præfati Marchionatus(&non extra illum) ſemper levatum dicitur hujuſmodi telonium. Tertiò ex hoc,quod ut præſupponitur in facto, dictum telonium fuit antea Marchioni(cui ipſe Dux Brabãtiæ ſucceſſit)debitum: fertur enim quod cũ pridem erant Comites Lovanienſes &Bruxellenſes,&Marchio Antverpienſis(nec dũ Dux Brabantiæ)ipſeMarchio dictum telonium in ſuo Marchionatu uſurpavit. Cùm ergo Dux Brabantiæ ſucceſſu temporis dicatur ſucceſſiſſe in locum dicti Marchionis,ſitque ut ſucceſſor territorii & juriſdictionis ſucceſſit in ipſis cum ſua cauſa,qualitatibus & vitiis, ut *latè declarat Bald.in præalle.conſ.65.* & *facit lex Pomponius §. cũ quis.ff.de acquir.poſſeſſio.* Nec potuit plus juris habere,quàm habuit Marchio: Surro-
32 gatum † enim ſapit naturam ejus,in cujus locum ſurrogatur, *l.ſi eum.§.qui injuriarum.ff.ſi quis cautio.cum ſimilib.* Secundò præſupponit argumentum,quòd territorium Marchionatus Antverpienſis , & territorum diſtrictus Bergenſis, non ſunt diſtincta territoria , quod etiam conſtat eſſe falſum,licet enim à ſententia ſcabinorum Bergenſis appelletur ad juſtitiã Antverpienſem, ut fertur, ex hoc tamen non
33 concluditur identitas territorii,† cùm ſint diverſæ univerſitates,& ergo diverſo jure cenſeri poſſunt,ut *notat Innoc.in cap.dilecta.de exceſſi.prælato.* & patet clarè in ſimili,in Epiſcopo & Archiepiſcopo , & in oppido Teneremontenſi,quod conſtat eſſe deComitatu Flandriæ, &tamen à ſententiis eorum,ut fertur,appellatur ad oppidũ Antverpienſe,quod notoriè eſt de Ducatu Brabantiæ,& in multis aliis: Ex quo clarè liquet,non argui identitatem territorii ex eo,quòd de uno loco ad alium appellatur, cũ judicia capitalia ex ſola voluntate Principis ordinentur & varientur. Quòd autẽ argumentum prætactum iſta duo præſup-
34 ponit, patet,quia dicta maxima † de conſervãda juriſdictione per exercitium partis juriſdictionis neceſſariò intelligitur de exercitio juriſdictionis fiendo infra diſtri-
35 ctum ſeu territorium, cùm extra † territorium jus dicenti non pareatur impunè, *l.fin.ff. de juriſdict.omn.judi.* Et quia diverſa territoria diverſo poſſunt jure cenſeri,ut prædixi , & videmus quotidie per
36 experientiam,† quæ eſt efficax rerum magiſtra,*cap.quã ſit,de elect. lib. 6,*unde alia ſunt privilegia indulta àDucibus Brabantiæ,ipſis mercatoribus cum ſuis mercibus Antverpiam applicantibus & alia applicantibus Bergis,vel alibi,&ſic dictum argumentum non obſtat.

Tertiò etiam dicta theorica Innoc.non obſtat,quia ut ex verbis ejuſdem liquidiſſimè habetur,non procedit,quando in parte juriſdictionis ſciente,patiente, & tole-

rante principe, & suis officiariis, aliter per subditos observatũ est, ut in casu præsenti ex privilegiis tàm Ioannis quàm Philippi Ducum, & aliàs luculenter constat. Pro quo ultra præmissa videtur casus *in d.c.cũ olim de præscrip.* Et quia vetustissima consuetudo non solvendi telonium per mercatores in portu Bergensi per aquam applicantes fuit, & est per Ducem Brabantiæ & præcipuè per piæ memoriæ bonum Ducem Philippum approbata & confirmata, ut ex tenore literarum in actis exhibitarũ lucidè constat, censentur dicti Bergenses ac nautæ & mercatores illic cũ suis mercibus applicantes hanc libertatem habere, nedum ex jure naturali & consuetudine vetustissima illud coadiuvante, sed etiam ex privilegio ipsius qui illud dare potuit. Quare cùm in casu præsenti cõcurrat bona fides ipsorum opponentium, titulis juris naturalis, & privilegii, cum scientia & patientia Ducis Brabant. à tempore de cujus initio non est memoria, liquet clarè, dictos opponẽtes ac nautas & mercatores in portu Bergensi cum suis mercibus applicantes, dummodo portum seu districtũ Marchionatus Antverpiensis non ingrediantur, hujusmodi libertatem non solvendi telonium præscipsisse, vel verius in sua libertate perdurasse, & muneris impositionem contra eos non esse præscriptam, *ut in simili dicit tex. in d. leg. prima. §. Iulianus, supra alleg. cum ibi notatis per gloss. Bart. Ang. & Doct.*

Ex quibus sequitur, quod quia dicti impetrantes inconsueta telonia à dictis opponentibus exigere conantes, aliquid facere nituntur in flumine publico obstaturum libertati, impediendo scilicet ne liberè liceat navigare & mercari, quæ pertinent ad utilitatem publicam, cùm usus mercatorũ sit valdè utilis & necessarius, ut omnibus liquet, quamvis edictum prætoris, ne quid in flumine publico, de hoc apertè non loquatur, tamen per principem (fontẽ justi-
37 tiæ) sunt cohibendi, cùm cessantibus † verbis edicti, subsistente tamen æquitate ad officium judicis sit recurrendum, *arg. l si quis sepulchrum, ff. de religio. & l. 2. §. idem Varus ff. de aqua plu. arcend. & notatur in l. quibus diebus, in princ. in parva glosella. ff de condit. & demonstr.* maximè cùm princeps ex suo officio debeat illicitas exactiones prohibere, *l. illicitas, in princi. ff. de offic. præsid.* & insatiabilẽ avaritiam publicanorum cohibere, *teste Vlpiano, in leg. quantæ audaciæ. ff.* de *public.*

Concludendo ergo videtur mihi subscripto quod quia libertas favorabilis est, servitus verò & telonia odiosa, congruatque odia restringi & favores ampliari.
38 Et quia in dubio † pronunciandũ est contra fiscum, vel causam ab eo habentes, ut sunt impetrantes, *l. non. puto. ff.* de *jur. fisci* præsertim in casu, in quo fiscus certat de lucro captando, ut in casu præsenti, quo casu propriè procedit, *d. l. non puto, ut singulariter decîdit Alex. & alij in l. 1. ff. solut. matrim. & Iason in l. de die. ff. qui satisd. cogan.* quod partes dominorum judicum esse debent in absolvendo præfatos opponẽtes ab impetitione dictorum impetrantium, & in condemnando dictos impetrantes in expensis dictorum opponentiũ.

CONSILIUM. IV.

SVMMARIA.

1 *Damnum si propter contumaciam unius ex socijs inferatur rei communi, socius culpabilis resarcire tenetur.*

2 *Domino domus exustę competit actio contra vicinum in cujus domo incendium est exortum.*

3 *Dejiciens quid ex cœnaculo tenetur hospiti, in quantum ipse propter id actione L. Aquiliæ est condemnatus.*

4 *Solvens virtute repressaliarum propter factum tertij, recuperare potest solutum ab illo tertio.*

5 *Conductor damnum per inimicos ipsius,*

rei conductæ illatum emendari cogitur.
6 Modica culpa interdum nocet.
7 Culpæ reus est qui opera malorum hominum utitur.
8 Injuria inde nasci non debet, unde jura oriuntur.
9 Ambasiator derobatus in itinere, occasione mittentis, habet regressum contra ipsum mittentem.
10 Obligatio interdum extra id, quod agitur, nascitur.
11 In culpa est qui non prævidet, quod prævidere debuit.
12 Dans operam rei illicitæ, tenetur.
13 Ex præteritis capimus conjecturam ad futura etiam in malum præsumendo.
14 In generali mandato non venit delictũ, sicut & in qualibet alia disponere permissiva.
15 Mandans illicitum videtur mandasse omnia, quæ verisimiliter concomitari poterant.
16 Reus absolvendus est ab instantia Iudicij, quando actio & intentio actoris ineptæ sunt.
17 Inutilis adjectio non vitiat utile expressum, quando separari potest.

QUIDAM A. literas repressaliarum à serenissimo Principe in forma communi, & cõtra Scotos duntaxat exequendas impetravit. Quarum siquidem literarum executionem secundũ seriem & formam earundem cuidam notorio pyratæ certis pactionib. & stipulationib. de participando lucro exinde obventuro, cõmisit, atq; eundem pyratam tanquã magistrum principalẽ navis, unde dicta executio commodius & habilius fieri deberet, præposuit, ordinavit, & instituit. Qui siquidẽ pyrata prætextu & colore dictarum literarum, quibusdam alijs non Scotis, sed Francis in rebus eorum & navi maximum damnum intulit, navẽ & omnes merces in ea constitutas, & ad præfatos Francos spectantes deprædando & diripiendo. Quæstio est, an dictus A. impetrans & committens, ex facto dicti pyratæ sui executoris & cõmissarij per eũ scienter electi, ad reparationẽ interesse & dãni ipsis Francis illati, conveniri de jure effectualiter valeat seu possit.

In qua quæstione, omissis superfluis, videtur mihi subscripto sine hæsitatione de jure dicendum, quod sic. Quod deduco juribus, rationibus & autoritatibus infrà scriptis. Primò *per l. si is, cum quo, cum ibi notatis per Bald. ff. communi divid.* ubi habetur,
1 † quod si propter contumaciã unius ex socijs inferatur damnum in re communi, competit socio actio contra culpabilem pro recuperatione damni. Ad idem etiam est *text. in lege igitur, in § final. cum leg. seq. ff. de lib. causs.*

Secundò id deduco autoritate *Salic. in l. quę fortuitis, C. de pig. actio.* quem refert & sequitur *Angel. de Aret. in tractat. suo maleficiorum super verbo incendiario,* qui
2 concludunt, quod † si culpa vicini exortũ sit incendium in domo sua & progrediendo ulterius domum meam comburat, tenetur mihi ad resartionem damni, & allegant *leg qui occidit § in hac. ff. ad l Aquil.* Qui enim occasionẽ damni dat, damnum dedisse videtur, *ut ibi. & c. sicut nobis, & ibi glo. de testi.*

Tertiò idem deduco *per text. notabilẽ in l. si verò. §. cum autem, cum ibi no. per Bal. Alb. & DD. ff. de his qui dejece. vel effud.* ubi habetur, † quod contra dominum domus, ex cujus cœnaculo quid ejectum est, ex quo alter damnũ sensit, actio in factum competit, licet ipse non deliquerit, sed alius in ejus domo receptus, competit tamen sibi actio contra dejicientem, ut resarciat idem damnum, quod ipse facto illius, passus est, servit proposito.

Quartò idem deduco autoritate *Bartol. Bald. Ang. & Doct. in l. nam & Servius. ff. de neg. gest.* & *autoritate Paul de Cast.* & *Ang. & Doct. in l. 2. in §. Idem si ex fact. ff. de verb. obl.* & *ejusd. Ang. in l. 3. in §. ex his*

eod. tit. & *Bart.* *in tractatu suo repressaliarum, circa fin.* & *Bald. in Auth.* & *omninò, in fine. C. ne uxor pro marito*, qui di-
4 cunt, † quòd si virtute repressaliarum cōtra homines certæ provinciæ concessarum quis cogatur solvere, talis recuperat damnum sibi illatum, propter factum tertij ab illo tertio, ergo, &c. Ita in proposito, imò fortius concludit *Angel.* & *dicit se consuluisse in d. l. nam* & *Servius, in fin. per gloss. ibi*, quòd quando uno ex tribus captivis relaxato, &non revertente (licet etiā reverti non tenebatur) alii duo injuriosè compelluntur solvere pro relaxato, tales contra relaxatum habent recursum, ut resarciat damnum, quod propter ejus factū sustinuerunt, cùm debuit verisimiliter cogitare, quòd nisi reverteretur cum sua talea, socii cogerentur solvere pro eo, ergo ita in proposito.

Quintò idem deduco, *per l. si merces. §. si culpæ, cum sua singulari glo. ff. loca. junctis ibi not. per Bar. Paul. de Cast.* & *Doct.* ubi habetur, quòd si in re locata damnum datum fuerit per inimicos conductoris, sive illæ inimicitiæ provenerint culpa conductoris sive non, competit locatori cōtra cōductorem actio ad resartionem damni. Æquū est enim, ut ibi dicit glo. quā sequū-
5 tur Doct. † quòd quia culpa tua damnum patior, id à te mihi resarciri. Ad idē etiam allego doctrinam *Bart. in l. penul. in princ ff. solut. matrim.* ubi idem decidit, quando per inimicos mariti damnum datur in re dotali.

Sextò idem deduco *per text. optimum in l. si servus communis, in §. quòd verò ff. de fur.* ubi habetur clarissimè decisum, quòd quando facto tuo sentio damnum, licet nulla culpa, vel saltem nisi levissima tibi possit imputari: tamen teneris mihi ad resartionem damni, licet enim prima facie æquum videatur, ut is non teneatur, qui non dedit operam rei illicitæ, & cui nulla vel modica culpa potuit imputari, ut in casu illius §. tamen longè æquius est,
6 ut ibi dicit text. † quòd quia propter factum tuum damnum sentio qui aliàs passurus non fuissem, id mihi resarcias, Ergo multo fortius in casu præsenti, ubi dictus A. fuit in culpa, abutendo literis Principis, & eligendo personam scienter non qualificatam, quia notorium pyratam, & non officiarium Principis, ad exequendum lite-
7 ras repressaliarum. † Culpæ enim reus est, qui opera malorum hominum utitur, *l. ex maleficijs, in fin. ff. de actio.* & *obligat.* & *leg. si servus servum. §. Proculus,* & *ibi glo.* & *Bald. ff. ad le. Aquil.* ubi habetur, quòd quis perdit beneficium dandi pro noxa ratione culpæ commissæ, in utendo opera malorum hominum. Tenetur enim quis, non solum de propria culpa sed etiam de culpa ministri, *d. leg. si servus servum. §. si fornicarius,* & *ibi Bald. ff. ad l. Aquil.* unde sibi imputare debet *argumento l. cum mandato, in fin. ff. de mino.* maximè cum contra tenorem literarum tali commisit executionem earundem, ut permittitur, a-
8 butendo juxta *l. meminerint, C. unde vi.* † Non enim debet inde nasci injuria, unde jura oriuntur, ut ibi.

Septimò confirmo idē autoritate *Bart.*
9 *in d. §. quod verò*, ubi tenet, quòd † ambasiator derobatus in itinere, ex quo damnum sentit propter factum & occasionem mittentis, habet regressum pro resartione damni contra ipsum mittentem, quando nulla culpa sibi potest imputari, ut latius per eum ibi. Sæpè enim extra id quod agitur nascitur obligatio, *l. si is qui §. fi. ff.*
10 *cōmoda.* † Quinimò quando factum excedit voluntatem, tenetur quis de toto facto non inspecto proposito voluntatis, textus est notabilis *in d. leg. si servus servum. §. si quis insulam,* & *ibi. Bald.*

Octavò istud confirmo autoritate domini Panor. qui in similibus terminis per plura motiva pro hac parte consuluit in consilio 21. secundi voluminis.

Restat

Restat modo ut respondeatur quibusdã objectis, quæ prima facie in contrarium fieri possent.

Et primò non obstat si dicatur, quod dictus commissarius & pyrata habuit commissionem expressè limitatam, quia inter dictum mandantẽ & præfatum cõmissarium pactum fuit, quod hujusmodi literæ duntaxat contra Scotos exequerentur, ergo si excessit fines mandati, non debet teneri mandans, cùm non quod sibi mandatum fuerat, sed aliud fecisse videatur, *l. diligenter. ff. manda. cum sim.* Quia respõdetur negando consequentiã, quia dictum assumptum procedit, ubi mandanti nihil imputari potest. Sed in casu nostro mandãti imputari potest culpa, in eo quod elegit notorium pyratam pro executione literarũ domini Archiducis, nõ qualificatum ad hoc
11 contra tenorẽ earundem. † Ille enim est in culpa, & tenetur de damno dato qui non prævidet quod prævidere debuit, *l. si putator, & l. qui occidit. §. fina. & ibi Bald. ff ad l. Aquil.* Cum ergo culpa præcessit casum, debet ipse teneri de casu, cùm verisimiliter cogitare debuisset, id evenire posse, *arg. ca. final. de homicid. libro 6.* ubi etiam mandans dedit mandatum limitatum, sed quia culpa præcessit casum, tenetur de casu, ita etiam dico in proposito. Non enim licitum fuit mãdanti, imò expressè vetitũ per alium exequi literas hujusmodi repressaliarum, quàm per hostiarium Principis, qui ideò adhiberi mãdabatur, ut juxta formam earundem literarum fieret exe-
12 cutio sine injuria aliorũ. Quia ergo † dedit operam rei illicitæ, non mirum si teneatur, *dicto c. final. & leg. utique. §. culpa, & ibi Angel. ff. de rei vendication.* imò etiam dato, quod dedisset operam rei licitæ, prout non, tamen quia non adhibuit diligentiam, quam potuit & debuit personaliter interessendo executioni, vel officiarium justitiæ adhibẽdo, adhuc teneri debet propter culpam & dolum præsumptum, *leg. dolus. cum ibi notat. per Bartol ff. mandat.* & est textus optimus ad propositum *in d. l. qui occidit in §. in hac,* ubi dedit operam rei licitæ & tamen quia dedit occasionem damni, & non adhibuit diligentiam, quam debuit & potuit, tenetur de damno dato, & voluit *gloss. ordin. & ibi Hostien. & Doctores in dicto c. sicut nobis. de testimon. & Henr. Boick. in c. de cætero, de homicid.* verisimiliter enim cogitare debuit, dictum Pyratam ad prædam, consuetum & solitum, cui nihil gratius esse potuit, quã sub umbra & colore justitiæ deprædari, hæc vel similia commissurũ. Cùm semel malus in eadem specie mali semper præsumatur malus, *regula semel malus, de reg. in 6.* Ex
13 præteritis † enim capimus conjecturã ad futura, etiam in malo præsumendo, *c. 1. de cleri. nõ residen. & c. scribam, de præsumen: & voluit Panor. in cap. Ozius, de elect. & in pluribus aliis passibus.*

Non obstat etiam si dicatur, fines mandati diligenter sunt custodiendi, *l. diligenter. ff. manda.* † & in generali mandato nõ
14 venit delictum, *l. si procurator ff. de condic. indebit.* ergo dici non potest, quòd dictus A. ex mandato teneatur, Quia respondeo, quod in generali mandato, & in qualibet dispositione generali permissiva non venit illicitum, *d. l. si procurator,* sed cum specificè quid mandatur, quod nõ est à jure permissum, imò prohibitum, tunc mandans tenetur. *l. nõ solùm §. si mãdato, cùm ibi pulchrè notatis per Bart. & Doct. ff. de injur.* etiam de eo in quo mandatarius excessit etiam si mandatum fuit limitatum, *dict. c.*
15 *final.* ubi de hoc est casus: † mandando enim illicitum, videtur mãdasse omnia, quæ verisimiliter concomitari poterant, nec prodest limitatio adjecta, seu inhibitio tãquam contraria mandato, *arg. leg. 1. Co. de furt. & c. sollicitudinem, de appel.* maximè quando id quod mandatur non regulatur ab animo, *quod clarè sentiunt Doct. in d. c. fin. & Antho. de But. in c. cum M. Ferra-*

riensis, de constitut. & Bart. in l. non solum §. morte, in 5. volu. in vers. circa quartum. ff de nov. oper. nun. & latissimè de hoc per Cepol. in consil suo 34. in 3. dubio, ubi melius quàm aliquis declarat mentem dict. c. fin. per hoc decidens quæstionem criminalem quotidianam, de quà amplissimè per eum ibi. Si ergo ita est ubi agitur criminaliter, multò fortius idem dicendum erit, ubi agitur civiliter, ut in casu præsenti, arg. eorum quæ eleganter notantur per Innoc. & alios in c. quia verisim. & in c. afferte, de præsumpt. & arg. eorum quæ habentur & notantur in l. 3. §. hoc interdict. per Ang. & Doct. ff. de libero homin. exhibendo.

16 Nec obstat etiã si dicatur, † quòd actio exercitoria non habet locum, & quòd ergo reus deberet absolvi ab instantia judicij si illa esset expressè intentata, juxta c. examinat. de judic. quia præsupposito assumpto non valet consequentia, quia d. c. examinat. tunc demum habet locum, quando actio & intentio sunt ineptæ, non quando actio duntaxat est inepta, & intentio apta, secundum Inno. Panormit. & alios Doct. ibid. & voluit Speculat. & post eum Ioan. Andreas in addit Specul. in tit. de actio. & peti. in §. sequitur, in versi. hoc quoq; primò, & ratio istius est manifesta, quia cùm expressio actionis fiat supervacuò hodiè c. dilecti, de judic. Illa inutilis adjectio non habet vitiare id quod utiliter est ex-
17 pressum † cùm inutile sit separabile ab utili regula, utile de reg. jur. lib, 6. cum sim. & voluit Bald. in d. c. dilecti circa finem, maximè coram supremo judice, à quo non appellatur, qui solam æquitatem præ oculis habere debet. leg. quod si Ephesi. ff. de eo quod certo loco.

Nec obstat si dicatur, quòd & si dictus A possit conveniri, pro resartione damni, tamen non in solidum, sed pro virili tantùm conveniri deberet: quia negatur cõsequentia, cùm ipse solus dicatur dictum pyratam elegisse & navi præposuisse: & dato quòd in hoc habuisset consortes tamen adhuc in solidum conveniri posset, quia sive dictus mandans conveniatur ob suum dolum, & sic ex maleficio, sive propter suam culpam, & sic ex quasi maleficio, semper ipse & sui consortes quilibet in solidum obligantur, ut not. Ioan. Fab. in §. final. Instit. de oblig. quæ ex quasi malefic. licet hoc ultimo casu uno solvente alij liberẽtur, l. & quidẽ cũ sua glo. de his qui dejece. vel effu.

Concludendo ergo dico, dictum A. pro resartione damni ipsis Francis per præfatum pyratam suum commissarium illati, effectualiter in solidum de jure conveniri potuisse & posse.

CONSILUM V.

SVMMARIA.

1 Quæstiones volũtatis sẽper sunt difficiles
2 Voluntas testatoris magis attendenda est quàm verba.
3 Lex pedetentim sequitur voluntatem testatoris sicut venator leporem.
4 Curandum non est de verborum qualitate, si de mente loquentis constat.
5 Dubitare valentes facilè solvunt.
6 Verba testatoris in dubio referenda sunt ad tempus testamenti, & num. 23.
7 Verba simpliciter prolata intelligenda sunt in potiori significatione, Et per antonomasiam, non secundum quid.
8 Legans cognatis videtur legare his qui sunt cognati tempore testamenti, vel mortis. Et num. 24.
9 Substitutio vel fideicommissum ut sit efficax, verba impropriè debent accipi.
10 Dictio Neuter est distributiva pluriũ, & exclusiva præcedentium.
11 Verba testatoris intelligenda sunt secũdum conditionem personę, ad quam fit dispositio.
12 Qualitas adjecta verbo, intelligitur secundum tempus verbi, cui adjicitur.
13 Ordine successivo videntur vocati in testamento pater & filius.

Quod

14 *Quod ab omnibus communiter fieri cõsuevit, diligenter ponderandum est.*
15 *Procurator simpliciter constitutus ad fidejubendum, an possit renunciare beneficio ordinis.*
16 *Commissio facta alteri sub nomine officio appellativo officij vel dignitatis, transit ad successorem in dignitate. Secus si constituto in dignitate facta sit sub nomine proprio.*
17 *Dictio* Extunc *designat extremitatem temporis, & non patitur fieri interpretationem de presenti.*
18 *Ablativi absolutè positi important conditionem.*
19 *Quando qualitas adjicitur verbo importanti ordinationẽ & princip. tunc inspicitur princ. Secus si verbo importãti pro cessum temporis, effectũ aut executionẽ.*
20 *Provisio hominis facit cessare provisionem legis.*
21 *Defuncto ab intestato succedit, qui tẽpore mortis proxim. est in gradu. Secus si quis testamento facto decesserit. Tunc enim tempus destituti testamenti inspicitur.*
22 *Ecclesię & pię causę in dubio favendum est.*
25 *Legatum quando fit incertis personis, declarandis ex aliqua qualitate eis inhærente, admittuntur illi quibus hujus modi qualitas tempore mortis inesse reperitur.*
26 *Verba indefinitè prolata circa personas, in quas aliquid confertur, sub aliqua qualitate videtur extendi ad quoscunque quibus quandocunque illa qualitas inesse reperitur.*
27 *Quando demonstratio confertur in tempus mortis, illa res legata videtur, cui convenit illa demonstratio tempore mortis, non testamenti.*
28 *Incertitudo quæ ex futuro eventu certificanda venit, non vitiat legatum.*
29 *Nemo sine hærede moritur.*
30 *Ex separatis non bona fit illatio.*
31 *Quãdo designatio fit per nomina appellativa, & sunt plures cõprehẽsi sub illo nomine appellativo, tunc ex conject. perquirendum est, de quo testator senserit.*
32 *Nominatio singularis & specifica ostendit singularem affectionem. Nominatio verò per nomina appellativa ostendit affectionem vulgarem.*

CAsus super quo juris consiliũ petitur, talis est. Quidam A. testator, de consensu dominorum decani & capituli Ecclesiæ beatæ Mariæ Antverpiensis, fundavit quondam capellaniam in eadem Ecclesia, Cujus fundationis verba sequuntur in forma. Voluit & summopere optavit antefatus dominus testator, quòd sibi suisque hæredibus & successoribus, per præfatos dominos reserventur tres primæ præsentationes, seu jus præsentandi aliquam personam idoneam ad hujusmodi fundandam capellaniam, Sic quòd pro prima vice per dominam Elisabeth Braxatoris suam sororem ejusque executores infra scriptos præsentabitur ad dictam capellaniam Magister Philippus Braxatoris, Pro alia autem præsentatione similiter præsentabit ipsa domina Elisabeth soror sola, si supervixerit, aut ea defuncta, Ioanna van der Havenen, Filia quondam filiæ dictæ dominæ Elisabeth sororis, ac similiter pro tertia præsentatione. Sed sublatis de medio dictis Elisabeth & Ioanna extunc loco illarum, aut alterius earundem in hujusmodi præsentationibus succedet Ioannes Braxatoris pelliparius, aut pro eo ejus senior Filius, aut his, seu neutro istorum in humanis existentibus, succedet proximus hæres ex parte matris dicti domini testatoris & fundatoris. Vacante modò dicta Capellania morte prælibati Magistri Philippi Braxatoris, & dicta domina Elizabeth sorore testatoris, ac Ioanna vander Havenen filia quondam filiæ dictæ dominæ Elisabeth sororis, nec non & Ioanne Braxato-

Braxatoris ac ante eum ejusdem Ioannis Braxatoris primogenito sublatis de medio: Vertitur nunc quæstio super jure præsentandi inter reverendum Patrem dominum Priorem Cōventus sancti Salvatoris, alias Peter Pots, ordinis Cisterciensis in Antverpia, nomine cujusdam sui donati, qui donatus est filius secundus in ordine natus prænominati Joannis Braxatoris pelliparij, & jam tempore vacationis prædictæ capellaniæ, invenitur senior ejusdē Ioānis Braxatoris pelliparij filius primog. ejusdē I. Braxatoris, ut dixi, ultra multos annos ante mortem sui patris defuncto, ex una, & proximos hæredes ex parte matris dicti domini testatoris & fundatoris ex altera, qui prætendunt ad eos devolutum esse pro hac, & etiam pro tertia vice jus præsentandi ad dictam capellaniam, ex eo, quia primogenitus dicti J. Braxatoris pelliparii ex hac vita migravit, de quo dicunt dictum Dominum testatorem & fundatorem sensisse, cùm ille primogenitus tempore fundationis fuit senior filius sæpe dicti Ioannis Braxatoris pelliparij.

Ex quo themate insurgit hæc quæstio, cui competat jus præsentandi ad dictam capellaniam, An dicto monasterio ex persona antetacti donati, vel an cognatis testatoris ex linea materna, vel an prohibitis ex filia dicti quondam Ioannis pelliparii suscitatis.

Et excludendo primò casum indubitatum, *juxta doctrinam Ioan. Andreæ super c. data, 6. lib. in Mercurialibus*, dico quod descendentes ex dicta filia nullum penitus jus habent in dicto jure præsentandi, quia nec verba fundationis, nec mens testatoris hoc patiuntur, propter multa, alias per me, cùm desuper interrogatus fui, latè allegata, quæ brevitatis gratia hic referre omitto.

Est ergo duntaxat quęstio inter dictum monasterium occasione sui donati ex una, & cognatos fundatoris ex linea materna ex altera, quæ siquidem quæstio meo judicio satis difficilis est & ambigua, pēdens totaliter super eo, quid scilicet, & de quo seniore filio dicti Pelliparii ipse fundator
1 senserit, quæ quæstiones † volūtatis semper sunt difficiles, cum ex conjunctis hujusmodi voluntas sumenda sit, *l. cum proponas, & leg. final. Cod de hæred. instit.* l. *si servus plurium. §. final. ff. de legat. primo, & leg. ex facto in princip. ff. de vulgarib. & pupill. cum vulgaribus.* Quæ siquidem conjecturæ interdum pro utraque parte prægnantes reperiuntur, ut in casu præsenti.
2 Certum est autem, † quòd voluntas testatoris semper est servanda, & magis attendenda, quàm verba, quando de ea constat, etiam si verba debeant impropriari, quia voluntas testatoris censetur regina, & dominatur verbis, *l. in conditionib. primum locum. ff. de condit. & demonst. le. 3. in fin. C. de lib. præte. l. cum virum. C. de fidejuss. & l. cum quæstio, in fi. C. de lega. l. cum proponeretur. ff. de legat. 2. l. 3. §. conditio. ff. de adimen. lega. & l. fideicommissa. §. item si quis. ff. de legat. 3. & text. notabilis in l. Publius. in §. 1. ff. de cond. & demon. cum pluribus alijs.* Hinc alibi egregiè dicit text. ita præponendas esse sententias verbis, ut præponitur animus corpori. Ita formaliter dicit *text. in c. sedulò, 38. dist inct.* Hinc etiam dicit *Bald. in leg. quidam in princ. Cod. de necess. ser. hæred.*
3 *instit.* quod lex † pedetentim sequitur volūtatem testatoris, sicut venator leporem: & idem Bald. *in le. quoniam indignum, C. de testam.* dicit, quod non est curandum †
4 de verborum qualitate, dummodo constet de mente loquentis, & idem *Baldus in cap. mandatum. circa princip. de rescript.* dicit multum egregiè, quod mens est radix verborum & ejus substantia prima, & quod cor est Imperator linguæ habens eam sicut mancipiū sub sua jurisdictione, quodque lingua cedit cordi, & quod sub jugo mentis verba consistunt, tanquam sub suo

proprio

proprio originali & digniori, voces autem sunt notæ earum quę in animo sunt passionum, *ut inquit Philosoph. Princeps Aristoteles, primo perihermeniarum, si benè memini*: & habeo text. conformem de jure civili, *in l. Labeo, in versicul. idem Tubero. ff. de suppellect. lega.* Sed quia ex verbis dictæ clausulæ clarè non constat, de quo filio pelliparij seniore ipse testator senserit, An scilicet senserit de seniore tempore datæ tastamenti: an de seniore tempore mortis Joannis Pelliparij, quem Joannem post domicellas Elizabeth, & Ioannam ad dictum jus patronatus vocavit, & eo deficiente ejus seniorem filium in ejus locum, & sic ordine successivo, *juxta notat. per Bartol. & Doct. in leg. gallus, in §. quidam rectè, ff. de liber. & posthum. & per gloss. & Doctor. in l. si tibi 10. millia dem. in §. si pactus ff. de pactis, & per Ludovicum in singularibus suis, singulari 68. incipiente, immunitas concessa tibi, &c.* An verò senserit de seniore filio ipsius Pelliparij tempore vacationis beneficij. Ideò per conjecturas ex quibus colligitur voluntas & animus alicujus, ut in *d. l. si servus plurium. §. fin & in l. dolum. cum gloss. C. de dolo*, cum alijs vulgaribus, hoc perquirendum & investigandum est: & hic labor, hoc opus est: *ut* inquit *gloss. ordin. in l. 2. C. de liber. & eor. libe.* Et profectò hæc quæstio, ut dixi, meo exiguo judicio difficilis est, quæ forsitan difficilis mihi videtur, propter pauperiem ingenioli mei, quod difficilia capere nequit.

Sed ut aperiam difficultatem, quæ mihi materiam dubitandi præbet, ut eo melius materia intelligi possit, deducam primò ex multis, quòd ipse fundator senserit de illo seniore filio Pelliparij, qui fuit senior tempore datæ conditi testamenti: deindè deducam, quòd sensit de illo qui repertus est senior tempore decessus Ioannis Pelliparij, vel tempore vacationis beneficij. Et post hoc subjiciam quid sentio, & respondebo objectis & deductis pro alia parte, pro viribus ingenioli mei. Scio enim, quod magnas & ponderosas materias ingenia parva non sufferunt: multùm tamen me animat dictum *Bald. in d. l. quidam in princ*

5 ubi dicit, † quòd valentes dubitare facilè solvunt: cui concordat illud Aristotelis in libro prædicamentorum dubitare de singulis non est inutile, &c. quod tamē dictū Aristotelis intelligo, ubi non reperitur expressa decisio in jure, ut in casu præsenti, aliàs isti decisioni esset standum, *c. in istis, 4. dist.* ubi est bonus text. nec ulla est dubitatio, ubi reperitur casus expressus in jure, *l. ancillæ, cum sua gl. & ibi Bald. C. de furt.*

Accedendo ergo punctum difficultatis, probo ex multis, quòd testator sensit de seniore filio pelliparij, qui reperiebatur senior tempore datæ conditi testamenti.

Quod deduco, omissis nonnullis levibus

6 inter alia primò sic, quia regula est, † quòd verba testatoris in dubio referenda sunt ad tēpus testamenti, *leg. si ita legat. esset. ff de au. & argen. l. cum simil.* ergo in proposito testator videtur sensisse de eo, qui fuit senior tempore datę conditi testamenti.

Secundò & fortiùs istud ostendo sic, quia certum est, quod testator vocando ad jus præsentandi de quo est quæstio in defectum Dominæ Elizabeth & Ioannæ ipsum Ioannem Pelliparium, & eo deficiente ejus seniorem filium, sensit de uno & certo cum illa qualitate senior, &c. Certū autem est, quod tempore datæ conditi testamenti, non fuit nisi unus verè & simpliciter senior. Alii autem filii ipsius pelliparii dici potuerunt seniores, non simpliciter, sed secundum quid, unus scilicet respectu alterius, nā est regula, † quod ver-

7 ba simpliciter prolata in dubio sunt intelligenda in potiori significato, & per antonomasiam, & non secundum quid, *textus est in cap. penultimo, de senten. ex communicat.* & *§. sed quotiens, Institut. de jur. natur. gent. & civil. cum alijs pluribus*

vulgaribus. Cùm ergo qualitas antetacta, non reperiebatur tempore datæ conditi testamenti in donato dicti monasterii purè & simpliciter, sed dūtaxat secundū quid non prodest, quod nunc tempore vacationis reperitur in eo, cum de eo testator non senserit, per supra dicta. Pro quo etiam multum facere videtur, *le. si cognatis. ff. de rebus dub.* & *le. cum ita, in §. fin.* & *l. peto, in §. fratre, ff. de legat.* 2. In quibus juribus habetur, quod qui † cognatis, vi-
8 detur legare his qui sunt cognati tempore testamenti, vel tempore mortis, ergo, &c.

Tertiò & adhuc fortius istud ostendo sic, † quia quandocunque substitutio vel
9 fideicommissum reddi potest sine fructu inefficax, vel tale, quod nō posset unquam conditio impleri, tunc etiam verba impropriantur, ut talis dispositio effectum sortiatur, cùm de natura conditionis sit, ut habeat se ad esse & non esse, iste est text. optimus & peculiaris. *in l. ex facto, in §. final. ff. ad Trebellian.* ubi Sejus testator instituit hæredem filium suum, & eundem gravavit, ut si decederet sine hærede, restitueret hæreditatem Titio, defunctus est testator, defunctus etiam est suus filius, ut præmittitur institutus hæres sine liberis, tamen habens avunculum, qui sibi ab intestato debeat succedere, fuit quæstio inter dictum Titium fideicōmissarium ex una, & dictum avunculum ex alia, super hæreditate dicti Seij, Titio dicente, illam ad se spectare, ex eo, quod filius dicti Seij decessit sine liberis: Avūculo dicēte quod decessit relicto hærede, videlicet dicto avūculo, quod dixit sufficere attentis illis verbis testatoris, si sine hærede decesserit, Titio sustinente contrarium, & dicente, quod verba illa, si sine hærede decesserit, debent intelligi & interpretari, ut tantundem importent, sicut hæc verba, si sine liberis decesserit: attento quod si propriè intelligantur, nunquam fideicommissum posset habere locum, cùm rarò vel nunquam accidat, quod quis decedat, quin relinquat aliquem hæredem saltem ab intestato: avunculo ex adverso dicente, quod nō est recedendum à verbis, ubi verba sunt clara. Et tandem post multa, ne fideicommissum reddatur inutile, deciditur ibi pro fideicommissario, & contra avunculum, ergo etiam in proposito cùm testator longa manu providerit, per quos hujusmodi præsentationes fieri voluit. Primò scilicet per sororem suam dominā Elizab. deinde per domicellam Ioannam, & posthoc per Ioannem Pelliparium, & eo deficiente, per ipsius seniorem filiū, & finaliter in evētum quo neuter ex prædictis extaret, per proximiores de linea sua materna, effectum sortiri nunquam posset, vel valdè difficulter, præcipuè cùm tantùm tres primas præsentationes sibi & nominatis per eum reservaverit, & ut ex verbis dictæ clausulæ testamenti apparet, voluit quod saltem in defectum dominæ Elizabeth, Ioannæ, Ioannis pelliparij, & sui senioris filij, admitterentur dicti cognati ex linea materna. Cùm ergo voluerit, illos aliquando admitti facienda videtur interpretatio, ut senserit illos debere admitti deficientibus prædictis Elizabeth, Ioanna, Ioanne Pellipario, & ipsius seniore filio, qui fuit tempore datæ conditi testamenti: Sicut video in simili fieri interpretationem per jureconsultum, *in lege, si ita scriptum, in princip. ff. de liber. & posthum.* ubi quia testator sibi providit in eventum quo nascatur sibi masculus & uxore sua prægnante, & etiam in eventū quo sibi nascatur fœmella, & non in eventum quo sibi nascantur masculus & fœmella simul, lex ex præsumpta voluntate testatoris, considerans quod ipse testator in omnem eventum voluit providere masculo si nascatur, & etiā fœmellæ si nascatur, interpretatur, quid erit sentiendum in dicto casu, quando nascuntur masculus & fœmella simul: Et decidit, hæreditatem dividendam esse in se-

in ſeptem partes, ut ibi habetur, & habetur
caſus multum ſimilis, *in l. clemens patro-
nus, ff. de hæred. inſtit.* videtur ergo ſic di-
cendum in caſu præſenti, maximè cùm
10 dictio, neuter, † qua uſus eſt teſtator, ſit
diſtributiva plurium, & excluſiva præce-
dentium, *ut eſt gloſ. juncto text. in l. pen. ff
rem. rat. haber.*

Præterea & quartò hoc videtur dicen-
dum ex alio, † Quia verba teſtatoris ſunt
11 intelligenda ſecundum conditionem per-
ſonæ ad quam fit diſpoſitio. *l. plenum. §.
equitij. ff. de uſu & habitat, & ibi Bartol.*
modo ſic eſt, quod teſtator dicitur majo-
rem habuiſſe notitiam & affectionem ad
perſonam Magiſtri Ioannis Pelliparij, qui
fuit verè & ſimpliciter ſenior filius dicti
quondam Ioannis Pelliparij, quàm ad per-
ſonam dicti donati, qui nunc reperitur ſe-
nior filius ejuſdem Pelliparij, ergo ratione
affectionis videtur potius de illo ſenſiſſe,
quam de dicto donato, *argum. eorum quæ
notantur per gloſſam in l. qui filiabus. ff. de
leg.* maximè cùm ſenſerit ſolùm de uno &
certo, ut præmittitur.

Ex quibus videtur in hanc partem in-
clinandum, quæ multum fecerunt, & fa-
ciunt me dubitare.

PRO PARTE tamen dicti monaſte-
rii, & quod teſtator ſenſerit de eo, qui re-
periretur ſenior, dictis Elizabeth, Ioanna,
& Ioanne Pellipario ſublatis de medio, vel
tempore vacationis beneficij, faciunt con-
jecturæ infraſcriptæ.

Et inter alia primò ſtringit, † quia qua-
12 litas adjecta verbo, intelligitur ſecundum
tempus verbi cui adjicitur, ita quod ex
hoc perpendatur tempus, à quo diſpoſitio
ſumat effectum, *textus eſt notabilis in l. in
delictis, in §. ſi extraneus, & ibi Bartolus,
Bald. & Doctor. ff. de noxal. actio. eſt etiam
textus in dicta l. ex facto, in §. ſi quis autē.
ff. ad Trebellianum, & ibi Paulus de Caſtro*
& *text. pulcher. in l. Titius. ff. de teſtam.
milit.* & *ibi Barto.* ſuper qua Theorica
fundata eſt elegantiſſima deciſio *Bart. in
l. præcipimus. in §. ſanè. C. de appella.* quàm
refert ibidem & ſequitur dominus Paulus
de Caſtro, & tranſeunt omnes alij. Refert
etiam eam pro valde notabili, & ſequitur
Dominus Alexander de Imola, *in dicta l.
ex facto. de vulgar. & pupilla.* Dicit enim
Bart. veritatis & æquitatis amator, *in dicto
§. ſanè*, quod ſi ſalariū cōſulentium in cau-
ſa, taxetur per ſtatutū, ut ita ſciatur, quan-
tum debeatur doctori conſulenti, & quan-
tum alteri non doctori: Et ponamus, quod
verba ſtatuti ſint talia: Si doctor conſu-
luerit in cauſa, habeat decem: committitur
autem cauſa conſulenda alicui juriſperito
non doctori, qui antequam conſulat in
cauſa, creatus eſt doctor, certè habebit ſa-
larium, ut doctor, ſecundum eum, per di-
ctam theoricam, quæ habet, quòd qualitas
adjecta verbo intelligatur ſecundum tem-
pus verbi, ita ut inſpiciatur tempus verbi,
hoc eſt, tempus quo datur conſilium, &
minimè tempus commiſſionis. Modò ſic
eſt, quod teſtator in caſu præſenti uſus eſt
his verbis, ſed ſublatis de medio dictis E-
lizabeth & Ioanna, ex tunc loco illarum
aut alterius eorundem, in hujuſmodi præ-
ſentationibus ſuccedet Ioannes Braxatoris
Pellipariu, aut pro illo ejus ſenior filius:
& ſic junxit qualitatē illam ſenior, verbo
illo ſuccedet, quod eſt futuri temporis, ex
quo ergo qualitas illa adjuncta eſt verbo
futuri tēporis, liquet, teſtatorē ſenſiſſe de
illo, in quo reperiretur illa qualitas, dictis
Elizabeth, & Ioanna, ac Ioanne Pellipario
ſublatis de medio, vel tempore vacationis
beneficij, qualis eſt iſte donatus, & non de
illo qui tempore datæ conditi teſtamenti
fuit ſenior, cùm hoc non patiatur dictum
verbum ſuccedet, quod eſt futuri tēporis,
cui adjecta eſt dicta qualitas ſenior, ex
quo dictum verbum ſuccedet, non poſſet
verificari in effectu, in perſona ſenioris fi-
lij, niſi dictis Elizabeth, Ioanna, & Ioanne
Pellipario ſublatis de medio, per prędicta.

Secundò hoc confirmatur & roboratur sic: Quia negari non potest, quin dictus te-
13 stator vocaverit † ad prætactum jus præsentandi dictum Ioannem Pelliparium & ejus seniorem filium ordine successivo, hoc est, primo patrem, & deinde filium seniorem juxta notata per Bartolum *in d.l.Gallus, in §. quidam rectè, & in passibus suprà allegat.* Et hoc demonstrant verba fundationis ibi, aut pro eo, &c. Cùm ergo dictus Magister Ioannes Pelliparius longo tempore ante Ioannem Pelliparium suum patrem decesserit, liquet, testatorem qui dictã qualitatem adjecit verbo futuri tẽporis, & qui eos vocavit ordine successivo, sensisse de illo, qui defunctis dictis Elizabeth, Ioanna & Ioanne Pellipario, reperiretur senior filius ejusdem Pellipari, & sic de illo qui ordine successivo venire potuit

Præterea & tertiò, ex alio corroboratur istud, quia testator dictam Elizabeth, Ioannam, & Ioannem Pelliparium vocavit nominibus propriis, & de post vocavit seniorem filium dicti Pelliparij non sub nomine proprio, sed sub nomine appellativo, quod cùm mysterio præsumitur fecisse, ad denotandum, quòd ubi alios vocavit contemplatione personarum, illis omnibus deficientibus, seniorem filium dicti Pelliparij vocavit non contemplatione personæ, sed contemplatione familiæ, & agnationis ad quam videtur respectum habuisse; tum quia agnatos cognatis proposuit, ut patet ex dicta clausula testamenti: & sic censetur eos plus dilexisse, *arg. l. quottens. ff. de usufruct. junctis notatis per Dynum, Barto. & Doctores in l. qui duos. ff. de legatis primo, cum similibus.* tum quia per illos familia conservatur. §, *cæterùm, post principium. Institut. de legit. agna. success. cum ibi notatis per Doctor. cùm alijs vulgaribus infinitis.* tum etiam, quia ita † cõ-
14 muniter ab omnibus fieri, consuevit, quæ consuetudo multùm ponderanda est, *juxta singulariter notata per Bart. in l si fraudator. ff. de his, quæ infra. cred.* ubi dicit, se in
15 contingentia facti consuluisse, quod † procurator simpliciter cõstitutus ad fidejubẽdum, potest renunciare beneficio ordinis, *de quo in Authent. præsente, C. de fideiuss.* licet hoc non habeat specialiter in mandatis: & talis renunciatio præjudicabit principali domino, ex quo de consuetudine observatur, quod tales renunciationes fiãt, & dictum refert, & sequitur, Do. Panorm. *in c. 1. in* 10 *colum.* ut lite non cõtestata, facit etiam elegantissimũ dictum Do. Panorm. *in c. de precar. in 2. suo notabili,* ubi dicit multum egregiè, quòd ambasiatores vel legati simpliciter nisi ad faciendum pacem, possunt apponere pœnam, & obligare mittentem vel constituentem pro observantia ejus quod gerunt, licet non habeant expressum mandatum ad apponendum pœnam, ex quo sic consuetum est fieri. Multũ enim refert, quò ad effectum juris, utrum aliqui nominentur nominibus proprijs vel appellativis. Video enim,
16 quòd † commissio facta alteri sub nomine appellativo officij vel dignitatis, transit ad successorem in dignitate: & tamen cõmissio facta alicui constituto in dignitate, sub nomine proprio, non transit ad successorem in illa dignitate *cap. quoniam Abbas, cum sua materia, de offic. delegat.* & quo ad plures alios infinitos affectus juris plurimum refert, an expressio fiat per nomina propria vel appellativa, ut videri potest in *l. si communis servus. ff. de stipulat. servo. in l. turpia. §. fin. ff. delega. 1. & in l. nonnunquam. ff. ad Trebelli. cum infinitis alijs.* Si enim iste testator sensisset de Magistro Ioanne Pellipario duntaxat, nominasset utique eundem nomine proprio, quemadmodũ alios nominavit, cùm ipsius nomen sibi notum, imò notissimum fuit, & hoc expressisset, sicut de alijs fecit. *arg. cap. ad audientiam, de deci. cum sim.*

Pro ipsa parte etiam stringit, quòd te-
17 stator usus est illa dictione, ex tunc, † quæ designat extremitatem temporis, & non patitur fieri interpretationem de præsen-

ti.

ti. *text.est multum elegans in l.4.in §.final.ff.de conditio.& demonst.* Clarè ergo patet, quòd testator se retulerit ad tempus illud, quo constabit dictam dominam Elizabeth, Ioannam, & Ioannem Pellipa-rium decessisse ab hoc seculo, quo tempore dictus donatus fuit ferè senior filius dicti Ioannis Pelliparij, cùm alius suus frater ante suum genitorem longo tempore decesserit, ut præmittitur: & perpenditur istud clarè ex verbis dictæ clausulæ, in qua testator nedũ est usus verbo, futuri temporis jungendo qualitatẽ verbi futuri temporis: sed ultra hoc adjunxit dictionem ex tunc, quæ extremitatem temporis significat, ut præmittitur.

Pondero etiam, quòd præfatus testator duntaxat, vocat dictos Ioannem Pelliparium & suum seniorem filium ad dictum jus præsentandi conditionaliter, sublatis videlicet domina Elizabeth, & Ioanna de
18 medio. † Qui ablativi absolutè positi important conditionem, *l. à testatore.ff.de conditio. & demonstrat.cum similibus*, vocavitque dictum seniorẽ filium post suum patrem per verbum futuri temporis, succedet: & sic videtur testator se retulisse ad tempus existentis conditionis. *l.filiam, cum ibi not.per Bart.ff.de auro & argento legat cum simil.* Est enim firma Theorica, quòd
19 † quando qualitas adjicitur, verbo importanti ordinationem & principium tunc inspicitur principium temporis: *ut est elegãs text.in l.quid ergo, in princ.ibi, pretor enim ad initium nuptiar. & c.juncta l.1.illius tit ff.de his, qui not. infa.* Sed quando qualitas adjicitur verbo importanti processum tẽporis, effectum, aut executionem, ficuti in casu præsenti, tunc non inspicitur initium, sed progressus: ut pulchrè inquit *Bald. in l.humanitatis, C.de impub.& alijs substit.* cum quo transeunt omnes posteriores, nemine discrepante.

Nec obstat si dicatur, quòd testator providit isto casu, per quem voluit fieri hujusmodi præsentationem, deficientibus Ioanne Pellipario & ejus seniore filio, ac
20 alijs supra nominatis: † Cùm ergo provisio hominis faciat cessare provisionem legis. *l.si fundum sub conditione.§.Stichũ. ff.de legat.primo. & l.& habet.§.cum quis cum sua glossa, ff.de precar.cum vulga.* ergo sine aliqua difficultate videntur debere admitti illi de linea materna ad præsentandum, & dictum monasterium debere repelli, quia respondeo & dico, quòd hoc esset utique verum, si clarè constaret, quòd ipse testator sensisset de illo, qui fuit senior tempore dati testamenti: Sed quia ut ex supra dictis patet, hoc non constat, sed hoc est id, de quo disputatur: Imò verisimilius apparet, eum sensisse de illo, qui reperiretur senior, tempore existentis conditionis, per ea quæ longè & latè suprà deducta sunt, & per ea quæ infrà dicentur, ideo hoc non militat. Et ad demonstrandum, quòd hæc objectio non obstat, imò quòd ita sentiendum sit, ut præmittitur, *adduco textum ad Brocam, in l. in substitutione in secundo responso.ff. de vulgar. & pupillar.* ubi est casus: Quidam habens duos filios, unum impuberem nomine Lucium, & alium puberem nomine Caium, eis institutis hæredibus, vel pubere instituto & impubere exhæredato (quod licebat illo jure) sic fecit substitutionem: Si Lucius filius meus impubes decesserit in pupillari ætate, & Cajus Filius meus mihi hæres non erit, tunc Sejus sit hæres Filij mei impuberis: Accedit, quòd testatore defuncto Cajus fuit hæres sui patris, sed postea desiit esse hæres, quod fieri potest certis casibus de jure civili introductis, de quibus ibi per Docto. Accidit etiam quod Lucius filius impubes decessit in pupillari ætate, modo venit Sejus substitutus, & petit hæreditatem testatoris, & etiam Lucij impuberis: Resistunt hæredes ab intestato ex eo quia Cajus fuit hæres testatoris, licet desierit esse: & sic conditio fideicommissi videtur defecisse, deciditur ibi, fideicommissum esse admittendum, & hoc ex

eo, quia testator usus est verbo, futuri tẽporis, scilicet, si Cajus hæres non erit, vel quia ultra hoc adjecit dictionem tunc, quę extremitatem temporis significat: quare interpretatur ibi Jureconsultus, quod testator sensit de tempore decessus impuberis, in quantum infrà pubertatem decederet. Et quia tempore decessus Lucij impuberis Cajus non fuit hæres testatoris, substitutus admittitur. Ergo ad propositum, licet testator hic fecit substitutionem tamen quia usus est verbo futuri temporis & qualitatem illam, senior, junxit verbo futuri temporis, quia etiam præmisit conditionem inclusam in illis ablativis absolutè positis, sublatis de medio, &c. & ultra hoc adjecit dictionem, ex tunc, quæ extremitatem temporis significat, patet manifestè, quod sensit non de tempore testamenti, sed de tempore existentis conditionis. Sicut enim *in d. l. in substitutione*, in secundo ejus responso habetur conditio negativa, ita etiam hic: licet verba dictæ clausulæ prima facie sonent affirmationem, sed verè implicant hãc negativam, si non fuerint in rerum natura tempore vacationis beneficij, &c. ergo de eis judicandum est, sicut de negativa: *ut est glossa ordina. valdè elegans in l. fina. in §. fina. ff de doli except. quam ibi multùm exclamat Bart.* Et sicut testator ibi providit de substituto, ita etiam hic: Et sicut ibi est dictio tunc, quæ extremitatem temporis significat, ita etiam hic, & quod magis est, ibi debebat fieri alia interpretatio ex propria natura verborum, puta quòd nunquam sit hæres propter illam negativam, non erit: Et tamen ibi deciditur, habendum esse respectum ad tempus mortis impuberis propter dictionem tunc, ibi positam, quæ extremitatem temporis significat, *secundum gloss. Vivianum, Bartolum, & Doctor. ibi*, imo etiam ex alio fortissimè stringit ille text. pro hac parte, quia si hoc ibi operetur dictio, tunc, cum verbo futuri temporis, contra propriam naturam verbi, & in præjudicium hæredum ab intestato: multo fortius hoc operabuntur hic ista sex: Scilicet qualitas juncta futuri temporis, Conditio inclusa in dictis ablativis absolutè positis, Vocatio facta non simpliciter & purè, sed ordine successivo & conditionaliter deficientibus alijs, Nominatio facta per nomen appellativum, Affectio quam habuit fundator ad agnatos potius quàm ad cognatos, Et dictio, tunc, juncta cum his: Attento maximè, quòd cum his conjecturis propria natura vocabuli hic non repugnat, prout ibi: & ultra hoc, hĩc remanebit jus præsentandi apud agnatum, ubi tamen *in d. l. in substitutione in secundo responso*, talis interpretatio fit in præjudicium venientium ab intestato propter dictionem, tunc, ibi positam.

Pro isto etiam adduco unam aliam considerationem, Nam habeo, quod quando plures sunt gradus agnatorum, lex duodecim tabularum apertè vocat proximum ad successionem defuncti, & leges novæ
21 postea supervenientes declarant, † quod ubi quis decedit nullo facto testamento, quod tunc tempus mortis illius, de cujus hæreditate agitur, inspiciendum est, ut qui tunc reperitur proximior, admittatur ad successionem: si vero quis decesserit facto testamento, quod postea distituitur, tunc declarat lex, quod non inspicitur tempus mortis, sed tempus destituti testamenti, ut qui nunc reperitur proximus, licet tẽpore mortis non fuit proximus puta quia alius eum præcedebat in gradu, qui medio tempore defunctus est, admittatur ad successionem. Iste est textus ad literam *in §. si plures, junct. versicul. proximus autem, qui statim sequitur, Institut. de legitim. agnat. success. & in §. cùm autem quæritur, Institut. de hæreditat. quæ ab intesta. defer. cum similibus.* Si ergo lex declarat, respectum habendum esse ad tempus destituti testamenti in casu præmisso, fortius in

pus

casu præsenti dicere cogimur, non ad tempus mortis vel testamenti conditi, sed ad tempus existentis cōditionis, puta, ad tempus quo certum esse cœperit, nullum per testatorem specialiter nominatum in testamento in rerum natura extiturum, testatorem se retulisse: ut qui tunc reperiretur senior filius Pelliparij, admitteretur ad dictum jus præsentandi, licet tempore datæ conditi testamenti, vel tempore mortis nō fuerit senior, per prædicta: maximè cū testator ad futurū se retulerit, ut ex multis suprà latè satis commemoratis conjicitur.

22 Prædictis etiam adminiculatur, † quòd cum in dubio favendum sit Ecclesiæ & piæ causæ: cum magna sit ratio, quæ pro religione facit, *l. sunt personæ. ff. de religio. & sump. fun. junct. cap. fin. de re jud. cum simil.* Ergo cùm in casu præsenti monasterium instet pro jure præsentandi ratione sui donati, & sint conjecturæ pro utraque parte, prægnantiores tamen & validiores pro parte dicti monasterij quàm pro alia parte, ut videri potest ex prædictis: Sequitur, quòd in dubio favendum sit Ecclesiæ & monasterio.

Restat modò, ut breviter & succinctè respondeam ad objecta & deducta pro parte contraria.

Et primò non obstat primùm, quia regula, de qua *in d. l. si ita*, procedit, † quan-
23 do testator usus est verbo præsentis temporis, secus, quando usus est verbo, futuri temporis, ut in casu præsenti, prout suprà deductum est: *Ita dicit. glos. Bart. & Doctor. in d. l. si ita, & est bonus text. in l. filiam, in verbo, reservetur, illo eod. tit.*

Non obstat etiam secundum, quia respondetur per interemptionem, negando, quod testator sentiit de uno & certo: sentiit enim benè de uno sed non de certo, sed de incerto, de illo videlicet, qui dictis domicellabus Elizabeth, & Ioanna, & Ioanne pellipario sublatis de medio, vel tempore vacationis beneficij reperiretur senior filius ejusdem Pelliparij, quicunque ille esset, quod patet ex conjecturis, de quibus suprà. Et quando subjungitur, quod verba simpliciter prolata, sunt intelligenda in dubio in potiori significato, & per antonomasiam, &c. Respondeo, quòd hoc est utique verum, sed non facit aliquid ad propositum: quia adjectio dictæ qualitatis ad verbum futuri temporis, & vocatio facta per testatorem, de dictis Ioanne & suo seniore filio ordine successivo, cum alijs conjecturis, de quibus suprà, declarant apertè mentem testatoris, de quo senserit, per suprà dicta. Nec meretur allegari inductio facta *de l. si cognatis, & de l. cum ita, in §. final. & de præallegat. l. peto. §. fratre,* quia in illa *l. si cognatis*, non plus
24 habetur, † quàm quòd qui simpliciter legat cognatis, videtur legare illis, qui sunt cognati tempore testamenti, vel tempore mortis: *& dicta l. cum ita, in §. final. & §. fratre,* hoc declarantes, non plus dicunt, quàm quòd in hoc casu primò nominati, primò vocantur, & illis deficientibus, qui proximiores sunt in gradu. Sed casus præsens longè dissimilis est à casu dictarum legum: quia in casu præsenti vocatus est ad jus præsentandi senior filius Iohannis Pelliparij, deficientibus alijs prius per testatorem specialiter nominatis: & sic conditionaliter ordine successivo, qualitate illa senior, juncta verbo futuri temporis, succedet: Ex quo clarè perpenditur, quod testator ad tempus testamenti vel mortis respectum non habuit, sed ad tēpus illud, quo constabit, dictos nominatos defecisse, vel ad tempus vacationis beneficij, per suprà dicta. Loquuntur enim dictæ leges, quando testator usus est verbo præsentis temporis, & quando simpliciter testator legat cognatis. In casu autem præsenti, testator usus est verbo, futuri temporis, & jus præsentandi ad seniorem filium Pelliparij devolvi voluit, non quidem simpliciter, sed demum deficientibus alijs per eum nomina-

nominatis. Ex quibus patet aperta diversi-
tas inter casum dictarum legum, & casum
præsentem. Imò si benè ponderetur, *dicta*
lex. si cognatis, in versiculo, certè, facit pro
25 hac parte: ibi enim habetur, † quòd quan-
do legatum fit incertis personis declaran-
dis ex aliqua qualitate eis inhærente, ad-
mittuntur illi, quibus hujusmodi qualitas
non inerat tempore testamenti, sed reperi-
tur inesse tempore mortis: quod Paulus de
Castro ibi dicit esse valde singulare pro
limitatione, *dictæ l. si ita*, subdens postea,
26 quòd † verba indiffinitè prolata circa per-
sonas, in quas aliquid confertur sub aliqua
qualitate, videntur extendi ad quoscunq;,
quibus quandocunque reperitur illa qua-
litas inesse: quod servit proposito. Et quòd
istud est verum, ultra supra allegata addu-
co textum optimum in argumentum, *in l.*
filiæ, in §. Titia. ff. de condition. & demon-
27 *strat.* ubi habetur, † quòd quando demon-
stratio confertur in tempus mortis, illa res
videtur legata, cui convenit illa demon-
stratio tempore mortis, & non illi cui con-
veniebat tempore testamenti: Sic dico in
proposito, quòd quia illa qualitas, senior,
adjecta est verbo futuri temporis, succe-
det, & sic collata in tempus vacationis be-
neficij: patet clarè, quòd ille vocatus cen-
setur per testatorem ad jus præsentandi,
cui inerit illa qualitas, senior, tempore va-
cationis. Pro quo ultra supra deducta alle-
go decisionem *Ioan. Andreæ in regula, qui*
sentit, de regulis juris, lib. 6. in Mercuriali-
bus, ubi concludit, quòd in concessione seu
privilegio indulto Episcopo, & suis fami-
liaribus, veniunt nedum familiares quos
nunc habet, sed quos ex post habiturus est.

Nec obstat si replicetur, quòd si hoc di-
catur, tunc legatum juris præsentandi fa-
ctum in favorem senioris filij Pelliparij,
vitiabitur propter incertitudinem personę
legatarij, ex quo non constat clarè, de quo
testator senserit, *per l. Paul. 2. ff. de reb.*
28 *dub.* Quia respõdeo, † quod incertitudo illa
non vitiat prætactum legatum, ex quo ve-
nit certificanda ex futuro eventu juxta su-
perius declarata, *iste est text. not. in leg.*
quidam relegatus, quæ est lex immediatè
sequens dictam l. Paulus. ff. eod. tit. Et ita
concordantur dictæ duæ ll. ut inquit Bar-
tol. æquitatis & veritatis amator. *in præ-*
alleg. l. Paul. dicens hoc mente tenendum.

Non obstat etiam tertium, quòd prima
facie videtur multum stringere. Quia re-
spondeo, quod non est mirum, quod in casu
d. l. ex facto. §. si fiat illa interpretatio. Nã
hoc ideo fit ibi, quia aliàs conditio fidei-
29 commissi nunquam posset existere, † cum
decedens semper habeat hæredem vel ali-
quem loco hæredis, puta fiscum: *ut ibi di-*
cit. glo. Paul. de Cast. & Docto. & est tex-
tus in l. prima. C. unde vir & uxor, quod
hic non contingit, quia moriente dicto do-
nato ante novam vacationem, transibit jus
præsentandi ad illos de linea materna. Et
similiter si decessisset ipse donatus ante
hanc novissimam vacationem, transivisset
ad eosdem jus de linea materna illud &
sic non redditur substitutio, de qua in hoc
themate, ex toto inefficax. Imô potuisset
& posset adhuc cõditio dictæ substitutionis
existere, ut præmissum est. Et hoc obje-
ctum, tanquam ex separatis & diversis il-
30 lationem faciens, non obstat: † cum ex se-
paratis non fiat bona illatio, *l. neque nata-*
les. C. de probat. & l. non hoc, C. unde co-
gna, cum similibus. Et eodem modo tolli-
tur inductio facta *d. l. si ita scriptum, &*
d. l. Clemens, supra allega. Cum ibi illa in-
terpretatio fiat, ne testamentum ruptum
censeatur: ut ibi clarè habetur. Et quod
subjungitur, de dictione neuter, facit pro
hac parte, si singula præmissa benè ponde-
rentur.

Non obstat etiam quartum, Quia illud
procedit, quando expressa est certa perso-
na, ad quam testator sua verba dirigit:
quod contingit, quando persona exprimi-
tur sub nomine proprio, vel sub tali nomi-
ne ap-

pellativo, quod proprio æquipollet: ut puta, quando testator instituit filium suum, & constat eum duntaxat habere unum filiũ: quo casu perindè est, ac si eum proprio nomine nominasset, *l. 1. & 3. ff. de libe. & posth. & instit. de exhered. liber. in princ.*
31 *cum alijs vulga.* † Quando autem designatio fit per nomina appellativa, & sunt plures cõprehensi sub illo nomine appellativo tunc ex conjecturis perquirendum est, de quo testator senserit, & hoc scito. Iterum verũ erit illud generale, quòd verba testatoris sunt intelligenda secundum conditionem personæ, ad quam fit dispositio, de quo in dicto contrario. Sed nihil facit cùm ratio affectionis, de qua in dicto contrario cessat in casu præsenti propter designationem factam per nomen appellativum, filius, sub quo plures comprehendebantur. Et quia testator usus est verbo futuri tẽporis cum dictione extunc, quæ extremitatem temporis ut præmittitur significat: per quæ liquet, quod non sensit de certo,
32 sed de eo qui tempore designato per eum reperiretur senior filius. † Nominatio enim singularis inspecifica ostendit singularem affectionem in nominativo specificè. Nominatio verò per nomina appellativa ostendit duntaxat affectionem vulgarem, *ut in Euangelio: Ite, dicite discipulis ejus & Petro, de quo commemorat glossa in rubrica. C. de servitut. & aqua, cum alijs concor.*

Concludendo ergo dico, quòd dicto monasterio pro hac vice competit jus præsentandi ad dictã capellaniam, & minimè dictis cognatis ex linea materna. Et similiter competet dicto monasterio ad idem jus pro tertia vice ex persona dicti donati, si contingat eundem donatum vivere occurrente casu vacationis. Aliàs autem ad dictos cognatos, virtute dictæ substitutionis, hoc jus præsentandi spectabit.

CONSILIUM. VI.

SUMMARIA.

1 *Promittens inter vivos non vendere, non donare, &c. cum obligatione bonorum, contra faciendo nihil agit, & num. 10.*
2 *Promissio de non alienando, nõ impedit alienationẽ, quæ fit in ultima voluntate, & num. 24.*
3 *Clausula generalis restringitur per species expressas. Ita quod intelligatur solùm de similibus expressis.*
4 *Donans villam & omnia jura, quæ habet in ea, non censetur donasse jura spiritualia.*
5 *Pactio liberam testamenti factionem impediens, nulla est.*
6 *Donatio omnium bonorum præsentium & futurorum facta privato est nulla, & in toto vitiatur.*
7 *Generalis dispositio nunquam comprehendit impossibilia promittenti.*
8 *Prohibitio alienationis inter cõtrahentes, nõ impedit validitatẽ actus in cõtrarium gesti, nec trãslationẽ dominij, sed obligat promittentem ad interesse*
9 *Quando creditor succedit debitori, extinguitur actio confusione.*
11 *Obligatio accessoria non immutat naturam obligationis principalis, sed ab ea vires capit.*
12 *Accessoria obligatione per confusionem sublata, fidejussore creditori succedẽte vel econtrà, non tollitur principalis.*
13 *Pactum de re propria non alienanda invalidum est.*
14 *Concordantes textus ad decisionẽ Legis allegare, non reputatur inconveniens.*
15 *Sufficit quod Lex vel canon propter aliquid faciat ad titulum, sub quo reperitur, Licet alibi de verbo ad verbum habeatur.*
16 *Theorica communis in judicando servanda est.*

17 *Textus exorbitans à communibus regulis juris, intelligitur præcisè in casu in quo loquitur.*
18 *Generalis obligatio bonorum regulariter tantum operatur, quantū specialis*
19 *Hypotheca specialis lōgè pinguior est & efficacior ad impediendam alienationem, quàm sit generalis.*
20 *Favore libertatis multa sunt in jure specialia statuta.*
21 *Argumentum à paritate rationis non habet locum in his, quæ exorbitantia sunt à jure communi.*
22 *Iudex in judicando propriæ fantasiæ inniti non debet sed sequi opinionem plurimorum famatorum Iurisperitorū*
23 *Quòd à pluribus quæritur, facilius invenitur.*
25 *Promissio de non vendendo non includit hæredis institutionem, Et sic non impedit testamenti factionem.*
26 *Clausula,* Et quovis modo diminuere, *quid operetur.*
27 *Obligatio personalis ad interesse cōfunditur per successionem seu hæreditatis aditionem.*
28 *Hæredes tenētur bona prius obligata, & postea legata luere, & à nexu pignoris liberare, ac liberata legatarijs tradere*
29 *Obligatio personalis tollitur præscriptione, remanente tamen hypotheca.*
30 *Speciale in uno denotat jus commune in contrarium.*
31 *Hæres non confecto inventario adiens hæreditatem omnibus creditoribus integra credita solvere tenetur, etiam de suo absque aliqua deductione.*

QUidam filij post mortē matris eorum contemplatione & ad opus patris tunc adhuc in humanis viventis, renunciaverunt successioni maternæ, quictantes & liberantes patrem ab omni debito & actione, quod vel quam contra ipsum causa vel occasione bonorum maternorum prætendere, vel quovis modo intentare potuissent: deinde pater post aliquod tempus considerans bonam voluntatem & liberum favorem filiorum suorum, volensque, ut asseruit bona fide erga suos filios uti, in recompensam prædictæ bonæ voluntatis & favoris, per notarij scripturam, sua & etiam ejusdem notarij manu subsignatam, confessus est, se dictis filijs promisisse, & iterum in dicta eadem scriptura promisit, quòd nulla sua præsentia vel futura donaret, venderet, trāsportaret, aut aliquo modo diminueret, obligando & hypothecando pro hoc omnia & quæcunque bona sua præsentia & futura: de post dictus pater promissioni suæ immemor donavit donatione inter vivos cuidam G. quasdā terras, & easdem terras nec non multa alia bona mobilia preciosa in quibusdam codicillis seu ultima voluntate eidem G. legavit, & mortuus est. Succedunt sibi prædicti filij, & possidēt bona patris. Venit præfatus G. donatarius & legatarius, & petit tàm titulo donationis inter vivos, quàm etiam titulo legati dictas terras sibi donatas & legatas unà cum alijs bonis mobilibus preciosis etiam sibi legatis. Resistunt filij, dicētes nec dictam donationem, nec dictū legatum, quamvis de eis constare possit, valere, aut viribus subsistere potuisse aut posse: & hoc propter dictā promissionem cum hypotheca bonorum de non alienando suis filijs, ut præmittitur factā, &c. Quæritur quid juris.

Pro cujus quæstionis decisione propter ipsius difficultatem & opinionum varietatem, ut clarius veritas ejusdem appareat, præmittenda duxi motiva præcipua, propter quæ prima consideratione quisque, quantumcunque in jure peritus ad variè in hac materia sentiendum moveretur.

Et primò, quòd hujusmodi legatum sit penitus nullum & similiter donatio, vide-
1 tur: † quia promittens inter vivos nō vendere, non donare, &c. cum obligatione & hypothe-

hypotheca bonorum, ut in casu præsenti, contrà faciendo nihil agit: nec dominium rei alienatæ in ipsum, in quē res alienatur, etiam si traditio intervenit transferetur: *textus est not. in l. si creditor, in §. fina. secundum veram literam Pisanam. ff. de distr. pig. & ibi Bart. Bald. Ange. & Docto. & hanc theoricā per dictum text. exponit Bart. quem sequuntur Bald. Ang. & Paulus de Castr. Iason & novissimi in l. nemo, ff. de pact. & idem Bart. Ioan. de Imo, Alex. & Doct. in l. filiusfamiliàs, in §. Divi. ff. de lega. 1. & idem Barto. quem etiam ibi sequuntur Paul. de Castr. Ioan. de Imo. Alex de Imo. Franc. Aret. & novissimi in l. qui absenti, in §. 1. ff. de acquirenda poss. & idē Bart. in l. si ita quis, in §. ea lege, & ibi Angelus, Paulus de Cast. Ioan. de Imo.* & *Doctor. ff. de verborum obligat.* & *idem Bart. in l. ea lege,* & *ibi Docto. C. de condic. ob. cau.* & *Panorm.* & *Canonistæ in cap. Rainaldus, de testa.* & *Ang. in consilio suo 2. posito sub titulo de pactis, inter consilia Ioannis Chalderini:* & *voluit Raphael Cuman. in cons. suo 190.* Pro ista etiam facit doctrina *Bart. quem ibi sequuntur Baldus, Paulus de Cast. Ioan. de Imo. Alexand.* & *novissimi, in l. si filio, in §. si vir. ff. solut. matrim.* & *quod voluit idem Bart. in l. 1. in §. quod autem. ff. de superfici.* & *not. Panorm.* & *Ioann. de Anania in cap. fin. ne prael. vices su.* Cùm igitur in casu præsenti fuit facta promissio de non vendendo, non donando, sed quovis modo diminuendo, cum obligatione & hypotheca omnium bonorū: sequitur quòd tàm donatio quàm legatum, per dictum patrem contra suam pactionem & obligationem bonorum facta, nullius sint momenti.

Ex adverso vero videtur prima cōsideratione, quod licet donatio inter vivos facta contra hujusmodi promissionē non teneat quod tamen ipsum legatum in codicillis relictū valet quod sic deducitur: quia hu-
2 jusmodi, verba promitto nō † vendere, non donare, &c. de quibus in themate, videntur solum importare & includere alienationē inter vivos, & nullo modo illam, quæ fit in ultima voluntate, ut de se patet, & videtur *text. in l. verba contraxerunt. ff. de verborum signif.* Imo quod plus est, & si dictus pater usus fuisset verbo, alienationis, adhuc tamen hujusmodi verbum alienationis, quod multis generale est, *l. fina C. de rebus alien. non alien. cum sim.* non includeret testamentariam aut codicillarem dispositionem, de primo est theorica *Barto. in l. peto, in §. frat. ff. de leg. 2.* & *in dicta l. si ita quis, in §. ea lege,* & *ibi Pau. de Cast. Ioan. de Imo.* & *communiter Doct.* & *idem voluit Salic. in d. l. ea lege,* & *Alexand. de Imo. in cons. suo 56. primi volum.* & *latius in consilio suo 57. tertij volum.* Secundum probatur *per text. junct. gloss. fin. in l. 1. ff. de fund. dota.* & *voluit expresse Ange. in cons. suo 7.* ubi tenet, hujusmodi prohibitionem se non extendere ad institutionem vel legatum : & idem voluit *ipse Ang. in cons. suo. 57.*

Nec contra præmissa facit, quod ipse pater in casu præsenti subjecit hanc clausulam generalem, Aut aliàs quovis modo
3 diminuere, quia illa clausula † quæ generalis est, venit restringēda per species expressas, ita quod intelligatur solum de similibus expressis, *ut est text not. in simili, in c. sedes, de rescri.* & *ibi Panor. in 2. nota.* & *in l. fi. §. cui dulcia. ff. de vino trit.* & *oleo leg.* & *in l. emptor, in §. Lucius. ff. de pact.* & *in c. qui ad agendum, de procu. lib. 6. in Clem. non potest, eo tit.* & *in Clem. 1. de præb. cum sim. Cui etiam accedit not. dictum Innoc. in c. ex literis, de jur. patro.* u-
4 bi dicit, quod si † dono tibi villam, & omnia jura quæ in eo habeo, non veniunt jura spiritualia. Ad quod etiā adduci possent plures aliæ notabiles decisiones, collectæ & reductæ per dom. Felin. *in d. c. sedes.* Et sic illa clausula solùm venit referenda ad alienationem inter vivos: & si sic

ergo ipſe pater legando non contravenit
hujuſmodi pactioni de non vendendo, &c
l. pater filium.§.fundum.ff.de legat.3.

Secundò ex alio deducitur, quòd dicta
pactio solùm extendit ſe ad alienationem
inter vivos hoc modo. Quia ſi ipſa pactio
intelligatur univerſaliter, ut ſonare vide-
tur, & ut comprehendat omnem ſpeciem
alienationis, tàm inter vivos, quam in ulti-
ma voluntate, tunc redderetur inutilis &
nulla, & hoc ex duplici capite. Primò, quia
5 impediret † liberã teſtamenti factionem,
*contra l.pactum quod dotali.C. de pact. &
l.fina.eod.tit.cum ibi notat. per Doct.* &
videtur caſus in *l. ſtipulatio hoc modo con-
cepta.ff.de verborum obliga.* Hinc eſt, quod
6 donatio † omnium bonorum præſentium
& futurorum facta privato, eſt nulla, & in
toto vitiatur, etiam quo ad præſentia, *ut
volunt. Bald. Paul.de Caſt.& communiter
Doct.in præalleg.l.fi.C.de pact.& voluit.
Bart.in fortiorib.terminis, in conſ.ſuo 76.
& Panor.in conſ.ſuis 48.& 202.2 volum,
& Pau.de Caſt.in conſ.ſuo 336 in antiquis
& volunt. Ioan.de Imola. Pau.de Caſt. A-
lexan.& communiter Doct.in d l.ſtipulatio
hoc modo concepta, & voluit Ange.in conſ.
ſuo 179.ſubdens bonam & claram rationẽ;
& idem tenet Lud.de Rom.in conſ.ſuo 171
circa princ.dicens illam eſſe communem o-
pinionem, & idem dicunt Pet.de Anch. &
Io.de Imo.in Rub.extra de teſt. & Bald.
in c.in preſentia, in penul.colum.de probat*
Cùm ergo hujuſmodi pactio ſic intellecta
in effectu contineat in ſe donationem o-
mnium bonorum, tam præſentium, quàm
futurorum, factam in filios, nec videtur
quid aliud importare poſſe: ſequitur quod
in totum erit nulla, adeo quod etiam non
impediet donationẽ inter vivos. Secundò,
quia ipſe, ſic generaliter intellecta, obliga-
ret promittentem ad impoſſibile de jure,
ſcilicet ad non poſſe teſtari: Jam ſic eſt,
7 quòd generalis † diſpoſitio nunquã com-
prehendit impoſſibilia promittenti, *ut vult
Bald.in l.fi.in §. in computatione, in fine.
C.de jure delib.& probatur in cap.à nobis.
1.de ſentent.excom.* Non enim cadunt in
generali diſpoſitione ea, quæ non poſſunt
ſpecialiter fieri *l.ſi quando, in princ.* & *ibi
hoc notat. Pau.de Caſt.ff.de leg.primo,* ut
ergo res potius valeat, quàm pereat, inter-
pretanda eſt hujuſmodi promiſſio, ut ſolũ
comprehendat prohibitionem alienationis
inter vivos, *l. quotiens.ff. de rebus dubijs.
cum ſimilib.*

Econtrariò autem, quod tam donatio,
quàm legatum mero jure valet & tenet,
etiam quomodocunque verba hujuſmodi
pactionis intelligantur, ſive ut includant
ſpecies alienationis inter vivos duntaxat,
8 ſive generaliter, deducitur ſic. † Quia quã-
docunque alienatio prohibetur inter con-
trahentes inter vivos, talis prohibitio non
impedit validitatem actus in contrarium
geſti, neque etiam tranſlationem dominij:
ſed duntaxat obligat ipſum promittentem
in eventum contraventionis ad intereſſe,
ſive prohibitio de non alienando fiat ſim-
pliciter, ut in caſu noſtro, ſive etiam fiat
reſpectu certarum perſonarum: *de primo
eſt text.junct.glo.& ibi omnes Doctor. in
præall.l. ea lege, & de ſecundo eſt text.in
præall.l.ſi ita quis.§.ea lege, & ibi Docto.
ſcribentes.& idem voluit Ioan.Pet.de Fer-
rarijs in forma libelli in actione reali in ver
bo, veris & legitimis titulis, in 8.colum di-
cẽs, omnes ita tenere:* ergo in caſu præſenti
tenuit, tam donatio quam legatum, licet
ipſe pater teneatur ſuis filijs ad intereſſe,
quod eſt valor rei: *ut vult Barto.* & *Do-
ctor.in d.§.ea lege*, quæ ſiquidem obli-
gatio ad intereſſe, per mortem patris, &
apprehenſionem hæreditatis factam per fi-
lios, eſt confuſa & extincta: Cum regula
9 generalis habeat, † quod quando credi-
tor debitori ſuccedit, extinguitur actio
confuſione: *ut eſt text. in l. debitori, &
ibi no.per gloſ.& omnes Docto. C.de pact.
cum ſimili.* Nec id poteſt quovis modo
nocere

nocere donatario vel legatario , agenti ad
donationem vel legatum.

Quibus pro clara intelligentia & aper-
tione materiæ præmissis, restat respondere
ad quæsitum , & in hac difficili materia
meram & puram veritatem, omni affecti-
one seclusa, pro possibilitate mea deter-
minare. Quæ sub correctione omnium
meliùs & rectiùs sentientium videtur mi-
hi subscripto esse ista. Quod in casu præ-
senti, tã donatio quàm legatum, in quantũ
ipsam donationẽ excedit, mero jure valet:
*per text. d. l. ea lege, & per præalleg. l. si ita
quis. §. ea lege, cũ alijs proximè deductis, ac
alijs in solutione argumentorũ inferius alle-
gandis.* restat modò respondere ad obje-
cta, suprà in medium allata, in quantum
conclusioni suprà tactæ contrariantur.

Et primò nõ obstat *d. l. si creditor. §. fin
cum theorica Bart & aliorum suprà addu-
cta,* Quia respondetur dupliciter. Primò,
quòd præfata theorica sumpta *ex d. §. fin.*
etiam secundum illam literã, quæ præsup-
ponitur vera, non est ab omnibus approbata
& commendata. Imo Salic. *in d. l. ea lege,*
per plures rationes satis efficaces eam re-
probat, & tenet contrarium, & hoc idem
videtur tenere do. Io de Imo. *in dicta l. si
filio, in §. si vir. eod motivo quo Salicet. di-
cens illã theoricam fortè non esse veram, &
ita transit.* Idem etiam sentit Ang. *in d. l.
nemo, ubi dicit, quod hæc theorica non est
tuta: & glos. ordin. in d. l. ea lege, cũ allegat
eã pro concor. Et ad tex. d. l. si creditor. §.*
10 *fin. cùm dicit, nullam † esse venditionẽ.* Re-
spondet Salicet. ubi suprà, quod est nulla,
scilicet in præjudicium hypothecæ credi-
toris. Ex hoc tamen inevitabiliter nõ con-
cluditur, contractum in contrariũ factum
non valere, vel quod impediatur translatio
dominij, ut voluit Bart. quem text. Salic.
sic dicit exponendum, ut jura juribus con-
cordentur, & ut à primis principiis non re-
cedatur: Qui si aliter intelligatur (ut ex
pluribus deducit ibi Salic.) erit cõtra mul-
tas theoricas juris, inter quas unam prin-
cipaliter puto in casu præsenti considerã-
11 dã, quæ habet † quod obligatio accessoria
non immutat naturam obligationis prin-
cipalis, imo ejus naturã sequitur, & ab ea
capit vires, *regula accessoriũ, de regulis jur.
lib. 6. cum not. ibid. & l. cùm principalis. ff.
eo. tit.* Ad quod faciunt *not. Cyn. in l. non
moriturum, circa princip. C. de contra &
commit. stipulat.* & *not. Alexand. in. l im-
possibilis, circa fin. ff. de verborum obligat.*
ubi volunt quod stipulatio pœnalis facta
sub conditione necessaria, præcedente con-
ventione de præstando aliquid, cujus præ-
statio est impossibilis , de jure est nulla
tanquam accessoria, sicut principalis, & ta-
men nulla præcedente conventione, à qua
dependeat, est valida. Cùm ergo obligatio
hypothecaria solùm fiat & adjiciatur obli-
gationi principali, ut eã confirmet, & eidem
faciliorem exitum præbeat, ut fidejussoria
& aliæ accessoriæ. *Institut. de fidejuss. in
princip. cum concord.* Non autem ut eam
alteret, vel immutet: sequitur, quod obli-
gatio hypothecaria, quãdo est accessoria ad
aliam, ut in casu præsenti, non immutabit
naturam principalis , & sic non impediet
alienationem aliàs permissam. Hinc etiam
videmus, quod sublata obligatione princi-
pali per confusionem, debitore succedente
creditori, vel ecõtra tollitur accessoria. E-
12 contra autẽ, accessoria † per confusionem
sublata, fidejussore creditori succedẽte, vel
econtra, non tollitur principalis; *l. Vranius
versic. quod si creditor,* & *l. hæres à debito-
re, §. quod si stipulator, versic. quod si idem,
& l. si debitori creditor. ff. de fidejuss.* Cujus
ratio est secundum Paulum de Castro, &
Docto. *in dicta l. Vranius, in princip.* quia
accessoria obligatio dependet à principali,
& non econtra. Non mirũ ergo, si in casu
præsenti pactum de non alienando, quod
de sui natura solum obligat (ut supra de-
ductum est) ad interesse si contra fiat non
posset per obligationem hypothecariam,

pro observatione hujusmodi pacti accessoriè interpositam in natura sua immutari, ita & aliter, quòd jam obliget paciscẽtem ad simpliciter non alienandum, & quòd annullet alienationem in contrariũ factam & revera si benè inspiciatur *text. in præalleg. l si creditor.* §. *fina.* ipse hoc non probat, quia in casu illius §. *fi.* non fuit obligatio hypothecaria interposita, pro observatione pacti, & sic accessoriè ad pactum: sed pactum fuit interpositũ super re prius hypothecata non vendenda seu alienanda, & sic pactum subsequutum fuit hypothecam: hic autem econtrà, quæ multum differunt, ut patet ex præmissis. In casu enim *d.* §. *fina.* non sequitur incõveniens proximè deductum, videlicet quòd hypothecaria immutet naturam obligationis principalis. Et per ista posset probabiliter dici, quòd Theorica Bartoli, ut ipse eam ponit, revera ex illo text. non probatur, ut patet ex præmissis: & propterea benè dicunt Doctores supra allegati, illam Theoricam non esse tutam, ex quo non benè jure probatur. Nec obstat, si dicatur, quòd licet hoc non habeatur ex ipso casu text. habeatur tamen ex ratione decisionis ipsius, quæ est propter reservationem juris realis, ut volunt Doctores ponentes dictã Theoricam. Quia respõdeo, quòd hujusmodi ratio per Doctores excogitata, de qua tamen in dicto casu non apparet, debet intelligi, quando hoc jus fuit prius habitum vel reservatum in re, & quãdo postea pactum de non alienãdo intervenit, cùm tunc cesset inconveniens prætactum. Et quod iste sit ejus verus intellectus, patet ex præmissis, & ex omnibus similibus adductis per Doctores in re emphyteutica, & alijs, in quibus prius erat jus reale constitutum, & pactum de non alienando subsequutum. Et hoc modo intelligendo, casus *d.* §. *fina.* benè dubitabilis: sed verum est, quod tunc non patitur prædictam Salic. solutionem, quam tamen non puto ex eo improbandam, quòd casus *illius* §. *fina.* esset indubitabilis: quia benè inspiciendo principalem quæstionem, ad quam ibidem respondet Iurisconsultus, nõ deciditur ibi principaliter illa quæstio, an alienatio valeat pacto non obstante, nec disputatur ibidem de vi & effectu ipsius pacti, sed examinatur ibi illa quæstio, an pactum de non alienando rem propriam alteri obligatam valeat, vel non: quæ non est sine dubio, ut ibi sentit *text. propter*
13 *præalleg. l. nemo. ff. de pact.* ubi pactum † de re propria non alienanda improbatur, & deciditur in dicto §. fina. hujusmodi pactum valere propter jus hypothecæ præcedens, & venditionem hypothecæ nullam esse, de quo erat incidenter quæsitum. Et licet hoc decisum incidenter sit alio jure probatum, non est inconveniens: quia hoc
14 infinitis passibus reperitur, † ubi quæstione dubia decisa, pro declaratione materiæ subjungitur regula & Theorica juris cõmunis, seu casus alibi decisus, *l. si servus servum.* §. *inquit lex. ff. ad l. Aquil.* & *l. 2.* §. *si quid autem, ubi pulcher text. Cod. de veter. jur. enucl. cum similibus.* Et hinc est, quod gloss. sæpè allegant concordantes etiam ad principalem decisionem legis, nec hoc reputatur inconveniens. Nec obstat, si dicatur, quòd tunc *dict.* §. *fin.* non facit ad titulum, Quia respondetur, quòd imò facit ad titulum sub quo situatur, in quantum incidenter ibi quæritur & deciditur
15 de alienatione hypothecæ, & sufficit † quod lex vel canon propter aliquid faciat ad titulum, licet alibi de verbo ad verbum habeatur, ut patet, *in l. si quis in conscrib. Cod. de pact. quæ etiam habetur sub titulo, de episcop. & cleric in cap. significantibus, de appellat.* quod etiam de verbo ad verbum habetur, *sub. titu. de libel. oblat. & ibi hoc notat Panorm. in 2. colum. & sic patet. d. l. si creditor. in* §. *fi. cum Theorica Bart. & aliorum non obstare.*

16 Secundò, præsupposita veritate dictæ theoricæ, † quæ est communis, ut ex suprà dictis

dictis patet, & sic in judicando servanda, juxta not. Ioan. Andreæ quem Panormitanus & omnes sequuntur *in cap.* 1. *de constitut. & volunt. Legistæ in l. prima, C. de legibus.*

Respondetur, quod dicta Theorica &
17 text. super † quo fundatur tanquam exorbitans à communibus regulis juris, ut præmittitur, intelligenda est præcisè in casu in quo loquitur: scilicet in obligatione speciali alicujus rei prohibitæ alienari, & non est aliquo modo extendenda ad hypothecam vel obligationem generalem, quæ in multis differt à speciali, ita sentit Bartolus *in dicta l. qui absenti, in* §. 1. *in finalibus verbis, & similiter ibi Paulus de Cast.* & *Ioannes de Imo.* & *apertissimè Franciscus de Aretio*: hoc etiam apertissimè vult dodominus Ioannes de Imola *in d. l. si ita quis, in* §. *ea lege*, & *Alexander de Imo. in d. l. si quis filio, in* § *si vir*, qui dicit, hanc opinionem esse veriorem (pro ut re vera est) cum, si benè inspiciantur Doctor. in passibus suprà allegat. cum loquuntur de hac Theorica ad effectum impeditium cõtractus vel translationis dominij, semper loquuntur de hypotheca speciali, licet ipsa
18 † generalis obligatio bonorum regulariter, quo ad alia tantum operetur, quantum specialis, exceptis certis casibus, de quibus per Franc. de Aretio *in d. l. qui absenti.* Et licet Paulus de Cast. *in d.* § *si vir*, videatur incidenter dicere cõtrarium tamen si benè inspiciatur, expresse sentit hanc partem, cùm præsupponat dominium translatum in emptorem, non obstante hypotheca generali præcedente, & sic hæc opinio in judicando omnino est servanda, per suprà dicta.

Quòd autem *dicta l. si creditor.* §. *fina.* solùm loquatur & locum habeat in hypotheca speciali, ultra apertam assertionem Dom. Ioan. de Imola, Francisc. de Aret. Alexand. de Imola, & aliorum in passibus supra alleg. deducitur ex eo, quia text. ibidem loquitur in singulari de hypotheca vel pignore, & sic de speciali, non
19 autem de generali omnium bonorum: † quæ siquidem hypotheca specialis longè pinguior est & efficacior ad impediendum alienationem & dominij translationem, quàm sit hypotheca generalis: *ut est text. expressus in l.* 1. & *ibi Bald. Paulus de Castro,* & *Doctor. C. de necessa. servis hæred. inst. junct. l. ab. eo,* & *ibi Salic. C. de servo pigno. dat. manu.* & *l. pignori,* & *ibi Ioannes de Imo. ff. de hered. institut.* In quibus juribus habetur, quod etiam per hæredis institutionem impeditur alienatio, quando servus specialiter est pignori obligatus: secus quando generaliter, quæ tamen jura loquuntur in casu favorabili, videlicet li-
20 bertatis. † Cujus favore multa specialia statuta sunt in jure. §. *fina. Institut. de donat. cum similibus*, quare maximè id procedere debet in casu, *dict. l. si credit.* §. *fina.* qui exorbitans est à jure communi, ex eo quia contra multas theoricas & regulas juris disponit, alienationē aliàs à jure permissam, propter hypothecam impediri, & sic dispositio *d.* §. *fi.* nullo modo communem & veterem orbitã tenet, quare etiam non valet argumentum à paritate rationis,
21 † cùm hoc non vendicet sibi locum in his, quæ à jure communi sunt exorbitantia: imo in illis procedit hoc argumentum. In casu de quo est quæstio, hæc non reperiuntur æquiparata, ergo quo ad hunc casum sunt diversa, ut notabiliter dicit Dominus Ioannes de Imola, & Docto. *in l. si verò, in* §. *de viro. ff. solut. matr.* & *idem Ioan. de Imo. in cap. presentia, in* 6. *col. de probat.* & licet fortasse disputationis gratia teneri posset, quod *d.* §. *fina.* generaliter procederet, tàm in hypotheca generali quàm speciali ex identitate rationis: non puto tamen in judicando aut consulendo hoc esse ser-
22 vandum, † cùm judex in judicando non debeat propriæ prudentiæ inniti, aut sequi suam opinionem, ne dicam fantasiam, sed illam

illam quæ authoritatibus plurimorum aut famatorum juriſperitorum eſt roborata, *cap. ne innitaris, de conſtitut. ut voluit Bart & alij Doctor. in l. fina. C. de pœn. jud. qui mal. jud. & in l. cũ prolatis. ff. de re judic. Bal. in l. 1. ad fi. per illum text. ff. de ſenato & idem Bald. in l. 1. per illum text. ff. de offic. quæſt. & idem Bald. & Pau. de Caſt. in l. fin. C. de inſtit. & ſubſtitut. ſub conditione fact.* ubi in ſpecie dicunt, quòd propter novas fantaſias Bart. non eſt recedendum à communi opinione.

23 † Quod enim à pluribus quæritur, facilùs invenitur, *cap. fin. 22. diſtinct.* cùm ergò in caſu præſenti ſint tam famati Doct. ita ut præmittitur, diſpoſitionem *d. §. fin.* limitantes & nemo Doctor. determinet præcisè contrarium, videlicet quod *ille* §. debeat intelligi generaliter, tàm in hypotheca generali, quàm ſpeciali, ſequitur quòd ab hac opinione in conſulendo & judicando non eſt recedendum, per ſuprà dicta.

Ex quo concluditur, quòd non obſtante hypotheca generali, in caſu præſenti, tàm donatio quàm legatũ valuerunt & valent, & ſuum effectum ſortiri debent.

Ex præmiſſis etiam patet ſolutio ad aliud de invaliditate donationis, ex eo quod facta fuit contra promiſſionem: quia ut jã deductum eſt, hujuſmodi donatio valet promiſſione de non donando, & hypotheca generali non obſtante: cum hoc caſu non reperiatur deciſio limitans *d. l. ea lege*, & ſic remanemus in terminis regulæ ibidem traditæ.

Pro ſolutione verò omnium aliorum, in quantum contra concluſionem ſupra tactam facere videntur, & pro plena intelligentia totius materiæ, reſtat inquirere, quid illa verba, promitto non vendere, non donare, &c. in themate poſita importẽt: an ſcilicet includant ſpecies alienationis inter vivos duntaxat, vel an generaliter comprehendant, tàm ſpecies alienationis inter vivos, quàm ultimæ voluntatis. Ad quod

24 breviter reſpondetur, † quòd hujuſmodi verba includunt omnem ſpeciem alienationis, tàm inter vivos, quàm in ultima voluntate titulo ſingulari fiendæ: Non autem comprehendunt hæredis inſtitutionem, aut aliàs titulo univerſali neceſſariam alienationem. Primùm, videlicet quòd iſta prohibitio de non vendendo comprehendit, nedum ſpecies alienationis inter vivos, de quibus non eſt dubitatio, ut voluit Barto. & Docto. *in dicto §. Divi*, ſed etiam alienationem, quæ fit per legatum & ultimam voluntatem, deducitur *per text. ad literam in l. ſicut, in §. venditionis. ff. quibus mod. pign. vel hypothe. ſolvi. & facit l. ſtatu liberi à cæteris. §. fi. ff. de ſtatu liber. cum ſimilib.* Secundum verò deducitur per Theoricam Barto. & aliorum Docto. *in dicto §. ea lege, & in dicto §. fratre, ac in pluribus alijs paſſibus ſuprà copiosè ſatis adductis.* Nec obſtat præmiſſis dictum Angel. *in conſilio ſuo 7.* quia illud, in quãtum loquitur de legato, nullo jure probatur. Nec ratio doctorum militans in univerſali & neceſſaria alienatione, habet locum in legato.

Ex quibus patet, non eſſe verum, quod ſupra argumentativè dictum eſt, videlicet, quòd ſi ita generaliter intelligatur dicta

25 promiſſio de non vendendo, &c. † quòd ipſa tanquam impediens liberam teſtamẽti factionem & importans impoſſibilitatem, de jure non valebit: quia ut dictũ eſt, illa generalis promiſſio non includit hæredis inſtitutionem, & ſic non impedit teſtamenti factionẽ, nec aliquid juri repugnans inducit: & per hoc etiam patet, non eſſe ſimile id, quod pro confirmatione adductũ fuit de donatione omnium bonorum præſentium & futurorum: quia illa impedit liberam teſtamenti factionem: Iſta verò, ut dictum eſt, nõ impedit. Per quod etiam patet, quòd iſta promiſſio de non vendendo, &c. filijs facta non operatur donationem omnium bonorum præſentium & futurorum.

Ex premissis etiam patet solutio ad il-
26 lud, quod objectum est de clausula, † quovis modo diminuere: quia ut jam deductũ est, dato quod generaliter intelligeretur, tamen non plus operaretur, quàm quod contra faciens obligaretur ad interesse, non autem per hanc clausulam invalidaretur actus per supra dicta.

Ex quibus omnibus infertur, quòd non obstante promissione per patrem facta, ipse pater validè potuisset, si voluisset, testamentum condere, & hæredem legitimum vel extraneum instituere, absque eo quòd de contraventione hujusmodi promissionis in aliquo notari potuisset: donare verò vel legare absque contraventione non potuit, sed non ideò minus donatio & legatum valent sortiriq; debent effectum, per supra allegata: licet pater donando vel legando obligetur prolibus suis ad interesse, quæ tamen obligatio per successionem & apprehensionem hæreditatis paternæ fuit & est confusa, & sic stat conclusio suprà dicta, quod tam donatio, quam legatum, nõ obstantibus præmissis, mero jure valet.

Non obstat, si contra præmissa objicia-
27 tur, & dicatur, † quòd licet obligatio illa personalis ad interesse per successionẽ seu aditionem esset confusa, *d. l. debitori*, tamẽ nihilominus mansit hypothecaria, *per text singularẽ in l. debitor, & ibi Bart. & Pau. de Cast. Ioan. de Imola, & Doct ff. ad Trebellia. & videtur expressè velle Alexan. de Imo. in præalleg. l. debitori, circa princ. & Bald. in l. si uxor, C. de bon. aut. judic. poss.* Et si sic, ergo potuerunt ipsi filij, si in possessione fuerint, contra hujusmodi donatarium eundemque legatarium uti retentione, & ipsum exceptione repellere. Si verò legatarius idemq; donatarius possideat poterunt hypothecariâ cõtra eundem experiri, *d. l. debitor.* Et per consequens in effectu, tàm donatio quam legatum, licet valeat, carebit effectu. Quia respondetur, Primò, præsupposito non tamen admisso, quod jus pignori seu hypothecæ maneat, ut prætendit argumentum, quod hujusmodi argumentum concluderet, nisi aliud ipsis filijs obstaret, quòd dictus legatarius replicando ipsis objicere posset, videlicet
28 de luitione pignoris: unde quia eorum † pater prius obligavit & hypothecavit hujusmodi bona, & deinde sciens ea per se obligata, eadem alteri legavit: tenẽtur ipsi tanquã hæredes patris ea luere, & à nexu pignoris liberare, & liberata eis tradere, aut verius hypothecã remittere: *per text. expressum in l. si res obligata in princip. ff. de legat. primo, & per text. in l. prædia, C. de fideicommiss.* cum aliàs legatum redderetur penitus inutile. Potest etiam dici secundò, quòd *dicta l. debitor,* pro contrario allegata, loquitur quando creditor idemque hæres adivit hæreditatem debitoris sui coactus, *ubi in princip. vult text. & apertè ibi Barto. Ange. Alexand. & plures alij,* quo casu non est mirum, hypothecam durare, ex qua remansit oblgatio
29 naturalis, ut videmus in simili, quando † obligatio personalis tollitur pręscriptione, quæ est odiosa, quo casu etiã remanet hypotheca, *l. intelligere, Cod. de luit. pign. & ibi gloss. Cyn. Salicet. & Doctores,* & idem videmus in casu singulari *l. cum quis § fina. ff. de solutio.* qui sunt tres casus speciales excepti à regula, *accessorium, de regulis jur. lib. 6. cum simib. secundum Cyn. & Salicet. in dicta l. intelligere:* secus ergo, quãdo creditor idemque hæres adivit hæreditatem sui debitoris sponte, non coactus, ut in casu præsenti, quia si in dictis tribus
30 casibus est speciale, † ergo in contrarium est jus commune, *l. jus singulare, & l. quòd verò contra. ff. de legibus, cum similib.* Potest etiam dici tertiò, quod quicquid sit de jure veteri, *dicta l. debitor,* hodie tamen dictum argumentum non procedit, ex quo per dictos filios, adita fuit hæreditas pa-
31 tris sine confectione inventarij: † quo casu hæres hodie tenetur omnibus tàm credi-

 toribus,

toribus, quàm legatarijs & fideicommissarijs particularibus, quàm etiam fideicõmissario universali, solvere integra credita, legata, seu fideicommissa, etiam de suo. *l fi. §. in computatione, à contrario sensu. C. de ju. delib. cum ibi not. & ibi apertè vult Ioan. de Imo. in dicta l. debitor.* Et licet in hoc, quò ad fideicommissum universale, Paulus de Cast. teneat contrarium *in l. ab omnibus. § fin. ff. de lega. 1. & in l. ita tamen. §. si ex Trebell. ff. ad Trebell. dicens se sic pluries consuluisse, prout revera consuluit, ut patet in cons. suo 165. incip. in Christi. &c. Quaeritur primò, utrum haeres, &c. & in cons. suo 210. incip. in Christi, &c. dubium fuit in antiquis, & Alexand. de Imo. in d. l. debitor.* Tamen in creditoribus, & legatarijs seu fideicommissariis particularibus, *idem Pau. de Cast. & Alexan. de Imo. in passibus suprà alleg.* concludunt cum Ioan. de Imo. quòd hæres adiens hæreditatem sine confectione inventarij, tenetur ipsis hodie insolidum de suo solvere absque aliqua deductione: & ponunt pulchram & subtilem rationem diversitatis, ut videri potest per eos in passibus suprà alleg. & hoc sufficit in casu subjecto, in quo dictus G. est legatarius particularis, & filij adierunt hæreditatem patris sine confectione inventarij, quare nimirum si actio ad interesse ipsis competẽs contra patrem sit per aditionem hæreditatis confusa & extincta: *ut suprà dixi per dict. l. debitori, cum ibi no. per glos. & Doctor. & in præalleg. l. fi. §. in computatione, cum ibi not.* & *sic patet, dictam l. debitor non obstare,* quæ loquitur in hærede eodẽque creditore gravato restituere fideicommissario universali, qui casus lõgè diversus est à casu subjecto, ut patet ex præmissis.

Ex quibus omnibus concluditur, legatum dicto G. relictum mero jure valere, & suum plenum effectum sortiri debere absque aliqua deductione, Iudicio cujuslibet melius sentientis semper salvo.

CONSILIUM. VII.

SVMMARIA.

1 *Gaudent brevitate moderni.*
2 *Exceptiones reo principali competentes competunt & fidejussori, & quicunque se pro alio obligavit, dummodo illę cohæreant rei potius quàm personæ.*
3 *Exceptio rei judicatæ perimit intentionẽ ipsius agentis, & litis contestationem impedit.*
4 *Exceptio rei judicatæ obstat, quoties inter easdem personas eadem quæstio revocatur vel alio genere judicij.*
5 *Nullus esset litium finis, si nova qualitatis adjectio, vel diversificatus modus agendi de re eadem elideret exceptionem rei judicatæ.*
6 *Paria sunt non esse, & non adparere.*
7 *Delicta non præsumuntur.*
8 *Sententia quæ transivit in rem judicatam, non potest vigore instrumentorũ noviter repertorũ retractari, sicut nec vigore depositionis novorum testium.*
9 *Testimonium ejus qui parte adversa absente non citata vel vocata, receptus & admissus est, pro nullo habetur.*
10 *Perjuro, quantumcunque emendato, amplius credendum non est.*
11 *In dubio actis judicialibus statur.*
12 *Metus quando illatus pręsumatur.*
13 *Petere volens restitui adversus sententiam, facere illud tenetur infra quadriennium continuum.*
14 *Forma petendi restitutionem contra sententiam, &c.*
15 *Bona fides non patitur, ut bis idem exigatur.*
16 *Demonstratio falsa non vitiat, si de corpore constat.*
17 *Venditio si per expressionem mensurarum vel jugerũ facta sit, tunc venditor ad illorum traditionẽ pręcise tenetur.*
18 *Fidejussor non potest obligari in plus quàm reus principalis.*

19 Nemo

19 *Nemo ultra id quod promisit, aut pro alia re quam promisit tenetur.*

20 *Injuriam facere præsumitur, qui semel judicata & rectè disposita iterum revolvere & de novo disputare cōtendit*

21 *Iudex semper debet esse favorabilis, & protector pauperū, ne injustè molestentur.*

VIsis, perlectis, atque maturè consideratis, deductis, allegatis pariter & propositis hinc inde in processu agitato, coram magnifico, & egregiis dominis Cācellario & aliis consiliarijs Concilij Ducatus Brabantiæ, per & inter Reverendum patrem & religiosos viros Dominum Abbatem & conventum monasterij S. Bernardi supra Scaldam ex una, & Nicolaum Iongelinck originalē reum, nec non Guilielmum Peterartss, & Petrum Hugesparss sibi adjunctos, & in causam evictionis citatos, partibus ex altera. Brevissimè ex paucis infrà dicendis videtur, dicti rei & suorum adjunctorum confirmari & justi-

1 ficari conclusio. † Et quoniam, *teste glossa l. 1. ff. quod met caus.* gaudēt brevitate moderni, ne in longum allegatorum hinc inde in processu deductorū recitatione, præsens materia deducatur: Illis omissis, pro justificatione conclusionis ipsius rei & suorum

2 adjunctorum, præmitto, † quod fidejussor vel quicunq; alius, qui pro alio se obligavit potest uti, & se tueri omnibus exceptionibus ipsi reo principali cōpetentibus, dummodo sint tales exceptiones, quæ potius rei, quàm personæ cohærent: quemadmodum sunt exceptiones rei judicatæ, jurisjurandi, & similes, *l. exceptiones, secūdo responso. ff. de except.* Quas siquidem exceptiones ipse fidejussor cōventus, etiam invito reo principali, opponere potest, *ut l. omnes. ff. eo.* & *l. ex persona. ff. de fidejuss.* & *l. tam mandatori, C. de non nu. pecu.* & *plenè in præalleg. locis per glos.* & *Doctor.*

Quo præmisso, breviter justificando conclusionem dictorum Nicolai & adjunctorum, deduco, quòd dicti impetrantes 4 non sunt admissibiles ex multiplici capite.

Primò, quia ipsis impetrantibus obstat

3 res judicata, † quæ exceptio juxta præmissa non solum principali debitori, sed etiam ipsi fidejussori, vel alieno nomine obligato competit, & nedum dirimit & perimit intentionē ipsius agentis, sed etiam ipsis impetrantibus viam agendi præcludit & litis contestationem impedit: *ut est text apertissimus, in c. 1. de litis contest. lib. 6. cū concor. voluit Bart. in l. fratris, C. de transact.* & *idem Bart. in l. cum quærebatur. ff. de dol. except.* Constat enim liquidissimè ex deductis in processu, quòd eadem in effectu fuit conclusio ipsorum impetrantium in prioribus instantiis, eademq; fuerunt in eisdem deducta & allegata media, quæ modò allegantur, ergo &c.

Nec obstat, si dicatur, quòd alio modo jam actio per eosdem impetrantes intentatur, quàm prius intentata fuit: quia illud negatur. Notoriè enim constat, quod iidem impetrantes prius petierunt sibi deliberationem fieri terrarum & bonorum, juxta & secundum ratam denariorum, per ipsum Guilielmum Peterartss receptorum, & modò ipsi impetrantes certas petunt sibi deliberari mensuras, ad quas rata prætactorum denariorum receptorum præcisè ascendit, quid enim hoc aliud est, nisi omnino idem in effectu per omnia petere. Eadem enim est quantitas seu corpus in effectu petitum eademq; causa petendi, & est identitas personarū fictione juris, ipsius videlicet rei principalis in priori instantia & dicti Nicolai fidejussoris nunc impetiti. Et licet prædicta omnia non convenirent, & non omnino eadem res peteretur, quæ prius petita fuit, sed diversa: tamen ex quo de illo jam disceptatur, quod per sententiā terminatum est, adhuc obstat exceptio rei judicatæ, *l. si quis cū totum, versic. & generaliter. ff. de excep. rei jud. ubi text. formaliter sic inquit, & general. ut Iulianus diffinit.* † exceptio rei judicatæ obstat, quotiens

inter eaſdem perſonas eadem quæſtio revocatur vel alio genere judicij, & exponit ibi gloſſ. quam ſequuntur Doctor, vel pro etiam. Unde ſubditur in text. Et ideo ſi de hæreditate ſingulas res petat, vel ſingulis rebus petitis hæreditatē petat, exceptione ſubmovebitur, &c. ibi Paulus de Caſtro dicit melius determinari, quàm alibi qualiter dicatur eadem cauſa. Dicitur enim eadem ſecundum eum per illũ text. ſcilicet quatenus in ea venit diſceptandũ id quod fuit terminatum per primam ſententiam, etiam ſi agatur ad rem diverſam, ſubjungens poſt pauca, quòd ille text. optimè declarat, *l. cùm quæritur, cum ſeq. illo eod. titulo*, ubi habetur, quòd tunc obſtat exceptio rei judicatæ, quando petitur eadem res ex eadem cauſa, & per eandem perſonam, & ab eadem. Nam ſecundum eum etiamſi petatur res diverſa, ſi tamen venit diſceptandum id quod per ſententiã fuerat terminatum, obſtat exceptio per dictũ verſic. & generaliter: pro quo optimè facit *text. in l. de eadem. ff. eodem.* ubi text. ſic inquit: Rectè itaque diffinietur, eũ demum de eadem re non agere, qui prorſus rem
5 ipſam non proſequitur: † Aliàs enim ſi nova adjectio qualitatis, vel diverſificatus modus agendi de eadem re illideret exceptionem rei judicatæ, facilè eſſet, omnem juris diſpoſitionem & autoritatem rei judicatæ eludere, & nullus eſſet litium finis, *contra l. fina. ff. pro ſuo, & l. ſingulis. ff. de re judic. & l. fratris, C. de tranſact. & l. fina. C. ut lite penden.*

Ridiculum etiam ſatis eſt allegare, quod prima ſententia legislatorum Antverpienſium per curiam Brabantiæ poſteà approbata, eſſet duntaxat interlocutoria, & per conſequens non obſtaret ipſis impetrantibus res judicata. Quia contrarium de per ſe eſt ſatis notum, cum illa ſententia finem negocio impoſuit, & nulla alia expectabatur de poſt ſententia: quare patet, eam diffinitivam, *juxta doctrinam gloſ. ab omnibus approbatam in Clem. unica, ſuper verbo diffinitiva, de ſequeſtra. poſſ. & fruct.* Et licet fuiſſet duntaxat interlocutoria, tamen quantum ad partem tranſivit in rem judicatam ſicut diffinitiva, *cap. cum dilectus, juncta gloſ. fin. de electi.* & *cap. ceſſante, juncta gloſſ. de appell. cum ſimilib.*

Similiter prodeſſe non poteſt ipſis impetrantibus, quod allegant, priores ſententias eſſe latas ex falſis inſtrumentis, pluribus ex cauſis: Tum primò, quia illud non
6 conſtat, & idem eſt, † non eſſe & non apparere, *l. in lege. ff. de contrahen. empt.* & *l. duo ſunt Titij. ff. de teſtam. tut.* Nec etiã
7 hoc jure præſumitur, † cùm delicta non præſumantur, *l. meritò. ff. pro ſocio, cum ſimilibus.* Tum ſecundò, quia illud ad illum finem, & eo quo proponere debuerunt modo, ac infra tempus debitum non propoſuerunt, *juxta plenè notata per Bart. Pau. de Caſt. & Doctores in l. Divus. ff. de re judic. per Panor.* & *alios in c. licet, C. de probat.* & *c. cum venerabilis. de excep.* Dictus enim Nicolaus originaliter in hac inſtantia impetitus, non fuit in cauſa in prioribus inſtantiis, & ſic contra eum non poſſunt allegare falſitatem inſtrumentorum: Non etiã dicunt, quæ ſint illa falſa inſtrumenta, & per quos falſitas ſit commiſſa, ergo &c. Tertiò, quia non allegant, priores judices vigore falſorum inſtrumentorum tuliſſe ſententiã & ipſos ſecutos fuiſſe hujuſmodi falſa inſtrumenta, quod tamen de jure requireretur, *c. cũ I. & A. de re jud. tenet Pau de Caſt. in d. l. Divus. ff de re jud. & Panor in d. c. licet. ſuper ſecunda gl. extra. de prob.*

Nec obſtat, ſi dicatur, quòd modò conſtat per quãdam informationem, quòd menſura & quantitas bonorum pro rata denariorum receptorum non fuit ipſis impetrantibus deliberata per Guilielmum Peterartſs alterũ reorum. Quia dico primò, prout inferius latius patebit, quod ipſi rei non tenentur ad deliberationem menſurarum, ſed ſolummodo ad ipſum corpus:

Item & si tenerentur deliberare quantita-
tem certarum mensurarum, tamen hujus-
modi informatio non potest præjudicare
eisdē reis, ex causis in scripturis pro parte
rei allegatis. Tum etiam, quia hujusmodi
informatio est post rem judicatam facta,
& sic non potest præjudicare. Ratio quia
8 ex quo † vigore instrumentorum de novo
repertorū non potest retractari sententia,
*leg. sub. prætext. C. de transact. l. imperato-
res. ff. de re jud.* multò minus debet vigo-
re depositionis novorum testium, de quo-
rum subornatione timeri posset, retractari,
quod expressè sentit Paul. de Cast. & Pa-
norm. in locis præall. Tum etiam ex eo,
quia hoc non concernit impetrantes, sed
ipsos bonorum consortes, vulgariter **die
Inlandigen**/ id est, indigenæ, qui inter se
pecunias impetrantiū dividere, & pro rata
bonorum partificare debuerunt: minimè
autem concernit ipsos impetrātes, qui de-
bent stare contenti, dummodo rehabeant
prata & bona ipsorum eo modo, quo per
prius illa deliberaverant. Et si de hoc, quod
bona sua non rehabuerunt, conquerantur,
omnes ipsos bonorum consortes desuper
impetere debuissent.

Superfluum insuper satis est ad assertam
depositionē cujusdam Guilielmi Hugensis
dicti Coman Willem, insertam in quadam
certificatione Scabinorum Indehoven,
respondere: Cùm dictus Guilielmus ad ip-
sorum duntaxat impetrantium sollicitati-
9 onem, † in absentia partis adversæ non ci-
tatæ vel vocatæ contra juris regulam sit
receptus & admissus, & ergo actus nullus:
*text. est in c. 2. de testi. & in l. si quando.
C. de testibus, cum simil.* Item posito, quòd
legitimè in præsentia partis adversæ rece-
ptus fuisset, non potest tamen ipsius depo-
sitio prodesse impetrantibus, quia in quan-
tum contrarium ipse Guilielmus jam de-
poneret, quàm prius deposuit coram sca-
binis Antverpiensibus, non esset sibi cre-
dendum, sed standum indistinctè esset pri-
mæ depositioni. Nam aut primò verum
dixisset aut falsum: Si verum dixit, clarum
est quòd non sit ei standum, volenti jam
deierare: Si verò falsum dixit, eidem tan-
10 quam perjuro † non esset amplius creden-
dum, quantumcunque etiam emendato,
capit. testimonium, de testi. & *istud in ter-
minis vult Panor. in cap. per tuas, circa fin.
de proba.* & *Paul. de Cast. in d. l. divus.* &
optimè facit cap. sicut de testi. & quòd ve-
lit asserere idem Guilielmus, se non com-
paruisse coram legislatoribus Antverpien-
11 sibus, sibi in hoc non est standum, † quini-
mò in dubio magis statur actis judiciali-
bus, *cap. quoniam contra de proba. cum con-
cor.* Nihil etiam est, quod idē Guilielmus
allegare videtur, metum sibi fuisse illatum
12 † quia hoc non est præsumendum, perso-
narum qualitate & loci, & alijs circum-
stantijs attentis, *l. non est verisimile. ff.
quod. met. causa.* Nec etiam est verisimile,
quod idem Guilielmus de hoc metu, tam
longo tempore tacuisset, *c. ad id quod, de
sponsa*, ergo, &c.

Pari modo non prodest impetrantibus,
quòd in ipsorum replica petunt restitui
13 adversus priores sententias. † Primò, quia
hoc debuissent fecisse infra quadriennium
continuum, *Clem. unica. de in integ. restit.*
& *per Doct. in passibus suprà alleg.* Sed jam
in proposito sententia saltem prima fuit
lata in favorem dicti Guilielmi Peterartsis
alterius reorum per dictos Legislatores
anno xc. & confirmata anno cxij. à quo
tempore plus quàm quatuor anni effluxe-
runt, ergo, &c. Item ex alio, quia si quis
14 per † in integrum restitutionem petat ad-
mitti contra sententiam contra se latam,
debet hoc facere directè agendo vel judi-
cis officium implorando, & causam pro-
pter quam declarare, & sententiam contra
quam restitui petit allegare, *juxta formam
traditam per Specu. in titulo, de in integ.
rest.* & *volunt Doct. in c. 2. de offi. jud. cum
simil.* Item tertiò, hoc etiam debuissent

ipsi impetrãtes fecisse contra ipsum reum principalem, in cujus favorem lata est dicta sententia, & non contra dictum Nicolaum fidejussorem, qui tunc in causa non fuit.

Secundò principaliter deduco, quòd ipsi impetrantes non sunt contra dictum Nicolaum originalem reum admissibiles, quod sic probo, quia ex tenore arbitralis sententiæ prædictæ inter ipsos impetrantes & gubernatores insulæ situationis dictorum bonorũ, **quartiermeesters** nuncupatos, latæ, non fuit aliqua mentio de mensuris retradendis, sed solũmodo, quòd retraditio fieret bonorum dictorum, **de hoope ende de beemden/** cum specificatione corporum, absque aliqua specificatione numeri mensurarum, vel expressione jugerum, quæ corpora & species sunt ipsis impetrantibus deliberata & deliberatæ, saltem in quantum concernit ipsumNicolaum & sibi adjunctos, ut ex prioribus processibus liquidè patet: ergo malè petunt ea iteratò deliberari. † Bona fides enim non patitur, ut bis idem exigatur. *l. bona fides. ff. de reg. juris.*

15

Nec obstat, quòd in literis transportus vel retraditionis prædictorum bonorum passatis corã scabinis oppidi Antverpiensis habeatur quantitas mensurarum: quia dico
16 quòd hoc † solummodo causa demonstrationis factum est, quæ licet falsa sit, non vitiat, juxta vulgaria jura; Et quod causa demonstrationis appositus sit numerus mensurarum, satis patet, quia in eisdem literis nunquam fit repetitio mensurarum per numerum, sed solummodo corporum, cùm sæpius repetendo dicatur, in eisdem literis, **de voorsz twe parceelen van landen ende beemden:** id est prædictas duas partes agrorum, & pratorum, & nunquam repetitur, **de voorsz 56. gemeten/** id est, prædictas 56. mensuras: quod non est sine mysterio *arg. l. balista, cũ sua materia. ff. ad Trebell. cum simi.* quare non tenentur transportantes ad impletionẽ mensurarum. Quòd autem quandocunque aliquis vendidit vel tradidit fundum vel agrum tanquam corpus seu in specie, licet jugera vel mensuræ fuerint adjecta, non teneatur ipse vendens vel tradens supplere mensuras, quæ demonstrationis causa potius fuerunt appositæ, si tot non fuerint repertæ, Sicut ecõverso, si plures mensuræ essent inventę, illæ cederent commodo emptoris *probat. text. in l. si fundum sub conditione. §. si libertus, cũ concor. junctis not. ibid. per Bart. Paul. de Cast. Bald. & Doctor. ff. de legat.* 1. & in terminis nostris notabiliter decidit Oldra. *consilio* 197. *incipiente, in concessione cujusdã donationis: & Panor. in c. per tuas, de dona. & Pau. de Cast. in leg. si servum. §. si modus. ff. de act.*
17 *emp. & ven.* Licet benè secus esset, † quãdo per expressionem mensurarũ & jugerum celebrata fuisset venditio, vel traditio facta: ut quia dictum fuisset inter contrahentes, vendo tibi decem jugera in tali vel ex tali fundo, ut volunt prædicti Doctor. in locis præallegatis. Si ergo principales transportantes vel rei debendi ad mensurarũ traditionẽ juxta præmissa non teneantur, multo minus ipse Nicolaus conven-
18 tus tenetur: † cùm non possit fidejussor in plus teneri vel obligari, quàm reus principalis. *§. fidejussor. Instit. de fidej. cũ concor.*

Tertiò deducitur dictorum impetrantium inadmissibilitas ex alio, quia dictus Nicolaus originaliter vocatus non amplius promisit, neq; pro alia re intercessit vel fidejussit, quàm quòd prætacta bona per ipsos transportantes Guilielmum Peterarrts, & Petrum Hugenspansʃ, vel per aliquos alios ipsorũ nomine hujusmodi petiæ agri & prati non essent obligatæ & hypothecatæ, ut patet ex tenore literarum de-
19 super confectarum: † Sed cùm nemo ultra hoc quod promisit, aut pro alia re, quam promisit, teneatur, *ut l. fidejussores, & l. si in pignore. ff. de fidejussoribus,* ergo, &c.

Nec

Nec obstat si dicatur, quòd in omnem causam videtur assumptus dictus Nicolaus quæ ex obligatione principalium reorum oriri posset: quia, ut dixi, principales rei ad mensurarum deliberationem, cùm hoc non promiserunt, non tenebantur: Et posito etiam quòd tenerentur, tamen ex quo idem Nicolaus nō est simpliciter assumptus, sed se duntaxat obligavit, pro eo scilicet, quòd prætacta bona non essent obligata vel hypothecata per ipsos reos: adhuc non tenetur, *per notata in dictis ll. præalleg. & plenius in l. quero. juncta gloss. ff. loca.*

Cùm igitur ex precedentibus sufficienter demonstretur, nedum inadmissibilitas prædictorum impetrantium contra prælibatúm Nicolaum fidejussorem principaliter citatum & conventum, verùm etiam quòd exceptio rei judicatæ in perpetuum dictis impetrantibus adversus præfatos adjūctos obstet, quodque prætextu novorum instrumentorum sive erroris commissi, res judicatas restaurare legum autoritas non patiatur, *toto tit. Cod. de re judicata, cum concordantijs*: ne aliter modus litium multiplicatus summam atque inexplicabilem faciat difficultatem, *d. l. singulis*
20 *ff. de except. rei jud.* † quinimò injuriam facere præsumitur, qui semel judicata & rectè disposita iterum revolvere & de novo disputare contendit *l. nemo. Co. de summa Trinit. & fide Cathol.* Conveniatque officio boni præsidis & judicium, prospicere, ne humiliores & pauperes à potentioribus & ditioribus immortalibus litibus vexentur, *l. illicitas §. ne potentiores, cum sequ. ff. de offic. præsidis, cum simil.* ubi
21 Bald. dicit, quod judex † semper debet esse favorabilis & protector pauperum, ne injustè molestentur, & erit sibi magna eleemosyna apud Deum. Cùm etiam econverso maximè congruat religiosis & ecclesiasticis personis, quæ omnibus prodesse & nemini nocere deberent, *c. 1. de postu.* à litibus sæpius decisis & vexatione pauperum abstinere. Videtur, premissis ac aliis de jure supplendis attētis, prædictum Nicolaum & sibi adjunctos ab impetitione dictorum impetrantium absolvi debere: Iudicio cujuslibet melius sentientis semper salvo.

CONSILUM VIII.

SVMMARIA.

1 *Filia nolens stare contenta dote, potest post mortem patris conferendo dotem provocare fratres ad divisionem bonorum paternorum.*
2 *Qui non vult hæreditatem patris vel avi, non potest cogi ad faciendam collationem, etiamsi velit retinere legatū sibi relictum.*
3 *Dos nondum tradita, potest etiam repudiata hæreditate peti.*
4 *Legitima filijs debita, ex donatione parentum suppleri debet.*
5 *Pater ad dotandam filiam judicis officio compelli potest.*
6 *Actus agentium ultra eorum intentionem non operantur.*
7 *Verba in contractibus dubia vel obscura interpretari solent contra eum, in cujus favorem pactum factum est, & qui se fundat super illo.*
8 *Bona restitutioni subjecta possunt in dotem dari.*
9 *Bona feudalia possunt interveniente cōsensu domini directi dari filiæ in dotē*
10 *Hæres contra factum ejus cui successit, venire non potest.*
11 *Gener deceptus non agit actione de dolo ad interesse contra heredes soceri.*
12 *Presentia & subscriptio alicujus in actu prejudiciali plurimùm operatur.*
13 *Subscribens se tanquam testē, nullum sibi facit prejudicium.*
14 *Frustra queritur de presentia illorū, quibus etiam invitis actus ritè perficitur*
15 *Consensus domini feudi sufficit ad validandam alienationem sive precedat sive sequatur eam.* 16 Con-

16 *Consensus omni tempore intervenire potest in actibus, qui ex solo consensu dependent.*

17 *Actus nullus ratione defectus substantialium, confirmari non potest.*

18 *Dictum doctorum intelligi debet secundum jura quæ allegant.*

19 *Quando consensus requiritur per modum formæ & solennitatis, tunc ex postfacto adhibitus nihil operatur.*

20 *Quandocunque consensus exigitur illius de cujus prejudicio agitur, tunc nunquam ille videtur requiri per modum solennitatis & formæ.*

21 *Nihil interest per quem preces Principi offerantur, maximè in gratuitis.*

QUidam Dominus Bernardus du Spont miles, suscitavit ex corpore Dominæ Elizabeth van Erckenen uxoris suæ quinque proles legitimas: quarum prima nuncupata Elizabeth, nuptui tradita est domino Henrico de Witthain, Domino temporali de Berssele: secunda nuncupata Ioanna, matrimonialiter juncta est Henrico Esdors: tertia scilicet Maria, nuptui tradita est Domino Ioanni de Houthem militi: & duæ aliæ se dederunt religioni in Oudergheem. Verùm in contractu antenuptiali ipsius Henrici Esdors continentur in effectu hæc verba: Item hebben voert de voorsz Heer Bernaert eñ Frouwe Ysabella/in gunsten/hulpe eñ onderstant/des voorsz toekomende Huwelicx/ den voorscreven Henrÿck Esdors mitter voorgenoemende jonckfrouwe Joanne/haer lieder dochter/ geloeft ende toegesept/erffelÿck over te geven/ende te derven terstont nae dat 'tselve Huwelick gesolemnizeert sal zÿn/'tHoff ende heerlÿckheyt van der Capellen/ met allen sÿnen toebehooren: Is oick by den voorsz Heer Bernaert ende Frouwe Ysabelle/in gunsten ende onderstande/ 'thuwelicx voorsz/de voorsz Jouffrouw Joanne/ofte daer huers ghebrake/ heuren wettige oire geconsenteert ende gheloeft/dat sy na die doot vandẽ voorsz Heere Bernaert ende Frouwen Ysabellen/ hueren Vader ende Moeder/ sal mogen komen deylen/,ende nemen haer kintsgedeelte van alle den goeden/die sy achterlaten sullen/huer na den Lantsrechte behoirende/inbringende die voorsz goeden vander Capellen/op dat huer ofte hueren oir alsoe gelieft te doene: oft sy mach upter deylinghe blÿven/ ende behouden de voorsz goeden vander Capelle/ endẽ andere/ die sy alsdan ewech sal hebben/ &c. Id est, Item præterea prædictus dominus Bernardus & Domina Elizabeth in favorem & subsidium prædictarum futurarum nuptiarum prænominato Henrico Esdors cum prædicta domina Iohanna eorum filia, spoponderunt & promiserunt in perpetuum tradere, & alias carere statim atque prædictum matrimonium celebratum sive solennizatum erit, curtem & Dominium Capellæ cum omnibus suis pertinentijs. Est quoque per prædictos Dominum Bernardum & Dominam Elizabeth in favorem & subsidium prædicti matrimonij prænominatæ Dominæ Iohannæ, aut ea defecta, liberis ejus legitimis, permissum & promissum, quòd post mortem prædicti Domini Bernardi. & prædictæ Dominæ Elizabeth, patris sui & matris, poterit venire ad divisionem, & ferre legitimam suam, in omnibus bonis quæ ab eis relicta erunt, quæque ad eos jure loci quo sita erunt pertinebunt, conferendo prædicta bona Capellæ, si sibi aut ejus liberis ista facere placebit: aut poterit à divisione bonorũ relictorum abstinere, & retinere bona prædicta Capellæ, aliaque quæ tunc temporis ablata habebit, &c. Ista clausula est benè notanda, attento, quòd ex ea orta est lis, ut postea sequetur. Depost

per

per octo menſes vel circiter, celebratum eſt matrimonium inter dictum Dominum Iohannem de Houthem, & Dominam Mariam du Spont: Et in contractu antenuptiali continentur inter alia hæc verba: **Dit zijn alſulcke goeden ende Heerlicheyden / als Heer Bernaert du Spont/ende Frouwe Elijſabeth van Erckenen ſijn wettige huysfrouwe eſtimeren ende weert maecken / deſe nabeſcreven goeden/ na de doot van hen beydẽ te heffene ende te gebruyckene: Inden perſten die heerlicheydt van Boeſevael mit meyerie eñ ſeven ſcepenen/&c.** id eſt. Hæc ſunt bona & dominia quæ Dom. Bernhardus du Spont & Domina Elizabeth van Erckenen legitima ſua uxor, æſtimant & valoris eſſe judicant hæc infra ſcripta bona poſt mortẽ utrorumque poſſidenda & fruenda, In primis Dominium de Boeſevael, cum juriſdictione majoris & ſeptem ſcabinorum, &c. Item adhuc alia bona ſpecificè nominata & deſignata cum valore & æſtimatione eorundem in dicto tractatu antenuptiali: Quæ quidem bona omnia & ſingula hinc inde in ſchedulis prænotatis cõtenta, prædictæ partes una videlicet ad opus alterius dederũt, aſſignarunt, ac inſubſidium dicti matrimonij apportârunt, ſub conditionibus tamen infra ſcriptis: videlicet, quod prætacti Dominus Bernardus & ſua uxor dictis futuris conjugibus de & ex bonis in ipſorum ſchedula contentis & ſpecificatis ad ſtatim hujuſmodi matrimonio conſummato dare, ac debitè, ſufficienter, & legitimè aſſignare tenebuntur ſummam centum coronarum Franciæ, per ipſos futuros cõjuges ſingulis annis, quam diu Domin. Bernardus & ſua uxor vixerint, ſeu alter eorum vixerit in humanis, levandam, habendam, & recipiendã: quodque poſt obitum eorundem Domini Bernardi & ſuæ uxoris omnia & ſingula bona hæreditaria in ipſorũ ſchedula ſpecificata, prout ſuprà ſcribuntur prænominatis futuris conjugibus cedent, & ſuccedere tenebuntur, &c. Quas quidem conventiones promiſſiones & conditiones matrimoniales omnes & ſingulas ſupra dictas ſæpe dictæ partes hinc inde promiſerunt, & quælibet earundem promiſit per fidem ſuam in manibus notariorum publicorum ſtipulantium, ac vice, nomine, & ad opus omnium & ſingulorum, quorum intereſt ſeu intereſſe poterit quomodolibet in futurum recipientium, firmiter & abſque aliqua contradictione tenere, adimplere, atq; omnia & ſingula inibi contenta, quẽadmodũ præſcribuntur, inviolabiliter obſervare, & contra ea ſeu eorum aliqua, per ſe, alium ſeu alios, directè ſeu indirectè, palàm vel occultè, quovis quæſito ingenio vel colore, nunquam dicere, proponere, moliri, machinari, ſeu aliàs quomodolibet allegare, quod ſit aut eſſe poſſit in præmiſſorum præjudicium, diſpendium, ſeu gravamen, omnibus dolo, fraude ſeu deceptione in præmiſſis ceſſantibus, renunciando ob hoc tam conjunctim quam diviſim omnibus & ſingulis exceptionibus doli mali, vis, fraudis, læſionis, deceptionis, juris & facti ſubtilitatibus, privilegijs, franchijs & libertatibus impetratis ſeu impetrandis quibuſcunque, & præſertim juri dicenti, &c.

Attento autem quod bona ſupra tacta pro majori parte ſunt feudalia, ſubſecuta eſt confirmatio principis domini directi, impetrata per dictum Dominum Ioannem in vita dictorum Domini Bernardi & Dominæ Elizabeth: Et in eadem confirmatione ſunt inſertæ dictæ conventiones matrimoniales de verbo ad verbum. Tenor autem dictæ confirmationis in ſua diſpoſitiva ſonat in hæc verba: **Soe doen wy Hertoge ende Hertoginne voorſz te wetene / dat wy aenſiende dat in huwelicſche voorwaerden blijkt egeẽ bedroch weſen en ſal/mer een ygelick**

ſunderlinghe de Prince van den lan-
de ſchuldigh is den parthijen die't
aenkleeft gunſtelick ende voordelick
te weſen/om die te doen volſchieden
ende onderhouden/hebben ter gunſte
ende ernſtigher bede van den voorſz
meeſter Jan ende Jouffrouwe Ma-
rien du Spōt ſijnder wettiger geſel-
linne/de voorſz Huwelijcſche Voor-
waerde/ ende oick de aſſignatien eñ
bewijſinge vandē huwelicſchen goe-
den over beyden zijden overdragen/
geſloten/verleden ende gepaſſeert/na
tbegrijp vanden voorſz inſtrumente/
ende vander cedullen daer inne gein-
corporeert/ingevalle als boven/ende
alſoe verre alſt in ons is/belieft/ ge-
confirmeert/geauctoriſeert/ende ge-
approbeert: Ende by onſer Prince-
lijcker macht ende mogentheyt voor
ons/onſen erven ende nacomelingen/
believen/auctoriſeren/ confirmeren/
ratificeren ende approberen mit deſē
brieven : willende dat die van macht
ende van weerden zijn/ blijven/ ende
gehouden worden tot eeuwighen da-
ghen: Ende die voorſcreven Meeſter
Jan eñ jouffrou Marien du Spont
zijn voorſz geſellinne/ende huer ervē
ende nakomelingen dier gebruycken
in alle hueren pointen gelijck/ende in
alle der manieren/oft die alle eñ elck
beſundere met behoirlijcken verthie-
niſſen ende opdrachten/waren over-
leden gedaen eñ gepaſſeert voor ons
eñ onſen mannen van Leene/eñ voor
die ander Heeren/Hoven/ ende Ghe-
richten/daer die voorſz huwelijcſche
gaeden hoven ende behooren / ende
mit maniſſen ende wiſdomme / ende
allen andere ſolenniteyten die na den
rechten ende ghewoonten van onſen
ende der voorſz andere Heeren Hovē
eñ Gerichtē ſchuldig zijn ſoudē daer
toe te gheſchieden/Behoudelijck dat

de voorſz Meeſter Jan ende Jouf-
frou Marie man ende wijf daer op
verſocht zijnde/ ons eñ dē voorſz an-
deren Heeren van onſen hueren man-
ſcapen/hergewaden/rechten eñ heer-
licken dienſten ſchuldich ſullen weſen
te voldoen alſoet behoort: Ontbieden
&c. id eſt Nos Dux & Duciſſa prænomi-
nati, ſignificamus, quòd nos attento quod
in contractu nuptiali bylix / nulla fraus
intercedere debeat , ſed unuſquiſque &
maximè Princeps loci partibus quas res
concernit, favorabilis & profitabilis exi-
ſtere, ut is compleatur & conſervetur, in
favorem & ad enixas preces prædicti Ma-
giſtri Ioannis & Dominæ Mariæ du Spōt
uxoris ſuæ legitimæ, prædictum contra-
ctum nuptialem, & etiam aſſignationem
& demonſtrationem ſive deſignationem
bonorum nuptialium ab utroque latere
tranſportavimus, geſlotē/verledē/cæte-
roſque actus in ea re conſuetos fecimus,
ſecundum tenorem prædicti inſtrumenti,
& ſchedularum in eo ſpecificatis ſive incor-
poratis, in eventum ut ſupra, & quantum
in nobis eſt, acquievimus, confirmavimus,
& auctorizavimus & approbavimus. Et
ex noſtra principali poteſtate & potentia
pro nobis, noſtris hæredibus & ſucceſſori-
bus, acquieſcimus , confirmamus, aucto-
rizamus & approbamus per has præſentes
literas, quibus robur & poteſtatem imper-
titam volumus in præſens, in futurum &
in perpetuum. Utque prædictus Magiſter
Ioannes & domina Maria du Spont præ-
dicta conjunx ſua & ejus hæredes & ſuc-
ceſſores iis fruantur in omnibus ſuis pun-
ctis, quemadmodum & omnibus modis,
ac ſi illa & quælibet eorum conſuetis re-
nunciationibus & tranſlationibus forent
acta, tranſacta & paſſata per nos noſtroſ-
que homines feudales, & per alios Domi-
nos, curtes & juriſdictiones, ubi prædicta
bona nuptialia juri reſpondent & pertinen-
tia ſunt, cumque requiſitione ſacramentali
& ad-

& adjudicatione aliasq; solẽnitates de jure & consuetudines nostræ & aliorum prædictorum dominorum curtes sive aulæ & jurisdictionum deberent intervenire: salvo quòd prædictus magister Ioannes & dom. Maria vir & uxor requisiti, nobis & aliis prædictis Dominis pro nostro & illorum jure, homagium, **hergewaden** / jura & domino debita servitia tenebuntur plenè præstare, uti oportet. Mandamus, &c. Et est dicta confirmatio de data anni Domini 1486. 6. Iunij, Estq; instrumentum antenuptiale dicti Dom. Ioannis & Mariæ de data anni 77. mensis Octobris signatum & subscriptum duobus notariis legalibus, fuitque prædictus Henricus in dicto instrumento testis conscriptus & actui præsens, & nihil contradicens: quod tamen idẽ Henricus negat, licet ita scriptũ in instrumento inveniatur. Deinde sequitur quoddam statutum feudi Ducis Brabantiæ domini directi in hæc verba:

Eñ waert dat sake/dat nu oft namaels in eenighe toekomende tijde eenighe twijffel/donckerheydt / ofte difficulteyt geviele in eenige van den voorscreven poincten/daer af behouden wy tonswaert die interpretatie ende verkleernisse/ om die te doen in tijden ende wijlen als des sal behoeven: Ende reserveren oick in hueren machten alle Brieven van consente confirmatie/ende ratificatie/ die wy verleent hebben ofte namaels verleenen zullen op eenige testamente uptterste wille oft huwelijcksche voerwaerden/ &c. Id est, Et si modo aut postea ullo futuro tempore, dubium aliquod, obscuritas, aut difficultas incideret in aliquo prædictorum punctorum, super eo nobis reservamus interpretationem & declarationem faciendam toties & quoties necesse erit. Reservamus quoque in sua virtute omnes literas consensus, confirmationis & ratificationis, quas concessimus aut in posterum concessuri sumus super aliquo testamento, ultima voluntate aut nuptiali instrumento, &c.

Accidit modò, quòd anno 1 4 8 3. vel circiter, migravit ab hac luce domina Elizabeth de Erckenen, & anno 98. Domin. Bernardus du Spont antedictus absq; hoc quòd aliquam fecerunt testamentariam dispositionem sive mutationem: cùm tamen reliquerint ultra prædicta bona, certa alia bona usque ad summam centum florenorum annuè vel circiter, quæ nemini ex dictis prolibus data sive assignata sunt, quæ dictus Henricus Esdors tanquam hæres apprehendit & hodie tenet: Sed dictus Dominus Ioannes cum sua uxore contenti de bonis eis in subsidium matrimonii datis, renunciaverunt omnibus bonis mobilibus & immobilibus.

Cùm autem post mortẽ prædictorum Elizabeth & Bernardi, dictus Dominus Ioannes nomine suæ uxoris vellet apprehendere bona uxoris suæ in dotem data, quæ etiam relevârat in feudum à Dominis unde moventur, fecit eis impedimentum dictus Henricus Esdors, & traxit eum in jus coram locum tenente & paribus curiæ feudalis Brabantiæ.

Et movetur præfatus Henricus primò vi sui contractus antenuptialis, virtute cujus dicit, omnia præfata bona dicto Domino Ioanni in dotem data, sibi suæque uxori affecta, ac quodammodo restitutioni subjecta fuisse & esse.

Præterea dicit, non potuisse præfatum Dominum Ioannem aliquod jus prætextu sui contractus antenuptialis, de quo suprà fit mentio, acquirere: eo quòd idem contractus non fuit passatus coram paribus curiæ, nec principis consensus tempore debito intervenit: nec sibi dicit obesse posse dictam confirmationem, quam dicit non retrotrahi debere, potissimùm considerato, quòd non dictus Dominus Bernar-

dus, sed ipse Dominus Ioannes eandem confirmationem impetravit, cujus tamen contrarium sustinet præfatus Do. Ioannes.

Dicit etiam, quòd & si contractui antenuptiali præfati Domini Ioannis interfuisset, tamen suæ uxori in bonis sibi tum jure successorio, ut seniori filiæ, tum etiam vi sui contractus antenuptialis debitis, non potuit præjudicare.

Ex quo themate quæritur primò, an non obstante præfato tractatu ipsius Henrici, continente clausulam collationis, de qua supra dicti Dominus Bernardus & sua uxor potuerunt specificè de suis bonis in subsidium matrimonij junioris filiæ datis disponere, an ne.

Secundò, an & quid operetur de jure præsentia præfati Henrici in dicto tractatu ipsius Domini Ioannis: & an per eundem potuerit suæ uxori præjudicium generare.

Tertiò, & principaliter: an ratihabitio impetrata non per præfatos Dom. Bernardum & suam uxorem, sed eorum matrimonio constante, & ipsis ambobus superstitibus per præfatum Dominum Ioannem nomine suæ uxoris præfatæ, & confirmatio de qua suprà, sit valida talisq; effectus, quod dictum contractum qui ab initio de consensu principis fieri potuisset, confirmare validumque reddere potuerit: an ne.

Viso themate supra scripto, mihi transmisso longiori (ut verbis Dyni utar) quam *§. Callimachus, positus in l. qui Romæ. ff. de de verborum obligatio.* videtur mihi subscripto, sub correctione cujusque melius & rectius sentientis, ad dubia supra tacta quę parum dubitationis habent, sicut quæstio mota *in dict. §. Callimachus*, licet utrobique thema sit prolixum, de jure dicendum, prout infra brevius quo potero subjiciam.

Et primò ad primã quæstionem respondeo breviter affirmativè, quod sic: & moveor, quia clausula posita in contractu dotalitio dicti Henrici, non plus tribuit ipsi Henrico, quàm ei tribuat jus commune, quod per omnia idem disponit quod dicta clausula. Disponit enim lex, quod filia †

1 nolens stare contenta dote, potest post mortem patris conferendo dotem provocare fratres ad divisionem bonorum paternorum, & petere ex illis partem suam: & lex ulterius progrediens annullat pactum in contrarium factum, ut de isto est *textus planus in lege pactum quod dotali instrumento, Cod. de colla. cum vulgaribus.* Si tamen hujusmodi pactum esset juratum, deberet omnino servari, nisi metus vel dolus intervenisset, *ut est text. rotundus, in c. 2 de pact. libro sexto.* Modo clarum est, quod jus commune in hac materia collationis ultrà procedens, stante tamen semper dicta regula in suo vigore, tradit aliam regulam declaratoriam primæ, & est ita.

2 Quod qui † non vult hæreditatem patris vel avi, non potest cogi ad faciendum collationem, etiam si velit retinere legatum sibi testamentaliter vel in codicillis reli-

3 ctum: Quinimo si † si dos nondum sibi tradita est, potest nihilominus adhuc illam petere: de isto est *textus clarus & ad literam in leg. final. ff. de collatio. dotis, juncta l. à patre, & leg. filiam cum fratribus, C. de collatio. est etiam similis textus in l. ex ea. & ibi Baldus, C. familiæ herciscundæ*, & hanc Theoricam ponit idem Baldus, & post eum Dominus Iason & alij moderni, *in leg. si emancipati, Cod. de collatio.* Nec recipit hæc regula fallentiam, quando om-

4 nes alij filij habent legitimam suam sed † quatenus deesset de legitima, jure naturæ debita, eatenus talis compelli possit ad supplendum ex donatione sibi à patre facta: licet etiam ab hæreditate patris abstinere vellet, *textus est apertus in auten. unde si parens, Cod. de inoffic. testa.* Cùm ergo dicto Henrico vigore sui contractus dotalitij non sit plus juris quæsitum, quàm jus commune omnibus tribuit, ut su-

ut supra dixi: ex quo in eodem non dicitur, quòd aliæ proles possent ad collationẽ compelli, quando ab hæreditate parentum abstinere vellent, &c. Sed duntaxat habetur propositio supra tacta, & cùm sibi Hẽrico quoad bona per dictum quondam dominum Bernardum & suam uxorem post eorum decessum relicta nullum præstetur impedimentum per dictum dominum Ioannem de Houthem militem, quo minus illa apprehendere possit in toto vel in parte titulo universali sub onere æris alieni, attento quod dictus dominus Ioannes miles sæpius declaravit, se velle stare contentum dote suæ uxoris: & cum dictus Henricus & sua uxor de bonis quondam domini Bernardi, & suæ Conjugis multò plus habuerint, quàm ascendat legitima eis jure naturæ debita, ut pro vero & notorio præsupponitur, & sic dictus Dominus Ioannes nomine suæ uxoris quoad eum liberas ædes habeat, *leg. loci corpus §. competit. ff. si servi vendi.* Dico quod dictus dominus Ioannes miles, omni jure, ratione, & æquitate suadentibus, bonis sibi & suæ uxori per dictum quondam dominum Bernardum & suam conjugem in subsidium matrimonij promissis & datis, justè & licitè uti, frui, & gaudere potest: neque aliquo modo ad collationem compelli, contractu dotalitio dicti Henrici nequaquam obstante, per supra dicta: quem siquidem contractum dotalitium, fateor utique validum & jure communi conformem, sed dico eum non tantæ esse efficaciæ seu potentiæ, ut per illum dictus quondam Dominus Bernardus sibi manus clausisse videatur, ita ut non possit juniori filiæ suæ expost de dote providere, quemadmodum
5 alteri suæ filiæ providit: † ad quam dotandam proculdubio judicis officio compelli rectè potuisset, *juxta leg. qui liberos. ff. de ritu nuptia. cum vulgaribus:* vel ut per illũ dictus Dominus Ioannes miles aut sua conjunx ad collationem faciendam compelli posset, in casu abstinentiæ ad hæreditate paterna, ut in casu nostro. Nam hoc verba dicti contractus dotalitij non important, neque aliter de hoc constat: & er-
6 go standum est regulæ *l. non omnis. ff. si certum peta.* quæ habet, † quod actus agentium non operantur ultra intentionem eorum. Et præterea in contractibus, ubi
7 verba † essent dubia vel obscura, deberet fieri interpretatio contra eum, in cujus favorem pactum factum est, & qui se fundat super illo: cùm legem apertius dicere potuit, & non fecit: *leg. quicquid adstringendæ. ff. de verbor. oblig. & leg. veteribus, ff. de pact. cum utrobique notatis per Bart. & Doctor.* Et esto, quod bona dicto domi-
8 no Ioanni cum sua uxore in dotem data, † fuissent subjecta restitutioni (prout tamen nullibi apparet) tamen favore dotis potuissent in dotem dari, & ex causa dotis alienari, *auct. res quæ. Cod. commun. de le-*
9 *gat. cum ibi notatis per Doctor.* † bona etiã feudalia sine aliquo dubio dari possunt filiæ in dotem, interveniente vel accedente consensu domini feudi, *c. 1. §. donare, qualiter olim feud. pote. alien.* prout hic consensus intervenit, saltem ex post facto, quod sufficit, ut latius patebit infrà: quod maximè procedit in casu præsenti: cùm feuda de quibus est quæstio sint fœminina nec supersit masculus, *cap. 1. in principio, & §. filia verò, de success. feudi.* & tantò fortius, quia dicta feuda contentiosa sunt divisibilia: nam non sunt Ducatus, Marchionatus, vel Comitatus, *l. imperialem. §. præterea Ducatus, de prohibita feud. alienati. per Frederic. & cap. licet de voto, cum utrobique notatis:* & tanto fortius, quia di-
10 ctus Henricus est hæres † præfatorum domini Bernardi & Elizabeth, unde contra factum eorum venire non potest, *l. cùm à matre, C. de rei vendic. & l. ex qua persona ff. de regulis jur.* etiam si feuda contentiosa essent paterna, *juxta eleganter notata per Andream de Isernia, Iacobum de Aluarotis,*

tū, Præpositum, & alios in ca. 1. de alienat. feudi pater. Nec potest intelligi pactum dotale Henrici de quo suprà taliter, quòd dictus Dominus Bernardus & sua conjunx vigore ejusdem non potuissent de bonis suis, unde jam est quęstio, disponere: quia si sic intelligatur pactum, tunc est contra bonos mores & reprobatum à jure, nec aliquam obligationem inducit: imo potest taliter promittens suo genero, postea per testamentum aliter disponere, non obstante tali pacto: etiam si socer dolo induxisset generum ad capiendum filiā suam in uxorem sub spe pacti relinquendæ hæ-
11 reditatis. † Nam non poterit gener deceptus agere de dolo ad interesse contra hæredes soceri: de isto est *tex. planus in l. pactum quod dotali, C. de pactis. & hoc ibi apertè firmant dom. Alex. de Imola, Iason & Moderni & ante eos hoc dixit Bald. in l. cū Archimedoram, C. ut in possess. legat. per text. d. l. pactum quod dotali.* Et tantum de prima quæstione, quæ meo judicio nihil dubitationis habet: & ergo circa eam amplius non insisto, arbitratus, quòd supervacuis laborat impendiis, qui solem facibus certat adjuvare: cùm gratiæ plenitudo adjectione non indigeat, nec ulla requirat cōmendationis augmenta, *c. si omnia 6. q. 1*

Quantum verò ad secundam quæstionem, quæ tria in se tacitè includit quæsita,
12 respondeo. Primò breviter ad primum, † quòd præsentia alicujus, & præcipuè subscriptio ejusdem in actu sibi præjudiciali, eo prius debitè de actu informato & notitiam rei de proximè agendæ habente, sine dubio plurimùm operatur in ejus præjudicium, dummodo intersit ut & tanquam talis, de cujus præjudicio agitur, & ut substantia præbeatur ei, quod fit ex cōsensu ipsius: *text. est notabilis in l. fidejuss. in §. pater. ff. de pignor. & voluit gloss. in l. Cajus, in 1. & 2. solutionibus. ff. de pigno. actio.* quas ibidem dom. Paul. de Castro, post Bart. dicit esse veras in se: & interdum talis sibi præjudicat in tota re & precio ejusdē, juxta decisionem singularē *l. si fundū per fideicommissum, cum ibi not. per dom. Paul. de Cast. & DD. post Bart. ff. de lega. 1. & habetur per Bart.* & *omnes in l. quæ dotis. ff. solut. matri.* & *per Iasonem* & *novissimos in l. emptor. in §. Lucius. ff. de pact.* & tantùm de illo generali quæsito.

Ad secundum verò quæsitum in dicta secunda quæstione principali tacitè impli-
13 citū dico breviter, † quòd quia ipse Henricus interfuisse dicitur contractui dotalitio, per & inter dictum quondam Dom. Bernardum & suam conjugem ex una, & præfatum Dom. Ioannē de Houthem militem ex altera inito & concluso, duntaxat ut testis, sibi præjudicium non fecit, etiam si se instrumento dotalitio, ut & tanquam testis subscripsisset, pro ut tamen non subscripsit; casus est expressus *in d. l. Cajus, & in l. Titia cum testamento, in §. Lucia. ff. de legatis secundo.*

Et pariformiter respondendo ad tertiū quæsitum in eadem quæstione implicitum dico, quòd multò minus dictus Henricus per suam præsentiam modo quo suprà adhibitam, uxori suæ præjudicium aliquod generavit. Sed in his non stat difficultas materiæ hujus, meo perexiguo judicio: sed pēdet tota difficultas hujus materiæ in eo, quod statim dicam, in solutione tertiæ quæstionis principalis: Et in hoc, an præsentia vel consensus dicti Henrici vel suę coniugis in actu per dictum quondam Dominum Bernardum & suam uxorem nomine Mariæ ipsorum filiæ, cum dicto Domino Ioanne de Houthem milite gesto, requirebatur & fuit necessarius, nec ne. Et si nō requirebatur, ut suprà satis declaravi in decisione primæ quęstionis prin-
14 cpalis, ex quo † ipsis absentibus & non vocatis, ac etiam eis invitis, id fieri poterat: Frustra quæritur de præsentia ejusdem Henrici vel suæ coniugis, *per regulam l. 4. in*

l.4.in §.illud.ff.de fideicommissa. liberta. juncta l. qui potest invitū. ff. de regul. jur. de quo per Dominum Paul. de Cast. Alexandrum de Imola, & *Doctor. in leg. recusare, in princip. ff. ad Trebellian.* & *in pluribus alijs passibus.*

Ad tertiam autem & principalem quęstionem supra tactam, in qua pendet tota vis difficultatis huius causæ, meo imbecilli iudicio, & ut ita loquar lex & Prophetæ: Respondeo breviter & succinctè, omissis ambagibus, affirmative quòd sic, & moveor inter alia, primò per *text. in leg. si autem, in versic. an tamen ff. de aqua pluvi. arcend.* & *per l. licet. ff. de iudic.* & *per regulam, ratihabitio, de regul. iur. lib. 6.* Secundò moveor autoritate præclarissimi Doctoris Domini Andr. de Isern. summi feudistæ & Domini Præpositi non minoris autoritatis, sequentis in hoc articulo eundem dom. Andr. in propriis terminis huius quæstionis nostræ & materiæ feudalis, *in l. imperialem, in princip. de probib. feud. alienat. per Frede.* ubi
15 ipsi expresè dicunt, † quod consensus Domini feudi sufficit ad validandam alienationem: sive talis consensus præcedat sive sequatur alienationem: & movetur ipse Dominus Præpositus per duos text. optimè probantes, scilicet *per leg. 1. ff. de iudic.* & *per leg. final. ff. commun. prędio.* In quibus juribus actus, qui aliàs non valeret, fit validus ex consensu, *ut in dict. l. 1.* & actus à principio nullus, ex consensu superveniente validatur, *ut in d. l. final. junct. l. per fundum. ff. de servitut. rustico. prædio.* Movetur etiam per duas efficaces rationes, quarum prima est: quia tollitur impedimentum, propter quod non valebit alienatio, quare meritò cessat effectus impedimenti: alia, quia agebatur solùm de præjudicio Domino feudi consentientis, ergo sufficit consensum præcedere vel sequi, ut ibi latius per eum. Et idem per easdem rationes & motiva tenet ibidem expresè dom. Iacob. de Alvarotis famatissimus Doctor. Moveor præterea per elegantia verba Domini Innocen. *in cap. dudum, de reb. Eccles. non alien. libro 6.* ubi ponens differentiam inter decretum, autoritatem, & consensum, inter cæterea
16 dicit, quòd † ubi requiritur consensus, ille potest intervenire ante factum & post factum, in actibus qui pendent ex solo consensu, adeo quòd si etiam ab initio actus non teneat propter defectum consensus requisiti ad actum: tamen, ex post facto per subsequentem consensum confirmantur: & allegat *dictam legem per fundum*, & *dictam legem final.* & *notat per se in cap. prudentiam, de offic. delegat.* & pro ejus dicto optimè facit. *dict. l. licet*, ubi consensus superveniens validat actum: & hoc dictum Innocentij sequuntur & approbant, Ioannes Andreas in novella, & Dominicus de sancto Geminiano *in dicto capitulo dudum*, & aliquid per Ludovicum de Roma, *in consilio suo 50.* ubi dicit, quòd quando ad validitatem actus requiritur superioris confirmatio vel consensus, tunc illa vel ille etiā ex intervallo sequi potest: & allegat notata *in cap. cùm vos, de his quæ fiunt à prel. sine consen. capituli:* & *not. in c. cura, de jur. patro.* Adduco etiam ultra præmissa, *not per Bart. in leg. si quis mihi bona, in §. jussum. ff. de acquir. hæred. ubi hoc idem apertè firmat*, & *not. per eundem Bart.* & *Paul. de Cast. in d. l. si autem plures, ubi hoc etiā firmant, idem etiam firmat Dom. Panorm. in d. c. cùm vos.*

Nec obstat si dicatur, quòd alienatio feudi facta sine consensu Domini est nulla *ut est text. in d. l. imperialem, in princ. cū alijs vulga.* Sed consensus superveniens nō potest confirmare actum nullum, *juxta Theoricam Inno. in c. cum consuetudinis, de censuetud. per c. auditū, de elect. cum vulgaribus*, ergo, &c. Quia respondeo ad hoc tripliciter. Primò, quòd Theorica

Innoc.

Innoc. *in d. ca. cum consuetudinis*, † procedit & habet veritatem, quando actus esset nullus ratione defectus substantialium: & ita propriè loquuntur jura per eum alleg. quæ loquuntur in materia electionis, & alienationis rerum ecclesiasticarum: dictum
18 † autem doctorum debet intelligi secundum jura quæ allegant secundum Barto. quem omnes sequuntur, *in l. non solùm. §. liberat. ff de libera. leg.* Secus autem est, quando actus solum est nullus ratione defectus consensus, quia tunc iste defectus consensus potest suppleri etiam ex intervallo: & ita est in propsito, ut suprà dixi: & statim latius infrà patebit, ita pulchrè & singulariter declarat *Ioan. de Imo. in d. l. si quis mihi bona, in §. jussum*: hoc modo, fœdere distinctionis concordando dictas duas Theoricas, Innoc. quæ prima facie videntur contrariæ: & allegat *gloss. ordin. in l. 2. C. de jur. fisci, lib. 10. & ibi hoc ponit Io. de Pla. similis etiam glos. habetur in dict. leg. licet*, & ita se ipsum declarando sentit ipsemet Innoc. pater juris *in dict. c. prudentiam*, intelligendo eum prout eum refert & intelligit ibidem Dominus Panorm. & Ioan. Andr. *in regula ratum, in Mercurialibus: & est bona gloss. in cap. nullus alterius terminos usurpet, 9. quæst. 2* Secundò respondeo & dico, Theoricam Dominini Innocen. *in dict. ca. cum con-*
19 *suetudinis*, esse veram † quando consensus requireretur per modum solennitatis & formæ: Sed quãdo de præjudicio consentientis duntaxat agitur, tunc sive ille consensus præcedat sive sequatur, idem est, ut dictum est suprà. Ita singulariter dicit Alexand. de Imo. *in d. §. jussum*: declarando prætactam theoricam Innoc. & *idem ibi volunt Dom. Pau. de Cast. & alij; Ita etiam sentit dom. Bald. in l. fin. in 6. fallentia, C. ad Maced.* Ita etiam expressè declarat suam theoricam ipsemet *Innoc. in d. ca. dudum, de reb. eccles. non alie. lib. 6. & hanc declarationem sequuntur ibid. Ioan Andr. in novel. & Dominic. de sancto Geminia. Hoc etiam sentit Specu. in titul. de actore, in §. 1. in versic. sed filiusfamilias licet si major, &c. & Bald. multum eleganter in l. 1. in 11. col. in versicul. extra quæritur. statuto cavetur, &c. C. qui admit. ad bonor possess. possunt*: Ut autem ea quæ dicta sunt, melius intelligantur, sciendum est, quòd
20 quandocunque † exigitur consensus illius de cujus solius præjudicio agitur, ut in casu præsenti: tunc nunquam ille videtur requiri per modum solennitatis vel formæ: Ita dicunt Doctor. Paul. de Cast. Alexan. de Imol. & Doct. *in d. §. jussum, & Bald. in d. l. 1.* per certa jura, quæ brevitatis gratia omitto: ubi autem requiritur consensus illius, de cujus præjudicio non agitur, tunc est distinguendum, aut requiritur cõsensus ejus, ut & tanquam superioris, puta episcopi in alienatione rerum ecclesiæ, qui deputatus est à jure quasi pater, tutor, & defensor Ecclesiæ, nec agitur principaliter de præjudicio suo, sed de præjudicio Ecclesiæ, vel contrahentis cum Ecclesia: & tunc hujusmodi consensus censetur debere intervenire per modum authoritatis, secundum Archidia. *in cap. nullam, & in c. quidam, 18. quæst. 2. & commemorat Bald. in*
25 *l. final. §. necessitate, in penult. colum. Cod. de bonis quæ libe.* & sentit orginaliter Innoc. *in dict. cap. dudum, si ejus verba subtiliter ponderentur: & voluit dom. Alexand. de Imo. in d. § jussum.* Aut requiritur consensus ejus non ut superioris, sed ut ipse adsit & videat, an expediat nec ne, de ejus tamẽ præjudicio principaliter non agitur. Exempli gratia, Statuto cavetur, quòd mulier non possit contrahere sine consensu duorum propinquorum consanguineorum, & tunc hujusmodi consensus videtur requiri per modum solemnitatis & formæ, & ergo talis consensus ex intervallo superveniens non validat contractum: ita declarat Dominus Paul. de Cast. & dom. Alexand. de Imola & Doct. *in d. §. jussum, & idem*

& idem Paul. in d. l. si autem plures, & originaliter Bald. in d. l. 1. Cod. qui admit ad bon. possess. possunt. Tertiò respōdeo & dico, quod theorica Domini Innoc, *in d. cap. cum consuetudinis*, procedit & habet veritatem, ut actus nullus ex consensu superveniente non validetur, etiam ubi aliàs validari posset: ut puta, qui actus esset nullus solùm ratione defectus consensus: verum est, ut ex tunc: sed benè validatur, ut ex nunc: ita declarat ipsemet Innoc. *in cap. 1. de eo qui duxit in matri. quam poll. per adul. & est glos. ordin. Ioan. And. in regula non firmatur, de reg. jur. lib. 6. ita etiā declarat ipse dom. Ioan. de Imol. in d. leg. si autem, in fi. & Panorm. in prealle. c. cura, & in præalleg. c. cùm vos, ubi benè loquitur:* & hoc sufficit proposito nostro, ex quo dictus consensus Domini directi intervenit ante mortem dictorum Bernardi & Elizabeth.

Resumendo ergo succinctè sub epilogo ea quæ dicta sunt, tres videntur casus, quantum proposito servit, in consideratione habendi. Primus ubi in alienatione feudi præcedit consensus domini feudi, & tunc de validitate alienationis ejusdem nō est dubitandum. Secundus quando alienationem non præcedit consensus Domini feudi, neque etiam subsequitur, vel quia Dominus feudi non requiritur ut consentiat, vel quia requisitus consentire recusat, sed feudum ad se capit tanquam commissum propter illicitam alienationem: & hoc casu etiam non est dubitandum, quin alienatio sit invalida, & quin dominus feudi possit feudum ad se capere, & recusare adhibere consensum: & hi duo casus sunt indubitabiles: & ergo in decisione negotij præmittendi, *juxta theoricam Ioan. Andreæ super data 6. libri in novella.* Alius & tertius casus considerandus, qui nunc occurrit, & qui aliquid dubitationis habere videtur, est, quando consensus Domini feudi non præcessit dispositionem vel alienationem feudi, sed ex postfacto secutus est, Dominusque feudi gratam & ratam habens dispositionem de hujusmodi feudo factam, contemptum sive spretum in non requirendo ipsius consensum liberaliter remittit, & actum consensu suo minimè requisito nulliter gestum, perindè valere vult & declarat, ac si consensus suus alienationem præcessisset; & in hoc articulo concludendum est, ut suprà dixi, per jura, motiva, rationes, & autoritates suprà allegatas. Nec est multum disputandū de hujusmodi consensu Domini feudi, an præcedere debeat, vel sequi: cùm ex tenore statuti feudalis, de quo suprà in Themate, clarè & apertè pateat, alienationem bonorum feudalium consensu, confirmatione, vel ratificatione Domini directi interveniente, debere subsistere, & suos debitos sortiri effectus. Patet ergò lucidissimè, consensum Domini feudi, intervenire posse ex post facto, etiam si jura hoc non dicerent vel Doctor. Nec credo aliquē ita stolidum, ineptum vel dementem, qui diceret Ducem Brabantiæ non posse aliquem de feudo in Ducatu Brabātiæ situato effectualiter investire: sed hoc debere fieri per suos homines curiæ suæ feudalis, quos ad hoc deputavit, quasi sibi ipsi manus ex toto clauserit, *contra leg. judicium solvitur, cùm ibi notat. ff. de judici. cum vulgaribus.* Nec refert, an prætactæ literæ consensus, confirmationis, seu approbationis per præfatum Dominum Ioannem, an per suum so-
21 cerum impetratæ fuerint: † cùm non interſit, per quem preces principi offerantur *l. universis, Cod. de preci. impera. offer. cum simil.* maximè in gratuitis, *juxta gloss. in c. nonnulli, in fine, de rescrip.* & præcipuè in casu nostro: ubi principi constabat per instrumentum contractus antenuptialis de consensu dicti soceri, & eo magis quia nihil restabat nisi solus consensus principis Domini feudi, cui soli ex non requisitione sui consensus injuria illata fuit.

Cùm ergo illustrissimus Romanorum Rex Maximilianus, illa tempestate Dux Brabantiæ præfatam alienationem seu dispositionem feudi gratam & ratam habuerit, ac consensum suum, ut eo magis viribus subsisteret, accommodaverit, illamque ex post facto confirmaverit, eamq; perinde valere voluerit, ac si ejusdem consensus ab initio intervenisset, & ac si corā hominibus curiæ suæ feudalis Ducatus Brabantiæ passata fuisset: Videtur mihi subscripto per prædicta, quod dispositio dicti quondam Domini Bernardi du Spont & suæ conjugis de feudo, vel feudis prætactis omnino viribus subsistere debet. Salvo tamen judicio cujusque rectius & perspicacius sentientis, cui me semper subjicio.

CONSILUM IX.

SUMMARIA.

1 *Verbum* Debet *in statutis positum importat necessitatem.*
2 *Malitijs hominum obviandum est non indulgendum.*
3 *Ab eo cujus conscientiæ aliquid relinquitur, ratio aliqua exquiri nequit, & num.* 11.
4 *Prælatorū accusatio non facilè admittitur, ne concussis columnis corruat ædificium.*
5 *Quantò quis melius exercet officium sibi commissum, tantò minus potest omnibus complacere, cùm habeat suum officium exequi sine personarum acceptione.*
6 *Ubi non timetur reprehensor, securus accedit tentator.*
7 *Reprehensibile judicari non debet, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana.*
8 *Statuta in dubio secundum dispositionē juris communis sunt intelligenda.*
9 *Verba constitutionum sunt intelligenda & glossanda, ut evitetur absurditas.*
10 *Filius patrem pro conservanda publica utilitate impunè occidere potest. Imò præmio afficiendus est.*
12 *Frustra quis extra quærit quod intus habet.* (*est.*
13 *Forma mandati diligenter observanda*
14 *Commissarius minister juris est, jurisq; formam insequi debet.*
15 *Iudex dicitur quia jus dicit.*
16 *Injuriā facit Legū conditori, qui rectè disposita in dubiū revocare contendit.*
17 *Qui aliquid declarat, nihil novi facit.*
18 *Quærere rationem ubi sensum habemus est infirmitas intellectus.*
19 *Fatua est quæstio, quę dubitationem non admittit.*
20 *Publicato scrutinio electores amplius non possunt variare, nisi nominatus reperiatur indignus.*
21 *Ex tali zelo qui dicitur zelus non secundum scientiam, dum spiritu alis profectus queri videtur, salutis dispendium subsequitur.*
22 *Quod legitimè factum est, pœnam non meretur.*
23 *Ratio Legis inspicienda est.*
24 *Simulata æquitas duplex est iniquitas.*
25 *Periculosius est habere modicam peritiam juris, quàm nullam.*

STante statuto monasterij quo cavetur, quò à ad instantiam majoris partis sacerdotum professorum, Prior pro tempore existens, per ipsos patres qui monasterium hujusmodi pro tempore visitabunt, poterit & debebit destitui, non obstantibus quibuscunque statutis & consuetudinibus monasterij, aut cavillationibus, subterfugijs, vel dissimulationibus in contrarium forsitan allegandis: & quod fratres in petendo destitutionem Prioris relinquuntur eorum conscientiæ: Quæritur de tribus, Primò, utrum visitatores stare debebunt verbis fratrū petentium absolutionem Prioris, dicentium se honorem Dei & communem utilitatem intendere, maximè ubi ab eis

ab eis evidens ratio absolutionis Prioris
non deponitur : nec de ipso Priore , nisi
quòd bonus & utilis sit scitur , & ubi ex
modo agendi, vel ex cõfessione petentium
minus sincera & justa eorum intentio
probabiliter agnoscitur.

Secundò utrum fratres petentes abso-
lutionem Prioris, & ob causam in casu in-
fra scripto non obtinentes, possint ex vi-
gore clausulæ in dicto statuto positæ ad-
vocare commissarium, scilicet Archiadiac.
Antverpiensem, aut pro se quendam præ-
positum suum: & utrum idem Commis-
sarius poterit dictos fratres in aliquo ju-
vare , vel patres visitatores ad absolutio-
nem Prioris compellere, seu visitationem
anni præteriti irritam judicare, aut quo-
vis alio modo huic negocio se interpone-
re, dummodo non nisi à præfatis fratribus
petentibus advocatus fuerit, & dum prout
in dicto statuto cavetur, prius informatio-
nem singulorum fratrum monasterij non
habuerit. Tertiò, utrum verba dictæ clau-
sulæ sic capienda sint, quasi petentes abso-
lutionem Prioris, non possent ex se vel al-
terius informatione à petitione sua resilire
& eam revocare: & utrum non licuit tales
petentes ad hujusmodi resilitionem infor-
mare, sed necesse fuerit, immediatè Priorẽ
absolvere propter hoc quod in dicta clau-
sula habetur, quod non debeat quis cavil-
lationes & subterfugia quærere vel impe-
dimenta præstare, propter quæ forma in-
clusionis minus posset servari : Et utrum
hujusmodi informantes, vel etiam secun-
dum casum istum uno à petitione resilien-
te, Priorem non absolventes sint excom-
municati, vel excommunicandi, secundum
tenorem præfatæ clausulæ.

Ad quæ dubia per ordinem responden-
do, dico primò ad primum: Quòd licet in
illo dubio videatur prima fronte dicen-
1 dum, quòd sic, tùm propter verbum † de-
bebit in dicto statuto positum, quod im-
portat necessitatem, *ut est gloss. ordin, ab
omnibus approbata in Clemen. attendentes
de statu Monachor. & Canon. regul. &
text. clarus in Cle. exivi de Paradiso. in
versic. item ordo , de verborum significat.*
Tũ secundò, quia derogatur quibuscunq;
cavillationibus, subterfugijs, & dissimu-
lationibus , quæ in contrarium attentari
possent , facilè autem sub colore justitiæ
possent subterfugia quæri , si hujusmodi
2 constitutio nõ servetur ut jacet: Sed† ma-
litiis hominum non est indulgendum, imò
obviandum, *leg. in fundo, ff. de rei vendica-
tion. & cap. plerumque, de rescript.* ergo,
&c. Tum tertiò, quia dicti fratres relin-
3 quuntur in hoc eorum conscientiæ, † ergo
ab eis non potest aliqua ratio exquiri, *per
doctrinam gloss. ordinariæ ab omnibus ap-
probatam in cap. statutum, in paragraph.
assessorem, super verbo relinquatur , de re-
script. lib. 6.*

Istis tamen non obstantibus in casu
præsenti dicendum est contrarium, & hoc
ex eo , quia Prior vel alius prælatus est
quasi signum positus ad sagittam, nec po-
test omnibus placere , cùm ex officio suo
teneatur non solùm arguere, sed etiam in-
crepare, interdum suspendere , interdum
incarcerare , ex quo & propter quod fre-
quenter odium multorum incurrit & in-
sidias patitur; unde providè sancti Patres
4 statuerint, † ut accusatio prælatorum non
facilè admittatur, ne concussis columnis
corruat ædificium, nisi diligens adhibea-
tur cautela, per quam non solùm faslè
sed etiam malignè criminationi janua
præcludatur. Ista formaliter inquit *text.
in cap. qualiter & quando, 2. de accusa-
tion. & ibi Domin. Panornimitanus* dicit
5 quod quanto † quis melius exercet of-
ficium sibi commissum , tanto minus
potest omnibus complacere , cùm habe-
at suum officium exequi sine persona-
rum acceptatione. Hinc dicit Aposto-
lus, si hominibus placerem, Christi servus
non essem, & habetur transumptive *in c.*

fin.47.distinct.& Psalmista ait , Dissipa Deus ossa eorum, qui hominibus placent. Quod si ad nutum fratrum absque rationabili causa, maximè ubi probabilis conjectura esset contra fratres, Prior deberet destitui vel absolvi, Sequeretur necessario alterum duorum inconvenientium , vel quod Prior deberet complacere & non debitè exercere suum officium, vel quod eo debitè exercente suum officium, in potestate esset fratrum , jugum obedientiæ deponere & eundē destituere: & si sic, tunc contempto gubernaculo disciplinæ nihil restaret, nisi quod religio naufragaretur. Nam teste Chrysostomo, ubi non timetur reprehensor, securus accedit tentator : †
6 facilitas enim veniæ incentivum tribuit delinquendi, *cap. ut clericorum , de vita & honest. clericor. cum concord.* & sic sequeretur effectus contrarius intentioni disponentis: unde necessariò dicendum est, quod hujusmodi constitutio est per supe-
7 riorem reformanda, quod fieri potest, † quia non debet reprehensibile judicari , si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, *c.non debet de consanguin. & affini,* vel quod hujusmodi constitutio debet intelligi secundum dispositionem juris communis , prout in
8 dubio † omnia statuta sunt intelligenda, *cap.cum delectus, de consuet. & l.2.Cod.de noxa.act. & utrobique Doct.* Intelligendo autem eam secundum jus commune, constitutio erit recta, justa & æqua, ut scilicet tunc Prior debeat destitui ad instantiam majoris partis sacerdotū professorum, quando id expediri videtur utilitati monasterij, de qua apparet verè vel præsumptivè, & non est præsumptio contra fratres, quod malo zelo moveantur. Nefas autem esset dicere , eum removendum, quando ex remotione, verisimiliter impediretur utilitas monasterij & regularis ob-
9 servantia. Quādocunq; † enim sequeretur absurdum intelligendo verba constitutionis ut jacent, tunc sic intelligenda sunt & glossanda, ut vitetur absurditas: ita determinat Barto. quem omnes sequuntur *in l. omnes populi.ff. de justit. & jure. & est text. & ibi Panorm in 1. colum. in c. solitæ de majo, & obed. & gloss. in c. dudum, de præben. libr. 6.* Intelligendo autem dictam constitutionem, ut jacet, sequerentur absurda & inconvenientia de quibus supra, ergo, &c. Nec dicuntur cavillationes aut subterfugia , quando promovetur utilitas
10 publica, † pro qua observanda filius potest de jure impunè occidere patrem, imò præmio afficiendus est, *text. est notabilis in l. minimè.ff.de relig. & sumpt.fun.* & per hæc sunt sublata duo prima motiva. Restat modò respondere ad tertium , quod prima facie videtur aliquid energiæ in se habere, sed benè intellectum sui debilitate
11 ruit. Quod enim dicitur, † relictum conscientiæ suæ non posse compelli ut causam conscientiam suam sic moventem exprimat, habet veritatem, quando parte instāte, puta Priore instante hoc peteretur. Sed hæc clausula superiorem vel visitatorem non arctat , quin ipse possit & debeat inquirere à fratribus & undecunque veritatem: Ista est doctrina gloss. ab omnibus approbata, *in cle. 1. in verbo oneramus , de jur.patro.* & *volunt Domin. de sancto. Gemin. Benedict. Capra,* & *alij Doctor. in præalleg. §. assessorem.* Ex quibus patet verus intellectus dictæ constitutionis, quæ hoc modo intellecta congruit juri communi, & est rationabilis & utilis monasterio. Aliter autem intellecta, est damnosa Ecclesiæ, religioni contraria, præbens occasionē delinquendi: & ut omnia uno verbo claudam, tendens ad noxam. Quare ita, ut præmittitur est intelligenda, vel per superiorē reformanda, *argumento c. suggestum, de decis.* Sed quia sic, ut præmittitur, rectè intelligi potest, non est opus superiorem ac-
12 cedere, frustra † enim quis extra quærit, quod intus habet: & frustra fit per plura, quod

quod æquè benè fieri poteſt per pauciora, ut voluit princeps Philoſophorum *Ariſtot. 1. Phyſicorum*, & *commemorat gloſſ. ordin. in cle. unica circa princ. de ſumma trinit. & fide Catholica.* Et tantum de hoc dubio.

Ad ſecundum verò dubium prægnans, duo quæſita in ſe continens, Reſpondeo breviter, quòd licet Archidiaconus Antverpienſis cõmiſſarius in cauſa obſcuritatis, difficultatis, vel ambiguitatis emergentis circa formam incluſionis, pro declaratione dubiorum juxta formam ejuſdem adiri poſſet: tamen idem commiſſarius formam in ea poſitam ſervare tenetur, & capere prius informationem à ſingulis fratribus,

13 † cùm forma mandati ſit diligenter obſervanda *l. diligenter. ff. manda.* & *cap. cum dilecta, de reſcrip.* Nec video, quòd commiſſarius poſſet dictos fratres in aliquo juvare, vel patres viſitatores ad abſolutionem Prioris in caſu dubij præcedentis compellere, ſeu viſitationem anni præteriti irritam judicare: cum illa ut ibi dixi, fuerit per ipſos viſitatores ritè, legitimè, & utiliter facta: quare debet habere firmita-

14 tem, cùm † commiſſarius ſit miniſter juris, & ſic debet inſequi formam juris, *leg. nam & ipſum, cum ſua gloſſ. ff. de juſtit. &*

15 *jur.* Dicitur enim judex, † quia jus dicit *cap. forum, de verbo ſignificat.* Cùm ergo habeat ex officio conſervare jus, non debet id quod juſtè & legitimè factum eſt, impugnare vel retractare, *l. altius. ff. ſi ſervi.*

16 *vendicetur.* † Injuriam enim facit legum conditori, qui rectè diſpoſita in dubium revocare contendit. *l. nemo, C. de ſumma Trinit. & fide Cathol.* & commiſſarius aditus per fratres declarare debet ſtatutum de quo ſuprà, debere intelligi ſecundum

17 jus commune: qui enim declarat, † nihil de novo facit, *l. hæredes palam. ff. de teſtam* & quia luce clarius eſt, & manibus palpabile, hujuſmodi ſtatutum intelligi debere ſecundum jus commune, ut vitentur inconvenientia & abſurda de quibus ſuprà, fruſtra ad habendum de ſuper declaratio-

18 nem aditur judex, quærere † enim rationem, ubi habemus ſenſum, eſt infirmitas intellectus, *ut inquit Bald. in rubric. ff. de verũ diviſio*, & ſupervacuis laborat impendijs, qui ſolem facibus certat adjuvare, cùm gratiæ plenitudo adjectione non egeat. *6. quæſt. 1. cap. ſi omnia, cum ſim.*

Ad tertium autem dubium meo judicio magis fatuum, quàm dubitabile, ut utar verbis Celſi Iuriſconſulti, *in leg. Domicius*

19 *Labeo. ff. de teſtam.* dico breviter: † quòd petens deſtitutionem vel abſolutionem Prioris nedum poteſt ſed debet reſilire à propoſito, quando malo zelo motus ad hoc proſilijt: & viſitatoribus licuit, imò ex officio eis incumbebat, fratres quos veriſimiliter malo zelo motos viderunt, ad reſiliendum inducere: cùm hoc ad eorum ſpectet officium, quibus commiſſo negocio viſitatoris, omnia videntur commiſſa, ſine quibus id expediri commodè non poſſit, *cap. præterea, de offic. deleg. & leg. 2. ff. de juriſdict. omnium jud.* Plus enim quàm ridiculum eſt, dubitare, an à malo geſto vel incepto poſſet recedi aut reſiliri, vel an quis ad reſiliendum poſſit induci: Cùm nihil aliud clamet ſancta Mater Eccleſia in illis verbis, Revertere, revertere Sunamitis, &c. Nec in contrarium facit, quod fortè objici poſſet per fratres *de cap. pu-*

20 *blicato, de elect.* ubi habetur, † quòd publicato ſcrutinio, electores non poſſunt amplius variare. Quia reſpondeo dupliciter, Primò, quod id ibi ſpecialiter ſtatuitur in proviſionibus Eccleſiarum cathedraliũ vel regularium, per quarum vacationem Eccleſiæ dicuntur viduatæ Paſtore, in quibus ſervanda eſt forma *capit. quia propter de electio.* In alijs autem ſecus eſt, *ut in dictis juribus notat. per Doctores.* Secundò dico, quòd etiam in caſu, in quo ſervanda eſt forma *dict. cap. quia propter*, non habet locum *in dict. cap. publicato*, quando no-

minatus in scrutinio reperitur indignus: Imò tunc licitum est variare publicato scrutinio, & ponitur persistens in sua nominatione, *text. est de hoc in cap, perpetuè, & ibi gloss. super verbo præstiterunt, de elect. lib. 6.* quod servit proposito, & sic in nullo obstat. Nec dici potest quòd inducere fratres ad viam veritatis, est quærere cavillationes vel subterfugia: zelus enim fratrum, cui deest judicium rationis, non est commendandus, sed reprobandus: quia
21 ex tali zelo, † qui dicitur zelus non secundum scientiam, dum spiritualis profectus quæri videtur, salutis dispendium subsequitur: ut formaliter inquit *text. in ca. non solùm, de reg jur. lib. 6.* Plus enim quā ridiculū est dubitare: An visitatores ex hujusmodi informatione, vel non destitutione Prioris, aliquam censuram incurrerint, qui præmio affici deberent pro eo, quòd utilitatem publicam dicti monasterij non tàm fervētèr quàm sincerè sunt prosecuti, *præ-*
22 *alleg. l. minimè* † quod enim legitimè factum est, pœnam non meretur, *l. Grachus, C. de adulter. & c. qui peccat, 23. quæst. 4.* Quinimò valdè reprehendendi sunt fratres, qui ut scioli literæ dictæ constitutionis, non rationi temerè & pertinaciter in-
23 hærere præsumunt. † Non enim constitutionis verba, sed sensus: non superficies, sed medulla & radix rationis inspicienda est, *c. Marchion. 1. quæst. 1. & l. scire leges. ff. de legibus.* Ratio enim legis est anima legis ut ibi: unde ex pravo intellectu & adhæsione literæ, errores & hæreses pullulant: cùm litera occīdat, *d. cap. Marchion.* Hinc etiam sub specie boni duplex malum per-
24 petratur. † Simulata enim æquitas duplex est iniquitas: Nam malum facit, & bono abutitur, teste Gregorio, de quo etiam cōmemorat *gloss. ord. in cle. 1. de religio dom.* & ergo his est obviandum, ne modicum fermenti totam massam corrumpat, *juxta nota. in l. si unus, in § pactus ne peteret. ff. de pact. & not. in c. ubi periculum. in princ.* *de elect. lib. 6.* Hinc dicit Panorm. *in cap.*
25 *extirpandæ, in 3. notabili, de præb.* † quòd periculosius est habere modicam peritiam juris, quàm nullam: quia modica peritia juris quandoq; ducit in errorem, sed prorsus inexpertus consulit alios. Et tantùm de tertio & ultimo dubio.

CONSILIUM X.

SUMMARIA.

1 *Iurans sibi ab aliquo damnum fuisse illatum, ut verum juret duo requiruntur.*
2 *Damnum sustinere dicitur, qui diminutionem sui patrimonij patitur.*
3 *In culpa est qui non facit, quod facere debet.*
4 *De perjurio nemo culpari potest, nisi falsum, & id scienter & dolosè juraverit.*
5 *Errans, etiam in jure, dolo caret.*
6 *Causa quælibet etiam injusta, dummodo sit adparens, & colorata excusat quem à dolo, maximè juris ignarum.*
7 *Bona fides causari potest etiam ex injustis & temerarijs causis.*

CAsus super quo juris consilium petitur est talis. Quidā Ioannes de Geervliet fuit obligatus cuidam Danieli Iacobss in summa 45. librarum grossorum monetæ Flandriæ: Pro quo Ioanne quidam Petrus Willemss fidejussit: Qui siquidem Petrus Willemss habuit quendam debitorem Gerardum Wilts de Antverpia, sibi in summa 25. librarum grossorum dictæ monetæ Flandriæ obligatum, quem Gerardum coram legislatoribus oppidi Verensis in causam traxit: Inter quas partes adeò processum est, quòd præfatus Gerardus, præfato Petro in prætacta summa fuit cōdemnatus, & pro solutione prætacti judicati, dictus Ioa. de Geervliet nomine præfati Gerardi medietatem cujusdam domus nuncupatæ sancta Anna, præfato Petro Willemss, ad quem medietas ejusd. domus pleno jure per antea spectabat in solutum dedit, ex post autem dictus Daniel nedum medie-

medietatem præfatæ domus dicto Petro Willemſs, ut præmittitur, in ſolutũ datam: ſed etiam aliam medietatem ad præfatum Petrũ pleno jure, ut præmittitur, ſpectantem: & ſic totam domum ob non ſolutionem dictarum 45. librarum groſſorum dictæ monetæ Flandriæ, in quibus præfatus Ioannes ipſi Danieli, ut præmittitur, erat obligatus, evicit, & ſibi adjudicari obtinuit Quapropter dictus Petrus Willemſs præfatum Ioan. de Geervliet, pro recuperatione damni ſuſtenti, coram præfatis Legislatoribus convênit, ac medio ſuo juramento declaravit, ſe fuiſſe paſſum præmiſſorum occaſione à dicto Ioanne damnum 45. librarum groſſorum dictæ monetæ Flandriæ: diffamatur modò dictus Petrus de perjurio, quaſi plus juraſſe debuiſſet, quàm damnum ſuſtinuit: ex eo quod tempore præſtiti juramenti medietas dictæ domus ſibi Petro in ſolutum data per præfatum Danielem, tanquam ad dictum Ioannem ſpectans fuit evicta: Et ſic in effectu non videtur dictus Petrus ſuſtinuiſſe dãnum: niſi in medietate præfatæ domus pridem ad ſe ſpectãte. Quæritur, an rectè inculpetur de perjurio, nec ne.

In quo dubio, omiſſis ſuperfluis, videtur mihi ſubſcripto ſine aliqua hæſitatione, dictum Petrum Willemſs nullo modo de perjurio inculpari poſſe: tum primò, quia
1 verum juravit: quod ſic deducitur, † nam ut jurans ſibi ab aliquo damnum fuiſſe illatum verum juret, duo duntaxat requiruntur. Primum, quòd ille qui jurat, verè damnum ſuſtinuit: Secundum, quod illud damnum culpa illius qui illud intuliſſe dicitur, accidit: *cap. fina. junct. gloſſ. prima ibidem, de injur. & dam. dat.* ſed in caſu præſenti utrumque concurrit: quare ſequitur, quod dictus Petrus de perjurio inculpari non poteſt. Quòd autem dictus Petrus damnum quadraginta quinque librarum groſſorum dictæ monetæ Flandriæ per eum juratum ſuſtinuit, patet quia præfatus Daniel prætactam totam domum ad valorem prætactum per Legislatores antefatos æſtimatam, ut mihi aſſeritur, pro prætacto debito 45. librarum groſſorum evicit: quæ quidem domus ante evictionẽ hujuſmodi, in patrimonio præfati Petri pleno jure fuit, ut in caſu ponitur: Cùm igitur præfatus Petrus hujuſmodi domum in ſuo patrimonio ante evictionem, ut præmittitur, exiſtentem, per evictionem dicti Danielis amiſerit: Sequitur quod damnum uſque ad ſummam juratam ſu-
2 ſtinuit: † cùm damnum ſuſtinere dicatur, qui diminutionem ſui patrimonii patitur, *l. 3. ff. de damn. infect.* Quod autem dictus Petrus hujuſmodi damnum ſuſtinuit culpa præfati Io. de Geervliet, patet, quia dictus Petrus amiſit nedum medietatem dictæ domus, quæ pridem erat ſua, ſed etiam reliquam medietatem ſibi, ut præmittitur, in ſolutum datam, ex eo, quod præfatus Ioannes prætactam ſummam 45. librarum groſſorum dictæ monetæ Flandriæ, in qua ipſe Ioannes, ut principalis, & præfatus Petrus fidejuſſorio nomine, antefato Danieli obligati fuerunt, non ſolvit, & ſic
3 fuit in culpa, † quia non fecit, quod facere debuit, *l. culpa. & l. qui non facit. ff. de reg. juris. prout conſuluit pulchrè in ſimili caſu Panorm. in conſilio ſuo 21. ſecundi volum.* Si enim dictus Ioannes præfato Danieli ſuo creditori de prędictis 45. libris groſſorum, ut debuit, ſatisfeciſſet: præfatus Petrus Willems prætactam domum, quo ad neutram medietatẽ perdidiſſet: & ſic verũ eſt dicere, quòd dictus Petrus damnũ uſq; ad ſummam juratam culpa præfati Ioannis ſuſtinuit, & ſic verum juravit: & per conſequens de perjurio per quempiam incul-
4 pari non poteſt. Tùm ſecundò, † quia nemo de perjurio culpari poteſt, niſi falſum: & id ſcienter & doloſe juraverit *l. qui juraſſe. in princ. & ibi Paul. de Caſt. & Doctor. ff. de jurejuran. & voluit Bald. in leg. obſervare, in §. proficiſci, in 3. volum. ff. de offic. pro-*

offic. procons. & lega. & Paulus de Cast. in l. fina. ff. qui satisda. cogan. & Alexand. in suo consilio 92. primi voluminis. Sed dictus Petrus non juravit, ut suprà deductum est nec etiam fuit in dolo, quia habuit nedum justam & justissimam causam credendi & jurandi, se usque ad summã prætactam fuisse damnificatum, prout certè damnificatus fuit, ex quo damnum dictæ domus prius apud eum existens, ut præmittitur, perdidit: In quo etiam si errasset (ut prima facie apparet, ex eo quòd medietas prætactæ domus tempore præstiti juramenti fuit sibi abjudicata) non tamen dici posset
5 fuisse in dolo, † quia errans etiam in jure dolo caret. §. *quòd autem instituit. de usucapio.* Ubi credens partum ancillæ ad usufructuarium spectare, & sic in jure errans excusatur à furto: quod sine dolo nõ com-
6 mittitur: † Imò quælibet causa etiã injusta, dummodò sit apparens & colorata, excusat quem à dolo, maxime juris ignarũ: *textus est ad literam in l. igitur, in princ. ff. de libe. causa, ut vult gloss. in l. 1. in fin. ff. de abige. & gloss. in l. 1. in fina. ff. si quis jus. dicen. non optempe. & Angelus in l. plagij. Cod. ad leg Flavi. de plagia. unde dicit Bald in leg. 1. in fine. per gloss. ibi. C.*
7 *ubi causa status termi. quòd bona* † *fides potest causari etiam ex injustis & temerarijs causis.* Cùm ergo dictus Petrus justè credere potuit, damnum usque ad summam juratam culpa præfati Ioannis sibi fuisse illatum, ut ex præmissis patet, prout verè sustinuit: Sequitur quòd in nullo dolo fuit, & sic de perjurio inculpari non potest, juribus præalleg. Nec obstat quòd tempore præstiti juramenti dictus Petrus non habuit dominium partis domus sibi in solutum datæ: quia ex hoc non sequitur, quòd præfatus Petrus tempore præstiti juramenti damnum culpa ipsius Ioannis non sustinuit, imò ex hoc sequitur contrarium, scilicet quòd damnũ sustinuit, quia domo carere debuit, quod quidem damnum duravit tempore præstiti juramenti, & sic verũ fuit dicere, quod dictus Petrus tempore præstiti juramenti licet non fuit dominus domus, damnum prætactum sustinuit: non enim juravit se dominum domus sed se damnum ex amissione domus sustinuisse, prout verè sustinuit: Aliàs enim argumentum concluderet etiam de alia medietate domus, pridẽ ad præfatum Petrum pleno jure spectante, & sibi tempore præstiti juramenti ablata, de qua tamen nemo dubitat, quin in illa parte damnum sustinuit. Concludendo ergo dico, dictum Petrum per quempiam de perjurio inculpari non posse.

CONSILIUM. XI.

SUMMARIA.

1 *Ecclesia non judicat de occultis.*
2 *In foro conscientiæ creditur unicuique.*
3 *Dans fidem suam matrimonialem mulieri, non potest deinde commisceri alteri, absque peccato mortali.*
4 *Divertere an liceat ab ista quam quis duxit in facie Ecclesiæ, & adhærere illi cui prius fidem dedit, &c.*

CAsus, super quo à me in foro conscientiæ consilium petitur talis est. Quidã conjugatus fatetur se per prius fidem suam matrimonialem dedisse alteri mulieri, hoc idem confitenti, de hoc tamen aliter non apparet: modo iste compunctus conscientia, petit sibi salubriter consuli. Quæritur, quid sibi consulendũm erit. In hoc casu, quo ad forum contentiosum clarum est,
1 quod non possunt separari. † Ex quo Ecclesia non judicat de occultis, nec est eis hoc dicentibus in præjudiciũ matrimonii solenniter contracti credendum, *text. est in cap. super eo, de eo qui cogno. consangui. uxo sue.* Quo vero ad forum conscientiæ,
2 † ubi creditur unicuique, aliud est. Nam dicendũ est tali conjugato, quod illa quam subduxit

ſubduxit in facie Eccleſiæ, attenta confeſſione ſua (in quantum illa vera ſit) non eſt
3 uxor ſua, † ſed prima, cum qua clandeſtinè contraxit, licet illud coram Eccleſia probare non poſſit: & ſic ex conſequenti eſt ſibi dicendum & conſulendum, quod illam quam poſtea in facie Eccleſiæ ſuperduxit, non poteſt unquam carnaliter cognoſcere, quin committat peccatum mortale, ſive hoc faciat reddendo ſive exigendo debitum: *text. eſt apertus in cap. inquiſitioni, de ſenten. excommunica. in princ.* & ratio eſt, quia ex quo pro certo fecit, ſe prius alteri dediſſe fidem ſuam cõjugalem & reciprocam recepiſſe, ſcit & ſcire debet, iſtam non eſſe ſuam uxorem, & ſic ei commiſceri non poſſe, abſque peccato mortali.
4 Sed dubium eſt, an debeat † ſe divertere ab iſta, quam duxit in facie Eccleſiæ, & adhærere primæ: vel an potius debeat manere cum illa quam duxit in facie Eccleſiæ, abſque eo tamen quòd eam cognoſcat carnaliter, ſed habẽdo eam quaſi ſororem. Super quo puncto dico breviter ſub correctione meliùs ſentientis: quòd ſi prima induci poteſt ad continendum vel intrandum religionem, & ſit ſcandalum in divertendo à ſecunda, conſulo quòd maneat cũ ſecunda, quam ut præmiſi habeat duntaxat ut ſororem, non autem ut uxorem. Si autem prima ad id induci non poſſit, & timeatur de incontinẽtia, tunc dimiſſa ſecunda, etiam ſi ſcandalum oriretur, adhæreat primæ, & ſuſtineat potius cenſuras, quã quòd maneat cum ſecunda. Ita ſentio per doctrinam doctorum, tàm theologorum, quàm canoniſtarum *in c. is qui fidem, de de ſponſal. & in c. 2. de novi ope. nunc. cum ſim.* Nec mirum, ſi aliud cõſulatur in foro conſcientiæ, & aliud obſervandum dicatur in foro exteriori ſeu contentioſo: quia ſimile videri poteſt *in c. tua nos, de ſponſa*, & ratio diverſitatis patet ex ſuprà dictis, judicio cujuslibet melius ſentientis ſemper ſalvo.

CONSILIUM XII.

SUMMARIA.

1 *Maritus fundum dotalem per uxorem alienatum, non obſtante conſenſu ab initio adhibito, & pœna adpoſita, vẽdicare poteſt, & num. 23.*

2 *Minus ſibi præjudicat qui conſentit alienationi, quàm qui alienat.*

3 *Conſenſus per creditorem præſtitus debitori, ut res ſibi obligata per debitorem vendatur, non præjudicat, ſi res non vendatur.*

4 *Voluntas hominis ambulatoria eſt uſque ad mortem.*

5 *Mandatum de ſui natura eſt revocabile.*

6 *Teſtamentum viri & uxoris in una charta factum, poteſt uno decedente, à ſuperſtite pro ſua parte revocari.*

7 *Pater poteſt revocare mortis cauſa donationem per filium ex bonis patris, ipſo conſentiente factam.*

8 *In profectitijs non poteſt fingi donatio inter patrem & filium in poteſtate exiſtentem. & numero 28.*

9 *Fictio non habet locum, ubi non cadit veritas & naturalis æquitas.*

10 *Uxor donare vel legare dicitur, quando maritus rem ipſius ea conſentiente legat vel donat. & numero 26.*

11 *Conſentiens alteri, ut rem ſuam in teſtamento alicui leget, ſibi præjudicat, ſicut præjudicaret ſibi ſi conſentiret contractui.*

12 *Argumentum à ſpeciali optimum eſt in jure argumentum.*

13 *Mulier conſentiendo donationis propter nuptias alienationi, non præjudicat ſibi ſine lapſu biennij, &c.*

14 *Per actum voluntarium non inducentem expreſſum ſed duntaxat tacitum conſenſum, quis ſibi præjudicat.*

15 *Alienare & alienationi conſentire æquiparantur quò ad revocationem. & numero 21. & 24.*

I 16 Fallere

16 *Fallere fidem grave est.*
17 *Consilium in alterius detrimentum mutare non licet.*
18 *Consensus semel præstitus, verbis etiam dubijs, est irrevocabilis.*
19 *Rem alterius leganti consentiens non potest postea actum istum impedire per pœnitentiam.*
20 *In contractibus principalibus mulieres æquiparantur viris.*
22 *Ius quæsitum alicui invito auferri non potest.*
24 *Aliud est alienare, aliud alienationi consentire, &c.*
25 *Voluntatis mutationem seu revocationem consensus quatuor impediunt, &c*
26 *Donatio inter virum & uxorem valet, quando res non est permansura apud maritum uxore consentiente sed trãsitura ad alium.*
27 *Incapax capere potest, ut capaci restituat*
29 *Lex in dubio intelligenda est, ut loquatur de materia tituli sub quo sita est.*
30 *Cujus nomine actus celebratur, inspiciendum est.*
31 *Communior opinio doctorum fortioribus rationibus stabilita quàm alia, in judicando retinenda est.*
32 *Mulieri non virgini indici potest viduitas, ita quòd convolando ad secunda vota perdat legatum.*
33 *Vxor capiens legatum, tenetur præstare cautionem de restituendo rem legatã cum fructibus si cõvolaverit ad secunda vota.*
34 *Vbi casus legis habetur, ibi nulla est dubitatio.*
35 *Remittentibus actiones suas non datur amplius regressus ad eas.*
36 *Eligendo unam ex duab. vijs contrariis, alteri renunciare videtur.*
37 *Nemo censetur renunciare juri quod ignorat sibi competere.*
38 *Consensui nihil magis contrarium est, quàm error.*
39 *Renuncians omnibus juribus & bonis, quæ habet vel habere sperat, intelligitur renunciasse juri ex causa de præsenti competenti.*

CAsus, super quo juris consilium petitur, talis est: A. & B. conjuges constante eorum matrimonio, procreârunt simul duas proles, & plura diversa bona tam mobilia, quàm immobilia simul acquisiverũt: in quibus & alijs per eos hinc inde in subsidium matrimonij apportatis (si aliter dispositum nõ fuisset) superstiti eorundem de jure municipali loci, usufructus debebatur: Tãdem dictus A. adversa valetudine laborans de consensu dictæ B. suæ uxoris suum condidit & ordinavit testamentũ, in quo inter alia voluit & ordinavit, quod si cõtingeret dictam B. manere in viduitate, ipsa in eum eventum haberet & consequeretur usumfructum omnium bonorum suorum: Si verò contingeret eam ad secunda convolare vota, in eum eventum voluit eandem quingentis florenis annuis, quam diu ipsa viveret, per eam ex bonis hujusmodi recipiendis stare contentã, dicta B. in hoc, ut præmittitur suum expressum præbente consensum. Quo testamento sic condito, & dicto A. adhuc in humanis agẽte sed agonizãte, ita quod de ejus vita desperabatur, præfata B. seorsum dicitur pœnituisse, & consensum hujusmodi revocasse: qua revocatione facta, dictus A. ab hoc seculo migravit, duabus suis prolibus & pluribus bonis post se relictis: Tandem C. matrimonium cum filia dicti quondam A. & B. in facie sanctæ matris ecclesiæ contraxit, & præmissorum ignarus ad instantiam dictæ B. coram lege loci promisit, quod quandiu dicta B. viveret in humanis, ipse quadringentis florenis annuis staret contentus, nec ab ea plus in ejus vita quovis modo peteret: Ex post autem dicta B. ad secũda convolavit vota, & deinde ad notitiam dicti C. pervenit, per dictum A. de consen-

consensu d.B testamentū, sic ut prǣmittitur fuisse conditum. Quæritur nunc de tribus.

Primò, an consensus hujusmodi post factum testamentum per præfatum A. fuit per dictam B. revocabilis, ita quòd ipsa pœnitere potuit.

Secundò, an dictæ B. per præfatum A. viduitas indici potuit.

Tertio, an præfatus C, per promissionē & renunciationem, de qua suprà, sibi præjudicavit.

Super quibus dubijs mihi transmissis per ordinem respondendo, instabo aliqualiter circa primum, quod cæteris plus difficultatis habet, adducendo aliqua motiva pro parte veritati opposita, ut veritas ejus clariùs appareat, & meliùs elucescat. In qua siquidem quæstione, prima consideratione videtur dicendum, quod consensus hujusmodi fuit, & est revocabilis, mediis infrà scriptis.

Primò *per notata Spec. in tit. de empt. & vend. in §. tertio loco notandum est, in versi. sed pone uxor, cum seq.* ubi concludit,
1 quòd si uxor † vendit fundum dotalem marito consentiente, & non contravenire sub pœna promittente, quod tamē illo non obstante, maritus potest vendicare fundum dotalem, & sic venire contra, nec incidit in pœnam: ergo etiam in causa præsenti videtur quod consensus hujusmodi fuit revocabilis.

Secundò hoc videtur *per not. glos. ordin. quam sequuntur Bart. Bald. Io. de Imo. & Docto. in l. cùm pater. in § libertis. ff. de lega. 2.* ubi habetur, quòd si prohibitus alienare consentit alienationi partis fiendæ per unum ex libertis, admittitur nihilominus ad partes postea alienatas, ubi tamen non admitteretur, si ipsemet suam partem alie-
2 nasset: & sic minus † sibi præjudicat qui consentit alienationi, quàm qui alienat: ergo hujusmodi consensus videtur revocabilis.

Tertiò istud videtur *per l. sicut, in §. si voluntate. ff. quibus mod. pign. vel hypoth.*
3 *sol.* ubi habetur, quod consensus † per creditorem præstitus debitori, ut res sibi obligata per debitorem vendatur, non præjudicat creditori, si res per debitorem non vendatur: Et sic ibi videtur probari, quod consensus re integra est revocabilis: sed in casu præsenti tempore revocationis res fuit integra, ut videtur, quia dispositio testamentaria tempore revocationis nondum fuerat sortita effectum, cùm dictus A. testator adhuc vixit in humanis, ut ponitur
4 in themate, & sic † voluntas ejus fuit ambulatoria usque ad mortem *l. 3. § fina. cum seq. ff. de adimen. lega. & cap. cùm Marthæ de celebratione missa. cum similibus.* Ergo, &c.

Quartò illud videtur, quia consensus hujusmodi nihil aliud videtur importare, quàm mandatum, *ut dicit Barto. in l. cùm quis decedens, in princip. ff. de lega. 3. & idem Barto. in l. si fundum per fideicommissum. ff. de lega. 3. & idem Barto. in con-*
5 *silio suo* 211. sed mandatum † de sui natura est revocabile. *§. rectè. Institut. manda. cum vulg.* Ergo, &c.

Quintò, istud confirmatur *per text. in l. fina. C. de pact.* ubi text. expressè decidit, quòd ad hoc quòd consensus præjudicet consentienti in casu illius legis, requiritur quòd ipse consentiens in eo perseveret usque ad extremum vitæ spacium: ergo etiam ita videtur dicendū in proposito.

Sextò, istud videtur per id quod eleganter consuluit *Oldra. in cons. suo* 174.
6 ubi concludit, quòd si † vir & uxor in una charta faciant testamentum, altero eorum decedente, poterit superstes de parte sua aliter disponere & revocare dispositionem prius per eam factam: quàm decisionem sequitur *Ioan. And. in addit. ad Spec. in tit. de testa. in §. 1. in princ. & dicit ita de facto fuisse judicatum:* licet de Oldrado mentionem non faciat, ergo etiam ita videtur di-

I 2 cendum

cendum in proposito , maximè testatore adhuc vivente.

Septimò, pro hac parte faciunt *notata Cyn. Salic. & Doctor. in l. nec fratris. C. de dona. causa mort. & notata Barto. Ioan. de Imo. & Doct. in l. qui precio. ff. de donat. caus. mort. & not. ejusdem in l. 2. in prin. ff de donat. & not. per Ioan. And in addit. ad Specul. in tit. de instrumen. ædi. in §. porrò, in princ.* ubi concludunt, quòd si filius-
7 familiàs † donet causa mortis de consensu patris sui rem ipsius patris, poterit nihilominus pater talem donationem revocare, quod est verum, etiam si pater per stipulationem promisit bona donata per filium tradere ipsi donatario post mortem filij: ita cōsulendo dixit singulariter *Dominus Pet. de Ancho. in consilio suo 76.* ergo etiam ita videtur dicendum in proposito, maximè cùm ratio quæ militat in patre respectu filij, militet etiam in marito legante rem uxoris de consensu ejus. Sicut enim filio-
8 familiàs donante rem patris, pater videtur donare donatario & non filius, ex quo † in profectitijs non potest fingi donatio inter patrem & filium in potestate, *l. 2. & ibi notatur per gl. & Docto. C. de inoffic. donati.* cùm profectitia etiam hodie quærantur patri. *l. cum oportet. C. de bon. quæ libe.* Ita etiam est in marito legante rem uxoris de ejus consensu: nam ipsa uxor consentiens, videtur legare, & non maritus: quod patet, quia non potest fingi donatio inter virum & uxorem : nam vera donatio inter eos cadere non potest. *l. 1. & per totum titul. ff. de dona. inter vir. & uxor.* ergo nec ficta
9 quia fictio † non habet locum, ubi non cadit veritas & naturalis æquitas , *ut vult Bart. in l. si is qui pro emptore, in 3. colum. ff. de usucap.* Si ergo uxor, quæ consensit dicatur legare, & non maritus : ergo ipsa poterit pœnitere, cùm ejus sit nolle, cujus est velle, *regul. ejus est nolle. ff. de reg. jur.*
10 *cum simil.* & quòd uxor † dicatur donare vel legare , quando maritus rem ipsius ea consentiente legat vel donat, probo per text. ad hoc quasi expressum , & ibi hoc notant *Bald. & Salic. in l. si liqueat, in fi. C. de inoff. do.* Sequitur ergo, quod hujusmodi consensus fuit & est revocabilis.

Præmissis tamen non obstantibus, arbitror contrarium esse verissimum: quod deduco medijs infrà scriptis.

Primò *per text. optimum in d. l. sicut, in*
11 *§. venditionis,* ubi habetur, † quod consentiens alteri, ut rem suam in testamento alicui leget, sibi præjudicat: & ibi Ang. dicit, quòd ita præjudicat sibi quis consentiendo testamento, sicut præjudicaret sibi si consentiret contractui: & ita per illum text. etiam expressè dicunt *Bald. Salic. Iason. & Docto. in l. cum alienam. C. de lega. & idem Iason in l. cum proponas. 1. C. de pact. & alijs pluribus passibus.* Modò sic est, quod consensus præstitus in contractu, præjudicat irrevocabiliter, quod patet ar-
12 guendo per locum à speciali, † quod est optimum argumentum in jure. *l. jus singulare, & l. quod verò contra. ff. de legi. & vult gloss. ordin. & Docto. in cap. præsenti, in §. loca. de præb. lib. 6.* Speciale enim est
13 in muliere, quòd † consentiendo alienationi donationis propter nuptias, sibi non præjudicat per consensum sine lapsu biennij & alijs solennitatibus, *de quibus in Authen. sive ad me. C. ad Velleia.* ergo in contrarium est jus commune, *dicta l. jus singulare,* & *præalleg. l. quòd verò contra,* & per consequens, consensus præstitus in ultima voluntate irrevocabiliter præjudicat , pro quo etiam adduco *text. cum glos. in l. cum quidam. Cod. de admi. tut.* ubi dicitur, quòd qui consentit, jura sua perdit: & idem probatur *in l. 2 in 2. responso. C. si adver. dona. & in l. penult. in fin.* & *l. fin. ff. de inoffi.*
14 *testam.* † ubi etiam per actum voluntariũ non inducentem expressum, sed duntaxat tacitum consensum, quis sibi præjudicat.

Secundò pro isto adduco *Theoricam Iasonis in l. quoties. 1. C. de fideicom.* ubi dicit,

cit,

cit, quod alienare & alienationi consenti-
15 re æquiparantur quoad revocationem: †
quod enim semel placuit, amplius displice-
re non potest, secundum eum: *regula, quod*
semel, de reg. jur. lib. 6. Ab initio enim li-
berum est contrahere vel non contrahere,
consentire, vel non consentire: sed postquã
contractum est, vel postquam consensus
est præstitus, contraveniri non potest. *l. si-*
cut ab initio. C. de action & oblig. & ibi
Bart. ponit illud vulgare: verba ligant ho-
16 *mines, taurorum cornua funes:* grave enim
est fidem fallere: *l. 1. in princip. ff. de con-*
stitu. pecu. Hinc est, quòd instantia repro-
17 batur *l. nunquam. ff. de coll. bo no.* † Nec
debet quis mutare consilium in alterius
detrimentum: *regula mutare, de reg. jur.*
lib. 6. Et illusio seu variatio est vitanda,
Clem. cum illusio, de renuntia.

Tertiò id probo autoritate *Oldra. in cõ-*
18 *silio suo* 243. ubi concludit, † quòd con-
sensus semel præstitus etiam verbis dubiis,
est irrevocabilis, per jura & rationes, de
quibus per eum ibi.

Quartò id probo autoritate *Bald. in l.*
senium. C. qui testam. fac. poss. ubi in termi-
19 nis quæstionis nostræ expressè dicit, †
quòd quando alius quàm filius, qui est in
potestate patris, legat rem alterius illo
consentiente, talis consentiens non potest
impedire actum per pœnitentiam: ex quo
alteri jus legandi quæsitum est vel dona-
tum, & allegat aliqua ex juribus suprà al-
leg. Et hoc confirmatur ex eo, quia hujus-
modi consensus videtur habere speciem
quandam contractus incidentis in ipsa ul-
tima voluntate, quod fieri potest *juxta no.*
glo. & Docto. in l. hęredes palàm, in fi. de
testa. & habetur per Cyn. & Doct. in l. cùm
antiquitas. C. eod. tit. ergo nimirum, si hu-
jusmodi consensus, maximè postquam di-
ctus A illum sequendo testatus fuit, sit ir-
revocabilis, per regulam *dictæ l. sicut ab*
20 *initio.* Est enim regula generalis: † quòd
in contractibus principalibus mulieres æ-
quiparantur viris, *text. est in l. & si à mu-*
liere, & ibi Bald. C. de instito. Est etiam
21 alia regula generalis, † quòd qui nõ potest
alienare, non potest alienationi consentire.
l. 2. C. si adver. dona. & ibi Baldus. Et e-
contra qui potest alienare, potest alienatio-
ni consentire & sibi præjudicat. *l. fidejus-*
sor. §. 1. ff. de pigno. & l. Cajus. ff. de pigno.
actio. & notatur per omnes in l. quæ dotis.
ff. soluto matrimo.

Ultimò pro isto facit *l. fin. ff. de pactis:*
22 ex quo † enim semel ex tali consensu di-
cto A. quæsitum est jus seu facultas dispo-
nendi de bonis seu rebus, in quibus dicta
B. habitura erat usumfructum, non potest
tale jus eo invito sibi auferri, vel consen-
sus hujusmodi revocari, sicut sibi dicitur
in exceptione quæsita fidejussori per pa-
ctum principalis debitoris.

Restat modo respondere ad objecta in
contrarium. Et primò non obstat dictum
23 Specu. † quia in casu suo erat prohibita
alenatio per legem, unde nimirum si con-
sentiens potuit venire contra factum pro-
prium. *l. post mortem, cum ibi no. per glo. &*
Doct. ff. de adop. & c. nosti, & ibi gl. & ca-
nonistæ, de elect. In casu autem præsenti
non fuit prohibitio legis, & potuit dictaB.
favori sibi ex jure municipali competenti
renunciare, *per regulam l. si quis conscri-*
bendo. C. de pact.

Non obstat etiam *glo. d. § libertis,* quam
ibi sequuntur Docto. quia casus ille nihil
commune habet cum casu præsenti. Ibi
enim solùm dicitur, quod propter consen-
sum adhibitum in alienatione partis facta
per unum ex libertis non præjudicat sibi
consentiens in partibus alienatis postea per
alios, in quarum alienatione non præstitit
consensum, quæ conclusio stat cum con-
clusione supra capta, cùm ibi nihil dicatur
de revocatione consensus. Certum est e-
24 nim, † quod aliud est alienare, & aliena-
tioni consentire. *l. aliud, in prin. ff. de reg.*
jur. quò ad tres pulchros effectus, quorum

primus habetur *in d. §. libertis, junct. glos.* secundus *in l. si pater, in fi. ff. de manumiss. vin.* & tertius *in l. quidam. ff. de evict. & ibi Ang.* Sed quo ad revocationem paria sunt alienare & alienationi consentire, ut suprà dixi, & sic non obstat.

Non obstat etiam tertium *de dicto §. si voluntate*, quia *in dicto §. si voluntate*, consensus non præjudicat creditori, ex eo, quia debitor non alienavit rem, & minimè propter pœnitentiam creditoris: quia de pęnitentia vel revocatione ejus verbū nullum ibi habetur. Prętcrea in casu præsenti postquam dictus A. testamentum condidit insequendo consensum dictæ B. res non fuit integra, quia supposito pro vero, quòd dictus consensus operetur duntaxat mandatum, *juxta Theoricam Barto. in dicta l. cùm quis decedens*, licet re vera magis videatur importare facultatem disponendi: tamen postquam dictus A. fecit præparatoria intrinseca rei sibi mandatæ condendo testamentum, res desiit esse integra, ut pulchrè declarat *Henricus Boick. in ca. ex parte decani, de rescript.* & sic non obstat. Ad quartum autem respondetur eodem modo quo ad tertium, ex quo res desiit esse integra, ut suprà deduxi.

Non obstat etiam *d. l. fina. C. de pact.* quia hoc ideo specialiter ibi statutum est, ut vitetur votum captandæ mortis, quæ ratio cessat in quinto casu: imò illa lex, arguendo à speciali facit pro hac parte.

Non obstat etiam *consilium Oldradi, & decisio Ioan. And.* quia loquuntur in casu omnino diverso: nam in casu eorum sunt duo testamenta in una charta, ut ibi expressè fatentur: & ergo nimirum, si superstes posset pro sua parte revocare. In casu verò præsenti est unum duntaxat testamentum, cujus revocatio non pendet in voluntate consentientis, ut prædictum est, sed in disponentis seu testantis duntaxat: & sic non obstat. Multum enim refert, an maritus de consensu uxoris testamentum faciat, vel an uxor & maritus simul testamentum condant. Primo casu, qui est casus noster, unum est testamentum. Secundo casu, qui est casus Oldra. & Ioan. And. duo sunt testamenta. Et ex hoc sequuntur duo notabiles effectus, quotidie in practica occurrentes. Primus est, quia in primo casu testamentum non potest per illum qui semel consensit revocari. Sed in secundo casu potest per superstitem pro sua parte revocari, cum ut dixi, duo sint testamenta. Secundus effectus, qui sequitur ex primo est, quia primo casu, defuncto testatore debetur ex integro legatum per eum relictum, etiam illo qui semel consensit, pœnitente, vel consensum revocante. Sed secundo casu, uno decedente & superstite pœnitente, debetur solùm medietas ejus, quod per ambos relictum fuit, ut volunt Oldrad. & Ioan. Andr. ubi suprà.

Non obstant etiam *no. Cyn. & Docto. in dicta l. nec fratris, & no. Bart. in d. l. qui precio, cum alijs suprà commemoratis*: quia præfati Docto. loquuntur in casu, in quo persona disponens non est per se qualificata ad disponendum etiam de re propria: in casu autem præsenti dictus A. qualificatus fuit, ut præsupponitur, unde consensus dictæ B. non fuit necessarius pro qualificatione personæ, sed duntaxat propter interesse & præjudicium dictæ B. & sic *no. Doct. d. l. nec fratris*, nihil commune habent cum casu præsenti: unde nimirum, si in isto casu consensus non potuit revocari re non integra, sed habeat locum regula. Quod semel placuit, & aliæ regulæ, de quibus suprà: quibus consonat doctrina *Bald. Ang. Pau. de Cast. Io. de Imo. Alexand. & Doct. in l. si cum dotem, in §. eo autem tempore.*
25 *ff. solut. matrimo.* ubi dicunt, quòd † quatuor sunt quæ impediunt mutationem voluntatis seu revocationem consensus, scilicet si ex voluntate præstita, quis est alteri obligatus vel si est alteri jus quæsitū, vel si res non est integra, vel si voluntas traxit secum

secum executionem, quorum plura concurrunt in casu præsenti, & sic non obstat.

Et ad confirmationem respondetur, negando quòd non potest fingi donatio inter virum & uxorem, quando res non est permansura apud maritum uxore consentiente, sed transitura ad alium: † imò tunc do-
26 natio est mero jure valida, cùm maritus non efficiatur locupletior. *text. est notabilis in l. si sponsus. in §. fina. ff. de dona. inter vir. & uxor. & in l. profectitia. §. si certam ff. de jur. doti. & ita per dict. §. si certam, tenet expresè do. Ioan. de Imo. in dicta. l. 2. in princip. ff. de dona. & sequitur ibi Alex. & hoc idem repetiit D. Ioan. de Imo. in l. ædibus. §. si filius. ff. eodem tit.* Videmus
27 enim, quod incapax † capere potest, ut capaci restituat. *l. cogi. § hi qui solidum, ubi bonus text. ff. ad Trebellia.* Cùm ergo do-
28 natio valeat, † patet quod ipse maritus est ille qui legat, & non uxor consentiens, donatio autem inter patrem & filium in potestate de peculio profectitio nō est valida, etiam si res non sit remansura penes filiū, sed transitura ad alium, ut latè declarat *do. Ioan. de Imo. in § si filius. & in d. l. 2. & ibi Alexand.* Et sic hoc non obstat.

Ad *l. autem si liqueat. in fi. suprà alleg.* respondeo, quòd illa non probat, nisi duntaxat quò ad querelam inofficiosæ donationis inspiciuntur facultates viri, à quo originaliter causatur donatio, uxore donante rem viri eo consentiente: & sic quoad hoc favore filij vir consentiens uxori donanti suam rem videtur hujusmodi donationem fecisse: quod non facit contrà, imò multum facit pro hac parte, quia si hoc est ibi speciale favore filiorum in querela inofficiosæ donationis, ergo in contrarium est jus commune, *dict. l. jus singulare, & l. quod verò contrà*, extra ergo casum inofficiosæ donationis uxoris donante vel legante rem viri eo consentiente, uxor est illa quæ donat vel legat, & non cōsentiens: quòd erat probandum: & quod *d. l. si liqueat*, sic intelligi debeat, patet: quia sic in-telligendo *d. l. si liqueat*, congruit titulo sub quo ponitur. Jā sic est, quod in dubio †
29 lex est intelligēda, ut loquatur de materia, de qua loquitur titulus sub quo est sita, *l. Imperatores, & ibi Barto ff. de in diem adjecti.* Vel possem dicere prout dixit *Iacob. de Aret. ut refert Bart in prēalleg. l. 2.* quòd *in d. l si liqueat*, uxor donavit nomine mariti, & ergo maritus videtur donasse juxta regulam quæ habet, † quòd si quis
30 donavit rem meam suo nomine me consentiente, videor ego donare sibi, & ipse alteri. Si verò donet rem meam me volente meo nomine, ego solus videor donare: de qua regula habetur *in d. §. si filius, & ibi per Pau. Ioan. de Imo. & Docto. & per Docto. in præalleg. l. 2.* in casu autem præsenti dictus A. suo nomine disposuit de bonis, in quibus dicta B. habitura erat usumfructum, præfata B. consentiente: & sic per dictam theoricam ipse videtur disposuisse, non autem dicta B. & per consequens ejus solius pœnitentia fuit & est spectanda, *per præalleg. l. ejus est nolle. & sic dict. l. si liqueat*, in nullo obstat.

Ex quibus omnibus concludo in casu præsenti: revocationem, si qua facta sit per præfatam B. post dispositionem testamentariam vel codicillarem factam per dictū A. nullum effectum potuisse aut posse operari. Et ita etiam postea reperi expresè tenuisse & consuluisse dominum Bartolomæum Socinum *in consilio suo* 114. & non recordor me vidisse aliquem, qui in lectura
31 vel consiliis teneat contrarium. † Cum ergo hæc pars sit multo fortioribus rationibus stabilita, quàm opinio contraria, non est in judicando ab ea recedendum, *per not. per Panorm. & Doctor in cap. de constitu. & per Cyn. & Docto. in l. cùm de novo. C. de legib. cum similib.*

Ad secundam autem quæstionem indubitalem dico breviter, quòd licet olim diversa emanaverint jura circa istum casum, tamen

32 tamen hoc hodie expeditum est, † quod mulieri non virgini indici potest viduitas, ita quod convolando ad secunda vota, perdit legatum, *text. est apertus*, & *ibi omnes Docto.* & *præcipuè do. Iason.* & *novissimi in Auth. cui relictum. C. de indic. vidui. tol.* & *in corpore unde sumitur*, & *ibi bona glos.* in
33 tantum, quod † uxor capiens legatum, tenetur præstare cautionem de restituendo rem legatam cum fructibus, si convolaverit ad secunda vota: ut ad literam dicit *text. in d. Auth. cui relictum*: & fortiùs hoc procedit, quando intervenit consensus mulieris, ut in casu præsenti. Et sic de hoc casu tanquam de indubitabili me absolvo:
34 † ubi enim casus est legis, ibi nulla est dubitatio *l. ancilla*, & *ibi glos.* & *Bald. C. de furtis.*

Concludo ergo, quòd in casu præsenti dicta B. perdidit legatum integri ususfructus per præfatum A. suum maritum, si ad secunda non convolaverit vota, sibi relictũ per hoc, quòd secundas contraxit nuptias, & quòd debet stare contenta quingentis florenis annuis, & restituere quicquid ultra de bonis dicti A. sui mariti à tempore decessus ejusdem recepit.

Ad tertiam autem quæstionem similiter parum dubitabilem dico breviter, quod licet vulgaria jura dicant, quòd unicuique licitum est renunciare juri pro se introducto, *d. l. si quis in conscribendo, C. de pact.*
35 *cum sim.* † & quòd remittentibus actiones suas non datur amplius regressus ad eas, *l. item queritur. § si venditor ff de ædilit. e-*
36 *dict. cum similib.* † Et quod quando duæ sunt viæ contrariæ, quæ simul stare non possunt, quòd quis eligendo unam, videtur alteri renunciare *l. fi. C. de codic.* Istis tamen non obstantibus dico, quòd in casu præsenti dicta renunciatio non præjudicat dicto C. qui tempore renunciationis ignoravit, sibi jus illud competere, cum ignoraverit testamentum conditum per dictum A. patrem suæ uxoris: Jam est firma regu-
37 la, † quod nemo censetur renunciare juri, quod ignorat sibi competere: *text. est ad literam in l. mater decedens, ff. de inoffi. testa.* Et ratio est, quia ignorans non cense-
38 tur aliquid ex voluntate facere. † Nihil enim est magis contrarium cõsensui, quàm error, *l. si quis per errorẽ. ff. de jurisd. omn. judic.* Renunciatio autem fit ex voluntate, ergo, &c. Præterea, ut ex themate patet, dicto C. non competiit jus tempore renunciationis, cùm illud dependebat à convolatione dictæ B. ad secunda vota: Sed dicta B. tempore renunciationis nondum convolavit ad secunda vota, ergo dicto C. aut uxori suæ tempore hujusmodi renunciationis nõdum competiit jus: Mo-
39 dò est firma regula, † quod renuncians omnibus juribus & bonis, quæ habet vel habere sperat (licet verba illa, vel habere sperat, sint multum generalia) tamen talis intelligitur duntaxat renunciasse juri, quod habet vel habere sperat, ex causa de præsenti, & minimè juri quod habere sperat ex causa de futuro: ita ad literam dicit singulariter Bart. quem Ang. Pau. de Cast. & alij sequuntur, *in l. qui cum tutoribus, ff de transact.* & *idem Bart. in l. qui Romæ, in §. duo fratres, in 1. colum. ff. de verb. obligat.* & *idem Bart. in l. damni, in §. cum parietem, quem legit. sub l. inter quos. ff. de damn. infect.*

Concludendo ergo dico, quod in casu præsenti dicta renunciatio in nullo præjudicavit præfato C. per suprà dicta.

CONSILIUM XIII.

SUMMARIA.

1 *Natura possessori recuperandæ, &c. duo requirit ad victoriam, quòd constet actorem pridem possedisse, & ipsum per alium spoliatum esse.*

2 *Ius sepulchri præscribi non potest, etiã longissimo tempore, & num. 8.*

3 *Interdictum de sacra vel religiosa causam*

sum quasi proprietatis continet, unde sententia in ea lata parit except. rei judicatæ in petitorio.

4 *Quod divini juris est, id nullius in bonis est.*

5 *Habens quasi dominium sepulchri, ne ibi sepeliatur extraneus, prohibere potest.*

6 *Inscriptiones non probant jus sepulchri competere, nisi sint antiquæ.*

7 *Lex varios habens intellectus non potest validè, efficaciter & præcisè ad decisionem alicujus causæ allegari.*

8 *Correctio legum vitanda est.*

9 *Non esse, & esse sed non adparere paria sunt.*

VIso libello pro parte Egidij Vasilij actoris, contra hæredes quondam Agathæ relicto Petri Biscop reos, coram Provisore & Decano jurisdictionis Walachriȩ exhibito, nec non depositionibus seu attestationibus testium pro parte dicti actoris productorum, Videtur prima consideratione in favorem dicti actoris esse pronunciandum, saltem quo ad possessorium recuperādæ per eum mixtim cū petitorio
1 intentatum: De cujus possessorij † natura duo tantùm requiruntur ad victoriam, videlicet, quod constet actorem pridem possedisse, & ipsum per alium spoliatum esse, *c. consultationibus, junct. gl. de offic. deleg. c. in literis, de rest. spol. & §. recuperandæ. Instit. de interd. cum simlib.* quorum utrunque articulatum & probatum est per actorem, ergo videtur, quòd ipse debet triumphare.

In contrarium tamen est veritas, quod
2 sic deducitur. Certum est, † quod jus sepulchri præscribi non potest etiam longissimo tempore. *text. est not. juncta gl. in l. longa. ff. de mortu. inferen.* ubi text. formaliter sic inquit: longa possessio jus sepulchri non tribuit ei, cui jure non com-
3 petit. Præterea interdictum † de sacra re vel religiosa causam quasi proprietatis continet, ita quod agens tali interdicto debet deducere & probare quasi dominiū, aliàs succumbit: & deduco quasi dominio, absolutoria vel condemnatoria lata in eo parit exceptionem rei judicatæ in petitorio: quod non est regulariter in alijs interdictis, *text. est notabilis, & ibi pulchra glo. quam ibidem sequitur & commendat Barto. & Doct. in l. 2 in §. quȩdam. ff. de interdict.* Sed sic est, quod dictus actor dominium sepulchri, in loco sacro prætendere non potest: cùm impossibile sit de jure,
4 quod res sacra esset in bonis alicujus: † quod enim divini juris est, id nullius in bonis est, *l. 1. in princ. ff. de rerum divis.* & *§ nullius, Institut. eo. tit.* & semel Deo dicatum ad humanos usus non est amplius transferendum, *regula semel, de regulis jur. lib. 6.* Ipse etiam actor non probavit, illos de genere Brantinorum, quibus ipse pro una medietate successit, habuisse ex legitimo titulo quasi dominium sepulchri, de
5 quo est quæstio, † puta jus sepeliendi quo ad usum; de quo jure si constaret, faterer utique, quod eo invito extraneus ibi sepeliri non potuisset, secundum Hostien, Ioan. Andream, Panorm. & Docto. *in cap. abolendȩ, de sepult. per leg. 2. §. si usumfructum ff. de religio. & sumpt. fun.* nisi maxima subsistente necessitate, secundum Vinc. Panorm. & Docto. *in dicto cap. abolendæ.* Cùm ergo ejus sepulchri non sit præscriptibile, ut dixi: nec constat ex actis, quòd jus sepulchri per actorē prætensum eidem actori jure competit, Sequitur, quod dictus actor debet succumbere, maximè cum, & si dictum jus sepulchri esset præscriptibile, prout non, illud tamen per actorem præscriptum esse, ex actis nō constat. Nec suffragatur dicto actori, id quod dependentia cujusdam tabulæ columnæ affixæ in hujusmodi processu deductum est: Tum quia articulus desuper ineptè formatus non relevat, etiam si probatus esset, prout non: Tum etiam, quia & si relevaret,

6 levaret, hujusmodi † inscriptiones non probant jus sepulchri competere, nisi sint antiquæ: *text. est in l. monumentorum, in princ.* & *ibi Barto.* & *post eum expressè Ang. C. de religio.* & *sumpt. fune.* & *notat. in l. 1. ff. de albo scribendo*: de antiquitate autem dictæ tabulæ non est articulatum neque probatum, ergo, &c. Præterea ex dicta tabula, quantum ex processu constat, nihil certi habetur. Et sic ex alio fidem non facit.

Nec obstat *dicta l. monumentorum, in fi.* quę junc. secunda solutione glos. (quam ibi approbat Paulus de Castro) videtur probare, quòd jus sepulchri potest præscribi.
7 Quia respondeo dupliciter. Primò, † quod *dicta l. monumentorum in fin.* cùm habeat varios intellectus, ubi patet in gl. non potest validè, efficaciter, & præcisè allegari ad decisionem alicujus causæ, juxta Theoricam Bartol. ab omnibus approbatam *in l. in ambiguo, ff. de rebus dub.* cũ imperator senserit solùm de uno intellectu, & est incertum de quo. Nec est verisimile, quòd imperator senserit intellectum, quem glo. & ibi Paulus de Castr. somniant: cùm ex hoc sequeretur correctio *præall. l. longa.* Jã
8 sic est, † quòd correctio legum est vitanda, *c. cum expediat, de elect. lib. 6* & *l. unica, C. de inffic. doti.* Imò per subauditiones & repetitiones tacitas (quales *in dicta l. monumentorum* facere oportet) nunquam induci debet legum correctio, *glos. est ord. ab omnibus approbata in c. cupientes, in §. quod si per viginti, in verbo, petere de elect. lib. 6.* & hinc est, quod *gloss. in d. l. longa,* residet in alio intellectu: & transit ibi Alb. de Rosa. dicens *d. l. longa,* esse utilem. quod non esset, si esset correcta, *per d. l. monumentorum,* hinc etiam Ioan. Fabr. in suo breviario, *in dicta l. monumentorum,* dicit præscriptionem non procedere in sepulchro, allegans *dict. l. longa:* & sic approbando dictum intellectum. Secundò dico, dato quod jus sepulchri posset præscribi, & quod *d. l. longa* esset correcta: tamen jus sepulchri præscribi non posset, nisi cum titulo: ut apertè vult *text. in d. l. monumentorum, in illis verbis, si justam causam initij habuit.* Cùm ergo in casu præsenti non constat per acta de aliquo titulo, patet clarè, quæcunque opinio teneatur, *d. l. monumentorum* non obstare.

Nec juvat, quod dictus actor tàm possessionem, quàm spoliationem probavit, quia, ut dixi, hoc non sufficit, quando agitur interdicto cõtinente in se causam proprietatis vel quasi: quale est illud quod per dictum actorem reperitur intentatũ, *pręalleg. l. 2. §. quędam.*

Concludo ergo ex præmissis, quod dicti rei ab impetitione præfati actoris absolvi debent, cùm de jure ipsius actoris neque in petitorio neque in possessorio con-
9 stat: † & paria sunt non esse, & esse sed non apparere, *l in lege, ff. de con. empt.* & *l. duo sunt Titij. ff. de test. tutela, cum simil.*

CONSILIUM XIIII.

SUMMARIA.

1 *Maritus non succedit in bonis uxoris, extantibus liberis & consanguineis.*
2 *Pater legitimus est administrator bonorum maternorum.*
3 *Pater quo ad bona materna liberorum, actionẽ saltem administratorio nomine ut legitimus tutor intentare potest.*
4 *Actor forum rei sequi debet.*
5 *Verba narrativa regulariter non probant.*
6 *Donare non licet tutoribus.*
7 *Habens quittantias de tribus continuis annis posterioribus se invicem subsequentibus, præsumitur de jure satisfecisse de omnibus alijs annis pręcedentibus.*

Venerabilis Do. Conservator, pro modica informatione vestra, in quadam magna intricata causa coram vobis pendente

dente indecisa, per & inter do. Philippum Annox actorem ex una, & hæredes quondam Nicolai Servatij reos partibus ex altera: placeat attendere ad infrà scripta, per quæ videtur mihi subscripto, judicio vestro, ac cujuslibet melius sentientis semper salvo, quòd ipsi rei veniant, & sunt ab impetitione actoris, vel saltem ab instantia judicii absolvendi, ac ipse actor in omnibus expensis litis condemnandus. Istud deduco primò sic: Quia intentio actoris quoad petita nullo modo est fundata, etiam si omnia in suo libello cõtenta essent probata: quod patet, quia ut ex eodem libello patet istud debitum traxit originem à quodam Nicolao Colen in libello nominato, qui post suum decessum reliquit tres proles, quæ in eodem prætenso debito (si debitum fuisset) successissent & succedere debuissent, de quibus tribus prolibus ipse actor unam, videlicet Mariam seniorem duxit in uxorem, quæ ante præsentẽ litem motam ab hac luce decessit, pluribus prolibus post
1 se relictis, † quæ proles de jure in omnibus bonis maternis & à linea materna provenientibus succedunt & succedere debent, & non ipse maritus, prolibus vel consanguineis existentibus, *l.* 1. & *per totum. C. unde vir.* & *uxor.* quare clarè sequitur, ipsi actori nullum jus petendi debitum hujusmodi competiisse aut competere, & hoc libello inspecto, in quo nusquam ponitur aut articulatur, ipsum actorem debere succedere de consuetudine, aut alias suæ uxori aut eidem successisse, quod tamen requireretur, ut de se notũ est, ad hoc, ut sibi competeret actio.

Nec obstat, si contra præmissa objicia-
2 tur, *d. l.* 1. *C. de bon. mat.* ubi habetur, † quod pater est legitimus administrator bonorum maternorum, & quod illa administrare potest, ut propria, ergo competit sibi jus petendi & exigendi. Quia dico, quod ex actis hujus causæ, non constat, ipsum actorem, ut patrem prolium suarum hujusmodi debita petere, aut petere voluisse, quod tamen requireretur, ut de se clarum est. Unde non articulatur, quod post decessum suæ uxoris remãserunt proles quæ eidem successerunt, quod tamen requireretur. Secundo dico, etiam supposito, quod hoc constaret, adhuc ipse actor actionem sibi eo casu competentem malè
3 intentasset, † quia egisse debuisset ipse actor nomine administratorio, ut legitimus tutor seu administrator. *l.* 1. §. *sufficit. ff. de administ. tuto. in glos. ibidem,* & *similis gl. in d. l.* 1. *C. de bon. mater. pro contrario alleg.* maximè quando agitur de jure proprietatis, ut in casu nostro. *Ita vult. Bald. ibidem post Spec.* & *alios Docto.* Etiam si competiisset ipsi patri tanquam legitimo administratori actio, illam tamen intentare debuisset coram judice dictorum reo-
4 rum, † cùm actor forum rei sequatur, vel saltem coram judice dictarum prolium, in quantum fuerint privilegiatę: Nullo autem casu coram suo judice, quem ut scholaris ex privilegio personæ suæ coherente habet. Unde etiam sequitur, quod vos venerabilis domine non fuistes nec estis judex competens hujusmodi causæ ac partium, cùm ipsæ proles non fuerint, neque sunt supposita hujus almæ universitatis, licet pater esset talis, sicut nõ est: & sic sequitur, quod ipsi rei veniunt & sunt istis ex causis ab instantia judicij vestri absolvendi, prout aliàs in causa ejusdem actoris contra Magistrum Petrum & Cornelium Zomerzee, illa de causa per vos judicatum fuit & sententiatum.

Nec obstat prætensa certificatio seu litera scabinalis oppidi Mechliniensis in fine processus exhibita. Tum primò, quia ex contentis in hujusmodi prætensa certificatione ipse Actor intentionem suam in hac causa non fundavit, ut clarè constat inspicienti libellum ipsius actoris, in quo illa non articulantur neque ponuntur. Nã ipse actor petit sua articulata tanquam sibi debita

bita, & non ex ceſſione aut aſſignatione alicujus: etiã hujuſmodi prætẽſa ceſſio ſeu aſſignatio non apparet valida aut efficax, cùm non conſter ex illa, perſonas inibi nominatas fuiſſe tutores inibi nominatarum
5 prolium, niſi per verba narrativa, † quæ regulariter non probant, *juxta not. in cap. poſt ceſſionem, de prob.* & *in Clem. uni. illo eod. tit. cum ſimilib.* quod tamen eſſet neceſſarium ad hoc, ut hujuſmodi ceſſio deberet dici valida, aut aliquod jus ipſi actori ex ea competere poſſet. Tũ ſecundo, quia hujuſmodi prætenſa ceſſio nullam habet cauſam inſertam, & ſic videtur habere vim donationis, vel ex cauſa donationis eſſe fa-
6 cta, † quod nullo modo licet ipſis tutoribus, *l. Lucius Titius. §. fina.* & *l. tutor. ff. de adminiſt. tutor. l. non omni. C. illo eo. tit. cum alijs ſimilibus.* quare ex illo capite etiam eſt nulla, & nullius momenti, & ſequitur, eandem in nullo obſtare, neque ipſi actori jus agendi & petendi tribuere.

Secundo deduco idem, videlicet quod intentio actoris, ſaltem quoad omnia libellata, non eſt probata neque fundata, & hoc ſic: quia contenta in 12. 13. & 14. articulis non ſunt probata per duos teſtes integros & omni exceptione majores: ex quo unus teſtium ſuper hujuſmodi articulis productus, eſt omnino partialis, maritus videlicet ſororis quondam uxoris actoris, qui ut ex ſua depoſitione conſtat, ſimilem cauſam omnino habuit, ut etiam teſtes deſuper producti deponunt: & ſic ejus depoſitioni non eſt ſtandum, *juxta not. in l. quoniam liberi. Cod. de teſt.* & *in cap. perſonas. de teſtib.* Et eadem ratione non ſunt probata contenta in 15. 16. 17. 18. & 19. articulis, ſuper quibus dictus teſtis ſolus depoſuit & in teſtem productus fuit: quarę conſtat, intentionẽ ipſius actoris non fuiſſe quoad omnia libellata fundatam.

Tertio præſupponendo, quod intentio ipſius actoris quoad computum reddẽdum pro annis petitis ſaltem eſſet fundata, pro- ut non eſt: Deduco ex alio, quod in illo ipſi rei etiam non ſunt condemnandi, & hoc ſic: quia ipſa intentio actoris quoad hoc per exceptionem peremptoriam ipſorum reorum benè probatam ex depoſitione duorum teſtium, videlicet quarti in ordine, & domini theſaurarij ex parte reorum productorum, & per ſchedulam exhibitã, eſt omnino eliſa & perempta: cum ex his conſtat, computum redditum fuiſſe.

Item hoc idem deduco ex alio, & fortius. Nam conſtat ex actis per Quictantias, anno XCVI. 8. menſis Octobris repetitas: hujuſmodi computum pro annis 82. 83. & 84. redditum fuiſſe & extitiſſe: ergo ex illo probatur etiam computus redditus pro annis 71. & 72. conſequentia
7 patet, † quia habens quictantias de tribus cõtinuis annis poſteriobus ſe invicem ſubſequentibus, prę̨ſumitur de jure, ſatisfeciſſe de omnibus alijs annis præcedentibus. *tex. eſt ſingularis & unicus in l. quicumque. C. de apochis pub. lib. decimo.* quem text. gloſ. & Doct. *in l. 2. C. de jure emphyteu.* dicunt procedere nedum in terminis ſuis, ſed etiam in emphyteutico contractu, cenſuali, conductionis, & alijs: *idem voluit ipſe Ioan. Andr.* & *poſt eum Bald.* & *cano. in c. pen. in fin. de dilat. ubi Bald. ad hoc dicit, d. l. quicunque eſſe auream.*

Quartò deduco ex alio, quod præfati rei ſunt abſolvendi ad inſtantiam judicij, ſic: quia ut conſtat ex actis, & ſignanter ex reſponſione eorundem reorum ad ſecundum articulum libelli, juriſdictio veſtra poſita & articulata eſt per ipſos reos negata, & non eſt de jure communi fundata, nec per actores probata, ut patet inſpicienti acta. Nam ipſo actor non probavit, ſe tempore litis conteſtationis fuiſſe intitulatum, & in matricula univerſitatis deſcriptum: quod tamen ex ſtatutis univerſitatis notorijs requiritur ad hoc, ut gaudere poſſit privilegijs ipſi univerſitati & ejus ſuppoſitis conceſſis: & teſtes ſimiliter

non

non probant, ipsum actorem illo tempore fuisse habitum, tentum, & reputatum pro supposito, cùm ipsi non sunt ritè recepti, ex quo extra dilationem: Nam ut patet ex termino servato 23. Maij, anno 95. actor habuit prorogationem usque festum Ioannis, & testes super secundo articulo fuerũt producti 26. Augusti, & sic diu post festum Ioannis, ut patet ex termino servato 26. Augusti eodem anno. Quare sequitur ex multis diversis capitib. ipsum actorẽ actis attentis à reis nihil obtinere posse neq; debere, ipsosque reos omnino fuisse & esse absolvendos, & in nullo condemnandos.

CONSILIUM XV.

SUMMARIA.

1 *Virginalis pudoris non est quærere maritum, sed id curæ paternæ relinquendum est.*

2 *Filia nubens sine consensu patris non potest exhæredari.*

3 *Communis Doctorum opinio in judicando servanda est.*

4 *Quando glossa ordinaria habet unũ famosum doctorem post se, non est ab opinione ejus in judicando recedendum.*

5 *Authoritas glossæ maxima est, omnesq; alias authoritates superat.*

6 *Causæ exhęredationis sunt quatuordecim, &c.*

7 *Consensus parentum ad nuptias liberororum de honestate, non de necessitate requiritur.*

8 *Erubescimus cùm sine lege loquimur.*

9 *Ratione legis cessante, cessat, & ejus dispositio.*

10 *Pater filiam sine ipsius consensu nubenbentem, etiã indigno, dotare cõpellitur*

11 *Pater ad duo copulativè adstringitur, ad inveniendum filiæ maritum & ad dotandum eam.*

12 *Mulier indotata contemnitur à viro.*

13 *Pater tenetur dotem filiæ datam soluto matrimonio conservare filiæ pro secundo marito.*

14 *Legatum pro maritanda aliqua relictũ debetur etiamsi tempore conditi testamenti maritata erat.*

15 *Argumentum de alimentis ad dotem, & econtr à non semper procedit.*

16 *Prohibere nuptias filiæ pater videtur qui conditionem non quærit, ut fiant.*

17 *Virgo viripotens rebus mobilibus, quæ servando servari non possunt, annumerari solet.*

18 *Fratres adeundo hæreditatẽ paternam sorori pro dote, ut cæteris creditoribus sunt obligati ex quasi contractu.*

19 *Sororem egentem fratres abundantes dotare tenentur, etiamsi non sunt hęredes patris.*

20 *Filia per patrem in legitima sua gravari nequit.*

21 *Patre relinquente minus quàm legitimam filię, agere potest filia ad supplementum legitimæ.*

22 *Dos accepta imputatur in legitimam.*

23 *Legatum filię relictum in dubio censeri debet in compensationem dotis debitę relictum.*

24 *Exhęredare volens causam ingratitudinis nominatim exprimere tenetur.*

25 *Filia in testamento si fuerit pręterita, facit illud censeri nullum. & num. 30.*

26 *Testamentum inter liberos à patre conditum, etiam minus solenne valet, & num. 36.*

27 *Verba relata ad personam debent intelligi secundum qualitatem personæ.*

28 *Clausula, ut actus valeat omni meliori modo quo potest, &c. quid operetur.*

29 *Clausula codicillaris testamenta minus solennia sustinet.*

30 *Testamenti paterni requisita, &c.*

31 *Legitimam filius habere debet jure institutionis.*

32 *Leges posteriores prævalent prioribus.*

33 *Iura ab omnibus sciri debent.*

34 *Iuris ignorantia nunquam excusat rusticum vel fœminam, quando aliquid pro forma actus requiritur.*
35 *Verbum,* Relinquo, *si adjiciatur certæ rei vel quantitati, non trahitur ad institutionem.*
37 *Authoritati doctorum statur, quatenus jure probatur.*
38 *Forma à jure tradita precisè servanda est.*
39 *Forma dat esse rei.*
40 *Aliud est relinquere animo compensandi, aliud jure institutionis.*
41 *Solennis heredum institutio facit presumi quem testari & non codicillari voluisse.*
42 *Actus ultime voluntatis si non valet eo modo quo agitur, non valet etiam eo modo quo valere potest, clausula codicillari deficiente.*
43 *Forme ad actum de jure requisite renũciari non potest.*
44 *Formam in testamento omissam notarius supplere nequit.*

QUidam habuit septem proles naturales & legitimas, ex quibus quinque hæredes universales instituit: reliquas autem duas, quarum una monasterium capax bonorum in communi intravit & professionem fecit: Alia verò sine consensu sui patris matrimoniũ cum quodam Matthæo Kethele contraxit, certis vitalibus pensionibus jussit stare contentas: Ac his mediantibus voluit, dictas proles ab hæreditate sua esse exclusas: & specialiter voluit, quòd dicta sua filia ex certis causis animum suum moventibus, absque alia expressione causæ, in bonis suis partem non haberet, neque cum aliis suis fratribus divideret.

Quæritur ex hoc themate principaliter de quatuor. Primò, an dicta filia de jure potuit per patrem exhæredari ex eo, quòd sine ejus consensu matrimonium contraxit, attentoque quòd tempore contracti matrimonij non excessit decimum octavum annum.

Secundò, præsupposito quòd non, An dictus pater potuisset in vita compelli ad dotandam dictam suam filiam, quæ sine ejus consensu matrimonium, ut præmittitur, contraxit.

Tertiò attento, quòd dicta filia in vita patris non est consequuta dotem, an ipsa habeat actionem contra suos fratres hæredes institutos, ut dotetur: & an ipsa potuit per suum patrem in legitima sibi jure naturæ debita, quæ hoc casu est dimidia ejus partis, quam habuisset ab intestato, si nullum fuisset conditum testamentum, gravari: an debitum dotis debeat in legitima imputari & similiter, an legatum 30. librarum vitalis pensionis dictæ filiæ per patrem relictum censeatur relictum in causam dotis debitæ.

Et quia hæc dubia videntur præsupponere validitatem testamenti, quo existente nullo, dicta filia deberet cum aliis æqualiter succedere ab intestato, Idcirco quartò quæritur, an testamentum hujusmodi sit validum, vel nullum, an inofficiosum.

Ad quæ dubia breviter & succinctè, omissis superfluis, videtur mihi subscripto per ordinem respondendum, ut sequitur. Et primò ad primum videtur prima facie dicendum, quòd filia minor 25. annis, ex hac causa posset exhæredari, maximè, quãdo nupsit vili personæ & indigno: primò *per text. expressum in l. non tantum, in §. si emancipatus. ff. de bono. possess. contra tab.* secundò *per text. in auct. sed si post. C. de inoffic. testam.* ubi est speciale, quòd si pater differat filiam suam maritare usque ad 25 annum, & posteà turpem & luxuriosam vitam ducat, vel cum libero sine consensu patris matrimonium contrahat, non potest à patre propterea exhæredari: quia imputandum est patri, quare eam tamdiu distulit tradere nuptui: ergo à contrario videtur,

tur, quòd si ante turpem vitam ducat vel matrimonium sine consensu patris contrahat, quòd potest exhæredari : & hoc ibi expressè tenet *Pau. de Cast.* istam opinionem etiam tenuit *Goffret. in summa sua, in tit. de despons. impub.* pro qua ultrà prædicta facit. *cap. honorantur* 32. *quæst.* 2. ubi
1 dicitur, quod non est † virginalis pudoris quærere maritum, sed id curæ paternę relinquendum est.

2 In contrarium tamen est veritas, † scilicet quòd ista non est justa causa hodie exhæredandi filiam, attentum nedum jure canonico, sed etiam civili novissimo. Ex quo enim de jure canonico filia potest nubere sine consensu patris, non debet ipsa quæ utitur permissione canonica, incurrere vitium ingratitudinis. *ita expressè determinant Hostien. Ioan. And. Francisc. Zabar. Panor. & Docto. in d. cap. 1. despon. impuber. & idem Panor. in suo cons. 12. 1. volum. in 2. col.* Hoc idem etiam expressè volunt *Panorm. Ioan. de Imo. Guil. Bont. & Doct. in c. accedens de procu.* Idem etiam apertissimè tenet *dominus Iason. præall. authen. sed si post.* per multas efficaces rationes, quas brevitatis gratia referre omitto: Ita etiam tenet *glos. ordin. & post eam Barto. in d. § si emancipatus, & hæc est cōmunis opinio, ut dicit Panorm. in d. cap. 1.*
3 & ergo est in † judicando servanda, *secundum Theoricam Ioan. And. Panor. & Docto. in cap. de constit. & per Theoricam Barto in l. fina. C. de pœna jud qui mal jud.* & *voluit idem Bart. in l. cum prolatis. ff. de re jud. & Bal. in l. 1. in fi. per illum text. ff. de senator. & Paulus de Cast. Bald. & Docto. in l. fin. C. de instit. & substit. sub condit. fac.* ubi dicunt, quod propter fantasias Bartol. non est à communi opinione recedendum: Idem etiam vult *Bald. in l. 1. per istum text. ff. de off. quæst.* Imò quòd for-
4 tius est, quando † glos. ordinaria habet unum famosum Doct. post se, non est ab opinione ejus in judicando recedendum, *juxta doctrinam singularem Iaco. Butrig. in l. 1. C. qui pro sua jurisdict.* cùm autori-
5 tas † glos. sit maxima, & omnes super autoritates, *teste Bald. in l. cùm hæreditas, C. de po.* & *hinc Cyn. in l. non moriturum, C. de contrahen.* & *commit. stipu.* vocat glos. idolum juvenum: In casu autem præsenti cum glos. tenent famatissimi utriusque juris Docto. & est commu. opin. ut dixi: ergo ab ea nullo modo est in judicando recedendum: & tantò minus, quia hæc communis opinio fulcitur hac inconvincibili
6 ratione. Nam † inter quatuordecim causas exhæredationis positas *in §. causas, in auct. ut cum de appel. cognos. colla. 8. & per gl. Doct. in cap. quintavallis, de jurejur.* hæc non ponitur: ergo non potest dici, quòd hodie ista sit justa causa exhæredationis, etiam de jure civili: Et hoc fatetur *glos.* & *Bart. in d. § si emancipatus,* & per hoc solvuntur omnia, quæ suprà pro parte contraria adducta fuerunt. Fateor enim, quòd de jure antiquo Digestorum ista erat justa causa exhæredationis, ut *in d. §. si emancipatus:* hodie autem secus est, attento jure canonico, quo jure non requiritur consensus patris: & etiam jure novissimo civili, etiam si nubat indigno : *ut expressè vult Ioan. de Imo. in dict. cap. accedens, quem refert & sequitur Alex. in l. 1. in 14. col. ff. solut matrim. & domin. Iason. in d. auct. sed si post, & ibi hoc sentit glos. dum dicit, si ergo servo se copulet,* &c. & per cōsequens, si libero homini se copulet, ut in casu præsenti, non incurrit vitium ingratitudinis: *& ita illam glos. ad hoc ibi commendat Ioan. Fab. in breviario, & post eum dominus Iason.* Nec *dictum cap. honorantur,* aliquid dicit de exhæredatione, sed solùm dicit,
7 quòd † consensus patris desideratur, & loquitur de honestate, & nō de necessitate, ut expressè dicit *Panormitanus in dicto suo cons. 12. primi voluminis, & not. in d. cap. 1 de desponsa. impub.* Opinio autem Goffre. & Pauli de Castr. nulla lege probatur, &

ergo

8 ergo meritò ab omnibus reprobatur. † E-
rubeſcimus enim, cùm ſine lege loquimur.
*§. conſideremus, in Authen. de trien. & ſe-
miſ. colla. 3. cum ſimilibus.* Concludo ergo,
quod in caſu præſenti dicta filia non po-
tuit ex hac cauſa per patrem exhæredari.

Quo autem ad ſecundum reperio di-
verſitatem inter Docto. Aliqui enim di-
cunt, quod licet pater compellatur filiam
dotare, ut maritum reperiat. *l. qui liberos.
ff. de ritu nup. & l. fin. C. de do. promiſſ.* ta-
men quia maritum invenit ſine dote, pater
9 ultra non compellitur, cùm † ceſſet ratio
legis, & ſic ceſſare debet ejus diſpoſitio. *l.
adigere, §. quamvis. ff. de jur. patro. cùm ſi-
milibus.* & hoc niſi filia conſtituat & pro-
mittat futuro marito dotem pro ſe. Tunc
enim, cùm ipſa exerceat officium patris,
compellitur pater ejus factum inſequi, &
obligabitur ad eam dotãdam: *ita expreſsè
concludit Bartolus in l. obligamus, in princ.
ff. de act. & oblig. poſt Guil. de Cuneo, in l.
cùm is, in §. ſi mulier. ff. de cond. indeb. &
idem Bart. in Auth. res quæ. C. commu. de
leg. & iſtam opinionem ſequitur Matth. de
Matteſſelanis in notabili* 106. Illam opi-
nionem etiam ſequitur *dom. Panormtan. in
dicto cap. accedens, & in dicto c. 1. ibi Præ-
po. Alexand. de deſponſ. impu. & idem Pa-
norm. in cap. 1. de adul. & in cap. cum cau-
ſa, de raptor.*

Contrarium † autem iſtius de directo
10 tenet *gloſ. juris civilis, in d. l. obligamur, in
§. lege.* & illam opinionem maximè quan-
do nupſit digno, ſequuntur *Bald. Ang. Pau.
de Caſtr. Iaſon. & communiter omnes in
prealleg. Authen. res quę, reprobata opinione
Barto.* & eam refert *Alexand. in l. hujuſ-
modi, in §. cùm pater. ff. de leg. 1.* ubi dicit
hanc eſſe communem opinionem, & ſe-
cundum iſtam opinionem conſuluit Pau-
lus de Caſt. ut ipſemet refert *in d. Authen.
res quæ.* Iſtam opinionem tenet etiã *Bald.
in c. juravit, in 2. colum. de probat. & idem
Bald. in Rub. de offic. jud. & idem Bald. in
l. fin. C. de ſenten. quę ſine certa quantitate
profe.* Iſtam opinionem expreſsè etiam te-
net *Baldus, Ioan. de Imo. Ludov. de Ro. A-
lexand. de Imo. & Docto. in præalleg. l. 1.
ff. de ſolut. matrim. & Raph. Cuman. in
conſ. ſuo* 131. *incip. duo fratres habent bona
communia,* ubi dicit, hanc eſſe æquiorem
opinionem. Iſtam opinionem etiam ex-
preſsè tenent *Ioan. And. Anto. de But. Io-
an. de Imo. & Docto. in prealleg. c. accedens
& Card. Florentinus, in d. c. 1. de deſponſa.
impub.* ubi dicit, huic opinioni ſtandum.
Iſtam opinionem etiam apertiſſimè tenet
Ioan. de Ana. in prealleg. cap. 1. de adult.
Hanc opinionem etiam tenet *gloſ. ord. de-
creti in cap. hoc ſanctum. 32. q. 2. & in ca.
raptorib. 36. q. 1. & hanc partem ibi ex-
preſsè firmat Archid.* & hæc eſt vera &
communis opinio, quæ juvatur pluribus
11 efficacibus rationibus. † Nam pater ad-
ſtringitur copulativè ad duo, ſcilicet ad in-
veniendum filiæ maritum, & ad dotandum
eam, *dicta l. qui liberos, ubi text. planus:*
ergo licet primum ſit impletum, cogitur
nihilominus implere ſecundum, *argum. l. ſi
heredi plures. ff. de condi. inſtit.* & ſic non
eſt verum dicere, quod ratio legis ceſſat
in filia jam nupta, imò adhuc durat: Per
quod tollitur motivum Bart. tenentis con-
12 trarium. Item intereſt † mulieris, licet ſit
nupta, habere dotẽ, ut ſic melius tractetur
à viro: quia mulier indotata à viro conte-
mnitur. *§. ſic itaque, ut in Auth de nup.
13 collat. 4.* † Item pater tenetur dotem filiæ
datam ſoluto matrimonio conſervare filiæ
pro ſecundo marito, *Auth. ſed hodie. C. de
rei uxo. act.* ergo fortius tenetur eam do-
tare, cum primo nupta eſt. Item pater te-
netur dotare filiam quantumcunque divi-
tem, etiam ſi habeat, unde ſe dotet, *ut eſt
text. in d. l. fi. C. de dot. promiſ. & ibi Bal.
in 2. col.* ergo, &c. Hinc etiam pulchrè
dixit *Bald. in prealleg. l. fin. C. de ſenten.*
14 quæ ſine certa quanti. quod ſi † teſtator in
teſtamento relinquat centum Bertæ pro
ea mari-

ea maritanda, quæ erat maritata tempore conditi testamenti, quamvis causa relicti videatur cessare, tamen debet legatum habere, *per l. si jam facta. ff. de condi. & demon.* & per hoc tollitur æquiparatio, quam facit Bartol. & ejus sequaces, de alimentis ad dotem: quia ut notabiliter dicit *Angel. & post eum Iason. & novissimi in dict. Auth. res quę, & idem Ang. in l. à filia. ff. ad Trebell.* ista æquiparatio non est bona, nec ista cövertuntur, ut expressè probatur
15 *in d. l. fina. C. de dot. promiss.* † unde de uno ad aliud non fit bona illatio. *l. neque natales. C. de prob. & l. non hoc C. unde cogna. cum similibus.* Imò fortius voluit *do. Ioan. de Imo. in d. c. accedens, & dom Iason. in d. Authent. sed si post. & Io. de Anan. in d. c. 1. de adult.* quòd etiam si filia nubat indigno, tenetur pater eam dotare, licet tunc minor dos danda sit secundum eos: Cùm ergo dictus Matthæus Kethele, ut mihi asseritur, sit juvenis industriosus & diligens, ac in arte sua mechanica benè expertus, & sic dignus habere talē uxorem. *arg. l. si duob. in princ ibi artifices C. communia de leg. & arg. l. inter artifices, cum ibi not. ff. de solut. & argumento notariorū per gl singularem in l. 4 in verbo facilior. ff. de in diem addict.* Concludo, quod dicta filia potuisset à suo patre petere in ejus vita dotem sibi constitui juxta facultates patris, ac qualitatem filiæ, & industriam mariti: non obstante, quod sine ejus voluntate matrimonium contraxit: Considerato potissimùm, quod pater differendo eam tradere nuptui post annos à lege & canone
16 statutos videatur prohibuisse. Prohibere † enim videtur pater, qui conditionem non quærit, *d. l. qui liberos*: & malum facere videtur, qui non studet ad bonum, ut ibi dicit glos. scireque debuit ipse pater, quòd
17 virgo † viripotens connumeratur rebus mobilibus, quæ servando servari non possunt, quarum alienatio aliàs prohibita, ex hoc capite permittitur, *l. lex quę tutores. ff. de admi. tuto.* Undè non ineleganter dicit. *gl in l. oratione. ff. de ritu nup.* quod mulieris oportet accelerari nuptias, ne quid committat turpe, per illum text. qui benè facit ad propositum.

Quò autem ad tertium principale dubium, quod quatuor quæstiunculas in se complectitur, videtur mihi subscripto breviter dicendum, quòd stante validitate dicti testamenti, dicta filia à suis fratrib. hæredibus institutis dotem sibi per patrem debitam tanquam æs alienum, ut creditrix
18 patris defuncti, jure petere possit: † quia fratres adeundo hæreditatem paternam, sorori ut cæteris creditoribus sunt obligati, ex quasi contractu, *l. 3. §. fin. cum l seq. ff. ex quibus causis in poss. ea. & §. hęres. Instit. de obligat. quę ex quasi contract. cū similibus.* Sed pater fuit ad hoc obligatus ut suprà probavi, ergo & ipsi: nec de hoc a-
19 liqua est dubitatio: † imò sorore egente & fratribus abundantibus, tenerentur fratres tanquam fratres dotare sororem, etiam si non essent hæredes patris, *text. est notabilis. in l. cum plures, ante fi. & ibi gl. & Doct. ff. de administ. tuto. & habetur per gl. Cyn. & Doct. in l. non omni. C. de admi. tut.* Sed quia de hoc non quærebatur, amplius circa hoc non insisto.

20 Ad aliud autem, quo quæritur † an dicta filia potuit per suum patrem in legitima gravari, dico breviter, quòd nō *per text expressum, in l quoniam in prioribus, C. de inoffic. testa.* quod procedit, etiam si esset statutum in loco disponens, quod filia teneretur stare contenta quantitate sibi à patre relicta pro dote. Illo enim statuto non obstante, gravari non posset aliquo onere respectu quantitatis sibi per patrem relictæ pro dote, *secundum Iacob. Butri. Bald. Paul. de Castr. & Doct. in d. leg. quo-*
21 *niam in prioribus*: unde si † pater relinquat filiæ minus quàm legitimam, agere potest filia ad supplementū legitimæ: *text. est apertus in l. omnino. C. de inoffi. testam.*

quod procedit, etiam ſi pater in teſtamen-
to prohibuit plus peti, ut in caſu præſenti:
tali enim prohibitione patris non obſtante,
etiam ſi acceptatum ſit legatum per filiã,
poterit ipſa nihilominus agere ad ſupple-
mentum legitimæ, *text. eſt notab. in §. cæ-
terum, in auct. ut cùm de appel. cognoſ. coll.
8. & ita expreſsè per illum text. determi-
nat valdè notabiliter Bald. Salic. Paul. de
Caſt. & Doct. in præalle. l. omnino, & idem
Bald. Salic. Paul. de Caſt. & Docto. in l. ſi
quando in §. fin. C. eod. titu.* ubi etiam eſt
text. quod ſi pater relinquat aliquid filio
pro ſua legitima, & filius mortuo patre
ſimpliciter ſine proteſtatione acceptet illud
legatum, & faciat quictantionem genera-
lem hæredibus inſtitutis, per hoc non pro-
hibetur petere ſupplementum legitimæ:
unde dico in propoſito, quòd dictæ filiæ
non obſtante prohibitione patris, competit
actio ad ſupplementum legitimæ, ſtante
etiam validitate teſtamenti, per prædicta:
habentur enim dicta verba, quod debet
ſtare contenta, pro non appoſitis, nec quic-
quam operantur quò ad impediendum
ſuppletionem legitimæ, *ſecundum Bald. &
Pau. de Caſtr.* ubi ſuprà.

Ad aliud autem, quo quæritur, an dos
debita debeat filiæ imputari in legitimam:
vel an utrunque petere poſſit. Dico brevi-
ter, quod in quantum teſtamentum eſſet
22 validum, † dicta filia deberet eſſe contenta
legitima, in qua imputaretur debitum do-
tis, *l. 2. C. de colla junct. l. quoniam novella,
cum ibi not. per Doct. C. de inoffic teſtam.*
quæ lex procedit etiam, quando dote pri-
us data, filia inſtitueretur per patrem ſim-
pliciter in legitimam. Nam licet de impu-
tatione dotis nihil dicatur, intelligitur ta-
men imputata dote in legitimam, *ſecundum
Pau. de Caſt. & Docto. ibi: & voluit Bald.
in l. quoniam in prioribus in ult. col. Cod.
eod. tit.* Et per hoc reſpondeo ad quartum:
23 & dico, quòd legatum † 30. librarum vi-
talis penſionis per patrem in caſu præſenti
ſuæ filiæ relictum, in dubio cenſeri debet
in compenſationẽ dotis debitæ relictum:
tùm quia hoc important illa verba, quod
amplius non petet, quæ denotant eum ha-
buiſſe animum compenſandi, cùm aliàs ni-
hil operarentur, *leg. ſi adulta, ubi bon. text.
Cod. de hæredit. actio.* tùm etiam quia de-
bitor ex cauſa neceſſaria, qualis eſt pater
reſpectu filiæ quo ad dotem, videtur in
dubio legando relinquere animo compen-
ſandi, *d. l. hujuſmodi. §. cum pater*, hinc eſt,
quod pater ſimpliciter legans filiæ, videtur
in dubio legare, pro dote. *l. quod autem, &
ibi hoc notant Bart. & Bald. ff. de jur. doti.
& probatur in l. tali ſtipulatione § fin. cum
ibi notatis per gl. ff. eod. titu.* Concludo er-
go, quòd ſine aliquo dubio dictæ filiæ in
bonis paternis debetur legitima, quæ hoc
caſu eſt dimidia illius partis, quam habitu-
ra fuiſſet ab inteſtato, *auct. noviſſima, Cod.
de inoffi. teſta. & c. Raynutius, cum ibi not
de teſtamentis*, imputato in ea legato per
24 ſuum patrẽ relicto, † cùm ipſa hujuſmodi
legitima ſine cauſa ingratitudinis in jure
expreſſa, privari non potuit, nec privata ſit,
quod tamen requiritur: *ut eſt text. expreſ-
ſus in §. aliud quoque capitulum, in auct. ut
cùm de appel. cog. colla.* 8 nec ſuffeciſſet ex-
primere quamcunque cauſam ingratitudi-
nis, ſed debuiſſet nominatim exprimi una
ex quatuordecim cauſis ingratitudinis, de
quibus *in prealleg. §. cauſas, & in præalleg.
c. quintavallis.*

Quantum verò ad quartum dubium, in
quo pendet lex & prophetæ, & quod (ut
ita loquar) eſt tenebroſa aqua in nubibus
aëris: licet plura exigente materia ſcribi
poſſent, tamen omiſſis ſuperfluis, brevius
quo potero me abſolvam, in quo ſiquidem
dubio prima conſideratione videtur dicen-
dum, quòd hujuſmodi teſtamentum valet
motivis infra ſcriptis. Primò, quòd ſi hu-
juſmodi teſtamentum deberet cenſeri nul-
lum, hoc eſſet ex eo, quòd dicta filia non
reperitur inſtituta, nec nominatim (ex-
preſſa

pressa causa legitima) exhæredata, & sic censetur præterita: *text. est optimus in §. eadem hæc observentur. Institut. de hæredi quæ ab intesta. dese. & in leg. inter cætera, & ibi Docto. ff. de liber. & posthum. & determinat apertissimè Barto. in d. §. aliud quoque capitulum*: quo casu nulla præteritionis causa legitima nominatim expressa,
25 ut in casu præsenti, † testamentum est hodie ipso jure nullum, nulla habita distinctione inter suum & emancipatum, *Authen. ex causa, cum ibi notatis per Docto. Cod. de libe. præter. & de hoc est glos. ord. singularis ab omnibus approbata, in §. exhæredatos, in Auth. de hæred. & Falcid. coll. 1.* Probato ergo, quòd sufficiat filio vel filiæ relinqui legitimam quoque relicti titulo, sustinebitur hujusmodi testamentum: Hoc autem sufficere probo tàm de jure Digestorum, quàm Cod. & Authenticorum: de primo est *text. in leg. Papinianus, in § si quis mortis. ff. de inoffi. testament.* ,de secundo est *text. in leg. omnino, præalleg.* & de tertio est *text. in Authen. novissima, suprà alleg.* & in corpore unde sumitur: videtur ergo, quòd non debet vitiari testamentum ex eo, quod dicta filia non reperitur expressè instituta, vel nominatim ut oportet exhæredata. Secundò probo istud etiam de jure canonico sufficere, *per text. in cap. Raynutius de testam.* ubi sustinetur testamentum, & tamen ibi nõ constat, quòd Altherocha filia fuit instituta: ergo, &c. Tertio istud confirmatur, quia iniquum videtur, quod testamentum debet vitiari ex eo, quod pater non dixit, instituo filiam in 30. libris vitalis pensionis, quod si dixisset, valeret testamentum sine aliquo dubio, secundum omnes, & competeret eidem duntaxat actio ad supplementum legitimæ, ut dicit *gloss. approbata in preallega. §. aliud quoque capitulum, & gloss. & Doctor. in leg. 3. §. sed utrum, in fi. ff. de mino.* sed non omnes sciunt dicere verbum, instituo, præcipuè, juris ignari, ergo videtur quod hoc non debet vitiare: & de hoc videtur esse *textus apertus cum gloss. in l. quotiens, Cod. famil. herciscund.* Quartò istud videtur alia ra-
26 tione: † Nam in testamento condito à patre inter liberos, minus solennis voluntas valet, quia causa intestati fovet causam testati. *leg. hac consultissima. §. ex imperfecto. Cod. de testam & l. fin. C. famil. herciscund* & quod condito testamento inter liberos non est necesse relinquere cuilibet filio legitimam titulo institutionis, ut accidit in in casu præsenti, *tenet expressè gloss. in d. Authen. novissima, & ibi per multa motiva Dominus Iason & Matthæus de Mathessilla. in suo notabili* 104. ergo dicendum est, hujusmodi testamentum valere ut res potius valeat quàm pereat *leg. quotiens. ff. de*
72 *reb. dub.* † maximè cum verba relata ad personam, debeant intelligi secundum qualitatem personæ. *l. plenum. §. equitij. ff. de usu & habita. cum simil.* Quintò, istud videtur alia ratione: Nam quando pater in testamento jubet filiam non plus petere, quàm sibi est relictum, ut in casu pręsenti, tunc videtur relinquere animo compensandi relictum cum legitima, & sic filia videtur implicitè instituta, *per. text. notabilem in pręalleg. leg. si adulta, & ibi hoc expresè tenet Bald.* ergo, &c. Sextò istud vi-
28 detur alia ratione: † quia in testamento condito à patre inter liberos semper subintelligitur, licet non exprimatur illa clausula, ut actus valeat omni meliori modo quo potest *glossa est notabilis, quam ibi ad hoc notant Ioannes de Imola, & Alexander in leg. cohęredi, in §. cum filiæ ff. de vulgar. & pupillar.* Sed sic est, quòd illa clausula posita in testamento patris, operatur, quod in casu in quo est necessaria institutio, intelligitur reliquisse titulo institutionis, *secundum Bald. in leg. quotiens, in ultim. colum. Cod. de hæredib. instit. & voluit Pau. de Cast. in Consilio suo 321. in antiquis, incipiente, In Christi nomine, amen. Super primo puncto quo quæritur, an testamentum*

ſit nullum, & c. circa finem. & Alexand. in
leg. nam quod, in § non omnis, in 3. colum. ff
29 ad Trebellia. ſicut dicimus de † clauſula co-
dicillari, quæ ſuſtinet teſtamentum, etiam
quando filius eſt penitus præteritus, ſecun-
dum Bart. in l. 1. in quinta queſtione. ff. de
jure codicil. & voluit Bald. in leg. fin. C.
de codicil. ergo, &c.

In contrarium tamen eſt veritas, ſcilicet
quòd hujuſmodi teſtamentum eſt penitus
nullum nec meretur dici teſtamentum:
quod breviter deduco per text. expreſſum
in prælleg. §. aliud quoque capitulum, junct
verſic. ſin autem hæc obſervata non fuerint,
30 ubi text. † pro forma ad validitatem te-
ſtamenti paterni jure noviſſimo, quicquid
fuit de jure antiquo, requirit : quòd filio
relinquatur legitima , vel aliquid loco le-
gitimæ titulo inſtitutionis : vel quòd no-
minatim exhæredetur , expreſſa una ex
quatuordecim cauſis , quas nominatim &
ſpecificè ſubjungit : quæ forma ſi ſervata
non fuerit, vult per hujuſmodi teſtamen-
tum nullum præjudicium filijs generari,
& ſic per illum textum corriguntur o-
mnia alia jura dicentia, quòd ſufficit relin-
qui quoquo relicti titulo : ita firmat ibi
gloſſ. ordinar. & poſt eam Bartol. & idem
Barto. plenius in Authent. de triente &
ſemiſſ. in princip. collat. 8. ubi inter alia
31 dicit, † quòd propter duas rationes fi-
lius debet habere legitimam jure inſtituti-
onis, ſcilicet propter jus accreſcendi , &
quia ille titulus eſt honorabilior: hoc idem
etiam vult gloſſ. ordin. in dict. leg. Papinia-
nus, in §. ſi quis mortis. & gl. ordin. in d. c.
Raynutius, ſuper verbo, relinquens, & gloſſ.
ordin. in cap. ſi pater, de teſtam. lib. 6. quæ
dicit hoc tutius & tenendum : & iſtam o-
pinionem apertiſſimè tenent in terminis
quæſtionis noſtræ dom. Ioan. de Imol. &
Alexand. in d. leg. inter cætera, ubi Alex.
dicit, quòd hęc eſt tutior & verior opinio, &
idem Ioan. de Imola in repetitione l. 1. in §.
ſi ex fundo. ff de hæred. inſtitut. ubi dicit,
quòd hæc eſt communis opinio , & quod
pridem ſecundum eam conſuluit, & quod
in conſulendo & judicando non eſt ab ea
recedendum: & idem Ioan. de Imo. dicit,
hāc eſſe communem opinionem in l. his ver-
bis, in 3. col. ff. de hęred. inſtit. & ibi hanc
opinionem etiam tenent. Bart. & Bald. i-
ſtam opinionem etiam tenēt Iac. de Raven.
Iac. de Arena, Petr. de bella pertica, Cyn.
Paul. de Caſt. & Salic. in d. auct. noviſſima,
& idem Salic. in d. leg. fin. Cod. famil. her-
ciſ. & idem Salic. in l. quotiens. C. de hæ-
red. inſtit. & Alexand. in d. §. non omnis:
& iſta eſt communis opinio tam legiſtarum
quàm canoniſtarum, ut atteſtantur Ioan.
Fa. Salic. & Iaſon in d. auct. noviſſima, &
Ludov. de Ro. & Alexand. in d. l. nam quod
in §. non omnis. ff. ad Trebel. & ſic in judi-
cando ſervanda , per ea quæ dixi ſuprà in
deciſione primi dubij.

Reſtat modo reſpondere objectis , pro
parte contraria factis, prima facie multum
apparentibus , quæ tamen ſi benè enucle-
entur, & viſceraliter intelligantur, non ob-
ſtant : ſed ſui debilitate ruunt. Et primò
non obſtat dict. l. Papinianus, in §. ſi quis
mortis, l. omnino, & auctent. noviſſima ſu-
prà allegata: quia per d. §. aliud quoque ca-
pitulum, qui eſt longè poſterior, corrigun-
tur: ut dictum eſt ſuprà: & ſic illi tanquam
32 † poſteriori ſtandum eſt , juxta ſuprà di-
cta. Non obſtat etiam dict. cap. Raynutius,
qui vel loquitur ſecundum jura antiqua,
vel illa fuerunt verba autoris decretalis,
non teſtatoris , ſecundum Salicet. in d. leg.
finali, Cod. famil. herciſcund. & Alexan. in
d. §. non omnis, & alios, in locis ſuprà allega-
tis. & ergo gloſſ. in d. ca. Raynutius ſupplet
ad literam verbi relinquens jure inſtitutio-
nis, & benè ſecundum Ioan. de Imola, & a-
lios noviſſimos, ibidem, & ſecundum eundem
Ioan. de Imol. in dict. leg. 1. § ſi ex fundo.
Non obſtat etiam tertium motivum, quo
dicitur, quod non omnes ſciunt dicere in-
ſtituo filium, vel relinquo jure inſtitutionis

Quia

Quia dico, prout dixit *Dom. Ioan. de Imo.*
in d. c. Raynutius, quòd debet sibi imputare
testator, si non consuluit peritiores, & si nō
33 adhibuit notarium peritum: † cùm jura
debeant ab omnibus sciri, *l. leges sacratissi-*
mæ, Cod. de legibus. Sicut enim mulieres
vel rustici vadunt ad nemus vel sylvam
pro lignis, & ad civitatem pro indulgen-
tijs, ita debent ire ad Jurisperitos pro con-
silijs: nec aliàs excusantur, quando id non
est difficile propter loci vicinitatem, ut in
casu præsenti: ita ad literam dicit Bald. &
post eum Salic. & novissimi *in l. juris igno-*
rantia, Cod. qui admit. ad bonor. possess. imò
plus dixit singulariter Bald. in dict. leg. ju-
ris ignorantia, in fin. & *sequuntur omnes*
34 *Doctores, ibidem videlicet*, † quod nun-
quam juris ignorantia excusat etiam rusti-
cum vel mulierem, quando aliquid requi-
ritur pro forma actus, & pro hoc dicto est
gloss. ordinaria in leg. amibguitates, Cod. de
testamen. Cùm ergo in casu præsenti pro
forma testamenti lex requirit, quod filia
instituatur, saltem in aliquo, nimirum, si
forma non servata, corruat actus non ob-
stante juris ignorantia: nec aliud facit *l.*
quotiens, in contrarium allegata: quia ibi
pater eos hæredes fecit, & cùm hoc bona
inter eos divisit, ut ibi clarè præsupponit
textus si benè inspiciatur, In quantum
autem loquitur de divisione non per quo-
tas sed per certas res, est contra *leg. cogi,*
in § & *generaliter, ff. ad Trebel.* & proce-
dere non posset, nisi inter omnes filios fa-
cta esset, ita quod non interesset, *ut latè ibi*
declarat Salic. & *Doctor.* Habet enim
35 communis opinio, quod verbum † relin-
quo, etiam adjectum in persona filij dum-
modo adjiciatur certæ rei vel quantitati,
ut in casu præsenti, non trahitur ad institu-
tionem, ut *expressè dicit do. Alex. de Imo. in*
d. § non omnis in 2. col. ubi ad hoc allegat
infinitas autoritates, quas brevitatis gratia
36 referre omitto, & sic non obstat. † Nec
obstat etiam quartum, quo dicitur, quod
inter liberos minus solennis voluntas suf-
ficit: quia id verum de minus solenni
voluntate ex defectu numeri testium: se-
cus autem quando testamentum esset im-
perfectum vel minus solenne ratione de-
fectus voluntatis, vel ex causa præteritio-
nis, ut in causa præsenti: Ita latè decla-
rant Doctores præsertim novissimi *in d.*
§. ex imperfecto, & *Salicet.* & *alij poste-*
riores in præalleg. leg. fina. C. familię her-
ciscund. Ad *glo. autem d. auten. novissima*,
& *autoritatem Iasonis* & *Matthęi*, respon-
deo: quod quia jure non probantur, imo
sunt *contra text. expressum in d. §. aliud*
quoque capitulum, qui restrictionem hu-
jusmodi non patitur, cùm distinctè loqua-
tur, & quia gloss. in pluribus passibus
supra allegata tenuit contrarium, non est
ei in hac parte contra seipsam, & contra
37 communem opinionem standum. † Et
quia autoritas Doctorum duntaxat est
probabilis & non necessaria, ita quod dun-
taxat ei stetur, quatenus jure non proba-
tur, & non aliàs, ut *vult gloss. ordinaria*
& *ibi Panorm.* & *Docto. in cap. 1. de postu.*
pręla. & *glo. juris civ.* & *Doctor. in l. si de*
interpretatione. ff. de leg. non est opinioni
Iasonis & Matthæi in hac parte, cùm non
sit jure munita, contra textum clarum &
communem opinionem standum. Ad id au-
tem quod dicitur, quod sic res debet inter-
38 pretari, ut potiùs valeat, quàm pereat: † Et
quod verba ad personam directa sunt intel-
ligenda secundum qualitatem personæ, re-
spondeo secundùm *Io. de Imo.* & *And. Si-*
culū in d. c. Raynutius, quôd illa procedūt,
nisi quādo data est certa forma à jure, pro-
ut est in casu nostro, ut patet *in d. § aliud*
quoque capitulū: quo casu ut dispositio va-
leat, necesse est formam traditā à jure esse
servatam, alias dispositio non valet, *per*
text. clarum cum ibi notatis per Doctor.
in leg. cum hi, in § si prętor. ff. de trans-
39 *act.* † forma enim est quæ dat esse rei,
leg. 3. §. Iulianus. ff. ad exhiben. Ideò non

mirum, si illa non adhibita, corruat actus. Nec obstat etiam *tex. in d. l. si adulta, cum autoritate Bald. ibi, quia contra Bald. tenet ibi Salic.* & *Alexand. in §. non omnis,* & *Ioan. de Imo. in d. c. Raynutius.* Et ad formam argumenti dico, quod non valet
40 consequentia, † testator videtur relinquere animo compensandi, ut probat *dict. l. si adulta,* ergo jure institutionis, nec hoc probat *dict. l. si adulta,* & sic illa lex non benè inducitur per Baldum. Non obstat etiam sextum motivum, de quo suprà: quia non est verum, quod in testamento per patrem condito, inter liberos subintelligatur clausula, ut valeat meliori modo quo potest
41 quando constat † eum voluisse testari, prout constat in casu præsenti ex eo, quòd quinque suas proles solenniter hæredes instituit: ex quo apertissimè constat, eum voluisse testari, & non codicillari, *per text. apertum in l. non codicillum, Cod. de testam.*
42 Jam est firma regula, † quòd si actus ultimæ voluntatis non valet eo modo quo agitur, non valet etiam eo modo quo valere potest, *dict. l. non codicillum,* & *l. 1. ff. de jure codicil. suprà allegat.* nisi ibi esset clausula codicillaris, quę non est apposita in testamento de quo est quæstio. Item est alia
43 regula, † quod quando actus habet defectum formæ, tunc si non valet eo modo quo agitur, non valet etiam eo modo quo valere potest, *c. cum super abbatia,* & *ibi canonistæ, de offic. deleg.* & *notatur per legistas in l. 1. in §. si quis ita, ff. de verb. oblg.* & huic formæ non posset renunciari, *juxta doctrinam singularem Bald. in cap. 1. qui succes. tene.* per quod tollitur & funditus enervatur contrarium. Ex quo etiã sequi-
44 tur, quod ipse † testator si viveret, nõ posset formam in casu præsenti omissam in testamento ex defectu omissæ institutionis filiæ supplere in codicillis: ut *singulariter dicit Bald. in d. l. non codicillum, in fin.* minus ergo hoc posset facere notarius: imò plus dixit Ricardus Malumbre in quadam sua disputatione, *ut refert dominus Ioan. de Imo. in repetitione præalleg. l. 1. §. si ex fundo,* & *Pau. de Cast. in præalleg. auth. novissima:* quod etiam si testator voluit testamẽtum dictari ad dictamen sapientis, tamen non poterit per sapientem adjici illa clausula jure institutionis: quia cum testamentum est nullum secundum eum ex defectu formæ non observatæ, non poterit validari ex dicto sapientis.

Ex quibus omnibus concludo, hujusmodi testamentum ex præteritione dictæ filiæ non institutæ, nec nominatim, ut oportuit, expressa causa legitima, exhæredatæ, esse penitus nullum: & sic dictam filiam cum alijs suis fratribus & sororibus ad hęreditatem sui patris ab intestato debere succedere jure, dicto prætenso nullo testamento non obstante: Judicio cujuslibet melius sentientis semper salvo.

CONSILIUM XVI.

SUMMARIA.

1 *Solutio legatorum fieri debet in moneta & valore tẽpore conditi testamenti currente, & num.* 3.
2 *Dicto unius jurati interdum statur.*
4 *Verba testamentorum frustratoriè adposita esse non censentur.*
5 *Consuetudo patrisfamiliâs ante omnia in dispositionib. dubijs est attendenda*
6 *Decurio etsi quis desijt esse, tamen in memoriã pristinę dignitatis non potest torqueri vel suspendi de jure.*
7 *Designatio sive destinatio testatoris tãtum operatur, quantum dispositio expressa.*
8 *Pecunia ad emptionẽ immobiliũ destinata rebus immobilibus annumeratur.*
9 *In dispositionibus quæ sunt contra jus commune, casus fictus ex indentitate rationis non trahitur ad verum.*
10 *Favor piæ causę in dubijs vincit.*
11 *Magna ratio est quę pro religione facit.*

12 *Favore piæ causę in dubio non venit id quod est minus.*
13 *Surrogatum sapit naturam ejus in cujus locum surrogatur.*
14 *Mutationem voluntatis allegans, eam probare debet.*
15 *Ultima voluntas pro lege servanda est.*
16 *Actus agentium ultra eorum intentionem non operantur.*
17 *Verbis claris standum est.*
18 *Debitor facto suo non potest deteriorem facere conditionem creditoris.*
19 *Ratio naturalis plurimũ attendenda est.*
20 *Pietas major versari debet erga conjunctos pauperes, quàm erga extraneos pauperes.*
21 *Deputatum ad unum pium usum non potest ad alium æquè pium converti, sine autoritate Papę.*

QUidam Dominus Ioannes de Heemvliet miles, anno Domini 1498. die sept. 19. suum condidit testamentũ, in quo inter alia Alexandro de Heemvliet suo filio naturali & illegitimo reliquit & legavit centum libras grossorum monetæ Flandriæ, & nonnullis alijs personis alias diversas summas, prout in instrumento desuper confecto plenius habetur: in quo siquidem instrumento testamenti inter cætera habetur talis clausula:

Item de voorsz Heer testateur begeert ende wilt/op dat hem namaels eenighe dingen voorquamen/daer syn ziele of conscientie soude mogen worden ghepraemt/ende hy dat syne executeurs naebescreven/oft eenige van hũ verkleerde dat dat sal zijn vã sulcker weerden ende auctoriteyt/als oft in dit syn testament ghescreven ende verkleert ware: id est: Item prædictus D. testator petit & vult, si ipsi postea quicquam occurrat, quo ipsius anima vel conscientia premeretur, ipseque hoc executoribus suis infra scriptis aut uni ex illis indicaverit, ut id ejusdem sit pretij & auctoritatis ac si in isto suo testamento scriptum atque declaratum foret. Deinde circa festum nativitatis Christi anni nonagesimi noni ante ipsum festum facta est per principem patriæ alteratio monetæ, ita, ut nullum aurum capi vel exponi possit, nisi suũ justum pondus habuerit, &c. prout in ordinatione desuper confecta latius continentur. Depost idem Dominus Ioan. miles anno nonagesimo nono undecima mensis Ianuarij, more scribendi gallicano condidit codicillum, in quo nonnulla legata in testamento relicta ad majorem summam augmentavit, & clausulam supra scriptam in teutonico idiomate in eodem suo codicillo reiteravit: & inter alia in dicto suo codicillo ordinavit, voluit, & desideravit, quod ducentæ libræ grossorum monetæ Flandriæ post mortem suam per suos executores juxta conscientiam eorundem distribuerentur pauperibus Christi: quas ducentas libras grossorum dictæ monetæ Flandriæ designando, dixit illas reperiri debere, suo judicio, in quodam loco per eum designato: & casu quo denarij reperiendi in dicto loco per eum specificato non sufficerent, in eum eventum voluit, quòd id quod deesset caperetur ex alio loco & arca per eum designatis. Modò in loco per eum primitùs designato non sunt reperti nisi octingenti floreni Rhenenses: in loco autẽ secundo designato per eum, repertæ sunt pecuniæ & clenodia sufficientes & sufficientia, pro exolutione summæ deficientis in prima arca. Voluit præterea idem Dominus testator, quod 18. libræ grossorum monetæ Flandriæ darentur pauperibus Christi, sumendæ ex alia capsula proxima primæ, in qua dicebat esse octodecim libras monetæ Flandriæ vel circiter, & reperti sunt in ea ducenti floreni Rhenenses vel circiter. Voluit etiam, quod ex alia arca in qua dicebat esse pecuniam, sine tamen certa specificatione certæ quantitatis, solverentur:

tur 6. libræ, & 36. libræ neptibus suis ibidem specificatis. In qua arca nõ tantum repertum est, quantum ascendit summa per eum specificata in qua testator ipse prædictis suis neptibus obligabatur. Voluit etiã, quòd ex pecunia & alijs iocalibus in quodam loco seu arca per eum specificatis caperentur 94. libræ grossorum monetæ Flandriæ pro facienda assignatione unius reditus sufficientis pro onere celebrationis unius missæ quotidianæ perpetuis temporibus in municipio de StavenisseComitatus Zelandiæ celebrandæ.

Ex isto themate formantur dubia & quæstiones subtus tactæ. Et primò, in qua moneta seu valore solvi debeant legata dicto Alexandro & alijs in testamento dicti Domini Ioannis relicta. Secundò, quid operetur dicta clausula, Item **de voorsz. Heer testateur/ &c.** id est, item prædictus Dominus testator. Tertiò, in qua moneta solvi debeant legata in codicillis relicta, vel in testamento data, & in codicillis augmentata quo ad augmentum eorundem. Quartò, an dictæ 18. libræ debeantur pauperibus Christi, cùm dicatur, testatorem expresse voluisse, quòd duntaxat ducentæ libræ grossorum monetæ Flandriæ pauperibus Christi distribuerentur: & hoc notario causæ uni ex executoribus suis, cujus dicto priùs stari voluit, in secreto post ordinationem codicilli sæpius dixisse & repetiisse, sibique ut hoc suis coexecutoribus & hæredibus publicaret, injunxisse fertur, & si sic: An duntaxat dictæ 18. libræ debeantur, an etiam totum quod superest repertum in dicta arca, & in qua moneta. Quintò, an designatio testatoris præjudicare posset dictis neptibus creditricibus in summis pecuniarijs ipsis debitis. Sextò, an Dominus de Oostende maritus sororis dicti Domini Ioannis defuncti legitimæ hæredis ejusdem Domini Ioannis sui fratris, ab intestato præferri debeat alijs extraneis, offerendo securam & bonam assignationem, ad & supra bona & sufficientia contra pignora ad eum spectantia usque ad summam dictarum 94. librarum grossorum monetæ Flandriæ. Septimò, inter quos pauperes debeat fieri distributio legatorum pauperibus relictorum, An inter pauperes oppidi Bruxellensis duntaxat, ubi dictus testator decessit, vel an etiam inter pauperes consanguineos dicti Domini Ioannis defuncti. Octavò, an ex isto legato aliquid pro reformatione fabricæ applicari possit, ita quod relictum pauperibus possit partim Ecclesiæ ruinosæ pro reparatione ejusdem applicari. Nonò, an legata sint quam primùm solvenda pauperibus, vel an differenda sit solutio eorundem propter dubium eventum litis in Cancellaria Burgundiæ pendentis, usque ad decisionem ejusdem.

Et respondeo prætactis dubijs sigillatim succinctè per ordinem, absque prolixa jurium allegatione: cùm hoc sit consilium decisivum, non ad unius partis petitionem editum, sed ad requisitionem judicis: sequẽdo in hoc *not. Ioan. And. in c. sicut, de re*
1 *judica.* Dico primò ad primum, † quod solutio legatorum in testamento dicti Ioannis relictorum fieri debet in moneta & valore, quæ tempore datæ testamenti cursum habebat, *per textum notabilem in leg. uxorem, in § testamento. ff. de leg. 3. junct. leg. medico, in princip. ff. de auro & argen. legat. cum vulgarib.* ita in his terminis decidit *Oldrad. in consilijs suis* 13. 31. & 250 ita etiam decidit *Ioan. Andr. in addit. ad Specul. in titu. de obligat. & solut. circa fi. ita etiam determinat dom. Panorm.* & *communiter alij Canonistæ in cap. quanto, de jurejur. & in c. olim. & in cap. cum canonicis, ubi bonus text. de censi. & Doctor. in infinitis alijs passibus, quos brevitatis gratia omitto,* & tantum de prima quæstione.

Ad secundam autem quæstionem dico breviter: quòd dicta clausula operatur hũc
2 effectum, † ut si postea testator dixerit uni ex

ex executoribus aliquid faciendum esse,
quod dicto talis, licet sit unus, standum e-
rit, ex quo testator hoc voluit: quemad-
modum staretur depositioni solius defun-
cti, dummodo tamen talis juratus dicat, se
hoc habuisse à defuncto in mandatis: nec
est necessaria præsentia partis in præstatio-
ne hujusmodi juramenti: ut de istis omni-
bus est casus singularis & quotidianus, cũ
ibi not. per Bartol. & Doctor. *in l. Theo-
pompus. ff. de dote præleg.* & *voluit Pau. de
Cast. in le. 1. in §. & post operis. ff. de novi
operis nuncia.* pro hoc etiam est bona glos.
*in l. Lucius, in §. fin. & ibi Bart. & Doct.
ff. de legat.* 1. & benè facit ad propositum
quod notat dom. Petr. de Ancho. *in consi-
lio suo* 436. *incipiente, in Christi nomine,
Amen.* In his dubijs, &c. circa principium
faciunt etiam not. per Alexand. Iason. &
alios Modernos *in le. captatorias. C. de te-
stamen. milita.* & tantum de secunda quæ-
stione.

Ad tertiam autem quæstionem, quæ in-
ter cæteras plus dubitationis habet, vide-
tur prima facie dicendum, † quod solvi
3 debeat pecunia in valore currente tempo-
re datę testamenti seu ultimæ voluntatis,
per suprà allegata. In contrarium tamen
faciunt conjecturæ & rationes infra scri-
ptæ. Primò ex quo testator designat pecu-
niam, ex qua vult legatum solvi, & locum
ejusdem, utendo pronomine demonstrati-
vo, illam: videtur habuisse respectum ad
valorem pecuniæ ibidẽ reperiendæ, quam
pro solutione legati designavit, deputavit,
seu destinavit: Præcipuè quando habendo
etiam illum respectum, pecunia designata
vel destinara solutioni adhuc non sufficit
pro exolutione legati, ut in casu subjecto,
quoad ducentas libras grossorum monetæ
Flandriæ pauperibus relictas, & maximè,
quando demonstratio, designatio, vel de-
putatio, operari non potest effectum, de
quo *in l. quidam testamento, in princip. ff.
de leg.* 1. quia per aliam clausulam decla-
ratum est, ubi summa restans capietur, ut
in casu nostro: & sic videtur frustratoriè
4 apposita, † quod esse non debet. *l. si quando
in princip. ff. de l. 1. & cap. si Papa. de pri-
vileg. libr. 6.* & maximè quandò mutatio
monetæ non diu præcessit talem disposi-
tionem, ut etiam in casu nostro: cum hoc
casu consuetudo patrisfamiliâs pristina
nondum sit penitus extirpata, sed adhuc
inhæreat sensibus & ossibus ejusdem: quæ
5 consuetudo † patrisfamiliâs ante omnia in
dispositionibus dubijs est attendenda *l. in
conditionibus primum locum, in princip. ff.
de condi.* & *demon. l. vel universorum. ff. de
pigno. acti.* & *l. si servus plurium. §. si nu-
meros numerorum. ff. de leg. 1. cum vulga.*
6 Hinc videmus, quod decurio † postquam
desiit esse decurio, in memoriam pristinæ
dignitatis non potest torqueri nec suspen-
di de jure: sed alia pœna minus vili est af-
ficiendus. *l. moris est. § fin. ff. de pœnis, cum
vulga.* & sic mens ejusdem testatoris fuisse
videtur, quod solvi debeat in tali valo-
re, qui cursum consuevit habere pau-
lo ante, saltem usque summam ibidem re-
pertam solutioni destinatam: quæ destina-
7 tio † in terminis vel dispositionibus juris
communis plurimum operatur: *ut est tex.
peculiaris, & Raphael Fulg. Alexand. de
Imo. & Doctor. in l. à divo Pio, in §. fin.
ff. de re jud.* & *est bonus text. in l. si chorus
in §. 1.* & *in l. qui filium. ff. de lega.* 3. Vi-
detur enim in casu præsenti, concurrenti-
bus supra dictis, tantum operari designatio
testatoris, sicut operaretur dispositio testa-
toris expressa, per quam declarasset, velle
fieri solutionem in tali vel tali moneta: vel
si testator ex manu solutionem legati fe-
cisset, prout fieri potest *juxta l. Lucius. ff.
de lega.* 2. licet tunc mutet nomen legati,
& recipiat nomen donationis. Ex quo plu-
res sequuntur notabiles effectus, ut est glo.
valdè notabilis, & ibi Doct. *in l. legatum.
ff. de lega.* 2. quod ultimum non prose-
quor, quia proposito non servit. Nec præ-

missis obstat *theorica Bald. Angel. & alio-*
8 *rum*, † *in l. cætera: in §. sed etsi paraverit. ff. de legat. primo*, ubi dicunt, quod si est consuetudo in aliquo loco, ut est hîc Bruxellæ, quòd prædecedente uxore maritus superstes lucretur omnia mobilia sub onere æris alieni &c. & sit pecunia posita in banco, destinata ad emptionem rerum immobilium, ex solo hujusmodi pecunia non computabitur inter immobilia, licet sit destinata ad emptionem immobilium: quare maritus superstes eam lucrabitur, sicut lucraretur alia mobilia, secundum eos. Quia posset responderi, ut dicit dom. Alexand. *in leg. I. in §. fuit quæsitum, ad Trebel. & in d. leg. à divo Pio, in §. fi.* quod illa theorica procedit in disputationibus, quæ sunt contra jus commune: & ergo nô
9 est mirum, † quod in eis casus fictus non trahitur ad verum ex identitate rationis: *tex. est notabilis in c. cum dilectus & in c. ad audientiam, de cleric. non residen. cum similib.* Videtur ergo conclusivè dicendum quod quo ad octingentos florenos Rhenēses in prima arcula repertos fiet solutio in valore pristino, quem denarij ibidem reperti comperiuntur habere: quo verò ad alios quadringentos florenos restantes de ducentis libris grossorum monetæ Flandriæ, quos testator suppleri voluit ex alia arcula per eum specificata, in qua reperta dicitur summa pecuniaria, longè excedens summam quadringentorum florenorum Rhenensium, ut præmittitur restantium, posset dici solutionem fieri debere in valore, qui cursum habebat tempore datæ codicilli, prout regulariter facienda est solutio, ut suprà dixi.

Et si quæras, cur tàm variè in istis quadringentis florenis? posset responderi, quòd ideo, quia designatio hoc ultimo casu operatur effectum suum, ad quod principaliter ordinata fuit, puta effectum suppletionis ejus, quod deest in alia arca. Cùm ergo satis per hoc operetur, non debet eadem designatio extendi, vel interpretari, ut operetur aliquid circa valorem monetæ: sed quò ad hoc remaneat dispositio generalis & jus commune, de quo suprà, in suo vigore: non sic autem fuit in primo casu, in quo designatio in dubio debet censeri adhibita, ut hæredes defuncti instruantur, ubi dictas ducentas libras grossorum monetæ Flandriæ sine incommodo rei familiaris habere possint: *ut est text. ad literam in præalleg. l. quidam testamento, in princip.* Sed si hoc commodum rei familiaris attendamus unà cum subita mutatione monetæ, & cum alijs conjecturis, de quibus suprà, videtur rationabiliter dicendum, quòd suprà dixi, pro quo etiam benè facit *text. in l. Lucius, §. civibus. ff. de legat. secundo*, ubi est casus, quòd si testator relinquat reipublicæ nomen debitoris sui Seij, & postea in codicillis vetet à Seio aliquid exigi, sed ab hærede petat, ut ipse ex alterius debitoris per eum nominati debito reipublicæ solvat: si ille secundus debitor reperiatur non solvendo, hæres solùm tenetur ad cedendum reipublicæ actionem contra illum debitorem in codicillis nominatum, & minimè ad solvendum legatum reipublicæ: ergo ita dicendum erit in proposito: quia sicut ibi designatio surrogata in locum nominis legati operatur, ut hæres cedendo actionem liberetur, & sic media via eligatur, ut legatum ex toto non pereat: & tamen hæres non teneatur integrum legatum solvere, etiam reipublicæ, ita etiam in proposito hoc operabitur designatio junctis alijs conjecturis, de quibus suprà, ut non servetur rigor juris, sed eligatur media via, de qua suprà. Sed istis non obstantibus, credo contrariam opinionem veriorem, primò per allegata suprà in decisione primi dubij, secundò pro hac opinione
10 nô parum facere videtur, favor † piæ causæ, qui in dubijs vincit, *cap. fin. de re judic.*

cum

11 *cum similibus*, † magna enim est ratio,
quæ pro religione facit, *l. sunt personę. ff.*
de religio. & sumptib. funeb, pro hac par-
te etiam benè facit *l. Titia. §. Seia. ff. de*
12 *auro & argen. leg.* ubi favore † religionis,
vel piæ causæ in dubio non venit, quod est
minus: unde si legetur Ecclesiæ calix,
non debetur æneus, sed argenteus vel au-
reus: ut ibi. Et ad contraria facilius est so-
lutio. Nam primo non obstat, *l. à divo Pio*
§. fina. quia potest responderi, quòd text.
ille benè probat, legatum istud, de quo est
quæstio exolvi debere de pecunia in cistu-
la illa inclusa: sed non probat, pecuniam ci-
stulæ prædictæ inclusam debere æstimari,
secundum valorem illum aut istum: Cùm
solùm dicat, pecuniam destinatam solutio-
ni vel ad prædiorum comparationem ca-
pi posse, ut judicato satisfiat, etiam si sit
pupillaris. Non obstat etiam *l. si chorus.*
§. primo, quia nihil aliud probat, etiam si
longissimè protrahatur, quàm de pecunia
cistulæ inclusa, solutionique legati desti-
nata, fieri posse legati solutionem: etiam
si postea generaliter testator mobilia le-
gasset: quod huic opinioni nihil obstare vi-
detur. Nihil etiam diversum ab isto pro-
bat *leg. qui filium*, pro parte contraria ad-
ducta, & sic cessat quod de destinatione
suprà allegatum est. Non obstat etiam
dicta l. Lucius. §. civibus: quia ibi media
quædam via eligitur, ne legatum redda-
tur inutile & pereat: quod in casu præsenti
timeri non debet, cum testator declara-
verit, ubi summa restans quæ deesset capi
debet: & testator demonstrando pecuni-
am, de qua solvi voluit legatum præsum-
ptione juris nihil aliud fecisse videtur,
quàm voluisse hæredibus demonstrare,
unde sine rei familiaris dispendio sumi
possent pecuniæ pro legato exolvendæ: ut
dicit *textus in præalleg. l. quidam testa-*
mento, ergo nec in casu isto aliter præsu-
mi debet. Præterea nimirum, si in casu
dict. §. civibus, hæres non teneatur, nisi ad
13 cedendum actionem: † quia surrogatum
debet sapere naturam ejus, in cujus locum
surrogatur, *l. si cum. §. qui injuriarum.*
ff. si quis cautio. sed si non intervenisset
illa surrogatio, certum est, hæredem non
fuisse obligatum, nisi ad cedendum actio-
nem, *l. si sic. § primo, ff. de legat.* 1. er-
go nec nunc ad plus obligari debet, quare
non obstat. Et hæc quoad ducentas libras
grossorum monetæ Flandriæ pauperibus
relictas. Quo autem ad alia legata in eo-
dem codicillo relicta, vel in eodem aug-
mentata, quoad augmentum eorundem
nulli dubiũ est, quin in eorum exolutione
tempus datæ codicilli sit inspiciendum, per
præallegata, & tantũ de tertia quæstione.

Ad quartam autem quæstionem, quæ
tacitè in se continet tria quæsita, Respon-
deo breviter. Ad primum affirmativè,
quòd sic. Ratio est, quia clarè constat de
voluntate testatoris, nec aliquo modo con-
stat de mutatione voluntatis ejusdem. Si
enim notarius instrumenti medio jura-
mento asseveraret, testatorem mutasse vo-
luntatem, & sibi injunxisse, ut id propala-
ret, tunc vigore antè tactæ clausulæ. **Itẽ**
de voorsz Heer testateur/&c. standum
sibi fuisset, ut suprà dixi. Sed quia ipse ju-
ratus de mutatione voluntatis nihil se sci-
re dicit, sequitur, quòd dicta clausula nihil
14 operatur, & sic ista regula, † quòd qui mu-
tationem voluntatis allegat, eam probare
debet, *l. fideicommissa. § si rem. ff. de leg.* 2.
& d. l. Lucius, cum vulgar. Cùm ergo hìc
15 nihil sit probatum, standum est ultimæ †
voluntati dicti quondam domini Ioannis,
quæ pro lege servanda est. §. *disponat. in*
Authen. de nup. collat. 4. pro quo videtur
casus *in l. quinquaginta. ff. de proba. & in*
l. planè. 1. & 1. *§. cum utrobique nota. per*
Doct. ff. de le. 1. Ad aliud autem responde-
tur breviter, quòd solùm 18. libræ deben-
16 tur, & nõ plus. Cujus ratio est, † quia actus
agentium non operantur ultra intentionẽ
eorum, *l. non omnis ff. si certum peta. cum*

17 *gari.* & quia verba † sunt clara, eis standum est, *l. non aliter. ff. de lega.* 1. & facit: quia quemadmodum æstimatio testatoris nihil operatur, *l. si fundum sub conditione, in §. si libertus. circa fin. cum ibi nota. per Barto. Bald. Ang. Pau. de Cast & alios. ff. de legat.* 1. ita designatio ultra effectum prætactum & ultra effectum *l. si servus legatus, in §. qui quinque ff. de lega* 1. *cum simili.* non operabitur argumentum contra proprium significatum vocabuli, *arg. l. legata inutiliter, ff. de lega.* 1. Ad aliud autem patet solutio ex prædictis.

Ad quintam autem quæstionem respõ-
18 detur breviter, quod non, † quia debitor facto suo non potest facere deteriorẽ conditionem creditoris, *l. nuda, l. non epistolis, & l. rationes, C. de probat. cum similibus:* & sic concludo, quod dictis neptibus facienda est plena & integra solutio de dictis summis, per suprà allegata.

Ad sextam autem quæstionem respondeo breviter affirmativè, quod sic: dum
19 modo bona & secura assignatio fiat: † Cùm frustra fiat per plura, quod fieri potest æq́, benè per pauciora: & frustra extra quæritur, quod intus habetur, juribus vulga. & hoc suadet naturalis ratio, quæ plurimum est attendenda, *l. scire oportet. §. sufficiat, & ibi Bald. ff. de excusa. tut.*

Ad septimam autem quæstionem respondeo similiter breviter: quod quia pauperibus legatum istud relictum est, ex eo legato primùm subveniendum est pauperibus consanguineis defuncti, sub ea quali-
20 tate & aliàs minimè: † major enim pietas versari debet erga conjunctos pauperes, quàm erga extraneos pauperes. Deindè pauperibus non consanguineis, loci originis, etiam aliquid, parum tamen distribuendum est. Residuum vero in hoc oppido Bruxellensi, ubi testator moram traxit & decessit, distribuendum erit, vel pauperibus aut hospitali pauperiori, prout visum fuerit executoribus, ad usum pauperum & infirmorum deputandum, pro hoc *text. nota. cum ibi not. per Præpositum & alios, in cap. non satis, 86. distinct.* & *per gl. & Doct. in cap. quiescamus, 42. distinct. & per glos. Panorm. & Docto. in cap.* 1. *de cohabit. cleric.* & *mulier.* & *per And. Siculum, in cap. cum tibi, de testam.* & *per dominum Pet. de Anch. in cons. suo suprà allegato,* & *habetur* & *notatur in l. si quis ad declinandam, C. de episc.* & *cleric. in cap. judicante, de testa. cum similibus.*

Ad octavam autem quæstionem respõ-
21 detur breviter: quod non, † quia deputatum ad unum usum pium, non debet neque potest converti in alium usum etiam pium, nisi interveniente autoritate sedis Apostolicæ, quando in usum deputatum converti potest; ut est *text. notabilis,* & *ibi gloss. Cardin.* & *Docto. in Clem. quia contingit, de religi. dom. est bonus text.* & *ibi Panorm.* & *Docto. in cap. nos quidem, de testam.* & *in l. legatum,* & *ibi Bart. ff. de usufruct. legat.* & est ratio, quia non debet discooperiri unum altare, ut cooperiatur aliud, *cap. cum causam, de præbend. cum similib.* Possent tamen executores cum autoritate Episcopi, Ecclesia reparatione necessaria egente, & unde reparetur non habente, sine pauperum gravi damno, maximè si fames pauperibus non immineat, aliquid pro reformatione fabricæ, vel Ecclesiæ distribuere: ut pulchrè determinat *Ioan. And. in cap. fin. de testa. lib. 6. in novella,* alias autem minimè, ut dixi.

Ad nonam autem & ultimam quæstionem respondeo: quod ultima voluntas dicti domini Ioannis testatoris, tàm quò ad debita, quàm quò ad legata, in continenti & quamprimum hoc fieri possit executioni debitæ est demandanda, non obstante processu, de quo in themate hujus quæstionis, quem processum testator scivit esse inchoatum, & illo non obstante ordinavit suam ultimam voluntatem demandandam esse executioni, antequam hæredes sui aliquid

quid de hæreditate sua accipiant: unde nemini dubium est, quin senserit eam, quamprimum executioni debere mandari, *argumento. §. non solum. Institut de legat* & *argumento l. cum alienam, C. eodem cum vulgaribus*: & tantum de nona & ultima quæstione.

CONSILIUM XVII.

SUMMARIA.

1 *Verisimile non est testatorem voluisse heredem suum duplici onere gravare.*

2 *Debitor quis efficitur aut ex causa voluntaria, aut necessaria.*

3 *In necessitatibus nemo est liberalis.*

4 *Æquum est, ut qui in uno gravatur, in alio relevetur.*

5 *Debitor ex causa necessaria legans aliquid creditori suo, videtur illud relinquere animo compensandi cũ debito.*

CAsus est talis, Dominus Ioannes de Heemvliet in armis miles, in suo testamẽto reliquit filio suo naturali centum libras grossorum monetæ Flandriæ: defuncto dicto Domino Ioanne testatore, præfatus Alexander petit ab executoribus testamenti præfati quondam domini Ioannis centum libras sibi legatas, & novem alias libras, in quibus dicit præfatum quõdam dominum Ioannẽ dum vixit, ex contractu, vel quasi sibi fuisse obligatũ. Executores autem dicunt, eum duntaxat debere habere legatum, quæritur quid juris: An scilicet utrumque habere debeat, & legatum & creditum: an altero tantùm debeat esse contentus.

Et videtur, quod altero tantùm debeat esse contentus, quia non est verisimile, †
1 testatorem voluisse hæredem suum duplici onere gravare, *l. si Titia, cum testamento in §. qui invita. ff. de legat. 2.* & *videtur text ad literam in l. si cum dotem in §. si pater. ff. solut. matrim.*

In contrarium tamen est veritas, scilicet, quòd debet habere utrumque scilicet & legatum & creditum etiamsi legatum agnovit, *textus est apertus cum sua glossa in l. creditorem. ff. de legat. 2. & in l. unica, in §. sciendum. C. de rei uxo. actio.* Nec obstat contrarium de *dicto §. qui invita* quia non est verum, quòd hæres defuncti hoc casu gravatur duplici onere: In eo enim, quod ut hæres solvit æs alienum defuncti, non gravatur per defunctum. Non obstat etiam *dict. l. si cum dotem, in §. si pater,* quia pro pleno intellectu hujus materiæ est distinguendum, † Quòd aut quis
2 est debitor ex causa voluntaria, utputa ex contractu vel quasi, qui à principio sunt voluntatis, *l. sicut ab initio, Cod. de action. & obligation.* & hoc casu si talis debitor facit legatum creditori suo, consequetur creditor utrumque, nec præsumitur legatum factum animo compensandi cum debito, nisi hoc dicatur expressè per *dictam leg. creditorem, & d. §. sciendum.* Aut verò aliquis est debitor ex causa necessaria, hoc est, ex dispositione legis quæ ipsum invitũ obligat, & contingit in patre, qui velit nolit cogitur dotare filiam suam, *l. qui liberos. ff. de ritu nupt. cum similib.* & hoc casu, si debitor ex causa necessaria relinquat legatum creditori suo, debebit creditor altero tantùm esse contentus, & videtur legatum relictum animo compensandi cum debito, & sic loquitur *dict. §. si pater.* Et ratio diversitatis est, quia in † necessitati-
3 bus nemo est liberalis, *l. rem legatam. ff. de adim. legat.* Et † qui in uno gravatur æ-
4 quum est, ut in alio relevetur, *l. eum qui, in prin. ff. de jurejuran. ita sentit glos. ordin. in dicta l. si cum dotem. in §. si pater, in secunda sua solutione, quam dat ad d. §. sciendum, & hanc theoricam gl. approbant & declarant ibi Bart. Bald. Ang. Pau. de Castr. Ioan. de Imola, Alexan. de Imola, & omnes, & Barto. & Docto. in l. hujusmodi, in §. cum pater, ff. de leg. 1. & Bald. in l. si uxor.*
5 *C. de bon. auto. jud. possid.* Nec obest, quod

in casu præsenti testator defunctus fuit pater legatarij, prout etiam fuit in casu *d. §. si pater*, quia id non attenditur, an debitor sit pater, an alius: sed an dispositio legis ab initio eum invitum ad aliquid obliget, prout accidit in *d. §. si pater*, vel non obliget, ut in *dicto §. sciendum*, & sic an sit debitor necessarius vel voluntarius, ut pulchrè & singulariter declarat *Bart. post Iacob. de Aret. & alios in materia statuti dãtis marito superstiti lucrum dotis in aliqua parte, & sequitur Imola, & communiter Doct. in dicto §. si pater, & idem Barto. & Docto. in Authen. præterea, C. unde vir & uxor, & ibi præcipuè, dom. Iason. quid icit hanc esse communem & veram sententiam*, tenebatur enim pater in casu *d. § si pater*, exigere dotem propter absentiam filiæ, & dotem exactam conservare filiæ ex necessitate, *auct. sed quamvis, Cod. de rei uxo. actio.* & ideò legatum ab eo factum, intelligitur relictum animo compensandi, ut in *dict. § si pater*, sed in casu nostro prę senti, dictus dominus Ioannes defunctus ex dispositione legis non tenebatur præfato domino Alexandro legatario filio suo naturali, sed duntaxat ex suo contractu vel quasi, & ideò legatum per eum relictũ Alexandro non censetur relictum animo compensandi, ex quo hoc nõ fuit expressè cautum in testamento, per prædicta. Concludendo ergo dico, Alexandrum, utrumq; debere consequi, dummodo tamen de debito sufficientem fidem faciat.

CONSILIUM XVIII.

SVMMARIA.

1 *Inter contendentes de pignore prẹvalet jure, qui prior est tempore.*
2 *Vigilantibus jura subveniunt.*
3 *Confessioni vel scripturæ privatæ in præjudicium tertij non creditur, nisi habeat subscriptionem trium testium fide dignorum.*
4 *Privata scriptura tantum contra scribentem probat.*
5 *Paria sunt non esse & non adparere.*
6 *Pignus nuda conventione contrahitur.*
7 *Creditores chirographarij hypothecam non habentes admittuntur post creditores habentes & privilegiatos.*

DUo erant creditores, puta Ioannes Kiel, & Iacobus de Crudenare, quorũ alter, puta Ioannes de debito & hypotheca anteriori docet per scripturam privatam manu propria ipsius debitoris, puta domini Ioannis Leyns, dum vixit presbyteri scriptam & subscriptam. Alter verò, puta dictus Iacobus de hypotheca posteriori docet per instrumentum publicum in formam publicam redactum. Quæritur modò, quis eorum præferatur, Et videtur prima facie dicendum, quòd dictus Ioannes tanquam primus præferri debet, per
1 regulam, † qui prior est tempore, potior est est jure, cùm enim de pignore utraque pars contendit, prævalet jure qui prævenit tempore, *leg. 2. Cod. qui potio. in pigno. habe.* & *l. potior*, & *l. qui balneum. ff. eodem tit.* & *text. melior de jure, in l. si prior in fin. ff. illo eod. tit.* qui probat id esse verum, etiam si posteriori creditori res pignori data prius tradita sit, quam legem ad hoc singulariter ponderat domin. Iason *in l. quotiens, in 3. limitatione. Cod. de rei vend.* Et procedit dicta regula etiam, ubi prima obligatio pignoris esset generalis, & secunda specialis, *leg. si generaliter, C. qui potio. in pigno. habea.* & *l. 2. ff. eod. ibi* & *per Angel.* & *Doctor.* facit etiam pro dicto Ioanne Kiel, quòd ipse diligentior fuit in processu, cùm primò dicitur procurasse arrestationem bonorum debi-
2 toris. † vigilantibus enim jura subveniunt, *l. pupillus, in fin. ff. quę in fraud. cred. cum similibus.* In contrarium tamen est veritas,

ritas, quia debet præferri dictus secundus creditor, de cujus hypotheca constat per instrumentum publicum, licet sit posterior, *iste est text. expressus in l. scripturas, in fin.* & *in Authen. ibi posita, Cod. qui potio. in pigno. habe.* & est ratio, quia si concessioni debitoris in hac parte esset fides adhibenda, posset ipse debitor de facili præponere posteriorem creditorem priori, quod esset absurdum: Ut ergo hæc fraus tolleretur, statuit lex, quod quando est contentio inter creditores super prælatione, & ex una parte constat de hypotheca per instrumentum publicum, ex alia autem parte non constat, nisi per scripturam privatam continentem in se
3 confessionem debitoris, † quod tunc tali confessioni vel scripturæ privatæ non est standum, in præjudicium tertij, nisi talis privata scriptura habeat subscriptionem trium testium fide dignorum, ut dicit *text. in præalleg. l. scripturas.* Licet enim
4 illa privata † scriptura faciat fidem contra scribentem, tamen non facit fidem contra secundum creditorem: secundum omnes Doctor. *in præalleg. leg. scripturas.* & per hæc respondetur ad jura motiva in contrarium allegata, quia illa procedunt, quando de prioritate hypothecæ legitimè constat per publica documenta, aliter quàm per confessionem debitoris, sed in casu præsenti non dicitur constare de prioritate illius qui exhibet privatam scripturam, ex quo illa contra tertium non facit fidem, ut prædixi, & sic
5 perinde est, ac si non esset, † quia paria sunt non esse, & non apparere *l. in leg. ff. de contrah. emptio.* & *l. duo sunt Titij. ff. de testam. tute.* & imputet sibi qui contentus fuit cum dicta privata scriptura, *ut dicit Authen. si quis vult caute. Cod. qui potio. in pigno. habe.* & discat de cætero cautius mercari, *argumento l. 2. Cod. de furtis.* Nec nocet, quòd realis non
6 intervenit traditio, cum pignus † nudè contrahatur, *leg. 1. in principio. ff. de pignor. actio.* & *l. si tibi decem millia dem, in §. de pignore,* & *ibi Doctores, ff. de pactis, ut vult Ioan. Fab.* & *Doctores, in §. item Serviana, Instit. de actionibus.*

Concludendo ergo dico, Iacobum de Crudenare præferendum esse Ioanni Kiel: ita quòd dicto Iacobo de bonis quondam Domini Ioannis Leyns integralis solutio fieri debet antequam dictus Ioannes (de cujus hypotheca, ut præmittitur non constat) aliquid percipere possit, sed in quantum aliquid superfuerit post integram solutionem factam dicto Iacobo, ad illud admitti debet, quia ut prædixi dicta privata scriptura saltem probat, dictum dominum Ioannem sibi fuisse obligatum, & sic po-
7 terit venire cum † alijs creditoribus chirographariis hypothecam non habentibus, post creditores tamen hypothecam habentes, & alios privilegiatos, *leg. pro debito, cum ibi notatis per Bald.* & *Docto. C. de bonis auto. jud. possid.* & *l. privilegia, cum ibi notatis, ff. de privil. creditor. cum alijs vulgaribus.*

CONSILIUM XIX.

SVMMARIA.

1 *Ad probandum matrimonium verbis contractum requiruntur verba reciproca, clara & per ipsos contrahentes intellecta.*

2 *In causa matrimoniali agitur de statu hominis.*

3 *Testes deponentes extra articulata, nihil probant, quasi super hoc non jurati.*

4 *Quando articulantur formalia verba intervenisse in aliquo actu, si illa precisè non probantur, reus absolvendus venit.*

5 Ex

5 *Ex condormitione solius cum sola, nudi cum nuda præsumitur copula carnalis subsecuta.*
6 *Raptores & ejusdem adhærentes, pœna capitis plectendi sunt.*
7 *Testibus criminosis & socijs criminis nulla fides adhibenda est.*
8 *Confessio extrajudicialis sola nõ probat*
9 *Compater alicujus nõ est testis integer*
10 *Excõmunicati in testes produci nequeũt*
11 *In causa matrimoniali sicut in testamẽtaria requiritur quod testes sint rogati.*
12 *Testes in causa matrimoniali omni debent esse exceptione majores.*
13 *Nemo præsumitur omni except. major.*
14 *Plus statur duobus testibus deponentibus de metu quàm centum deponentibus de spontanea voluntate,*
15 *Persona religiosa metum intulisse non præsumitur.*
16 *Per verba* Sponte facio, *per metum passum tempore metus prolata, non purgatur metus, sed geminatur.*
17 *Clausulę insolitæ inducunt fraudis pręsumptionem.*
18 *Metus cõditionalis excludit libertatem consensus.*
19 *Agens possessorio recuperandæ in causa matrimoniali, titulum & copulam probare tenetur.*
20 *Matrimonium per metum contractum est ipso jure nullum.*
21 *Actus spontanei per ipsum metum passum quomodocunque facti, metum qui præcessit non purgant: Imò magis cõfirmant.*
22 *Sub spiritu timoris, nunquam purgatur metus.*
23 *Paria sunt aliquid fieri coactè, vel timore coactionis.*
24 *Ex vicinitate actuum judicandum est metum durare.*
25 *Metus purgatur, quando ex longo intervallo fit actus in contrarium.*
26 *Ab exordio posterior formatur eventus.*
27 *Potentia nocendi in habitu, & potentia nocendi in actu & exercitio æquiparantur.*
28 *Præsentia judicis facit cessare præsumptionem metus.*
29 *In muliere minor metus quàm in viro sufficit.*
30 *In judicis est arbitrio metum judicare justum vel injustum.*
31 *Arbitria data sunt in his, quæ non possunt sub regula limitari, propter varietatem humanam.*
32 *Protestatio contraria facto nihil operatur in illis, quæ non dependent à mera voluntate ipsius protestantis.*
33 *Ex principijs, medio & fine judicantur agentium actus.*
34 *Metus semper præsumitur durare, donec probatur purgatus.*
35 *Obligatio accessoria corruit distructa principali.*

Visis actis & actitatis causæ coram vobis venerabili, circumspecto, ac egregio viro Dom. Officiali Leodiensi pendentis indecisè, per & inter Ioannem de Ponte agentem sive impetrantem, ex una, & Gertrudem de Flandria ream seu opponentem partibus ex altera: videtur mihi infrà scripto, vestro judicio, ac cujuslibet melius sentientis semper salvo, quod actis & actitatis ejusdem causæ attentis, ipsa rea seu opponens, venit & est per vos vestramque sententiam diffinitivam ab impetitione ipsius agentis seu impetrantis, juxta suam petitionem & conclusionem absolvenda. Quod deducitur sic. Quia intentio ipsius actoris, ex hujusmodi actis nullo modo est fundata: quod patet, quia nõ cõstat de aliquib. verbis matrimonium sapientibus per ipsam ream prolatis, sed solùm de verbis per actorem prolatis: ex quo ipsi testes pro parte actoris producti deponunt se non intellexisse verba teuto-

nica excepta sola dictione, ja ich/quæ per se sine alio nihil operatur, & sic nō constat super quo, & ad quid responderit ipsa rea per hanc dictionem, ja ich/ cùm ipsa ad interrogationem ipsius domini Petri Curati non censeatur respondisse, ex quo ipse gallicum & ille teutonicum ignoravit, & sic interrogationem ipsius non intellexit: nec etiam constat de interrogatione ipsius prætensi interpretis, cùm ipsi testes deponant se teutonicum ignorare, & per consequens de ipsa interrogatione interpretis, quæ debuisset fuisse in teutonico idiomate deponere non valent, prout nec deposuerūt Ex quo etiā sequitur, quòd ipsi testes non probant, ipsum interpretē scivisse & intellexisse utrunq; idioma, cùm ipsi testes de altero, scilicet de idiomate teutonico, quod ignorabāt deponere non valebāt, aut assertivè dicere ipsum interpretem hoc scivisse.

1 Cùm † igitur ad probandum matrimoniū verbis contractum, requirātur verba reciproca, *c. si inter, de spons. junct. not. per Docto. ibid.* clara equidem & per ipsos contrahentes intellecta, si ejusdem idiomatis seu linguæ fuerint: & si diversæ linguæ, requiritur interpretes linguam utramque intelligens, qui de communi consensu partium contrahentium, & non alterius duntaxat, venit & est assumendus: *ut est text. juncta gloss. & nota. Docto. in cap. ex literis 1. de sponsa. & in l. 1. §. fin. ff. de verborum obliga. & idem Bart. Ioan. de Imo. Alex. de Imo. & communiter Docto.* qui plus di-

2 cunt, quòd in causis arduis, ut est † causa matrimonialis, in qua agitur de statu hominis, *ut vult in glos. in cap. mulieri, de jurejurand.* pro tutiori assumendi sunt duo interpretes, utrumque idioma scientes & intelligentes, qui super ipso contractu (si posteà in dubium vertatur) deponere possint: Quare, cùm ista in casu proposito non intervenerint, nec intervenisse ex actis constet, sequitur clarè, intentionem ipsius actoris non esse probatam, cùm illa principaliter fundetur super matrimonio verbis inter partes contracto, ut ex actis patet: & maximè hoc procedit in casu præsenti, in quo non est articulatum, quod matrimonium fuit contractum per interpretem: imò contrarium, videlicet, quod per dominum Petrum Curatum, &c. Nec etiam articulatum est, quod Jodocus assertus interpretes per partes hinc inde ad hoc fuerit assumptus. Non est etiam articulatum, quod dictus prætensus interpres sci-

3 vit utrumque idioma: † & sic ipsi testes de præmissis deponentes extra articulata deponendo nihil probant quasi super hoc non jurati, *cap. de testi. cum ibi no. per glos. & Doctor. de testib cum simil.* Præterea in casu præsenti sunt articulata formalia verba, per quæ matrimonium contractum asseritur, ut patet ex primo articulo libelli fo. 10. copiato, absque eo quòd adjecta sint illa verba, vel alia his similia, &c. quæ siquidem formalia verba non reperiuntur aliquo modo per testes probata, ergo ipsi testes hujusmodi articulatum matrimonium non probant, *juxta not. per Ant. de de Bu. Panorm. & Doct. in cap. nihil obstat*

4 *de verbor. signif.* ubi dicunt, quòd † quando articulantur formalia verba intervenisse in aliquo actu, si illa præcisè non probentur, articulus non censetur probatus, & venit reus absolvendus: quare etiam ex hoc capite deficit intentio impetrantis.

Nec obstat, si contra præmissa objiciatur, quòd licet ipsum matrimonium non sit clarè probatum ex verbis per contrahentes prolatis, tamen ex alijs concurrentibus cum ipsis verbis, videlicet ex conjunctione manuum facta per sacerdotem, cum una proclamatione prævia, more inter

5 contrahentes observari solito: Item ex † condormitione subsecuta solius cum sola, nudi cū nuda, ex quibus copula subsecuta præsumitur, *c. literis, & c. tertio loco, de præsumpt.* benè videtur probatum matrimonium: & sic licet de verbis prolatis per op-

N ponentes

ponentes non constet, tamẽ ex copula subsecuta cum alijs conjecturis videtur probari matrimonium, cùm culus videatur respondisse: *juxta not. per Io. de lig. in c. ex parte, de sponſ.* maximè concordante fama communi, & confessione extrajudiciali, facta in præsentia plurium per ipsos contrahentes, de qua in casu proposito constat ex depositionibus testium: Ex quibus omnibus simul junctis clarè videtur probari matrimonium contractum. Ad quod respondetur primò per interemptionem, negando quod præmissa constant ex actis: Et secundo, dato quod testes ad hoc probandum inducti clarè hoc dicerent, prout tamen ex actis causæ præsentis non constat: Respõdetur, quod dictis testibus nulla est fides adhibenda ex multis respectibus. Tum primò, quia ex ipsis actis clarè constat, ipsos testes pro parte actoris productos, qui de præmissis deponere conantur, fuisse & esse criminosos, ac fautores ipsius impetrantis, nec non custodes ipsius reæ raptæ, ipsos raptores hospitantes, ac eisdem raptoribus adhærentes & faventes, auxiliumque & favorem præstãtes: quare
6 omnes † tales pœna capitis veniunt, & sunt de jure plectendi, prout aliqui ex eis pœna capitis puniti sunt, *l. unica, C. de raptu*
7 *virg.* † quare sequitur clarè, istis testibus tanquã criminosis & socijs criminis nullo modo esse standum, neque fidem aliquam adhibendam, *ca. testimonium. & c. veniens 1. de testibus. & l. quoniam liberi, Cod. eod tit.* & hoc quoad quinque testes, primum scilicet, secundum, tertium, quintum & sextum per ipsum actorem productos, qui principaliter de ipso matrimonio cum condormitione & alijs deponunt & deponere conantur: quartus autem testis præmissorum conscius eosdem copulando, similiter particeps criminis raptus extitit, facto damnato cooperans: quo verò ad septimum, qui solùm de conversione habita, & læto vultu in mensa & in lecto deponit, non est curandũ: cum ipse alijs reprobatis solus remaneat, cujus dictum non sufficit, *d. c. veniens, 1. & c. licet universum. eod. tit.* maximè cum sit fautor ipsius impetrantis, ut ex sua depositione constat: quo vero ad octavum & nonum, qui nituntur deponere de cõfessione extrajudiciali ipsius
8 reæ, similiter non est curandum: † cum cõfessio extrajudicialis sola non probat, *cap. fin. & ibi Doct. de confeſ. & l. certum. §. si quis absente. ff. eod. tit. cum suis concord.* & eo minus, quia hujusmodi prætensa confessio facta fuit durante metu, de quo la-
9 tius infrà. † Nonus etiam testis est compater ipsius impetrantis, ut ex sua depositione constat, & sic non est integer, nec potest esse testis: ut expresse decidit Bald. *in l. generaliter. ff. de in jus vocan. & Salicet. in l. testis idoneus. ff. de testi. & Raph. Fulgoſ. in l. 4. in §. prætor. ff. de in jus vocan.* & *Alexan. de Imo. in consilio 143. 2. volum.* quare sequitur, omnia præmissa non fuisse, nec esse legitimè probata. Tum secundò, quia ipsi testes, qui de conjunctione manuum & verbis prolatis, ac alijs matrimonium concernentibus deponunt & deponere conantur, fuerunt & sunt vigore statuti synodalis articulati & confessati, pro eo, quia clandestino matrimonio interfuerunt ut ex actis constat, excommunicati: ergo similiter eis non est standum, neque fides
10 aliqua adhibenda: cum † excommunicati in testes produci non possint, *c. decernemus, de sentent. excommunicat. libro 6. & cap. veniens, 2. de testibus,* quare producti & examinati fidem non faciunt, neque aliquid probant, *l. maritus, & ibi Bart. ff. de quæſt. l. servos, & Auth. si testis dicatur,* & *ibi Baldus* & *Doctores, C. de testib.* & habetur *per dominum Felin. in cap. in literis, de testibus, & per Specul. in titulo de teste, §. 1. in versic. quid si testis.* Tum tertiò, quia & si præmissa cessarent, & ex actis non constarent, tamen quia in actis non est articulatum nec probatum, quod ipsi

ipſi teſtes in hac cauſa ad probandum ma-
trimonium producti, fuerunt tempore cõ-
tracti matrimonij per contrahentes hinc
inde ad perhibendum teſtimonium rogati,
11 non eſt eis fides adhibenda: † quia in cau-
ſa matrimoniali ſicut in cauſa teſtamenta-
ria requiritur, quod teſtes ſunt rogati: ita
expreſsè determinat Specu. *in tit. de teſte,
in §. 1. in verſic. item quod non fuit, in
tertio caſu fallentiæ*, quod procedit nedum
quando agitur de diſſolutione matrimonij,
de quo eſt textus expreſſus *in leg. nullum,
in verſiculo, ſeptem puberibus adhibitis, &
ibi gloſſa notabilis. ff. de repud.* ſed etiam
in matrimonio contrahendo, ut de hoc eſt
*gloſſa ordinaria expreſſa in §. de his, 3. quæ-
ſtione 9.* & hanc partem ſentiunt Archidi-
ac. *in cap. noſtrates, 30 quæſt. 5. & Ioan.
And. in d. cap. ex parte, dum remittunt ad
gloſ. d. §. de his*, quæ hoc, ut dixi, apertè fir-
mat: & expreſſius dominus Cardin. *in d.
cap. ex parte*, ubi dicit hoc communiter
teneri: iſtud etiam expreſsè vult Ludov.
de Roma in ſuis ſingularib. *ſingulari 713.
& And. Siculus in conſilio ſuo 54.* Tum
12 quartò, quia, ut ex præmiſſis patet, teſtes
non ſunt omni exceptione majores, † quod
tamen in cauſa matrimoniali requiritur,
ut eſt tex. & ibi Panormitanus & *Doct. id
notant in cap. 1. ibi, omni exceptione ma-
jores, de conſanguin.* & *affin.* & *in cap. in-
ſuper,* & *ibi Docto. qui matri. accuſ. poſſ.* &
*voluit expreſsè dominus Felin. in rubrica,
de ſponſalib. in quarto privilegio matrimo-
nij:* quod procedit nedum in matrimonio
ſeparando, ſed etiam in matrimonio con-
trahendo, *ut vult gloſſ. in cap. in literis, de
teſtib.* cùm utitur dictione præcipuè, quæ
eſt dictio implicativa, denotans idem in
caſu contrario: *ut eſt gloſſa notabilis,* & *ibi
Panormitanus in cap. per tuas, 1. de ſimo.*
& *voluit Andreas Siculus in dicto ſuo con-
ſilio 54.* Tum quintò, quia dato, quod dicti
teſtes eſſent omni exceptione majores,
prout tamen non ſunt, ut patet ex præmiſ-
ſis: tamen id non ſufficeret, niſi hoc eſſet
articulatum & probatum: quia licet quis
præſumatur bonus, *cap. fina. de præſump.
cum ſimilibus*, tamen non præſumitur o-
13 mni exceptione major, & ſic optimus, †
& ergo quandocunque canon vel lex re-
quirit teſtes debere omni exceptione eſſe
majores, ut in caſu præſenti, tunc debet ar-
ticulari & probari, quod teſtes ſunt tales.
*ita punctualiter dicit Angel. in l. 2. in §.
diem,* & *ibi poſt eum Dominus Ioan. de I-
mol. ff. quemad. teſtam. aper.* & *voluit
Barto. in leg. prima, in §. ſi quis neget, cir-
ca finem, illo eod titul.* cùm ergo hoc non
fuerit articulatum nec probatum in hac
cauſa ardua, in qua de ſtatu hominis agi-
tur: ſequitur, quod dictis teſtibus non eſt
fides adhibenda. Præterea præſuppoſito,
quod præfati teſtes eſſent omni exceptio-
ne majores, prout revera non ſunt per Do-
cto. *gloſſ. in d cap. 1. de conſanguin.* & *affi-
nit.* & *in §. item verborum. Inſtitut. de in-
uti. ſtipulatio.* cum poſſint exceptione, ut
præmittitur, repelli: dato etiam (non ta-
men conceſſo) quod probata eſſent omnia
in ipſo argumento allegata: adhuc tamen
argumentum non obſtaret, quia præmiſſa
theorica quæ habet, quod ex veriſimilibus
conjecturis & ſignis præcedentibus verbis
ex una parte, & copula ſubſecuta, cuius
videatur reſpondere, & quod ſic matrimo-
nium cenſeatur ex conſenſu reciproco in-
terpretato contractum, nullo jure proba-
tur: imò contrarium tenet *Gaſpar de Cal-
dri. Faanciſ. Sabarel. Præpoſitus Alexan-
dri.* & *Doctores in dict. cap. ex parte*, per
plures efficaces rationes, brevitatis gratia
hic omiſſas. Et dato adhuc quod dicta
theorica eſſet vera, tamen illa non pro-
cederet, quando interveniſſet metus ſeu
coactio violenta: nam illis intervenien-
tibus non probatur voluntas & conſen-
ſus ex conjecturis: imò quòd plus, etiam
non probatur ex claris verbis conſenſum
14 & voluntatem ſignificantibus: † cum plus

stetur duobus testibus deponentibus de metu, quam centum deponentibus de spõtanea voluntate: *ista est theorica Innocent. quam sequuntur ibidem Anton. de Butrio, Ioan. Andr. Ioan. de Imo. & Docto. in cap. super hoc, de renunciationibus* qui plus dicunt, quod quando apparent signa extrinseca violentiæ inducentia metum præsentem, non probatur animus neque consensus, etiamsi probetur, quod quis animo læto & jucundo fecit: & quod plus est, non admitteretur secundum eos ad probandum, actum fuisse sponte factum, saltem per directum, cùm id sit improbabile: ex quo intentio soli Deo cognita est: licet per indirectum admitteretur, utputa si quis vellet probare, quòd potentior esset ille, cui metus dicitur illatus, quàm qui dicitur metum intulisse: el quòd is qui

15 dicitur violentiam intulisse sit persona † valde religiosa, de qua nõ est verisimile, quod metum intulisset, *cap. secund. de novi oper. nuncia.* & idem volunt legistæ præcipuè novissimi *in l. interpositas. Cod. de transactio.* Cum igitur in casu præsenti ex actis luce clarius constet de metu & violentia maxima, tempore raptus illata, constet etiam personam ipsius impetrantis fuisse potentiorem in loco, ubi contractus matrimonij accidisse dicitur, metumque durasse, eundemque impetrantem non fuisse nec esse verum religiosum, ac talem qui metum vel violentiam verisimiliter inferre noluisset, imò contrarium: sequitur clarissimè ipsum matrimonium ex præmissis conjecturis & verisimilibus signis non fuisse nec esse aliquo modo probatum, pro quo ultra præmissa optimè facit *decis. Bal. in divino suo tractatu schismatis, quem ponit in Rubrica. C. si quis aliquem test. prohibuerit, in 8. colum.* dicentis, quod

16 etiam per hæc verba, † sponte facio, per metum passum tempore metus prolata, non purgatur metus, sed geminatur, *argumento l. doli §. diversum, ubi est bonus tex. ff. de novatio,* cui consonat alia theorica Bald. *in l. emptione, in 1. col. C. plus valere quod agitur,* ubi dicit, quod hæc verba, vẽdidit & tradidit verè, posita in instrumẽto nõ tollunt presumptionem simulationis: & theorica ejusdẽ Baldi *in l. si quis sub condit.*

17 *ff de conditio. institu.* ubi post glos. dicit, † quòd clausulæ insolitæ inducunt fraudis præsumptionem: pro isto etiam accommodatissimè faciunt notata per Dominum Panorm. Præposit. & Docto. *in cap con-*

18 *sultationi de sponsa.* ubi dicunt, † quòd metus conditionalis excludit libertatem consensus in tantum, quod etiam per copulam subsecutam non purgatur, nec cõvalescit matrimonium metu contractum.

Præterea ex alio dictus impetrans debet succumbere, ex eo, quòd intentio sua non est fundata: quia ut patet ex ejus libello, ipse agit possessorio recuperandæ:

19 Iam sic est, † quòd ad obtinendum in possessorio in causa matrimoniali, requiritur quod agens possessorio probet copulativè duo, scilicet titulum & copulam, aliàs non restituitur: ita pulchrè dicit Innocentius *in cap. ex parte, in secunda columna circa fin. de restitut spoliato. & sequuntur Cardin. & præposi. in dict. cap. consultationi.* cùm ergo dictus impetrans utrumque non probavit, imò neutrum ex eis, ut suprà abundè satis deductum est: sequitur quòd ipse debet succumbere. Præterea supposito etiã quod intentio ipsius actoris esset clarè per testes omni exceptione majores probata & fundata, deducitur, quòd adhuc ipsa rea venit & est ab impetitione ipsius agentis absolvenda, & quod si matrimonium aliquod contractum reperiatur, illud debeat per vos & vestram sententiam nullum & nullius momenti declarari. Pro cujus clara deductione est præsupponendum primò, quòd secundum communem resolutionem *gloss. & Doctor. in cap. cum locum in cap. consultationi, in c. veniens, de sponsa. & in*

20 *c. Abbas, quod met. cau.* † matrimonium

per

per metum, cadentem in constantem mulierem per eam contractum, est ipso jure nullum, & nullius momenti, ac tale declarandum, per dicta jura, & alia brevitatis gratia ac propter eorum notorietatem hìc omissa. Secundo est præsupponendum,
21 quod quando † metus & violentia ab initio intercessit propter aliquem actum seu contractum per ipsum metum inferentem consequendum præsumitur semper durare ille metus, quam diu metum passus est in potestate & custodia ipsius metum inferentis: nec purgant illum metum quicunque actus voluntatis spontanei per ipsum metum passum quomodocunque facti: imò magis ipsum metum confirmant ista est resolutio glos. & Doctor. *in capit. 1. ubi bonus textus quod metus causa, & in cap. accedens, & ibi notabilis gloss. de conversi. conjuga. & volunt Innocen. Ponorm. & Doctor. in dict. cap. cum locum, & legistæ in dict. l. interpositas, & est theorica Bart. quem sequuntur Doctor. in leg. si ob turpem ff. de conditio. ob turpem causam*, qui dicit, quòd si maritus semel benè percussit uxorem, ex eo, quia sibi consentire noluit in venditionem seu alienationem suæ rei, licet ipsa postea consentiat in venditionem illius vel alterius, nõ purgatur metus, imò durat quamdiu maritus in humanis vivit: & idem dicit de tyranno: idem etiam voluit Bar. *in l. 2. & ibi similiter Bal. & Doct. C. quod metus causa, & Canonistæ in c. caus. matri. de officio delegati. & voluit idẽ Bald. in prealleg. suo tractatu schismatis*, ubi inter alia dicit, † quòd sub spiritu timoris nun-
22 quam purgatur metus, cùm ipse cervicibus inhæreat: nisi intervenerint signa consensus manifesta. Imo secundum eum magis cõfirmatur metus ex actibus apparenter spontaneis. Præsumitur enim metum passus illa signa consensus facere, ut liberet se à manibus metum inferentis, & ut minus diligenter ab eo custodiatur pro quo ultra præmissa facit *l. novissimè. ff. quod*
23 *falso tutor. auto.* ubi habetur, † quod paria sunt aliquid fieri coactè, vel timore coactionis, & hinc dicunt ibi Baldus & Doctores, & Cynus & Doctores *in præallegata leg. secunda Cod. quod metus causa*, quod semel malè tractatus per aliquem, justè timet expertus male tractare per eundem, etiam si sit relaxatus, quamdiu instat metus in recapiendo: cum ex preterito capiatur conjectura ad præsens, *cap. scribam, de præsumpt. cum similibus*. Sic etiam dico in proposito, hinc etiam dicit notabiliter Baldus *in dict. l secunda*, quod quando post metum illatum sequitur in continenti actus tendens ad metus purgationem, tunc talis actus in dubio non inducit voluntariam approbationem, neque intelligitur metus purgatus: & idem vult Ioannes Calderic. *in consilio suo secundo,*
24 *in titul. quod metus causa*, ubi dicit, † quod ex vicinitate actuum judicandum est metum durare: & idem volunt Dominus Petrus de Anchora. *in consilio suo 299 & Alexand. de Imol. in consilio suo quadragesimo octavo, quarti volum.* Cùm ergo in casu præsenti raptus violentus hodie acciderit, & altera die mane, absque alio intervallo, asseratur contractum matrimonium occupata tota nocte per commessationes præ lætitia prædæ, non potest dici, quod metus fuit purgatus. Nam tunc
25 duntaxat purgatur metus, † quando ex longo intervallo fit actus in contrarium, cùm tunc videatur cessare terror: sed ubi non intervenit longum intervallum, clarum est terrorem primum semper immi-
26 nere per prædicta. † Cùm ergo regulariter ab exordio, posterior formetur eventus, *leg. unica. Cod. de imponen. lucrativa*
27 *descriptio libro 10.* † & cum potentia nocendi in habitu & potentia nocendi in actu & exercitio æquiparentur. *d. leg. novissimè & ca. non solùm, de appel. lib. 6.* sequitur, quod dictus metus non potest dici purgatus. Ex quibus sequitur clarè, quòd cum in

propoſito metus & violentia ab initio interceſſerint, ut ex actis clariſſimè conſtat: & cùm ipſa rea in poteſtate ipſius impetrantis tempore aſſerti matrimonij contracti fuerit apud amicos ſcilicet, ipſius impetrantis, ubi ipſe fortior & potentior fuit, quàm ipſa rea, hujuſmodi prætenſum matrimonium abſque longo intervallo tãquam per metum contractum, fuiſſe & extitiſſe nullum, aut nullius momenti, ac tale per vos veſtramque ſententiam declarandum.

Nec obſtat ſi cõtra præmiſſa objiciatur, prout etiam pars adverſa deducere nititur, quod licet ab initio metus verus & raptus interceſſerunt illa tamen per multos & diverſos actus voluntarios per ipſam ream factos, fuerunt & ſunt purgati: ut patet inducendo in primis per voluntariam confeſſionem ipſius reæ, factam coram ſcabinis: ut ex inſtrumento quodam publico folio trigeſimo octavo, copiato, & ex quibuſdam literis ſcabinalibus folio trigeſimo
28 ſexto, copiatis conſtare videtur: coram † quibus ceſſat metus. *e. non eſt veriſimile. ff quod metus cauſa.* Secundò per actus exteriores merè voluntarios per ipſam ream in menſa, in lecto, cum ipſo impetrante factos, cùm ipſa rea viſa eſt ridere, ludere, & alios actus merè voluntarios cum ipſo impetrante facere, ut ipſi teſtes deponere conantur. Tertiò quia ipſa, ut ex eiſdem actis patet, ducta fuit ad villam de Wauria, & ibidem per plures menſes viſa eſt liberé, ire & redire ad Eccleſiam, ad domos amicorum impetrantis, & ad alia loca pro ſuæ voluntatis beneplacito, ſic & taliter, quòd ipſa rea ſi voluiſſet, facile aufugere, & in Eccleſia manſiſſe, & juſtitiam proclamaſſe potuiſſet & valuiſſet, & ſic ſeſe ex manibus impetrantis, ſi invita & non voluntaria fuiſſet, liberaſſe. Quartò & fortiùs, quia ipſa rea ſemel de licentia ipſius impetrantis oppidum Lovanienſe apud ſuos amicos acceſſit, & ad idem oppidum in quo ſui amici erant, & ubi ipſa præfato impetrante longe potentior fuit, venit, & ad aliquot dies fuit: & tamen expoſt ſua ſpontanea voluntate ab eodem oppido Lovanienſi receſſit, & ad villam de Wauria rediit, ibidemque cum ipſo eodem impetrante poſt hujuſmodi reditum ad octo vel novem dies liberè & ſpontaneè permanſit. Ex quibus omnibus ſimul junctis luce clariùs videtur, prætactum metum etiam ſi ab initio interceſſiſſet, omnino fuiſſe purgatum, & ſic matrimoniũ ipſum ab initio nullum, ex ſupervenienti voluntate & conſenſu confirmatum, *juxta cap. ad id quod, junctis notatis Doctor. ibidem, de ſponſali.* Ad iſtud argumentum prima facie fortiſſimum, præſupponens licet minus verè, matrimonium fuiſſe contractum reſpondetur: quòd aſſumpta ſaltem omnia, ſuprà in argumento præſuppoſita, non ſunt vera, nec ex actis conſtant, neque ſunt probata. Nam in primis de prætenſa confeſſione facta coram ſcabinis, & poſtea de eadem prætenſa confeſſione facta coram notario & teſtibus, non conſtat: quia inſtrumenta & literæ in probationem illorum exhibita ſeu exhibitæ, non reperiuntur apud acta recognita, neque eiſdem eſt aliqua fides impoſita, & ſuppoſito, quòd illa recognita & probata fuiſſent, nihil ad propoſitum: quia ut ex ſuprà dictis patet illæ confeſſiones fuerunt factæ tempore quo ipſa rea fuit in arcta cuſtodia ipſius impetrantis in domo ſuorum amicorum, ac poſtea in forti turri, ſicque ipſæ confeſſiones, ſimiliter & riſus, ac alij geſtus prima facie voluntarij magis arguebant confirmationem metus, quàm purgationem ejuſdem, per ſupra dicta. Quo ad aliud verò, quo dicitur, eam ad Wauriam fuiſſe ductam, ac ibidem eandem liberé iviſſe, & viſitaſſe domos amicorum, non eſt verũ, nec hoc ex actis conſtat, imò ejus contrarium, ex quo ipſi teſtes deſuper producti deponunt, ipſam ream ſolam non iviſſe

ivisse neque incessisse per plateas, semper cum matre aut sorore impetrantis aut actore præsente, sicque eandē semper apud amicos ejusdem impetrantis & per ipsos custoditam & servatam fuisse, sic & taliter, quòd ipsa reverà etiamsi voluisset sine scitu ipsius actoris & amicorum, & absq; periculo sui corporis, recedere aut abire non potuisset: Istud clarè patet ex depositionibus testium pro parte reæ super suis ultimis propositis productorum & signanter ex depositione primi, secundi, quarti, quinti, sexti, octavi & noni: Nam ex depositionibus istorum constat: ipsam ream nedum antequam perveniret ad villam de Wauria, verùm etiam postquam pervenit ad illam, fuisse & extitisse arctè & diligenter custoditam: adeò & in tantum, uti duo testes deponunt, quòd ipsi soli ei loqui non potuerunt, & unus ex illis, ut puta primus in ordine, dicit, quòd ipsa flendo dixit ad ipsum testem, quòd vellet ire Lovanium si posset, & ibidem permanere: Sextus verò deponit, eam fuisse percussam ex eo, quia sibi testi soli locuta fuit. Item patet ex depositionibus eorundem testium, qui deponunt, quòd ipse impetrans nullo pacto voluit dare licentiam ipsi reæ accedendi Lovanium, nisi duo ex testibus, videlicet magister Golinus van Tzestich & Ioannes Meys, sub hypotheca omnium bonorum suorum, quæ in districtu villæ de Wauria habebant, coram scabinis solenniter promitterent, quòd tantū efficerent, quod ipsa rea ad ipsum actorem in villa de Wauria existentem, rediret & redire deberet, prout ante relaxationem ejusdem promiserunt, ut ex actis clarè patet: Ex quibus luce clarius constat, ipsum metum per prius illatum nullo modo fuisse purgatum imò fortiùs confirmatum ex actibus præmissis: & quod dicitur, ipsam ream potuisse proclamare justitiam certè nihil facit, quia hoc facere non tenebatur, ut clarè colligitur ex notatis *in dicto cap. 1. quod metus causa, & ex alijs passibus suprà allegatis*: unde licet uxor semper posset reclamare justitiam contra suum maritum, si in eandem sæviat, si tamen hoc non fecerit, non minus censetur ipsa percussa per suum maritum, actum postea ex præcepto mariti factum invita & per metum fecisse: ut ex suprà dictis patet. Unde ut præmittitur, quamdiu ipsa rea fuit in villa de Wauria inter amicos ipsius impetrantis, ubi ipse potentior fuit, verisimiter habuit & debuit justè timere, si aufugisset aut aufugere attentasset, periculum sui corporis, & se posse pejus tractari si fugeret, præcipuè cum ignoraverit se posse fugere, nec articulatum est hoc eam scivis-
29 se, & maximè, quia mulier fuit, † in qua minor metus quàm in viro sufficit: *ut notat gloss. in dict. cap. cùm locum, quam ibidem sequuntur Doct. & habetur per Docto. in leg. 2. & in alijs passibus suprà allegatis*, sicque sequitur satis evidenter, hujusmodi metum quamdiu ipsa rea sub custodia ipsius actoris in villa de Wauria fuit & extitit, non fuisse nec esse purgatum. Restat modo respondere ad ultimum, de reditu videlicet ipsius reæ ab oppido Lovaniensi, & à suis amicis ad actorem seu impetrantem in Wauria existentem, quod omnibus alijs magis stringit & urget: quo soluto, constabit clarissime de justa defensione ipsius reæ. Pro cujus argumenti solutione præsupponendum est primo, quod nedum metus mortis & cruciatus corporis, verū etiam & metus perditionis bonorum, nedum suorum, verum etiam consanguineorum, est justus, *dict. c. Abbas, cum ibi notatis, cap. sciant, de elect. libro 6. cum ibi not. & cap. quicunque, cum ibi not. de sent. excommun. eod. lib.* & *volunt Docto. in præalleg. c. super hoc*, & *est decisio Rotæ 466. in novis*, & *vult Angel.* & *alij post eum in l. 1 ff. in jus vocan. ut eant*: unde communis opinio Doct. post gl. *in c. dilectus, quod me.*
30 *caus. habet*, † quod justitia & injustitia metus

metus pendet in ipſo arbitrio judicis, qui
conſiderata qualitate perſonarum & a-
lijs circumſtantijs negocij, habebit judica-
re metum eſſe juſtum vel injuſtum , nec
deſuper eſt certa tradita regula ut vult
Bald. *in dict. cap. Abbas*: unde contingit u-
num longè magis meticuloſum eſſe quàm
alium, uti etiam vult ipſe *Card. Alexan-
dri. in præallegat. cap. cum locum de ſponſa.*
& hoc , quando dubium eſt de qualitate
metus: cum enim conſtat de metu mortis
vel cruciatus corporis , non habet locum
31 arbitrium judicis: † cum arbitria ſint data
in his quæ non poſſunt ſub regula limitari
propter varietatem humanam , *ſecundum
Bald. in d. c. Abbas*. Secundò eſt præſuppo-
nendum, quod licet regulariter proteſta-
tio contraria facto, nihil operetur in illis
quæ non dependent à mera voluntate ipſi-
us proteſtantis, *cap. cùm M. junctis notatis*
32 *per Doctor. ibidem de conſtit.* † In illis ta-
men quæ dependent à mera voluntate i-
pſius proteſtantis, multum operatur pro-
teſtatio, etiam quò ad actum contrarium
ſequentem, etiam facta in abſentia partis:
*ita vult notabiliter Bald. in Rubrica, quod
met. cau. & eſt glo. notabilis, quem ſequun-
tur ibidem Ioan. de Imol. & alij Doctor. in
l. qui in aliena. § Celſus. ff. de acquir. hæ-
red.* ſignanter quando illa proteſtatio con-
currit cum alijs indicijs ad eundem finem
cum ipſa proteſtatione tendentibus. Ter-
33 tiò eſt præſupponendum, † quod ex prin-
cipijs, fine, & medijs, judicantur actus a-
gentium, & ad illa habet reſpicere ipſe ju-
dex ad judicandum metum juſtum & in-
juſtum. *juxta gloſ. d. cap. accedens, de con-
ver. conjuga. cum ibi not. per Docto. & per
Bart. in l. Celſus ff. de uſucap.* Quibus ſic
præſuppoſitis, reſpõdetur ad argumentum
prætactum: quòd ex quo Magiſter Goli-
nus von Tzeſtich, & Ioannes Meys pro-
miſerunt ſub hypotheca bonorum ſuorum
quod ipſi tantum efficerent, quod ipſa rea
quamprimum ſuis amicis Lovanij locuta
eſſet, rediret ad Wauriam ad ipſum im-
petrantem, & quia ipſa rea propterea re-
dijt, aliàs non reditura, ut plures teſtes de-
ponunt ſe ab ipſa hac audiviſſe, & hoc ſe
tenere , & unus videlicet magiſter Goli-
nus clarè hoc deponit, ſcilicet ipſam ante
reditum ad Wauriam hoc ei dixiſſe & ex-
preſsè proteſtatam fuiſſe, quod quampri-
mum ipſa poſſet, iterum ad Lovanium re-
diret: Item quia ipſa , ut ijdem teſtes de-
ponunt, ante hoc factum pluries proteſtata
fuit coram diverſis, & dixit, quod nunquã
conſenſit neque conſentiret in matrimoni-
um cum præfato impetrante, quodq́; nun-
quam ejus maritus eſſet : & quia expoſt
infra paucos dies ab ipſo impetrante aufu-
git, & ad Lovanium pervenit , & ibidem
apud ſuos amicos uſque ad diem hodier-
num permanſit : clariſſimè ſequitur ex
prius præſuppoſitis, omnibus iſtis ſic ſe ha-
bentibus, metum ipſum ab initio illatum
non fuiſſe nec eſſe purgatum: nec judicem
bonum reſpicientem principium, medium,
& finem, hujuſmodi actus, hoc poſſe arbi-
34 trari : † cum ſemper debeamus dicere &
præſumere metum duraſſe, niſi clariſſimè
& evidenter probetur purgatus, *dicto cap.
ad idem quod nam ſine cauſa, ibi text. non
ponderat* , quod per annum cum dimidio
mulier ipſa, quæ per prius matrimoninm
contraxerat cum ipſo marito permanſit,
ſine & abſque eo , quod medio tempore
apparuerunt aliqua ſigna perſeverãtiæ pri-
oris metus illati. Nec obſtat ſi dicatur iſta
obligatio facta per præfatos promittentes
de reducendo ipſam ream iterum ad Wau-
riam, eos non obligavit, attento, quod ipſa
rea per dictum impetrantem injurioſè &
violenter detinebatur, & ſic relaxata non
tenebatur redire, *juxta gloſſ. ſingularem in
Clemen. paſtoralis, in §. Piſana, in verbo,
violentam, de re judica.* & ſi ſic ergo fide-
35 juſſores non obligabantur, † cum non poſ-
ſit ſubſiſtere obligatio acceſſoria , ubi non
ſubſiſtit principalis. *leg. cum principalis. ff.
de regul.*

de regul.jur. & *leg. impoſſibilis cum ſua materia.ff.de verbor. obliga.* & per conſequens dicta rea non debuit propter hujuſmodi obligationem ſuorum fidejuſſorum redire , cùm ille metus perditionis bonorum fuerit vanus, & ſic non ponderandus.*le metum,* & *le.nec timorem, in princ.ff.quod met.cauſa,*quia reſpondetur quòd licet fortaſſe illa promiſſio de jure non obliget ipſos promittentes, quod tamen non eſt certum,*propter not.in l. nam* & *Servius.ff.de neg.geſt.*tamen quia ipſi promittentes illius occaſione de facto potuiſſent conveniri, & damnum in ſuis bonis pati, maximè cùm hujuſmodi promiſſio coram lege loci fuit paſſata , ipſa arguebat juſtum metum, *ut text. juncta gloſſ.in dict.l. nec timorem in illis verbis,* ſed potuerit vel non potuerit jure occìdi, *juncta gloſſ.* & *notatis per Bald.* & *Doctor.ibidem:* ſufficit enim in ea quæ mulier eſt,& quæ præſumitur jus ignorare, quòd de facto timuerit perditionem bonorum ſuorum amicorum,pro ea ut pręmittitur obligatorum: *præal.l. nec timorem*, & non immeritò pro excuſata habenda eſt mulier , quæ proprio pudori parcere voluit adimplendo promiſſionem à ſe & amicis factam de redeundo,*arg.l. Quintus Mutius,in fin.ubi eſt text.ſing. ff.mandati.*Ex quibus relinquo ad ſufficientiam deductam cõcluſionem reſponſivam ſuprà poſitam: Remittendo tamen judicem plenius in hac materia inſtrui volentem ad pręallegatum conſilium Domini Andr. Barbatij,54. per multa folia materiam caſus præſentis effectualiter tractantem, & contra matrimonium reſolventem: & ſimiliter ad conſilium Domini Alexandri de Neno ſuper eodem facto,poſitum inter conſilia do.Alexand. de Imol.in 4.ejus volumine,num. 47. & ad conſilium Dom.Alexand.de Imol.48 immediatè ſequens.

CONSILIUM XX.

SVMMARIA.

1 *Mulier legitimæ ætatis poteſt de bonis ſuis pro libitu ſuæ voluntatis diſponere ſicut maſculus.*

2 *Mariti appellatione in materia odioſa non venit ſponſus.*

3 *Actione in factum Pauliana revocãtur bona in fraudem creditorum alienata.*

4 *Actio Pauliana datur etiam creditoribus futuris.*

5 *Pactum ſive renunciatio bonorum maternorum,matre ſuperſtite non cõſentiente facta fratri non valet.*

6 *Iuramentum contra bonos mores non obligat.*

7 *Fructus dotis maritus conſtante matrimonio lucrari debet.*

FUi interrogatus, utrum mulier, poſtquam cum aliquo ſponſalia in facie ſanctæ matris Eccleſiæ contraxit,&poſtquam de bonis hinc inde in ſubſidium futuri matrimonij importandum plenè conventum & ſtipulatum extitit , ante tamen quàm matrimonium inter eos contractum ſit, poſſit validè ſua bona alienare,aut ſucceſſioni patris ſui defuncti ac matris adhuc ſuperſtitis per pactum juratum,in favorem fratris ſui validè renunciare , ſine conſenſu ſponſi ſui futuri mariti.

Quæ quæſtio tria in ſe continet dubia, ut de ſe clarè patet:& videtur prima facie quòd ſic mediis infrà ſcriptis. Primò,
1 † quod mulier legitimæ ætatis, non exiſtens in poteſtate ſui patris,aut matrimonialiter alicui conjuncta , poteſt de bonis ſuis tam inter vivos, quàm in ultima voluntate,pro libito ſuæ voluntatis diſponere,ſicut maſculus:cùm hoc ei prohibitum non reperiatur, ſed ſit ei in infinitis paſſi-

bus permiſſum. leg. & ſi à muliere, & ibi
Bald. & Doctor. Cod. de exerci. habet ta-
men beneficium Velleiani, quando fideju-
bet pro alio, ut ff. & C. ad Vellei. per totũ.
2 ergo, &c. Secundò hoc probatur, † quod
licet in favorabilibus appellatione mariti
veniat ſponſus. leg. 4. ff. de fundo dota. &
l. non ſine. C. de bon. quæ libe. tamen in his
quæ ſunt odioſa, ut in caſu noſtro præſen-
ti, reſtringere facultatem alienandi, à l. per
miſſam, appellatione mariti nõ venit ſpõ-
ſus, nec econtrà: ut latè habetur per Cyn.
Pet. Bald. Paul. de Caſt. Salic. & alios Do-
cto. in d. l. non ſine, & per Panorm. Præ-
poſitum & canoniſtas, in Rubrica, de ſpon-
ſa. Iſtis tamẽ non obſtantibus dico, hujuſ-
modi alienationem & renunciationem fa-
ctam de bonis paternis poſſe revocari per
dictum ſponſum, per actionem in factum
3 Paulianam, quæ datur creditori, † in cujus
fraudẽ debitor alienavit bona ſua in terti-
um, ſive hoc fiat titulo oneroſo, ſive titulo
lucrativo: licet inter lucrativum & onero-
ſum ſit differentia, quia primo caſu non
requiritur, quod ille in quem facta eſt a-
lienatio titulo oneroſo, ut de iſto eſt text.
& gl. magiſtralis, in § item ſi quis in frau-
dẽ. & ibi pulchrè per Ioa. Fab. Ang. Iaſ. &
alios. Inſti. de actio & habetur per gl. Cyn.
& Doct. in l. 1. & 2. quas ſimul legit Co. ſi
quid in fraudẽ patro. & in l. penult. & fi.
Cod. de revo. his quæ in fraudem credi alie.
ſunt. & per Doct. noviſſimos, præcipuè per
Iaſ. in l. nam & poſtea. in §. ſed & ſi quis in
fraud. ff. de jurejuran. Imò quod fortius
eſt, dict. actio Pauliana non ſolùm datur
creditoribus prioribus per alienationem
fraudulentam ſubſecutam fraudatis ad re-
vocandum alienata in fraudem prout lo-
4 quuntur dicta jura, ſed † etiam datur cre-
ditoribus futuris, conſtito quòd tempore
alienationis debitor cõcepit in animo frau-
dare creditorem futurũ: ut eſt text. valde
notabilis in leg. ſed & ſi maritus, circa. fin.
ff. qui & à quibus: ut volunt Ioan. Fabri.
Ang. Iaſon & Doct. in d. §. item ſi quis in
fraudem, & glo. ſingularis in Auth. ſed jam
neceſſe, & ibi Cyn. Bar. Bal. Salic. & Doct.
C. de dona. antenup. & Bal. in Rubrica C.
de revocan. his quæ in fraudem credito. &
faciunt not. per Bart. in le. poſt contractum.
ff. de dona. cum ſimilibus, quæ brevitatis
gratia omitto: eſt tamen in modo proban-
di fraudem differentia inter creditores
præteritos & futuros, ut videre poteris
in locis ſuprà allegatis, ſi ergo revocentur
alienata in fraudem futurorum credito-
rum, fortiùs revocabũtur alienata in frau-
dem creditorum præteritorum, ut in caſu
præſenti. Et quia hæc materia pleniſſimè
tractatur in dictis locis, nec eſt quovis
modo dubia: ideo ampliùs nõ inſiſto. Nec
obſtant adducta in contrarium: quia illa
benè probãt, quòd alienatio mero jure va-
let: ſed non negant, quin hujuſmodi alie-
natio vel renunciatio facta in fraudẽ ſpõſi
creditoris; poſſint per eundem maritum
creditorem revocari, conſtito de fraude:
& hoc punctualiter habetur in præalleg.
juribus, in quibus etiã habetur, quomodo
probetur hujuſmodi fraus, & qualiter ſit
concipiendus libellus, & unde naſcitur hu-
juſmodi actio Pauliana: & tantùm de alie-
natione & renunciatione facta de bonis
paternis. † Quò autem ad renunciationẽ
5 bonorum maternorum dico breviter: quod
hujuſmodi renunciatio vel pactum de hæ-
reditate matris adhuc ſuperſtitis, matre
id neſciente, vel in hoc non conſentiente
facta in ſuum fratrẽ, interveniente etiam
juramento, non valuit: per l. qui ſuperſtitis.
ff. de acquiren. hæredi. cum ibi nota. &
plenius per text. juncta gloſſ. in verbo alie-
næ, cum ibi not. per Bald. Salic. Iaſonem, &
6 alios Docto. in l. fin. C. de pact. † cùm hu-
juſmodi juramentum ſit cõtra bonos mo-
res, quod non obligat: regul. non eſt obliga-
torum, de regul. jur. lib. 6. cum vulgari-
bus. Præterea poterit ipſe, ſi ſentiat per
uxorem ſuam tunc ſponſam ſibi fraudem
eſſe

esse factam quò ad dotem, cujus fructus
7 † constante matrimonio ipse, ut maritus lucrari debet propter onera matrimonij quæ habet sustinere. *l. dotis fructus, ff. de jure doti.* & *l. quæris. ff. de pactis dotalibus cum similib.* alia via sibi consulere non servando promissa uxori in dote fallenti, & ei vel hæredi suo agenti objicere exceptionem: textus est notabilis, & ibi hoc notat Salicetus, & dicit mente tenendum, *in leg. pollicitatione. C. de donatio. ante nupt.* quo remedio si sibi consulere velit consulendum est ei, quòd potius sustineat partes rei, quàm actoris: videat ergo ipse quid magis sibi expediat: ut in simili habetur *in le. is qui destinavit. ff. de rei vendi.* & *in l. pacto. ff. de transact. cum similibus.*

CONSILIUM XXI.

SUMMARIA.

1 *Habens privilegium immunitatis si scit actum fieri contra illud, infra decem dies à tempore notitiæ appellare debet, aliàs sibi præjudicat.*

2 *Princeps etiam ex cōtractu obligatur.*

3 *Contractus ex una parte impletus revocari nequit.*

4 *Privilegium principis, maximè quod transivit in vim contractus semper manere debet.*

5 *Literæ repressaliarum odiosæ intelliguntur indulte sine præjudicio tertij non existentis de provincia, contra quam dantur, & num. 18.*

6 *Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi, non alteri, imputare debet.*

7 *Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.*

8 *Accedens ad nundinas publicas non potest ibi ex ante gesto conveniri neque detineri pro repressaljs.*

9 *Optimum est argumentum ab absurdo ad eliciendum mentem statuentis vel condentis legem.*

10 *Extensio non fit, ubi id venit quod erat de mente condentis legem.*

11 *Interpretatio extensiva nihil est aliud quam interpretatio suppletiva.*

12 *In omnibus dispositionibus illud habetur pro disposito, quod verisimiliter fuisset dispositum, si de hoc disponens fuisset interrogatus.*

13 *Extensio passiva in materia odiosa etiā admittitur.*

14 *Extensio activa admittitur in casibus sine quibus dispositio commodè effectum non sortiretur.*

15 *Diuturna observatio optima legum interpres.*

16 *Authoritas superioris in omni dispositione excepta intelligitur.*

17 *Portus insulæ sunt pars insulæ.*

19 *Civitatis appellatione veniunt suburbia, etiam in odiosis, quando dispositio aliàs careret effectu.*

20 *Dispositio concepta in universitatem resolvitur ut cōcernat singulares personas, si actus non cadat in universitatem.*

21 *Singulares de populo contravenientes privilegio concesso civitati, non præjudicant civitati.*

22 *Singulares personæ nō possunt renunciare privilegio concesso populo in præjudicium civitatis.*

23 *Privilegium concessum Ecclesiæ per cōtraventionem personarum Ecclesiæ nō perditur.*

24 *Ubi potest alia quam renunciationis, cadere præsumptio, nunquam capitur præsumptio renunciationis.*

25 *Actus & voluntas tacita non sunt adeò latè interpretanda, sicut expressa.*

VIsis scripturis & munimentis in causa per & inter Burgimagistros, Scabinos & Legislatores oppidi Middelburgensis Comitatus Zeelandiæ appellantes ex una, & Theodoricum Boom, Jacobum

Nicolai, & alios suos litisconsortes appellatos ex altera, coram magnifico ac præclarissimis Dominis Cancellario & concilio Burgundiæ pendente indecisa exhibitis. Pro elucidatione boni & clari juris Burgimagistrorum, Scabinorum, & Legislatorum dicti oppidi Middelburgensis: licet sciam, præstantias dictorum magnificorum Dominorum nihil quod juris est ignorare, licet etiam meum non sit instruere Minervam: tamen ut scita & cognita ad memoriam reducantur, sub correctione meliùs sentientium paucis confirmabo intentionem dictorum appellantium. Et in primis videtur mihi subscripto, per Burgimagistros, Scabinos, & Legislatores præfati oppidi Middelburgensis benè fuisse & esse provocatum & appellatum, attento privilegio in favorem illorum de Middelburg. ac Mercatoribus forensibus ibidem cum suis mercibus navigio declinantibus à bonæ memoriæ Duce Philippo, & alijs prædecessoribus suis indulto, virtute cujus mercatores exteri ibidem declinantes pro debitis prius per eos contractis conveniri vel molestari non possunt: sed plena libertas veniendi & redeundi tam in persona quàm in bonis eisdem pollicetur: ut in privilegio in actis ejusdem curiæ exhibito latiùs continentur. Nam cùm hujusmodi privilegium concessum sit dicto oppido, quod in limitibus consistit, & mare pro quotidiano hoste habet, ut propter hoc mercatores exteri ad frequentandum hujusmodi portum allicerentur & invitarentur, ex quo nedum salus dicti oppidi, sed omnium patriarum illustrissimi Domini nostri Archiducis per maxima hactenus provenit & in dies provenit, ac sine quo nihil penitus esset de præfato oppido Middelburgensi: gravabatur apertè dictum oppidum in eo & per id, quod Wilhelmus Corteheuse executor literarum repressaliarum præfatis Theodorico Jacobo & alijs suis consortibus appellatis à præfato illustrissimo Domino nostro Archiduce concessarum, easdem in dicto oppido Middelburgensi vel ipsius portu ac infra districtum vel territorium ejusdē exequi tentavit: & eò magis, quia idem executor ultra hoc ab eisdem Burgimagistris, Scabinis, Legislatorib. Balivo, & locumtenente assistentiam desideravit, requirendo eosdem ad faciendum directè contra prætactum eorum privilegium, in cujus usu à tempore memoriā hominum excedente, quietè & pacificè semper fuerunt: justè ergo se executioni suæ opposuerunt, & à facultate sua, & à gravamine comminato imminente de proximo, ad præfatam curiam appellârunt, pro hoc est text. *in l. 1. in § si tutor. in fin. ff. quando appell. sit*, ubi est casus in terminis secundū Ang. de Perusio, quem etiam ibidem se-
1 quitur Ange. de Aretio: † quòd si quis habet privilegium exemptionis vel immunitatis ab omnibus collectis, datijs, & similibus, si describatur in libro communis debentium solvere, & sciat: ex quo scit actum fieri contra privilegium suæ exemptionis, debet infra decem dies, à tempore notitiæ appellare, aliàs sibi præjudicat & perdit privilegium: idem vult Ioan. de Platea. *in l. 2. C. de his qui spon. mu. sube. lib. 10.* Idem etiam commemorat & sequitur do. Alexan. de Imo. *in cons. 101. incipiente, visis instrumentis exēptionis, in primo volumine:* ergo etiam in proposito, attento quòd actus dicti executoris fuit contrarius libertati in favorem dicti oppidi & mercatorum forensium indultæ, fuit justè ab eodem appellatum: quæ appellatio legitimè est introducta & recepta, suntque dicti Legislatores appellantes in debita prosecutione ejusdem, ut ista cōstant ex actis dictæ curiæ: & quia dictum privilegium, per quod forenses sub spe consequendæ libertatis invitantur ad frequentandum portum dicti oppidi Middel-
2 burgensis, † transivit in contractum sive

conventionem, quo etiam princeps obligatur, *cap. 1. de natu. feudi, & ibi Bald. & leg. Cæsar ff. de publica. & cap. 1. & ibi Bald. Panorm. & Doctor. de proba.* amplius revocare non posset: quia illi mercatores forenses veniunt, ut habeant immunitatem: & princeps dedit immunitatem, ut
3 illi veniant: & sic contractu † impleto ex parte venientium, debet eis fides servari: ita magistraliter in his terminis declarat Bartol. *in leg. hi qui in fine, ff. de jure immuni. & idem Barto in le. quod semel. ff. de decre. ab ordin. faci. & in l. omnes populi, in versicu. & circa dicta ff. de justi. & jure refert & sequitur Dominus Panorm. in c novit. de jud.* ubi etiam dicit, quòd si sunt aliqua statuta conferentia privilegia doctoribus in civitate legentibus, quòd privilegia talia mutari non possunt in præjudicium doctorum forensium conductorum tempore quo vigebant illa statuta: quòd si aliter fieret, deciperentur mercatores forenses sub spe dictæ libertatis consequendæ illic declinantes: & sublato privilegio dictæ libertatis, cessaret confluxus populi, quo cessante evanesceret & enervaretur dictus portus: & sic tandem dictum oppidum in permaximum dispendium præfati domini nostri Archiducis & suarum patriarum, pro cujus & totius insulæ Walacriæ intertentione dictum privilegium concessum fuit. Nec creditur illustrissimus dominus Archidux per suas literas repressaliarum præfatis appellatis indultas, ante tactum privilegium cum dispendio & interitu præfati oppidi à se & suis progenitoribus privilegiati, voluisse ac posse revocare, de potestate juridica loquor: decet † enim
4 privilegium principis esse mansurum, maximè, quod transivit in vim contractus, per præallegata. & in dubio literæ repres-
5 saliarum † odiosæ intelliguntur indultæ sine præjudicio tertij non existentis de provincia, contra quam conceduntur, *leg. 2. §. meritò, & §. si quis à principe. ff. ne quid in loco publi. & c. quamvis, de rescrip. lib. 6. cum sim.* Et præcipuè in casu præsenti præfati appellati à recta via deviarunt, attento quod executio dictarum literarum repressaliarum fieri potuit in oppido Verensi, & in oppido de Sluysa, quæ oppida simile privilegium non habent: ad quæ siquidem oppida tempore factæ executionis etiam Britones cum suis navibus declinârunt: quod quia dicti appellati facere potuerunt & non fecerunt, sibi de-
6 bent & non alteri imputare: *regula* † *damnum quod quis sua culpa, de reg. jur. li. 9. cum sim.* & habebit locum regula, cùm potuit noluit, & cùm voluit adimplere nequivit, de qua *in le. multum interest, C. si quis alteri vel sibi, & in c. super. de offic. de leg.*

Nec obstant allegata per appellatos, de quibus in eorum scripturis: quia ultra responsiones datas ad illas in scripturis dictorum appellantium & impugnationes literarum repressaliarum de quibus in eisdem, paucis confutabo. Et primò non obstat, dum dicunt, dictum privilegium dûtaxat debere sibi locum vendicare, quando forenses convenirentur ex contractibus proprijs alibi initis, & ergo non esse extendendum ad hunc casum: quia dico in primis, quòd præfatum privilegium loquitur generaliter & excludit omnem molestationem quomodocunque fiendam, nisi casibus specialiter exceptis in eodem, ut patet in verbis ejusdem, ubi dicitur, **In geender manieren**, id est, nullo modo, &c. Imò vult, ipsos mercatores forenses gaudere plena libertate in personis & rebus, ergo debet generaliter intelligi, *l. à procuratore, cum sua glos. Cod. manda. & c. solitæ, de majo. & obe. cum*
7 *simil.* † exceptio enim firmat regulam. in in casibus non exceptis, *ca. dixit Dominus 32. q. 1. cum simil.* Præterea dato etiam, quòd dictum privilegium solùm daret fo-

rensibus mercatoribus immunitatẽ, quando conveniren tur ex contractibus prius alibi initis: Multo fortius forenses existentes in dicto loco libertatis nõ debent posse molestari in casu præsenti repressaliarum, ubi neq; conveniuntur ex contractu proprio, neque ex quasi contractu, neque ex delicto, neque ex quasi delicto, sed ex delicto alterius ob denegatam justitiam, *Auth. multo magis. C. de sacrosanct. Eccles.*

8 Præterea habemus, † quòd accedens ad nundinas publicas non potest ibi ex antegesto conveniri neque detineri pro repressalijs: text. est optimus *in l. unica, in verbo, nullum. & in verbo, aliquam. Cod. de nundi.* & *ibi per illum text. id notant Bar. Bald. Salic.* & *Doctor.* ergo etiam in proposito idem est dicendum: cùm privilegium Middelburgensibus concessum sit effectualiter privilegium nundinarum sine præfinitione temporis. Sicuti enim illa lex prohibet aliquam molestiam inferri venientibus ad nundinas publicas: Ita privilegium præfatis Middelburgensibus concessum prohibet venientes ad dictum locum cum suis mercibus quovis modo

9 detineri vel impediri. † Præterea dicere contrarium, est absurdum: & optimum est argumentum ab absurdo ad eliciendum mentem statuentis vel condentis legem, *cap. dudum,* & *ibi gloss. de elect. lib. 6.* & *dict. c. solitę,* & *ibi Panorm. voluit Bart.* & *Doctor. in d. leg. omnes populi.* Præterea non est hæc extensio vel ampliatio, sed potius inclusio casus, qui fuit de

10 mente bonæ memoriæ Ducis Philippi: † ubi enim id venit quod erat de mente cõdentis non fit extensio: *ut dicit gloss. no-*

11 *tabilis in c. si postquam, de elec. libr. 6.* † Imò interpretatio extensiva non est aliud, quàm interpretatio suppletiva, quando verba deficiunt, sed non ratio: text. est notabilis *in l omnino. ff. de spons.* quem ad hoc ponderat & multum commendat Domin. Bald. *in leg. 1. Cod si rec. provin.*

Accedit præmissis doctrina gloss. singularis, *in l. tale pactum, in fine, ff. de pactis, quam ibi sequuntur* & *approbant Baldus, Paulus de Castro,* & *alij Doctores,* quæ ha-

12 bet, quod † in legibus, statutis, rescriptis, conventionibus, & alijs dispositionibus, illud habetur pro disposito, quod verisimiliter fuisset dispositum, si de hoc disponens fuisset interogatus, quam doctrinã etiam approbat *in l. 1. C. quę res pign. oblig. poss.* & *facit text. in leg. Barbarius Philippus in versi sed* & *si fecisset,* & *ibi Bald. ff. de offic. præt.* & *text. in l. Titius* §. *Lucius,* & *ibi Paul. de Cast. ff. de libe.* & *posthu.* sed istud est hujusmodi, ergo &c. Etiam dato,

13 quòd esset extensio, prout non, † tamen passiva, quæ in omni dispositione etiam odiosa admittitur, ut determinat egregiè Bart. in repetitione *d. leg. omnes populi,* & *est textus notabilis in le. secunda,* & *ibi*

14 *Bald.* & *Salic. Cod. de noxa. actio.* † Imò etiam extensio activa admittitur in casibus sine quibus dispositio commodè effectum non sortiretur, secundum eundem

15 Bart. *in d. le. omnes populi.* † Præterea cum hac interpretatione concurrit observantia diuturna tanti temporis, de cujus initio non est memoria, quæ est optima privilegiorum & legum interpres, *l. si de interpretatione, ff. de le.* & *c. cum dilectus, de consuet.* & quæ habet vim tituli, *l. hoc jure,* §. *ductus aquę. ff. de aqua quo.* & *æsti.* & *c. super quibusdam, de verb. sign.* & *c. 1. de pręscript. libro 6. cum alijs vulgar.* & sic non obstat.

16 Nec obstat quod dicunt, † in omni dispositione exceptam eam autoritatem superioris, *cap. venientes, de jurejurand. cum simil.* & sic dominum nostrum Archiducem, nõ obstante dicto privilegio potuisse dare literas repressaliarũ: quia hoc totum verum est: sed non sequitur ex hoc, quòd dictæ literæ repressaliarum in dicto loco previlegiato executioni demandari potuerunt, sed debuissent demandari executioni

tioni vel in mari, vel in alijs locis non ita
privilegiatis, ad quæ mercatores dictæ
17 nationis declinarent: † debent enim lite-
ræ repressaliarum, quæ sunt odiosæ (*cap.
unico, de injur. libro 6. & auct. sed omnino,
& ibi per Bald. C. ne uxor pro marito, &
in auctē. ut non fiat pign. pro alijs. §. 1. co-
lum. 5.*) in præjudicium tertij nō existen-
tis de provincia, contra quam dantur, stri-
ctè interpretari, ut prædixi. Non obstat
etiam quòd dicunt hujusmodi arrestum
seu executionē esse factam non in oppido
Middelburgensi privilegiato, sed in portu
de Aremudis: quia cum dictus portus de
Aremudis sit de districtu & territorio
dicti oppidi Middelburgensis, idem juris
censendum est de eo, sicuti de dicto op-
pido Middelburgensi, *juxta notata per
gloss. Ioan. Andr. & Doctor. in c. ubi peri-
culum, in §. porro, de electi. lib. 6. d. leg.
18 cæsar*, ubi de hoc est casus: † quia portus
insulæ sunt pars insulæ, *ut ibi: & l. insulæ
ff. de judic. cum similibus*, maximè cùm
mercatores exteri ad oppidum Middel-
burgense navigio declinare nō possunt, nisi
per dictum portum, & in dicto privilegio
immunitatis expresè caveatur, quòd mer
catores forenses illic declinantes cum suis
navibus, bonis & rebus, plena gaudere de-
bent immunitate, ita quòd conveniri vel
molestari non poterunt pro contractibus
prius alibi celebratis quovis modo, & sic
non obstat: tum primò, quia in privilegio
Alberti Comitis Hollandiæ & Zelandiæ
expresè cavetur, quòd mercatores gau-
debunt libertate ante tacta, tam intra di-
ctum oppidum, quam extra: facit etiam
idem privilegium expressam intentionem
de navibus mercatorū, tum etiā & fortius,
quia etiam in odiosis appellatione † ci-
19 vitatis veniunt suburbia, quando dispositio
aliàs careret effectu, text. est multum no-
tabilis *in cap. si civitas. de sentent. ex-
commun. libr. 6.* quem ad hoc multum
ponderat Panor. *in ca. fin. de præben.* ergo
fortius in casu præsenti: pro quo adduco
aliud medium meo judicio multum strin-
20 gens: nam videmus, † quod dispositio
concepta in universitatem, resolvitur ut
concernat singulares personas de univer-
sitate, si actus non cadat in universitatem,
ut res non careat effectu: ut est text. no-
tabilis *in ca. si sententiam, de senten. exco.
lib. 6.* quem adhoc multum ponderat do.
Panor. *in c. veniens, de cognat. spiritua.*
ergo idem dicendum est multo fortius in
proposito. Non obstat etiam, quòd dicti
appellati dicunt, dictos de Middelburgo
perdidisse eorum privilegium per contra-
rium usum, adducentes ad probationem
illius tria exempla, quorū primum est de
dicto Antonio. Nam ut ex actis dictæ cu-
riæ constat, dicti Domini Burgimagistri,
Scabini, & Legislatores appellantes pro
conservatione privilegij & jurisdictionis
suæ, tunc opposuerunt illi arresto, & tan-
dem contra eundem Antonium in præfata
curia triumphum reportârunt: & sic illud
non obstat, cū actus contrarius privilegio
non sortitus effectum nō tollat ipsum pri-
vilegium: ut determinat Dom. Anton. de
Butrio, *in c. pastoralis, in 8. col. in versicul.
sed est dubium an possem, de causa posses. &
proprie.* & pariformiter in quadam causa
pridem per quendam Ioannem Smet de
Homborch contra quendam Petrum de
Hampaso Mercatorem forensem super
damnis eidem Ioanni ut prætendebatur in
mari illatis mota & intētata, ac illius occa-
sione arresto in bonis ejusdē Petri in dicto
oppido Middelburgensi posito, præfatisq;
Burgimagistris, Scabinis, & Legislatori-
bus ab hujusmodi arresto ad præfatam
curiam appellantibus, Tandem partibus
hinc inde plenè auditis in hujusmodi cau-
sa præsenti causæ non dissimili, sed eis-
dem defensionibus adiuta, sententia contra
præfatum Ioannem & in favorem præfa-
torum appellātium & libertatis dicti op-
pidi Middelburgensis lata & promulgata
fuit.

fuit. Ex quibus evidenter constat, dictos appellantes pro tuitione & defensione præfati privilegij semper viriliter militasse & restitisse. Quò autem ad aliud exemplum de arresto vigore literarum repressaliarum Domini nostri Archiducis in dicto oppido Middelburgensi posito per Laurentium Margart executorem curiæ ante dictæ ad instantiam Matthæi Verkens, Respondetur pariformiter, quòd etiam tunc dicti Legislatores oppidi Middelburgensis ab illo arresto appellârunt, & opposuerunt, ita quòd processus illius occasione in præfata curia agitatus est adhuc pendens indecisus: nec habuit hujusmodi arrestum effectum desideratũ, cùm Mercator cujus bona tunc arrestata fuerunt, de suis bonis ad libitum disposuerit illa vendendo & distrahendo ac precium recipiendo, ut ex depositionibus testiũ productorum creditur clarè constare, & sic etiam id non obstat. Et quò ad tertium exemplum de arresto facto per Karolum van de Vivere executorem dictæ curiæ vigore literarum repressaliarum ad instãtiam C. van der Wateringe in dicto oppido posito respõdetur multipliciter. Primò, quòd ille non est amplexus libertatem dicti oppidi, sed sua sponte se permisit condemnari in præfata curia Domini Archiducis, & sic non mirũ si dicta libertate gavisus non fuerit. Nec ex hoc dici potest dictum oppidum Middelburgense suum privilegium perdidisse. Tũ primò, †
21 quia si singulares de populo contraveniant privilegio concesso populo, non propter hoc civitas perdit privilegium, quia actus eorum non nocet universis, nisi præcesserit tractatus, ita singulariter in his terminis determinat Andreas de Barulo *in dicta lege secunda, Cod. de his qui spon. mu. sube. libro decimo*, & ibi hoc dictum refert & sequitur Dom. Ioannes de Platea: dicit enim, quòd immunitas vectigalium concessa pridem à Regæ Apuliæ Genuensibus & Pisanis non intelligitur perdita; neque præjudicatum privilegio in præjudicium populi Genuensis & Pisani per solutionem vectigalium factam ab aliquibus de populo etiã voluntariè: & hoc dictum refert & multum commendat Dominus Iason *in l. fina. ff. de constituti. princip. & Dominus Felinus in cap. cùm accessissent, de constitut.* & ratio est, quia
22 singulares † personæ non possunt renũciare privilegio concesso populo in præjudicium civitatis, *c. cum omnis de constit.* &
32 hinc est; † quòd privilegium concessum Ecclesiæ per contraventionem personarum Ecclesiæ, non perditur, nisi cùm hoc concurrat tempus 40. annorum: cùm & si vellent expresse renunciare privilegio cõpetenti Ecclesiæ, non possent: ut est pulcher text. & ibi hoc notat Innoc. Panor. & omnes *in ca. accedentibus, de privileg. & idem Panor. in d. ca. cum accessissent:*
24 Tum etiã ex alio, † quia ubi potest cadere alia præsumptio quàm renunciationis, tunc nunquam capitur præsumptio renunciationis: ut videmus in receptione facta in canonicum ultra numerum de mãdato Papæ. Nam videtur facta potius animo obediendi Papæ; quàm animo renunciandi privilegio vel statuto loquentibus de numero: ut notatur *in c. constitutus de rescrip. & est bona glo. in l. cum quid ff. si cer. peta. & est bonus text. in le. cum de indebito. ff. de proba. & in c. super hoc, de*
25 *renuncia.* † Actus enim & voluntas taciti vel tacita non sunt sic latè interpretandi, sicut expressi: sed eatenus quatenus se extendunt actus ex quibus tacita volu..as resultat: *ut dicit Paul. de Cast. in consilio suo 27. incipiente in Christi nomine amen. Visa appellatione interposita, &c. circa quartam columm. & est glossa magistralis in clemen. sæpe, in fine, super verbo partibus, de verborum sig.* Ita ergo dicendum est in proposito. Concludo ergo, prætactas literas repressaliarum in dicto oppido

pido Middelburgensi vel portu de Aremudis in præjudicium præfatæ libertatis non potuisse nec debuisse executioni demandari, & ob hoc justè & legitimè fuisse appellatum, ipsisque appellatis contra præfatos appellantes in hac parte perpetuum silentium esse imponendum, reservata eis facultate alibi dictas literas exequendi.

CONSILIUM XXII.

SUMMARIA.

1 *Consanguinitas allegata per duos testes probanda est.*

2 *Dicens se consanguineum & sic hæredem defuncti legitimum, probare tenetur parentes quoque suos legitimè natos fuisse.*

3 *Filius non admittitur ad hæreditatem, ad quam pater ejus si viveret, admitti non posset.*

4 *Consanguinei ex linea paterna soli succedunt defuncto, qui consanguineos ex materna linea non reliquit.*

5 *Examen testium ad perpetuam rei memoriam institutum, nullum est, nisi pars adversa legitimè fuerit vocata.*

6 *Divisio facta extrajudicialiter cum eo, quem quis putavit hæredem, non præjudicat.*

7 *Probatio dubia probantem non relevat.*

8 *Ex actu æquivoco nihil certi probatur.*

9 *Facta non præsumuntur.*

10 *Statuta recipiunt interpretationem à jure communi.*

11 *Iudicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere.*

12 *Iudex partem etiam post conclusionem causę interrogare potest.*

13 *Petitorium absorbet possessorium.*

IN causa successionis coram Burgimagistris, scabinis, & legislatoribus insignis oppidi Bruxellensis intentata, & adhuc pendente indecisa, per Egidium Coels & suos adhærentes ex una, contra Magistrum Petrum Suweels & suos consortes ex altera. Visis omnibus & singulis scripturis, instrumentis, & munimentis in hac causa productis & exhibitis, videtur mihi subscripto tota difficultas hujus causę consistere in hoc, An dictus Egidius & sui complices sufficienter probârint, se esse collaterales & nepotes, ac de consanguinitate quondam Ioannis Coels, de cujus hæreditate agitur, in gradu per eos designato, adeò quòd cum dicto magistro Petro Suwels & suis consortibus ad divisionem hæreditatis contentiosæ admitti debeant: quòd si sufficienter hoc probatum esset per eos, sine omni dubio simul ad divisionem hæreditatis dicti quondam Ioannis quò ad bona per eum acquisita admitti deberent, juxta ea quæ habentur & notantur per gloss. Cyn. & Doct. *in aucten. itaque mortuo, C. communia de success. & per glossam, Paul. de Cast. & Doctor. in Aucten. post fratres, C. de leg. hęredit.* Pro cujus investigatione, omissa omni superfluitate & generalium allegationum cumulatione, quam semper veteres jurisconsulti doctissimi fastidierunt, & ego semper abhorrui, Præmitto aliqua evidentialia, in quibus vis præsentis difficultatis consistit. Et primò,
21 † quo ad probandum consanguinitatem unus testis etiamsi præsidiali præfulgeat dignitate, minimè idoneus existit, etiam si personas designet, & gradus ab utroque latere clara computatione distinguat: Imò ad minus requiruntur duo, qui concorditer deponant se vidisse personas saltem in uno prædictorum graduum constitutas se habere & reputare pro consanguineis: text. est clarus, *in c. licet ex quadam, de testib. cum vulgari.* Secundò præmitto, quòd ultra præmissa ad probandum consanguinitatem ad effectum successionis habendæ non sufficit probare, quòd ille

qui hæreditatem petit, est nepos defuncti de cujus hæreditate agitur, & ex legitimo matrimonio natus: Imo debet probari, quod personæ mediæ, à quibus ipse descendit, sint de legitimo matrimonio na-
2 tæ: † quia licet filius sit legitimus, si non constet patrem fuisse legitimum, non debet admitti ad hæreditatẽ ascendentium,
3 ut avi & aliorum: quia omnes † descendentes ex filio illegitimo, proveniunt ex radice infecta, & sic non debent admitti ad hæreditatem illam, ad quam eorum pater si viveret non posset admitti: textus est notabilis *in c. lator, in cap. causam* 1. *& ibi notat. per Panormitan: Ioan. Anton & alios, qui filij sunt legitim. & in le. finali,*
4 *Cod. de natura. libe.* Tertiò præmitto, † quòd quandò defunctus non habet consanguineos sibi attinentes per lineam maternam, tunc illi consanguinei ex linea paterna, etiam si sit unus duntaxat, admittuntur soli ad hæreditatem: ita vult textus ad literam *in §. si plures, in fine ibi, & tamen non est dubium, & cæter. Institut. de success. agnator. & textus in dict. Authent. post fratres, in principio, ibi, ex uno latere, & cæt. cum vulgarib. voluit Cynus & Doctor. in d. Authen. itaque mortuo. circa finem, & Ioannes Petr. in forma libelli, quo petitur hæreditas ab intestato debita, in verbo nullisque superstitibus liberis, in octava columna.* Quibus præmissis dico, quòd in casu nostro Egidius Coels & sui consortes non sufficienter probarunt se esse de consanguinitate dicti quondam Ioannis Coels: quia duntaxat per unum testem, videlicet Ioannem Tijs, illam probare nituntur, qui tamen testis deponit per audire dici nec scit designare personas: Non deponit etiam, quòd Egidius Coels & sui, & illi à quibus descenderunt usque ad Ioannem Coels inclusivè, fuerunt de legitimo matrimonio nati, quod tamen requiritur, per prædicta; nec juvat certificatio oppidi Bruxellensis, quia nõ reperio, quòd pars adversa fuerit vocata, quando testes illi fuerũt recepti & auditi ad perpetuam
5 rei memoriam, † & ergo actus ille fuit nullus, per textum expressum *in l. si quando, C. de testibus, & in c. in nomine domini, eodem tit.* Etiam esto, quòd pars adversa fuerit legitimè vocata ad illum actum, quod potest verisimiliter præsum propter authoritatem judiciariam, *capit. in præsentia, de renunciation. cum similibus,* tamen attento, quòd testes non sufficienter deponunt, nihil juvat certificatio: non juvant etiam depositiones aliorum testium, scilicet Ancelmi van Dyon, & Wilhelmi Bellemans, quia cùm deponant dũtaxat ex his quę audiverunt à dicto Ioanne Tijs, & illius testimonium non sufficiat, cùm sit solus: nec etiam sufficienter deponit, ut prædixi: ergo nec depositiones illorum poterunt suffragari, per text. ad literam *in dicto cap. licet ex quadam, cum similibus.* Non etiam suffragatur eisdem, quòd ipsi admissi fuerunt, ut asserunt, per dictum Dominum PetrumSuweels, & alios, ad cum eis dividendum certos pisces, & ad vendendum certos census, & ad nonnullos alios actus, ex quibus illi Suweels videtur eos approbasse hæredes, quare ut videtur non poterunt postea eos negare tales: nam tollitur istud motivum per textum expressum *in l. cum putarem, in fi. ff. famil. hercis. & per l. si post divisionem. cum ibi notatis per gl. quam sequuntur communiter omnes Doct. Cod. de juris & facti ignor.* in quibus juribus ha-
6 betur, † quòd divisio facta extrajudicialiter cum eo, quem quis putavit hæredẽ, non prajudicat, etiam si fiat per juris ignorantiam: & sic sive isti Suweels tempore factæ divisionis protestati fuerunt, ut in suis scripturis asserunt, sive non, nihil ad rumbum: quia ex hoc, quòd isti Coels cum aliis diviserunt nonnulla bo-
7 na, non probatur, ipsos fuisse hæredes: † cùm illa sit probatio dubia, quæ non relevat probantem: cùm probatio debeat con-

concludere necessariò, *cap. in præsentia,*
8 *de probat. cum similibus.* † Ex actu enim æquivoco nõ probatur aliquid certi: cùm non probetur hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, *l. non hoc, C. unde cognati, l. pro hærede. ff. de de acquir. hæred. & leg. neque natales, Cod. de probatio. cum vulgaribus.* Cùm ergo dicti Egidius & sui cõsortes sæpè fateantur in scripturis suis, istos Suweels esse hæredes quõdam Ioannis Coels ex linea materna, quod etiam aliter sufficienter constat: nec constet sufficienter, ipsos Egidium & suos consortes esse hæredes & consanguineos dicti Ioannis Coels ex legitimo matrimonio & ex linea paterna: sequitur necessariò, quia paria sunt nõ esse, & esse & nõ apparere,
9 *l. in lege. ff. de contrahenda empt.* † & quia facta non præsumuntur, *l. quæcunque in fi, ff. de public.* quod dicti Suweels, quos cõstat hæredes defuncti ex linea materna, debebunt admitti de jure ad totam successionem dicti quondam Ioannis Coels: & posset Egidio & suis complicibus dici, deficit vobis fortè non jus sed probatio juris, *l. duo sunt Titij, ff. de test. tut. cum alijs vulgaribus.* Nec suffragatur etiam statutũ dicti oppidi Bruxellensis per eos allegatum & probatum, quia illud debet intelligi sicut jus commune hoc idem disponens, quod statutum intelligitur, quãdo scilicet defuncto supersunt consanguinei ex utroque latere: quod si supersint dũtaxat ex uno latere, illi in solidum ad-
10 mittentur, *d. § si plures cum similibus* † quia omnia statuta recipiunt interpretationem à jure communi, *c. cum dilectus, de consuet. & l. 2. cum ibi notatis, C. de noxa. actio. cum similibus,* & sic statutum illud servandum erit in casu nostro qui ut plurimùm accidit. Casus autem præsens non adeo frequenter occurrit: Rarò enim quis moritur, quin post se relinquat consanguineos ex utroque latere sibi attinentes: & ergo forsan consuetudinarii, qui solùm ex visis & practicatis judicant, aliter quàm prædixi hunc casum qui rarò ut dixi accidit propter verba dicti statuti terminarent & malè. † Nam incivile est judi-
11 care, nisi tota lege perspecta. *le. incivile. ff. de legib.* Iudicantem enim oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, *c. judicantem, 30. quę. 5. & leg. judices, cũ sua auct. C. de jud. cum similibus.* † Hinc est, quòd judex potest in-
12 terrogare partem etiam post conclusionẽ causæ. *cap. cum Ioannes heremita, de fide instr. & le. ubicunque, ff. de interr. act. & est gl. ordin. in c. 1. de confessis lib. 6. voluit Bal. in l. accusatorib C. de accus.* Imò quod plus est, potest judex ex officio interrogare partẽ etiam post conclusionẽ causæ, nedũ ad declarationem retroactitatorum, sed etiam adfundandum de novo intentionem partis: & sic in vim novæ probationis, ut voluit elegantissimè Alex. de Imo. *l. 4. in §. hoc autẽ judicium. ff. de dam. infect. Ant. de But. Io. de Imol. & quàm plures alij Doct. in c. cum causam, de jur. calu.* Non potest etiam Egidio & suis suffragari asserta possessio per eos allegata: cùm ex actu æquivoco, ut prædixi, non probetur aliquid certi. & sic nõ potest cẽseri ex actibus æquivocis per eos prętẽsis esse probatũ, eos esse hæredes, vel ut tales
13 debere manu teneri. † Ex alio etiam, quia petitorium absorbet possessorium. *ca. cum dilectus, de causa poss. & prop. & l. pen. & fi. ff. de publicia. cũ similib.* Cùm ergo isti Suweels satis pro intẽtione sua consequẽda probârunt, videlicet, quòd attinẽt defuncto in gradu specificato ex legitimo matrimonio, quod etiam alij sæpius confessi sunt, & ille Egidius & sui consortes non sufficienter probârunt, se attinere, defuncto ut prædixi: ergo cum paria sunt non esse, & esse non apparere, partes dominorum judicantium erũt in absolvendo dicto Suweels à contentis in petitione aliorum vestro venerabiles & circunspecti Domini judices judicio, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM XXIII.

SVMMARIA.

1 *Sententia diffinitiva continere debet absolutionem vel condemnationem.*
2 *Exceptio rei judicatę, dicitur exceptio litis finitę.*
3 *Attestationibus publicatis alii testes super iisdem articulis produci & examinari nequeunt, etiam in causa appellationis.*

VIsa sententia pridem per circunspectos dominos Burgimagistros, scabinos, & legislatores insignis oppidi Bruxellensis, in favorem magistri Petri Suwels & suorum litis consortum contra Egidium Coels & suos adhærentes lata: videtur mihi subscripto, quod licet dicta sententia non debuerit eo modo quo lata
1 est proferri, † cùm sententia diffinitiva debeat continere absolutionem vel condemnationem, & sic imponere liti vel controversiæ perpetuum finem. *l. 1. ff. de re judic. & l. preses. C. de sentent. & interlo. omni. judi. Cle. unica, juncta gloss. in verbo diffinitiva, de sequestra. poss. & fruct.* & habetur plenè per Specu. *in tit. de sentent. prola. in prin. & per Doct. canonistas in Rubrica, de re judi. & per legistas in Rubrica, ff. eo. titu.* ne lis ex litibus oriatur, & ne lites fiant immortales, *contra c. finem litibus, de dolo & contu. & l. fratris, juncta*
2 *l. nec minorem. C. de transact.* † unde exceptio rei judicatæ vocatur magistraliter exceptio litis finitæ, id est, decisæ, *c. 1. de litiscon. lib. 6. cum similib.* Quia tamen sententia antetacta absolutionem vel cōdemnationem præcisè non continet, sed duntaxat videtur quædam temporalis decisio, in eo quod dicit, quòd dictus Egidius Coels & sui consortes adhuc non sufficienter probârunt, se esse de consanguinitate quondam Ioannis Coels, de cujus hæreditate agitur: & sic ex hoc posset dubitari, an dicti Egidius & sui consortes iterum admitti debeant ad agendum de novo, & ad probandum se esse de consanguinitate dicti quondam Ioan. Coels, prout de novo processum coram dictis dominis burgimagistris & scabinis instituerunt. Dico sub correctione meliùs & rectiùs sentientis, quod tenore dictæ sententiæ attento, ex quo ab ea appellatum vel provocatum non est, admitti debent ad agendum & probandum suam intentionem etiam super articulis super quibus testes producti sunt, & quorum dictorum publicationem habuerunt, in quantum probationes aliquas facere velint de novo per literas, instrumenta, vel munimenta: quia quoad hoc non obstat eis publicatio attestationum, juxta ea quæ habentur & no-
3 tantur *in c. series de testib.* sed non † poterunt nec debent quovis modo admitti ad probandum ampliùs se esse de consanguinitate dicti quondam Ioan. Coels ex linea paterna per testes, ex quo habuerunt publicationem testium super eodem facto directè productorum & examinatorum, propter periculum subordinationis: ita formaliter dicit textus, & ibi omnes Doctores *in c. fraternitatis, de testibus, & in §. quia verò, in Authen. de testibus. colla.* 8. & istud adeò procedit, ut etiam in causa appellationis non liceat producere testes post publicationem attestationum super eisdem articulis, super quibus testes in prima instantia producti sunt, vel super articulis directò contrariis: *ita dicit text. ad literam, in Clementi. testibus, de testim.* & quia istud est plus quàm certum, ideo circa hoc ampliùs me non extendo. Partes ergo dictorum Burgimagistrorum, scabinorum, & legislatorum esse debent in declarando per eorum inter locutoriam, præfatos Egidium & suos consortes ad agendum & prosequendum processum per eos institutum, ac ad faciendum

dum probationes suas super factis per eos novissimè propositis, dummodo illas probationes facere velint per literas, instrumenta, vel munimenta, aut documenta publica, & minimè per testes, fuisse & esse admittendos & admitti debere per prædicta. Si autem dicta sententia fuisset lata in forma juris, ita quod continuisset condemnationem vel absolutionem, obstaret dictis agentibus exceptio rei judicatæ, nec essent ampliùs quovis modo audiendi, juribus præallegatis.

CONSILIUM XXIV.

SUMMARIA.

1 *Quæstio feudi imperialis relinquitur beneplacito imperatoris, etiam inter clericos.*

2 *Ab Episcopo cognoscente in causa feudi appellandum est ad Regem, à quo tenetur.*

3 *Quando jurisdictio per aliquem est infeudata, tunc in omni casu & de omnibus causis ille cognoscit jure ordinario.*

4 *Injuriæ reales ad judices feudorum pertinent: non autem personales.*

5 *Iurisdictio feudo cohærens, est fructus feudi.*

6 *Iudex in causa principali est quoque Iudex in causa dependente à principali.*

7 *Causa tangens alimenta dicitur causa alimentorum.*

8 *Feudi quæstio terminanda est per Dominum feudi.*

9 *Iudex judicii præparantis est etiam judex judicii præparati seu subordinati.*

10 *Feudi Dominus est judex quando est quæstio tàm de petitorio, quàm possessorio causæ feudalis.*

11 *Quæstio possessoria beneficii vel rei spiritualis decidi debet per judicem ecclesiasticum, sicut causa petitoria.*

12 *Iurisdictio concessa alicui causam habet favorabilem.*

13 *Causans cessationem à divinis officiis qualiter puniatur, &c.*

14 *Ad indicendam cessationem à divinis quæ requirantur, &c.*

15 *Forma non servata actus est ipso jure nullus.*

16 *Argumentum à sufficienti partium enumeratione validum est jure.*

17 *Quando res pervenit ad eum casum à quo incipere nō potest, vitiatur actus.*

18 *Finita causa, cessat effectus.*

19 *Fienda impediunt quæ tollunt jam facta.*

40 *Quando qualitas aliqua ad præparationem actus requiritur, oportet de illa ab initio processus constare.*

21 *Injuria non fit sine dolo.*

22 *In domo sua nec verbaliter nec realiter quis invitus citari potest.*

23 *Aditum ad se in domo sua in dubio quis prohibere censetur.*

24 *Principem ignotus salutare vel adire non debet.*

25 *In præsentatione literarum osculari eos quid denotet, &c.*

26 *Pontificali dignitati ab omnibus etiam forensibus, deferendum est.*

27 *Inferiores superioribus reverentiam debent.*

28 *Offendens delinquere non dicitur, quando offensus de jure offendi potuit.*

29 *Defensio denegata censetur, quando offensio à jure permissa est.*

30 *A dolo excusatur qui fecit quod sibi licere credidit.*

31 *Injusta etiam causa excusat quem à dolo & culpa.*

32 *Error juris excusat à dolo.*

33 *Iustus dolor & difficillimè temperatur.*

 34 *Vasal-*

34 *Vasallus faciens ligam cum inimicis domini sui, idque propter metum domini, excusatur.*
35 *Ratione metus, periculi vel scandali evitandi licitum est leges transgredi.*
36 *Quando in uno actu modus exceditur, excedens non punitur tanquam dolosus, sed tantum ut culpabilis.*
37 *Carcerans clericum ne ab alio offendatur, meretur præmium non pœnam.*
38 *Delicti exclusiva præsumptio in dubio capienda est.*
39 *Disciplinam non contemnit qui ignoravit militem.*
40 *Ignorantia juramento probatur.*
41 *Experientia facit artem: Inexperientia verò casum.*
42 *Clericus propter offensam non notoriam à divinis cessare non permittitur.*
43 *Per cessationem à divinis injuria fit Ecclesiæ in qua cessatur.*
44 *Quod in divinam religionem committitur, in omnium infertur injuriam.*
45 *Notorium ut quid deprehendatur, quæ requirantur, &c.*
46 *Illud propriè transit ad notorium quod habet causam manentem.*
47 *Vbicunque de pœna alicujus specialis constitutionis imponenda agitur, oportet quòd omnes ejus qualitates verificentur in casu de quo agitur.*
48 *Multa dicuntur notoria quæ nõ sunt.*
49 *In notorio crimine an parti defensio competat, &c.*
50 *Citatio partis requiritur ad hoc, ut quis declaretur incidisse sententiam canonis.*
51 *Ante declarationem nemo excommunicatus vel suspensus censetur.*
52 *Factum potest esse notorium, licet non qualitas facti.*
53 *Canonicis cessantibus à divinis superior in ecclesia sua celebrare potest.*
54. *Qualitas personæ facit interdum cessare præsumptionem metus.*
55 *Latitare non censetur qui in publicum se exhibet.*
56 *Mens & intentio ex qualitate personæ consideranda est.*
57 *Filio & liberto semper honesta & sancta persona patris & patroni videri debet.*
58 *Lege tota non perspecta judicare, incivile est.*
59 *Statuere vel statuta condere, jurisdictionis est.*
60 *Statuens pœnam statuti ipso facto non incurrit.*
61 *Iurisdictionem nemo potest exercere in seipsum.*
62 *Statuta recipiunt interpretationem à jure communi.*
63 *Magnæ est sapientiæ revocare hominem quod malè locutus est.*
64 *Arbitri eligendi sunt, quando est quæstio inter Episcopum & ejus Capitulum.*
65 *Clemen. I. de senten. excommunicat. quomodo intelligenda.*
66 *Mandatum expirat mortuo mandatore re adhuc integra.*

FACTI contingentia super quo consilium petitur, sic se habet. Reverendissimus in Christo pater Henricus de Bergis, Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Cameracensis, ut & tanquam Episcopus Cameracensis ab invictissimo, gloriosissimo, & victoriosissimo Principe Maximiliano Romanorum Rege semper Augusto tenet, prout sui prædecessores pro tempore Episcopi ultra memoriam hominum tenuerunt in feudum civitatem Cameracensem, & comitatum Cameracesij, ac jurisdictionem temporalem ratione hujusmodi feudi competẽtem,

tem, aut illi cohærentem: ipſeque ut talis inſequendo veſtigia prædeceſſorum ſuorum, uſus eſt juriſdictione ſua prætacta nominando & ponendo ibidem magiſtratus, legiſlatores, & alios officiarios, pro gubernatione reipublicæ neceſſarios, ſtatuendo & ordinando quæ pro ſalubri regimine ejuſdem civitatis & comitatus, qualitate loci & temporis attenta, viderit expedire, cudendo monetam, ac alia regalia exercendo, recipiendo etiam jura & emolumenta iſtius occaſione juxta antiquum & inveteratum morem, de cujus contrario, memoria hominum non exiſtit, & prout per antiqua regiſtra & munimenta ultra ducentos annos ſcripta ſibi & prędeceſſoribus ſuis jure ſuperioritatis licuiſſe & licere cõperitur recipi & ſolvi conſueta, ipſeq; ut talis (& minimè Præpoſitus, Decanus, & Capitulũ Cameracẽſe) Imperatori vel Romanorum Regi juramentum fidelitatis præſtitit, prout ſui prædeceſſores præſtare conſueverũt: dicti autẽ domini Præpoſitus, Decanus & Capitulũ id non æquo animo ferentes, præfato reverendiſſimo domino Epiſcopo in præmiſſis multis & diverſis mediis à pluribus annis citra impedimentum præſtare niſi ſunt, & de facto præſtiterunt, conantes quantũ in eis fuit, eandem juriſdictionem & utile dominium dicti feudi ſibi uſurpare, aſſerentes eccleſiam Cameracenſem eſſe vaſallũ per inveſtituram Epiſcopi, & non Epiſcopũ duntaxat: dictus verò reverendiſſimus Dominus pro tuitione juris & juriſdictionis ſuæ, quatenus hujuſmodi temporalia & feudum concernit, ad præfatũ Illuſtriſſimum Romanorum Regem hujuſmodi feudi dominum directũ, pro eo quòd hujuſmodi impedimenta diminutionem hujuſmodi feudi & juriſdictionis infeudatæ concernunt, recurſum habuit, & cauſam hujuſmodi tribus judicibus puta Illuſtriſſimo Archiduci Auſtriæ Philippo ſuo clariſſimo filio, Reverendiſſimo domino Ioanni de Hoerne Epiſcopo Leodienſi, & Abbati ſanctæ Gertrudis Lovanienſis, cùm clauſula quatenus vos vel duo aut unus veſtrum, &c. committi obtinuit: Negocio autẽ coram dicto domino Abbate altero prætactorum judicũ incepto, per eoſdem dominos Præpoſitũ, Decanum & Capitulum contra præfatũ Reverendiſſimum dominum Epiſcopum Cameracenſem, à ſancta ſede Apoſtolica citatorium quoddã cũ monitione & inhibitione, ut à cœptis vigore dicti reſcripti regii deſiſteret, in forma communi impetratum fuit: quod ſiquidem citatorium dicti domini Præpoſitus, Decanus, & Capitulum, per quendã prætẽſum notarium, ignotum quidem & minus expertum, ac adeò rudem, ut ſui mãdati tenorem legere nequiverit, aut quale ſit officium executoris nondum didicerit, executioni demandari juſſerunt: qui ſiquidem prætenſus notarius, ut novus in hac parte tyro, pontificali dignitati non deferens, omni modeſtia penitus abjecta, dicti reverẽdiſſimi Domini tunc temporis in domo ſua ſeu horto & loco ſecreto exiſtẽtis perſonam inverecundè & ſubdolè accedẽs, adductis ſecum duobus aliis viris etiam penitus ignotis, ac veſtibus nedum laicalibus, ſed magis militaribus indutis ac ocreatis, mandatum Apoſtolicum hujuſmodi minus reverenter exequi cœpit, & cùm juſſus eſſet mandatum oſtendere, & tenorẽ illius legere, vel illud alteri legendũ tradere, poſt inchoatã lecturam, quàm cõtinuare nequivit, vel noluit, elato animo hæc verba vel in effectu ſimilia, Vous avez bien oy que je vous ay dit proferre & vociferare inverecundè præſumpſit: cumq; exanguis, quaſi aliquod facinus in perſonã ejuſdẽ reverendiſſimi Domini cum ſuis perpetraturus apparuiſſet: Idẽ reverendiſſimus Dominus ruditatẽ & immodeſtiam ejuſdem admiratus, timens & veriſimiliter ab eodem & ſuis complicibus ignotis

offen-

offendi posse, pro securitate & defensione sua, ut continentiam mandati sui, & quorsum hoc tenderet, scire posset, minimè autem in injuriam sedis Apostolicæ, vel dictæ Ecclesiæ Cameracensis, unde ipse prætensus notarius missus dicebatur, cui semper pro innata clementia, ut notorium est, reverentiam debitam exhibuit, eundem cum suis complicibus ad tempus detineri censuerit: Cujus occasione præfati dominus Præpositus, Decanus, & Capitulum, post aliquorum dierum intervalla ob injuriam, ut asseruerunt, per dictum reverendissimum dominum Episcopum Cameracensem, eis & præfatæ Ecclesiæ Cameracensi per hujusmodi detentionem illatam, capitulariter deliberasse & conclusisse dicuntur, cessandum esse à divinis, prout de facto cessare cœperunt, non obstante, quod reverendissimus dominus Archiepiscopus Remensis, de præmissis avisatus eisdem dominis ex certis causis animum suum moventibus ad hoc, ne leviter & indiscretè Deo & Ecclesiæ officium debitum subtraherent, fundatores fraudarent, & cessando scandalum committerent, literatoriè inhibuerit & injunxerit: Non obstante etiam, quòd ante hujusmodi cessationem dictus reverendissimus Dominus Episcopus Cameracensis avisatus, quòd præfati Præpositus, Decanus, & Capitulum stomachati ex causa præmissa, licet minus justè contra eum cessare intendebant, juxta innatam clementiam & more pii patris ad eos miserit literas & scripta sua debitè præsentata communicationem expostulantia, & emendam quatenus offensa ex sua parte reperiretur offerentia, & quod magis est se in persona de Cameracesio ad civitatem Cameracensem tempore nocturno cum magno periculo sui corporis transtulerit & præsentaverit, & altera die de mane hora matutinarum unà cum eis matutinis, ut consuevit interfuerit: quibus spretis, ad cessationem, ut præmittitur, postea processerunt, & quod amplius est, iidem domini Præpositus, Decanus, & Capitulum vigore *Clement.* I. *de sentent. excommun.* ac vigore quarundam literarum Apostolicarum, fœlicis recordationis Gregorii & Honorii dum vixerunt summorum Pontificum, & cujusdam asserti & prætensi processus post mortem dictorum Gregorii & Honorii centum jam effluxis annis tempore Clementis septimi desuper fulminati, Abbates monasteriorum & rectores ecclesiarum dictæ civitatis Cameracensis, & suburbiorum ejusdem monuerunt & requisiverunt sub pœnis & censuris in eisdem literis contentis, quatenus una cum eis cessantes indilatè cessarent: & ultra hoc, januam qua ex palatio Episcopi ad ecclesiam cathedralem itur, ut eidem aditum ad eandem præcluderent, pessulo & nova sera obserârunt. Dicti verò Abbates, pro se & suis Conventibus ac rectores parochialium ecclesiarum sicut præmittitur requisiti, ex certis, justis & legitimis causis in instrumento appellationis desuper confecto plenius contentis, à requisitione comminationeque censurarum & pœnarum hujusmodi tempore debito infra decendium coram notario & testibus ad sanctam sedem Apostolicam in scriptis appellârunt & provocârunt, in qua confidentes illaque præfatis dominis legitimè intimata, pro debita prosecutione ejusdem miserunt ad urbem, dictusque dominus Episcopus unà cum eis appellando infra decendium eorum appellationi ritè interpositæ adhærendo est in debita prosecutione ejusdem. Quæritur ex hoc themate de quinque. Primò, ad quem cognitio hujusmodi articuli, videlicet, an dicto reverendissimo Domino Episcopo de eo super quo contenditur jurisdictio in temporalibus ratione dicti feudi imperialis competat nec ne, spectet, & pertineat. An scilicet ad

ad dictum Illuſtriſſimum Romanorum Regem, à quo dictum feudum tenetur, & qui eſt indubitatus Dominus directus: vel an ad Papam, vel alium judicem Eccleſiaſticum: ex quo perſonæ hinc inde ſunt Eccleſiaſticæ. Secundò, an detentio, de qua ſuprà, fuerit legitima cauſa ceſſandi à divinis: & an ceſſatio hujuſmodi fuerit juſta, injuſta, vel nulla.

Tertio, an dictum mandatum reverendiſſimi domini Archiepiſcopi Remenſis, præfatis dominis Præpoſito, Decano & Capitulo directum, ut non ceſſarent, fuerit juſtum: & an fieri potuit, nec ne. Quarto, an requiſitio dictorum dominorum, qua alios requiſiverunt, & ſecum ceſſarent, fuerit juſta, nec ne: & ex adverſo, an recuſatio præfatorum Abbatum & curatorum fuerit juſta. Quintò & ultimo, an præfata appellatio dictos Abbates & conventus, eccleſiarum parochialium rectores ab incurſu cenſurarum in caſu præſenti præſervet, nec ne.

In hac materia ſcripturus, ante omnia ex intimis mentis præcordiis deprecor omnipotentem Deum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, qui aperit & nemo claudit & nemo aperit: ut illuminare dignetur oculos meos, ac mentem meam in viam veritatis dirigere: ut ſuper à me quæſitis rectum valeam dare reſponſum. De cujus infinita bonitate ad plenum confiſus, aggredior prætactam primam quæſtionem, in qua omiſſis ſuperfluis dico breviter, quod cognitio hujuſmodi articuli ſpectat & pertinet ad dominum directum feudi, quicunque ille ſit, Eccleſiaſticus ſive ſecularis. Et quia præſupponitur in themate, quòd hujuſmodi feudum tenetur à Sereniſſimo Romanorum Rege, indubiè tenendum eſt, ad eum cognitionem hujuſmodi articuli ſpectare: per hoc eſt text. cum ibi notatis per Doctor. *in l. imperialem, in § pen. qui incipit præterea, de prohib. feudi alien. per Frederic. in uſibus feudorum.* Confirmatur etiam id proprio teſtimonio Eccleſiæ & ſummi Pontificis, quo nihil fortius, *cap. in omni, cum ibi notat. per Doctor. de teſtib. per text. apertum in cap. verùm, de*
1 *foro competenti*, ubi dicitur, quòd † quæ-
ſtio feudi imperialis relinquitur beneplacito imperatoris, etiam inter clericos, ut in caſu præſenti: Confirmatur etiam *per text. in cap. novit, de jud.* ubi fatetur Papa, quod ad Eccleſiam non pertinet cognoſcere de feudo, *in cap. cæterum, eodem tit. & in cap. ſolitæ, de major. & obed. cum ibi pulchrè no. per Innocent. dicentem,*
2 quòd in † rebus feudalibus ab Epiſcopo
cognoſcente in cauſa feudi appellandum eſt ad regem, à quo tenetur: & non ponit rationem, quia tunc cognoſcit, non ut Epiſcopus, ſed ut civilis judex: quod deinde refert & commendat dominus Panor. & Doctor *in dicto cap. verum*· & pro eo eſt text. apertiſſimus *in cap. Romana, in §. debet. de appell. lib. 6.* facit enim in ratione ſui *cap. à collatione, de appella. eodem lib.* & omnia jura de tanquam: facit etiam notabile dictum Innoc. quem Specul. in proœmio ſui ſpeculi appellat patrem juris, poſitum per eum *in dicto cap. cæterùm*, quod eiam ibi refert, commendat & ſequitur dominus Panorm. & ante eum dominus Bal. ubi dicit, quòd quando
3 † juriſdictio per aliquem eſt infeudata,
ut in caſu præſenti, tunc in omni caſu, & de omnibus cauſis ille cognoſcit ordinario jute: facit etiam dictum domini Bal:
4 *in præalleg. c. cæterùm*, ubi quærit, † an
judices feudorum ſint judices, ſi agatur de injuriis perſonalibus: & reſpondendo dicit, quòd non: ſed ſubjungit ſecus eſſe ſi agatur de injuriis realibus: & exemplifi-
5 cat, ut ſi de fructibus feudi agatur: † fru-
ctus autẽ feudi eſt juriſdictio feudi cohærens, & emolumentum ex ea proveniens: *Clem. ſtatutum, cum ibi notatis, de elect.*

fructus enim rei, pars rei esse censetur.
l. fructus. ff. de rei vend. Istud etiam dedu-
co alio medio. Negari non potest, quin
iste articulus concernat & tangat feu-
6 dum: † sed ille qui est judex in aliqua cau-
sa principali, est etiam judex in causa de-
pendenti à principali. *text. est cum ibi no-*
ta. per Bart. Paul. de Cast. & Doctor. in l.
cùm hi. §. transactionem. ff. de transact. &
benè facit text. *in cap. fin. in illis verbis, in*
spiritualibus & dependentibus ab eis, & c.
de jud. lib. 6. optimè etiam faciunt *not.*
per Bart. in l solent, parum ante finem. ff.
7 *de ali. & ciba. leg.* ubi dicit, † quod causa
tangens alimenta dicitur causa alimento-
rum, & debet tractari, ut causa alimento-
8 rum, eisdemque privilegiis gaudere: †
cùmque ergo certum sit de jure, quòd
quæstio feudi sit terminanda per domi-
num feudi, nec sit in hoc per aliquem, et-
iam Papam turbandus, ut suprà probavi,
& facit ultra præmissa *cap. causam quę ij.*
qui filij sint legit. non est hæsitandum,
quin in casu præsenti dominus feudi sit
judex competens: tum, quia maximè sua
interest, ne re sua utatur alius, de quo for-
tè non confidit, licet se vasallum dicat:
9 tum etiam, † quia ille qui est judex judi-
cij præparantis, est judex judicij præpa-
rati seu subordinati: ut vult Bald. *in l.*
ordinarij, C. de rei vendic. per illum text.
& per l. nulli, C. de jud. Hinc videmus
10 quòd † dominus feudi nedum est judex
quando est quæstio de petitorio causæ
feudalis, sed etiam ubi est quæstio de
possessorio: ut est communis conclusio
Doctorum *in dicto cap. cęterum, ubi Bal-*
dus dicit ita communiter teneri. Negari
enim non potest, quin quæstio possessoria
feudi sit de pertinentibus ad causam pro-
prietatis feudi: ut eleganter declarat Bal-
dus *in cap. 1. §. si inter pares, de lege Con-*
11 *rad.* Hinc etiam videmus † quòd quæstio
possessoria beneficij, vel rei spiritualis de-
cidi debet per judicem ecclesiasticum, sic-
ut causa petitoria beneficij vel rei spiri-
tualis: ut sentit notabiliter glossa prima,
in cap. fina. de jud. quam Barbatia ibi ex-
collit & dicit elegantem: & hæc videtur
esse communis opinio Doctorum, ut vi-
dere poteris per Doct. & signanter per
Barbatiam *in dicto cap. finali, & in cap.*
literas, de juram. calum. & per Doct. in
Clem. dispendiosam, de judic. & per Fran-
ciscinum Curtium in suo eleganti tractatu
feudorum in ultima parte, in sexta quæ-
stione. Nec obstat, si dicatur jurisdictio
concessa domino feudi, ex quo concessa
est de jure speciali contra regulas juris,
est restringenda & non amplianda: quia
12 respondeo, & dico, † quòd ex quo ju-
risdictio concessa domino feudi per *le-*
gem dictæ l. imperialem. §. pen. & præall.
cap. verùm, cum utrobique not. per Doctor.
habet causam favorabilem & æquam,
non restringetur sed extendetur ad per-
tinentia ad causam principalem feudi, per
suprà allegata, quæ hoc optimè probant.
Et tantum de hoc primo puncto.

Venio nunc ad secundum dubium, in
quo ut brevis sim, & ne frustra effundam
sermonem, dico breviter, prætactam de-
tentionem non fuisse sufficientem & legi-
timam causam cessandi à divinis, vel su-
spendenda organa divinæ laudis: Imò di-
co, hujusmodi cessationem nulliter fuisse
indictam, quod ultimum si deducatur,
censebitur aliud probatum. Illud ergo de-
duco sic: nam licet multæ sint constitu-
tiones punientes eos, qui clericos offen-
dunt, ut patet 17. *quęstio. 4. cap. si quis de-*
inceps, & cap. si quis suadente Diabolo, &
23. quæst. 4. cap. Guiliasarius, de sentent.
13 *excomm. per totum:* † tamen quantum ad
specialem pœnam cessationis à divinis, de
qua nunc est sermo, si benè memini, in
corpore juris reperiuntur, duntaxat con-
stitutiones infrà scriptæ, puta decretalis
irrefragabilis *in §. cæterum. de offic. ordin.*
decret. dilectis, de appell. cap. non est vobis,
de spon-

de sponsa.cap.si canonici, & cap.quamvis,
de offic.ordin.lib.6.& Clem.1.de sentent.
excommun. suprà alleg. de Clem.autem,si
quis suadente, de pœnis, mentionem non
facio: quia loquitur principaliter in in-
terdicto, & non nisi incidenter in cessa-
tione à divinis, quæ est nostri farrago li-
belli. Modò ad propositum dicta duo ca-
pitula, si canonici, & quamvis, dant for-
mam cessationis ante factum, in facto, &
post factum, & simul juncta requirunt
pro forma, decem copulativè, antequam
cessatio indici possit, & tria post cessatio-
nem, quæ permodum summæ enumerat
glossa magistralis in dicto cap. quamvis, in
14 *fine.& post eam Doct.ibidem.* Nec debet
quis admirari,† quòd in causa cessationis
indicendæ plura requiruntur, & quòd
non facilè ad eam venitur, cùm per eam
organa divinæ laudis suspendantur, fun-
datores suffragio fraudentur, & plura
mala sequantur: sicut etiam contingit in
interdicto, ut pulchré declarat *extrava-*
gans providè, de sentent. excommunic.
Forma autem est, quæ data esse rei. *l.Iu-*
lianus.§.sed & si quis.ff.de exhibend.cum
15 *similibus*,† qua non servata, actus est ipso
jure nullus, *cap.quia propter, cum ibi nota-*
tis, per canonistas, de election. & l.cum
hi.§.si prætor, cum ibi nota.per legistas.ff.
de transact. & est text. in terminis no-
stris, & ibi hoc notant Dominicus & Do-
ctor.in dicto cap quamvis.in fin. sed for-
ma dictarum decretalium in cessatione
per dictos dominos præpositum, deca-
num, & capitulum novissimé indicta, non
fuit servata, ergo cessatio hujusmodi fuit
nulliter indicta. Quòd autem forma di-
ctarum decretalium non fuit servata, de-
duco ex pluribus. Primo, quia indictis
juribus inter alia requiritur pro forma,
quòd nedum subsit causa, sed etiam re-
quiritur, quòd illa sit rationabilis, puta
grandis & enormis injuria: sed istud de-
ficit in casu præsenti, ergo, &cæt. Quòd
autem non subfuerit causa rationabilis
cessandi, vel injuria, aut offensa gravis, i-
mò nulla injuria, deduco ex multis: &
16 primò id deduco per locum à sufficienti†
partium enumeratione, qui est validus &
efficax in jure, *lege patre furioso.ff.de his,*
qui sunt sui, vel alieni juris, cum similibus.
Aut enim dicti Domini prætendunt hu-
jusmodi cessationem per eos fuisse indi-
ctam ob detentionem, de qua in Thema-
te, aut propter injuriam eis & Ecclesiæ
per hujusmodi detentionem illam: *Si*
dixerint, quòd ob detentionem, habeo in-
tentum, scilicet hujusmodi cessationem
17 non fuisse indicendam: † Nam quando
res pervenit ad eum casum, à quo inci-
pere non potest, vitiatur ipse actus, *l.plu-*
ribus.§.& si placeat.ff. de verborum obli-
gatione, cum similibus, sed ita est in casu
præsenti: quia ex quo per relaxationem
finita est ipsa detentio, ergo cessatio in
quantum fuisset indicta, debuisset cense-
18 ri extincta: † quia finita causa, cessat
ipsum interdictum sive cessatio, sine ali-
qua declaratione ipso jure: licet utile &
cautum sit, declarationem intervenire,
secundum dom. Cardin. & Doctor. *in*
prææalleg. Clement.si quis suadente, in ver-
19 *sic. terra sed sic est.* † quòd quæ tollunt
jam facta, multò fortius impediunt fien-
da, *d.l.patre furioso, cum vulgar.* Si ergo
relaxatio detenti tollat cessationem jam
indictam, ut suprà demonstravi: multo
fortius dequit impedire indicendam.
Si verò dicatur secundum, habeo simili-
ter intentum, ipsam indici non debuis-
se, ex causis infrà deducendis, tum quia
non est servata forma requisita in jure, ut
demonstrabo infrà, tum quia non sunt
verificatæ qualitates, de quibus meri-
tò constare debebat ante indictionem
20 hujusmodi cessationis. † Nam quando
aliqua qualitas requiritur ad prærpara-
tionem actus, ut in casu præsenti, ut pa-
tet *in dicto cap.si canonici, in illis ver-*

*bis, antequam ad cessationem hujusmodi
quoquo modo procedant*, debet primò de i-
psa constare; ut est casus notabilis *in l. non
ignorat, & ibi Bald. C. qui accu. non poss.*
quòd autem non sit verificata qualitas,
deducitur multis modis: primò quia
text. d. c. quamvis, inter alia requirit, quòd
huc cessatio fiat ob injuriam vel offensam,
21 & sic requirit dolum, cùm † injuria non
fiat sine dolo. 15. *quæst.* 1. c. 1. *cum similib.*
Ostenso ergo ex aliqua justa causa, quòd
dolus vel temeritas dicti reverendissimi
Domini non adfuerit in detentione per-
sonarum, de qua suprà, cessabit funda-
mentum, super quo fundatæ sunt dictæ
constitutiones, si canonici, & quamvis:
pro hoc adduco *gl. notabilem approbatam
in d. Clem. si quis suadente, in verbo, teme-
re*: quod autem justa causa dictum re-
verendissimum Dominum moverit ad
detinendum eosdem, patet primò, quia
dictus prætensus executor præfatum re-
verendissimum dominum in domo sua &
horto posteriori secretò existentem, ne-
que sui aditum præbentem, quem etiam
de publico non prospexit, sua temeritate
assumptis secum duobus complicibus,
subdolè & inverecundè adire præsum-
psit, investigando primò à secretario e-
jusdem reverendissimi Domini, ubinam
idem reverendissimus Dominus esset ac-
ceptoque responso, quòd idem reveren-
dissimus Dominus fuit in horto suo, & si
aliquid placeret idem secretarius libenter
ipsi referret, præfatus prætensus execu-
tor simulans sibi id gratum fore, dicto-
que secretario Dominum reverendissi-
mum ob hanc causam, ut sibi id significa-
ret accedente, non expectato ejusdem
secretarii responso, secretè eundem se-
quendo usus diplomate prævenit eun-
dem, & ilicò idem prætensus executor
asserens se à dictis dominis præposito,
decano, & capitulo habere in mandatis
citandi eundem reverendissimum Do-
midum ad curiam Romanam authoritate
Apostolicarum literarum, ad videndum
se declarari incidisse censuras, absque plu-
ri, nulla penitus reverentia adhibita, eun-
dem ad curiam verbótenus se citare di-
xit, & requisitus, ut mandatum Apostoli-
cum ostenderet & legeret, id vel legere
nescivit, vel voluit, ex quo multum con-
sternatus & commotus idem reverendis-
simus Dominus, cùm nullius ex illis tri-
bus notitiam haberet, videns etiam in
dispositionem faciei ejusdem & suorum
complicium, qui pallidi & quasi facinus a-
liquod perpetraturi forti animo eundem
quasi popularis fuisset accedere temerè
præsumpserunt, temeritatem eorundem
considerans, ac malum suspicans timens-
que factionem aliquam in eum esse con-
ceptam, volens sibi ipsi consulere, & veri-
tatem perscrutari, jussit eundem præten-
sum executorem cum suis complicibus
ocreatis, & in vestibus brevibus, & mili-
taribus incedentibus, & se exhibentibus
ad modicum tempus quousque de verita-
te apparet detineri: Cùm ergo domus
propria cuique tutissimum refugium esse
22 debeat, † ita quòd nec verbaliter nec rea-
liter in ea citari quis possit: nisi vel adi-
tum ad se præbuerit, vel ex publico con-
spiciatur: ut est *text. notabilis in l. pleri-
que, cum l. sequent. ff. de in jus vocan.* qui
text. etiam plus probat, videlicet nun-
cium citantem aliquem in domo sua vim
inferre videri: quem text. ad hoc ibi
ponderat Ang. & post eum alij posterio-
23 res: & cùm in dubio † quis censeatur
prohibere aditum ad se in domo propria,
nisi de permissione constiterit. *argum. l.
qui vas. §. vetare. ff. de fur.* & optimè fa-
cit in ratione sui *l. 2. circa medium. C.
quando & qui quarta pars deb. lib.* 10.
quod procedit omnino in magnatibus,
multis insidiis subjectis: quare non sine
24 magna ratione lex vetat, † principem per
ignotum salutari vel adiri. *l. 1. & ibi glos-
sa. C.*

ſa.C.de vetera. lib. 12. & hinc videmus ex conſuetudine laudabili, quæ optima eſt legum interpres. *l.ſi interpretatione, ff. de legi. & cap. cùm dilectus, de conſuet.* ma-
25 gnatibus † & nobilibus literas non præſentari in præſentatione vel aditione in ſignum amicitiæ, ut vitetur periculum, & ut tollatur occaſio malignãdi, literæ oſculentur: ſi ergo hoc ita ſe habet, quanto magis Epiſcopo in ſua diœceſi per illos de diœceſi deferendum eſt, & reverentia
26 debita exhibenda: maximè cùm canon † pontificali dignitati ab omnibus etiam forenſibus deferendum cenſeat. *cap.2.de offic.de leg. libro 6. & cap. quàm periculoſum. de ſenten. excom. eo lib. cum ſimilibus:*
27 † & cùm inferiores ſuperioribus reverentiam debeant. *l. 1. cum ſua gloſſ. ff. de aqua pluvia arcenda*, ergo ad propoſitum noſtrum redeundo, non eſt commiſſum delictum per dominum reverendiſſimum, ſed potius per dictum prætenſum executorem, qui ultra vim per eum, ſicut præmittitur illatam, etiam in officio per eum aſſumpto deliquit, & ſic propter ſuum delictum detineri juſtè potuit, & id ſibi imputari debuit, *regula, damnũ, quod quis ſua culpa, de regulis jur. lib. 6.* nec poteſt
28 ipſe detinens dici deliquiſſe. Nam † quando offenſus potuit de jure offendi, offendens non dicitur relinquere ſecundum Bartolum notabiliter *in l. ubi pactum, in penult. colum. C. de tranſactio*, ubi dicit, quòd ſtante ſtatuto quòd bannitus poſſet impunè offendi offendens bannitum conſtito & liquidato de bãno, & ſic liquidato quòd de jure poſſit offendi, offendens non venit condemnandus ſed abſolvendus. Imò quòd fortius eſt, regula eſt firmiſſi-
29 ma, † quòd quandocunque offenſa eſt à jure permiſſa, tunc defenſio eſt denegata: & econtra, ubi eſt prohibita offenſa, ibi defenſio eſt permiſſa: de primo eſt *text. in l. ſi ſervus, in fine. C. de his, qui ad Eccleſ. confug.* & de ſecundo eſt *text. jun-*
cta gloſſ. & ibi Paulus de Caſt. & Doct. in l. vim. ff. de juſt. & jure, ergo ita in propoſito & per conſequens hujuſmodi detentio non poteſt dici injurioſa, ſed ex legitima cauſa facta, præcipuè attento quòd Comitatus Cameraceſij, ubi hæc acciderunt, ſituatur in confinibus Franciæ, undè inſidiæ timendæ ſunt, ut patet ex mente *totius tit. in rubro & nigro. Cod. de fund. limothro. libro* 11. Præterea
30 & fortius non † ſolùm ille qui fecit, quod ſibi licuit excuſatur à dolo, ſed etiam ille qui fecit, quod ſibi credidit licere: *text. eſt optimus in l. ſi quis ſit fugitivus, in §. apud Celſum, in verſic. idem Celſus ait. ff. de ædilit. edict. & in l. inter omnes. §. rectè. ff. de furt.* Ad quod accedit, quòd nedum juſta cauſa excuſat quem à dolo & temeritate, ſed etiam injuſta, *gloſſ. eſt notabilis in l. plagij criminis excuſatio, Cod. ad l. fa. de plag. & in l. igitur, in princip. ibi, juſtis rationibus ductus vel injuſtis, &c. ff. de libera cauſa:* Imò quod
31 fortius eſt, † nedum juſta cauſa, ſed etiam injuſta excuſat à culpa. *ut eſt gloſ. notabilis in l. 1. ff. de ambig.* & quod fortius eſt,
32 † etiam error juris excuſat quem à dolo, ut eſt *text. valdè notabilis in §. ſed tamen, in verſic. item ſi ille ad quem, Inſtit. de uſucapio.* pro quo etiam facit *doctrina gloſſ. ſingularis in l. 1. ff. ſi quis jus dicenti non obtem. circa fi.* quæ dicit, quòd nedum juſta cauſa, ſed etiam injuſta, probabilis tamen, excuſat quem à pœna contumaciæ: ergo ad propoſitum dictus reverendiſſimus dominus per dictum prætenſum executorem cum ſuis complicibus ignotis, ſubitò ut præmittitur inſultatus, & in domo propria offenſus, ac juſtè & probabiliter factionem vel inſidias expave-
33 ſcens, † juſto dolore motus, qui difficillimè temperatur, *l. ſi adulterium cum inceſtu in §. imperatores. ff. de adult. & l. Gracchus, C. eod. tit.* faciens dictum prætenſum executorem cum ſuis complici-

bus in habitu laicali incedentibus ocreatis, ac penitus, ut præmittitur ignotis, ad tempus modicum detineri, excusandus est à dolo, & per consequens cessat injuria vel offensa requisita, ut dixi, ante cessationem indicendam: pro quo etiam adduco notabilem doctrinam Baldi *in cap. 1. quibus modis feudum amit. in usibus feudor.* ubi dicit, quòd licet regulariter vasallus censeatur proditor eo ipso, quòd facit ligam cum inimicis domini sui, *per nota. in l, liberi, C. de inofficio testamen. & notat ipse Bald. in l. 1. in 41. & 42. quæstionibus. ff. de rerum divisio.*
34 † tamen si propter timorem & metum domini præterritus id faciat, excusatur, allegans *text. optimum in l. novissimè, in versicul. si quis compulsus. ff. quod falso. tutor. autor.* pro isto etiam adduco notabile dictum Bald. *in l. si quis filio exhæredato. §. hi, qui. ff. de injust. rup. irritoque te-*
35 *stam.* ubi dicit, † quod ratione metus periculi, vel scandali evitandi, licitum est leges transgredi, & recedere ab ordine juris, per illum text. quod dicit nota. dignum, adduco etiam notabilem Theoricam Ioan And. *in c. significavit, de pœnit. & remissio.* de qua commemorat Ludo. *in suis singularibus, singulari quartò.* ubi
36 dicit, † quòd quando in uno actu excluditur modus excedens non punitur tanquam dolosus, sed tantùm inculpabilis: & hoc dictum refert & sequitur Baldus *in cap. 1. de pact. tenen. in usibus feudor. & Doct. alij in l. 2. C. unde vi:* & pro illo dicto optimè facit *præalleg. §. imperatores.* Hinc etam ad propositum dicunt notabiliter Host. Io. And. & Doct.
37 *in cap. nuper, in princ. de sentt. excom.* † quòd capiens carcerans clericum, ne ille ab alio offendatur, meretur præmium & non pœnam, & dicitur defendisse, non offendisse: facit etiam *cap. si verò, 1. eo. tit.* posito ergo non tamen concesso, quod in detentione prædicti prætensi executoris cum suis complicibus fuisset in aliquo expressus modus, quia tamen non constitit, nec unquam constare poterit, dolum ex proposito intervenisse, imò ut dixi, multæ sunt causæ, quæ habent excludere
38 dolum, † quibus etiam cessantibus, in dubio capienda est præsumptio exclusiva delicti, ut est *text. optimus in l. meritò. ff. pro socio, & ibi glossa dicit, hanc esse notabilem præsumptionem*, præcipuè attenta qualitate personæ dicti reverendissimi domini, quæ non consuevit executores literarum Apostolicarum malè tractare, sed favoribus prosequi gratiosis: quę consuetudo & qualitas plurimùm est attendenda, *l. vel universorum. ff. de pign. actio. & l. qui semisses. ff. de usur. cum similibus.* ergo non sequitur, quòd ob dictam detentionem cessari potuit à divinis, *dict. ca. si canonici*, & quamvis requirant injuriam vel offensam: injuria autem non committitur sine dolo, qui hic defuit per pręmissa. Præterea efficaciter arguit dolum cessasse, quòd dictus reverendissimus Dominus nullius ex dictis tribus noti-
39 tiam habuit, *l. si ignorans. ff. locati:* † non enim contemnit disciplinam, qui ignoravit militem, ut ibi: & justa fuit ignorantia, cùm ut dixi ocreati in habitu laicali, imo magis militari se præsentârunt, *in cap. audientia, de sentent. excommunic.*
40 † quæ ignorantia probatur juramento, ut est *textus optimus in cap. si verò secundò, eodem tit. & ibi Panormitanus in tertio notabili, & habetur per gl. vulgatam & Doctor. in §. sed iste, Instit. de actio. cum similib.* Præterea qualitas dicti prætensi executoris, quæ ante hac executoris officium non exercuit, sed scholaribus præ-
41 fuisse dicitur, ruditatem ipsius arguit, † cũ experientia faciat artem, inexperientia verò casum, teste Aristotele: de quo commemorat Baldus *in l. 1. in principio. ff. de justitia & jure:* nec subito infunditur experientia in ipsa creatione notariatus,

tus, sed per longum exercitium tandem acquiritur, *l. legatis. §. ornatricibus. ff. de legat. tertio*, & sic ex adverso evidenter justificatur detentio, per præmissa. Secundo deduco ex alio, & fortius, nullitatem dictæ cessationis: quia in dictis juribus inter alia pro forma requiritur,
42 † quod injuria vel offensa sit manifesta & notoria: *ita probat textus in dicto cap. irrefragibili, in §. cæterùm. in verbo. manifesta*: & *ibi Innocentius. Hostiens.* & *Doctor.* & *Ioan. monachi in dicto cap. si canonici*, & *dominus Angel. de Clavasio, in summa sua in verbo cessatio*: & facit ratio, quia non est rationi consonum, ut quis convincatur ex probandis, sed ex apertis & notoriis, præcipuè in cultu divino tollendo: pro hoc est optimus textus *in l. negantes, C. de actio.* & *obligat.* & maximè hoc militat, quando hi cessant, quibus id de jure communi non competit, sed duntaxat ex consuetudine, vel alio jure speciali, sicut sunt canonici Ecclesiæ collegiatæ, *dicto cap. si canonici, ut ibi notatur: benè facit cap. quæsivit de his quæ fiunt à majori parte cap.* Imo consuetudo admittens ad offensam non notoriam cessari à divinis, tanquam onerosa ecclesiæ, non valeret. *cap. I.* & *cap. cùm venerabilis, de consuet. secundum Ang. ubi suprà*: & maximè hoc procedit, quando contra proprium Episcopum cessare volunt canonici, secundum Doct. ubi suprà. Acce-
43 dit etiam, † quod cessatio à divinis est odiosa, cùm per eam fiat injuria ecclesiæ, in qua cessatur, cui officium debitum subtrahitur, *dicto cap. si canonici*, & punitur innocens pro nocente, contra regulam *l. sancimus, C. de pœnis, cum similib.* & hinc est, quod quilibet de populo hanc injuriam prosequi posset, *præalleg. cap.*
44 *quamvis*, & *ibi Doct.* † quod enim in divinam religionem committitur, in omnium infertur injuriam, *l. 4. C. de hæret.* & *not. per Bald. in cap. I. de offic. de leg.* Hinc non sine causa dicit text. *in prealleg. cap. quamvis*, quod cessantes à divinis, non servata forma de qua ibi, & *in dicto cap. si canonici*, committit perniciosum abusum, id est, pestiferum & lethalem, secundum *Ioan. And. ibidem in novella*: in casu autem præsenti non constet de notoria offensa, quod deduco, quia ex dicta detentione inevitabiliter offensa, cùm illa detentio sit multipliciter excusabilis, ut suprà dixi: ergo minus concluditur offensa notoria. Supposita tamen sine præjudicio, per illam detensionem commissam esse offensam: deduco quod illa nõ est notoria, prout tamẽ requiritur, ut per capitulum à divinis cessari possit,
45 ut præmissum est: † quia ad hoc, ut deprehendatur aliquid tanquam notorium, requiruntur tria copulativè, scilicet loci qualitas, astantium multitudo, & temporis qualitas: Loci qualitas, ut fiat in loco publico & non privato: Multitudo astantium, quia si fiat in præsentia paucorum, puta duorum, trium, quatuor, vel quinque, non potest ex hoc dici uel causari notorium: Temporis qualitas, quæ fiat de die & non de nocte: ista est doctrina Specul. *in tit. de noto. crim. in § jam de notorio*: refert & *sequitur Baldus in l. cives* & *incolę, C. de appella.* & *idem Bal. in cap. cùm sit Romana, de appell.* & *dominus Panormita.* & *alÿ canonistæ in cap. vestra, de cohabita. clerico.* & *mulier.* & *est glos. ordinaria notabilis de prætacto. 3. requisito, in l. si cum exceptione*, & *§. hac actione, super verbo, ignorantiam. ff. quod metus causa.* Cùm igitur dicta detentio facta fuerit in loco abstracto & secreto, ut ponitur in themate, non potest dici esse
46 notoria, † maximè cùm proprié illud transit ad notorium, quod habet causam manentem, *secundum Bart. in Authen. qui semel. C. quomodo* & *quando judex*, & sic relinquitur, quod in casu præsenti nõ adfuit qualitas notorietatis offensæ, etiamsi offen-

offenſa fuerit, prout non, ut ſuprà deduxi:
quæ tamen qualitas requiritur, ut dictum
eſt: & per conſequens hujuſmodi ceſſa-
tio fuit nulliter indicta: † quia ubicun-
47 que agitur de imponenda pœna alicujus
ſpecialis conſtitutionis oportet quòd o-
mnes qualitates ejus verificentur in caſu
de quo agitur: aliàs pœna non commit-
titur: iſta eſt doctrina & regula ſingu-
laris tradita per *Ioan. And. in cap. huma-*
ni. de homicid. li. 6. approbata per omnes,
& præcipuè per *Baldum in l. ſi quis non*
dicam rapere, Cod. de epiſcop. & cleric. &
in pluribus alijs paſſibus: & eſt ratio, quia
quando qualitas eſt cauſa alicujus effe-
ctus, puta pœnæ inferendæ, non ſufficit
probare factum, niſi punctualiter deduca-
tur & probetur qualitas: *text. eſt l. non*
ſolum, in §. ſed ut probari, & ibi pulchrè,
Bartolus, ff. de novi oper. nuncia. & in l.
Fulcinius in § cùm hoc edictum, & ibi et-
iam Bart. ff. ex quibus cauſis in poſſeſſ. ea.
& Ang. in l. cum actum. ff. de neg. geſt. &
Bal. in l. matrem, C. de prob. cùm ergo hic
ceſſaverit dicta qualitas notorietatis, er-
go, &c. Præterea dato, quod hujuſmodi
detentio poſſit dici notoria, prout tamen
eſt impoſſibile de jure, per ſuprà allegata:
tamen quòd nòn competiit defenſio, non
48 fuit notorium: quia multa † dicuntur
notoria, quæ non ſunt, vel quæ excuſan-
tur, *ſecundum Hoſtienſem & Præpoſitum*
in dict. cap. cùm ſit Romana, & dominus
Ant. de Butrio, & Doct. in dicto cap. veſtra.
Hinc etiam eſt, quòd communiter di-
49 cunt, † quod etiam in notorio crimine,
quando non eſt certum, parti non compe-
tere defenſionem, quod eſt regulare, par-
tem eſſe citandam & audiendam ante
prolationem ſententiæ, ut dicit Panormi-
tanus & Doct. *in dict. cap. veſtra, & dict.*
cap. cùm ſit Romana, & in hoc inſtrui-
mur exemplo Domini, *Geneſis* 3. vocan-
tis Adam, ibi, Adam ubi es, & 2. *queſt.* 1.
50 *Deus omnipotens.* Hinc etiam eſt, quòd †
ad hoc, ut quis declaretur incidiſſe ſen-
tentiam canonis, requiritur citatio partis,
ut eſt *gloſ. notabilis in d. Clement. ſi quis*
ſuadente, in verbo, commodè, & in Clem.
2. de verbo, conſtiterit, eodem tit. & plenè
per dominum Panor. & alios, in cap. per-
51 *venit, de appellat.* † nec eſt quis vitandus
tanquam excommunicatus, vel ſuſpenſus,
niſi fuerit declaratus talis, ac denunciatus
ſpecialiter & expreſsè, aut niſi conſtite-
rit eum excommunicationis ſententiam
ita notoriè incidiſſe, quod nulla poſſit
tergiverſatione celari, aut aliquo juris
ſuffragio excuſari: ut eſt hodie proviſum
per conſtitutionem ad vitandùm ſcanda-
la, editam in Concilio Conſtantienſi &
renovatam in Conſilio Baſilienſi: unde
non eſt bona conſequentia, notorium eſt
talem fuiſſe detentum vel occiſum, ergo
notorium eſt detinentem vel occiden-
tem incurriſſe pœnas conſtitutionis, i-
pſumque nullas defenſiones habere: quia
iſta ſtant ſimul, aliquem fuiſſe detentum
vel occiſum, & ipſos detinentes vel occi-
dentes juſté potuiſſe talem detinere vel
occîdere, & ipſos habuiſſe legitimas de-
fenſiones, ut ſuprà probavi: & patet ad
oculum *in dicto cap. ſi verò primò. ubi de*
hoc eſt caſus, & in alijs paſſibus ſuprà
52 *allegatis.* † poteſt enim factum eſſe noto-
rium, ſed non qualitas facti, ubi eſt bona
gloſſa *in cap. quanto, in verbo notorium,*
de tranſlatio. prælator. & ita ſingulariter
determinat Ioannes Fabri, in proœmio In-
ſtitut, in § quorum utramque, ſuper verbo,
proteſtantur, ubi benè tangit materiam
notorii: & pro hac deciſione allegat ca-
ſum expreſſum *in cap. 1. in § ſi quis ho-*
minem, de pace tenenda, in uſibus feudo-
rum. accedit etiam ad præmiſſa gloſſa
ſingularis *in leg. prima, in § ſi quis, cùm i-*
bi pulchrè notatis per Bartolum, ff. de vi
& vi armata, ubi habetur quod quis po-
teſt habere ratum factum, ſed non quali-
tatem facti: quod dictum tanquam ſin-
gulare

gulare refert & sequitur *Angelus de Aretio in tractatu suo maleficiorum, in glossa verbi mandatorem.* Præterea, si per hujusmodi detentionem injuria vel offensa esset illata, prout non, per supra dicta, illa principaliter fuisset illata judici citanti, ad quem spectaret vindicare hujusmodi injuriam: parti autem citari procuranti duntaxat competeret actio ad interesse vel expensas, ratione retardati processus: & sic minimè ob hujusmodi detentionem potuit à divinis cessari. Ex quibus concludo, nedum injustitiam, sed nullitatem dictæ cessationis. Præterea deduco tertiò adhuc fortius injustitiam & nullitatem dictæ cessationis: quia jus inter alia pro forma requirit, quod causa cessationis exprimatur in instrumento publico, & intimetur illi qui offensam vel injuriam intulit, & quòd ille requiratur & moneatur: ut injuriam vel offensam emendet: quod si fecerit, vel per alios steterat, quo minus emendam habeant competentem, non cessetur à divinis: ut patet *in dicto cap. quamvis:* Modo sic est, quod licet dicti domini Præpositus, Decanus, & capitulum causam suæ prætensæ cessationis expresserint, in quibusdam literis valvis dictæ Ecclesiæ Cameracensis affixis, quod sufficiebat tempore dictæ constitutionis, si canonici: tamen hujusmodi monitionem & requisitionem quæ hodiè pro forma requiritur, ut *in dicto cap. quamvis*, minimè fecerunt: & quod fortius est, per eos stetit, quo minus habuerint emendam de offensa, quatenus aliqua fuisset irrogata, prout non. Nam ut præmittitur in themate, dictus Reverendissimus Dominus juxta innatam sibi clementiam & pietatem, advisatus, quòd ob detentionem hujusmodi, contra eum cessare volebant, eisdem direxit scripta sua humanissima, remonstrando eisdem, quæ fuerit causa detentionis, exhortando eosdem, ut non temerè ad scandalum declinarent, petensque communicationem, & offerens emendam, si offensa ex parte suâ reperiretur: præsentavit etiam seipsum in persona veniendo de Cameracesio ad civitatem Cameracensem tempore nocturuo cùm non modico suo & suorum periculo: ac altera die manè cum aliis confratribus suis more suo consueto matutinis interfuit: sed præfati domini Præpositus, Decanus, & Capitulum, Pharaonis imitati duritiam, & obturantes more aspidis aures suas, literas hujusmodi & monita ac corporalem præsentiam ad communicationem paratam elata obstinatione ac obstinata elatione despexerunt: & quod pejus est, visa corporali præsentia dicti Reverendissimi Domini finitis matutinis eodem Reverendissimo Domino Ecclesiam exeunte, nova sera obserarunt januam palatij sui, qua de palatio itur ad ecclesiam, excludendo eundem hoc modo de ecclesia sua, in qua tamen ex dispositione juris, † canonicis sine manifesta & rationabili causa, contra eum cessantibus, celebrare potest: ut est textus *in dicto cap. irrefragibili, in §. cæterùm*, & posteà cessare cœperunt, & per eos stetit, quo minus emendam habuerunt, in quantum aliqua fuisset offensa, & per consequens hujusmodi cessatio fuit nedum injustè, temerariè, & præsumptuosè indicta, sed etiam nulliter. Nec possunt allegare: quod hanc requisitionem in personam ejus facere distulerint propter metum, † qui qualitate personæ ejus attenta præsumi non potest, ut suprà dixi, juxta notata per Panorm. & canonistas *in cap. causam, 1. de offic. deleg. & per Bart. in l. de pupillo, in §. si quis ipsi prætori, ff. de novi oper. nunciat.* Præterea in loco sacro, per eum quem in matutinis viderunt metum inferri justè allegare non possunt: Quid ergo eos à requisitione hujusmodi vel communicatione pacis inductiva, quæ nihil habet insidiarum retraxit, nisi temeraria

53

54

R

raria & obstinata præsumptio, non video: & per hoc etiam tollitur quòd dicunt, ejus præsentiam non potuisse haberi propter latitationem.
55 † Non enim latitat, qui in publicum se exhibet, *d.l. Fulsinius,in §.quid sit latitare*, quemadmodum fecit præfatus Dominus Reverendissimus, qui eo die quo cessare cœperūt, interfuit unà cum eis matutinis. Non debebant ipsi capitulares, de tàm pio & clementissimo Domino, præcipuè cùm sit eorum pater & caput, præsumere dolum, vel quòd propter executionem hanc detentionem fieri jussisset. qualitas enim personæ suæ, ut dixi, hanc suspicionem non patitur, quæ semper sedi Apostolicæ devota extitit: Attento præcipuè, quòd de post veritate comperta, se pro citato tenuit, & ad sedem Apostolicam nuncium instructum cum mandato miserit.
56 † Mens enim & intentio ex qualitate personæ consideranda est, *cap.1.29.dist. & cap.solitę,de major. & obedi.* neque jus nos docet, ut in dubio præsumamus delictum, ut suprà dixi *per dict. l.meritò*, quòd tantò fortius procedit in subditis respectu superiorum, parentum, vel patronorum, ut dicit textus allega. *in l.liberto.ff.de obseq.* ubi textus formaliter sic
57 inquit, † liberto & filio semper honesta & sancta persona patris & patroni videri debent: & idem dicit ibi *gloss. de discipulo respectu magistri*: ex quibus omnibus sequitur injustitia & nullitas dictæ cessationis. In quo negocio præfati domini Præpositus, Decanus, & Capitulum, attenta arduitate & magnitudine ejusdem, cautius meritò deliberasse debuissent, & non pręcipitasse sententiam, aut unico eorum lumine, quod ad propulsandum, non ad inferendam injuriam inventum fuit, tam periculosè abuti. Sed proh dolor, vel defuerunt in eorum deliberatione philosophi legales, Aphricanus, Papinianus, Iulianus, Vlpianus, Paulus & similes: vel accidit eis, ut fit in qualibet communitate, quòd numeratæ sint deliberantium personæ, sed non ponderatæ sententiæ. Neque juvat aut prodesse potest dictis Dominis Præposito, Decano, & Capitulo, si dicant, se hujusmodi cessationem indixisse vigore statuti synodalis, quo cavetur, quòd quando executor litterarum curiæ Cameracensis detinetur per aliorum captivus, cessandum est à divinis. Quia respondendo dico, quòd eis obstant tria, ad quæ non cadit responsum. Primum est, quòd statutum synodale de hoc articulo mentionem faciens, non dicit singulariter ob causam prætactam cessandum esse à divinis: sed cum hac modificatione, nisi detinens legitimè requisitus detentum relaxaverit: cùm ergo, ut suprà dixi, dictus prætensus executor cum suis complicibus per dictum Reverendissimū Dominum, antequam requisitio aliqua de relaxando eundem intervenisset, relaxatus fuerit, cessat præfatum statutum synodale, & effectus ejusdem: per suprà dicta: Nec meretur dictum statutum al-
58 legari, nisi ex integro allegetur: † Incivile est enim judicare, nisi tota lege perspecta, *l.incivile.ff.de legit.* nec debet separari cauda à capite, *cap.majores,de baptis. cum similib.* Præterea cessantibus præmissis, quæ tamen non cessant, obstat eis aliud. Nam dictum statutum synodale, quemadmodū & alia, sumsit robur, esse, & efficaciam ab Episcopo illud in synodo statuente & condente, & minimè à
59 Capitulo: † cùm statuere vel statuta cōdere sit jurisdictionis, ut volunt *Bart. Bal. & omnes Doct. in l. omnes populi. ff. de justi. & jure*, quę siquidem jurisdictio est apud Episcopum, & non apud Capitulum Ecclesiæ suæ cathedralis, nisi sede vacante, ut plenè tangitur per *Panor. & omnes Doct.canonistas in cap.cùm olim.de majo. & obed. & in cap.unico,eod.tit.lib.6.cum*
60 *similib.* Modò sic est, † quod statutum per aliquem

aliquem editum non ligat ipsum statuentem ad pœnam in eo contentam, ipso facto, sine ministerio judicis incurrendam: ita pulchré determinat *Ioan. And. in regula, cui licet, de reg. jur lib. 6. in mercurialib. & idem Io. And. & alij canonistæ in c. animarum, de constit. lib. 6. refert & sequitur D. Panorm. in cap. de illis, de rapt, ubi dicit, hanc esse communem opinionem: & Bart. in l. Lucius Titius, in fi. ff. de fideicom. liber. & Bald. in cap: cùm omnes, constitut. & Angel. in l. 1. ff. quòd quisque juris*, & ratio est in promptu, quia cùm condere statuta sit jurisdictionis, ut dixi,
61 † & nemo potest jurisdictionem exercere in seipsum. *l. pen. ff. de arbit.* ergo, &c. Etiam in omni sermone persona loquentis regulariter censetur excepta. *l. inquisitio, C. de solut. cum similib.* Præterea tertio deduco istud, etiam si præmissa cessarent, dictum statutum synodale recipit à jure communi illam modificationem,
62 dummodo detẽtio temerariè fiat. † Nam omnia statuta recipiunt interpretationem à jure communi, textus est notabilis *in l. 2. & ibi Doct. C. de noxa. actio. & c. cùm dilectus, & ibi Panorm. & canonistæ, de consuet. & patet in d. c. si verò, 1. cum aliis juribus suprà allegatis*, quæ temeritas cessat in casu præsenti, per suprà dicta.

Concludendo ergo dico, hujusmodi cessationem temerè & nulliter indictam, dictosque dominos Præpositum, Decanum, & capitulum prudenter acturos, si à temerè inceptis prudenter destiterint, & potius se corrigant, quàm ab alijs se cor-
63 rigi expectent. Magnæ † enim sapientiæ est, teste Augustino, revocare hominem, quòd malè locutus est, *22. quæst. 4. cap. magne, cui consonat tex. in Auth. de nupt. in princ. colla. 4.* & tantum de hoc secundo articulo, in quo pendet lex & Prophetæ, quatenus controversiam præsentem concernit.

Ad tertium autem dubium, dico breviter, quòd hujusmodi mandatum per Reverendissimum dominum Archiepiscopum Remensem justè factum fuit, *per text. expressum in dict. cap. irrefragabili, in §. cæterùm*, qui text. probat singulariter tria. Primò, quòd in casu præsenti Metropolitanus aditur per viam simplicis querelæ, quod regulariter non fit, *c. 1. de*
64 *foro comp. lib. 6.* Secundò, † quòd in casu præsenti non eliguntur arbitri, quod tamen regulariter fit, quando est quæstio inter Capitulum & suum Episcopum, ut est tex. singularitas *in cap. si clericus, 11. q. 1.* Tertiò, quòd exemptio Capituli hoc casu non prodest, quia ipse Archiepiscopus hoc casu procedit non autoritate sua, sed autoritate summi Pontificis, secundum do. Ant. Panor. & alios ibidem, contra quem non suffragatur eorum prætensa exemptio, juribus vulgaribus. Concludo ergo per illum text. quòd mandatum hujusmodi fuit justum, tàm ratione personarum, quàm ratione causæ, & tantum de tertio dubio.

Ad quartum verò dubium dico etiam breviter, quòd hujusmodi requisitio fuit injusta, & ex diverso recusatio justissima: Ratio est, quia Clem. 1. vigore cujus hæc
65 requisitio facta dicitur, † loquitur duntaxat in interdicto vel cessatione generali, ut patet illam intuenti: cessatio autem eorum est specialis, in qua non habet locum dict. Clem. *secundum gl. Card. & Doct. ibidẽ, & vult. Ang. in passu suprà alleg. & Doct. in dicto cap. dilectus, & in dict. ca. si canonici, & in dict. cap. quamvis.* Nõ suffragatur etiam dictis dominis prætẽsum rescriptum Apostolicũ, & processus desuper fulminatus, vigore cujus sub pœnis &
66 cẽsuris in eo cõtentis dicti Abbates & curati asserũtur requisiti: † Tũ quia mandatores re integra ante fulminationẽ alicujus processus decesserunt, & sic expiravit mandatũ mandatore mortuo, *c. quantum, & c. relatum, de offi. de leg. cum vulgaribus.*

Tum etiam & fortius, quia prætenſus executor, qui hujuſmodi proceſſum contra Epiſcopum Cameracenſem tunc in humanis agentem, poſt deceſſum mandatorum fulminavit, licet nulliter: ſub cujus nomine dicti Abbates & curati nunc requiſiti dicuntur, quàm pluribus annis ante hujuſmodi requiſitionem deceſſit, & ſic nullum actum juriſdictionis jam mortuus exercere validè potuit: vel ſuo actu facere, ut abſque alio mandato cenſuræ contra non debitè monitum infligerentur, per jura vulgaria. & tantum de quarto dubio.

Ad quintum autem dubium reſpondeo breviter, quòd quia per dictos Abbates & curatos ex juſtis & legitimis cauſis interpoſita eſt appellatio in ſcriptis & tempore debito, & præfati appellantes in illa confidunt, ſuntque in debita proſecutione ejuſdem: eadem appellatio, quæ ut patet ex his quæ ſuprà dixi, debet legitima reputari, præſervat eoſdem appellantes, ut ſine metu irregularitatis vel incurſus cenſurarum licitè & ſecurè poſſint divina cantare, ut poterant ante hujuſmodi prætenſam requiſitionem: *text. eſt apertiſſimus & ad literam in cap. ſolet, in fine, de ſentent. excomm. lib. 6. & ibi gloſ. in verbo, divinis officijs: hoc etiam ibi notant Innoc. Ioan. And. Dom. & Doctor. omnes, & eſt text. in cap. licet. eo. tit.* & *lib.* & *in cap. ad preſentiam*, & *ibi dominus Panor. Præpoſ.* & *Doct. de appel.* & conſuluit eleganter pro hac parte idem dominus Panorm. *in conſ. ſuo 33. incip. caſus in effectu talis eſt, judex à ſede Apoſtolica, &c.* Et quia ipſe plenè & perfectè hunc articulum ibi examinat, cenſui amplius circa hoc non inſtare, cum ſupervacuis laboret impendiis, qui ſolem facibus certat adjuvare. *cap. ſi omnia. 6. q. 1. cum vulg.* & tantum de hoc quinto & finali quæſito.

CONSILIUM XXV.

SUMMARIA.

1 *Nemo ſine actione experitur.*
2 *Viventis nulla hereditas.*
3 *Bona materna liberis quò ad proprietatem, patri verò quò ad uſumfructum debentur.*
4 *Contractus antenuptialis ex conventione contrahentium legem accipit.*
5 *Analogon per ſe poſitum ſtat pro ſuo ſignificato famoſiori.*
6 *In omni diſpoſitione illud habetur pro diſpoſito, quod veriſimiliter fuiſſet diſpoſitum, ſi de hoc contrahentes fuiſſent interrogati.*
7 *Pacta & ſtatuta recipiunt interpretationem à jure ſcripto.*
8 *Charitas benè ordinata incipit à ſe-ipſa.*
9 *In contractibus verba etiam minima aliquid operari debent.*
10 *Proviſio facta in unum caſum, extenditur ad alium ſibi ſimilem.*
11 *Hæredum appellatione, an etiam veniant filij, &c.*
12 *Filij ſunt quaſi domini bonorum paternorum.*
13 *Dictio*, Quaſi & Quodammodo *improprietatem deſignat.*
14 *Teſtes deſcripti in inſtrumento qualiter illud impugnare poſſint.*
15 *Apponens ſigillum inſtrumento, præſumitur habere notitiam contentorum in illo.*

CHRISTI Redemptoris noſtri invocato ſuffragio. Viſo caſu mihi oblato, ac tenore inſtrumenti dotalis inter domicellum Iacobum de Domburch, & domicellam Dorotheam de Schengen, tunc futuros conjuges, medio & interlocutione amicorum carnalium hinc inde concepti, initi & concluſi. Videtur mihi ſub-

hi subscripto sine aliqua hæsitatione dicendum, hæredibus præfatæ domicellæ Dorotheæ in hac parte actoribus in vel ad bona dicti domicelli Iac. per eum in subsidium prætacti matrimonij importata sive adducta, jus vel actionem non
1 competere, sine qua † tamen nemo experitur, *l. si pupilli. §. fi. ff. de neg. gest. cum sim.* Clarum enim est, quod de jure communi scripto præfatis hæredibus ad illa bona nulla competit actio, cùm neque sint agnati neque cognati d. domicelli Ia-
2 cobi: & dato quod eidem attinerent, † tamen quia viventis nulla est hæreditas. *l. 1. ff. de hæred. vel act. vendi. cum similib.* adhuc præfato Iacobo vitam ducente in humanis, nihil juris in bonis suis prætendere possent de jure: si ergo jus aliquod ad illa prætendere velint, id de jure speciali eis competere debet, fortè ex statuto patriæ, quo inter alia cavetur, quòd altero conjugum decedente, omnia bona hinc inde apportata, quæ constante matrimonio fuerunt communicata, tàm mobilia, quàm immobilia dividenda sunt in duas partes æquales: quarum una dimidia superstiti: reliqua verò proli, si aliqua sit, prout in casu præsenti fuit, vel in defectũ prolis hæredibus conjugis defuncti debetur seu assignatur, & hoc fundamento potissimum utuntur dicti hæredes. Sed illo non obstante, hoc in casu præsenti dici non potest, propter prætactum contractum antenuptialem, qui claré exprimit, quod altero eorundem conjugum decedente, superstes habiturus & retenturus est omnia bona per eum in subsidium matrimonij adducta seu importata, non obstante contradictione aliquorum hæredum defuncti. Modò sic est, quòd filius dicti domicelli Iacobi, qui matre sua defuncta fuit superstes, fuit indubitatus hæres præfatæ domicellæ Dorotheæ suæ matris defunctæ solus & in solidum, *toto. tit. ff. & Instit. ad Orficia.* & etiam de jure municipali loci domus mortuariæ: Ostenso ergo, quod dictus filius, obstante dicto contractu antenuptiali, non potuisset in bonis præfati Iacobi sui patris per eundem in subsidium dicti matrimonij adductis jus vel actionem prætendere, erit demonstratum, hæres dictæ prolis etiam id non posse: cùm ipsi non plus juris prætendere possint, quàm dictus filius, qui eos gradu præcessit, & ex cujus persona ad successionem venire prætendunt, juribus vulgar. Quòd autem dictus filius si viveret in bonis dicti domicelli Iacobi sui patris jus prætendere non posset, deducitur ex multis.

Primò enim id clarum est inspecto jure communi scripto, secundum quod dictus filius non habuisset jus, nisi in bonis
3 maternis, † & in illis duntaxat habuisset nudam proprietatem, usufructus verò sub onere alimentorum mansisset apud dictum domicellum Iacobum suum patrem: *text. est in l. 1. C. de bonis matern.* In bonis autem sui patris nullum penitus jus habuisset, ut ibi & in aliis juribus vulgaribus. Secundò deduco ex verbis di-
4 cti contractus antenuptialis † qui ex conventione dictorum contrahentium legem accepit *l. 1. §. si convenerit. ff. de depos. cum simili.* Excludit enim dictus contractus contradictionem omnium hæredum defuncti. Certum autem est, quòd dictus filius, ut præmisi, fuit hæres proximus & immediatus præfatæ domicellæ
5 Dorotheæ suæ matris: † analogon autem per se positum stat pro suo significato famosiori, *cap. penult. de sentent. ex communi. & §. sed quotiens, Institut. de jure natu. & civi. cum simili.* & qui omne dicit, nihil excludit *l. a procuratore, cum sua glos. C. manda. & cap. solitæ, de major. & obe.* ergo tàm ratione generalitatis sermonis, quàm ratione famosioris significati & denominationis, dict. filius tanquam hæres primus & immedia-

mediatus censetur exclusus à bonis paternis patre suo superstite manente: multò fortius ergo remotiores in gradu. Præterea certum est, quòd dicti futuri conjuges per hujusmodi contractum antenuptialem, voluerunt casu dissolutionis matrimonij per mortem alterius eorundem bona, per superstitem adducta sibi ex integro debere reservari, & apud eum verè manere: nec specialiter disposuerunt, quid fieri vellent in eventum quo esset proles: quòd si aliter fieri voluissent in casu quo superesset proles, quàm in casu ubi non esset proles, utique hoc expressissent: cùm ergo id non expresserint, debent verba, sicut generaliter sonant, generaliter intelligi, *cap. ad audientiam. de*
6 *deci. cum similibus.* Præterea in omni † dispositione dubia debet capi conjectura à verisimili, ut illud habeatur pro disposito, quod verisimiliter fuisset dispositum, si de hoc contrahentes cogitassent vel fuissent interrogati: *textus est notabilis, cum sua singulari gloss. in l. tale pactum, in §. fin. ff. de pact. & ibi hoc notant Bald. Paulus de Cast. & Doct. & idem Bal. in l. prima. C. quæ res pign. oblig. poss. & facit text. in l. Barbarius Philippus, in versic. sed si scisset, & ibi Bal. ff. de offic. pręt. & text. in l. Titius. §. Lucius, & ibi Paul. de Cast. ff. de libe. & posth.* sed in casu præsenti dicti conjuges verisimiliter idem disposuissent ex casu existente prolis, si de hoc cogitassent vel interrogati fuissent, quod generaliter disposuerunt: Tum quia illa dispositio est conformis juri scripto, de quo *in*
7 *dicta l. 1.* † à quo pacta sicut statuta interpretationem suscipiunt. *l. 2. C. de noxa. actio. & cap. cum dilectus, de consuet. juncta l. inter socerum. §. cùm inter. ff. de*
8 *pact. dot.* † Tum quia ordinata charitas incipit seipsa: nec præsumitur quis alium plus se diligere. *l. pręses. C. de servi. & aqua, & cap. nisi de auro, & usu. pal. cũ similib.* Tum etiam quia nemo præsumitur patrimonium suum multis laboribus acquisitum velle jactare, *l. cùm indebito, ff. de prop. & c. super hoc, de renun. cum si.* In casu autem præsenti si diceremus, statutum suprà tactum locum habere in hoc casu, præsumitur d. domicellus Iacobus in evẽtum, quo dicta Dorothea ante eum præcederet non relicto filio, ut relicto filio quem statim postea decedente contingat, voluisse perdere medietatem bonorum suorum, & illa devolvi ad extraneos, quod non est verisimile: *arg. l. cùm acutissimi. C. fideic. cum simili.* & supervacua esset clausula reservationis, de qua suprà,
9 quod non est dicendum: † quia verba debent aliquid operari, *l. si quando, in princ. ff. de leg. 1. & c. si Papa, de privil. lib. 6.* imò nedum clausulæ positæ in contractibus, sed etiam minimum verbum non debet esse sine virtute aliquid operandi: ut singulariter dicit *Bald. in Rubrica. C. de contrahen. empt. & vend. in 9. quæstione.* Præterea juxta præfatum statutum municipale, quoad successionem in casu, de quo nunc est quæstio, filius & hæres extraneus æquiparantur & pari passu ambulant: quia si altero conjugum decedente supersunt filij, illi capiunt unam dimidiam superstes verò reliquam. Si verò non supersint filij, tũc hæredes proximiores defuncti in locum filij capiunt unam dimidiam, & superstes reliquã. Cùm ergo provisio facta in unum casum extenditur ad
10 alium sibi similem, † nec referat quid ex æquipollentibus fiat, quãdo idem effectus sequitur, *ut est text. & ibi Angelus, Paulus de Cast. dominus Iason & alij in l. si mater, C. de inst. & substit.* ergo multò fortius, quando verba contractus generalia non restricta ad certũ casum, ut in casu præsenti: pro quo ultra præmissa optimè faciunt not. *per gl. singularem in c. 1. super verb. Italiæ, de temp. ord. lib. 6. & text. notabilis in cap. cum dilecta, cum ibi nota per dominum Paner. in 5. notabili, de*

confir.

confir.uti.vel inutil. Ex quibus clarè pa-
tet, hæredibus dictæ domicellæ Dorotheæ
in vel ad bona dicti domicelli Iacobi per
eum in subsidium prætacti matrimonij
importata jus vel actionem non compe-
tere. Cum ergo favorabiliores sint rei,
quam actores, *l. Arrianus. ff. de act. & ob-
liga.* venit d. domicellus Iacobus in hac
parte reus ab impetitione dictorum agen-
tium absolvendus, & actoribus silentium
perpetuum imponendum. Nec obstat, si
dicatur, quòd appellatione hæredum non
veniunt filij quia id veritate nõ fulcitur, ut
11 suprà dixi.† Appellatio enim hæredis in-
diffinitè prolata in materia proportiona-
bili, tàm filijs quàm extraneis hæredibus,
primo & principaliter verificatur in filijs,
& deinde in alijs ordine successivo, *juxta
notata in l. gallus, in §. & quid si tantùm.
ff. de libe. & posth.* & *in rubro* & *nigro, de
hæ, qui sibi* & *hæred. suis, in usibus feudo.* &
no. per glos. & *Doct. in l. si decem millia*
12 *dem. in §. pactus, ff. de pact.* & si dicatur,†
quod filij sunt quasi domini bonorum pa-
ternorum *l. in suis. ff. de libe.* & *posthu.* &
§. sui, Instit. hæred. qualit. & *differ.* dico,
quòd nec id absolutè verum est, quod de-
13 signat illa dictio,† quasi, vel quodammo-
do, in dictis juribus posita, quæ impro-
prietatem designat: *ut est gl. ord. notabilis
in l. si me in vacuum, ff. de acquir. possess.*
& *declaratur plenè per Paulum de Cast.* &
Doct. in d. l. suis. Nec obstat, quòd aliqui
testes non inscripti in dicto instrumento
antenuptiali deponunt contra instrumen-
14 tum, † quia per hoc non reprobatur in-
strumentum, dummodo duo ex testibus
descriptis in instrumento deponant pro
eodem, ut in casu præsenti: nisi testes cõ-
tra instrumentum deponentes probarent:
contrahentes vel aliquam ex eis tempore
datæ confecti instrumenti à loco in quo
celebratus dicitur contractus, in tam re-
moto & distanti loco abfuisse, quod im-
possibile fuisset eundem in loco designato
in instrumento talem contractum cele-
brasse: quòd hîc non allegatur factũ esse.
ita determinat Panor. & *Doct. canonistę in
cap. cum Ioan. heremita. de fid instr.* & *Io.
Fab.* & *Doct. in § item verborum ubi bo-
nus text. Instit. de inut. stipul.* & tantò
magis standum est dicto instrumento, cũ
eidem appositum sit sigillum Cornelij de
Schengen patris præfatæ domicellæ Do-
rotheæ unius ex actoribus hujus causæ:
15 & sic præsumitur † ipse illud legisse vel
legi audivisse & notitiam hujusmodi ha-
buisse, maximè cum illud diu sub se ha-
buisse dicitur: *arg. eorum quæ habentur
& notantur. in l. si. C. plus valere quod a-
gitur:* & per consequens sibi præjudica-
vit, nec est audiendus si nunc dicat, se cõ-
tenta in eo ignorasse, *l. de fidejuss. §. pater.
ff. de pign.* & *l. sicut. §. non videtur, ff. in
quib. caus. pign. vel hypo. taci. contrahi
cum vulgaribus.* Et quia hæc materia meo
judicio nihil dubitationis habet, superva-
cuum duxi amplius circa eam instare.
Supervacuis enim laborat impendiis, qui
rem lucidam & claram illustrare cona-
tur, *6. quæst. 1. cap. si omnia,* & *l. 1. ff. de
integ. restit.*

CONSILIUM XXVI.

SVMMARIA.

1 *Clausulæ notariorum ex consuetudine magis quam ex partium commissione vel voluntate adposita, nihil operantur.*

2 *Ius accrescendi quando locum habeat.*

3 *Clausula in compromissis,* Cum potestate *procedendi in scriptis & sine scriptis, quid operetur,* &c.

4 N*otarij sunt ut pica* & *psittacus, qui stant in palatijs dominorum, loquentes sine intellectu.*

5 *Clausula in renunciationibus,* promittant & jurent non contra *contractum venire ratione læsionis enormissimę,* &c. *quid operetur,* &c.

6 Clau-

6 *Clausula codicillaris in dubio præsumitur adposita ex consuetudine notarij, & non ex voluntate defuncti, nisi aliter constet.*
7 *Notarij clausulas, non mutantes substantiam actus, sed clarificantes ipsum actum possunt inserere instrumentis.*
8 *Testamentum, in quo filio non relinquitur aliquid titulo institutionis, si non habet clausulam codicillarem, est ipso jure nullum.*
9 *Notarius illa saltem agere potest quæ faciunt ad confirmationem rei gestę, substantia dispositionis non mutatâ.*
10 *Notarius substantialia supplere nequit.*
11 *Notarij pręsumuntur ignorare vim clausularum.*
12 *Alteri per alterum conditio iniqua inferri non debet.*
13 *Renuncians beneficio juris, quando sibi præjudicet.*
14 *Instituens hæredes testari non codicillari voluisse pręsumitur.*
15 *Declaratio facta per testatorem in codicillis, non validat actum prius per eundem testatorem nulliter gestum.*
16 *Asserenti contrarium ejus quod prius dixit, nulla fides adhibenda est.*
17 *Testamentum censetur nullum in quo filia testatoris pręterita est.*
18 *Testamentum inter liberos ex causa præteritionis vel exhæredationis injustæ, nullum est.*
19 *Monasterium capax bonorum in communi habetur loco filij, & succedit parentibus professi.*
20 *Filius in sua legitima gravari non potest.*

TESTATOR quidam habens septem proles naturales & legitimas ex sua uxore præmortuâ, suum condidit testamentum, in quo quinque proles hæredes suos universales solenniter instituit: duas verò alias proles, quarum una monasterium capax bonorum in communi inrravit, & alia in seculo remansit, certis annuis vitalibus pensionibus jussit esse contentas: prout hoc in quodam instrumento mihi loco casus ostenso plenius & latius continetur. Quæritur modò de duobus. Primò, an dicta, extrema voluntas sit de jure valida, vel nulla, sic & taliter quod dictæ duæ proles seu saltem monasterium nomine sui professi, non obstante hujusmodi extrema voluntate, cum aliis prohib. institutis æqualiter ad divisionem bonorum defuncti ab intestato admitti debeant. Secundò, supposita ejus validitate, quæritur anne dictæ duæ proles possint agere ad supplementum legitimæ, si & in quantum legata eis relicta usque ad legitimam non ascendant. Et quia pridem in hac materia consului, ostenso pro casu quodam extracto ex protocollo notarij, qui hujusmodi testamenti factioni dicitur interfuisse, nondum extenso: in quo quidem extracto non habebatur clausula codicillaris, aut alia illi æquipollens: quæ tamen clausula in instrumento extenso mihi nunc pro casu exhibito reperitur unà cum nonnullis alijs clausulis, ex quarum appositione substantia dictæ dispositionis testamentariæ multum variatur, ut infrà patebit: idcirco inhærente consilio tunc secundum casum oblatum dato, restat nunc examinare prætacta duo dubia, secundum instrumentum testamenti mihi nunc pro casu exhibitum, in quo ut præmittitur habetur dicta clausula codicillaris. Ad quæ dubia breviter respondeo, & primò ad primum, omissis superfluis, videtur mihi subscripto, quod in casu præsenti prætacta ultima voluntas, non obstante quod in ea reperitur inserta clausula codicillaris, & aliæ similes, est nul-

est nulla & nullius momenti, & quod locus est successioni ab intestato. Pro cujus deductione est præsupponendum,
1 quod clausulæ † notariorum ex consuetudine magis, quàm ex partium commissione vel voluntate appositæ nihil operantur: ita vult notabiliter Bart. in terminis nostris, *in l. 1. in 6 quæst. in fin. ff. de jure codicill.* dicens clausulam codicillarem appositam ex consuetudine notariorum, magis quàm ex voluntate testantium, nihil operari: & hoc idem vult notabiliter Bald. *in l. quotiens, in 1. col. C. de hæred. instit.* ubi ponit talem casum. Testator instituit extraneum hæredem universalem, & suo fratri legavit mille, ecclesiam autem parochialem instituit in quinque solidis pro anima sua: modo accidit, quod hæres extraneus, hæres universalis institutus, repudiavit hæreditatem: unde quæritur, an hæreditas repudiata per hæredem universalem accrescat ecclesiæ institutæ in quinque solidis, nec ne: & videbatur prima facie, quod sic: ex eo, quòd ecclesia reperitur instituta in quinque solidis, & frater in nullo reperitur institutus, licet mille sibi fuerint lega-
2 ta: & sic † quo ad eum jus accrescendi non potest habere locum, sed benè quò ad ecclesiam: ut videtur *per l. 1. §. si ex fundo ff. de hæred. inst. & d. l. quotiens, cum utrobique not. per Doct.* Contrarium tamen ipse singulariter decidit, & hoc ex eo, quia illa verba instituit, seu jure institutionis reliquit, in illo casu censetur apposita, secundum eum, ex consuetudine notariorum qui non intelligunt quid dicunt: cui consonat id, quod dicit Ludo. de Ro. *in suis singularib. singulari 53.*
3 quærens † quid operetur clausula consueta apponi in compromissis cum potestate procedendi in scriptis & sine scriptis, quam notarij quotidie apponunt, & tamen non intelligunt: subdens quod no-
4 tarij † sunt, ut pica & psittacus, qui stant in palatijs Dominorum & loquuntur sine intellectu: & similiter idem volunt, *Ant. de Butrio, Panorm. & Doct. in cap. quintavallis, de jurejurand.* ubi expressé volunt, quod verba quantacunq; pinguia, quæ apponi consueverunt per notarios in cõpromissis, quibus dicitur, quod arbiter possit de jure unius dare alteri, & lædere etiam enormi læsione, non præjudicant: ex quo potius apponuntur ex consuetudine notariotum quàm ex voluntate partium, & idem volunt in similibus terminis *Anton. de Butrio, Panor. & Doct. in c. cùm contingat, de jurejuran. & idem Panor. in disputatione sua 2 incip. stante statuto, in 6. colum.* in quibus locis præ-
5 nominati Doct. dicunt, quòd licèt † partes in contractu refutationis seu renunciationis dicant, promittant, & jurent, non venire contra contractum, ratione enormissimæ læsionis: tamen talia verba non operantur suum effectum, ex eo: quia videntur potius apposita de cervice notariorum, quàm ex voluntate partium. *l. creditor. §. Lucius, vbi bonus text. ff. mandat. & ita etiam vult Andreas Siculus in prima parte consiliorum, consil. 42. in 11. col. & consil. 48. in 9. colum. & cons. 58. in 7, colum. cum seq. reprehendens Ioan. de Imol. in l. filio præterito in 13. colum. ff. de injusto. rup. irritóve testa.* & concludens cum Bart. Bal. & alijs Doct. suprà
6 commemoratis, quòd in dubio † præsumitur hujusmodi clausula codicillaris apposita ex consuetudine notarij, & non ex voluntate defuncti, nisi aliter constet. Nec obstat præmissis communis theorica Doctor. quæ habet, quòd notarius rogatus ad conficiendum aliquod instrumentum testamenti vel contractus, censetur in dubio rogatus, ut apponat clausulas consuetas apponi, & illas apponere potest, *leg. fi. & ibi Bald. C. de fidejuss.* & *idem Bald. Alexan.* & *Doct. in l. hujusmodi, in princip. ff. de legat.* 1. & est bo-

nus text. *in leg. quod ſi nolit , in §. quia*
aſſidua.ff. de ædili.edict. & *in l licet, C.*
locat. & *ibi Ang.* & *in c.cum M. Ferra-*
rienſis , & *ibi canoniſtæ prçcipuè Fel.* &
Moderni de conſtit. & *in leg. ut liberis,* &
ibi legiſtæ præcipuè Iaſon & *Moderni, C.*
de colla. & *in l.certi conditio, in §.ſi num-*
mos ff.ſi cert.petat. & *vult Alex.de Imo-*
li, in conſilio 27. & *28. 2. voluminis,* &
in conſilio 89. 3 voluminis. Quia reſpon-
7 detur , quod dicta † Theorica procedit,
quando illa conſueta apponi non mutant
ſubſtantiam ipſius diſpoſitionis ſeu actus,
ſed ſolùm clarificant ipſum actum , ma-
nente tamen ſemper eadem ſubſtantia
diſpoſitionis. Secus autem , quando hu-
juſmodi appoſitio mutaret ipſam diſpoſi-
tionem ſeu ſubſtantiam ejus, quòd autem
in caſu præſenti mutaretur ſubſtantia diſ-
poſitionis, patet, quia ſecundum commu-
nem theoricam DD. ſecundum quam
8 pridie conſului, teſtamentum in † quo fi-
lio non relinquitur aliquo titulo inſtitu-
tionis , non habens clauſulam codicilla-
rem, eſt ipſo jure nullum : *per text.aper-*
tum in §. aliud quoque capitul.in auct.ut
cum, de app.cog.col.8. cum ſua gloſ. & *aliis*
jurib. nuper per me copioſè ſatis adductis :
& tamen eſt validum, ſi habeat hujuſmo-
di clauſulam codicillarem vel aliam æqui-
pollentem illi, ſecundum Io. de Imol. &
DD. *in c.Raynut.de teſtam.* & *Paul. de*
Caſt. in conſ.ſuo 321. incip.ſuper 1. pun-
cto, &c. in antiquis, & *Bald.in d.l. quo-*
tiens, in 2.col. & *Alex. de Im. in l. nam*
quod, in §.non omnes ff. ad Trebel.Bal.in
l.cum pater, in § filius matrem, per illum
text. ff. de legat.2. & *do. Io. de Imo.poſt*
Bar in leg codicillis, in §.fin.ff. illo eo.tit.
& *eſt communis reſolutio Doct.in aucten.*
noviſſimi, C.de inoff.teſt. Imò quòd for-
9 tiùs eſt, & ſi fuiſſet † notario commiſſum
à teſtatore vel contrahente, ut teſtamentũ
dictaret, ſcriberet, adderet, & minueret,
ſecundum dictamen ſapientis, adhuc tamẽ
non poſſet immutare ſubſtantiã, ſed ſolùm
illa agere, quæ faciunt ad confirmationem
rei geſtę, ſubſtantia diſpoſitionis non mu-
tata: ita ſingulariter dicit Specul. *in tit. de*
inſtrum.edit.in §. inſtrumentum, in verſ.
quid ſi à contrahentibus: & *ibi Ioan. And.*
in addit. notabiliter dicit, quòd ſubſtan-
10 tialia † ſuppleri non poſſunt, ex quo illa à
principio ita inſunt, quòd ſine illis vitia-
tur actus: & hoc dictum refert & ſequi-
tur dom. *Fel.in d.c.cum M.Ferrar.in 1.*
ſua declaratione: imò quod fortius eſt, non
poſſet notarius addere clauſulas conſuetas
ex ſuo formulari , ſubſtantia diſpoſitionis
etiam non mutata: niſi ſibi ſpecialiter da-
tum eſſet in mandatis à teſtatore , ut in-
ſtrumentum conficeret ad dictamen ſa-
11 pientis, vel niſi † ipſe notarius eſſet juriſ-
peritus intelligens vim clauſulæ: Ita ad li-
teram dicit ſingulariter Baldus, *in Rubr.*
de revocand. his quę in fraud.credit. circa
fin. & ratio hujus ponitur per *gloſſ. quam*
ibi commendat Bald. in prææalleg. leg. fin.
C. de fidejuſſ. quia cùm notarij ignorent
vim clauſulæ, & cõmuniter ſint ſimplices
idiotæ, ut accidit in caſu præſenti, non de-
bet eorũ ſimplicitas ſeu ignorantia obeſſe
12 vel nocere de partibus : cùm alteri † per
alterum non debeat iniqua conditio affer-
ri, juribus vulga. Quo pro vero præſup-
poſito, deducitur concluſio reſponſiva ſu-
pra facta hoc modo : teſtatur in caſu
propoſito in ſuo teſtamento non expreſ-
ſit clauſulam codicillarem , & alias clau-
ſulas , dicto inſtrumento mihi nunc exhi-
bito per notarium inſertas , aut ſaltem
hoc eum feciſſe non conſtat , ſed contra-
tium ejus: ergo id eum voluiſſe dicere
non poſſumus: quòd autem id noluit ,
deducitur ex multis. Primò , quia ipſe
teſtator fuit laicus , vir ſimplex , in ſola
mercantia expertus, & juris penitus igna-
rus, non intelligens vim vel virtutem hu-
juſmodi clauſularum : & pariformiter
ipſe notarius eſt juris ignarus , ſine cujus
peritia

peritia vis dictarum clausularum sciri non potest, sicque illas clausulas sine intellectu ex suo formulari inseruisse præsumitur, per præallegata. Nemo enim præsumitur in suo testamento dicere aut proferre verba per eundem non intellecta: & hinc est, quòd renunciatio † be-
13 neficij juris, facta per aliquem ipsum beneficium juris verisimiliter ignorantem, non valet, neque renuncianti præjudicat: nisi prius fuerit de beneficio sibi competente certioratus & informatus, per claram & apertam expositionem seu declarationem ipsius beneficij juris, de cujus renunciatione agitur: ut de hoc est glossa notabilis, quam sequuntur Doctor. *in l. final. ff. ad Velleia. & volunt Panorm. & Canonistæ in cap. cum causa, perempti. & vendi. & est bonus text. in l. mater decedens. ff. de inoffic. testam. & in l. cum Aquiliana stipulatio. ff. de transact. cum similib.* nemo enim præsumitur velle renunciare juri quod ignorat sibi competere, juribus præallegatis. Secundò ex eo, quia ut in facto præsupponitur, & mihi asseritur, ipse testator postquam notarium istius instrumenti vocaverat, eidem tradidit certam chartam manu alterius scriptam, quam dixit esse suum testamentum seu ultimam voluntatem, jussitque illam legi, & ea lecta aliqua addi, quæ ipse notarius ibidem in præsentia testium addidit, quam chartam ipse notarius ad se tanquam suum Protocollum recepit, in qua tamen charta nulla ex dictis clausulis, substantiam negotij, ut præmittitur, variantibus tunc scripta fuit, & sic ipse notarius in extensione illas ex sua cervice addidit, quod facere non potuit, per prædicta. Tertiò, quia dictus testator voluit solenniter testari, quod patet ex institutione † quinque prolium solen-
14 niter facta, & sic non præsumitur voluisse codicillari, *l. non codicillum, ubi text. ad literam, C. de testa.* ex qua l. junctis notatis per Doct. ibidem habetur, quòd testator faciens solennem institutionem, omninò videtur voluisse solenniter testari, nisi expressè appareat, ipsum testatorem aliud expressisse: & sic expressio ipsius notarij facta ex post facto nihil operatur, *secundum Bald. & Doct. ibidem.* etiam si testator petijsset desuper à notario confici instrumentum & instrumenta in meliori forma, quemadmodum communiter asseritur à notarijs, partes petijsse: quia debet intelligi, ut supradictum est, non mutata substantia dispositionis seu actus, per supra dicta: imò quod plus est, etiam declaratio † facta per ipsum- 15
met testatorem in codicillis non validat actum prius per eundem testatorem nulliter gestum, cùm ipsemet non possit mutare substantiam dispositionis, *secundum Bald. ibidem in fine:* & sic multò minus notarius. Quartò istud evidentissimè deducitur, quia ut in facto præsupponitur dictus notarius post decessum dicti testaris requisitus ex parte unius ex prolibus defuncti dare instrumentum testamenti, tradidit eidem certam copiam, ex suo protocollo, ut asservit, de verbo ad verbum extractam, dicens & asserens illud esse testamentum defuncti in substantia: & cùm alius instaret habere testamentum signatum, quia desuper consilium cum jurisperitis se capturum dixit. Respondit ipse notarius, quòd de hoc nullam facere difficultatem. quia in extẽsione nihil ex substantialibus immutaretur per eum, sed solùm adderentur annus, dies, indictio, & alia consueta apponi: in qua siquidem copia non erat dicta clausula codicillaris, neque aliæ clausulæ in proœmio instrumenti, mihi ut prẹmittitur nunc exhibiti insertæ: ex quo luce clarius sequitur, dictas clausulas per notarium non intellectas, pro clausulis consuetis suo judicio substantiam facti non variantes, ex suo formulari fuisse & esse insertas, præ-

ter & imò contra mentem teſtatoris:
quare dicto inſtrumento vel etiam ipſi
notario dicenti fortè nunc, hoc teſtato-
rem voluiſſe & expreſſiſſe, & ſic aſſerenti
16 contrarium † ejus quod prius dixit, non
venit in ea parte ſtandũ, neque eſt ei quò
ad hoc fides aliqua adhibenda: juxta no-
tata per Bartol. *in l. eos per illum textum. ff. de falſis.* Ex quibus ſequitur, hujuſ-
modi clauſulam codicillarem poſt mor-
tem teſtatoris, præter & contra mentem
ejuſdem, ex quodam tali quali ſtilo, ſeu
verius beſtialitate & ignorantia ipſius no-
tarij, tenorem ſui protocelli inſequentis
adjectam, quæ clauſula mutat & alterat
ſubſtantiam rei, ut dixi ſuprà, non impe-
dire quò minus dictum monaſterium no-
mine ſui profeſſi ab inteſtato ſuccedat,
præfato teſtamento nunquam nullo ex
cauſa præteritionis nõ obſtãte: licet ſecus
eſſet, ſi revera clauſula codicillaris vel alia
illi æquipollens per ipſum teſtatorem in
ipſa teſtamenti factione adjecta fuiſſet,
& de hoc conſtaret, per præallegata: &
tanto fortius debet dictum monaſterium
nomine ſui profeſſi ad ſucceſſionem ab
inteſtato admitti: quia teſtamento † ex-
17 iſtente nullo ex præteritione filiæ teſta-
toris, *Auctent. ex cauſa. Cod. de liber. præter.* & *d. § aliud quoque capitulum*, aperta
eſt via monaſterio ad ſucceſſionem: et-
iamſi ex alio capite fuiſſet excluſum à
ſucceſſione, prout tamen non eſt, *l. ſi poſt mortem. §. finali, cum ibi notat per Bar.* &
Doct. ff. de bon. poſſeſſ. contra tab. cum ſimil. Nec præmiſſis aliquo modo obſtat,
l hac conſultiſſima. §. ex imperfecto, & *§. ſi quis, C. de teſt.* quia ſecundum *gl. in l. ſi filius. C. de lib.* & *poſthum.* quam ibi no-
tat & valde exclamat Bart. quem ſe-
quuntur ibidem communiter DD. & *in*
18 *d. §. ſi quis contrarium*, quando † ultima
voluntas inter liberos eſt minus ſolennis,
vel imperfecta ratione ſolennitatis nume-
ri teſtium: ſecus ſi ſit minus ſolennis vel
imperfecta ex cauſa præteritionis vel ex-
hæredationis, ut in caſu præſenti. Et tan-
tum de primo.

Ad ſecundum verò quæſitum præſup-
ponens, licet minus verè, ut ex præmiſſis
patet, validitatẽ teſtamenti: Reſpondetur
breviter, quòd dictum monaſterium no-
mine ſui profeſſi poteſt abſque dubio,
etiam data validitate dicti teſtamenti,
agere ad ſupplementum legitimæ Quod
breviter deducitur ſic, quia monaſterium
19 capax bonorum in † communi, quale eſt
iſtud, de jure communi habetur loco filij,
& ſuccedit parentibus profeſſi in locum
ipſius profeſſi, *cap. in præſentia*, & *ibi canoniſtæ de proba* & *l. Deo nobis*, & *ibi legiſtæ, C. de epiſc.* & *cler. cum ſi.* Iam ſic
20 eſt, quòd filius † per patrem non poteſt
quovis modo gravari in ſua legitima,
quò minus poſſit petere ſupplementum
ejuſdem, *l. quoniam in prioribus, C. de inoffic. teſt.* Imò omne gravamen reijci-
tur, ut ibi, & *l. omnino, C. eo. tit.* etiamſi
prohibeatur per patrem plus petere ſub
pœna privationis ejus, quod eſt ei relictũ,
vel ſub alia quacunque: ut eſt text. val-
dè notabilis *in §. cæterùm, in auct. ut cùm de appell. cog. coll. 8.* & *volunt Bald. Paul. de Caſt.* & *Doct. in præall. l. omnino.* & *in l. ſi quando, in § fi. ubi bonus text. C. eo.*
Ex quibus ſequitur, quòd licèt pater in
caſu præſenti certa reliquit legata præta-
ctis duabus prolibus, & juſſit eas illis ſta-
re contentas, adijciens pœnam in eventum
contraventionis, poſſunt nihilominus di-
ctæ duæ proles impunè agere ad ſupple-
mentum legitimæ, cum dicta adjectio
habeatur pro non appoſita, juribus præ-
all. Et quia iſtud eſt luce meridiana cla-
rius, & pridem latius de hoc ſcripſi, ſu-
pervacuum duxi, latius ſuper iſto inſiſte-
re: cum ſupervacuis laboret impendijs,
qui ſolem facibus certat adjuvare, *cap. ſi omnia, 6. q. 1.* & etiam, quia fatua eſſet
pars hanc viam amplectens, & primam
longè

longè pinguius ei providentem & optimè fundatam derelinquens: juxta illud, Qui videt utilius, & sumit deteriora: absit ei radius luminis sine mora, de quo *in §. cæterùm, Instit. quòd cum eo qui in aliena potest. est*, &c.

CONSILIUM XXVII.

SUMMARIA.

1 *Usufructuarius facultatem disponendi non habet.*

2 *Non opponens exceptionem rei judicatæ, videtur ei tacitè renunciare.*

3 *Sententiam quę transivit in rem judicatam, propter confessionem partis, retractare judex potest.*

4 *Paria sunt non appellare, & appellationem non prosequi.*

5 *Paupertas à periclitatione juris excusat.*

6 *Præscriptio sine bona fide non procedit.*

7 *Sententia conformis esse debet petitioni.*

8 *Ad validitatem cujuslibet actus requiritur voluntas & potestas, nec sufficit alterum eorum.*

9 *Sententia continens diversos articulos potest in uno esse valida, & in alio articulo nulla.*

VISIS actis & actitatis, ac processibus agitatis coram Domino officiali Cameracensi primò, & deindè coram Dom. Decano sanctæ Gudilæ secundò, & nunc coram vobis Dom. Præposito frigidimontis Bruxellensis tertiò, & pendentibus adhuc indecisis, per & inter Alexandrum van den Berghe in hac ultima instantia appellantem, nomine Katharinæ van der Eycken suæ sororis ex una, & Petrum Lauwers nomine, Mariæ Pansars suæ uxoris appellatum ex altera partibus. Videtur mihi subscripto, quòd tota difficultas omnium prætactorum processuum stat in hoc unico puncto: An quondam Petrus van Kerrenbroeck potuit efficaciter constituere prefatæ Mariæ Pansars tunc suæ futuræ uxori duariam sive lucrum antenuptiale, in eventum quo ipse præcederet, in bonis per quondam Hermannum van Kerrenbroeck suum patrem in subsidium sui matrimonij sibi donatis, & in alijs bonis per eum tunc acquisitis, vel eo in communione stante acquirendis, nec ne. Quæ quæstio dependet ab illa: An bona per dictum quondam Hermannum præfato Petro suo filio in subsidium matrimonij addicta, & bona per præfatum Petrum constante matrimonio acquisita, eo stante & manente in communione bonorum præfati quondam Hermanni, absque divisione cum suis fratre & sorore facienda, censeri debeant fuisse bona ipsius quondam Petri van Kerrenbroeck: vel an potius attenta consuetudine in tertio processu articulata & probata, propter hujusmodi communionem censeri debeant mansisse in bonis dicti quondam Hermanni, ita quod de eis per dictum Petrum van Kerrenbroeck validè disponi non potuit.

Ad quam quæstionem, omissis superfluis, pro modica informatione vestræ paternitatis videtur mihi subscripto dicendum, actis hujusmodi processuum attentis: quod dictus quondam Petrus van Kerrenbroeck de bonis per præfatum quondam Hermannum suum patrem sibi in subsidium matrimonij addictis, & similiter de bonis per eum ipso stante in communione cum Wolfardo & Heylwige fratre & sorore ejusdem, attenta consuetudine prætacta articulata & probata, disponere non potuit, quia ut patet ex actis tertij processus, partim ex con-

fessione dicti Petri Lauwers, & partim ex probationibus, bona de quibus est quæstio, venerunt à dicto quondam Hermanno vel fuerunt per præfatum quondam Petrum eo stante in communione cum suis fratre & sorore acquisita: constat etiam ex eodem processu de consuetudine loci situationis bonorum, aliquibus stantibus in communione bonorum, non licet eisdem de eisdem disponere: & quod acquisita medio tempore cõmunicantur, & quod bona quæ sic pro indiviso possidentur, censentur mansisse in bonis defuncti, & quod eisdem naturæ censentur, ac si ille à quo provenerunt adhuc vivere: licet enim dictus Petrus van Kerrenbroeck potuisset à bonis paternis abstinendo manere extra divisionem bonorum, retinendo bona sibi per suos parentes in subsidium matrimonij promissa, ut dicunt testes: quia tamen hoc non fecit, sed se bonis paternis immiscuit, & quod amplius est, omnia bona paterna apprehendit, ut clarè deponunt testes in 3. processu pro parte dicti Alexandri prodcti, præcipuè, quartus, quintus, sextus, septimus, & octavus testes, & duo primi testes in quarto processu pro parte dicti Petri Lauwers producti. Patet clarè attenta consuetudine prætacta, articulata, & probata, quòd dictus Petrus van Kerrenbroeck de prætactis de bonis per præfatum quondam Hermannum sibi in subsidium matrimonij addictis, & per eundem quondam Petrum van Kerrenbroeck eo in communione stante acquisitis, disponere non potuit: Cùm vigore dictæ consuetudinis dictus quondam Petrus van Kerrenbroeck quamdiu stetit in communione quò ad effectum seu facultatem disponendi de dictis bonis
1 æquiparabatur usufructuario, † qui facultatem disponendi non habet, *l. uxor patrui. C. de legat. & institutis de usufruct. §. pen. & l. quod in rerum. §. 1. ff. de legatis primo, cum similibus.* Et sic sequitur, quod contractus dotalitius sive antenuptialis, super quo dicta Maria Pansars vel præfatus Petrus Lauwers se fundat, eisdẽ suffragari non potest. Nec obstat præmissis confessio facta per procuratorem dicti Alexandri in primo processu & sententia sublecuta: Quia omissis multis in processibus hujusmodi satis tactis, Respondetur: quod ad illa nullus est habendus respectus: sed haberi debent perindè, ac si facta non habuissent, & hoc ultra alia ex eo, quia certissimi juris est, quòd
2 habens † sentẽtiam pro se si patiatur postea super eadem re sibi questionem moveri & non excipiat de re judicata, videtur tacitè ei renunciare, & à re judicata recedere: & potest imò debet judex secundum illa quæ sibi liquebunt procedere, etiam in præjudicium & retractationem sententiæ, quæ jam transivit in rem judicatam: ita notabiliter determinat *Innocẽtius pater juris in cap. cum dilecta, in secunda columna, de rescript. & in cap. cùm Bertodus, in 2. col. de re judicata.* & refert ac sequitur Dominus Panormitanus, & post eum Felinus alij, *in capitul. cùm contingat, in tertia columna, de offic. delegat. & voluit Salicetus in lege prima, C. quando non est necesse, per textum in cap. inter monasterium de re judicata,* ubi dicit esse casum, cui consonat etiam theorica Innocentij, ab omnibus approbata *in capitul. quia plerique, de immunita. eccles.* ubi dicit, quòd si per † confessionem partis constat de injustitia sententię, debet judex eam retractare, non obstante quòd sentẽtia transivit in rem judicatam. Sed sic est, quod dictus Petrus Lauwers passus est eandem quæstionem moveri coram eodẽ judice, & non excepit de re judicata: Imò lata sententia ex secundo processu, per quam declaratum fuit, eidem Petro Lauwers vel sui uxori scilicet Mariæ Pansars nullum jus competere vel competijsse in bonis

bonis dicti quondam Hermanni, passus est
eandem in rem transire judicatam: licet
ab ea ejus nomine viva voce appellatum
4 fuerit. Et quia paria sunt, † non appellare,
vel appellare & appellationem non pro-
sequi, vel appellationi renunciare, *c. con-
tractum, de officio de legati, cum alijs ju-
ribus vulgaribus*, & est decisio Rotæ pri-
ma *in novis sub titulo, de appellationibus*
sequitur quòd ex ea se juvare non potest.
Non obstante etiam deducta in quarto
processu coram dicto Domino Decano
sanctæ Gudilæ habita, quia quòd quondā
Helwigis mater dictæ Catharinæ fuisset
contenta cum domo de Puerse, vel quòd
illa eidem fuisset in portionem filialem
data, ex actis quarti processus non con-
stat; imò ejus contrarium. Et licet dicta
Helwigis præfato quondam Petro van
Kerrenbroeck suo fratri litem non mo-
verit: hoc, ut dicit primus testium in
quarto processu productorum, propter
paupertatem ejusdem omissum fuit: quæ
5 † excusat à periclitatione juris, secun-
dum Innocentium, quem omnes sequun-
tur *in cap. ex ratione, de appellationibus*.
& quod fortius est, non constat esse ela-
psum tempus triginta annorum, ad præ-
scriptionem in casu præsenti requisitum.
leg. 1. Cod. de anna. except. si benè inspi-
ciantur dicta duorum primorum testium
in quarto processu productorum. Et præ-
terea non potuit dict. quondam Petrus
van Kerrenbroeck sciens se habere fra-
trem & sororem, & sciens nedum de ju-
re, sed & de consuetudine, fratrē & soro-
rem in bonis patris secum debere pro æ-
quali portione admitti, esse in bona fide,
6 sine † qua præscriptio non procedit, *c. si.
de præscript. cum sim.* Nec aliquid facit
consuetudo articulata in quarto processu,
cùm de apprehensione bonorum facta per
quondam Elisabeth van Werchteren
juxta tenorem prædictæ consuetudinis
non constet alicubi. Et licet sentētia dicti
Domini Decani posset dici nulla, ex eo
7 quod † non est conformis petitioni, &
quia non diffinit totum negocium, nec
continet absolutionem vel condemnatio-
nem, quod tamen requiritur, ut sit valida.
*l. præses. & ibi Paul. de Castr. & Doct. C.
de sent. & interlocu. omni. jun. licet Heli.
cum ibi not per gloss & Doct. de simo. l. ut
fundus. ff. communi divid. & l. fi. C. de fi-
deicom. libert.* Cui consonat notabilis do-
ctrina Bart. *in l. si constante. § si bona. ff.
solut. matrim.* ubi dicit, quòd si peto cen-
tum, & debentur duntaxat quinquaginta,
judex verò condemnat in quinquaginta,
& non absolvit à reliquis quinquaginta,
sententia est nulla. qui non pronunciatur
super toto, secundum eum: quem sequun-
tur Doctor. *per l. in hoc judicio. ff. fam.
herciscun. cum sim.* In casu autem præ-
senti dictus Petrus Lauwers in conclu-
sione libelli appellatorij plura diversa &
distincta petivit, & ipse Decanus sanctæ
Gudilæ nudè retractavit sententiam Do-
mini Officialis absque pluri, non pronun-
ciando super alijs petitis per dictum Lau-
wers, absolvendo vel condemnando: & sic
ex capite prætacto sententia sua possent
dici nulla, per prædicta. Tamen omisso
capite nullitatis, sufficit injustitia & ini-
quitas ejusdem ut retractari debeat: de
qua injustitia clarè patet ex prædictis.
8 Requiritur enim † ad validatem cujuslibet
actus voluntas & potestas, nec sufficit al-
terum eorum, *c. super, de offic. delega. & l.
multum interest, C. si quis alteri vel sibi,
cum sim.* In casu autem præsenti defuit
potestas ex parte dicti quondam Petri
van Kerrenbroeck, ut suprà deductum est:
& sic corruit contractus antenuptialis,
super quo se fundat præfatus Petrus Lau-
wers nomine Mariæ Pansars suæ uxoris:
quo existente nullo, luce clarius est præ-
fatos Petrum Lauwers & Mariam nullū
jus habere vel prætendere posse ad bona
dicti quondam Hermanni, vel etiam
ad bo-

ad bona dicti quondam Petri vanKerrenbroeck, cum eisdem non attineant in aliquo gradu, ut patet ex confessione facta per eos in secundo processu, in responsione ad libellum pro parte dicti Alexandri oblatam: & ex adverso clarè constat ex actis, dictam Catharinam van der Eyken uxorem præfati Alexandri fuisse neptem ex filia dicti quondam Hermanni, ac sororem dicti quondam Petri van Kerrenbroeck, utrique ex legitimo matrimonio conjunctam, & sic ei ad dicta bona pro ea parte pro qua egit, jus competere: & sic Domini officialis sententiam, per quam hoc declaratum est, fuisse benè & justè latam: & sententiam dicti Decani illam retractantis fuisse & esse malè latam, & retractandam fore. Nec præmissis obstat, si dicatur, quòd sententia Domini officialis continet impossibile, quatenus præcipit inventarium edi per eos de bonis quondam Hermanni & Petri van Karrenbrock: quia dato, quòd ex illo capite sententia officialis esset nulla in illa parte, prout tamen non videtur: attento quòd de illa impossibilitate non constabat Domino Officiali tempore latæ sententiæ per acta tunc coram eo habita, Et quia impossibilitas, si qua esset, surgebat ex facto dictorum reorum vel ipsorum auctoris, scilicet dicti Petri van Kerrenbroeck: Tamen ex quo sententia Domini Officialis in qua in tertio processu executionis, qui principaliter est attendendus, habet plura separata & distincta capita, non potest dici nulla ex toto: licet etiam in illa parte, qua dicitur continere impossibile, esset nulla. Quia firma theorica & regula juris approbata
9 per omnes, quòd sententia † continens diversos articulos potest in uno articulo esse valida, & in alio articulo nulla: *tex. est singularis & ibi Baldus dicit eum esse aureum, in leg. quædam mulier, in fine, ff. familię hercifcund. & voluit idem Bal. post glossam in dicta leg. in hoc judicio & idem Bald. plenè in l. 2. in 2 colum. n. in fin. C. de re judic. & facit text. cum ibi notatis in l. eiam. ff. de minor. & voluit Fel.* & *Moderni in c. cum inter, in 4. colum. de re judic.* Partes igitur vestræ Domine præposite in hac parte erunt, sententiam Domini officialis, à qua per præfatum Petrum Lauwers nomine suæ uxoris appellatum existit, & cujus vigore dicto Dom. Decano sanctæ Gudilæ cum alijs suis collegis causa ipsa appellationis commissa fuit, in omnibus: dempta particula de inventario exhibendo, in qua parte illa sententia ex actis maximè posteriobus retractanda venit, confirmare: & sententiam Dom. Decani sanctæ Gudilæ, quatenus præmissis contrariatur, retractare & infirmare: In quantum verò eidem conformatur, confirmare: vestro judicio, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM XXVIII.

SUMMARIA.

1 *Donare vel promittere alij bona sua post mortem quilibet potest: Ita quod exactio contra hæredem incipiat.*

2 *Successio solùm aut ex testamento aut ab intestato defertur.*

3 *Quilibet rei proprię moderator est & arbiter.*

4 *Promissio impediens liberam testamenti factionem, etiam jurata, ne quidem naturalem inducit obligationem.*

5 *Donatio quando mortis causa facta censeatur,* &c.

6 *Maritus consentiens uxori condenti testamentum, illud revocare nequit.*

7 *Quid principaliter agitur, semper inspiciendum est.*

8 *Pa.*

8 *Pater non potest donationem mortis causa à filio, consentiente ipso patre factam, & morte filij confirmatam revocare.*

9 *Mandatum morte mandantis re integra finitur.*

10 *Determinatio una respiciens duo determinabilia uniformiter illa determinare debet.*

11 *Actionem suam remittenti, amplius ad eam non datur regressus.*

SEmpronia uxor Titij, de consensu & voluntate expressa dicti Titij sui mariti, per stipulationem solemnem promisit & addixit Meviæ suæ cognatæ in subsidium matrimonij dimidia bonorum suorum mobilium & immobilium post mortem suam, ære alieno deducto, excrescentium: Reservata tamen super his sua & dicti Titij sui mariti testamentaria dispositione tam conjunctim quam divisim prout hæc in instrumento dotali plenius continentur. Post decessum autem Semproniæ (aliter per eam circa hæc testamentaliter non disposito) dicta Mevia in medietate bonorum dictæ quondam Semproniæ impeditur per dictum Titium, tum occasione & prætextu facultatis testamentaliter de his deponendi sibi reservatæ, quam facultatem insequendo post decessum dictæ Semproniæ aliter de eisdem bonis disposuit: tum etiam occasione & prætextu consuetudinis & statuti localis, quibus cavetur, quod soluto matrimonio superstes ex conjugibus consequitur usumfructum omnium bonorum immobilium defuncti, & proprietatem mobilium, Quæritur, an dicta Mevia impediatur, nec ne.

Pro cujus dubij pleniori intelligentia, quæro de duobus. Primo, utrum dicta promissio, conventio, seu addictio sit valida, nec ne: Secundò, qualis sit, & quando cœperit habere suas perfectas vires. Et omissis superfluis, veniendo ad primam quæstionem dico breviter, quòd hujusmodi promissio, conventio, seu addictio est valida & efficax: Ratio
1 est, quia bona † sua vel eorum partem quis potest alij donare vel promittere post mortem: Ità quòd actio & exactio incipiat contra hæredem: *text. est in l. unica, C. ut ac ab hæred. & contra hæred. inci. & in §. post mortem, Institut. de legat. & in l. non amplius. §. cum bonorum. ff. de legatis primo, & in leg. si servus servum. §. finali, cum l. sequent. ff. de legat* 2. *& in l. mulier. §. finali. ff. ad Trebell. cum similib. notat, gloss. benè intellecta non relata ad text. in l. finali super verbo accommodaverit. in fin. C. de pact.* & ibi hoc expressè illam gloss. declarando volunt. *Petrus de bella pertica, Cyn. Bart. Bald. Salic. Paul. de Cast. Alex. de Imol. Ias. & communiter omnes, excepto solo Ang.* Hoc idem etiam tenet Old. *in cons. suo* 139. *incip. ad habendam aliqualem notitiam*: Hoc idem voluit *Io. And. in add. ad Spec. in tit. de instr. edit. in § porrò, circa fi. & Alex. de Imol. cons. suo* 83. 2. *vol. in* 4. *&* 5. *col.*

Nec obstat si dicatur, quod hujusmodi promissio, conventio, seu addictio, est pactum futuræ successionis, quòd est prohibitum, *leg. pactum quod dotali, & leg. licet, & dict. l. fin. cum utrobique notatis, Codic. de pac. cum vulgarib.* Quia respondeo per interemptionem: nam in casu præsenti non promittitur medietas bonorum ut futura suc-
2 cessio, quam † fateor non posse deberi, nisi aut ex testamento aut ab intestato: Sed promisit dicta Sempronia medietatē bonorum suorum præfatæ Meviæ in subsidium matrimonij: ex qua promissione ipsa Sempronia fuit (licet revocabiliter) obligata: & exactio dilata usq; ad tempus mortis suæ, ut legitur & notatur *Institutis, de donat. in princ. & habetur in l.*

mortis cauſa donatio ſecunda. Digeſtis, de donatio. cauſa mortis, cum vulgaribus. Diſpoſuit enim dicta Sempronia de pro-
3 pria, † in qua quiſque eſt moderator & arbiter, *l. in re mandata. C. mandat.* Intervenit etiam conſenſus dicti Titij ſui mariti ſeu mamburni, qui quidem propter jus, quod ſibi in poſterum vigore dicti ſtatuti ſeu conſuetudinis localis competere potuit, ſatis utilis fuit & neceſſarius: & ſic ſublatum eſt obſtaculum, quod ſuberat ante præſtationem conſenſus: Cùm ergò affuit voluntas ipſius Semproniæ, & concurrebat poteſtas, neque ſit quod impediat actum, cùm hujuſmodi promiſſio approbetur & foveatur à jure: Reſtat, ut dicta conventio, promiſſio, ſeu addictio tenuerit & ſit valida. Aliud enim eſt dicere promitto tibi, quòd tu eris hæres meus meus, vel quòd tu mihi ſuccedes, aut quòd faciam te hæredem: vel quod ſuccedes æqualiter cum fratre ſuo: vel paciſci de ſucceſſione tertij: Quę pro-
4 miſſiones † tanquam contra bonos mores & impedientes liberam teſtamenti factionem, nihil penitus valent, neque aliquam obligationem inducunt, etiam naturalem: etiam ſi eſſent juratæ, & etiam interveniente ſolenni ſtipulatione: & ita loquuntur *dicta l. pactum, dicta l. licet, & dict. l. final. & l. ſtipulatio hoc modo concepta: & ibi Doctor. Digeſt. de verbor. obligatio.* Et aliud eſt dicere, promitto vel dono tibi medietatem omnium bonorum meorum, vel omnia bona mea poſt mortem meam, ut in caſu præſenti: quia tunc valet, ut dicit *gloſſ. in dict. leg. fin. in verbo accommodaverit, ſuprà allegata:* quam ſic communiter ut prædicti omnes Doctor declarant, intelligunt, & ſequuntur. Nec quicquam commune habet caſus præſens cum caſibus dictarum legum, ut cl[illegible]è patet caſus illarum legum intuenti: hu[illegible]ſmodi enim promiſſio non aufert liber[illegible] teſtandi facultatem: poteſt enim ſic promittens quemcunque voluerit inſtituere hæredem, ſed ille inſtitutus tenebitur ſtipulanti dare id quod ei promiſſum eſt per defunctum. Non veniunt etiam in hujuſmodi promiſſione, niſi bona præſentia: ut dicunt communiter DD. *in d. l. fin.* Non inducit etiam votum captandæ mortis modo prohibito: quia hoc fit de voluntate promittentis, quod licet: *per dict. leg. fin. cum vulg.* & ſic in nullo obſtant jura ſuprà allegata: etiam hoc caſu per hæredem detrahitur, falcidia, ut notant DD. *in d. leg. final.* & ſic non obſtat. Ad ſecundam autem quæſtionem dico, quod hujuſmodi
5 conventio, † promiſſio, vel addictio eſt & cenſeri debet donatio cauſa mortis: quia in ea facta eſt mentio mortis: nec eſt expreſsè dictum, quòd ſit inter vivos, vel quod non poſsit revocari: quo caſu deberet cenſeri inter vivos & irrevocabilis, *l. ubi donatur. ff. de. do cauſ. mortis, cum ſimil.* & ſic revocabilis fuit quo ad ipſam Semproniam, tàm ex reſervatione, de qua in themate, quàm ex natura ſui, juribus vulgaribus, & ipſa plenum effectum ſortita fuit ſtatim poſt mortem dictæ Semproniæ: quia hoc eſt de natura donationis cauſa mortis, quòd confirmatur morte donantis, juribus vulgaribus: nec ad confirmationem ejus requirebatur aditio hæreditatis dictæ Semproniæ: licet in legato aliud ſit, ut eſt gloſſa ſingularis ab omnibus approbata *in leg. poſt legatum, in §. penult. ſuper verbo legatario, in fine, Digeſt. de his, quibus ut indignis.* Nec etiam ad confirmationem ejuſdem expectanda fuit mors dicti Titij: quod ut clarè appareat, quia in hoc, meo exiguo judicio ſtat punctus difficultatis, deduco rationibus ac medijs infrà ſcriptis. Et primò ſic: dictus Titius non fuit condonans vel diſponens, vel unus ex donantibus cauſa mortis: ſed Sempronia fuit donatrix, cùm ipſa dicatur diſpoſuiſſe in inſtrumento dotali,

dotali, dictus autem Titius eidem Semproniæ donanti per prius præstitit consensum: & sic non possunt reputari duæ donationes, una Titij, alia Semproniæ: quo casu uterque potuisset revocare, etiam unus post mortem alterius: ut decidit in simili eleganter Oldrad. *in consilio* 174. *de viro & uxore testantibus in una charta*: sed in casu præsenti est duntaxat una donatio, quæ processit à dicta Sempronia de consensu dicti Titij. Cùm ergo hanc donationem causa mortis fecerit ipsa Sempronia, debet non immerito ipsius morte confirmari, & capere suas vires, & post ipsius mortem non posse revocari: sicut dicimus quando
6 mulier † testatur de consensu viri, quod unum est testamentum: & quòd post mortẽ testatricis maritus, quia prius consensit non potest revocare: per doctrinam Baldi *in leg. servum, Cod. qui test. fac. possunt.* quam cæteri approbant, *per text. optimum in l: sicut. §. venditionis. ff. quib. mod. pignor. vel hyp. sol.* circa quod multa scribuntur per Bald. & Salic. *in l. cùm alienam, C. de lega.* Censeo etiam ponderandum, quòd dicta Sempronia sibi & dicto Titio reservaverit facultatem aliter disponendi, & minimè ipse Titius, qui neque fuit disponens, vel condisponens neq; reservans vel conreservans, ut patet ex tenore ejusdem instrumẽti dotalis: Semper autem inspiciendum est, quod principaliter agitur, *l. 1. ff. de auto. tu. cum sim.* & persona disponens habenda est in consideratione, ut de ejus actu perfectè disseratur, *l. si quæramus. ff. de test. & l. quidam referunt. ff. de jure codic. cum vulgaribus.* Cùm ergo dicta Sempronia hanc donationem causa mortis fecerit, & minimè ipse Titius: sequitur, quòd ad confirmationem ejusdem donationis inspicietur duntaxat mors præfatæ Semproniæ, & non mors Titij. & idem per consequens quoad revocationem ejusdem. Præterea confirmo istud per optimum simile, Nam
7 video, quòd filiofamiliâs † donante causa mortis de consensu patris, in cujus potestate est, confirmatur donatio morte filijfamiliâs duntaxat, nec expectatur mors patris: ut est *gloss. ordinaria notabilis in l. nec fratris. Cod. de donat. caus. mor. & ibi per Cyn. Salic. & Doctor.* video etiam, quod filiafamiliâs nupta donante mortis causa marito suo de consensu patris, confirmatur donatio morte filiæ donantis, nec expectatur mors patris: unde si mortua filia pater vellet revocare donationem factam per filiam, non posset: ut est *bonus text. in l. donat. inter vir. & uxor. & ibi hoc tenent Cyn. Salic. & Doct.* Ergo ad propositum conventio seu donatio causa mortis facta per dictam Semproniam in favorem dotis de consensu dicti Titij sui mariti, confirmata fuit morte ipsius Semproniæ, nec potuit per eundem Titium post mortem dictæ Semproniæ revocari, vel in contrarium ejus per eum aliquid disponi. Sed quod fortius, certum est, quod hujusmodi potestas disponendi competit eidem Titio duntaxat ex facultate sibi reservata per Semproniam donatricem tempore donationis, non autem jure proprio, vel vigore juris municipalis, à quo per consensum præstitum jam recessit: sed hujusmodi facultas vel consensus disponendi de bonis dictæ Semproniæ data per eandem Semproniam ipsi Titio, nihil aliud inducit, quàm mandatum disponendi vel testandi, ut vult *Bar. in l. cum quis decedens, in princ. ff. de legat. 2. & idem Bart. in l. si fundum per fideicommissum. ff. de lega. 1. & idem Bart. in consilio suo 211. incip. quidam sibi filios, cum quo cæteri DD.*
8 *transeunt* Mandatum autem † re integra morte mandantis finitur, *l. mandatum. C. manda.* tempore autẽ mortis dictæ Semproniæ res adhuc fuit integra, quia ipse Titius nihil disposuit, ergo, &c. Præterea

deduco iſtud etiam ex alio ſic, quando
10 † una determinatio reſpicit duo determinabilia, & poteſt ambo determinare uniformiter tunc debet illa determinare uniformiter, & æqualitate ſervata, & minimè diſpariter: *text. eſt notabilis in l. jam hoc jure, & ibi Iom. de Imol. Paul. de Caſt. & Doct. ff. de vulg. & pupil.* eadem enim res non debet diverſo jure cenſeri *juribus vulgarib.* Sed reſtringendò facultatem teſtandi, de qua in themate, ad tempus vitæ dictæ Semproniæ, determinatio de qua in contractu dotali quoad facultatem diſponendi reſervatam determinaret ambo determinabilia uniformiter & æqualitate ſervata, prout debet: aliter autem determinare diſpariter, quod *d. l. jam*, reputat pro inconveniente, ergo &c.

Et per præmiſſa reſpondeo ad principale quæſitum, & dico, quòd dicta Mevia per præfatum Titium minus juſtè impeditur in dimidia bonorum antetactę Semproniæ, per jura, media, & rationes de quibus ſupra. Nec obſtant, quæ in favorem dicti Titij in themate allegantur. Et primò non ſuffragatur dicto Titio jus municipale, de quo in themate: quia ab illo per præſtationem conſenſus receſſit, & ſibi in hoc præjudicavit, ut præmiſſum
11 eſt. Remittentibus † enim actiones ſuas non eſt amplius dandus regreſſus ad eas, *l. quæritur. § ſi venditor. ff. de ædil. edict.* & unicuique licet renunciare juri pro ſe introducto, *juribus vulgaribus*. Et imputet ſibi, quare tempore præſtiti conſenſus, vel poſteà melius ſibi non proſpexit, *argum. leg. incivilem, C. de furtis, cum ſimilibus.* Nec ſuffragatur eidem diſpoſitio per eum poſtea facta, quia illam tempore quo eam facere potuit, puta tempore vitæ dictæ Semproniæ, non fecit: & cùm non potuit tunc eam facere tentavit: & ſic habet locum regula, quod potuit, noluit, & quod voluit adimplere nequivit: & ſic corruit ejus actus, voluntate & poteſtate ſibi invicem adverſantibus, & minimè concurrentibus: pro ut requiritur ad validitatem cujuſlibet actus, *c. cum ſuper, de offic. delegat. & l. multum intereſt. C ſi quis alteri vel ſibi.* Et ſic concludo, & dico non obſtantibus allegationibus dicti Titij, præfatæ Meviæ medietatem bonorum mobilium & immobilium dictæ Semproniæ fuiſſe & eſſe adjudicandum, & adjudicari debere.

CONSILIUM XXIX.

SUMMARIA.

1 *Veſtes multum precioſæ an uxoris cenſeantur eſſe propriæ.*

2 *Geminatio & repetitio in teſtamento, exuberantem pleniſſimamque voluntatem teſtatoris deſignat.*

3 *In teſtamentis pleniſſima eſt facienda interpretatio.*

4 *Clenodia utrum debeantur uxori ſoluto matrimonio, &c.*

5 *Vaſa argentea appellatione mobilium continentur.*

6 Meum *dici poteſt etiam quod cum alijs commune habeo.*

7 *In fideicommiſſo univerſali non venit dos data vel promiſſa.*

8 *Rogatus reſtituere, non intelligitur rogatus de eo, quod ex diſpoſitione inter vivos habet.*

9 *Teſtator volens uxorem ſuam legato vel dote contentam eſſe, utrinque legaſſe cenſetur.*

10 *Duwaria lucrum antenuptiale dicitur.*

VIso contractu antenuptiali, per & inter quondam M. Iacobum Iuvet ex una, & domicellam Catharinam Dabelayn suam uxorem ex altera, inito & concluso: Viso etiam testamento ejusdem quondam M. Iacobi, super dubijs, de quibus vos venerabiles dominos dicta domicella Catharina relicta præfati quōdam Magistri Iacobi ex una, & Iacobus Iuvet hæres ex testamento dicti quondam Magistri Iacobi ex altera compromiserunt, & quilibet eorum compromisit: videtur mihi subscripto dicendum de jure, ut infrà sequitur.

Et primò quoad vestes ad corpus dictæ domicellæ Catharinæ paratas & spe-
1 ctantes, certum est, quòd cessante † testamento facienda esset distinctio inter quotidianas seu non multum preciosas, & inter preciosas, ut primæ spectarent ad eam, aliæ verò preciosæ non: juxta doctrinam Bartol. secundum quam dicit, se sæpius consuluisse *in l. penult. in paragraph. servus uxoris. ff. solut. matrim.* quā doctrinam sequuntur ibi *Bald. & Paul. de Castr. & Io. de Imol. in l. sed* & *usufructus. in §. dos legata. ff. ad leg. Falcid.* & *ibi etiam Paul. de Cast.* Quo præsupposito sequitur, quòd hæ vestes si donatæ sint mulieri per maritum, aut importatæ per eam, vel si venissent ex latere ejus & extarent, soluto matrimonio per mortem mariti, cessante testamento, ut prædixi, deberent sicut cęteræ aliæ res dotales restitui ipsi mulieri: *toto titulo ff. C. eod. solut. matrim.* nisi pactum vel consuetudo esset in contrarium, *c. final. de donat. inter vir.* & *uxor.* Imò quod fortius est, si vestes per mulierem importatæ essent detritæ, & in locum earum per maritum aliæ surrogatæ, nec esset aliquid testamētaliter dispositum: ut suprà, adhuc idem dicendum esset, quod suprà dictum est, per theoricam *Iacob. de Aret* & *Bart.* quā simpliciter sequitur *Paul. de Cast,* & *Doct. in l. si servus legatus, in §. quinque ff. de lega.* 1. In casu autem præsenti dico non esse faciendam dictam distinctionem, sed indistinctè debentur dictæ domicellæ Catharinæ omnes vestes, sive sint viles & quotidianæ sive preciosæ, & hoc ex legato sibi relicto: cùm sibi omnes vestes ad corpus suum spectantes sint legatæ, quæ universalis nihil excludit, sed omnia comprehendit, juribus vulgaribus. Et est ponderandum, quod dictus Magister Iacobus testator in suo testamento bina vice expressit, quòd voluit uxori suæ ante omnia restitui & deliberari vestes ad corpus suum spectantes, &c. quæ geminatio
2 † & repetitio exuberantem & plenissimam voluntatem testatoris designat: *per textum singularem in leg. Balista. ff. ad Trebellianum.* Cùm ergo de voluntate testatoris clarè constat, & quia etiam in
3 dubijs † facienda est plenissima interpretatio in testamentis, & talis, ut res potiùs valeat quàm pereat, juribus communibus: sequitur quòd non est hæsitandum in casu præsenti, quin omnes vestes ad corpus suum paratæ sibi debeantur.

4 Secundò de clenodijs † ad corpus suum pertinentibus, licet (cessante testamento) forsitan aliter esset dicendum, quàm in vestibus quotidianis ut sentiunt nonnulli Doctor. *in d. l. penul.* tamen propter verba dicti testamenti, quæ clara sunt, & quæ repetuntur & geminantur, dico etiam illa deberi præfatæ domicellæ Catharinæ per easdem rationes.

Quoad tertium de vasis seu vasculis argenteis, dico idem eisdem rationibus: quia verba testamenti sunt clara pro una
5 dimidia, & quia vasa † argentea appellatione mobilium continentur, ut concludunt omnes Doctor. *in l. a divo Pio. ff. de re judic.* debentur sibi pro alia dimidia ex verbis cōtractus antenuptialis. Et fuit justè motus testator ad relinquendū uxori suæ medietatē vasorum argenteorū: tum

quia nonnulla extantia fuerunt per eum importata: tum etiam, quia constante matrimonio 10. marchæ argenti vel circiter, ut ponitur in facto, ex latere ejusdem titulo successionis ad eam pervenerunt: *argum. l. sed & si lege commissoria, §. consuluit. ff. de peti. hære. cum simil.*

Nec obstat præmissis clausula testamenti, quæ habet. quod dicta domicella Catharina, habita secuta assignatione duwariæ suæ, debebit deponere manus ab omnibus bonis suis, scilicet dicti magistri Iacobi, ex quibus dictus Iacobus videtur concludere, quòd dicta domicella Catharina habita assignatione suæ duwariæ, habitis etiam vestibus & clenodijs cum medietate vasorum argenteorum, manus deponere debeat à reliquis bonis mobilibus. Quia respondetur: negando consequentiam: cum dicta mobilia pro una medietate spectaverint & pertinuerint, ac spectant & pertinẽt ad dictam domicellam Catharinam ex contractu antenuptiali: & sic illa mobilia pro una medietate applicari debent dictæ domicellæ Catharinæ, & deduci de hæreditate, tanquam æs alienum, & pro reliqua medietate ad dictum Iacobum hæredem devolvi debent, deductis tamen ex illa medietate vasis argenteis, clenodijs, & vestibus dictæ domicellæ Catharinæ legatis, & quòd hæc fuerit intentio dicti quondam magistri Iacobi, patet ex dictione, **syne voorschreven goeden** / quod pronomen demonstrativũ demonstrat & designat eum sensisse de bonis suis, eàtenus quatenus tunc temporis ad eum spectabant, & quatenus alteri ad illa jus non competiit, Sive loquamur de jure reali puta dominij, ut patet *in l. servi electione. §. 1. & 2.*
6 *ff. de legat. 1.* quod enim commune † est, meum est quoad dispositionẽ partis meæ, & non aliter: ut ibi, maximè quando apponitur hoc pronomen meum, ut in proposito: Sive loquamur de jure vel actione personali, *ut est text. in le. qui concubinam, §. qui fundum. ff. de legat. 3. juncta l. si ita ff. de auro & arg. legatis.* Ex quibus constat, quod dicto Iacobo hæredi præfati testatoris duntaxat competit jus & actio in medietate bonorũ mobilium, remanentium post deductionem unius dimidiæ, & post deductionem jocalium, vasorum argenteorum, & vestium de quibus suprà.

7 Secundò deduco istud ex alio: quia habeo, quod in † fideicommisso universali non venit dos data vel promissa, sed deducitur ut æs alienum ut est *text. pulcher in l. à filia, in princ. ff. ad Trebel. per quem text. dicit ibi Ang. & sequitur Alexan.*
8 *de Imo.* quòd rogatus † restituere quicquid ad eum ex bonis defuncti pervenit, non intelligitur rogatus de restituendo id, quod ad eum pervenit ex dispositione inter vivos: ita ergo erit in proposito. Confirmo etiam istud *per textum pulchrum in l. unica. in § primum itaque, versic. sciendum, C. de rei uxo. act.* ubi dicit text. quòd nisi specialiter maritus in testamen-
9 to dixerit, quòd voluit † uxorem suam altero esse contentam, puta, legat. vel dote, debetur utrumque: & idem est in quocunque debitore voluntario, *l. creditorem. ff. de legatis 2.* licet secus sit in patre & alio debitore necessario, hoc est ex dispositione legis ad aliquid astricto, *l. si cum dotem. §. si pater, & ibi gloss. in secunda solutione, quam Bart. Bald. Ang. Paul. de Castr. Io. de Imol. & communiter Doct. ibi approbant, ponentes rationem diversitatis, ff. solut. matrimon.* ergo ita erit in proposito, cùm in hoc dos & duwaria,
10 † quam lucrum antenuptiale appellamus, non discrepent, *l. ubi adhuc, cum ibi notatis, Cod. de jure doti. & l. assiduis, circa finem, juncta expositione sive lectura Domini Viviani & Saliceti ibidem, C. qui potio. in pigno. hab.* Et per istud tollitur etiam quod objici possit, videlicet dictam

domicellam

domicellam Catharinam alterutro duntaxat se posse juvare: quia textus est, quod id facere non tenetur, *in d. §. primùm itaque:* & suadet ratio, quia unum venit confirmativè & superadditivè seu ampliativè ad aliud, non adversativè vel discrepanter.

CONSILIUM XXX.

SUMMARIA.

1 *Rectores Ecclesiarum singulis annis ordinario loci de administratione sua rationem reddere tenentur.*

2 *Pactum per quod dolus futurus timetur non valet.*

3 *Consuetudo prabens occasionem surripiendi, non est servanda.*

4 *Ad sepulturam ecclesiasticam aliquem admittere, propriè spectat ad sacerdotem parochialem vel curatum.*

5 *Pro loco sepulturæ an de jure aliquid solvi debeat.*

6 *Quæ ab antiquis solita sunt Ecclesiis & ministris tribui, non debent aliquo modo immutari.*

7 *Sepelire aliquem & fodere fossam, licet non sit merè quid spirituale: tamen est ad spirituale ordinatū.*

8 *Oblationes in ecclesiis debentur curato.*

9 *Oblationes habere est unum de juribus parochialibus.*

10 *Proventus spirituales debentur omnes ecclesiæ parochiali.*

11 *Curatus ecclesiæ parochialis habet administrationem omnium obventionum & proventuum curæ vel beneficij sui curati.*

12 *Talliam, gabellam vel collectam laici clericis vel eorum bonis an & quando imponere queant.*

13 *Verba textuum narrativa non ponderantur.*

14 *Bona clerici Christo deservire censentur.*

15 *Spiritualia sine temporalibus subsistere diu nequeunt.*

16 *Statutum laicorum disponens super rebus clericorum, non valet ex defectu potestatis.*

17 *Bona feudalia non sunt libera ab exactionibus publicis.*

18 *Ecclesia non tenetur ad constructionem vel refectionem murorum civitatis.*

19 *Ecclesia non tenetur ad munus extraordinarium vel superindictum.*

20 *Hominum genera duo sunt, &c.*

21 *Arma Clericorum esse debent orationes & lachrymæ.*

22 *Onera personarum Ecclesiasticarum quæ sint, &c.*

23 *Clerici nullo jure sunt subjecti laicorum Iurisdictioni.*

24 *Collecta forensi non subdito imponi non potest.*

25 *Onera realia quibus obligatæ fuerunt possessiones antequam venirent ad Ecclesiam, vel ministros, Clerici & Ecclesia præstare tenentur.*

26 *Princeps etiam ex contractu obligatur.*

27 *Mutanda minimè sunt quæ observationem certam semper habuerunt.*

28 *Laicus*

28 *Laicus deferens aliquid ab extra ad proprium suum usum vel ad utilitatem fisci non tenetur solvere pedagium vel alias exactiones.*

29 *Opinio favens religioni in dubio tenenda est.*

30 *Concessio ad supplicationem unius impetrata tertio præjudicare nequit.*

31 *Textus habens varios intellectus, ad decisionem causæ validè allegari non potest.*

IN materia quæstionis mota & pendente indecisa, per & inter clerum capituli Ecclesiæ collegiatæ S. Ioannis Euangelistæ oppidi Busciducensis, & suppositorum ejusdem ex una, & legislatores seu rectores ejusdem oppidi ex altera. Visis scripturis & nonnullis monumentis dictarum hinc inde partium mihi exhibitis: Sub correctione melius & rectius sentientis, tota controversia dictarum hinc inde partium videtur mihi subscripto in quatuor punctis subsistere. Quorum primus est, An rectores fabricæ dictæ Ecclesiæ præsentes & futuri de administratione per eos habita computum, calculum, rationem, & reliqua reddere teneantur.

Secundus, an rectores fabricæ antedicti pro tempore existentes, de sepulturis vel exequijs mortuorum cum dependentibus ex eis, puta, de obligationibus occasione sepulturæ vel exequiarum provenientibus, & similibus se intromittere possint nec ne. Tertius est, an dicti rectores fabricæ propria autoritate dicto capitulo (cui Ecclesia parochialis incorporata existit) non requisito vel consentiente, possint in dicta Ecclesia nova gazophylacia pro oblationibus recludendis ponere, vel poni facere, Quartus & principalis est, an dictus clerus plena debeat gaudere libertate & immunitate, nedum quoad eorum personas, verùm etiam quoad bona dictæ Ecclesiæ, vel capitulo aut beneficijs sub protectione ejusdem capituli constitutis spectantia, quam etiam quo ad eorum bona patrimonialia vel propria: Ita quòd neque ad talliam, collectam, gabellam, aut aliam quamcunque impositionem, etiam occasione belli sustenti, aut aliàs ob communem utilitatem vel necessitatem per legislatores dicti oppidi indicendam, contribuere teneantur, vel aliquid ab eis illius occasione exigi possit, nec ne.

Veniendo igitur ad primum articu-
1 lum, dico breviter: quòd dicti † rectores fabricæ de administratione sua, vocatis vocandis & interesse habentibus, singulis annis ordinario loci computum, calculum, rationem, & reliqua de jure reddere tenentur, ad instar tutorum & curatorum, executorum testamenti, & aliorum administrationem habentium: *per text. pulchrum in cler. quia contingit. in §. ut autem, de rel. dom. & apertius in §. œconomos, in auth. de sanct. episcop. colla. 9. & notat Bald. & Doct. in l. orphanotrophos. C. de Episc. & cler.* & licet *d. l. orphanotrophos* videatur huic decisioni contrariari, tamen revera non contrariatur: ut pulchrè ibi declarat *Bald. & gl. Car. Doct. in d. §. ut autem:* aliàs enim daretur materia delinquendi, ob quam tollendam
2 jura volunt, quòd pactum † per quod dolus futurus timetur, non valet, *l. convenire. ff. de pact. dotali, & l. quidam decedens, in princip. ff. de administ. tut.* ubi testator voluit tutorem per eum testamento datum esse analogistam, hoc est, ad reddendum rationem non obligatum: & tamen decidit ibi jurisconsultus, eum nihilominus ad reddendum rationem

posse

posse compelli: & pro hac decisione est gloss. ordinaria singularis in fortioribus terminis, *in clement. 1. in verbo oneramus, de jure patro. & volunt Dominicus, Benedict. & alij in c. statutum, in §. assessorem, de rescript. lib. 6.* Neque juvat consuetudo contraria, † quia illa tanquam præ- 3
bens occasionem surripiendi, non est conservanda, ut *in auct. ut nulli ludi. in §. quoniam verò, colum. 9. cum sim.* Et tantùm de primo puncto, qui meo judicio nihil dubitationis habet.

Ad secundum autem dubium dico breviter, quòd quia sepultura † non omnibus 4
debetur, ut patet *in c. ex parte, cum sua notabili gloss. de sepul. juncta cle. eod. tit.* propriè ad sacerdotem parochialem vel curatum spectat, aliquem ad sepulturam ecclesiasticam admittere, & ut fossa fodiatur jubere, & minimè ad rectores fabricæ laicos: nimisq; damnabile est, quòd laici † prætextu consuetudinis non prius 5
permittant effodi in loco sacro, quam pro terra in qua quis sepeliendus est, certum precium pro Ecclesia vel fabrica præsolvatur: ut est text. apertus damnans hunc abusum *in cap. abolendæ de sepultu.* ubi tamen laudabilis consuetudo vel observantia introduxit, ut post impensum officium aliquid detur curato vel Ecclesiæ pro loco sepulturæ, compelli possint hæredes defuncti ad observandum talem laudabilem consuetudinem: text. est notabilis *in c. ad apostolicam, & ibi Doct. de simo. & facit l. privilegia in fin. C. de sacrosanct. ecclesiis*, ubi dicitur, quòd ea † 6
quæ ab antiquis solita sunt Ecclesiis & ministris tribui, non debent aliquo modo immutari: & in tali casu dandum est curato quod suum est, & Ecclesiæ quod sibi debetur: & posset hoc casu quisque pro suo jure experiri: autoritas tamen admittendi ad sepulturam, fossam fodi jubendi, horam celebrandarum exequiarum deputandi & his similia faciendi, apud curatum, ut dixi, residere debet. Nam licet sepelire † aliquem vel fodere fossam, aut 7
deputare horam, non sit purè vel merè quid spirituale: tamen est ad spirituale ordinatum, & ob hoc requiritur potestas spiritualis: *secundùm Præpositum post Arch. & alios in c. perlectis, 35. distinct. quæ non est apud laicos.* Possent & plura alia adduci, sed omitto. Et tantum de secundo puncto similiter parùm dubitabili.

Ad tertium autem dubium, cessante consuetudine loci ad jus commune intuitum dirigendo, dico breviter: oblationes quæ fiunt in dicta Ecclesia ad curatum ejusdem, & minimè ad fabricam spectare, nisi specialiter & specificè ad usum fabricæ donentur. Quod deduco. Nam aut loquimur de oblationibus, † quæ fiunt in 8
Ecclesia tempore divini officij in festis solennibus ad stolam, vel in exequiis defunctorum, purificationis mulierum post partum, & in similibus casibus à jure ritè introductis, & indubiè hujusmodi oblationes debentur curato, etiam si alius in Ecclesia sua missam celebravit. Ita notant Paul. & Ioan. de Imol. *in c. pastoralis, per illum textum, de his quę fiunt à prælat. sine consens. capit.* neque debent hujusmodi oblationes per laicos auferri, aut etiam reservari, *capit. sanctorum, & cap. final. 10. quæstione 1.* & est glossa notabilis, *in c. altare, in prima ejus expositione, 1. quæst. 3.* de qua commemorat *Lud. in singularibus suis, singulari suo 661.* Et ratio est, quia habere † oblationes, est 9
unum de juribus parochialibus, de quibus per *Ioan. Andr. in Rubrica de paro.* Aut loquimur de oblationibus non tempore divinorum, vel exequiarum, aut in similibus casibus: sed extraordinariè provenientibus factis fortassis in Ecclesia parochiali, vel capella eidem subjecta, aut imagini nostræ dominæ, vel sanctæ crucis positæ ante domum privati, vel in similibus casibus: & tunc posset esse majus dubium:

bium: tamen secluso pacto vel consuetudine, dico idem hoc casu quod prius: pro quo adduco text. notabilem, quem ibi ad hoc ponderant *Host. Ioan. Andr. Anthon. de Butrio*, *Panorm. & Ioan. de Imol. in d. c. pastoralis*: est enim ibi text.
10 quòd omnes † proventus spirituales debentur Ecclesiæ parochiali, & quòd in illis Ecclesia parochialis est de jure communi fundata. Modò sic est, quòd cura-
11 tus † ecclesiæ parochialis, ut & tanquam talis habet administrationẽ omnium obventionum & proventuum curę vel beneficij sui curati, ut est text. *in cap. 2. de dona. & voluit Panor. & Doct. in d c. pastoralis*: sequitur ergo, quòd dicti rectores de hujusmodi obventionibus, seclusa consuetudine vel pacto, se intromittere non debent, neque de jure possent gazophylacia aliqua, invitis dictis dominis decano & capitulo: vel saltem eis non advisatis & exclusis in dicta Ecclesia ponere, aut administrationi illorũ se intrudere. Sed quia ex scripturis mihi pro parte dicti cleri exhibitis comperio, præfatos Dominos Decanum & capitulum pristinis temporibus nonnulla gazophylacia in dicta Ecclesia admisisse, nec aliquid juris ad proprium commodum in oblationibus hujusmodi prætendere: sed duntaxat petere computum, calculum, rationem, & reliqua singulis annis ipsis præsentibus ut eo melius & sincerius negotium Dei agatur, reddi: cessant quæ suprà allegavi. Sed non video pro parte rectorum fabricæ aliquid validi allegari, per quod petitionem dicti cleri petentis tam in apertione hujusmodi gazophylaciorum & numeratione ac dispensatione denariorum ibidem reperiendorum: quàm etiam in reddenda ratione admitti, excludant seu enervent. Et tantum de tertio. Sed an Domini arbitri per partes hinc inde assumpti super his tribus articulis aliquid ordinare possint, nec ne, cùm compromissum (secundum quod eorum facultas restringenda est, *leg. non distinguemus. § de officio. ff. de arb.*) ad manus meas delatum non fuerit, explicare nequeo: sed id ipsorum perspicaci judicio relinquo.

Ad quartam autem quæstionem, omissis brevitatis gratia allegationibus, quæ ad partem contrariam allegari possent: Respondeo quòd sic, per textum clarum, in quo hæc conclusio quoad omnes sui particulas probatur *in cap. non minus, de immun. eccles. & in cap. adversus. eod. tit.* qui sunt text. generalis concilij Lateranensis, cui reges, principes, & duces innumeri interfuere, ponderando diligenter verba eorundem text. & signanter illa verba, sacerdotes & possessiones eorum, & verba illa, de bonis ecclesiarum & clericorum, & illa verba fossata sive expeditiones, & verba illa communes utilitates & necessitates, repetita non sine mysterio, *in d. c. adversus*. Ex quibus textib. ha-
12 betur, quòd laici † talliam, gabellam, vel collectam, clericis vel eorum bonis quovis modo imponere non possunt, etiam si immineat commune periculũ, ut fit tempore belli: & quòd Ecclesiæ, clerici, & eorum bona, ad talliam, collectam, gabellam, vel impositionem præmissorum occasione indicendam, non tenentur: nisi in duobus casibus, scilicet quando facultates laicorum non sufficerent ad hujusmodi onera ex integro supportanda: & quando talis collecta in vim subsidij gratuiti per episcopum & clerum vel Romanum pontificem indicentur: & licet dicta verba, sacerdotes & possessiones eorum, & dicta verba, de bonis Ecclesiarum & clericorum, & illa verba, fossata sive expe-
13 ditiones, ponantur ut narrativa † in dictis textibus, & sic videantur non ponderanda, *per cap. si Papa, de privileg. libro 6. cum vulgaribus*, tamen propter illa verba fieri talia de cætero prohibemus, posita postmodum indispositiva. Ex quibus patet,

tet, quòd concilium generale Lateranense super illis verbis narrativis fundat intentionem suam, habenda sunt perindè, ac si indispositiva posita essent, *juxta doctrinam singularem Domini Ioan. de Imo. in c. cùm apostolica, de his quæ fiunt à præla.* quam refert & sequitur *Alexan. de Imo. in l 1. ff. de officio ejus cui manda. est jurisdict. & Iason & posteriores in lib. 1. Cod. quando non peten. partes peten. accrescen. per textum clemen. 1. de probatio.* & quòd id verum sit, nedum de bonis ecclesiarum sed etiam de bonis clericorum, habetur expressè *in c. fi. de vita & honestat. cleric. & ibi Panorm. & Doct. in c. similiter 16. q. 1. & in l. 2. ibi, nec eorundem facultates & substantiæ, C. de episc. cleric. & not. Salic. in l. placet. C. de sacrosanct. ecclesʃ. & plenius in l. de his, Cod. de episcop. & cleric.* & potest assignari ratio,
14 quia bona † clerici deserviunt clerico, & clericus deservit divino officio, ergo de primo ad ultimum, bona clerici deserviunt officio divino, & per consequens
15 Christo: Cùm ergo spiritualia † sine temporalib. diu subsistere non possint, *cap. si quis objecerit, 1. quæstio. 3.* maximè attendo, quòd bona sunt alia vita hominis, *ut est gloss. notabilis, & ibi Baldus in l. advocati, C. de advocat. diverso. jud. & notat Panorm. in cap. Abbas, quòd metus causa:* patet, quòd bona clericorum alia à feudalibus tanquam accessoria, & quasi causa sine qua non, debeant gaudere privilegio personę clerici, & esse immunia à talliis & exactionibus laicorum: & ita expressè determinat *dominus Panormitanus in cap. ecclesiæ sanctæ Mariæ, de constit.* ubi deci-
16 dit, quòd statutum † laicorum specificè disponens super bonis patrimonialibus clericorum, non valet ex defectu potestatis: de quo latius ibi per eum: imò plus dixit idem *dominus Panormitanus in cap. Messana, circa fin. de elect.* videlicet, quòd non potest introduci consuetudine, ut clerici de bonis suis patrimonialibus solvant collectam vel gabellam, de qua materia plenè notatur per *Spec. in tit. de cler. conjuga. post princ.* & *per Archid. Ioan. And.* & *Dominic. in cap. 1. de immun. eccl. lib. 6.*
17 de bonis autem feudalibus† aliter est sentiendum propter eorum singularem naturam: ut *in cap. solitæ, de major.* & *obed.* & *ibi per Innoc.* & *Doct.* & *per Panorm. in dict. cap. ecclesiæ sanctæ Mariæ.* Probatur etiam hæc decisio *per tex. Authen. item nulla communitas. C. de episc.* & *cler.* & *in corpore unde sumitur,* & *in cap. 1.* & *in cap. clericis,* & *cap. fi. de immun. ecclesʃ. lib. 6.* & *in Clem. unica, eod. tit.* & *in cap. quanquam, de censib. lib 6.* & *in Clemen. presenti, eo. tit.* & *in pluribus aliis passibus per dominum Panor. in d. cap. non minus, plenissimè commemoratis,* ubi post multa dicit, ab hac opinione in judicando non esse recedendum, præcipuè attento, quod glossator juris civilis *Accursius, in l. ad instructionem, C. de sacrosanct. ecclesʃ.* tenet & firmat hanc opinionem, in quantum te-
18 net ecclesiam † non teneri ad cōstructionem vel refectionem murorum civitatis, quam gloss. Bart. summæ authoritatis ibi sequitur: hanc opinionem etiam tenet *glossator decreti Ioannis Teutonicus subtilissimus Doctor. in cap. generaliter. §. 1. 16. quæst. 1.* & *Ioan. And. in d. cap. non minus,* & *Guil. de Cuneo in l neminem, C. de sacros. ecclesʃ.* & consuluit idem dominus *Panor. in cons. suo 3.* & quia ipse plenissimè hunc articulum *ibidem,* & *in d. cap. non minus,* examinat, censui amplius in his quæ ipse commemorat non esse insistendum: sed ultra dicta per eum, adduco elegans *consil. Bart. incipiens, si aliqua possessio,* & *est num. 180.* ubi pro hac parte consuluit adduco etiam *text. notabilem, in d. l. placet,* quia dupliciter probat conclusionem nostram suprà tactam in verbis illis, nihil extraordinarium ab hinc superindictúmve flagitetur. Primò, quia eccle-

19 sia † non tenetur ad munus extraordinarium, ut ibi est text. sed id quod indicitur tempore belli ad sustinendum onera ejusdem, est extraordinarium: ex quo non habet uniformem & ordinariam præstationem, quod est proprium muneri ordinario, secundum *Bald. & Doct. in d. l. placet*, ergo, &c. Secundò ecclesia non tenetur ad superindictum, ut ibi est text. sed superindictum est, quod propter necessitatem belli indicitur, ut vult *gloss. & Barto. in Rubrica. C. de superind. ct. lib.* 10. ergo, &c. Præterea considerandum

20 est, duo † esse genera hominum: unum, quod mancipatum est divino officio, & deditum contemplationi & orationi, ut clerici: Aliud genus est mundanis & temporalibus deditum, ut sunt laici. 12. *quæstio.* 1. *duo:* Hinc illis distincta competunt officia, laicis quidē secularia, & clericis spiritualia: neq; licitū est clericis immiscere se negotiis secularibus, *tot. tit. ne cleric. vel monach. se negoc. secula. immisc. & l. consulta divalia. C. de testam. cum similib.* inter quę inter alia est arma deferre, bellum

21 movere, & similia: Arma † enim clericorum sunt orationes & lachrymæ, & militum Christi est servire Christo: militum verò seculi servire seculo, *cap. reprehensibile*, 23. *quæst.* 8. & in tantum sunt æstimandæ orationes clericorum & ecclesiasticarum personarum, quoad victoriam contra hostes obtinendam, quantum invasio vel resistentia laicorum: unde legitur de Mose, *Exodi* 17. *cap. & habetur* 36. *dist. cap. ultim.* quòd ipso orante vincebat populus ejus, eo autem dimittente manum, vincebatur populus ejus. Pręcipuum enim est, quòd Christus nobiscum pugnet: hinc dicit alibi text. quòd sacerdotes suis orationibus dicuntur comedere, delere, & consumere peccata populi, ut in *cap. ipsi sacerdotes*, 1. *quæst.* 1. *& cap. nulli.* 3. *quæst.* 1. Cùm ergo ut plurimum Deus super nos inducat bellum propter peccata nostra, ut notat *gloss. & Doct. in cap. ad apostolicæ, de re jud. lib.* 6. non mirum si ministri ecclesię, milites Christi, qui diurnum officium pariter & nocturnum, laicis dormientibus, & in suis delitiis viventibus, devotissimè celebrant, ut Deum iratum suis precibus & orationibus placent, seminantes spiritualia, gaudeant suis temporalibus, & tanquam boni vasalli principis pro obsequio collectam in bonis suis non patiantur. Iste enim est populus Dei, electus in sortem beatitudinis, *cap. cùm secundum Apostolum, de præbend. & cap. cleros*, 21. *distinct. & d. cap. duo.* quem si quis affligit, utriusque testamenti pagina edocente, indubiè ipsum Deum contra se provocat, ad quem talium offensio pertinet, juxta illud: Nolite tangere Christos meos, Christos quidem, id est, unctos, de quo verbo commemorat *gloss. juris civilis, in Authen. de non alienan. post princip. in verbo, degeneri, col.* 2. & alibi dominus, Diis non detrahes, per Deos sacerdotes intelligens, qui propter ordinis dignitatem Deorum nomine nuncupantur, *cap. cùm ex injuncto, de hęret.* Hinc etiam notanter & rectè dicit *text. in d. cap. non minus*, hæc & similia esse onera laicorum. Accedit præmissis, quòd cleri-

22 cis & personis † ecclesiasticis diversa incumbunt onera, in quibus laici non contribuunt, ut est procuratio legatorū sedis apostolicæ, *c. ad audientiam, de præscr. cum similib.* quæ non immeritò fœlici embolæ, vel expeditioni Cæsareæ, de qua *l. jubemus nullam navem, & in d. l. neminem. C. de sacros. eccl.* comparari potest. Item decima beneficiorum imminente necessitate grandi, *Clem. si. de dec.* Item procuratio debita episcopo ratione visitationis singulis annis fiendæ, *c. cùm venerabilis, de censi*, *& c. cùm non liceat, de præscript.* Item charitativuum subsidium, de quo in *c. cùm Apostolus, de cens.* Item cathedraticū, & alia jura ordinario debita, de quibus in

in cap. conquerente, de offic. ordi. & alia plura, ut annatæ, & similia, quæ enumerare fastidiosum est. Præterea, ut impositio aliqua ligat & arctet pelliparios, vocantur pelliparij. Clerus autem ad nullum actum deliberativum vocatur: ex quo planè videntur fateri laici, hæc onera clerum non tangere: *regula quod omnes, de reg. jur. libro 6.* Præterea licet non esset text. neque auctor. glos. vel Doct. tamen pro clero est evidens ratio. Certum est enim, quod bona & possessiones ecclesiarum & clericorum non sunt obligata pro oneribus extraordinariis subeundis: hoc enim nullo jure cautum reperitur: Collecta ergo, tallia, gabella, vel impositio, quæ imponitur personæ ratione rerum seu possessionum, non potest ecclesiæ vel clericis per laicos imponi, cùm non sint eis subjecti. Imò nulla valet consuetudo in contrarium, ut suprà
23 dixi. Quod autem clerici † non sunt subjecti laicis, neque unquam fuerint quo ad jurisdictionem, sed sint exempti etiam de jure divino, patet *in c. si imperator, & ibi est glos. singularis 96. dist. & notat Innoc. & Doct. in cap. 2. de major. & obed. & Card. in repetitione, cap. perpendimus, de sent. excomm. & idem Card. in Clem. 1. in 3. notabili, & 1. quæst. de offic. ord. post glos. ibidem & Panorm. & canonistæ, in d. cap ecclesia sanctæ Mariæ, de constit.* Hinc etiam legitur *Genes. 47. ultra medium*, Subjecit Ioseph omnem terram Ægypti Pharaoni, & cunctos populos ejus à novissimis terminis Ægypti usque ad extremos fines ejus, præter terram sacerdotum, &c. Et post intervallum subditur, ex eo tempore usque in præsentem diem in universa terra Ægypti regibus quinta pars solvitur, & factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ litera ab hac exactio. fuit. Imò plus dicit ibi text. quod statuta cibaria ex horreis publicis sacerdotibus dabantur: & hoc est, quod vult *præalleg. l. privilegia, in fin. & d. cap. non minus, in princip. & 1. Esdræ 7. cap.* legitur, quod Artaxerxes rex suis ministris præcipit hunc modum; Omne quod ad ritum Dei cœli pertinet tribuatur diligenter in domo Dei cœli, ne fortè irascatur contra regnum regis & filiorum ejus: vobis quoque notum facimus de universis sacerdotibus & levitis, cantoribus & janitoribus, nathinæis & ministris domus Dei hujus, ut vectigal & tributum & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos: & hinc dicitur *in prealleg. cap. non minus, & in d. cap. quantum*, quòd ecclesiæ ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, non solùm jure humano, quinimò & divino, à secularium personarū exactionibus sunt
24 immunes: Sicut ergo collecta † posset imponi forensi, non subdito, ut dicit *glos. notabilis in l. rescripto, in §. fin. de muner. & honor.* quam commendant *Doctor.* & *præcipuè Salic. in dicta l. placet*: Ita nec clerico ministro Dei, & militi Christi: & hoc constanter asserit *Bald. post Bart. in prealleg. l. placet*: fateor tamen quoad
25 † tributum & ad alia onera realia, quibus obligatæ fuerunt possessiones, antequam venerunt ad ecclesiam vel ministros ejus, benè tenentur ecclesiæ & clerici: & ita loquitur *cap. tributum, 11. quæst. 1.* & *cap. tributum. 23. q. 8.* & *dicta l. de his*, & *dicta l. placet, in vers. canonicam illationem*: nisi prædia fuerint dedicata pro cœmiterio, fundatione, horto, vel manso, vel dote ecclesiæ: quia talia ab omni tributo debent esse libera, *cap. 1. de censi.* & *per Innoc. in d. cap. non minus.* Præterea pro justificatione juris dicti cleri ponderandum est, quod piæ memoriæ dux Ca-
26 rolus cum dicto clero conrrahens, † ex quo cōtractu validè obligabatur. *l. Cæsar. ff. de publica.* & *cap. 1. de natura feudi*, & *ibi Bald.* & *cap. 1. de proba.* & *ibi Bald. Panorm.* & *Doctor.* se & successores suos

ſuos obligavit ad bona eccleſiæ collegiatæ dicti oppidi Buſciducenſis non talliandum, vel talliari per alios permittendum, prout etiam communitas eccleſiam vel clerum talliare poteſt: d. Auth. item nulla communitas, & ſic conformiter ad jus commune. Ponderandum etiam eſt, quod illuſtriſſimus Romanorum rex Maximilianus, anno 79. noviſſimè præterito, tunc dux Brabantiæ pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, conformando ſe juri communi, dicto clero & eorum bonis plenam libertatem & immunitatem indulſit, quod ſiquidem indultum Illuſtriſſimus dominus noſter Archidux Philippus, exigentibus meritis dicti cleri, qui in eundem dominum noſtrum Archiducem alternativam collationis præbendarum dictæ eccleſiæ tranſtuliſſe dicitur in forma qua jacet confirmavit. Plurimum etiam ponderãdum eſt, quod ultra jus commune dicto clero, ut præmittitur, competens, & ultra prætactas obligationes & conceſſiones, ipſe clerus longo tempore fuit in quieta & pacifica poſſeſſione dictæ libertatis non ſolvẽdi talliam, collectam, gabellam, vel impoſitionem de ſuis bonis & rebus, in poſſeſſione habendi & tenendi penu, in poſſeſſione vinum & alia aliqua in dicto oppido & foro, ac alibi liberè emendi, ac vinum & alia liquida ſine ſolutione aſſiſiæ, vel gabellæ, ſummam duntaxat 40. florenorum ab antiquo ſolvi ſolitam ſolvendo, imponendi, ac reliqua quæ ad libertatem pertinent, faciendi. Cùm ergo dictus clerus habeat pro ſe nedum jus divinum ſed etiam jus humanum, nedum canonicum, ſed civile, & conſuetudinem quæ eſt optima legum interpres, *d. c. cum dilectus, de conſuet. & l. ſi de interpretatione,*
27 *ff. de legi.* Cumque minimè ſint † mutanda, quæ obſervationem certã ſemper habuerunt: & cùm ſubeſſe debeat evidens utilitas, ut recedatur ab eo, quod diu æquum eſt, etiam ubi variatio ad placitum fieri poteſt. *l. 2. ff. de conſt. princ.* & cum hoc caſu in ſublatione libertatis, de qua eſt quæſtio, evidẽs reſultaret iniquitas, juri divino & humano diſplicens: ſequitur declarandum eſſe & declarari debere, dictum clerum ad ſolvendum aliquid præter ſummam 40. florenorum ab antiquo ſolvi ſolitam: ratione impoſitionis, collectæ, talliæ, vel gabellæ, ſive id imponatur ſuper vino, ſive ſuper cereviſia, ſive ſuper rebus deferendis ab extra, per vel ad præfatum clerum: dummodo non negociationis cauſa hujuſmodi ſuas res & bona deferant, vel deferri faciant pro quacunque etiam communi neceſſitate vel utilitate hujuſmodi onera imponantur, aſtringi non poſſe: niſi primum conſtet, quòd facultates laicorum dicti oppidi ad ſupportandũ hujuſmodi onera non ſufficiant: & quòd tunc hujuſmodi collectæ impoſitio judicatur non per ipſos laicos vel per communitatem, ſed per judicem eccleſiaſticum in vim ſubſidij & doni gratuiti.
82 De jure enim communi laicus † deferens aliquid ab extra ad proprium ſuum uſum vel ad utilitatem fiſci, nõ tenetur ſolvere pedagium, gindagiũ vel alias exactiones, ut eſt text. *in l. univerſi. C. de vect. & commiſ.* Multò minus ergo clerici miniſtri Dei & milites Chriſti, qui ordinationibus laicorum non ſubſunt, ut prædixi. Licet enim aliqui legiſtæ *in dicta l. ad inſtructionẽ,* teneant eccleſiam teneri ad neceſſariam conſtructionem vel refectionem murorum, ut *Iac. Butriga. Salic. & Paul. de Caſt.* Tamen *idem Bald. Paul. de Caſt.* & alij idem fatentur, quòd impoſitio & compulſio, hoc caſu facienda eſt per judicem eccleſiaſticum, juxta tenorem dicti cap. non minus: & ſi benè ponderentur text. juris civilis & canonici, nullo jure probatur, eccleſiam ad hoc teneri. Imò contrarium: ut ſuprà deduxi, niſi fortè in ſubſidium & modo quo ſuprà: & hanc partẽ tenent famoſiores Doct. utriuſque juris,

juris, & utriusq; juris glossatores *Accursius.* & *Ioan Teuth. Bart. Guil. de Cuneo, Ioan. And. Pano.* & *alij plures*: & licet *d. l. ad instructionem*, non tàm vi legis, quàm rationis naturalis, ecclesiam & clericos astringeret ad instructionem pontium & viarum, ac ad illa quæ pietatem concernunt: tamen, ut inquit *Guil. de Cuneo in d. l. neminem*, & *Ioan. And. in d. cap. non minus*, ex hoc non validè arguitur, ecclesiam & clericos teneri ad ea, quæ concernunt publicam utilitatem, & ad refectionem murorum civitatis, vel ad superindictum: cùm ex separatis non fiat illatio. *l. neque natales. C. de prob.* & *l. nemo hoc, C.*
29 *unde cognati.* Cùm ergo in dubio † tenēda sit opinio, quæ favet religioni, *arg. l. sunt personę ff. de rel.* & *sumpt. fune.* & *c. fin. de re judic.* & favorabiliores sunt rei, quàm actores, jurib. vulg. non est ab hac opinione in judicando recedendum, juxta famosam doctrinam *Iac. Butrigarij in l. 1. C. qui pro sua jurisdictione*, ubi dicit in judicando ab opinione gl. non esse recedendum, quando habet unum famosum Doct. post se, ut dicit *Bal. in l. cùm hæreditas, C. depo.* quod auctoritas gl. omnes alias tollit auctoritates: In casu autē præsenti cum glossatoribus concordāt plures utriusque juris famosissimi Doct. ut dixi. Nec obstat præmissis ordinatio facta per bonæ memoriæ ducem Philippum, in quo inter alia dicitur, quòd de cætero bona venientia ad ecclesiam vel pia loca, manebant obligata ad eadem onera, ad quæ erant obligata antequam venirent ad ecclesiam: Quia respondeo tripliciter, Primò, quòd quatenus dicta ordinatio hoc modo intelligatur, & non ultra extendatur, contentus est dictus clerus subire onera realia, quæ incumbebant rei vel possessioni, antequam ad ecclesiam pervenit: sed, ut suprà dixi, nullo jure cautum reperitur, quod bona existunt pro oneribus futuris extraordinarijs obligata: & personis clericorum vel ecclesiasticarum personarum, tanquam non subditis, per laicos onera imponi nō possunt, ut præmisi: quare non obstat. Secundò respondeo & di-
30 co, quòd impetratio † dictæ concessionis dicto clero præjudicare nō potest, ex quo ad supplicationem partis clero inaudito emanavit, per jura generalia. Respondeo & tertiò, quòd hujusmodi concessio aliter intellecta, tanquam manifestè libertate ecclesiasticæ sibi jure divino & humano competenti, ut præmittitur, contraria & præjudiciabilis, non valet: sed est cassa & irrita ex defectu potestatis, *Auth. cassa & irrita. C. de sacrosanct. eccles.* & *in corpore unde sumitur*: & talia statuta condētes incurrunt pœnas & censuras, de quibus in dicta *Auth. cassa*, & *in cap. noverint*, & *in cap. grave, de sent. excom.* Nec obstat etiam præmissis *c. 2. de immu. ecclesia.* quia ad illum text. dantur plures in-
31 tellectus, † & sic ex illo textu validè argumentari non potest, juxta doctrinam *Bart. in l. in ambiguo. ff. de reb. dubijs*, & quia ad illum textum & ad omnia jura, quæ in contrarium allegari possent, plenè respondet *Panor. in dicto cap. non minus.* & *in cons. suo* 3. supervacuum duxi circa hoc instare. Supervacuis enim laborat impendiis, qui solem facibus certat adjuvare. *6. quæst. 1. cap. si omnia. cum vulgarib.* Ex quibus omnibus concludo, faciendum esse, ut dixi.

CONSILIUM XXXI.

SUMMARIA.

1 *Ius ex facto oritur.*
2 *Disputare de factis Dei, Pontificis & Imperatoris, an liceat.*
3 *Princeps ex conventione cum subditis inita obligatur.*
4 *Deus etiam ex pacto obligatur.*
5 *Pacta & contractus sunt juris gentium.*

6 Sub-

6 *Subditi hodie non sunt servis comparandi.*
7 *Clausula subsequens ad omnia præcedentia refertur.*
8 *Media declarantur per extrema, & econtrà.*
9 *Verba in præfationibus posita, in sequentibus repetita censentur.*
10 *Verba sequentia intelligi debent secundum qualitatem verborum præcedentium.*
11 *Mens disponentis quomodo conjecturari debeat.*
12 *Similitudo est rerum differentium eadem qualitas.*
13 *Vis copulativæ dictionis quis sit.*
14 *Dictio,* Similiter, *quid operetur.*
15 *Dictio,* Hoc amplius, *cujus effectus sit.*
16 *Fieri solitum id dicitur, quod novissimis annis factum fuit.*
17 *Pater luxuriosè vivens, tempore mortis filiam meretricem exhæredare non potest.*
18 *In stipulationibus & pactis status & dispositio rerum præsentium inspicitur.*
19 *Vbi eadem est ratio, ibi etiam eadem juris dispositio esse debet.*
20 *Ratio disponentem movens ad extensionem etiam dispositionis adduci potest.*
21 *Privilegium ad casum non expressum extenditur, quando ex mente privilegiantis comprehendi potest.*
22 *Constitutio pœnalis ex identitate rationis extenditur.*
23 *Privilegium quando amittatur.*
24 *Quilibet rei suæ moderator & arbiter. Fallit, c.*
25 *Princeps solutus est legibus merè positivis.*
26 *Privilegium subditis concessum sine justa causa princeps revocare nequit.*
27 *Reservatio in præjudicium pacti per eum prius jurari, nihil operatur.*
28 *Relatio accessorij ad principale, quando non admittatur.*
29 *Non id quod factum est, sed quod fieri debuit, inspicitur.*
30 *Non attenditur quod non ordinarie & communiter fit.*

QVia juris allegatio incongruè ponitur, serie facta non præmissa, cùm
1 † jus ex facto oriatur. *l. si ex plagis. §. in cl. vo. ff. ad leg. Aquil. & l. inter causas. §. damna. ff. mandat. & l. obligamur, §. ex facto. ff. de actio. & obligatio. cum alijs vulgari.* præmittendum est factum, super quo consilium petitur, quod tale est. Inter cæteros articulos jocundi introitus Illustrissimi domini Archiducis Philippi, juratos per eum, habetur seu continetur articulus subsequens: **Item dat wy goede mannen van onsen Brabantsche raide setten sullen/om een raidt camer van onsen wegen te houdene ter plaetsen daer wy binnen onsen voorscreven lande residentie doen zullen: Ende offt ons gebuerde dair buyten te wesen: zoe zullen wy die ordonneren te houden binnen onsen voirsz lande tot eender griefelicke plaetse: die welcke volcommē macht hebben sullen eenen yegelijcken te ontcommeren van onse wegen. Ende**

dat

dat desgelijcr onse rekencamer ghehouden zal worden zoe dat tot noch toe ghe'weest heeft: de cujus clausulæ posteriori parte incipiente, ende dat desgelijcr/&c. id est: Item quòd nos bonos viros consilij Brabantiæ statuemus, qui cameram consilij nostro nomine teneant in loco, quo nos in nostra prædicta patria residentiam tenebimus. Et si contingat nos extra eam esse: mandabimus eam teneri, in nostra prædicta patria in loco aliquo idoneo, qui plenam habeant potestatem unumquenque absolvendi nostro nomine. Et quod similiter nostra camera computus tenebitur, sicut hactenus factum est. De cujus clausulæ posteriori parte incipiente, & quod similiter, &c. Quæritur, & ab aliquibus revocatur in dubium. An illius clausulæ prætextu dictus dominus Archidux obligetur & teneatur revocare translationem collegij cameræ computorum Brabantiæ nunc existentis Mechlinię, & sic extra patriam Brabantiæ, ad aliquem locum congruum infra ducatum Brabantiæ: vel an dictus dominus Archidux potuerit aut posset de ea pro libito disponere. Dubium movet: quia collegium istud aliquando, ut puta tempore institutionis ejusdem, quæ facta fuit tempore felicis recordationis quondam boni ducis Philippi, residentiam suam habuit in patriâ Brabantiæ: Aliquo verò tempore residentiam suam habuit Mechliniæ, videlicet tempore parlamenti, de post autem tempore jocundi ingressus dicti Illustrissimi Domini Archiducis in Brabantia & antea, residentia ejusdem collegij longo tempore fuit in ducatu Brabantiæ. Dubitatur ergo, cùm variè residentia dicti collegij fuerit observata, quod tempus, vel cujus temporis observantia inspici debeat, aut de quo, vel qua princeps promittendo subditis suis Brabantiæ, quòd camera computorum servabitur sicut usque nunc servata fuit, verisimiliter cogitavit vel cogitasse censeri debeat. In quo dubio præmitto primo, quòd ea quæ dicturus sum, non dico in modum diffinitionis, decisionis, vel conclusionis: sed duntaxat per modum collationis pro notitia veritatis: quemadmodum in simili protestatur, *Ioan. And. in proœmio Clem. in sua gloss. magna, super verbo, de cætero, in fine.*

2 Secundò præmitto,† quòd Illustrissimus Princeps noster, qui est cultor, zelator, & fons justitiæ, ac conservator veritatis, dedignari non debet pro investiganda veritate, ut de factis suis & indultis per eum ad importunam sollicitationem impetrantium, per quam sæpe non concedenda conceduntur. *l. 1. C. de petit. bonorum sublata, libro decimo, & capit. fin. de rescript. lib. 6. cum similibus.* disputetur, maximè, quando disputatur, non de ejus potentia. sed de ejus voluntate vel scientia, cùm etiam de gestis omnipotentis Dei per Theologos & in sacra pagina magistros, & de gestis summi Pontificis, qui vices Dei gerit in terris. *Clemen. Romani, de jurejurand. cum similibus.* in dies disputetur, summo Pontifice id admittente & non ægrè ferente, cap. si quando, de rescript. ubi sic inquit, si quando frat. dirigimus scripta nostra, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes: sed mandatum nostrum reverenter adimpleas, vel causam rationabilem quare adimplere non possis, nobis fideliter rescribas. patienter enim sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuit intimatione suggestum: quod etiam comprobant not. per *Lauren. & Archid. in cap. si quis suadente diabolo, in §. qui autem. 17. quest. 4. & not. per Abbatem antiquum, & Ioan. And. in cap. à nobis. 2. de sent. excom. & not per Bal. in l. in princ. ff. de constit. princ. & not. per Card. Florentinum, in cons. suo 143. incip. post hoc consilium, cum plurib. aliis.* quæ omitto.

Quibus præmissis: videtur breviter, omissis superfluis, sub correctione cujuscunque melius sentientis, aut prægnantiores rationes in medium adducentis dicendum: quod Illustrissimus dominus noster Archidux dictum collegium ad Mechliniam, & sic extra patriam Brabantię trãsferre non debuit, sine consensu subditorũ suorum patriæ Brabantiæ. quod deducitur juribus, motivis, & rationibus infrà scriptis. Primò sic. Certi & notissimi ju-
2 ris est, quod princeps † obligatur ex contractu, pacto, & cõventione inito, vel inita cum suis subditis, vel extraneis: textus est *in c. 1. de natura feudi, in usib. feudo. & ibi Bal. in c. 1. de proba. & ibi Bal. Panor. & Doct. in l. Cęsar. ff. de publ. & in l. pen. C. de don inter virũ & ux. & volunt Cyn. Paul. de Cast. & Doct. in l. digna vox. C. de*
3 *legib.* Nec mirũ, quia Deus † qui est Rex regum & dominus dominantium, obligatur ex pacto, secundum *Bal. in l. 1. ff. de pact.* Hinc dicit Baldus unum terribile verbum, *in l. princeps. ff. de legib.* quòd si princeps non servaverit pacta, licet fuerit omnium præsul, fiet omnium exul. & idẽ repetit ipse *Baldus in l. 2. C. de servit. & aqua.* Et ratio præmissorum est, quia
4 pacta † & contractus sunt de jure gentium. *l. ex jure. ff. de just. & jur. cum similibus.* Jus autem gẽtium quemlibet obligat, quem ratio naturalis non sensualitas regit, juribus vulgaribus: & est istud adeo verum, quòd si princeps litẽ sive quæstionem habeat cum aliquo privato, debet lis illa legibus & consuetudinibus terminari. *l. item veniunt. §. pridie. ff. de peti. hæred. cũ similibus.* pro quo ultra præmissa superius adducta, adduco *gl. in Auth. de defens. civ. in verbo, jurisdictione, in fin. collatio. 2.* quæ loquitur de pace constãtiæ. quàm Imperator Fredericus II. fecit cum civitatibus Lombardiæ sibi subjectis, dicens capitula illius pacis esse servanda per successores illius, & non violanda; & hoc refert & sequitur *Paul. de Castro, in dicta l. digna vox*, dicens hoc valde notandum pro terris subjectis ecclesiæ Romanæ, sicuti est Bononia, Cecilia, & similes. Nam si Papa faciat pacem cum eis, tenebitur ipse & ejus successores eam observare, nec posset eam rumpere, etiam de plenitudine potestatis, secundum eum. & idem in substantia vult Baldus, licet Paulus de eo mentionem non faciat, *in dicto cap. 1. in primo notabili, de probationib.* Nec obstat, si dicatur, quod nõ valent pacta inter servum & dominum, ut *C. de transact. l. interpositas*; ergo nec inter subditum & superiorem. Nam non valet consequentia secundum Bal. uti suprà, & ratio est, quia
6 subditi † non æquiparantur servis: hoc pro stabili fundamento præsupposito, subsumitur modò sic: dominus Archidux in prætacto jocundi adventus articulo subditis suis patri Brabantiæ promisit & addixit, ac cum eis pepigit, quòd dicta camera computorum observabitur in patria Brabantiæ: ergo non potuit eam transferre contra pactum, quod erat probandum: Veritas istius minoris, in qua pendet lex & prophetæ, deducitur pluribus modis. Primò enim colligitur veritas istius minoris apertè ex verbis prætactæ clausulę, **Ende dat desgelijcx**/id est, quòd similiter, &c. relatione facta ad præcedentia, contenta in eodem articulo: quæ quidem relatio de jure fieri debet, maximè, quando in clausula posteriori est verbum, de se relationem, repetitionem vel iterationem præcedentium importans, ut hîc reperitur verbum, **desgelijcx**/ id est, similiter, de
7 quo latius infrà. Natura enim clausulæ † subsequentis est, ut ad omnia præcedentia referatur, si modo ad ea referri posset, salva ratione recti sermonis, & seclusa absurditate, *cap. olim, de rescript. c. 2. requiris, & ibi Doct. canonistę, de appell. l. 1. C. de liber. præter. & l. talis scriptura. ff. de legat. 1. & ibi legistę*: tangunt plene novissi-

novissimi canonistæ, *Felin. & alij in cap. causam quę, de rescript. cum infinitis similibus*: Per media † enim declarantur
8 extrema, & per extrema declarantur media, & per unum extremum declaratur aliud extremum: ut voluit notabiliter *Baldus in d. cap. 2. requiris allegans not. in l. semper, in stipulationibus. ff. de reg. jur. & in l. triticum. ff. de verb. oblig.* Cùm igitur dicatur in præcedentibus immediatè prætactam clausulam, de qua quæstio, **Soe sullen wy die ordineren te houden binnen onsen vorsz lande tot eender grieffeliker plaetse**/id est, mandabimus eam teneri, in nostta prædicta patria in loco aliquo idoneo, &c. subsequenterque & copulativè ponatur clausula, de qua est quæstio, ista videlicet, **Ende dat desgelijcx onse rekencamer gehoudē zal worden**/id est, quòd similiter camera computus nostri tenebitur, &c. Sequitur necessariò & evidenter hanc residentiam teneri debere in ducatu Brabantiæ, & per consequens eam non fuisse aut esse ad exteram patriam deferendam: repetita † e-
9 nim intelliguntur in sequentibus ea, quæ in præfationibus posita sunt, *l. Titia, §. 1. ff. de verb. oblig. & § præterea, in fin. Instit. de inutil. stipul. cum infinitis similib.* Et maximè ponderanda est in casu præmisso, connexitas dictorum duorum articulorum, quæ operatur extensionem qualitatis de uno articulo ad alium, *prȩallegato c. 2. requiris, juncta l. quæ religiosis adhærent religiosa sunt. ff. de rei vendica,*
10 *cum similibus.* Verba † enim sequentia intelligi debent secundum qualitatem verborum præcedentium, *argum. cap. sedes, de rescript. & l. fina. §. cui dulcia. ff. de vino, triti. oleoque lega. & voluit. Panormitanus, in cap. quia clerici, de jure patro.* & benè facit *text. nota. in l. si servus plurium. §. si numerus nummorum. ff. de legat. 1.* ubi habetur, quomodo conjecturari
11 debet mens † disponentis, quando verba non sunt omninò clara. Nam hoc debet fieri, ex præcedentibus & sequentibus & ex aliis conjecturis, de quibus ibi: benè etiam facit pro prædictis, *text. singularis in l. fin. ff. de hæredit. inst. cum ibi not. per Bald. & Doct. cum aliis vulgaribus.* Et propterea benè dixit Panormit. in cap. ex multa, de voto, quòd consideranda est præcedens cujusque dispositionis qualitas: ponderandum est etiam in proposito hoc complexum, **ende dat desgelijcx**/id est, & quòd similiter, in quo reperitur hæc copula, &, & hæc dictio relativa repetitiva qualitatis, **desgelijcx**/id est, similiter, quæ in Latino importat idem quod dictio, similiter: per quòd expressè datur intelligi, quòd subsequēs clausula conjungitur præcedenti, sub eadem qualitate, argumento sumpto à diffinitione similitudinis ad ipsum diffinitum, quòd est validum in jure, *l. 1. cum ibi. nota. ff. de dolo, cum*
12 *similibus.* Est enim similitudo † rerum differentium eadem qualitas, ut inquit Aristoteles, & commemorat Bald. *in l. 1. C. quæ sit long. consuet. & Ioan. And. in cap. non potest, de prȩben. libro 6. in novella, & Panormitanus in c. innotuit, ubi est*
13 *bonus text. de elect.* Illa † enim, ut Grammatici volunt, est venustas, vis & utilitas conjunctionis copulativæ, ut in dispositionibus posteriorem sententiam priori annectat, eamque ex præcedentibus qualificet, & ad eundem trahat intellectum: pro quo allego bonum text. *in l. Seię §. Cajo, cum ibi not. per Bart. & Doctor. ff. de fundo instruct. & gl. notabilem in l si sic, in princip. ff. quemadmodum servit. amit. & bonum text. cum sua glos. in l. si ex alio, in fine, C. quòd cum eo:* ubi pro-
14 pter dictionem, similiter, † positam in text. gl. dicit, eandem esse dispositionem in casu illo, quæ est in casu præcedenti: de quo etiam per Bald. *in l. Gallus. in §. sed & si à parente. ff. de liber. & posthum. circa fin.* aliàs enim non esset

differentia inter conjunctivam & disjun-
ctivam, quod eſt falſum. *l. ſi is qui ducen-
ta. §. utrum, cum ibi not per Bart. & Doct.
ff. de reb. dub. & cap. 2. & cap. inter cęte-
ras. de reſcript.* Si ergo id operatur ſola
conjunctio copulativa, juribus ſuprà al-
legatis, multo fortius hoc idem operatur
cõplexum ex copula & dictione relativa
ſeu repetitiva qualitatis, ut eſt dictio ſimi-
liter. Nam clarum eſt, quòd ubicunque ex
natura dictionis repetitivæ, ut eſt dictio,
15 hoc amplius, † & ſimiles, de quibus per
*Bartol. Paulum de Caſtro. & alios in l.
legata inutiliter. ff. de legat. primo*, intel-
ligi poteſt facta repetitio præcedentium,
dictat jus, talem repetitionem intelligi
debere in eadem qualitate, ut voluit ex-
preſsé *Bartol. in l. ſi ita ſtipulatus, in §.
Gryſogonus, in verbo, venio ad verſic. ſe-
quens ſtipulatio, ff. de verborum obligat.*
cum quo ſingulariter ibidem tranſeunt
Paul. de Caſt. Angel. Alexand. & alij:
& eſt bonus text. *in l. repetendis. ff. de
legat.* 3. quod procedit, ſive talis diſpoſi-
tio concernat ultimas voluntates, de qui-
bus *in dicta l. in repetendis, cum ſimilibus*,
ſive concernat pacta, ſive contractus: de
quibus *in dicto §. Gryſogonus, argumento
poęallega. §. præterea. circa fin. Inſtitut. de
inutil. ſtipula.* Deducitur etiam veritas
iſtius minoris ex alio pręſuppoſito, etiam
quod in dicto articulo jocundi introitus
non eſſet illa dictio repetitiva qualitas,
Deſgelijck / ſimiliter haberentur hæc
verba: Ende dat onſe rekencamer
gehouden zal worden zoe dat tot
noch toe geweſt heeft / id eſt, quòd no-
ſtra camera computus tenebitur, ſicut
hactenus obſervatum eſt, & hoc tali me-
dio: nam quando aliquid variè factum &
obſervatum eſt, tunc ſi hoc fieri jubeatur,
vel in contractum deducatur, ut fiat ſicut
& quemadmodum ſolitum eſt fieri, cen-
ſetur conventum, ut fiat eo modo quo
poſteriori & noviſſimo tempore factum
& obſervatum eſt. quia in præmiſſo caſu
noviſſimum tempus ſpectandum eſt, *tex-
tus eſt ſingularis & peculiaris in leg. Me-
la. §. primo. ff. de alimen. & ciba. lega.* ubi
dicit textus, quòd ſi quis in teſtamento
ſuo jubeat præſtari alimenta poſt mor-
tem ſuam Titio, prout & quemadmodum
ipſe vivus præſtabat, & revera aliter & a-
liter alimenta fuerint præſtita in vita, ut
aliquibus annis decem, aliquibus annis
plus, & aliquibus annis minus: Si oria-
tur quæſtio, quomodo poſt mortem ſint
præſtanda alimenta, decîdit ſingulariter
ille text. quòd erant pręſtanda in ea quã-
titate, in qua noviſſimis annis ante mor-
tem teſtatoris præſtita fuerunt: & ſic
16 decîdit text. ille, quòd id † dicitur ſoli-
tum fieri, quod noviſſimis annis factum
fuit, non habito aliquo reſpectu ad præ-
teritum tempus: Hinc per illum textum
decîdit ſingulariter *Bald. in l. binos, circa
finem. C. de advocat. diverſo. judic.* quòd
ſi aliquando Doctori legenti datum ſit
ſtipendium ducentorum aureorum, &
depoſt aliquibus annis alteri Doctori
legenti eandem lectionem dati ſint du-
centi & quinquaginta aurei, ſi ex poſt
vacante eadem lectura conferatur illa
Titio cum ſtipendio ſolito, ſine aliqua
ampliori expreſſione, dicit ipſe, quòd iſte
Titius habebit ſalarium, quod noviſſimis
annis præſtitum fuit, non habito reſpectu
quid prius præſtitum fuit, per *dict. leg.
Mela. §. primo.* pro quo dicto Bald. be-
nè facit text. licet ipſe non alleget, & i-
bi notatur per eundem *Bald. in l. ſi ma-
ter, juncta gloſſ. quæ etiam allegat dict. l.
Mela. §. 1. C. ne de ſtatu defuncto.* facit
etiam text. *in l. ſi quis de ante. ff. acqui-
ren. poſſeſſ.* & hoc dictum Bald. tan-
quam ſingulare ſequitur *Alexan. de Imo-
la, in d. l. Mela. § 1.* hinc etiam per eun-
dem text. dixit idem *Bal. ſingulariter in
l. filia. C. de inoffic. teſtament.* quòd licet
17 pater † poſſet exhæredare filiam ſuam
meretri-

meretricem, quando non distulit eam nubere usque vigesimumquintum annum, si tamen pater etiam tempore mortis luxuriosè vixit extra statum conjugii, non poterit eam exhæredare, motus per *l. in arenam, C. eodem titulo.* Subdit tamen, & istud servit proposito, quòd licet pater etiam per prius luxuriosè vixit, si tamen tempore mortis & tempore exhæredationis ad frugem melioris vitæ redactus sit, valebit exhæredatio filiæ: quia considerabitur tempus præsens & novissimũ, allegans *d. l. Mela.* §. 1. & hoc dictum sequitur ibi Angelus allegans pro hoc *leg. imperialis.* §. 1. *Cod. de nupt.* & posset non incongruè adduci textus in *c. ferrum,* 50. *distinct.* Modò ad propositum, si inspici debeat novissimum tempus, & judicari illud solitum fieri quod tempore novissimo factum est, ut suprà deductum est, sequitur, quòd in casu proposito cùm residentia dicti collegij variata fuit & variè observata, quòd inspici debet novissimum tempus, & quòd princeps in articulo jucunda adventus promittens, quod illa observabitur quemadmodum usque nunc observata fuit, intellexit & intellexisse censeri debeat de observantia quæ fuit tempore promissionis per eum factę, quod erat probandum: pro isto etiam facit *l. si stipulatus,* §. *cum stipulamur,* & *leg. cum stipulamur. ff. de verb. obl.* quibus juribus
18 probatur, quod in † stipulationibus & pactis, status & dispositio eorum quæ deducuntur in conventione respicitur, prout est de præsenti, non prout fuit de præterito, aut prout erit de futuro: & maximè hoc militat, quando additur dictio, quæ ex significato notoriè refertur ad tempus præsens, ut in casu nostro hæc verba posita in dicto articulo jucundi adventus, **tot noch toe/etc.**

Deducitur etiam istud ex alio sic, ubi
19 † est eadem ratio, ibi debet esse eadem juris dispositio, *l. illud. ff. ad l. Aquil.* & *l. à Titio. ff. de verbo. obl. cum infinitis similibus:* sed illa ratio quæ movet principem ad disponendum de residentia concilij Brabantiæ in provincia Brabantiæ, militat in dispositione residentiæ dictæ cameræ computorum: ergo quoad eam eadem debet esse juris dispositio: minor probatur, quia principalis ratio quæ principem movere potuit ad disponendum de residentia cameræ concilij, verisimiliter fuit, ne subditi in jus traherentur extra provinciam, *l. omnes. in princ. C. de episc. & cler. cum sim.* quæ etiam militat in casu proposito: ergo, &c. Colligitur autem hæc ratio ex præsumpta intentione, & mente principis disponentis, ut statim di-
20 cam. Modò sic est, quod quando ratio † movens disponentem, rationabiliter conjecturari potest, & alia prima facie non occurrit, tunc illa censetur unica, & licet eam pro motivo adducere, & ex illa arguere, etiam ad extensionem dispositionis: ita notabiliter voluit *Cy. in leg. non dubium. Co. de leg. refert & sequitur dom. Panorm. in c. ad audientiam, de dec. & in d. c. secundò requiris, & Salic. in l. 2. Cod. de noxa. acti. & Ioan. de Imola. in l. si verò. §. de viro. ff. solut. matrim. & Doct. in infinitis aliis passibus:* & est gloss. singularis & ibi *Bald. in l quamvis, C. de fideicom.* facit ad prædicta illa notabilis theorica, quæ habet, quòd de jure, privilegi-
21 um † extenditur ad casum non expressum, quando ex mente privilegiantis ille casus potest comprehendi: ista est gloss. notabilis *in l. miles. ff. de re judic.* quam ibidem sequitur *Bart. & Panorm. in c. 1. de cler. ægrot.* optimè etiam ad propositum faciunt notata per *Hosti. Panorm. & alios Doct. canonistas in c. sanè. de celebra. missa.* Hinc etiam videmus quòd consti-
22 tutio † pœnalis extenditur ex identitate rationis, ut est gloss. reputata singularis *in c. 1. in verbo, Italię, de temp. ordin. libro 6. voluit Barto. in d. l. non dubium, C. de*

legibus, & *Dominus Panorm.* & *Doctor. in c. fin. de rescript.* & est bonus text. *in l. 2. in §. quod si penitus egenis,* & *in §. quid si curatores. ff. ad Tertul.* & *in c. si postquam, cum sua notabili gl. de elect. lib. 6. cum infinitis simil.* Confirmatur etiam istud tali
23 medio, certum est, quòd privilegium † amittitur per non usum, per contrarium usum, & per abusum, & maximè per contraventionem ipsius privilegiati: ut voluit notabiliter *Innoc. in c. accidentib. de privil.* & probatur *in cap. cum accessissent, de constit.* & ibi etiam notatur per Bal. & alios. Sed non est verisimile, principem qui se gerere debet, ut bonum decet patremfamiliâs, cum data sit sibi potestas procedendi ex vera æquitate & non ex affectione speciali (ut not. *Panor. post beatum Thomam in c. de multa, de præb.* & *refert idem Panorm. in c. quę in ecclesiarum, de constit.*) se & suos subditos velle privare privilegio sibi & patriæ suæ Brabantiæ à divis Romanorum imperatoribus, de non posse vocari extra patriam, pridem per auream Bullam concesso & indulto. tot laboribus vigiliisque & sumptibus à prædecessoribus suis dictæ patriæ Brabantiæ ducibus quæsito, quod tamen fieret, si passim Brabantini vocari possent ad Mechliniam, & sic extra patriam Brabantiæ per præsidentem & Dominos dictæ cameræ computorum, quibus illa facultas vocandi & in jus trahendi competit. Sequitur ergo, principem etiam cessante omni pacto non debere velle residētiam prætacti collegij, cum tàm enormi præjudicio suo & subditorum suorum transferre. Sive igitur fiat relatio prætactæ clausulę ad præcedentia, sive consideretur vis ejusdem per se, semper resultat, principem non debuisse dictum collegium extra patriam Brabantiam transferre.

Non obstat si præmissis objiciatur, quòd
24 quilibet † in re sua est moderator & arbiter, *l. in re mandata, C. manda. cum sim.* quia dispositio illius l. procedit, ubi quis per pactum se non obligavit ad contrarium, in casu in quo se obligare posset: quia tunc cùm conventio illa transeat in vim contractus, servanda est: Maximè quando intervenerit juramentum, sicut dicitur de statuto vel privilegio transeunte in vim contractus, quod servandum est omninò, ut vult notabiliter *Bart. in leg. omnes populi, in 3. quæst. principali, in versicul.* & *circa prædicta subjicio unam quæstionem ad intelligentiam ipsorum, Statuto cavetur* & *c. ff. de justit.* & *jure:* cujus dictum referunt & sequuntur *Panorm.* & *alij in c. novit. de jud.* Nec etiam
25 obstat si dicatur, quòd princeps † legibus solutus est, *d. l. digna vox:* quia benè verum est, principem esse solutum legibus merè positivis, sed non est solutus lege divina, naturali, vel jure gentium: unde obligatur ex suo pacto & contractu, sicut quilibet alius: ut suprà latè satis deductū est. Non obstat etiam si dicatur, quòd
26 princeps † potest privilegium subdito suo concessum revocare, *c. veniens, de presc. cum similibus,* quia benè verum est, quòd de plenitudine potestatis princeps potest revocare privilegium subditis concessum, licet esset jus acquisitum, ut probat argumentum: sed ordinaria potestate non potest hoc facere sine justa causa: ut vult *Paul. de Castr. in d. l. digna vox,* & *Ioan. Fa. in §. sed naturalia. Instit. de jure nat. gen.* & *civ.* & licet ita sit, tamen istud argumentum nihil facit ad propositum, quia non sumus in casu privilegij, sed in casu contractus vel pacti initi per principem cum subditis: qui contractus omnino servandus est, nec potest princeps contravenire etiam de plenitudine potestatis, ut suprà deductum est. Non obstat etiam motivum quod adducitur ab aliquibus asserentibus principem in commissionibus datis illis de prætacto collegio, sibi reservasse liberam dispositionem & potestatem

quo

quo ad translationem dicti collegij: Quia respondetur breviter, concesso sine præjudicio, quòd ita esset: tamen princeps †
27 reservationem talem in præjudicium pacti per eum prius jurati facere non potuit, per superius adducta: Ex separatis enim nunquam fit efficax illatio, *l. neque natales*. C. *de prob.* & *l. non hoc*, C. *unde*
28 *cog.* Nec admittitur relatio † accessorij ad principalia, quotiens talis relatio inducit contrarietatẽ in illa dispositione principali: vel quotiens illa dispositio principalis per hoc irritaretur, *l. si quis à filio, in prin.* & *l. servo alieno, in* § *si ab impubere. ff. d. l* 1. & *l. fi. ff. de fideicommiss. liber.* & *l. cum vulg. ff. de do. prælег.* & *notatur plenè per Bart.* & *Doct. in d. l. talis scriptura*, & *per canonistas in d. c. secundò requiris.* Nec est verisimile, quòd illustrissimus princeps noster prætactum privilegium de non posse vocari extra patriam, tàm à divis Romanorum imperatoribus, quàm per ipsummet concessum, & per pactum juratum, voluerit ilicò revocare & sese corrigere, cum tam grandi præjudicio sui & subditorum suorum, *argu. l. nam ad ea, cum ibi not. per gl.* & *Doct. ff. de condit.* & *demon.* ubi hoc benè probatur. Non obstat etiam si dicatur, quòd princeps dictum collegium aliquando extra patriam Brabantiæ transtulerit, ergo & nunc hoc idem facere posset. Quia respondetur
29 multis modis. Primò, quia † non id quod factum est, sed quod jure & æquitate suadentibus fieri debuit, intuendum est, *c. cum causam, de elect.* & *l. sed licet. ff. de offic. præsid. cum simil.* vel admisso non tamen concesso, quòd hoc validè per prius factũ sit, quia tamen id extraordinariè contigit,
30 existente ibidem parlamento, & pauco † tempore duravit, non est ponderandum, sed inspiciendum erit, quod ordinariè & magis communiter factum est: *text. est valdè pulcher in l. Seyæ, in* §. *medio, cum ibi not. per Bar. ff. de aur. leg.* & *in l. precia rerum, in fi. ff. ad leg. Falcidi.* ubi charistia quæ modico tempore duravit non attenditur in probatione valoris rei. Præterea dictum pactum juratum tollit contrarium, alia enim ratio reformat pactum, ut dicit eleganter *text. in præalleg. leg. interpositas*, C. *de transactio.* & etiam quia variè residentia dicti collegii observata fuit, inspici debet novissimum tempus, & censebitur princeps in articulo jucundi adventus promittens cum juramento, quòd illa observaretur quemadmodum usque nunc observata fuit, intellexisse de observantia, quæ fuit tempore promissionis per eum factæ: per *dict. l. Mela.* §. 1. & *alia jura suprà allegata*, quæ hoc optimè probant. Ex quibus omnibus videtur mihi subscripto, illustrissimum Dominum Archiducem benè, & ut principem decet facturum, si hujusmodi cameram seu collegium de Mechlinia ad aliquem locum aptum, commodosum, & idoneum, ducatus Brabantiæ revocaverit: judicio cujuslibet melius sentientis semper salvo.

CONSILIUM XXXII.

SUMMARIA.

1 *Ab initio posterior formari consuevit eventus.*
2 *Interdictum an poni possit ob non solutionem debiti pecuniarij.*
3 *Contumax non est, qui comparere non tenetur.*
4 *Actor forum rei sequi tenetur non econtrà.*
5 *Interdictum quid operetur.*
6 *Quæ contra jus fiunt, pro infectis habentur.*
7 *Mandatum pœnale inducit justum metum.*

8 *Papa*

8 *Papæ quando non obtemperandum.*
9 *Via minus periculosa in dubio eligenda est.*

SVper dubio mihi transmisso, licet multa dici possent: Sub correctione melius & rectius sentientis, omissis brevitatis gratia allegation. quæ hinc inde fieri possent, dico conclusivè, quòd interdictum in oppido Middelburgensi vel districtu ejusdem in casu non occurrente poni non
1 potuit: tum quia si initium † inspiciamus, à quo posterior formari consuevit eventus. *leg. unica. C. de impo. lucrati. descript. lib.* 10. causa vocationis in jus fuit
2 debitum pecuniarium, † ob cujus non solutionem interdictum poni non potest: imò si ponatur, est ipso jure nullum, & non servandum, etiam si debitor in eventum quo non solveret in termino statuto, in suppositionem interdicti consensisset: esto etiam, quòd juramentum intervenisset, nisi in his autoritas sanctissimi Domini nostri Papæ specialiter & expressè intervenisset, de qua per literas patentes ejusdem appareret, quæ omnia cessant in casu de præsenti: de isto est *text. expressus in extravaganti, providè attendentes, sub tit. de sent. excom. suspen. & interdict.* quæ est Bonifacij octavi, post æditionem Sexti emanata, & sic hodie allegabilis: juxta *decisionem gl. fin. in verbo, voluminis, in proœmio Sexti*, quam commendant & sequuntur omnes Doctor. nemine discrepante: de qua quidem extravaganti commemorat & valde eam commendat *Dominus Panor. post Ioan. Andr. in c. cùm in partibus, de verbor. signif. & Ang. de Clavasio in sua summa super verbo, interdictum, & Dominus Cosmas in sua gl. super constitutione. quoniam ex indiscreta, edita in concilio Basiliensi, de interdict. indifferenter non ponen.* & habetur per *Io. And. in c. quæsivit, de his quæ fiunt à majo. par. ca.* & per eundem *Io. And.* & *Domi. in c. præsenti, de sent. excomm. lib.* 6. & per *do. Feli. in c. sanè, 2. de offic. dele.* Si autem inspiciamus contumaciam subsecutam in non comparendo, etiam non potest ob hoc
3 poni interdictum: tum quia non † est contumax, qui comparere non tenetur, maximè quando notorium est, citantem jurisdictionem in citatum non habere. *l. non videtur, cum sua glos. ff. de jud. & cle. pastoralis. §. Pisana, cum sua gl. de re jud. & gl. in c. veniens, de accu. & in c. si episcopus,* 3. *q.* 2. & *vult notabiliter Innoc. in c. 2. de dila.* & *Bart.* & *DD. in l. 2. ff. si quis in jus voc. non ierit*, & *Ioan.* Cald. *Panorm.* & *DD. in c. cum ordinem, de rescrip.* & sic est in casu præsenti, ubi laicus contra laicum vocatur coram judice ecclesiastico, extra patriam propriam, in causa merè prophana, nihil spiritualitatis sapiente, neque exprimitur fundamentum jurisdictionis, cùm sit firma regula, quod
4 actor † forum rei sequi debeat, non econtrà. *l. si. C ubi in rem actio. cum simi.* Sunt enim jurisdictiones distinctæ, *cap. cùm ad verum. 96. dist.* & ordo hierarchicus confunditur, si unicuique sua jurisdictio non servatur. 11. quæst. 1. pervenit: maximè cùm in loco rei justitia debita unicuique ministratur: tum etiam, quod licet Cornelio Iacobi reo contumacia in non comparendo imputari posset, prout non, tamen propter hujusmodi culpam vel delictum non posset poni interdictum in dicto oppido Middelburgensi: nisi rectores dicti oppidi post excommunicationem in eundem Cornelium latam, requisiti ut eundem excommunicatum de suo territorio ejicerent, malitiosè id facere recusarent: quo casu tamen dicto excommunicato recedente, vel ejecto, aut satisfaciente, mox sine alia declaratione aut relaxatione interdicti facienda per judicem, resumi possent organa divinæ laudis: ut de isto est *text. expressus in dicta constitu-*

constitutione, quoniam ex indistincta, cum sua gloss. & voluit Ang. ubi suprà. Nec debet poni interdictum sine monitione prævia, & expressione causæ facta in scriptis, ut habetur *in c.1. ante fi. de sent. excomm. lib.6.* Et non est mirum, quod cum magna gravitate pervenitur ad posi-
5 tionem interdicti: quia in eo † unus punitur pro alio, organa divinæ laudis suspenduntur, sacramenta non ministrantur ut solent, tolluntur seu minuuntur mortuis suffragia, adolescentes & parvuli minus inflammantur & solidantur in fide, fidelium depescit devotio, hæreses pullulant, & multiplicantur pericula animarum, ac oriuntur scandala difficulter extirpabilia. Et hinc est, quod ecclesia non vult servari interdictum positum in loco, nisi ponatur ob culpam ejusdem loci, vel domini temporalis seu rectoris, vel officialium, ut expressè dicit *text. d. constitutionis, quoniam ex indiscreta: & est text. in d. cap. sanè, 2. in fin. ibi Panor. & Doctor. & in c. non est vobis, & ibi etiam Doct. de sponsal. & notatur 24. quæstio. 3. in summa:* & credo non mediocriter peccare illum, qui interdictum pro debito pecuniario vel ob culpam & delictum singularis aut privatæ personæ positum observaret, cùm esset causa tanti scandali & erroris, contra prohibitionem ecclesiæ jubentis tale interdictum non servari: & in tali verificarentur verba Prophetæ *Psalmo* 13. trepidaverunt timore, ubi non erat timor: Et ita vidi semel interdictum ob debitum pecuniarium per officialem archidiaconi Trajectensis in oppido Lovaniensi positum, ob allegationes supra tactas non fuisse observatum, sed contemptum ex unanimi cõclusione omnium Doctorum utriusque juris: qui vidit, testimonium perhibet: In casu autem præsenti, ut informor, neque culpa aliqua dicto oppido imputari potest, cùm præfatus Cornelius Iacobi ibidem non resideat, neque ad illum locum accedat, neque subsit jurisdictioni eorum, neq; præcessit in eos monitio literaliter facta, neq; subest causa monendi: cùm ut prædixi ipse ad illum locum non veniat, & sunt rectores dicti oppidi quãtum in eis est parati, eundem Cornelium venientem de suo districtu expellere. Concludo ergo, & dico in casu præsenti, interdictum si quod ponatur, esse penitus vilipendendum & non servandum, ac illo non obstante, divinum officium esse continuandum ut prius, cùm illud sit nullum, & sic nullum effectum
6 juris operari potest: regula, quæ † contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi, cum vulgaribus. Et licet ex isto capite non sit necesse appellationem interponere, tamen ad majorem securitatem, & ut conscientiæ timoratæ nullum penitus scrupulum habeant, poterit quantocyus interponi appellatio in forma sollicitatori tradita, quæ cùm sit ex justis & legitimis causis interposita, confidentes in ea securè celebrant & faciunt divinum officium ut prius: ut est *text. planus in c. ad præsentiam, & ibi Panorm. Præp.* & *DD. de appel.* & *text. apertior in c. solet, in fin. cum sua gl. super verbo, officiis,* & *ibi omnes Doct. de sent. excom. lib.6.* & *in c. licet, eo. tit.* & *lib.* quæ appellatio affigi poterit valvis ecclesiarum parochialium dicti oppidi, ut possit omnibus innotescere: & insinuanda est per aliquem nuncium prætenso judici. Si autem dictus prætensus judex citaverit illos de Middelburgo ad videndum hujusmodi interdictum in dicto oppido poni, vel ad videndum illud ampliari, hujusmodi citatio est temeraria, ita quòd non arctat, nisi inseratur facultas judicis, & causa sit justa, puta, quia judex requirit Middelburgens. ut præfatum Cornelium Iacobi excommunicatum ibidem declinantem ejiciant & expellant, alioquin compareat ad videndum interdict. in dicto oppido poni, &c.

Poſſet tamen mitti nuncius cum poteſtate offerendi ex parte legislatorum dicti oppidi, quod ipſi legislatores, quantum in eis eſt, parati exiſtunt & offerunt, eundem Cornelium ad illud oppidum declinantem, poſtquam de hoc certiorati fuerint, expellere: de qua oblatione bonum eſſet capere inſtrumentum: & ſic nihil facere poterit ipſe prætenſus judex contra dictum oppidum vel incolas ejus: & ſi ipſe plus petat vel amplius injungat, interponatur appellatio ex cauſis ſuprà tactis, prout latius in hujuſmodi appellatione continetur. Non puto tamẽ hujuſmodi appellationẽ neceſſariam, quia ut dixi interdictum ob aliam cauſam quàm ob delictum Domini temporalis loci, vel rectorum ejuſdem, poſitum eſt ipſo jure nullum, & non obſervandum: & ſi ponatur ob culpam domini, vel rectorum, puta, quia non curant dictum Cornelium excommunicatum de dicto oppido & diſtrictu ejuſdem expellere, illo recedente, ejecto, vel ſatisfaciente, in continenti reſumi poteſt divinum officium ſine alia relaxatione interdicti, per ſuprà *alleg. ultra quæ eſt gloſſ. ordinaria ſingularis in clement.* 1. *in verbo Donec, de decim.* quam *Panormit. in d c. non eſt vobis*, multum commendat. Et credo etiam in caſu quo dicti legiſlatores recuſarent præfatum Cornelium de ſuo diſtrictu expellere, interdictum in illo loco ob hoc poſitum non obſervantes excuſari: cùm juſtè habeant formidare mandatum Domini Archiducis Domini temporalis dicti oppidi, quo eis ſub magnis & formidabilibus pœnis præceptum eſt, quòd nullas literas præfati prætenſi judicis non admiſſas per ordinarium admittere audeat, vel illis obe-
7 dire: quod † mandatum pœnale inducit juſtum metum, propter quem ab irregularitate excuſantur: ut ſingulariter dicit *Bald. in l. noviſſimè per illum text. ff. quòd fal. tut. auct. & optimè faciunt not. per Car. & Ioan. de Imola. in c. ſi quando, de reſcript.* ubi ſingulariter dicunt ex-
8 cuſari eum, qui mandato † pœnali Papæ non obtemperat ex eo, quòd in obtemperatione timetur ſcandalum, vel inconveniens oriturum, per illum textum qui hoc benè probat. Conſulo tamen, quòd deſuper proteſtentur, & inſtrumentum confici faciant. Et tantò fortius dicti Middelburgenſes non tenentur obtemperare, quia hujuſmodi excommunicatio prima facie ex his quæ ſuprà deduxi eſt evidenter nulla, & ſic requiſitio judicis eſt evidenter iniqua, cui obtemperandum non eſt, *juxta not. per Alberic. Paul. de Caſtr. & Doctores in l. epiſcopale, C. de epiſc. audi.* Tutius tamen eſt appellare, & offerre, quòd legiſlatores infra biduum à tempore notitiæ, parati ſunt eundem expellere cum effectu totiens, quotiens eundem ad illum locum declinare contigerit. Quia tunc ceſſat omne ſcrupulum & pericu-
9 lum: quæ † via in dubio eſt eligenda, teſte Auguſtino dicente & clamante, cape certum & dimitte incertum, *de pœnit. diſt. 7. c. ſi quis autem, circa medium, & c. juvenis, de ſponſa. cum vulgar.* Allegare autem nullitatem dicti prætenſi interdicti, magis ſpectat ad illuſtriſſimum Dominum noſtrum Archiducem, ad quem ſpectat juriſdictionem ſuam omnibus medijs defendere.

CONSILIUM XXXIII.

SVMMARIA.

1 *In ſocietate omnium bonorum & hæreditas & legatum, & quod donatum, aliáve quacunq; ratione acquiſitum eſt, communioni acquiritur.*

2 *Res tranſit cum ſuo onere.*

3 *Qua-*

3 *Qualitas adjecta verbo intelligitur secundum tempus verbi.*
4 *Interpretatio facienda est, ut actus potiùs valeat quàm pereat.*

VIso tenore contractus antenuptialis, ac tenore aliarum literarum scabinalium constitutionis redditus septem librarum & decem solidorum, Sentio & credo, novissimo ex nominatis in prætactis literis scabinalibus decedente absque descendentibus, hujusmodi redditum debere devolvi ad loca pia in eisdem literis specificata, per text. apertum in multo fortioribus terminis, *in l. ex facto, in §. si. ff. ad Trebel.* qui in hoc est singularis. Sed quia de hoc nunc non agitur, amplius non insisto. Quo autem ad quæstionem principalem, licet *text. in l. 3. §. cum specialiter. ff. pro socio*, dicat, quòd cum spe-
1 cialiter omnium bonorum societas † coita est, tunc legatum & hæreditas, & quod donatum, aut aliqua alia ratione acquisitum est, communioni acquiritur: licet etiam verba dicti contractus antenuptialis plana sint. Tamen sub correctione cujuslibet melius & rectius sentientis, dico redditum de quo est quæstio eo modo quo ad Barbaram constante matrimonio devolutus est, & sic cum onere ei adhærente: in divisionem debere venire, puta annuam perceptionem dicti redditus pro parte pro qua ad dictam Barbaram devolutus est, vita ejus comite & durante
2 duntaxat. Res † enim transit cum onere suo, juribus vulgar. Si enim constante matrimonio ad eandem Barbaram redditus hujusmodi devolutus non fuisset, de nullo conqueri possent proles Ioannis defuncti: ergo nec nunc conqueri debent, si in annua perceptione hujusmodi redditus æqualem cum dicta Barbara partem habeant, Non enim possunt plus juris prætendere, quàm dicta Barbara, ut clarum est. Ex quo enim omnia generaliter, quæ tempore soluti matrimonij in domo mortuaria reperiri continget, juxta contractum antenuptialem in divisione venire debent, & de redditu unde nunc est quæstio non sit facta mentio specialis, habenda est consideratio ad tempus soluti matrimonij, ita quòd omnia in ea qualitate qua nunc reperientur æqualiter divi-
3 dentur. Qualitas † enim adjecta verbo intelligitur secundum tempus verbi. *l. in delictis. §. si extraneus, & ibi Doctor. ff. de noxa. actio.* & habetur plenè per *Bart. in leg. ex facto. ff. de vulga. & pupil. & per eundem in l. præcipimus in §. sanè, C. de app.* unde si redditus de quo nunc est quæstio, ab omni onere liber fuisset, similiter ut talis quò ad plenam proprietatem fuisset & esset dividendus. Si autem non obvenisset constante matrimonio, in divisionem non venisset: & quia obvenit cum onere transmissionis ad posteros, dividendus est eo modo quo dividi potest, quia quoad annuam perceptionem vita dictæ Barbaræ durante duntaxat, ut præ-
4 dixi: sic enim † facienda est interpretatio, ut actus potius valeat quàm pereat. *leg. quotiens. ff. de reb. du. cum simil.* interpretando autem modo præmisso servabitur contractus antenuptialis in suo vigore, & prohibitio alienationis dicti redditus manebit illæsa, juxta desiderium eorum, qui redditum hujusmodi acquisiverunt, & rigor cum æquitate quiescet, & voluntas contrahentium à potestate non discordabit omniaque concordabuntur, nec fraus aliqua argui poterit, & ut in summa dicam: non occurrit aliquid ad contrariam partem faciens. Concludendo ergo persisto in conclusione supra capta.

CONSILIUM XXXIV.

SVMMARIA.

1 *Incarceratus propter fugam & effractionem habetur pro confesso.*

2 *Aufugiens de carcere, non relaxatur postea, etiamsi vellet satisdare, sed ex vinculis causam dicere tenetur.*

3 *Vocatus ad judicium, ut se purget & defendat de crimine tenetur comparere.*

4 *Securitas malefactori pro veniendo ad se excusandum data, servari non debet.*

5 *Violentia non præsumitur in judice.*

VIsis dubiis mihi transmissis, quibus petitur, an tenore articulorum attento, & considerata fuga Domini Gerardi, & effractione carceris per eum commissa, debeat idem Dominus Gerardus prestita cautione juratoria de stando juri, & de non offendendo, &c. ad se defendendum, absque hoc quod carceres per eum violatos reintret, admitti. Respondeo breviter
1 quod non: Nam certum est de jure, † quòd si quis positus fuerit in carcere pro aliquo crimine, etiam si dictum crimen non commisisset, si talis effracto carcere aufugerit, habetur pro confesso: ita quod contra eum, tanquam contra confessum, ad condemnationem procedi potest: quia propter fugam & effractionem habetur pro confesso: ut est *tex. & ibi gl. Bar. & Alber. & Doct. in l. in eos. ff. de custo. reo.* & habetur plenè per *Iaso. & Modernos in l. admonendi, in 20. col. ff. de jurejur.* Imò
2 quod fortius est, si aliquis † esset captus pro crimine levi, pro quo non esset de jure carcerandus, & in quantum esset carceratus deberet relaxari mediante cautione fidejussoria: tamen si talis semel de carceribus aufugerit, carcerandus est, & diligenter custodiendus, nec relaxandus fidejussoribus, sed debet ex vinculis causam dicere, etiam si vellet satisdare: ita dicit *glos. ordinaria singularis in l. lege Cornelia, super verbo, ex vinculis. ff. ad Sillan.* & ibi id multum commendat *Ludo. de Roma:* id etiam commemorat *Angel. de Aretio in tractatu maleficiorum super verbo, fama publica præcedente*, ubi benè tractat materiam capturæ. Præterea vo-
3 catus † ad judicium, ut se purget & defendat de aliquo crimine, tenetur comparere, nec potest ex hoc capite allegare, locum sibi non esse tutum: ut singulariter decidit *Bald. in leg. omnes. §. si verò apparitor. Cod. de episcop. & cleri.* licet ex alio capite, puta partialitatis, pestis, vel simili, id allegare posset, *cap. ex parte, de appell. c. ad supplicationem, cum glos. de renunc. & Clemen pastoralis. §. Pisana, de re judic. cum utrobique notatis per Doctores.* Imò
4 quod fortius est, malefactori † non debet dari salvus conductus, fidentia, vel securitas pro veniendo ad se excusandum: & si data fuerit, servari non debet, maximè quando de loco sacro extrahi posset, secundum *Guil. de Cuneo in l. 1. §. non fuit. ff. de dolo. & est text. cum glos. in §. neque autem, & ibi Iacob. de bello visu, in auth. de manda. princip. col. 3.* & habetur plenissimè per *Ioan. de Imo. in leg. is qui reus, in penult. colum. ff. de publ. jud.* licet gloss. & Bart. ibi videantur tenere contrarium: & aliquid per *Baldum & Angelum in dict. §. non fuit.* Cùm ergo in casu præsenti dictus Dominus Gerardus ex justa causa fuit detentus: ut puta propter excessum scandalosum in loco sacro contra suum prælatum coram multitudine populi perpetratum: cùm etiam carcerem

carcerem, temerariè effregerit, meritò perdidit beneficium *l. 1. ff. & C. de custod. reorum.* Aliud autem esset, si captura fuisset violenta, secundum *Bart. & Paul. de Castr. in l. vis ejus, C. de probat.* quæ vio-
5 lentia † non præsumitur in judice, & cessat, ubi constat de justitia capturæ, ut in casu præsenti. Concludendo ergo dico, quòd partes judicis erunt, per suam interlocutoriam declarare, tenore Articulorum & qualitate excessus attentis, considerata etiam effractione carceris, cui dictus Dominus Gerardus exigentibus suis excessibus mancipatus fuit, eundem antequam eosdem carceres reintraverit, mediante cautione per eum oblata, non esse audiendum vel admittendum.

CONSILIUM XXXV.

SVMMARIA.

1 *Honor debitus judicibus est deferendus per procuratores & advocatos.*

2 *In judicijs abstinendum est à probris & convitijs.*

3 *Ex injuria per procuratorem illata, principalis conveniri non potest.*

4 *Asserens judicem magis propter vindictam quàm ob justitiæ amorem processisse, &c. injuriari censetur.*

5 *Leviter castigatus reverentiam exhibet castiganti.*

VIso tenore appellationis, cum alijs mihi transmissis, dico breviter quod
1 licet † honor debitus deferendus sit judicibus præcipuè per procuratores & advocatos, qui ad placitandum pro partibus per judicem admittuntur, *cap. ut debitus honor. de appell. & leg. omnem honorem. C. quando provocat. non est necess.* Nec
2 debet † judex permittere, quòd procurator vel advocatus convicia sibi mutuò inferant: id enim agere debent quod causa desiderat, & à probris abstinere: ut dicit *l. quisquis, C. de postu.* imò nimium verbosus prohiberi debet postulare, ut dicit *gloss. ordin. in l. ex ea. ff. de postul.* quam reputat singularem *Ludovic. de Rom. in*
3 *suis singularibus:* tamen ex injuria † illata per procuratorem non potest principalis Dominus conveniri, quia non videtur id mandasse, cùm in generali mandato non veniat delictum, *text. est notabilis in l. si procurator. ff. de condic. indeb. & in c. si episcopus, de præben. lib. 6.* & habetur utrobique per Doctor. sed puniendus est procurator duntaxat. Nunc autē ad propositum veniendo, parum pondero illud verbum culpæ, appellationi insertum: quia si singula benè considerentur, nihil aliud colligi potest ex tenore appellationis, quàm quod narrativè per procuratorem refertur, Dominum Gerardum fuisse & esse per procuratorem fiscalem malè impetitum: Ex hoc autem colligi non potest, quòd ipse voluerit Domino Decano per illa verba injuriari: sed pondero aliud, ubi assertivè dicitur, † Dominos
4 Decanum & capitulum magis propter vindictam, quàm ob justitiæ amorem processisse, &c. quia hoc sapit injuriam: & meo judicio hæc injuria non est ex toto remittenda, neque etiam acerrimè punienda: sed inspecta qualitate personæ desuper est ordinandum: quemadmodum dicit imperator, *in leg. unica. C. si quis imper. maledix.* & sufficiet meo judicio, si dicto procuratori interdicatur officium procurationis, donec & quousque comparuerit in capitulo, & recognoverit se inconsultè & malè locutum fuisse, veniam à Dominis petendo: leviter enim

5 † castigatus reverentiam exhibet castiganti: asperitatis autem nimiæ increpatio neque increpationem recipit neque salutem, ut eleganter dicit *text. in c. cùm beatus 45. dist.*

CONSILIUM XXXVI.

SUMMARIA.

1 *Judex à quo non deferens appellationi frivolæ, ulterius procedere potest, non obstante inhibitione sibi facta.*

2 *Inhibitio ut sit legitima & canonica quæ requirantur.*

3 *Gesta per judicem à quo quando pro attentatis habeantur.*

4 *Appellatio ab interlocutoria quando censeatur manifestè frivola.*

5 *Judex ad quem qualiter à judice à quo frivolè appellatur, informandus sit.*

VIsis dubijs mihi transmissis, pro dissolutione eorum, est ante omnia scienda veritas facti, super eo, an appellationi ab interlocutoria interpositæ delatum sit per judicem à quo, nec ne. Quia si † per judicem à quo delatum ut
1 hujusmodi appellationi etiam frivolæ, abdicata est à judice à quo, omnis jurisdictio: *text. est singularis in c. cum appellationib. frivolis. de appell. lib. 6.* & sic in negocio hujusmodi ante remissionem factam per superiorem, judex à quo, ulterius procedere non, potest. Si verò † ap-
2 pellationi ejusdem quæ verè frivola fuit, per judicem à quo, non est delatum, nullo modo per dictam frivolam appellationem causa est devoluta ad superiorem, *cap. ut debitus, de appell. & c. quamvis de elect. lib. 6. & d. c. cum appellationibus, in princ. cum similib.* Et sic inhibitioni, cujus copia mihi transmissa est, impunè non paretur: quia non est canonicè facta, quod jus requirit, *cap. non solùm. §. illa, & c. Romana. §. quod si objiciatur, de appella. lib. 6.* & etiã nulla causa in dicta inhibitione est expressa, quod tamen requiritur ut sit legitima & canonica, & ut ei pareatur, *dict. cap. Romana § cum autem juncta gl. super verbo. citent, & super verbo, expressa, & ibi Innoc. Pet. de Anch. Ioan. de Imol. Dominicus, & Doct.* & quãvis subesset causa probabilis, si tamen judex ad quem, non inceperit ante inhibitionem per eum emanatam super hoc cognoscere, an causa hujusmodi sit vera, non tenet inhibitio, juribus præallegat. &
3 gesta † per judicem à quo, antequam de probabilitate & veritate causę appellationis constet, vigore istius inhibitionis nullo modo debent vel possunt, revocari, ut attentata de jure: ita singulariter habetur *in decisione 416. in novis. incipiente, Si appelletur manifestè frivola,* quæ est aurea & mente tenenda. Tunc autem appel-
4 latio † ab interlocutoria est manifestè frivola, quando in ea nulla causa fuit expressa, vel non legitima, dato quòd esset vera, vel licet sit legitima, est tamen manifestè falsa: vel jam pronuntiatum est illam falsam, & non fuit appellatum: ut dicit *glossa singularis ab omnibus approbata, in Clement. unica. super verbo, manifestè, in principio. de dolo & contuma.* Quare concludendo videtur mihi, dicta appellatione & inhibitione subsecuta non obstante. si appellationi non est delatum per judicem à quo, ad detentionem appellantis, & ad prolationem sententiæ diffinitivæ, contra eundem jure procedi posse: non erit malum tamen, si à captura supersedeatur ad tempus, ne animi superiorum contra judicem à quo provocentur de facto, cùm de jure non possunt. ut pulchrè inquit *text. in cap. si quando, de re-*

de rescrip. & patet ex prædictis : mirandum etiam est, quòd in dictis literis citatorijs asseritur, judicem à quo esse appellatum, cùm procurator fiscalis fuerit pars agens & appellatus, & judex à quo : unde
5 de consulo † pro honore domini judicis, quòd aliquem expertum, & per has literas meas informatum potiùs ante diem servientem quàm post, apud Decanum & Capitulum Leodienses judices ad quos, dirigat, qui plenè de singulis dictos Dominos possit informare, & petere, quòd hujusmodi inhibitionem revocare velint, vel saltem malè appellatum & benè per judicem à quo processum pronunciare: ut consulit dicta decisio Rotæ circa finem : quam in manu habere, & eis ostendere expediret, & obtinebitur intentum ni fallor, si mittatur aliquis, qui de brodio juris aliquid gustavit: juxta illud vulgare, mitte sapientem, & nihil ei dicas.

CONSILIUM XXXVII.

SVMMARIA.

1 *Inter præsentatum & præsentantem debet esse distinctio personalis.*

2 *Collatio facta per Episcopum sine præsentatione veri patroni est irrita.*

3 *Instituti sine patroni præsentatione dicuntur detentores & occupatores.*

4 *Permutatio beneficiorum facta per Episcopum quando valeat.*

5 *Authoritas permutandi beneficia principaliter ad Episcopum pertinet, non autem collatio.*

6 *Quod præsentiam, consensum vel consilium aliquorum requirit, non valet si illis absentibus & irrequisitis expediatur.*

7 *Patroni consensus collationem per Episcopum factam præcedere vel sequi potest.*

8 *Contempto in electione non prosequente contemptum, electio firma manet.*

9 *Cùm quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.*

10 *In re propria nemo sibi potest authoritatem præstare.*

11 *Pater licet non possit præsentare seipsum, potest tamen præsentare filium.*

12 *Vbi plures sunt patroni, potest per eos unus ex pluribus præsentari.*

13 *Favori pro se introducto quilibet renunciare potest.*

14 *Facere quis potest in re sua quod sibi prodest, licet alteri noceat.*

15 *Beneficio ex persona mea tibi competente non potes uti contra me.*

16 *Injuriam facere non censetur qui Juris authoritate aliquid facit.*

QVidam dominus Raso Simonis, ad quem tanquam ad proximiorem masculum de sanguine quondam Berwardi Ioannis Henrici originalis fundatoris ex dispositione ejusdem Berwardi jus præsentandi personam idoneam ad præbendam tunc vacantem competit, per Decanum & Capitulum ad quos institutio spectat in eadem præbenda institutus, hujusmodi institutioni consensit eam ratificando. Quæritur, an eidem Domino Rasoni ex hujusmodi institutione & subsecuta ratificatione jus ad dictam præbendam

præbendam competat quomodo libet. Et videtur, quod non. Tum primò, quia
1 seipsum † præsentare non potest ad dictam præbendam, *cap. per nostras, de jure patro.* Inter præsentatum enim & præsentantem debet esse distinctio personalis, *cap. fi. de instit. cum ibi notatis*: ergo nec per aliam viam eandem assequi poterit. Nam, cùm quid una via prohibetur, non debet quis ad illud alia via admitti: *regula cum quid de regulis jur. lib. 6. cum*
2 *vulg.* Tum etiam, quia cessante † præsentatione veri patroni, institutio facta per dictos dominos Decanos & Capitulum, ad quos spectat institutio, ubi & quando precedit præsentatio, est nulla, cassa & irrita: & sic non tribuens jus in beneficio: ut de hoc est *text. notabilis & apertus in cap. decernimus, 16. quest. 7.* ubi dicitur, quòd collatio facta per episcopum sine præsentatione patroni, est irrita. Sic ergo ibi videtur casus æquiparando capitulum in casu præsenti episcopo diœcesano, ad quem de jure communi spectat institutio præsentati per patronum, *tot. tit. de jure patro. ad idem alleg. text. in c. ex insinuatione, de jure patro.* ubi habetur, quod
3 † instituti sine patroni præsentatione, dicuntur detentores & occupatores, & mandantur privari, & compelluntur beneficia sic acquisita relaxare: & ita ibi tenent, *Hostien. Io. And. Panor. & Doct. & idem Panorm. in cap. illud, illo eodem tit.* Idem etiam apertè tenet *Io. And. in cap. de offi. vicar. lib. in novella.* ubi dicit, quòd per talem collationem nullum jus transfertur in provisum: idem etiam apertissimè voluit *Feder. de Senis, in tractatu suo permutationis*, ubi notabiliter dicit, quod
4 licet permutatio † beneficiorum facta per episcopũ, non vocatis his qui habent præsentationem vel electionem valeat, licet veniat retractanda contemptus post modum contradicentibus, & contemptum ipsum prosequentibus: collatio tamen facta patrono contempto est ipso jure nulla, secundum eum *per d. cap. decernimus*, & assignat rationem diversitatis,
5 quia permutandi † autoritas principaliter pertinet ad episcopum, ut in c. quæsitum, de re permut. sed collatio non sic: & illam decisionem Fed. refert, & sequitur *Rota decisione* 310. *in novis, quæ incipit, permutatio*: pro isto etiam est *tex. in c. Bertholdus, de re judic.* ubi cõfirmatur sive instituitur præsentatus secundo loco per verum patronum, nulla facta prius cessatione de institutione jam facta per Episcopum ad præsentationem cujusdam, qui non erat verus patronus, nec in possessione præsentandi: patet ergo ibi, quòd collatio facta per Episcopum non precedente præsentatione veri patroni, est nulla ipso jure: & hoc sentit ibi *Innoc. in gl. sua super verbo, memorato, in versic. vel potes dicere.* Pro isto etiam est
6 ratio, quia ubicunque † aliquid explicandum est cum aliquorũ præsentia seu consensu vel consilio, non valet si expediatur illis absentibus & irrequisitis, *c. cùm in veteri. de elect. c. cùm olim, de arb. l. 1. §. si plures, & ibi per Bart. ff. de exercit. c. novit., de his quæ fiunt à prelat. sine consensu capitu. & c. causam matrimonij, de offic. deleg.* Modò subsumo sic, beneficium patronatum non est per Episcopum ordinandum, nisi consentiente patrono, quinimò patronus debet esse auctor & causa movens, Episcopus verò habet instituere illum, quem patronus designaverit & petierit, ut in *d. c. illud, in fi. & in aliis juribus supra allegatis*: ergo collatio facta per episcopum patrono neglecto, debet esse nulla: & ita post multa concludit *D. Panorm. in disputatione sua, quæ incipit, Augerio.*

7 In contrarium tamen quò ad casum præsentem est veritas, ex quo patronus † verus, qualis est dictus dominus Raso, ut in themate præsupponitur, infrà tempus

pus juris hujusmodi institutionem vel provisionem non impugnavit, sed tacitè approbavit, non præsentando alium, vel non prosequendo contemptum, & eo fortius, quando expresſè approbat & ratificat: ita singulariter decidit *dominus Card. Floren. in Clem. unica, in 8. col. in versic. sed post longam cogitationem, de supple. neg. præla. & Hostien. in summa sua de jure patron. ad fi. & idem Hostien. Ioan. And. Henric. Boick. Dominus Panor. & alij in dicto c. per nostras,* & ratio est, quia hujusmodi consensus non requiritur, ut auctoritas quæ debet præcedere: sed in vim consensus qui potest præcedere & sequi: ut dicit *dominus Card. in prealleg. Clem. unica*: & pulchrè *dominus Ioan. de Imola, & post eum Alexan. de Imol. in l. si quis mihi bona, in §. jussum. ff. de acquir. hæred. & Innoc. in c. 1. de reb. eccles. non alie. lib. 6. & Præpositus in c. imperialem, de prohib. feudi alie. per Federic. in usibus feud.* Nec talis se ingerit, sed vocatur à Deo tanquam Aaron, secundum eos, nec debet conditio sua fieri deterior, eo quòd est patronus, *c. nobis, illo eo tit.* & *c. cùm in officijs, de testam.* & facit ratio: quia idem
8 videmus in electione, † quòd licet contemptus in electione posset prosequi contemptum, & eo prosequente contemptum electio posset cessari & annullari, *c. bonæ secundæ, & c. quod sicut. de elect. cum ibi no. per Doct.* Tamen non prosequendo contemptum electio manet firma, ut in dictis juribus: ergo idem in casu nostro. Et ita post multa concludit etiam *D. Panor. in dicta disputatione sua.* Et per præmissa solvuntur objecta, de quibus suprà. Nam *d. c. decernimus, cum alijs suprà allegatis*, procedit, ubi verus patronus contemptum suum prosequitur, & aliàs non: ut dicunt Doct. *in l. prealleg.* Non obstat
9 etiam regula, † cū quid una, quia illa procedit, ubi est eadem ratio prohibēdi illud, per quod pervenitur ordinatè ad prohibitum, quę est prohibēdi illud ipsum prohibitū, secundum *Henr. in c. tuę, de procur.*
10 Sed sic non est hic, quia † ubi patronus seipsum præsentaret, videretur hoc exposcere ex debito, & facere judicium de persona sua, ac authorisare vel authoritatem præstare in facto suo: quia omnia sunt prohibita, *arg. Clem. in fi. de reb. eccles. nō alie. & in c. qualiter, de elect.* & *in d. c. fi. de instit.* Sed ubi verus patronus consentit provisioni de persona sua factę, cessant prædicta: ex quo provisio non cœpit originem à se, sed à superiore: Per quod etiā tollitur, si quid de ambitione sibi objiciatur. Posset etiam dici, quòd prohibitio, de qua *in d. c. per nostras*: facta est attento modo, non autem attento effectu: quo casu non etiam obstat *d. regula, cùm quid*, ut declarat *gl. in dicta regula, cùm quid*, & *Panor.* & *Doct. in dicto c. tuę.* & hoc
11 clarè apparet, quia licet † pater non posset præsentare seipsum, potest tamen præsentare filium, ut est *gl. in c. consuluit*, & *ibi Doct. de jure patro.* licet per hoc ex consequenti pater commodum vel honorem saltem, sentiat. Item ex alio, quia ubi plu-
12 tes † sunt patroni, potest per eos unus ex ipsis præsentari, *arg. c. cùm in jure peritus, de elect.* & notant *Panor.* & *Doct. in dict. c. consuluit*, & *nonnulli in l. ubi absunt. ff. de tut. & cura. da. ab his*: facit etiam *in argumentum c. ne pro defectu. & c. quia propter, de elect.* & *no. per Henricum in dicto c. per nostras*, & sic præmissa non obstant. Non obstat etiam, quod ex tenore fundationis præsentari debet senior & proximior de sanguine per verum patronum, quem testator voluit esse illum, qui esset senior & proximior de sanguine: quia dico, quòd in casu præsenti, quando per Decanum & Capitulum providetur dict. Domino Rasoni, servatur voluntas testatoris in eo, quod proximiori debeat provideri. Et si dicatur, quòd non servatur voluntas fundatoris in eo, quod voluit

proximiori per seniorem de sanguine suo provideri de hujusmodi præbenda tempore vacationis : Respondeo, quod quatenus
13 † dicta fundatio concernit proximiores de genere, quibus pro tempore competere debet jus præsentandi, ipsi possunt per regulam generalem juris, de qua *in l. si quis in conscribendo. Cod. de pact.* in præjudicium proprium hujusmodi favori renunciare : licitum est enim unicuique, favori pro se introducto renunciare, ut in dictis juribus : & renunciando proprio favori in hoc casu quoad hoc videlicet, ut non prosequatur contemptum, quem prosequi posset, ut & tanquam patronus, ipsemet reperiatur senior & proximior, cui ex fundatione providendum est : nec potest conqueri sequens in gradu. Nam
14 potest † quis in suo facere quod sibi prodest, etiam si alteri noceat. *l. 1. §. denique. ff. de aqua pluvia arcen.* & declarat magistraliter *Ioan. Fabric. Institut. de lege Fus. cani tollen.* cùm ergo provisio legis suppleat hoc casu provisionem hominis, per jura præallega. patet clarè, quòd sequens in gradu penitus destituitur omni remedio, patet enim istud, quia non cogitur quis uti jure sibi competente, etiam si per usum alteri acquiratur commodum, & non per usum, damnum inferatur : textus est notabilis *in l. filio præterito. ff. de injust. rupt. irritove test. juncta l. si post mortem, §. fin. cum ibi notat. per Bartol. ff. de bonor. possess. contra tab.* certum etiam est de jure, quòd be-
15 neficio † tibi competente ex persona mea non possis uti contra me, me invito : text. est notabilis *in l. si judex circumvento, & ibi Bart. Bal. & Doct. ff. de minori.* ergo fortius non posses uti cõtra me beneficio nondum tibi competente ex persona mea, sed duntaxat si voluero cõpetituro : ut in casu præsenti. Nec valet, si dicatur, in quantum dictus dominus Raso aliquẽ est præsentaturus ad dictã præbendam, debet præsentare seniorem & proximiorem de sanguine alium à se, ergo cogitur illum præsentare: quia admisso assumpto non valet consequentia, cùm, ut præmittitur posset non uti jure suo, nec potest sequens in gradu conqueri,
16 quod sibi fiat injuria : cùm non † dicatur facere injuriam, qui juris authoritate aliquid facit : cùm juris executio non habeat injuriam, *l. injuriarum, §. 1. de injuriis, & l. Gracchus. C. de adult. cum vulg.* imò quod fortius est, posset dictus Dominus Raso instare apud habentem instituere, ut sibi de illa provideatur, ex quo idoneus est indigens: ut dicit notabiliter *Dominus Panormitanus in dicto cap. per nostras.* Concludendo ergo dico, prædicto Domino Rasoni per præfatam institutionem & sequutam ratificationem jus efficax in dicta præbenda competiisse, acquisitum esse, & competere. Consulo tamen sibi, quod post lapsum temporis, à jure patrono ad præsentandum præfixi, ut omnis vitetur difficultas propter *not. per glos. & Doct. in dict. Clem. unica. super verbo, dispositionem* capiat novam provisionem ab ordinario, vel à Papa : quæ tamen non est omnino necessaria, ex quo non sumus in casu *not. per gl. & Doct. in prealleg. Clem. unica :* Attento, quòd provisio Domino Simoni facta est ante lapsum quadrimestris, ut suprà dictum est.

CONSILIUM XXXVIII.

SUMMARIA.

1 *In feudis non succedunt fœminæ extantibus agnatibus masculis.*

2 *Casus in testamento omissus relinquitur dispositioni juris cõmunis.*

3 *Actus agentium ultra eorum intentionem non operantur.*

4 *Feuda*

4 *Feuda paterna sine consensu agnatorum alienari non possunt.*

5 *Jus præsentationis etiam locum in feudis habet.*

6 *Pater non transmittit spem succedendi in feudis ad filias.*

7 *Conjunctus excludit hæredem illius cujus portio deficit.*

8 *Ex separatis nulla fit illatio.*

9 *Consuetudo extra casum in quo loquitur extendenda non est.*

10 *A jure scripto statuta, consuetudines & pacta omnia interpretationem recipiunt.*

11 *Ad neptes majores affectionem quàm ad filias habere nemo præsumitur.*

VIso casu, super quo consilium à me petitum est, visis etiam sententiis cũ informatione juris mihi ad manus traditis, habita desuper matura deliberatione, videtur mihi subscripto sine aliqua hæsitatione, domicellabus Ioannæ & Elizabeth van den Wyngaerde actricibus, in bonis feudalibus per & post decessum quondam Guilhelmi van den Wyngaerde patrui, dum vixit dictarum domicellarum, unde est quæstio, nullum penitus
1 jus competere: attento quod supersunt † proximiores agnati masculi, puta Balduinus & Ioannes van den Wyngaerden: fratres quidem dicti quondam Guilielmi, per cujus obitum dicta feuda vacant, qui dictis domicellabus in prefatis feudis preferri debent de jure: per text. expressum *in c. 1. de gradib. succes. in feud. cum aliis vulgaribus.* Nec suffragatur dictis domicellabus dispositio facta per quondam Egidium van den Wyngaerden patrem, dum vixit dictorum Guilhelmi, Balduini, & Ioannis, avumque paternum dictarum domicellarum: quia illa dispositio nõ exprimit quicquam de successione fienda in casu præsenti: sed duntaxat inhibet alienationem feudorum. Casus ergo præsens
2 † tanquam omissus per dictum quondam Egidium relinquitur dispositioni juris communis, *cap. susceptum de rescript. lib. 6. & l. si cum dotem, in princ. ff. solut. matrim.* de jure autem communi dictis domicellabus, in dictis feudis jus non competit, ut premittitur, ergo, &c. Nec potest plus operari inhibitio alienationis, quam verba sonant, vel disponens intẽderit: quia
3 actus † agentium non operantur ultra eorum intentionem, *l. non omnis ff. si certum petat.* Præterea ex natura rei tacitè ine-
4 rat, quod hujusmodi feuda † paterna non alienarentur etiam de consensu domini, nisi etiam intervenerit consensus agnatorum, ut est text. *in c. circa princ. & ibi Bal. Alu. Præpo. & alie. de alie. feu. paterni: & vult glos. & Doct. in cap. unico. de vasal. decr. ætat. & in c. unico. §. 1. de succes. feudi. in usibus feudorũ.* Sed expressio eorum quæ tacitè insunt nihil operatur, *l. 3. ff. de legat.* 1. ergo, &c. Non suffragatur etiam dictis domicellabus alia persuasio, qua dicitur: Si patres dictarum domicellarum viverẽt, eisdem in illis jus competeret, ergo & ipsis domicellabus, quæ suos patres repræsentant, cùm hoc casu id non consequantur ex persona sua, sed ex persona patris: attẽto maximè, quod in †
5 feudalibus jus repræsentationis locum habet, ut in specie dicit *Ioan. Fab. in §. cùm autem. Instit. de hæred. quę ab intest. defe. per text. de succ. feud. in princ. & per prealleg. cap. 1. de grad.* ubi de hoc est casus: quia dico id verum, nisi sexus fœmineus impediat, ut in casu præsenti: hoc apertissimè vult tex. *in dicto c. 1.* Et eodem mo-
6 do solvitur alia objectio, quia dicitur † saltem patres dictarum domicellarum transmiserunt ad filias suas spem quã ad dicta bona propter interdictã alienationẽ

habuerunt: Quia dico primò, quòd sexus fœmineus hanc transmissionem impedit, per *præalleg. cap.* 1. Dico etiam secundò, quòd dicta objectio procederet, si solis patribus dictarum domicellarum ante decessum eorundem, jus in spe, ad dicta bona feudalia competiisset, ut quia dictus Balduinus & Ioannes ante præfatum Guilhelmum, & ante patres dictarum domicellarum de medio sublati fuissent, nullis relictis liberis, vel si dictis patribus solis & nullis aliis feudum, de quo est quęstio, fuisset sub conditione debitum: ita propriè loquitur *textus cap. si quis, & ibi Baldus qui success. tene. in usibus feudorum.* Sed id non procedit in casu præsenti, ubi nedum dictis patribus, sed etiam aliis in eodem gradu existentibus, jus in spe ad dicta bona competiit. Ratio est, quia ubi
7 † pluribus jus spei ad certa bona competit, tunc aliquibus ex eis decedentibus non transmittitur jus spei ad hæredes decedentium, sed accrescit superstitibus propter jus quod in eisdem bonis habent, & consolidatur cum jure eis competente. Nam effectus conjunctionis est impedire transmissionem fiendam ad hæredes conjunctorum primò decedentium: pro hoc sunt omnia jura, quæ dicunt conjunctum excludere hæredem illius cujus portio deficit, ut *l. unica*, § *in primis, &* §. *sequenti. C. de caduc. tollen. &* §. *si eadem, Instit. de legat. cum aliis vulgari.* Nec suffragatur etiam eisdem, quod ex consuetudine curiæ de Loenhout successerunt & succedunt suo patri, etiam in feu-
8 dalibus: quia † ex hoc non potest inferri, quod debent succedere patruo suo, fratribus defuncti per cujus obitum feuda vacant existentibus in medio, cùm masculus nedum proximior, sed ejusdem gradus excludit fœminam, *dicto c. primo, de grad.* Ex separatis enim non fit illatio, *l. neque natales, C. de probat. & l. non hoc,*
9 *C. Vnde cognat.* nec est † consuetudo extendenda extra casum in quo loquitur, sed casus omissus relinquendus est, ut præmittitur, dispositioni juris communis, *d. l. si cum dotem,* & *l. de quibus cum sua materia ff. de leg.* Confirmo etiam hanc decisionem, quia bona feudalia prædicta juxta desiderium dicti quondam Egidij manserunt in familia, nec sunt alienata. Sed clarum est, quod cessante dispositione dicti quondam Egidij quoad alienationem prætactam, quæ verè quoad hoc est impleta, res non haberet dubium, quin dicti Balduinus & Ioannes in præfatis bonis feudalibus præferrentur præfatis domicellabus, ergo & modo idem est di-
10 cendum, cùm † dictus quondam Egidius censeatur in dubio voluisse se conformare juri scripto, à quo nedum statuta & consuetudines, sed & rescripta, pacta, & conventiones partium, interpretationem recipiunt, *l. 2.* & *ibi Baldus C. de noxa. action. & c. cum dilectus,* & *ibi Panormitanus de consuet. c. causam quæ.* & *ibi Bal. Panormitanus,* & *Doct. de rescript.* & *l. semper in stipulationibus. ff. de regulis juris,* & *est text. nota. valdè in l. inter socerum, in* § *cùm inter. ff. de pact. dota.* Nec
11 est † verisimile, dictum quondam Egidium aliud sensisse, vel majorem affectionem ad neptes suas antedictas, quàm ad filiam suam propriam habuisse, de qua tamen non disposuit, ut in feudis cum fratribus succederet. Adduco pro hac rationem & mentem. *l. cum acutissimi. C. de fidejuss.* & *l. tale pactum.* § *finali, cum sua singulari gl.* & *notatis ibidem per Bart. Bald.* P*aulum de Cast. Alexan. de Imol, Ias.* & *alios. ff. de pact.*

Concludendo ergo dico, dictis domicellabus in prætactis bonis feudalibus nullum penitus jus competere.

CONSILIUM XXXIX.

SVMMARIA.

1 *Ex facto jus oritur.*

2 *Forma*

2 *Forma in electionibus observandæ quæ sint, &c. & num. 4.*
3 *Electus à majori & saniori parte capituli cæteris præfertur.*
4 *Argumentum à sufficiente partium enumeratione, in jure validum est.*
5 *Scrutinii forma quæ sit, &c.*
6 *Forma dat esse rei.*
7 *Solennitates formales in favorem publicum introductæ sunt. Unde iis renunciari non potest.*
8 *Juris ignorantia in omissione solennitatis vel formæ, non excusat rusticum vel mulierem.*
9 *Viduatæ dicuntur ecclesiæ per mortem Episcopi sive prælati.*
10 *Forma cap. quia propter, de electione, etiam in prælato inferiore Episcopo vel Abbate observanda est.*
11 *Collatio facta per Episcopum sine præsentatione patroni est irrita.*
12 *Instituti sine patroni præsentatione dicuntur detentores & occupatores.*
13 *Permutatio beneficiorum facta per Episcopum, quando retractetur, &c.*
14 *Authoritas permutandi beneficia principaliter ad Episcopum pertinet: non autem collatio.*
15 *Quod multis præsentibus & consentientibus expediri debet, non valet, si illis absentibus & irrequisitis expediatur.*
16 *Collatio præbendarum vel decanatus est quid merè spirituale, nec cadit in laicum de mero jure.*
17 *Pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui jus dandi non habet.*
18 *Impedimentum præstare non debet, quod de jure non sortitur effectum.*
19 *Jus merè spirituale qualiter transferatur in laicum.*
20 *Electio interdum pro præsentatione ponitur.*
21 *Per posteriora declarari præcedentia in dubio censentur.*
22 *Per præsentationem vel nominationem non tribuitur jus in re, sed ad rem.*
23 *Collatio facta eo jure quo fieri non potest, non tenet, licet alio jure fieri potuisset.*
24 *Dictio,* Electio, *posita in statuto, exponitur pro confirmatione, ut statutum reducatur ad jus commune.*
25 *Exceptio contra electum non gratum, &c.*
26 *Surrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum surrogatur.*
27 *Repetitio vel geminatio verborum in omni dispositione multum est ponderanda.*
28 *Tempus eligendi Episcopum vel Prælatum, quod nam sit, &c.*
29 *Actus penitus nullus, qui nullum effectum juris sortitur, habetur pro non facto.*
30 *Facta quò ad effectum juris pro non factis haberi possunt.*

31 *Ad quem spectat confirmatio electionis ad illum spectat quoque provisio.*

1 CUm ex † facto jus oriatur, *l. si ex plagis. §. in clivo. ff. ad l. Aquil. cum vulg.* nec posset certa dari responsio super incerto quæsito. c. de muliere, de sponsal. cum concor. Idcirco, ut congruum detur responsum, subjicitur thema & exemplum, super quo consilium petitur, tale.

In quadam ecclesia collegiata duodecim canonici tanquam membra, & decanus tanquam caput & principalis prælatus existunt, in qua ecclesia collegiata præbendarum collatio pleno jure ad principem patronum indubitatũ tempore vacationis spectat: vacante verò decanatu ejusdem ecclesiæ, ejus electio, nominatio, seu præsentatio ad præfatum capitulum: Admissio verò, collatio, seu provisio ejusdem ad principem tanquam fundatorem & patronum, & ad nullum alium spectat & pertinet: ac à memoria hominum pertinuit ac spectavit, spectareque & pertinere consuevit: qui si quidem canonici ad electionem futuri decani procedentes,
2 nulla trium formarum † de quibus *in c. quia propter, de elect.* servata se in duo vota diviserunt: ex quibus sex quendam A. absentem in longinquis ad eligendum cum aliis non vocatum, & quatuor alij quendam B. elegerunt in Decanum, ipso B. electioni de se factæ consentiente. Postea verò antefatus princeps considerans electiones antefatas in discordia, sic, ut præmittitur celebratas, neutram ex eis approbando, dictis canonicis infrà tempus eligendi adhuc existentibus & potestate eligendi non privatis, cuidam C. sibi grato, habili & idoneo de dicto decanatu providit. Quæritur nunc, an alicui istorum trium ad dictum decanatum jus competat, & cui, an nulli.

In quo dubio omissis superfluis, videtur prima facie dicendum, quòd dicto A.
3 jus competat, ex quo † electus est à majore parte capituli. *cap. de his, quæ fin. à ma. par. cap. junctis nota. per gloss. magistralem in c. cùm omnes, de constit.* Ex adverso autem videtur, quòd nulli prædictorum trium jus competit ad dictum decanatum. Non dicto B. quia electus est à minore parte capituli: ad hoc autem ut electio valeat, inter aliqua requiritur, quòd fiat nedum à majori, sed etiam à saniori parte capituli, *præalleg. cap. 1. & dicto cap. quia propter, & cap. ecclesia 2. eodem tit. cum similibus, & utrobique not. per Panorm. & Docto.* Non etiam dicto A. quia licet ipse electus sit à majori, & supposito sine præjudicio etiam à saniori parte capituli, tamen quia nulla formarũ, de quibus *in dicto cap. quia propter*, est servata in ipsius electione: electio sua est nulla, ut ibi dicit text. & clarius *in cap. si cui, eodem tit. lib. 6.* Quòd autem nulla dictarum formarũ sit servata in electio-
4 ne sua, deducitur per locum † à sufficienti partium enumeratione, qui est validus in jure. *l. patre furioso. ff. de his, qui sunt sui vel alie. juris, & notat Baldus in l. conventiculum. C. de episcop. & cler.* Non enim servata est forma compromissi, cùm nulli per capitulum facultas eligendi sit tributa, nec forma inspirationis, vel quasi, cùm illa fiat ab omnibus concorditer nemine discrepante: hæc autem fuit facta in magna discordia, ut ponitur in themate. Non fuit etiam servata forma scruti-
5 nij, † quia ad formam scrutinij inter alia requiritur, quòd deputentur per capitulum certi scrutatores, qui vota singulorũ scrutentur singulatim & secretò, quod hic factum non fuit: unde ad propositum nostrum dicit *Hostiens. & sequitur Io. And. & Doct. in dicto c. quia propter*, quòd non servatur forma dict. cap. si vota scrutentur in communi, dato quòd omnes consentiant

ſentiant ſigillatim. In præfata autem electione, ut ex decreto electionis clariſſimè patet, fuerunt vota per cantorem eccleſiæ exquiſita in cõmuni, & ſic in duobus fuit peccatum: Primò, quia non fuerunt aſſumpti ſcrutatores. Secundò, quia vota ſingulorum non fuerunt exquiſita ſecretò, ſed in communi, licet ſigillatim: relinquitur ergo, quòd dicta electio fuit & eſt nulla. Et licet prima facie iſte circuitus videatur inutilis, cùm ſicut capitulantes poſſent convenire de ſcrutatoribus, ita poſſent ab initio convenire de prælato: Id tamen canon optima ratione ſtatuit, neq; eſt hæc proviſio inutilis propter tria, ut dicit *Innoc. pater juris in dicto cap. quia propter, ſuper verbo, aſſumantur*: Primò, quia multi difficilius convenirent in prælatum, quàm in ſcrutatores: Secundò, quia aliqui timidi malum fortaſſis nominarent in publico, & tamen bonum nominarent in privato: Tertiò, quia per hanc proviſionem removetur appellatio, quam quidam ante dictam conſtitutionem, *quia propter*, faciebant: ne poſt nominationem vel electionem ſuam aliquis eligeretur, ut factum fuit *in cap. conſideravimus, eodem titu.* Relinquitur ergo, quòd dicta electio eſt nulla, & ſic nullum jus tribuit electo: imò quod fortius eſt, ſi capitulum alicui daret facultatem eligendi ſub hac forma, ut ipſe votis ſingulorum de capitulo etiam ſecretò & ſigillatim exquiſitis & in ſcriptis redactis, illum eligat in quem plures de capitulo comparatione partium minorum conſenſerint, & ipſo facto hujuſmodi ſcrutinio ſecretò & ſigillatim & in ſcriptis redacto, illum eligat in quem plures de capitulo quàm in quemquam alium conſenſerunt, talis electio non valet, neque robur obtinet firmitatis, niſi tot in illum conſenſerint, quot faciunt majorem & saniorem partem capituli: licet prima facie talis nominatus à majori parte comparatione aliorum, ex quo omnibus placuit quòd ipſe eligeretur, videatur nominatus ab omnibus. Nam ex qua jura ad tollendum impedimenta, quæ propter diverſitatem formarum obvenire cõſueverunt, ex quibus litigia oriuntur, quæ ſunt reſecanda, & protelatur proviſio quæ eſt maturanda: Si non ſervantur formæ, non tenet electio: iſte eſt text. notabilis cum ſua
6 ſingulari gloſ. *in dicto cap. ſi cui.* forma † eſt enim, quæ dat eſſe rei, *l. Iulianus. §. ſed & ſi quis. ff. ad exhibend. cum ſimili*, qua non ſervata, corruit actus. *l. cùm hi. § ſi pretor, cum ibi notatis per Doct. ff. de tranſ-*
7 *act. cum ſimilib.* Nec poteſt † privatus renunciare ſolennitati formali, cùm ſolennitates formales introducantur in favorem publicum: probantur hæc *in cap fin. de re judic. lib. 6. & in l. antique, C. ad Velleia. & in d. cap. quia propter. & eſt gl. ordinaria ſingularis in l. ambiguitatis. C. de teſt.*
8 & hinc eſt, quòd juris † ignorantia in omiſſione ſolennitatis vel formæ, non excuſat ruſticum vel mulierem: ita ſingulariter dicit *Bald. & poſt eum alij Doct. in l. juris ignorantia. C. qui admitti ad bonorum poſſeſſ. poſſ.* Nec obſtat, ſi ex parte dicti A. dicatur, non eſſe neceſſarium ſervari formam *d. c. quia propter*, in electione Decani, cum *d. cap. propter, & dict. cap. ne pro defectu*, loquantur in eccleſiis cathedralibus vacantibus per mortem Epiſcopi, & regularibus vacantibus per mortem principalis prælati: ut videtur patere ex verbo, viduitatis, ibidem poſito, cùm ec-
9 cleſiæ † propriè dicantur viduatæ per mortem prælati, qui dum vixit fuit ſponſus eccleſiæ: Decanus autem non propriè dicitur ſponſus eccleſiæ ſuæ, nec etiam eccleſia collegiata dicitur viduata paſtore per mortem Decani, cùm ſuperſit Epiſcopus ſponſus eccleſiarũ ſuæ diœceſis: Nam ad hoc reſpondeo & dico, ubi dicit *gloſſ. ordin. in d. cap. quia propter*, & poſt eam *Innoc. Compoſt. Ioan. Andr. Panormit. &*

Doct.

Doct. quod *d. cap. quia propter*, nedum habet locum in ecclesiis cathedralibus & regularibus vacantibus, sed etiam in prælatis aliarum ecclesiarum collegiatarum, generalem jurisdictionem habentium: quemadmodum in casu pręsenti Decanus, de cujus electione nunc agitur, generalem & omnimodam jurisdictionem habere dicitur, cùm capitulum & omnia membra ejusdem à jurisdictione ordinaria sit exemptum seu exempta, ut ex tenore fundationis latius apparet: & idem apertè vult *Rota in terminis nostris decisione* 457. *in novis. incipiente, ex hoc, circa finem*, ubi
10 concludit, quòd † in prælato inferiore Episcopo vel Abbate, habente duntaxat unam curam, videlicet populi vel cleri, dummodo pręsit & sit ibi per modum capitis, servanda est forma dicti cap. quia propter: quia tunc pastor est & censeri debet, ut ibi latius: Relinquitur ergo, quòd electio dicti A. ob non observatam formam *d. cap. quia propter*, est nulla. Non competit etiam dicto C. jus, quia dictus decanatus, ut præmittitur, est electivus, ipse verò C. non fuit per capitulum ele-
11 ctus: nec potest sibi suffragari collatio † seu provisio principis, tum quia illa non est facta ad electionem, nominationem, seu præsentationem dicti Capituli, quod requiritur, ut ex fundatione patet, & per consequens illa est nulla, cassa & irrita: ut est text. notabilis & apertus *in cap. decernimus*, 16. *quæst.* 7. ubi dicitur, quòd collatio facta per Episcopum sine præsentatione patroni est irrita. Sic ergo ibi est casus, æquiparando principem in casu præsenti Episcopo, ad quem de jure communi spectat confirmatio electionis, vel institutio præsentati per patronum, *cap. cum ex injuncto, de hær.* & *tot. tit. de jure patro.* ad idem facit *cap. ex insinuatione,*
12 *de jure patro.* ubi habetur, † quod instituti sine patroni pręsentatione dicuntur detentores, & occupatores, & mandantur privari, & compelluntur beneficia sic acquisita relaxare: & ita ibi tenent Hostiens. Ioan. And. Panorm. & Doctor. & idem Panorm. *in c. illud. eod. tit* idem etiam apertè tenet Ioan. And. *in c.* 2. *de offic vic. lib.* 6. *in novella*, ubi dicit, quòd per talem collationē nullum jus transfertur in provisum, idem etiam apertissimè voluit Fe-
dericus de Senis *in tractatu suo permuta-*
13 *tionis*, ubi notabiliter dixit, quòd licet † permutatio beneficiorum facta per Episcopum, non vocatis his, qui habent præsentationem vel electionem, valeat: licet veniat retractanda, contemptis postmodum contradicentibus, & contemptum suum prosequentibus: collatio tamen facta patrono contempto, est ipso jure nulla, secundum eum, *per d. cap. decernimus*:
14 & assignat rationem diversitatis, quia † permutandi autoritas principaliter pertinet ad Episcopum, ut in c. quæsitum, de rer. permut. sed collatio non sic: & illam decisionem Feder. refert & sequitur *Rota decisione* 307. *in novis, quę incipit, permutatio.* pro isto etiam est text. *in cap. cum Bertholdus, de re judica.* ubi confirmatur seu instituitur præsentatus secundo loco per verum patronum, nulla facta prius cessatione de institutione jam facta per Episcopum ad pręsentationem cujusdam, qui non erat verus patronus nec in possessione præsentandi: patet ergo ibi, quòd collatio facta per Episcopum non præcedente præsentatione veri patroni est nulla ipso jure, & hoc sentit ibi Innoc. *in gloss. sua in verbo, memorato, in versic. vel potes*
15 *dicere*, pro isto etiam facit ratio quia † ubicunque aliquid explicandum est cum aliquorum pręsentia seu consensu vel consilio, non valet, si expeditur illis absentibus & irrequisitis, *c. cum in veteri, de elect.* & *cap. cum olim, de arbit. l.* 1. §. *si plures,* & *ibi per Bart. ff. de exercito. cap. novit. de his, quæ fiunt à pręla. sine consens. Cap.* & *cap. causam matrimonij, de offic. delegat.*

Modò

Modò sic est, quòd Ecclesia patronata non est per Episcopum ordinanda, nisi consentiente patrono, quinimò patronus debet esse author & causa movens: Episcopus verò habet instituere illum, quem patronus designaverit & petierit, ut *in d. cap. illud, in fine. & in aliis juribus suprà allegatis*: ergo collatio facta per Episcopum patrono neglecto, debet esse nulla, & ita post multa concludit dominus Panormit. *in disputatione sua quę incipit, Augerio*: & per consequens cùm dicti capitulares successerint in jus quondam Ioannis Tonsar, dum vixit veri patroni, ad quem jus præsentandi & nominandi Decanum spectabat, ut ex tenore fundationis etiam liquet: sequitur quod provisio per principem facta de dicta C. est nulla, & quòd nullum jus tribuit: Tum etiam ex alio, quia dicta provisio facta est dictis capitularibus potestate eligendi non privatis, qui cùm existunt adhuc infrà trimestre, & sic infra tempus datum ad eligẽdum, possent adhuc de novo antequam priventur eligere & valeret electio, secundum Panorm. *in dict. c. ne pro defectu, & notat per Innocent. Compost. Ioan. Calderi. Panormit. & alios in dicto cap. quia propter.* Præterea
16 collatio † prębendarum vel decanatus est quid merè spirituale, nec cadit in laicum de mero jure, etiam si tanto tempore laicus illud jus sibi usurpaverit, quod de contrario non sit hominum memoria: ut est nota singularis Ioan. Mona. quam refert & sequitur ibidem Ioan. Andr. & post eum Domi. & alij *in cap. 2. de præbend. lib. 6.* quam theoricam commemorat, & multum commendat dom. Panorm. *in c.*
17 *causam, de pręscript.* Cùm ergo pro † non dato habeatur, quod ab illo datur, qui jus dandi non habet, *cap. quod autem, de jure patro. & c. Daibertum 1. quæst. 7.* sequitur quod dicto C. ex præfata collatione jus non competit. Ex adverso autem videtur dicto C. ex prætacta collatione jus competere, attenta notoria nullitate dictarum electionum, qua nullitate præ-
18 supposita, non † debet præstare impedimentum, quod de jure sortitur effectum, *regula non præstat, de reg. jur. lib. 6. cum vulgaribus.* Maximè cùm constet de potestate conferendi principi competenti, tum ex reservatione facta tempore translationis juris eligendi, præsentandi, seu nominandi in dictum capitulum, de qua
19 liquet per fundationem, quæ † reservatio si laudata & approbata fuerit per ordinarium vel summum Pontificem, ex ea jus merè spirituale laico competere potest: quemadmodum videmus pristinis temporibus jus eligendi summum Pontificem, & disponendi Apostolicam sedem per Adrianum Papam in Carolum regem Franciæ, & deposit per Leonem Papam in Ottonem primum fuisse translatum: ut est text. *in c. Adrianus, & in c. in synodo, 63. distinct.* & cessante hujusmodi concessione & approbatione, ubi tale jus spirituale à principibus sine scandalo auferri non posset, melius est eis dimitti, præcipuè in ecclesiis, quas ipsi vel ipsorum primogenitores fundarunt & dotarunt: ut dicit Io. Mon. & post eum Ioan. Andr. Domi. & alij *in d. c. 2. de prębend. lib. 6.* tum etiam, quia ad dictum Principẽ tanquam ad proximum & immediatum superiorem hoc casu devoluta videtur potestas providendi dictis Capitularib. nulliter eligentibus: pro hoc, *c. quanquã vir bonus, text. de elect. lib. 6.* Præmissis pro apertione materiæ in medium deductis non obstantibus, credo, nulli dictorũ trium jus efficax in dicto decanatu cõpetere Quod ultrà prius allegata deduco alio medio sic. Nam aut dictis capitularibus competit electio propriè dicta, & Principi patrono confirmatio vel verius approbatio personæ electæ: Aut vero dictis capitularibus competit sola nominatio aut præsentatio,
20 † quæ dicitur electio, generaliter sumpto

vocabulo, ut est text. *in cap. postulasti, de jur. patr.* ubi electio ponitur pro præsentatione, *& no. in c. fin. de elect. lib.6.* & quodcunque horum dicatur, nulli horum trium jus efficax competere potest. Si enim dictis capitularibus duntaxat competit nominatio vel præsentatio, quod videtur ex tenore fundationis, ex quo in ea dicitur, quod ad Principem spectat collatio. Certum autem est de jure, quod non expectatur collatio, ubi præcessit electio canonica. Secundò id idem videtur ex tenore fundationis, ubi hæc tria, electio, nominatio, seu præsentatio dictis capitularibus per ordinem attribuuntur: fateri ergo
21 oportet, † illa posteriora duo, utputa nominatio & præsentatio, superfluè esse posita, & nihil operari, vel quod posteriora declarent precedentia: quod in dubio potiùs dicendum est. *l. sed & posteriores, ff. de legi. & l. si servus plurium. §. fin. ff. de legat. 1. cum similib.* Et hoc supposito pro vero, sequitur, quod neque dicto A. neque
22 dicto B. ex hujusmodi nominatione vel presentatione jus in re competit: cùm per † præsentationem vel nominationem non tribuatur jus in re, sed duntaxat jus ad rem, *cap. dilectus, de offic. leg. cum vulgar.* Competit tamen dicto A. tanquam præsentato per majorem partem habentium præsentare, pro eo quòd præsentatio sua admissa non fuit, actio contra Principem, eam admittere malitiosè recusantē, juxta *c. quoniam, & c. pastoralis, de jure patron.* Neque etiam dicto C. tunc jus competere potest ex præsentatione: quia nulla quoad eum intervenit præsentatio, neque etiam ex collatione Principis patroni, quia ut præmittitur illa fieri debet præcedente præsentatione vel nominatione, ac ad præsentationem vel nominationem dictorum capitulantium. Si ergo comparemus Principem in hoc casu habenti instituere præsentatum vel nominatum per alium, sequitur quod collatio sua illis spretis & contemptis & adhuc infra tempus præsentandi vel nominandi existentibus, est nulla & irrita, per *præalleg. c. decernimus.* Nam in jure ordinario non potuit, ut suprà latè deduxi: Neque jure devoluto, ex quo in veritate patronus nondum erat privatus. Nam collatio facta jure devoluto præsupponit patronum negligentem & privatum. Cùm ergo res in veritate ita se non habeat, corruit actus, *c. ex parte Hastens. de conces. præben.* ubi patet, quòd
23 collatio † facta eo jure quo fieri non potest, non tenet: licet alio jure fieri potuisset: & faciunt *not. per Bart. in l. si is ad quem. ff. de acquir. hered.* Si verò dicamus dictis capitularibus competere electionē propriè dictam, quod videtur, ut fundatio juri communi non obviet, & ad terminos juris communis reducatur, quo disponitur quod vacante Ecclesia collegiata, providendum est ei per electionem, ut est text. *in c. 1. & per totum de elect.* & tunc multò minus dictis A. & B. jus competere potest: cùm tunc forma d. c. quia propter, omnino esset servanda, juxta prius dicta: quæ tamen servata non fuit in electione dictorum A. & B. & per consequens ambæ electiones censendæ sunt nullæ. Neq; etiam dicto C. tunc jus competere potest, cùm non sit ab illis ad quos electio spectat electus: neque sibi suffragatur provisio facta per Principem, cùm facta sit aliis infra tempus eligendi existentibus, & eligendi potestate non privatis, ut suprà dixi: & quòd ita debet fieri interpre-
24 tatio, adduco textum valdè notabilem, † ubi de isto est casus *in c. cùm dilectus, in versic. ceterùm, de consuetud.* ubi dictio, electio, posita in statuto, ut statutum reducatur ad jus commune, exponitur pro confirmatione: & hoc modo omnia concordantur: ut dicamus ad dictos capitulares spectare electionem, per quam jus tribuitur in re, & ad Principem spectare collationem, id est, approbationem personæ

ſonæ electæ ſi grata fuerit: quæ approbatio ſeu admiſſio benè cadit in laicum regem, vel principem, ut eſt text. ad literam *in c. cum terra, in fi. de elect.* maximè
25 †cùm interſit Principis, aliquem non promoveri ad talem dignitatem in Principatu ſuo, niſi idem ſit ſibi gratus, adeò & in tantum, quòd ſibi cõtra electum non gratum competit exceptio, per quem eundem repellere poteſt: ut ſingulariter dicit Innoc. *in c. ſuper his, de accuſ.* refert & ſequitur Panor. *in d. c. 1. & in d. c. cum terra.* Pro iſta interpretatione etiam eſt tex. nota. *in l. 2. cum ibi no per Bald. & Doct. C. de noxa. actio.* Et quia per præmiſſam interpretationem fundatio reducitur ad terminos juris communis, & minus læditur jus commune, quàm ſi diceremus, ſolam nominationem vel præſentationem ad dictos capitulares, & inſtitutionem ad Principem ſpectare: quia tunc in duobus violaretur jus commune: primò in hoc, quod eccleſiæ collegiatæ non provideretur per electionem: ſecundò in hoc, quod conſtitutio & totalis ordinatio dictæ Eccleſiæ, & ſic jus merè ſpirituale uſurparetur per laicum incapacem illius juris. Idcirco videtur mihi hæc ultima interpretatio potiùs amplectenda, ſecundumquam nulli dictorum trium jus competit, ut prædixi. Nec huic conſiderationi obſtat tenor dictæ fundationis, in qua inter alia dicitur, quòd bonæ memoriæ Ioannes Tonſar, à quo antefatus princeps cauſam habet, & in cujus locũ dictum capitulum per hujuſmodi tranſlationem videtur ſucceſſiſſe, duntaxat habuit jus præſentandi
26 & nominandi: Cum ergo † ſurrogatum ſapit naturam ejus, in cujus locum ſurrogatur, *Clem. unic. de ſupp. negl. præl. & l. ſi cum. § qui injuriarum. ff. ſi quis caut.* præcipuè quoad ſuam primordialem naturam, ut dicit gloſ. ſingularis, & Doctor. *in l. certi conditio, circa princ. ff. ſi certum pet.* ergo & dictum capitulum cenſebitur duntaxat habere jus nominandi & præſentandi. Quia dico, quòd hoc non obſtat, ex quo jam alteratũ eſt negocium in duobus. Primò, quia tranſlatum eſt jus nominãdi & preſentandi à principe in capitulũ, & nedum jus nominandi & præſentandi, ſed etiam jus eligendi: verbum enim illud eligendi, poſitum in tranſlatione, quod non reperitur in aliqua parte fundationis, & hic ſæpè repetitur, aliquid debet operari, *l. ſi quando. ff de legat. 1. & c. ſi Papa, de*
27 *privil. lib 6.* quæ † repetitio & geminatio multum eſt ponderanda, *l. baliſta. ff. ad Trebell.* Tum etiam ex alio, quia ut dixi, hæc interpretatio conſonat juri communi. Et ex alio, nam ex quo jus eligendi, nominandi, & præſentandi, pervenit ad Eccleſiam, debet aſſumere naturam aliorum jurium Eccleſiæ: ita quòd hoc caſu ſurrogatum nedum non ſapit naturam ejus, in cujus locum ſurrogatur, ſed ex toto alteratur: ut eſt text. notabilis, & ibi Panormit. *in cap. dilectus 3. de præb. & tex. pulcher in cap. unico, de jure patron. lib. 6.* Vt tamen dictus C. in præfato Decanatu jus acquirat, conſulo, ut ipſe effluxo tri-
28 meſtri, † quod eſt tempus hoc caſu præfixum à jure ad eligendum, ut dicit Panor. *in dicto cap.* ne pro defectu, vel effluxo ſemeſtri ad tollẽdum omne dubium, de quo plenè in dicta deciſione Rotæ, ſtudeat in continenti obtinere proviſionem à proximo ſuperiore: ad illum enim devolvitur hæc poteſtas providendi. ut eſt caſus *in dicto cap. quanquam*, nec requiritur ſententia, ſed ipſo jure devolvitur lapſo tempore, dict. cap. ne pro defectu, quòd licet loquatur in caſu, quando habentes eligere non eligunt infra tempus, habet tamen locum in eligẽtibus, ſed nulliter, cum actus
29 † penitus nullus, qui nullum effectum juris ſortitur, habeatur pro non facto ex diſpoſitione juris, ut magiſtraliter declarat Prepoſitus & Doctores *in cap. ad audientiam, de ſponſa. & Panormitanus in c. au-*

30 *dictis de elect.* licet enim † facta pro infectis haberi non possint, sic quod non sint facta, *l in bello.* §. *factę. ff. de capt.* & *c. si Paulus, 32. quæst. 5.* Tamen quoad effectum juris facta benè habentur pro infectis & non factis, ut est gloss. *in Clement. unica, super verbo ipso jure, de hęreticis*, & *in Clement. unica, super verbo pro infectis, de immunita. ecclesi.* Nec est facienda vis, an ad ordinarium spectet confirmatio dictæ electionis, vel ad Principem, aut alium jure speciali: quia ad
31 quem spectat † confirmatio dictæ electionis, ad illum isto casu spectat provisio, & ab illo petenda est hæc provisio, juxta Theoricam gloss. singularis *in d. Clement. unica, circa princ. de supplend. negli. prelat.* quam refert & commendat Panormitanus *in c. 2. de concess. præbend.* & si de hoc sit dubium facti, consulo, quòd capiatur provisio ab utroque, cùm id possit licitè fieri per reum & possessorem: nec ex impetratione secundæ provisionis inducitur renunciatio primæ, ut est text. notabilis *in cap. post electionem*, & *ibi id notat Panormitanus in tertio not. de concess. pręben.* ad quem brevitatis gratia recurratur.

CONSILIUM XL.

SUMMARIA.

1 *Verba privilegiorum strictè capi debent.*

2 *Papa non præsumitur voluisse aliquid agere in præjudicium tertij.*

3 *Familiarium appellatione qui veniant.*

4 *Fœminæ gaudent privilegiis maritorum.*

VIsis scriptis, tàm pro parte Dominorum Decani & Capituli capellę Hagensis agentium ex una, quàm D. Ioannis de Dordraco curati parochialis Ecclesiæ ejusdem loci, rei ex altera partibus, coram dominis arbitris, arbitratoribus seu amicabilibus compositoribus per partes hujusmodi concorditer assumptis hinc inde exhibitis. Præsupposito privilegio dictæ capellæ, ut asseritur indulto, & validitate ejusdem, de quibus tamen mihi non est facta fides præsupposita etiam qualificatione dominorum arbitrorum, in hac causa funeralium & oblationum merè spirituali, præsupposita etiam oblatione dicti domini curati satis ampla, videtur mihi subscripto, quòd domini arbitri in pronunciando attendere debent, qui veniant appellatione familiarium ducis & ducissæ strictè sumpto vocabulo,
1 debent † enim verba dicti privilegij capi strictè, ex quo jure tertij puta curati dictæ Ecclesiæ per illud derogatur, *argum. l. 3. §. hæc verba. ff. de neg. gest.* & *c. quia circa, cum ibi notat. per Panormit.* & *Doct. de privileg.* & *per gloss. Hostien. Io. And. Panorm.* & *Doct. in c. cum capella Ducis Burgundiæ, eod. tit.* maximè cum si verba hujusmodi privilegij largè sumerentur, ut dicti domini Decanus & Capitulum prætendunt, absorberetur penitus jus
2 dicti curati, † quòd Papa voluisse non præsumitur, *l. 2. § si quis à principe,* & *§. meritò. ff. ne quid in loco publ.* neq; etiam ejus commissarius Episcopus Trajectensis, attenta modicitate recompensæ, attentisque verbis in literis super dicta prætensa recompensa editis, illis videlicet, præcipuè quod prædicti dux & ducissa plura habēt domicilia, & se à dicto loco de Haga frequenter absentant, &c. quæ inducunt causam finalem ejusdem, *l fin.* & *ibi Bald.* & *Doctores. ff. de hæredit. instit.* & sic tenderet ad noxam, quare esset revocandum, *c. suggestum, de decim.* Appellatione
2 autem familiarium, † strictè sumpto vocabulo, prout sumi debet in privilegiis, & alijs

aliis similibus casibus, meo judicio veniunt, duntaxat domestici commensales, *c. fina. ff. de verborum signif. lib. 6.* & ibi hoc expressè vult Ioan. And *in novella, in princip. 3 col. in versic. veritas autem est,* quem ibi sequuntur Dominus, Philippus Francus, & alij, dicentes, quod licet secũdum diversitatem casuum hoc nomen familia diversimodè sumatur, ut patet in juribus per eos latè illic commemoratis: Tamen in casu *dict. cap fina.* ubi agebatur de significatione verborum privilegij, & in similibus sumi debet hoc nomen familia, prout *in d. c fin.* declaratur. Sed *in d. c. fin.* declaratur, quòd appellatione suorum clericorum in verbis privilegij positorum veniunt duntaxat clerici familiares domestici commensales, ergo fortius in casu præsenti appellatione familiarium duntaxat venire debent personæ liberæ ad servitium honestum Ducis vel Ducissæ deputatæ domesticæ commensales. Ad uxores autem prædictarum personarum domesticarum commensalium similiter præfatum privilegium extendendum esse
4 dico, cùm fœminæ † gaudeant privilegiis maritorum, *l. fœminę. ff. de senat, & l. quotiens. C. de privil. schola. lib 12. cum utrobique no.* ulterius autem idem privilegium extendendum non credo: judicio cujuslibet melius sentientis semper salvo.

CONSILIUM XLI.

SUMMARIA.

1 *Libellus quid continere debeat.*

2 *Plures rei debendi qualiter teneantur.*

3 *Frustra quis petit quod intus habet.*

4 *Confessio rei verè erronea & quæ notoriè ex actis constat, non præjudicat.*

5 *Acta, maximè post conclusionem in causa, faciunt notorium.*

6 *Confessio procuratoris non habentis speciale mandatum ad id confitendum, principali non præjudicat.*

Visis actis & actitatis causæ pendentis indecisæ per & inter magistrum Petrum de Middelburch, agentem ex una, & Adrianum de Hont ex altera: videtur mihi subscripto, quòd præfatus reus, actis ejusdem causæ attentis, ab impetitione actoris venit & est omni jure absolvendus, & ipse actor in expensis litis condemnandus, juribus & rationibus infrà scriptis. Primò, quia intentio actoris ex suo libello, etiam si omnia contenta in eodem essent vera, non esset fundata: nec posset conclusio ipsius actoris ex illis præmissis inferri, ut patet inspicienti libellum, folio 10 cum sequente copiatum. Nam in ipso libello solùm narratur, quòd ipse reus cum domicella Iacomina promisit dimittere, cedere, & liberè habere, bona ad uxorem actoris per mortem sui patris devoluta, & ulterius in conclusione hoc petitur unà cum arreragiis cessis, &c. & non ar-
1 ticulatur, † quod ipse reus unquam impedivit ipsum actorem, quò minus illa bona habere possit, quod tamen esset necessarium ad hoc, ut reus posset condemnari, *l. stipulatio ista habere licere. cum cum sua materia. ff. de verborum obligat.* Secundò deducitur idem, quia ipse actor concludit contra reum, puta Adrianum & Iacominam, tàm conjunctim quàm divisim, quod non est possibile ex pręmis-
2 sis inferre, cùm in illis non articuletur, † quod ipse Adrianus & Iacomina hoc promiserunt tanquàm plures rei debendi,

& unusquisque in solidum: quod tamen esset necessarium ad hoc, ut in solidum daretur actio contra unum eorum, *auth. hoc ita, cum sua materia, C. de duobus reis cum similib.* quare sequitur, libellum in ea qua jacet forma non concludere. Tertiò, supposito quod libellus concluderet prout non, deducitur adhuc quòd reus venit absolvendus ab impetitione actoris: & hoc sic, quia ut constat ex conventionibus antenuptialibus, folio 49. copiatis, ipse reus solùm præsens interfuit promissioni factæ per ipsam Iacominam, & auctoritatem eidem præstitit, ut mamburnus ipsius Iacominæ: quare proprio nomine nihil promisit, nec aliàs quàm ut mamburnus obligari potest: quare etiam ex ipsis conventionibus non potest ipse proprio nomine conveniri neque excuti, Et ergo libellus contra eundem sub suo nomine proprio non concludit: neque etiam curatorio seu mamburnio nomine conveniri potest, quia ex actis constat, ipsam Iacominam ab hac luce decessisse, sicque omnem curam & administrationem ipsius Adriani quoad ejus personam expirasse & finitam esse, quare etiam eo nomine conveniri aut condemnari non potest, *l. curatores. ff. de administrat. re. ad civil. pertinen.* ubi utrunque horum probatur, ergo, &c. Præterea deducitur idem, etiam supposito, quòd præmissa cessarent, prout non, & hoc sic: quia uti ex conventionibus antetactis constat, ipse Adrianus & Iacomina in ipsis conventionibus antetactis jam cesserunt, delegarunt, & assignarunt ipsi actori petita, quare de novo ad id compelli non potuerunt, ut
3 de se patet: frustra † enim quis petit, quod intus habet, *l. si legatum, secundum unam lecturam. ff. de eden.* unde debuisset ipse actor, si triumphare voluisset, deduxisse, impedimentum in aliquo præmissorum per reum præstitum fuisse, quod tamen minimè fecit. Nec obstat, si contra præmissa objiciatur, quod licet ex ipso instrumento conventionum non constet, Adrianum reum aliquid proprio nomine promisisse, quinimo ex illo constet, promissionem factam per Iacominam de cessione & dimissione, &c. juxta suprà dicta: tamen ex confessione rei ad libellum illud constat, ut patet inspicienti eandem. Quia respondetur primo, quòd
4 illa confessio † verè est erronea, & extra tenorem conventionum antenuptialium ac petitorum, per actorem per errorem advocati facta: quare non præjudicat, cùm ille error ex actis notoriè constet, & præcipué ex antetacto instrumento conventioum antenuptialium, per ipsummet actorem in vim probationis exhibito, & sic alia revocatione opus non fuit.
5 Acta † enim maxime post conclusionem in causa, faciunt notorium, *c. cum olim. de verborum signif. & ibi Panormitanus & Doctor.* notoria verò probatione non indigent, *c. evidentia, de accus. cum similib.* Supervacuis enim laborat impendiis, qui solem facibus certat adjuvare, *c. si omnia 6. quæstio 1.* & maxime hoc proce-
6 dit, ex quo dicta † confessio facta fuit per procuratorem non habentem speciale mandatum ad sic confitendum, sed duntaxat generale: quo casu non præjudicat confessio, quando probari potest, vel constat rem aliter se habere: ut notabiliter dicit Ioan. de Imola, *in c. fin. in 3. col. in versic. an autem confessio procuratoris de confess.* prout in casu præsenti liquidissime constat, ut dictum est. Secundo respondetur, supposita veritate confessionis, quod adhuc nõ obstat, cùm ex actis & præcipuè ex prætacto instrumento conventionis hujusmodi, constat esse satisfactum, & sic de reali satisfactione promissionis, si quæ facta fuisset. Ex quibus patet, partes judicis in hac causa esse in absolvendo reum ab impetitione actoris, judicio cujuslibet melius sentientis semper salvo.

CON-

CONSILIUM XLII.

SVMMARIA.

1 *Clericus non conjugatus, quanam habeat privilegia.*

2 *Privilegia Ecclesiæ quæ sint.*

3 *Bona ecclesiæ vel clericorum immunia sunt ab exactionibus laicorum.*

4 *Clerici de bonis præbendarum suarum quæ vendunt, non tenentur solvere gabellam.*

5 *Bona etiam patrimonialia clericorum ab omnibus oneribus libera sunt.*

6 *Clerici vel eorum possessiones, etiamsi communis utilitas vel necessitas immineat, gravari nequeunt.*

7 *Statutum vel consuetudo contra libertatem ecclesiæ non valet, & num. 50.*

8 *Facultatibus laicorum deficientibus & Romano Pontifice consulto clerici & illorum bona ad collectam tenentur.*

9 *Verba narrativè posita non multum ponderantur, nisi super illis fundata sit intentio.*

10 *Bona clericorum quare sint immunia ab oneribus.*

11 *Spiritualia sine temporalibus diu subsistere non possunt.*

12 *Statutum laicorum specificè disponens super bonis patrimonialibus clericorum, non valet, ex defectu potestatis, & nu. 56.*

13 *Bona non habentia onus annexum sequuntur personam tanquam accessoria, & ideò gaudent privilegio personæ.*

14 *Ecclesia non tenetur ad constructionem vel refectionem murorum civitatis.*

15 *Ecclesia non tenetur ad munus extraordinarium & superindictum.*

16 *Hominum genera duo sunt, &c.*

17 *Clericis licitum non est immiscere se rebus secularibus.*

18 *Arma clericorum sunt orationes & lacrymæ.*

19 *Bellum propter peccata Deus inducit super homines.*

20 *Offensio clericorum ad Deum pertinet.*

21 *Onera personarum ecclesiasticarum quæ sint, &c.*

22 *Quod omnes tangit, ab omnibus adprobari debet.*

23 *Obligatio bonorum non inducitur nisi in casibus expressis in jure.*

24 *Gabella, tallia & collecta personæ imponitur ratione rerum, & non rebus. Vnde forensi imponi nequit.*

25 *Clerici non sunt, neque unquam fuerunt subjecti laicis, quo ad jurisdictionem, sed sunt exempti etiam de jure divino.*

26 *Bona Clericorum tanquam accessoria libera quoque sunt.*

27 *Iudex bonorum is est, qui est judex personæ.*

28 *Personæ conditione mutata, statum*

rei quoque immutari convenit: etiam quò ad forum.

29 Religiosa sunt, quæ religiosis adhærent.

30 Cavere debent laici ne clericos talliando iram Dei contra se provocent.

31 Consuetudo disponens quod clericus in actione reali conveniatur coram Iudice laico, non valet.

42 Ecclesia & clerici quò ad tributum aliaq; onera realia, quibus obligatæ fuerunt possessiones, antequam ad ecclesiam vel ministros ejus venerunt, omninò tenentur.

33 Bona ab omni tributo libera esse, quænam debeant.

34 Ecclesia & clerici ratione bonorum feudalium tenentur ad collectam, &c.

35 Cautela afficiendi bona in præjudicium libertatis ecclesiasticæ.

36 Vbi est casus legis, ibi nulla debet esse dubitatio.

37 Laici quando propter exactionem collectarum incurrant sententiam excommunicationis.

38 Exigere est ab invito extorquere.

39 Successores exigentium gabellas à clericis tenentur ad restitutionẽ.

40 Ad constructionem murorum clerici quando teneantur.

41 Refectio pontium & viarum concernit pietatem.

42 Lex varios habens intellectus ad decisionem causarum allegari nequit.

43 Tempore necessitatis maximæ clerici personaliter vigilare, vel alios suis sumptib. substituere tenẽtur.

44 Collectam authoritate episcopi impositam, quando clerici exoluere cogantur.

45 Consuetudo excedens memoriam hominum, vim habet privilegij.

46 Ecclesia & ecclesiasticæ personæ exemptæ non sunt à muneribus ordinarijs, & n. 56.

47 Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi non alteri imputare debet.

48 Onus recusare nõ debet, qui commodũ sentit & amplectitur.

50 Consuetudo contra legem introducta inpræscriptibilis est.

51 Multa per patientiam tolerantur, quæ si in judicium deducta forent, non tolerarentur.

52 Vniversalis consuetudo an liget clericos.

53 Consuetudo, ut clerici annuatim pro illis quæ respiciunt communem utilitatem & pietatem aliquid dent, an valeat.

44 In generali dispositione nunquam comprehenduntur illi, cõtra quos non potest specificè disponi.

55 Libertas accedendi ad molendinum Episcopi non potest impediri per statutum laicorum.

57 Laicus jurisdictionem in clericos, nec ex consuetudine quanticunque temporis acquirere potest.

58 Foren-

58 *Forensi ratione bonorum collecta imponi potest.*
59 *Onera personæ ratione rerum imposita, censentur personalia, non realia.*
60 *Res transit cum suo onere.*
61 *Dato uno inconvenienti, sequuntur plura.*
62 *Immunitatem habens à collectis, non tenetur ad collectam impositam propter guerram supervenientem.*
63 *Clerici in favorabilibus gaudere debent privilegio civium.*
64 *Actus voluntarij eatenus obligant & præjudicium faciunt, quatenus geruntur & non ultra.*
65 *Privilegiatus quando succedit privato, tunc pro futuro tempore utitur jure proprio, & non jure privati. Licet secus sit de tempore præterito.*

VIsis & benè discussis actis & actitatis causæ coram vobis venerabilibus dominis officialibus Remensibus judicibus in ea parte competentibus pendentis indecisæ, de & super immunitate assisiarum vini, cerevisiæ, multuræ, aliorumque onerum, de quibus in actis, per & inter venerabiles dominos Decanum & Capitulum insignis Ecclesiæ collegiatæ sanctæ Gudilæ Bruxellensis Cameracens. diœcesis, totumque clerum eidem Ecclesiæ subjectum agentes, ex una: ac Burgimagistros, scabinos, consules, receptores, aliosque rectores, communitatem sive Rempub. dicti oppidi Bruxellensis repræsentantes reos ex alia, partibus. Videtur mihi subscripto, quòd partes vestræ in judicando esse debent, declarare per vestram sententiam diffinitivam, præfatos dominos agentes fuisse & esse immunes ab oneribus assisiarum vini, cerevisiæ, multuræ, ac aliis his similibus, in actis expressis & specificatis, ipsosque agentes plena libertate quoad præmissa debuisse & debere gaudere, dictosque reos ad restitutionem omnium & singulorum saltem à tempore monitionis seu litis motæ perceptorum & in expensis litis fuisse, & esse condemnãdos, ac per vos condemnari debere: quod sic deducitur. Nam certi & indubitati juris est, quòd ecclesia ecclesiasticæque personæ, bonaque & possessiones eorundem plenissima gaudere debent libertate, ita & taliter, quòd nedum personæ ipsorum clericorum non conjugatorum, verùm etiam bona eorundem regulariter debent esse immunia ab omnibus oneribus & impositionibus per laicos quoscunque vel communitates etiam auctoritate principis secularis impositis seu imponendis, exceptis oneribus merè realibus ordinariis perpetuam & uniformen præstationem habentibus impositis rebus antequam pervenerunt ad ecclesiam vel clericos, ac aliquibus aliis
1 casibus infrà subjiciendis. Habet enim † clericus non conjugatus inter alia privilegia per Cardin. & alios Doct. *in Clem. 1. in 15. quæst. & alijs sequentibus de vita & honestat. cleric.* enumerata, triplex privilegium, quorũ duo sunt privilegia personæ, scilicet illud, de quo habetur *in cap. si quis suadente Diabolo. 17. quæst. 4.* & privilegium fori, de quo habetur *in cap. 2. & in cap. si diligenti, & in cap. significasti de foro comp. & in auth. statuimus, C. de episc. & cler.* Tertium autem est privilegium rerum ab exactionibus laicorum, de quo nunc est quæstio: ita dicit gl. ordin. *in c. unico, super verbo, privilegio cle-*
2 *ricali, de biga lib. 6.* habet etiam ecclesia † plura alia grandia privilegia, à Deo, summis Pontificibus, & Imperatoribus data,

quæ enumerantur per Innocen. Hoſtien. Ioan. And. Henr. Boick, & Doct. *in c. noverit, de ſenten. excommunic.* & per Hoſtien. & Ioan. And. *in cap. cum laicis, de rebus eccleſ. non alien.* & per Card. *in repetitione c. perpendimus, ſe ſentent. excommunic.* quæ quia non multum ſerviunt propoſito, omitto: & de privilegio rerum ſeu bonorum eccleſiæ vel clericorũ principaliter loquar, de quo ſiquidem privi-
3 legio † rerum ab exactionibus laicorum eſt tex. clarus *in c. 1. de immunita. eccleſ. lib. 6. & ibi habetur per Archidi. Io. And. Dominicum, Philip. & Doct.* de iſto etiam eſt text. apertus *in c. fi. de vita & honeſt. cleric. & ibi habetur per Anton. de Butrio, Card. Io. de Imol. Pano. & Doct. in c. unico, de cler. conjuga. lib. 6. & in c. ſimiliter. 16. q. 1. & in l. 1. ibi, nec eorundẽ facultates & ſubſtãtiæ, C. de epiſc. & cler.* per *quam l.* dicit Bald. poſt Petrum, &
4 Cyn. quod clerici † de bonis præbendarum ſuarum quæ vendunt non tenentur ſolvere gabellam, nec ſolvere aliquid ad portam civitatis: quod dictum referre & ſequitur Philippus *in c. quanquam de cẽſ. lib. 6.* & idem vult Card. *in conſ. ſuo 12.*
5 Nec etiam † de bonis ſuis patrimonialibus, ſecundum Paul. de Caſt. & Alber. *in d. l. 2. per illum tex.* De iſto privilegio rerum ſeu bonorum clericis competentium etiam habetur *in auct. item nulla communitas. C. de epiſc. & cler. & in corpore unde ſumitur, & in l. placet, & ibi habetur per Pet. Cyn. Bart. Alberi. Paul. de Caſt. Bal. Salic. & alios Doct. C. de ſacroſan. eccleſ.* & penitus per eundem Salic. quoad bona patrimonialia *in d. l. de his, C. de epiſc. & cler.* de hoc etiam habetur *in d c. quanquam, & ibi per gloſ. & Doct. & in clem. præſenti, eod. tit. & in clem. unica, de immun. eccleſ.* qui ſunt textus generalis concilij Viennenſis, ſub Clemente quinto celebrati: Imò quod fortius eſt,
6 non poſſunt clerici † vel eorum poſſeſſiones gravari per laicos, etiamſi immineat communis utilitas vel neceſſitas, quandiu facultates laicorum ad ſupportandum onera ſufficiunt, quibus etiam deficientibus adhuc non poſſunt clerici cum laicis ratione rerum & poſſeſſionum ad eos ſpectantium contribuere, Romano pontifice inconſulto, cujus conſenſus propter imprudentiam aliquorum clericorum contribuentium ubi contribuendum non eſt, ac ſe & eccleſiam ſervituti ſubjicientium, ex decreto concilij generalis requiritur, ut de iſto eſt text. planus *in c. non minus, & in c. adverſus. de immu. eccl.* qui ſunt reſpectivè tex. conciliorum Lateranen. ſub Alexandro 3. & generalis ſub Innoc. 3. habitorum, univerſalem eccleſiam repræſentantium, ut ex ſupraſcriptione eorundem, & ex chronica, ac ex notatis per gl. Card. & Doct. *in d. clem. unica* patent. quibus concilijs Reges, Principes, & Duces innumeri interfuerunt, & præcipuè illi concilio generali cui interfuerunt Reges Hieruſalem, Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ & Cypri, Oratores Imperij ac alij Græci, nec non mille trecenti epiſcopi, cum Hieroſolymitano & Conſtantinopolitano patriarchis, ut habet chronica: & de illo concilio generali dicunt Hoſt. & Ioan. And. *in d. cap. cum laicis*, quod illud ſervandum eſt
7 ut Euangelium, & quòd † ſtatutum vel conſuetudo contra illud non valet. Excõmunicantur enim laici *in d c. non minus*, clericos vel eccleſias ratione bonorum ſuorum collectantes vel talliantes, niſi moniti deſtiterint. & *in dicto cap. adverſus*, conſtitutio *d. c. non minus* innovatur: & ultra hoc, propter imprudentiam quorundam clericorum ſolventium collectas, ac ſe & eccleſias ſervituti ut præmittitur ſubjicientium, adjicitur: ut in contributione hujuſmodi intervenire debeat Romani Pontificis conſenſus: & ſtatuuntur de novo pœnæ aliæ in rectores

res

res & consules ab ecclesiis vel clericis collectas vel tallias exigentes, & in successores in officio, nisi infra mensem adepti regiminis restitutionem extortorum fieri procuraverint: nec sufficeret, ipsos omnem diligentiam adhibere, nisi effectualiter per eos procuretur restitutio, vel nisi in eventum quod id procurari per eos non possit, dimittant officium secundum Ioan. And. Anton. de Butrio, Petrum de Anch. & Panorm. *in dict. c. adversus:* licet dicant id valde rigorosum. Patet ergo clarè ex illis duobus tex. quòd laici talliam, gabellam, vel collectam, clericis vel eorum bonis imponere non possunt, etiamsi subsit necessitas vel communis
8 utilitas, & quòd † ecclesiæ vel clerici ratione bonorum suorum non tenentur ad collectam vel talliam, nisi facultatibus laicorum deficientibus & Romano Pontifice consulto, ponderando diligenter verba eorundem tex. & signanter illa verba, sacerdotes & possessiones eorum, & similiter illa verba, de bonis ecclesiarum & clericorum, & illa, sive fossata sive expeditiones, & illa, communes utilitates & necessitates, non sine mysterio repetita, *in d. c. adversus, arg. l. balista. ff. ad Trebel.* ubi enim secunda intervenit consideratio, ibi plena præsumitur esse deliberatio, *§. & hoc verò, junct. glos. in auth. ut nulli jud. col. 9.* capiuntque tex. dictorum conciliorum robur *à d. cler. unica,* edita ut præmittitur in concilio Viennensi, in qua idem innovatur & inviolabiliter observari mandatur.

Nec obstat si fortè dicatur, quòd dicta verba, sacerdotes & possessiones eorum, & præfata verba, de bonis ecclesiarum & clericorum, & illa verba, fossata sive expeditiones, ponuntur *in d. c. non minus,* ut
9 narrativa, † & sic non videntur ponderanda, *cap. si Papa, de privil. lib. 6. cum vulgar.* Quia respondetur, quòd propter verba illa, sub anathematis districtione fieri talia de cætero prohibemus, posita postmodum in dispositiva, *d. cap. non minus*, & repetita effectualiter *in d. cap. adversus:* ex quibus patet, quòd hujusmodi consilia super illis verbis narrativis fundant suam intentionem, habenda sunt dicta verba perinde, ac si in dispositiva posita essent, juxta doctrinam singularem D. Ioan. de Imol. *in c. cum apostolica, de his quæ fiunt à præl.* & *in cap. 2. de constit.* quam refert & sequitur D. Alex. de Imol. *in l. 1. ff. de offi. ejus cui demanda est jurisd.* Do. Fel. *in c. 1. de const.* & *Dominus Iason & posteriores in in l. 1. C. quando peten par. pet. accresc. per tex. Cle.*
10 *1. de proba.* Ratio autem † quare bona clericorum hoc privilegio gaudent, potest assignari: quia bona clerici deserviunt clerico, & clericus deservit divino officio, unde bona clerici videntur esse in servitio Ecclesiæ: & ergo nimirum si perfruantur privilegio bonorum ecclesia-
11 sticorum ad instar familiæ clerici. *l. 2. C. de episcop. & cleri.* cùm spiritualia † sine temporalibus diu subsistere non possunt, *cap. si quis objecerit. 1. quæstio. 3* attento, quod bona sunt alia vita hominis, ut est gloss notabilis, & ibi Bald. *in l. advocati. C. de advo. diverso judic.* & notat Panormitan. *in cap. Abbas, quod metus causa.* Patet ergo, quòd bona clericorum alia à feudalibus, tanquam accessoria & quasi causa sine qua non, gaudere debent privilegio personæ clerici, & esse immunia à tallijs & exactionibus laicorum: & istud vult gloss. ordinaria, & ibi hoc expressè determinat. Panorm. *in c. ecclesia sanctæ Mariæ, de constitut,* ubi decidit,
12 quod statutum † laicorum specificè disponens super bonis patrimonialibus clericorum, non valet ex defectu potestatis: de quo latius ibi per eum, & idem voluerunt Ant. de Butrio, Ioan. de Imol. & Panorm. *in c. 1. de consuet.* ubi dicunt, quod sicut non possunt collectari res ecclesiæ,

clesiæ, ita nec patrimonialia clericorum, quando tempore collectæ imponendæ sunt incorporata in clericum: & idem volunt Ioan. de Ligna, Ioan. de Imol. & Card. *in prææalleg. Clemen præsenti*, ubi di-
13 cunt, quod bona † non habentia onus annexum sequuntur personam tanquam accessoria, & ideò gaudent privilegio personæ, & per consequens secundum eos Domini temporales non possunt pro talibus rebus clericis collectas imponere: & idem volunt de Anton. de Butrio, Cardin. Panorm. Imol. & alij *in prẽallegato cap. final. de vita honest. cleric.* idem etiam volunt Archid Ioan. Andr. *in novella*, Domini. Imol. Philippus, & alij *in d. c. 1. de immun. eccles. lib 6.* & originaliter Specul. *in tit. de cler. conjug. post prin. in vers. ad hujusmodi:* & idem Specul. *in tit. de immu. eccles in vers. & scias.* Et deducuntur præmissa plenissimè per D. Panorm. *in d, c. non minus*, ubi post multa dicit, ab hac opinione in judicando non esse recedendum. Præcipuè attento, quod Accursius glossator juris civilis *in l. ad instructionem. C. de sacrosan. eccle.* tenet & confirmat hanc opinionem, in quantum tenet
14 ecclesiam † non teneri ad constructionem, instructionem, vel refectionem murorum civitatis: quam glos. Bartol. summæ auctoritatis ibi sequitur. attento etiam, quod hanc opinionem tenet glossator decreti Ioan. Teuthonicus subtilissimus Doctor *in cap. generaliter, in §. primo. quæst. 1. & Ioan. And. in d. c, non minus, in fin. & Guil. de Cuneo, in l neminem. C. de sacrosan. eccles.* & secundum hanc opinionem consuluit idem Panor. *in cons. suo.* 3. Et quia ipse plenissimè hunc articulum ibidem, & in d. c. non minus, examinat: censeo amplius in his quæ ipse commemorat non esse insistendum: cùm lectura ejusdem & similiter sua consilia ab omnibus habeantur. Sed ultra per eum adducta adduco *cons. Bart. incipiens, si aliqua possessio* 180. ubi per plures efficaces rationes pro hac parte consuluit: de quo cõsilio commemorat D. Io. de Imol. *in d. c. fin* & Dominicus & Philippus *in d c. 1.* & Paul. de Cast. *in consil. suo* 438. *in novis circa fin. dictum cons. Bart.* approbantes, licet illud aliter intitulent. adduco etiam *consilium Bal.* 148. 1. *vol.* ubi multum benè loquitur ad propositum. adduco etiam doctrinam Bal. *in d l. placet, & in d. l. neminem, & in extravag. de pace Cõstantię, in 5. col.* in quibus locis tenet hãc partem: & idem vult Bart. *in l. 1. circa fi. C. de mulier.* & in quo loco *lib.* 10. facit etiam pro hac parte tex *d. l. placet*, in illis verbis, nihil extraordinarium ab hinc super indictumve flagitetur, inducẽdo eum
15 dupliciter. Primò sic, Ecclesia † non tenetur ad munus extraordinarium, ut ibi est text. sed id quod indicitur extraordinariè ob aliquam causam supervenientẽ, est munus extraordinarium, ex quo non habet uniformem & ordinariam præstationem, quod est proprium muneri ordinario, secundum Bal. & DD. *in d. l. placet*, ergo, &c. Secundò sic, ecclesia nõ tenetur ad superindictũ, ut ubi est text. sed superindictum est, quod propter necessitatem belli indicitur, ut est *gl. & Bart. in Rubrica C. de superindict. lib.* 10. *& gl. in l. 1. C. ut ne licet. in emp. spe. excus. eod. lib.* omne enim superindictum est extraordinarium, sed non econtrà secundum Paul. de Cast. & in alios *in d. l. placet*, ergo, &c.
16 Præterea considerandum est duo † esse genera hominum, unum quod mancipatũ est divino officio, & deditum contemplationi & orationi, ut clerici. Aliud genus est mundanis & temporalibus deditum, ut sunt laici. 12. *quæst. 1. duo.* Hinc istis distincta competunt officia, laicis quidem secularia, & clericis spiritualia, neque li-
17 citum est † clericis, imò expressè vetitũ, immiscere se negotijs secularibus, *toto titulo ne cler. vel monach. secularib.*

nego.

nego. se immisc. & *l.placet, C.de episcop.* & *cler.* & *l. consulta divalia. C.de testa. cum simil.* inter quæ inter alia est, arma deferre, bellum movere, & similia. Arma
18 verò † clericorum sunt orationes & lachrymæ. *cap.convenior.*23.*qu.*8. & militum Christi est servire Christo: militum verò seculi servire seculo. *c. reprehensibile.*23.*qu.*8. ubi text. notabiliter probat, quòd tempore obsidionis clerici non tenentur vigilare, sed hoc habent facere milites seculi: clerici verò debent orationibus vacare, quorum orationes quoad victoriam contra hostes obtinendam plus sunt ponderandæ, quàm invasio seu resistentia laicorum. Conservat enim Deus civitates & loca, in quibus divina celebrantur ministeria: unde legitur de Mose, *Exodi* 17.*cap.* & habetur 36. *distinct. cap.ultim.* quòd ipso orante vincebat populus ejus: eo autem dimittente manum vincebatur populus ejus. Precipuum enim est, quòd Christus nobiscum pugnet: & hinc dicit alibi text. quòd sacerdotes suis orationibus dicuntur comedere, delere, & consumere peccata populi, *cap. ipsi sacerdotes,* 1.*quæst.*1. & *cap.nulli.*3.*quæst.*1.
19 Cùm ergo ut plurimum † Deus inducat super nos bellum propter peccata nostra ut notat gloss. & Doct. *in c.ad apostolicæ, de re jud.lib.*6. non mirum, si ministri ecclesiæ & milites Christi, qui diurnum officium pariter & nocturnum laicis dormientibus & in suis deliciis viventibus devotissimè celebrant, ut Deum iratum suis precibus & orationibus placent, seminantes spiritualia gaudeant suis temporalibus, & tanquam boni vasalli principis pro obsequio in bonis suis collectam non patiantur, sed potius remunerationem à laicis, ad antidora naturaliter obligatis, expectent: unde potest ecclesia in suis possessionibus collectam passa contra laicos exclamare & dicere illud *Esaiæ* 1. filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me: imò non solùm spreverunt, sed pro gratia contumeliam reddiderunt, & pro familiaritate contemptum, illamque retributionem impenderunt, quam juxta commune proverbium, de quo *in c.* & *si Iudęos, de Iudæis*: Mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu, suis consueverunt hospitibus exhibere. Iste enim populus est Dei electus in sortem beatitudinis, *cap. cùm secundum apostolum, de præbend.* & *cap.cleros* 21.*distinct.* & *dict.c duo,* quem
20 si quis † affligit, utriusque testamenti pagina edocente, indubiè ipsum Deum contra se provocat, ad quem talium offensio pertinet, cum ejus legatione fungatur. *cap.accusatio, in fin.*2.*q.*7. unde habetur *Psalmo* 104. Nolite tangere Christos meos: Christos quidem, id est, unctos, de quo verbo commemorat gloss. juris civilis, *in Auth. de non alienand. post principium, in verbo, degeneri, collat.*2. & alibi Dominus in lege Mosaica, *Exo.*22.*in fin.* inter alia præcepta dedit illud, diis non detrahes, per Deos sacerdotes intelligens: qui propter ordinis dignitatem Deorum nomine nuncupantur. *cap. cùm ex injuncto.de hęret.* Accedit præmissis quod cle-
21 ricis † & personis ecclesiasticis diversa incumbunt onera, in quibus laici non contribuunt, ut est procuratio legatorum sedis Apostolicæ, *cap.ad audientiam, de pręscript.cum similib.* quæ non immeritò felici embolæ vel expeditioni cæsareæ, de qua *in l.jubemus nullam navem,* & *in d.l. neminem. C. de sacrosanct. eccles.* comparari potest. Item decima beneficiorum imminente necessitate grandi, *Clem. fin. de deci.* Item procuratio debita episcopo ratione visitationis singulis annis fiendæ, *c.cùm venerabilis, de cens.* & *cap.cùm non liceat.* & *cap.cùm ex officij, de præscript.* Item charitativum subsidium, de quo *in c.cùm apostolus, de censib* & *in Clem.ad nostram, eo. tit.* Item cathedraticum, & alia jura ordinario debita, de quibus *in cap.*

conquerentes, de offic. ord. & alia plura. ut
annatæ & similia, quæ enumerare magis
laboriosum esset, quam subtile. Præterea
22 ut impositio † quæcunque liget & arctet
pelliparios, vocantur pelliparij: clerus au-
tem ad nullum actum deliberativum vo-
catur, nec per clerum gubernatur respu-
blica: ex quo planè videntur fateri laici,
hæc onera clerum nõ tangere: quod enim
omnes tangit ab omnibus debet approba-
ri, *regula, quod omnes tangit, de reg. jur.
li. 6.* & ita expressè decidit Paul. de Cast.
in d. suo consil. 438. circa fin. Præterea li-
cet non esset text. neque autoritas gl. neq;
DD. tamen pro clero est evidens ratio.
Certum enim est, quod bona & possessio-
nes clericorum vel ecclesiarum non sunt
obligata pro onerib. extraordinarijs sub-
eundis, hoc enim nullo jure cautum repe-
23 ritur, & obligatio † bonorum non induci-
tur nisi in casibus expressis in jure, secun-
dum Ioan. de Imol. & alios *in præall. c. fi.*
Incertę enim obligationi hypotheca acce-
dere non potest, secundum Bal. *in d. ex-
travag. de pace Constantiæ*: ergo eorum
bona non possunt per laicos novo onere
gravari, ex quo prius affecta non fuerunt.
24 Præterea gabella, † tallia, vel collecta, vel
impositio alia similis, non imponitur re-
bus, sed personæ ratione rerum: & hinc
est, quòd non subdito, vel forensi imponi
non potest, etiam si habeat possessiones
sub districtu eorum, tex. est *in l. rescripto.
§. fina. & ibi gloss. notabilis, Bart. Alexan.
& Doctor. ff. de mune. & hono.* quam glos.
commendat Doct. & præcipuè Salic. *in
d. leg. placet*, ergo multò minus clerico
ministro Dei & militi Christi à foro lai-
corum notoriè exempto: & hoc constan-
ter asserit Bald. *in d. l. placet*, & *in d. l. ne-
minem, & in d. extravaganti, de pace
Constantiæ, & Angel in consi. suo 24. post
medium, & Bar. in locis suprà allegatis.*
25 Quòd autem clerici † non sunt subjecti
laicis, neque unquam fuerunt, quoad juris-
dictionem: sed sunt exempti etiam de
jure divino, patet *in cap. si Imperator, &
ibi est gl. singularis super verbo, discuti 96.
dist.* & notant Innocent. Hostiens. Ioan.
Andr. Imo. Panor. & Doct. *in c. 2. de ma-
jori. & obed. & Card. in repetitione cap.
perpendimus, in 7. contrario, de sent. excom.*
& *idem Cardi. in Cle. 1 in 3. notabili* &
1 quæstione, de offic. ord. post gl. ibidem: &
Panorm. & *canonistę in d. c. ecclesia sanctę
Mariæ, de constitutio.* & *est decisio Rotę
pulcherrima 840. in antiquis, incipiens,
utrum valeat consuetudo anglicana*, quæ
plus determinat, scilicet non valere con-
suetudinem etiam quanticunque tempo-
ris, per quam judex laicus aliquam juris-
dictionem sibi vendicaret in clericum: &
dicit tolerantiam Papæ hoc efficere non
26 posse: imò quod fortius est, † non solùm
ipsi clerici sunt exempti à jurisdictione
seculari, verùm etiam ipsorum bona quæ
sunt accessoria, & propter hominem crea-
ta. *leg. in pecudum. ff. de usuris, cum simi-
libus*, Accessorium enim sequitur natu-
ram principalis. *c. accessorium. de reg. jur.
lib. 6.* & *l. cum principalis. ff. eod. titul.*
etiam quoad forum, ut videmus in uxore
clerici, filijs, servitoribus, ac bonis ejus-
dem clerici, *dict. l. 2. Cod de episcopis* &
cleric. & *capit. eos, cum ibi notatis*, per
gloss. 32. distinct. & *cap. de prudentia,
de donatione inter vir* & *uxor.* & *l. cùm
quędam puella. ff. de jurisdiction. omni.*
27 *judi.* qui † enim judex est personæ, est
etiam judex bonorum, *d. c. de prudentia*,
& *l. quotiens. §. adeò autem. C. ubi senat.*
28 *vel clar.* & mutata † conditione personæ,
rei statum convenit immutari. *l. unica.
C. de imponend. lucrati. descrip. lib. 10.*
& *c. 1. de jure patro. lib 6.* etiam quoad
forum, *argum. leg. si quis postea ff. de jud.*
Si enim per militiam secularem quis mu-
tet forum. *l. ex eo Cod. de agen in re-
bus. libr. 12.* & *l. 2. Cod de silentia. eodem
lib.* & *l. qui cum uno. §. reus capitalis. ff.*
de re

dere milita. Multò magis per militiam cœlestem quis forum mutabit, *argumento leg. non distinguemus. §. sacerdotio. ff. de arbit. juncta Authen. multò magis, C. de sacrosanct. eccles.* Et quòd mutatione personæ mutet quis forum etiam quoad res, probatur ultra præmissa: nam ex hoc fundatur æquitas *illius tituli. C. ne liceat potentioribus, leg. 1. & ff. de aliena. judi. mutan. causa facta. leg. 1. 2. & 3. in principio, & extra eodem titulo, capit. ex parte:* ut enim ex illis titulis patet, ideò prohibetur cessio bonorum in potentiorem, quia contingeret ex hoc forum mutari in bonis & rebus cessis. Sequitur ergo, quòd cùm clerici tam quoad personam, quàm quoad bona eorum, seclusis feudalibus, sint exempti à jurisdictione laicorum: Et quia imponere collectam & talliam est jurisdictionis, nec posset imponi non subdito, ut dictum est: quod ipsi laici clerico vel bonis ejusdem collectam vel gabellam imponere non possint. Postquam enim bona ad ecclesiam vel clericum liberè pervenerunt, ejus
29 conditionem sequuntur. Nam quæ † religiosis adhærent, religiosa sunt. *l. quæ religiosis. ff. de rei vendica.* & magis dignum trahit ad se minus dignum. *cap. quòd in dubiis, de consecrat. eccles. vel alta. & leg. eum qui ædes. ff. de usucap.* & hinc dicit lex, quod ea quæ divini juris sunt, humanis nexibus allegari non debent. *l. sancimus 1. C. de sacrosanct. eccles.* & quæ semel Deo dedicata sunt, ad humanos usus redire non debent. *l. in tantum. §. sacræ. ff. de rerum divis. cum*
30 *similibus.* unde † cavere debent laici, ne clericus talliando, aut unctos Christi tangendo, iram Dei contra se provocent, & à Domino flagellentur: sicut rex Osias, qui lepra legitur esse percussus, ut habetur 2. *Paralip. 26. cap.* & transumptivè *2. qu. 7. §. sed notandum:* Præponantque sibi exemplum Hieroboam, de quo habetur *tertio Regum 13. cap.* & exemplum Osæ, de quo habetur 2. *Regum 6. cap.* Et quòd clerici non solùm quò ad personas, sed etiam quò ad eorum bona sunt exempti à jurisdictione laicorum, consuluit Oldrad. de Lande, *in consilio suo 83. incipiente, an Episcopus,* & vult Albericus de Rosa. *in d. Authe. statuimus,* ubi dicit de hoc magnam fuisse contentionem inter regem Portugalliæ & Episcopum, referens *dictum consilium Oldra.* de verbo ad verbum, licet de eo mentionem non faciat: & idem volunt Bald. & Paul. de Castr. *in Auth. cleric. C. de epis. & cler.* & idem Bald. & Paul. de Cast. *in d. leg. jubemus nullam navem. C. de sacros. eccl.* & Hostien. Ioan. Andr. & canonistæ *in cap. postulasti, de foro compet.* & idem vult Bald. *in d. leg. de his: & collect. per Panorm. in cap. qualiter. de judic.* & ibi. *cum eo transeunt Andreas Siculus, Feli. & Moderni.* Imò fortius vult idem Bald. *in cap. 2. in fin. de*
31 *jud.* quòd non † valet consuetudo disponens quòd clericus in actione reali conveniatur coram judice laico: quem referunt & sequuntur novissimi *in d. c. qualiter.* & faciunt no. per Panorm. *in c. clerici, in fin. de jud.* Hinc etiam legitur *Genes. 47. c. ultra medium:* subjecit Ioseph omnem terram Ægypti Pharaoni, & cunctos populos ejus à novissimis terminis Ægypti, usque ad extremos fines ejus, præter terram sacerdotum: & post intervallum subditur, ex eo tempore, usque in præsentem diem in universa terra Ægypti regibus quinta pars solvitur, & factum est quasi in legem, absque terra sacerdotali, quæ libera ab hac exactione fuit: imò plus dicit ibi text. quòd statuta cibaria ex horreis publicis sacerdotibus dabantur: & hoc est quod vult *l. privilegia, in fin. C. de sacros. eccles. & d. c. non minus, in princip. & in §. quamvis 23. quæst. 8.* dicitur, quòd ex tunc dominus pronunciavit, sacerdotes in omni gente liberos esse debere: &

Esdræ 7.

Esdræ 7. capit. legitur, quòd Artaxerxes rex ministris præcepit in hunc modum: Omne quod ad ritum Dei cœli pertinet tribuatur diligenter in domo Dei cœli, ne fortè irascatur contra regnum regis & filiorum ejus: vobis quoque notum facimus de universis sacerdotibus & levitis, cantoribus & janitoribus, nathinæis & ministris domus Dei hujus, ut vectigal, & tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos: & hinc rectè dicitur *in præallegat. cap. non minus, & in d. c. quanquam.* quòd ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, non solùm jure humano, quinimò & divino, à personarum secularium exactionibus sunt immunes: ubi gloss. hoc intelligens de bonis propriis clericorum, adducit passus bibliæ jam proximè allegatos. Hinc etiam rectè dicit Dominus Panor. *in cap. Messana, circa fin. de elect.* quòd non potest introduci consuetudine, ut clerici de bonis suis patrimonialibus solvant collectam vel gabellam, ex quo est contra libertatem ecclesiæ: & idem volunt Anton. de Butrio, Ioan. de Imo. & Panorm. *in d. cap. 1. de consuet.* & est talis consuetudo reprobata, & declarata corruptela *in d. cap. quanquam, & in §. illicitas, de pace jura. fir. in usibus feudor.* Ex quibus convincitur error dicentium, in bonis clericorum vel ecclesiarum per laicos executiones licitè posse fieri, cùm asserant, ea tonsuram non habere: quorum vesaniam reprehendunt Bald. Paul. de Castr. Oldra. Alber. & Doct. *in passibus suprà allegatis.*

32 Fateor tamen, quòd † ad tributum & alia onera realia, quibus obligatę fuerunt possessiones, antequam venerunt ad ecclesiam vel ministros ejus, benè tenentur ecclesiæ & clerici: & ita loquitur *c. tributum, 11. q. 1. & c. tributum, 23. qu. 8. & d. l. de his, & d. l. placet, in verbo, canonicam illationem.*

33 Nisi prædia † fuerint dedicata pro cœmiterio, fundatione, horto, manso, vel dote ecclesiæ, quia talia ab omni tributo debent esse libera, *c. 1. de censi.* & habetur per Innoc. Henric. Boick & alios *in d. ca. non minus*, & per Cardin. *in d. Clem. 1. de vita & honest. clerico. in 18. quæstione & sequenti.*

34 In bonis † autem feudalibus Bald. *in l. fi. in fin. Co. sine censu vel reliq.* & Henric. Boick *in d. cap. non minus*, expressè volunt, quòd ecclesiæ vel clerici ratione illorum bonorum tenentur ad collectam in casibus in quibus Dominus vasallo collectam imponere potest, qui quales sint, habetur per Specu. & Ioan. And. *in titul. de feudis, in § quoniam, in versic. & nota quod vasalli comitum.* Cùm igitur ex actis hujus causæ, & præcipuè ex cōfessione ipsorum reorum in responsione ad libellum copiata folio 135. pagina prima, lucidè habeatur, quòd ipsi rei certa onera præfatis agentibus imposuerunt, & quòd ab eisdem agentibus assisias & maletotas exegerunt. Constet etiam ex eisdem actis, & præcipuè ex scriptura pro parte dictorum reorum exhibita copiata 145. pagina secunda, quòd ipsi rei hujusmodi assisias prius impositas adauxerunt, & quædam nova extraordinaria onera imposuerunt: sequitur clarè, hujusmodi impositiones seu gabellas per præfatos reos ipsis agentibus eis minimè subjectis imponi non potuisse, nec eosdem agentes ligasse, per prædicta. Cùm omnium Doct. judicio collecta vel gabella extraordinaria clericis imponi non posset,

35 licet aliqui † voluerint res & bona antequam ad clericum perveniant, onere collectarum subeundarum affici posse: sine tamen & absque eo, quòd à clericis invitis, vel personis eorum, etiam postquam bona ad eos pervenerunt, hujusmodi collectæ exigi possint: quæ tamen cautela afficiendi bona in præjudicium ecclesiasticæ libertatis, tradita originaliter per Bart. *in d. l. rescripto, & in d. l. placet,* damnatur per do. Ioan. de Imol. Panor. &

Doct.

Doct. *in d.c.fina. & per Bald.in d.l.placet. & in d.l.neminem. & in præfato consilio* 148. *& per Felin.in d.c.ecclesia sanctę Mariæ, in* 5. *quæstione, de constit. & in pluribus aliis passibus:* de qua tamen affectione bonorũ ex actis hujus causæ nullo modo constat, & sic casus præsens actis hujusmodi attentis, sub opinionibus Doct. non cadit: sed clarissimè est decisus, nedum per jus divinum & canonicum, sed etiam per jus civile in *prȩall. l.* 2. *& in prȩall.l.placet, & in præalleg. Auth. item nulla communitas, & in aliis juribus suprà*
36 *abundè satis adductis:* ubi †enim est casus legis ibi nulla est dubitatio. *l.ancillę, cum sua gloss. & ibi Bald. Cod. de furt.* Licet enim clericis etiam voluntariè solvẽtibus collectas vel gabellas, laici ab eis recipientes olim incurrebant sententiam excommunicationis, *cap.clericis laicos, de immun.*
37 *ecclesi. libr.*6. Hodie tamen, † ut laici incurrant sententiam excommunicationis & alias pœnas canonicas & legales, requiruntur duo copulativè, scilic. quod ab invitis petantur & extorqueantur collectæ seu gabellæ, & quòd moniti seu requisiti ut desistant non obtemperent, *d. Authen. ita nulla communitas, & d. cap. non minus, & præall. c. adversus, & Clem. unica eod.tit.* hoc tamen casu sufficit unica monitio, secundum Host. Ioan. Andr. & Doctor. *in d. c. non minus*, & voluit Card. *in consilio suo* 12. & dicuntur extorqueri eo ipso, quod præcedit petitio laicorum, & subsequitur solutio clericorum, secundum Hostien. & Ioan. Andr. *in d c.adversus*, & secũdùm eosdem in simili casu *in c. pręterea secundo, de jure patro.* In casu autem præsenti constat ex actis, & signanter ex confessione prætacta, ipsos reos ab agentibus collectas & gabellas
38 exegisse: Exigere † autem est ab invito extorquere, *l. fideicommissa.§.si rem ff.de leg.*3. *cum simi.* Constat etiam eos fuisse monitos, ut desisterent: cui monitioni nondum paruerunt, imò ea spreta & contempta ab eisdem agentibus collectas & gabellas, ut prius exegerunt & exigunt de præsenti: quare ad restitutionem, nedum perceptorum saltem à tempore hujusmodi monitionis seu litis motæ citra tenentur, & condemnandi sunt: verùm etiam ad refusionem tripli, si ad hoc conclusum esset, tenerentur, & præter hoc sententiam excommunicationis & alias censuras incurrerunt, & tales etiam declarari deberent, si petitum fuisset, per jura suprà allegata. Et posset judex ex officio hoc casu, instante procuratore fiscali dictis reis ad hoc vocatis, licet ipsi agentes hoc non peterent, præfatos reos declarare hujusmodi censuras & pœnas incurrisse, *dict. Clement. præsenti, juncta sua notabili gloss. in verbo, constiterit, approbata per omnes ibi Scribentes, & per Cardin. in d. suo consilio* 12. valde horribili & periculoso pro ipsis laicis, à clericis collectas vel gabellas exigentibus. Tenet enim ibidem expressè, & *in d. Clement. præsenti*, post Stephan. & Fede. de Senis *in suo consilio* 207. *quòd d. cap. quanquam*, nedum habet locum in pedagijs & gindagijs seu vectigalibus, sed etiam in gabellis, quales sunt impositiones super vino, cerevisia, farina, & alijs, de quibus in actis. Tutè ergo facerent ipsi rei, si exacta restituerent, & deinceps desisterent, de commissis pœnitentiam agentes, & absolutionem à cen-
39 suris petendo: Ad quam † restitutionem nedum tenentur illi rectores, qui suo tempore hujusmodi collectas vel gabellas exegerunt vel exigi fecerunt, verùm etiam successores eorum in officio juxta tenorem dicti cap. adversus, & quisque eorum tenetur in solidum, ut eleganter in terminis nostris consuluit Bal. *in consilio suo* 222. *quartę partis*, de quo ibi latius per eum. Ex quibus satis deducta & roborata est conclusio responsiva, de qua suprà, quoad utramque ejus

partem. Sed quia parum esset aliquid asserere, nisi respondeatur contrarijs: hinc utile mihi videtur respondere ad ea quæ videntur obstantia: licet non ignorem magnificentias vestras perspicacissimas per allegata per partem ream in actis tacta non moveri, nec immeritò: cum ut infrà patebit, super baculo arundineo fundata sint. Et primò non obstant motiva tacta in scriptura per partem ream exhibita copiata folio 141. cum sequent. Ad quæ descendendo respondeo, primò ad motiva colligibilia ex quinque primis articulis dictæ scripturæ, quæ in effectu in hoc consistunt, quòd ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ tenentur ad refectionem murorum, portarum, pontium, viarum, ac ad vigilias & custodiam civitatis, tanquam ad illa quæ respiciunt communem utilitatem tàm cleri, quàm laicorum, aut saltem pietatem, *d. l. ad instructionem, cum ibi notatis, per Iacob. Butriga, & Bal. & capit. pervenit, de immunita. eccles. cum similibus.* Licet enim regulariter ecclesia exempta sit ab omnibus muneribus, exactionibus, collectis, datijs, & gabellis laicorum, *præallegat. Authen. item nulla communitas, & d. l. placet, cum similibus.* Illa tamen regula recipit limitationem in casibus pietatem vel communem utilitatem concernentibus, per jura prædicta: Cùm ergo onera assisiarum vini, & cerevisiæ, multuræ, ac aliorum onerum de quibus in actis, imposita sint, ut per reos asseritur, ad sustinentium onera coustructionis & intertensionis murorum, portarum, pontium & viarum prætacti oppidi: & cùm surrogatum sapiat naturam ejus in cujus locum surrogatur: *leg. si eum. §. qui injuriarum. ff. si quis cautionibus, cum similibus*, sequitur quòd clerus Bruxellensis ad hujusmodi assisias & maletotas subeundas teneri debet. Ad quod motivum respondetur multipliciter, primò negando minorem, videlicet, quòd illa de causa assisiæ fuerint impositæ, nec hoc creditur ex actis constare, tanquam non verisimile ob antiquitatem dictorum murorum, & opulentiam seu abundantiam dicti oppidi ultra annos 40. & 50. quibus muri fuerunt ædificati & portæ constructæ, pontes lapidei erecti, & viæ publicæ pulchrè instructæ, ita quòd ex causa constructionis præmissorum non est verisimile eos in uno obulo remansisse obligatos: Ob intertentionem verò præmissorum assisiæ hujusmodi etiam non creduntur impositę, cùm ad hoc, ut speratur similiter ex actis constare, sint redditus speciales deputati, ultra plura tempora per ipsum oppidum ad hoc empti & comparati, & ministri seu officiati ad intertentionem hujusmodi ordinati, & ex illis redditibus salariati: & specialiter pro dictorum intertentione tales deputati, in exequijs laicorum & simplicium clericorum defunctorum, valorem quartæ partis candelarum ab hæredibus defuncti recipiunt, quod & notorium est, & ex actis constare speratur. Præterea supponendo sine præjudicio veritatem minoris, respondetur, quòd licet ita esset, quòd aliqua pars istarum assisiarum, ut puta centesima ad usus præmissos applicaretur, quæ ut asseritur sufficeret, etiam si ad hoc non essent redditus speciales deputati, non tamen omnes assisiæ ad onera prætacta applicantur, cùm, ipsimet rei in eadem scriptura in articulo vigesimo secundo, cum sequen. confitentur, ex eisdem assisiis solvuntur precariæ Domini Archiducis & alia extraordinaria onera ipsius oppidi, ad quę onera certo certius est clerum non teneri: imò, ut mihi asseritur & publicè famatur, omnia & singula onera dicto oppido incumbentia qualiacunque fuerint & quantumcunque sordida & extraordinaria, ex hujusmodi assisijs & gabellis solvuntur: & sic non potest dici surrogatum in locum illius ad

quod

quod clerici tenentur: sed nova quædam dispositio seu impositio suam habens distinctam naturam, quare dicta objectio non obstat, cum præsupposita veritate majoris, constare deberet ex actis, pecunias ex hujusmodi assisijs provenientes in dictos usus tantummodo, & non in alios converti. Præterea respondetur ad ma-
40 jorem, † quòd illa ut jacet non est indistinctè vera, nam ut dicit glos. ordinaria *in dict. leg. ad instructionem*, quam ibi sequitur Bartolus & Guilhelm. *in dict. l. neminem*, illa lex non ligat ecclesiam, & idem tenet gloss. ordinaria decreti *in d. c. generaliter*, quam sequitur Ioan. Andr. & Panormitan. *in d. cap. non minus*, & idem Panorm. *in d. consilio suo tertio*, & Paulus de Castro *in dict. suo consilio* 438. *in novis, in principio* 3. *colum.* ubi dicit hanc opinionem esse tutiorem. Et supposita ejus veritate, & quòd liget ecclesiam: adhuc solùm sibi vendicat locum, quando constructio murorum esset omnino necessaria, & quando ex facultatibus laicorum commodè fieri non posset: de qua necessitate constare deberet apud acta, prout tamen non constat de ea, nec est articulatum nec probatum. Non autem procedit tunc, quando constructio esset solùm ad ornatum vel ad pompam, vel quando ex facultatibus laicorum commodè fieri posset, ut dicunt Iacob. Butrig. Bald. & Salicet. *in dict. leg ad instructionem*, qui etiam subdũt, quod in casu summæ necessitatis compulsio fieri deberet per judicem cleri, & minimè per laicos: quod etiam est de mente *d. c. non minus, & c. adversus*, cùm volunt excussionem facultatum ipsorum laicorum primò fieri, & romanum pontificem consuli: quod etiam in actis non constat esse factum. Istud etiam vult Ioan. de Platea, *in l. si divina, in* 2. *colum. Cod. de exact. tribu. lib.* 10. & hoc quoad constructionem vel refectionem murorum vel portarum oppidi, quæ concernunt communem & publicam utilitatem. Quo verò ad refectio-
41 nem † pontium & viarum, quæ concernit pietatem *dict. l. ad instructionem*, similiter sibi locum non vendicat, cum lex civilis seu imperialis expresè disponens de Ecclesia (*sicut facit dict. l. ad instructionem*) non valet ex defectu potestatis, nisi in quantum per ecclesiam fuerit recepta & approbata, *d cap. ecclesia sanctę Mariæ*, & ibi hoc volunt Panormitan. & canonistæ, & Hostien. Ioan. Andr. Panorm. & alij canonistæ *in cap. finali, de solut.* & Ioann. Calde. *in cap.* 1. *de novi oper. nuncia.* & volunt specificè in terminis nostris Ioan. And. Panor. & Doct. *in d. c. non minus.* Modò sic est, quòd *d. l. ad instructionem*, non est recepta nec approbata per jus canonicum, nisi cum modificatione, quæ habetur *in d. c. non minus. & cap. adversus*: quare sequitur, quòd etiam in illis ipsa major non est indistinctè vera, non magis quàm in illis quæ concernunt publicam & communem utilitatem: cum lex canonica in illis nullam faciat differentiam, & per hoc etiam respondetur *ad d. l. jubemus nullam navem, & ad l. neminem, & ad leg. nullus, cum ibi notatis, per Bartolum & Ioannem de Platea, Cod. de cursu publi. libro* 12. & ad alias quascunque leges, specificè de ecclesia in hac materia disponentes. Si tamen benè inspiciantur notata per Bartolum, & Ioannem de Platea. *in d. l. nullus*, & ea quæ habentur per Petrum de Anchora. *in consilio suo* 96. illa jura loquuntur in casu qui respicit privatam utilitatem clericorum æquè principaliter sicut laicorum, & sic sumus omnino extra casum *dict. capit. non minus & cap. adversus*: ut benè declarat Paulus de Castro, *in dicto suo consilio quadringentesimo trigesimo octavo ante finem*, & Angelus de Clavasio *in sua summa*, & Panor. *in dict. cap. non minus.* Quo verò ad vigilias

&custodiam oppidi, de qua loquitur dict. cap. pervenit. Respondetur multipliciter,
42 primò, quòd *hoc cap.* diversos † habet intellectus. Nam aliqui illud intelligunt in vigilia, quæ fieret contra invasionem fiendam per infideles inimicos Christi. Alij autem hoc intelligunt de oppidis subjectis ecclesiæ Romanæ quoad temporalem jurisdictionem, & alij aliter: quare non potest efficaciter ad decisionem præcisam alicujus casus allegari, juxta notabilem doctrinam Bartoli *in leg. in ambiguo. ff. de rebus dubiis*, quod enim multipliciter intelligitur, illius veritas ignoratur. *lege cum prolatis, secundum unum intellectum. ff. de re judicata.* Capiendo tamen intellectum magis favorabilem laicis, loquitur † *dict. cap.* solum in casu maximæ necessitatis, quo casu tenentur clerici personaliter vigilare & custodiam facere, vel alios suis sumptibus substituere, *argument. l. suo victu, cum sequentibus ff. de operi. liberto.* de qua necessitate debet decernere ipse episcopus loci, & non laici, ut volunt omnes Docto. *in d. c. pervenit.* & *in d. c. non minus*: unde ex hoc non sequitur, quòd ipsi laici possent authoritate *d. cap.* propter hujusmodi vigilias, sic ut præmittitur rarò & irregulariter obvenientes, aliquod onus regulare & quasi ordinarium omni tempore exolvendum
44 imponere. Et dato, † quòd authoritate superioris ob hoc imponeretur collecta: tamen clerici duntaxat tenerentur ad solvendum illam, quãdo in illum usum duntaxat, & non in alium converteretur, ut notanter dicit Paul. de Castr. *in dict. consilio quadringentesimo trigesimo octavo, circa finem,* quare sequitur, quòd propter ea quæ concernunt publicam utilitatem, aut propter ea quæ concernunt pietatem, aut etiam propter vigiliam personalem modo præmisso fiendam, ipsi rei hujusmodi onera assisiarum & alia, de quibus in actis imponere non potuerunt: cùm de necessitate vel publica utilitate, pietate vel necessaria custodia, inopia reorum, & de authoritate vel decreto Romani Pontificis vel episcopi, ex actis non constet: quæ omnia tamen sunt necessaria, ad hoc, quòd clerici teneantur & efficaciter compelli possint ad contribuendum, per suprà dicta.

Quo verò ad motiva contenta *in sexto, 7. 8. & 9. articulis dictæ scripturæ,* Respondetur breviter, quòd illa motiva non merentur allegari, quia ut ex suprà dictis patet, supposito quòd contenta in eisdem essent vera, ipsi tamen agentes ad contribuendum in illis oneribus non tenerentur, maximè cùm illa concernant principaliter commodum dictorum reorum, & nullo modo onus: imò rei magnum lucrum, ut asseritur ex articulatis, singulis annis consequuntur, quare non debent inter onera oppidi reputari, *argumen. leg. fin. Cod. de codicill. cum similib.* Non obstant etiam motiva tacta *in 10. 11.* & *omnibus subsequentibus articulis dictę scripturę,* quæ in effectu sunt septem. Quo-
45 rum primum est, consuetudo † tanti temporis de cujus initio memoria hominum non existit, habet privilegij seu concessionis principis, etiam si non allegetur. *leg. hoc jure §. ductus aquæ. ff. de aqua quotid. & æsti.* & *cap. super quibusdam §. pręterea de verbo. signific.* Sed, ut rei asserunt, dicti agentes & sui prædecessores solverunt assisias à tempore memoriam hominum excedente, ergo jus, titulus, & actio, ex hujusmodi tanti temporis solutione dictis reis acquisitum est recipiendi assisias ab eisdem in futurum: cùm ex hujusmodi tanti temporis solutione præsumatur intervenisse autoritas & consensus summi Pontificis, *argumen. cùm de in rem verso, cum ibi notatis. ff. de usuris,* & *leg. cum filius, C. de petitio. hæredit.* & *capit. pervenit, cum ibi notatis, de censibus,* quæ inducit tolerantiam, & reddit licitum

licitum quod aliàs est illicitum, *cap. quia circa, cum ibi notatis per glossam, Panorm. & Doctor. ff. de consanguinit. & affini.* præcipuè cùm dicta consuetudo sit universalis tàm clericorum quàm laicorum, *cap. cum venissent, de eo qui mittitur in possess. & cap. cum causa, de re judica. cum simil.* & tolerabilis, quod sufficit, licet non sit rationabilis, secundum Bald. *in cap. 1. de feudi cognitione, in usibus feudorum.* Secundo vero in effectu est istud, Ecclesia † seu ecclesiasticæ perso-

46 næ, de jure scripto non reperiuntur exemptæ à muneribus ordinarijs, ut patet inspicienti jura privilegiantia Ecclesias & ecclesiasticas personas, & privilegium à muneribus etiam generale solùm, eximit privilegiatum à muneribus extraordinarijs & non ordinarijs: textus est notabilis *in l. in honoribus, in §. qui muneris. ff. de vacati. mune. & in l. unica. C. de vacat. muner. public. libro 10.* & vult Bartolus *in c. vacuatis, C. de decurionibus libro decimo,* & Paulus de Castro, & Ioannes de Imol. *in lege si ex toto, in principio ff. de legatis primo:* Sed assisiæ, ut rei asserunt, sunt munera ordinaria autoritate principis indicta, & uniformem præstationem habentia, ergo dicti agentes solutionem hujusmodi assisiarum recusare non possunt. Tertium est, quia causa originalis impositionis hujusmodi onerum fuit conclusio pacis, facta in Brugis, & bellum exinde subsecutum, sed hujusmodi conclusioni interfuit status ecclesiasticus ducatus Brabantiæ, sub quo dicti agentes comprehenduntur, & ipsi agentes fuerunt causa belli subsecuti, instigando populum suis monitionibus ad servandum hujusmodi conclusionem, unde omnia mala orta sunt, ut rei asserunt, ergo debent ad contribuendum cum laicis teneri, cum damnum † quod quis

47 sua culpa sentit, sibi debeat non alteri imputare, *regul. damnum, de regulis juris, libro sexto.* Quartum est, quia omnes alij prælati patriæ Brabantiæ de eorum bonis contribuunt in precariis Domini Archiducis, & similiter sacerdotes in rure degentes ubi non solvuntur assisiæ, ergo & dicti agentes sub statu prælatorum comprehensi, contribuere debent. Quintum est, quia dicti agentes tutantur in eorum bonis quæ habent infra oppidum Bruxellense vel ejus districtum per ipsos reos, sicut alij cives, qui propter hujusmodi tuitionem solvunt assisias, & ipsi agentes utuntur privilegio magnis expensis oppidi impetrato. Cùm ergò ra-

48 tio & æquitas dictet, ut onus † non recuset qui commodum sentit & amplectitur, *leg. secundum naturam. ff. de regulis juris, & lege unica. §. pro secundo, Cod. de caduc. tollend. cum similibus,* ergo ipsi agentes meritò solutionem hujusmodi assisiarum recusare non debent. Sextum est, æquitas suadet pacta servari, *cap 1. & c. qualiter, de pac. & ff. C. eod. tit. per totum:* sed dicti agentes, ut rei asserunt, convenerunt cum ipsis reis & promiserunt eisdem, in hujusmodi oneribus in antea contribuere, ut sui prædecessores contribuerunt, ergo, &c. Septimum est, bona ad hæredes transeunt cum onere suo, *leg. prima & tertia, C. de hæred. ac. cum similibus.* Sed sic est, quòd multi ex agentibus successerunt suis parentibus laicis, qui consueverunt in hujusmodi oneribus contribuere. ergo, &c. Ad quæ contraria per ordinem respondetur: Et primò ad primum de consuetudine respondetur dupliciter, primò negando, quòd illa prætensa consuetudo observata fuit, saltem in omnibus assisijs, quinimò ut ex scriptura eorundem reorum & ex actis constat certæ adauctiones ad veteres & quædam novæ assisiæ seu impositiones à paucis annis citra in prætacto oppido Bruxellensi impositæ fuerunt, in quibus certum est illam consuetudinem

ſibi locum non vendicare, neq; argumentum militare. Secundò reſpondetur, ſuppoſito quòd illa conſuetudo ſubſit in antiquis, tamen adhuc non obſtat etiam in illis, quia illa prætenſa conſuetudo eſt expreſsè reprobata, ut patet *in dicto c. quanquam, & in dicto §. illicitas, de pace jur. fir. in uſibus feud.* & volunt Anton. de Butrio, Io. de Imo. & Panor. & Doct. *in dict. cap. 1. de conſuet. & idem Panor. in dicto cap. Maſſana*, qui omnes volunt, hujuſmodi conſuetudinem ſimpliciter non valere, neque aliquod jus tribuere, etiam in bonis patrimonialibus clericorũ: pro quo etiam facit *deciſio Rotę ſuprà allegata, & Conſilium Oldrad. præallegatum*, & patet clarè *in authen. caſſa & irrita, Co. de ſacroſanct.*
49 *eccleſ.* ubi caſſantur ſtatuta † & conſuetudines introductæ ſeu introducendæ contra libertatem eccleſiæ, qualis eſt iſta, cùm ſit contra privilegia conceſſa eccleſiæ univerſali & clericis, per Deum, Imperatores, & Papam, per ſuprà dicta, quorum alterum ſufficeret, juxta Theoricam Innoc. Hoſtien. Abba. Io. And. Hen. Boick, & Doctor. *in d. cap. noverit*, quam ſequitur Antoninus *in ſua ſumma, in tertia parte, tit. vigeſimo quarto, paragraph. decimo ſeptimo.* & Lapus pulchrè *in allegatione ſua 92.* & Ioan. Andr. *in cap. eos, de immunit. eccleſ. libro ſexto in novella*, & multum eleganter Cardin. *in repetitione dicti cap. perpendimus.* Et dato, quòd non eſſet contra jus divinum, tamen quia ſemel eſt reprobata nunquam poſſet de novo induci reſiſtente lege, quæ ſemper loquitur, *& leg. Arriani, Cod. de hęretic.* & ſemper reſiſtit, conſuetudini introducendæ, ſecundum Laurent. & Card. *in clem. ſtatutum, de electıon.* licet gloſſ. ibi aliud ſentire videatur: & quia eo ipſo quòd eſt reprobata conſtat de ejus irrationabilitate. Ex quibus patet ſolutio ad omnia ſuprà in confirmatione hujuſmodi conſuetudinis adducta, quæ ſibi locum
50 vendicant in conſuetudine † tolerata à jure, & non reprobata, qualis eſt iſta: nam ipſa eſt contra jus divinum, ut ſuprà latè deductum eſt, & ſic inpræſcriptibilis, cùm nutriat peccatum: & tantò ſunt graviora peccata, quantò diutius infelicem animam detinent alligatam, *cap. fin. de conſuet. & cap. ſunt quidam, 25. quæſt. 1.* Nec aliquid facit, quòd de præſumpto conſenſu ſummi pontificis vel tolerantia ejuſdẽ ex diuturna præſtatione allegatum eſt, quia ut dicit dicta deciſio Rotæ, cùm jus in hac parte ſit prohibitivum & ab exemptione divina procedens, ut ſuprà latè deductum eſt, actus in contrarium factus inducit peccatum & abuſum, & ſic hoc caſu non ſufficit tolerantia Papæ, nec illa conſen-
51 ſum operatur: quia † multa per patientiam tolerantur, quæ ſi in judicium deducta forent, non tolerarentur, *c. cum jam dudum, in fine, de præbend.* Præcepta enim negativa obligant ſemper, & ad ſemper, ſecundum Theologos & Canoniſtas, *in cap. novit, de judic. in capit. ſi peccaverit, ſecund. quæſtio. prima, cum aliis in dicta deciſione adductis*: ultra quæ benè facit deciſio Anton. de Butrio. Panormit. Præpoſiti, & aliorum *in d. c. quia circa, de fine.* Nec etiam facit, quod propter diuturnam præſtationem pręſumitur ex legitima cauſa hujuſmodi onus aſſiſiarum impoſitum, ut rei ſuſtinent, quia licet interdum juſta cauſa potuit ſubfuiſſe, quod tamen non creditur, illa tamen jam diu ceſſavit: Non enim fuit ipſa cauſa perpetua, ut ex deductis ipſorum reorum ſatis colligitur, & ſuprà deductum eſt: Etiam ſola cauſa juſta impoſitionis præſumpta non ſufficit, niſi intervenerit authoritas ſuperioris, quæ hìc non præſumitur interveniſſe, ut ſuprà dictum eſt. Et licet hæc objectio concluderet, prout non, ſolùm tamen hoc eſſet de antiquis aſſiſiis, & minimè de novis, vel adauctionibus, per ſuprà dicta. Nec aliquid facit, quod de univerſali

versali consuetudine allegatum est, quia
52 licet † universalis consuetudo laicorum & clericorum liget clericos, quando disponit generaliter super actu indifferenti, cadente in clericos sicut in laicos, ut est consuetudo disponens, quòd primogenitus excludat alios vel similis: tamen hoc non procedit, quando actus non sunt indifferentes, ut quia clerici sunt specialiter privilegiati, ut in casu præsenti: casus est de hoc *in dicto capit. quanquam*, & vult Paulus de Castr. *in dicto suo consilio quadringentesimo trigesimo octavo*, quando consuetudo astringit ad onus, ita quòd evitari non potest, & Cardin. multum pulchrè *in repetitione dicti cap. perpendimus.* Nec præmissis obstant *notat. ipsius Hostien. in summa. sua in titulo, de immunitat. eccles. in paragraph. quibus circa finem tertię column.* ubi sentire videtur,
53 quòd † valet consuetudo illa, quę habet: ut annuatim aliquid certi detur laicis per clericos pro illis quæ respiciunt communem utilitatem vel pietatem: talis enim præstatio quamvis vocetur tallia, est tamen census, secundum eum: Clerici autem obligantur ad censum, ut suprà, sicut ad tributum. Nec ea quæ habentur per Paulum de Castro *in dicto suo consilio quadringentesimo trigesimo octavo, in novis, in secundo dubio*, qui in terminis nostræ quæstionis videtur approbare dictam consuetudinem: Quia respondetur, negando quòd præfati Doctor. volunt illam consuetudinem valere, qua laici collectas vel gabellas imponunt ipsis clericis: sed solùm hoc dicunt & determinant, quòd consuetudo illa valet, quā ipsi clerici in illis quæ respiciunt pietatem vel communem utilitatem singulis annis aliquid dant, justum initium habens & non quidem per directum, secundum Paulum de Castr. sed per indirectum, eo modo quo assisiæ solvuntur per clericos volentes uti commodo provisionis habendi & quærendi cerevisiam, vinum, carnes, & similia, in dies per pottos & pondera, seu per minutum: dummodo tamen si non voluerint uti hujusmodi commodo quærendi per minutum, pateat eis via alibi in grosso liberè emendi. Patet ergo ex determinatione ipsorum Hostiens. & Pauli de Castro, quòd illa consuetudo valet solùm tunc, quando illa quæ solvuntur, dantur propter ea, quæ respiciunt pietatem vel communem utilitatem, & in illos usus convertuntur, sicuti non est in casu præsenti, ut suprà deductum est: & ulterius ex determinatione ipsius Pauli de Castr. hoc plus habetur, quod nullo modo per directum hoc potest fieri, ut clericis & ecclesiasticis personis auferatur facultas habendi & quærendi cerevisiam, vinum, carnes, & similia alibi in grosso, absque solutione cujuscunque gabellæ, non obstante quocunque statuto directè vel indirectè in contrarium faciente: cùm illud tanquam contra libertatem ecclesiæ sit nullum, & statuentes excommunicati, *dicto cap. noverit, & cap. gravem, de sent. excommunicat. & dict. cap. eos, de immunit. eccles. libr. 6.* etiamsi illud statutum esset generale, prima facie comprehendens in genere tam cler. quàm laicos, quo casu si dubium fuerit, an statutum illud generale comprehendat clericos vel non, licet in dubio clerici non comprehendantur de
54 jure: cùm † in generali dispositione nunquam comprehendantur illi, contra quos non potest specificè disponi, ut vult Paul. de Cast. *in l. si quando. ff. de legat. 1. cum simil.* quales sunt clerici, ut dictū est: quia tamen propter hujusmodi dubium dicti clerici gravari possent de facto, cogi possunt & debent ipsi laici per episcopum declarare quòd in illo eorum generali ambiguo & æquivoco statuto clerici non comprehenduntur, ut notanter dicit Ioan. And. *in d. c. eos in novella, & ibi hoc dictū*

sequuntur

sequuntur Dominicus, Philippus, & alij, & vult Card. *in repetitione d. c. perpendimus*, quibus accedunt ea quæ eleganter habentur per Petrum de Ancho. *in cons. suo* 155. & not. per Alexan. de Imol. *in d. auct. cassa & irrita.* & ea quæ habentur per Caspar. de Cald. *in consil.* 12. *posito inter consilia Petri de Anchor.* & ea, quæ habentur in duobus consilijs sequentibus editis per venerandum collegium utriusq; juris Bononiens. in quibus passibus præfati Doct. plus voluit, videlicet quod li-
55 bertas † accedendi ad molendinum episcopi non potest impediri per statutum laicorum, etiam si statuant directè contra suos laicos. Præsupposita ergo veritate determinationis præfatorum Doct. Host. & Paulus de Castro conclusivè solum sequitur ex illa, quòd si consuetudo articulata per ipsos reos fuerit probara, prout speratur quòd non, quòd illa duntaxat sibi locum vendicare potest, & clerum obligare ad antiquas assisias: & tunc demum ad illas quæ imponuntur & ordinantur ad persolvendum onera, pietatem vel communem utilitatem concernentia, & solùm in illos usus convertantur, quoad illos, qui volunt uti commoditate provisionis emendi & habendi vinum, cerevisiam, carnes, & similia in dicto oppido Bruxellensi per pottos vel pondera modo prædicto: dummodo tamen, si illa commoditate uti non voluerint: non impediantur aliunde quærere, & liberè ad domos proprias adducere. Hoc enim nulla posset introduci consuetudine, *secundum Paul. de Cast. ubi suprà per dict. cap. quanquam*, ubi de hoc est casus: intelligendo, illud locum habere in gabellis & assisijs: prout vult Card. *in d. suo cons.* 12. *& alij Doct. in passibus suprà allegatis.* Ad secundum verò dicitur, quòd illud assumit falsum, videlicet quod ec-
56 clesiæ † & clerici solùm sunt exempti ab extraordinarijs, & non ab ordinarijs, quia certum est eos esse exemptos ab angarijs & perangarijs, quæ tamen sunt ordinaria, ut volunt Innocen. Ioan. And. Henricus Boick, & Doctores *in d. c. non minus*, & etiam ab omnibus alijs muneribus, ecclesiæ & ipsi clerici sunt immunes, quæ imponuntur personis ratione rerum, etiam si fierent ordinaria autoritate principis, statuti vel consuetudinis: cùm personæ nullo modo subijciantur eisdem neque subjici possint per consuetudinem vel statutum laicorum, ut suprà dictum est: ita expressè determinat Cyn. post Petrum *in d. l. placet*, licet enim per statutum vel legem de extraordinario fieri possit ordinarium, ut est textus *in l. prima, C. de indicijs lib.* 10. *& ibi hoc notat Bartol.* Tamen in præjudicium ecclesiarum vel clericorum non subjectorum talis declaratio nihil operatur: & ratio est apertissima, quia ordinarium vel extraordinarium non alterat vel auget facultatem seu jurisdictionem imponentis onus: quin ipse cujus autoritate ipsa onera imponuntur, seu imposita ordinaria esse declarantur, debet esse superior, habens jurisdictionem in illum vel illos quibus ea imponit. Sed hoc cessat in laicis respectu clericorum, ut suprà deductum est, ergo clarè patet, quod si judex secularis declaret aliqua onera esse ordinaria, illa tamen declaratio non magis ligat clericos, quàm
57 prius: ex quo judex † secularis nullam jurisdictionem de jure habet in clericos, exceptis specialibus casibus notatis per *gl. in cap. principes*, 23 *quæst.* 5. Nec tam ex consuetudine quanticunque temporis acquirere posset, ut vult *decisio Rotę suprà allegata*, & sic collectam imponere, & alia jurisdictionalia in eos exercere non potest, etiam ex quacunq; consuetudine.
58 Secus tamen est † in forensi, cui ratione bonorum, quæ hîc habet ex consuetudine collecta imponi posset, licet non de jure communi, *d. l. rescripto*, §. *fin.* & *ibi habetur per*

tur per Alex. & *Doct.* & voluit idem Alex. *in consil. suo* 68. 2. *voluminis incip. viso* & *benè discusso processu*, & Franc. de Aret. *in consilio suo* 133. *incip. in causa quæ vertitur.* & Bart. *in d. l.* 1. *in* 3. *colum. C. de mulier.* & *in quo loco lib.* 10. In forensi enim non est resistentia juris divini, sicut
59 est in clericis. Onera † autem quæ imponuntur personæ ratione personæ, vel personæ ratione rerum, sunt personalia non realia, secundum Bald. *in l. final. in princ.* 2. *col. C. sine censu vel reliquis*, & volunt Ioan. Andr. & Doct. *in d. c.* 1. *de immun. eccles. lib.* 6. *in novella*. Cùm ergo persona clerici nō subsit nec subesse possit etiam ex consuetudine, ut dictum est, sequitur quòd ei ratione bonorum suorum quæ libera ad eum pervenerunt, collecta vel gabella imponi non potest, per prædicta. Errant ergo vehementer ipsi rei, sustinentes illam universalem, quod ad omnia onera ordinaria obligantur clerici vel ecclesiasticæ personæ: quinimò solùm obligantur ad tributa & census, quæ sunt merè realia, & ab ipsis rebus & nullo modo à personis debita. Ad alia autem onera non reperiuntur obligati, nisi in subsidium, juxta suprà dicta: & ergo Doct. *in prealleg. cap. non minus*, & Io. de Platea *in d. l. si divina*, & Cardin. *in d. clemen.* 1. *de vita* & *honest. clerico*, ponunt hanc universalem veram, quod clerici ab omnibus oneribus sunt exempti, demptis casibus in jure expressis, per nos suprà late satis commemoratis. Secundò supposita veritate assumpti, Respondetur, negando quòd assisiæ sunt munera ordinaria: imò sunt extraordinaria, ex quo non habent uniformem & perpetuam præstationem, ex quo auctæ sunt, & sperantur iterum minui deficientibus oneribus. juxta deducta ipsorum reorum: & hinc à Doctoribus gabellæ nuncupantur & ad instar pedagiorum solvuntur, à quibus dicti agentes sunt immunes, juxta propriam confessionem ipsorum reorum, copiatam *fol.* 125. *pag.* & ut supra dictum est, *d. cap. quanquam*, loquens in pedagijs, habet locum in gabellis & assisijs: unde clare patet, clericos ab illis debere esse immunes. Ad tertium vero respondetur, negando quòd dicti agentes interfuerunt conclusioni pacis, vel quòd ipsi fuerunt causa belli: Et dato, quod aliqui ex agentibus fuissent causa belli, hoc tamen toti clero obesse non posset, nec dici posset per universitatem cleri factum esse juxta *gl. notabilem in l. sicut. ff. quod cujusque univer. nomine*, & not. per Bart. *in l. aut facta. ff. de pœnis*, & Ioann. Andr. *in cap. felicis, de pen. libr.* 6. *in novella*, & Panormitan. *in cap. dilectus, in* 6. *col. de simo.* quare non obstat. Ad quartum respondetur præsupposita veritate assumpti, quòd illud non obstat, quia vel hoc ipsi prælati & sacerdotes præstant de eorum bonis immobilibus, terris & pratis, onere reali priusquam ad eos pervenerunt oneratis & affectis: & non est mirum, quia tenentur, cùm
60 res † transeat cum suo onere & sua causa, *cap. pastoralis, de decim.* & *leg. si debitor, Cod. de distract. pignor. cum similibus*, aut aliàs ex nova impositione, & tunc indebitè gravantur, nec solvere tenentur, per suprà dicta. Sic-
61 que hoc inconveniens † allegatum non immeritò inconveniens infert, cùm ad absurdum sequatur aliud absurdum, ut dicit gloss. *in leg. divortio ff. solut. matrim.* Posito enim quod non expedit, sequitur quod non oportet, ut dicit glos. *in l. à testatore. ff. de cond.* & *demonst.* & uno inconvenienti dato, plura sequuntur, *l. ratas*, & *ibi Bald. C. de rescind. vend. cum simil.* Ad quintum autem respondetur, quòd illud simpliciter falsum præsupponit: quia ut patet

ex suprà dictis, ipsæ assisiæ propter hujusmodi tuitionem non fuerunt neque sunt impositæ, sed propter alia diversa onera ipsi oppido incumbentia, ortum habentia ex bellis & guerris diversis, uti ex scripturis reorum patet, ad quæ onera ipsi clerici non tenentur contribuere, cùm sint plenè exempti, juxta prius dicta: ad quæ etiam faciunt ea, quæ notanter volunt Rayne. Paul. de Castro, Ioan. de Imol. & Doctores, *in dict. l. si ex toto, in in princip. ff. de le-*
62 *gat.* 1. ubi volunt, quòd habēs † immunitatem à collectis, non tenetur ad collectam imponendam, etiam propter guerram supervenientem, & idem voluit Paul. de Cast. *in d. suo consilio* 438. *circa finem*, etiam bona clericorum non tenentur, cùm ipsa sint libera & non obligata, ut dictum est: & eodem modo respondetur ad id, quod ipsi rei de impetratione cujusdam privilegij allegant: cùm in fa-
63 vorabilibus † gaudere debeant privilegio civium secundum Bart. *in leg.* 3. *in §. si emancipatus. ff. de bonor. possess secundum tabul.* & est text. notabilis *in cap. dilecti, de foro compet.* nec ideo debent minùs benè tractari, quia habent privilegium ab exactionibus, quia sic indirectè violaretur eorum libertas, quòd non licet, *dict. cap. eos*, ubi de hoc est casus: etiam in actis non constat, clerum Bruxellensem illo privilegio fuisse usum, & sic non obstat. Ad sextum autem de pacto respondetur per interemptionem: neque hoc constat per acta. Supposito etiam, quòd de illo constaret, adhuc non posset obesse, ex quo consensus summi pontificis ad hoc requisitus, *d. ca. adversus* non intervenit: & etiam non posset ob-
64 esse alijs à paciscentibus, cùm actus † nostri voluntarij eatenus nos obligent & præjudicium faciant, quatenus geruntur, & non ultrà, *l. fin. C. quando uxor pro mari. & l. Lucius. §. testator. ff. de legat.* 2. *& l. voluntariè, C. de excus. tut. cum simil.* Ad septimum verò respondetur, quòd hoc vendicat sibi locum, quando ipsa bona per prius erant gravata tributo vel censu, aut alio onere merè reali certo & perpetuo: Secus autem, quando illa bona non erant per prius affecta onere reali, ut in casu præsenti: cùm tunc mutent naturam & regulentur secundum qualitatem personæ ad quam transeunt, juxta vulgatam regulam quæ ha-
65 bet, quòd quando † privilegiatus succedit privato, tunc pro futuro tempore utitur jure proprio, & non jure privati: licet secus sit de tempore præterito, textus est notabilis *in l. fiscus, ff. de jure fisci, & volunt Doct. in auct. quas actiones, Cod. de sacrosanct. eccles. & in pluribus alijs passibus suprà latè commemoratis.* Concludo ergo ex præmissis, per vos præstantissimos dominos judicandum esse ut suprà dixi: Judicio vestro, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM XLIII.

SVMMARIA.

1 *Collatio beneficiorum fructibus ecclesiæ adnumeratur.*

2 *Relatio semper fieri debet ad præcedentia nedum quò ad substantiam sed & quò ad qualitatem.*

3 *Papa voluisse non censetur, quod non expressit.*

4 *Exceptio debet esse de regula.*

5 *Dictio*, Tamen, *quando ponitur sine copula, debet adversari tam in jure, quàm in facto.*

6 Spe-

6 *Specialis mentio deſignat ſpecialitatis notam.*

7 *A jure ſuo per verba generalia quis recedere voluiſſe præſumitur.*

EX quo de ſubſcriptione duntaxat fui requiſitus, & quia Dom. Præconſulens ampliſſimè materiam declaravit: idcirco omiſſa caſus poſitione, & longa jurium recitatione ut brevis ſim, videtur mihi ſubſcripto, idem de jure dicendum & conſulendum. Pro cujus fortificatione ponderanda eſt clauſula, ſuper qua pars adverſa principaliter ſe fundat. 9
illa videlicet, ſic & taliter ſe extendens uſque ibi, quodq; idem abbas Floreffien. &c. In qua clauſula inter alia habentur hæc ad verba, gaudeat etiã pacificè & integrè omnib. fructib. redditib. proventib. juribus, & obventionibus univerſis dictarum eccleſiæ & annexæ, quam diu rector earum permanſerit: quæ clauſula etſi prima facie videatur facere pro parte ad-
1 verſa, ex quo collatio † beneficiorum eſt in fructu, ut eſt *gloſſ. in cap. cùm olim, de majo. & obedien.* Tamen ſi benè ponderentur ſingula verba ejuſdem clauſulæ, & ſignanter illa verba, dictarum eccleſiæ & annexæ, & illa, quamdiu rector earundem permanſerit, earum ſcilicet ec-
2 cleſiæ & annexæ, ut ſic fiat † relatio ad præcedentia, nedum quoad ſubſtantiam ipſam, ſed etiam quoad qualitatem ejuſdem prout fieri debet. *l. Seiæ. §. Cajo, cum ſua materia. ff. de fundo inſtruct. & l. in repetenais. ff. de legat. 3. cum ſimil.* patet clarè quòd poſt dimembrationem præfatarum eccleſiarum & erectionem earundem in parochiales eccleſias, non remanſit ipſe Dominus Henricus rector dictarum eccleſiæ & annexæ, cùm jam qualitas eorundem beneficiorum fuerit omnino mutata, ita & taliter, quòd ambo ab eodem ſine diſpenſatione in titulum obtineri non potuerunt, *cap. de multa, de præbend.* ubi prius modo præmiſſo obtineri potuerunt, *c. dudum 2. de elect.* Et hinc eſt, quod ſedes apoſtolica vel ejus commiſſarius in confirmatione hujuſmodi concordiæ ſpecialiter circa hoc diſpoſuit, & concordiam ipſam in ea parte non in ea qua jacet forma ſed aliter approbavit, conferendo dicto Domino Henrico unam eccleſiam in titulum, & aliam in commendam. Poſt quam ſiquidem dimembrationem & ante hujuſmodi collationẽ, certum eſt hujuſmodi beneficia vacaſſe, & ipſum Dominum Henricum hujuſmodi beneficia ex collatione apoſtolica, & ſic ex novo titulo extra tenorem concordiæ habere & poſſidere: quare ſequitur, quod dicta verba benè ponderata faciunt de directo cõtra partem adverſam: cùm ut ex præmiſſis patet, ipſe deſiit eſſe rector dictarum eccleſiæ & annexę, & ex concordia hujuſmodi non potuit habere fructus & proventus illarum, niſi quamdiu earũdem eccleſiæ & annexæ permaneret rector: quare etiã ſequitur, ut dicit Dominus præconſulens, quod hujuſmodi concordia eſt ſortita effectum ſuum quo ad collationẽ beneficiorum in ipſis eccleſijs ſituatorũ poſt hujuſmodi dimembrationem factam: ex quo, ut præmittitur, tunc non manſit eccleſia & annexa, ſed factæ ſunt duæ eccleſię parochiales: in quarum una collatio beneficiorum ſpectat ad Auerbodienſem abbatem, & in alia ad Floreffienſem abbatem. Nam antequã ſeparatę erãt, hoc fieri non potuit, cùm tantùm una erat eccleſia. Et iſtud clarè patet inſpicienti concordiam: nam poſtquã in eã ſermo habitus eſt de dimẽbratione facienda, reſervatur jus præſentandi ad eccleſiam de Meyrda, ſuperiori abbati Auerbodienſi, & de Myerda inferiori abbati Florieffienſi, dum & quando eas vacare contigerit per ceſſum vel deceſſum dicti Domini. Henrici, & ſub-

subsequenter immediatè subjicitur clausula, beneficiorum tamen collatione, &c. In qua clausula reservatur jus conferendi beneficia vacantia infra ecclesiam de Myerda superiori Domino Auerbodiensi, & de Myerda inferiori Domino Floreffiensi, absque hoc quod in ea aliquid dicitur de morte dicti D. Henrici: patet ergo clarè, quod ad dictam clausulã statim post dimembrationem concordia sortita fuit suum effectum, & sic aliud servandũ est post hujusmodi dimembrationem quò ad collationem ipsarum parochialium ecclesiarum, & aliud quo ad collationem beneficiorum infra limites ipsarum si-
3 tuatorum. Nam si Papa † voluisset collationem beneficiorum infra dictas ecclesias situatorum in vita dicti Domini Henrici ad ipsum Dominum Henricum pertinere, hoc utique expressisset, *c. ad audientiam, de decis.* quod tamen non fecit. Præterea confirmatur & deducitur istud ex dicta clausula reservationis collationis beneficiorum infra dictas ecclesias respectivè situatorum. Nam aut illa clausula venit exceptivè aut adversativè ad clausulam immediatè præcedentem, ad quam in dubio facienda est relatio *l. si idem cum eodem. § fin. ff. de jurisdict. om. jud. cum simil.* Ad clausulam autem præcedentem non potest venire excepti-
4 vè, quia † exceptio debet esse de regula, ut notat *gloss. super Rubrica, de regul. jur. lib. 6.* Ista autem esset inepta exceptio, ergo duntaxat venit adversativè propter
5 dictionem † tamen, quæ est adversativa, *l. cum hic status §. si divortium, & ibi notatur, ff. de donat. inter virum & uxor.* & debet adversari tam in jure quàm in facto, quando ponitur sine copula, ut hîc: notat gloss. & Doct. *in l. 2. ff. ne quis eum qui in jus voca. est vi eximat*: sed non potest adversari nisi illud quod dicitur in præcedente clausula, post cessum vel decessum dicti Domini Henrici, cui si adversetur, res est clara, ut prædixi: ergo, &c. vel dicta clausula venit exceptivè aut adversativè ad clausulam non immediatè præcedentem, sed ad illam, gaudeat etiam pacificè & integrè omnibus fructibus, &c. quamdiu rector earum permanserit, &c. & tunc benè venit exceptivè ad illam universalem, & etiam adversativè, & utroque casu sequitur propositum. Nam si exceptivè, clarum est, quia tunc excipitur fructus collationis beneficiorum infra dictas ecclesias situatorum: quòd si adversativè tunc similiter clarum est, quia non potest venire adversativè, nisi ad illa verba, quamdiu rector ecclesiæ & annexæ permanserit, &c. Certum autem est, eum non mansisse rectorem ecclesiæ & annexæ, ut suprà dictum est: ergo in illum eventum qui jam accidit habebit locum dicta clausula adversativa, beneficiorum tamen collatione, &c. & hoc est quod suprà dixi, quòd quoad hoc concordia per dimembrationem sortita est effectum, & iste fuit verisimiliter intellectus ipsorum contrahentium, si ipsa concordia diligenter ponderetur. Primò enim hoc colligi potest ex hoc, quod facit specialem mentionem de istis collationibus beneficiorum infrà dictas ecclesias situatorum: specia-
6 lis † autem mentio designat specialitatis notam, *l. sanctio legum ff. de pœn. & l. doli clausula. ff. de verbor. oblig. cum similib.* & sic non voluerunt partes verisimiliter hujusmodi collationem beneficiorum venire sub appellatione fructuum ipsarum Ecclesiæ & annexæ in generali clausula.

Secundo ex eadem concordia hoc deducitur in quantum in ea dicitur & narratur, ipsam ecclesiam & annexam vacasse novissime per mortem domini Iacobi Nicolai de Rethij religiosi professi monasterij Averbodiensis, ultimi rectoris ejusdẽ, & sic Abbas Auerbodiensis, in illa

ecclesia

ecclesia ante habuit collationem omnium beneficiorum infra limites dictarum ecclesiarum situatorum: asseritur enim pro firmo fundamento, quòd dominus Abbas Averbodiensis in omnibus ecclesijs ad collationem suam spectantibus religiosis cōferri solitis, obtinuit & obtinet collationem omnium beneficiorum in eisdem ecclesijs fundatorum & situatorum: A
7 quo † jure non est verisimile ipsum voluisse recedere per verba hujusmodi generalia. Sed hoc jus per ipsa verba specialia voluisse potius specialiter reservare, *l. cum de indebito. ff. de probatio.* & *c. super hoc, de renun. cūm vulg.*

CONSILIUM XLIV.

SUMMARIA.

1 *Pluralitas vinculorum non attenditur ultra fratres & filios fratrum.*

2 *Pluralitas vinculorum non facit quem esse in propinquiori gradu.*

3 *In patruelibus non attenditur pluralitas vinculorum.*

4 *Consuetudo capit in dubio interpretationem à jure communi.*

5 *Auth. cessante. C. de legit. hæred. quando locum habeat, &c.*

6 *Dictum Doctoris debet intelligi secundum legem quam allegat.*

CAsus talis est, quidam Petrus ex sua prima uxore Ioanna nomine, habuit filiam Iacominam nomine, & ex eadem nepotem nomine Robertum: Ex secunda autem uxore sua nomine Michaëla, habuit duos filios, majorem natu Robertum nomine, minorem natu Ioannem nomine: quorum uterque habuit filium nomine Iacobum, Robertus autem ex secunda uxore genitus, reliquit post se centum libras hæreditarij redditus, quo defuncto eidem successit suus filius Iacobus, qui jam nuper diem vitæ suæ clausit extremum, nullis post se relictis liberis, neque ascendentibus. Modo quæritur, quis dicto Iacobo debeat succedere? An scilicet Robertus præfati Petri ex prima uxore nepos, an Iacobus ejusdem Petri ex secunda uxore nepos, an uterque? quæ quæstio in effectu dependet ab ista. An in successione patruelis admittatur patruelis ex altera tantùm parte conjunctus cum patrueli utrinque conjuncto, vel an alter alterum excludat: & eadem quæstio fieri posset in amitinis vel consobrinis, si casus occurreret. Pro cujus quęstionis decisione præmittenda est *Theorica Iaco. de Bellovisu, in auth. de hæredita. quæ ab intest. defe. §. si verò nec fratres, colum. 9.* quam refert & sequitur Pau. de Cast. *in auth post fratres, 2. C. de legi hęre.* & sentit Bart. *in l. post consanguineos. § hęreditas, in finalibus verbis. ff. de suis & legi hæred.* & Ioan. Fab. *Instit. de servi. cog post medium,* quæ
1 est ista: quòd † pluralitas vinculorum, de qua *in auth. cessante. C. de legi. hęredi. & in auth. itaque. C. communia de success.* non attenditur ultra fratres & filios fratrum: quia in ulterioribus tantùm consi-
2 deratur proximitas gradus, pluralitas † autem vinculorum non facit quem esse in propinquiori gradu: Qua decisione sic præmissa, quæstioni suprà positæ breviter respondetur, quod tàm Robertus quàm Iacobus, Iacobo defuncto æqualiter succedent: ex quo sunt in pari gradu, nec sunt fratres, vel defuncti fratrum filij:
3 sed ipsius defuncti patrueles, † in quibus juxta Theoricam suprà positam non attenditur pluralitas vinculorum: & pro hac Theorica est *text. in d. auth. post fratres 2. & ibi Doct. & in corpore unde sumitur.*

mitur. Nec in aliquo contrariatur, vel aliquid ad casum præsentem faciunt consuetudines mihi transmissæ. Et primò nihil facit prima consuetudo, disponens proximiorem lineæ, vel in linea unde provenerunt bona de quibus quæritur, debere præferri alijs quibuscunque, gradu etiam proximioribus, cùm hic uterque sit æquè proximus lineæ unde provenerunt bona, & neuter in ipsa linea. Secunda verò consuetudo similiter nihil facit ad casum præsentem, cùm tantummodò loquatur in masculo, & fœmina ad successionem alicujus venien. preferens masculum fœminæ: In casu autem præsenti uterque est masculus. Non obstat etiam clausula finalis ejusdem secundæ consuetudinis, volens quod in collateralibus debeat esse unicus tantum hæres, Quia illa intelligenda est in casu ubi reperiretur proximior in gradu, quo casu ille solus succederet: aliàs ubi essent duo æquè proximi, ut in casu præsenti, esset talis
4 consuetudo incerta: in dubio † autem consuetudo capit interpretationem à jure communi, *l.2. & ibi Bal. Salic. & Doct. C. de noxa. actio. & c. cum dilectus, & ibi Pan. & Doct. de consuet.* quare dicta consuetudo nihil ad casum præsentem facit. Non obstat etiam decisioni quæstionis propositæ *argumentum Pau. de Cast. in d. auct. post fratres, 2. in finalibus verbis, de auct. cessante, suprà alleg.* per hoc illic reprehendens sententiam aliquorum famosissimorum Doctorum pro casu subjecto expressè sentientium. Quia respon-
5 deo, quod *dicta Authen. cessante*, † loquitur quando patruo succeditur per nepotes, & sic ille de cujus hæreditate agitur reliquit post se fratres vel filios fratrum, sed in casu præsenti agitur de successione illius, qui non reliquit post se fratres, neque filios fratrum, habendo respectum ad eum: sed reliquit post se filios duorum patruorum suorum, qui sunt patrueles sui: & ergo meritò simul admittuntur ad successionem ejus, non obstante, quòd unus descendit à patruo defuncti, qui eidem defuncto utrinque conjunctus fuit, & alter ab alio patruo qui defuncto attinebat ex uno latere duntaxat, per *dictam Theoricam Iacobi de Bellovisu, & sequacium*: licet enim dicti patrueles sint filij duorum fratrum simpliciter loquendo, habendo tamen respectum ad eum, de cujus hæreditate agitur, sunt filij duorum patruorum, nec est verum dicere, quòd dictus Iacobus, de cujus hæreditate agitur, post se reliquit fratres vel filios fratrum, & sic casui subjecto rectè congruit *Theorica Iacobi de Bellovisu & sequacium suprà tacta*. Nec in aliquo obstat *dicta Authen. cessante*, quæ non tangit casum præsentem, ut suprà declaravi: & nisi Pau. de Castro, se referat ad casum *dictę Authen. cessante*, enormiter errat: si verò se referat ad casum *d. Authen. cessante*, prout in dubio præsumi debet, quia
6 dictum † Doctoris debet intelligi secundum legem quam allegat, ut dicit Bart. *in l. non solùm. §. si liberationis verba. ff. de liber. lega.* tunc nihil facit ad propositum: & quòd vera sit opinio dicti Iacobi & sequacium, patet evidentissimè ex notatis per eundem Pau. de Castro, *in Authen. post fratres, I. C. de legit. hered.* ubi idem dicit quod Iacobus prædictus, licet eum non alleget: & dicit se sic Bononiæ consuluisse. Et sic patet, nihil facere dictum argumentum, sed optimè consuluisse illos famosissimos doctores, quorum consilium ipse Paulus de Cast. *in d. Authen. post fratres 2.* se vidisse commemorat. Concludendo ergo dico in casu & quæstione præsenti, utrosque tàm Robertum quàm Iacobum (licet Robertus sit defuncto ex altera tantùm parte conjunctus) præfato Iacobo defuncto æqualiter debere succedere, per suprà dicta.

CON-

CONSILIUM XLV.

SUMMARIA.

1 *Validitas statutorum probatur per interventum causarum ad eam requisitarum.*

2 *Fraudibus occurrendum, & malitiis hominum non indulgendum.*

3 *Collectæ singulis etiam capitatim imponi possunt pro sufferendis oneribus civitati ipsorum incumbentibus.*

4 *Per statutum potest prohiberi civibus ne agant vel faciant quid extra territorium statuentium.*

5 *Statutum ligat subditum extra territorium delinquentem, & num. 13.*

6 *Repertus in loco suspecto, an & quando puniatur, &c.*

7 *A suspecto semper potest exigi juramentum.*

8 *Frequentatio in loco prohibito inducit præsumptionem maleficij.*

9 *Contra statutum municipale præceptivum veniens peccat mortaliter, etiamsi in statuto ponatur alia pœna corporalis.*

10 *Ignorantes facientes contra statutum, quando puniantur, &c.*

11 *Vectigalia nova sine consensu principis imponi non possunt in præjudicium forensium.*

12 *Jus dicenti extra territorium impunè non paretur.*

14 *Verba pœnalia futuri temporis, faciunt pœnam non infligi ipso jure, sed ministerio hominis.*

15 *Delictum infra territorium alicujus initiatum, & extra illud consummatum, ubi puniatur, &c.*

16 *Sagittãs ex uno territorio in aliud, efficitur ratione delicti subditus utriusq; judicis.*

17 *Consuetudo vel statutum loci commissi delicti, quatenus attendatur, &c.*

18 *Iudex domicilij potest punire subditum pro delicto extra territorium commisso pœna juris communis vel municipalis loci commissi delicti.*

CAsus, super quo consilium petitur, talis est. Scultetus, Burgimagistri, scabini, jurati, ac alij legislatores oppidi Bergensis, ad quos de antiqua inviolabiliter observata consuetudine spectat & pertinet pro utilitate ejusdem oppidi statuta condere, prospicientes dictum oppidum diversimodè in suis assisijs, maletotis seu impositionibus super vino & cerevisia impositis, ac alijs emolumentis fraudari: Tum per hoc, quòd aliqui clàm & secretè infra libertatem sive districtum dicti oppidi cerevisiam ab extra sine exolutione assisiæ deferri procurarunt: Tum etiam ex eo, quòd multi cives & incolæ suburbia extra libertatem dicti oppidi jacentia, in quibus assisiæ de consuetudine non solvuntur, causa fraudandi dictum oppidum suis assisijs sive gabellis, bibendi seu potandi gratia accesserunt: per quæ antefatum oppidum in suis juribus nimium damnificabatur, ac minus sufficiens reddebatur: Considerantes quoque, quòd nisi hujusmodi fraudibus occurreretur, necesse foret pro supportandis oneribus populo ac plebi ejusdem oppidi (qui semper immunes perman-

permanſerunt) alias novas gabellas & impoſitiones imponere intervenientibus ſolennitatibus conſuetis, unanimi conſenſu pro communi utilitate dicti oppidi ſtatuerunt & ordinaverunt in modum qui ſequitur.

Item es gheordineert ende overdraghen / dat nyemant binnen der Stadt tvierſcharen gheſeten / het zy poorter of ingeſeten / of oick yemant anders / egeen bier buyten der vierſcharen van Bergen halen en zal oft doen halen om drinckens willē binnen der zelver vierſcharen vander Stadt noch oick buyten gaen om drinckens wille / daermede de voirſz. Stadt vercort mocht weſen in huere aſſyſe: ende oft yemandt bevonden worde contrarie doende / alzoe dat hy eenich bier haelde oft dede halen anders dan met vaten oft halve vaten / ende op zyne aſſyſe / alſt behoirt: die zoude verbeuren telcke male als hy bevonden worde tbier anders ghehaelt hebbende / t'wintich ſchillingen ouder grooten: Ende des machmen elckx eedt nemen: ende als van buyten ghegaeu weſende om drinckens-wille / drie ponden zwaerten. Id eſt, Item ordinatum eſt & placuit, quòd nullus intra civitatis diſtrictum reſidens, ſive civis ſive incola, aut etiam quivis alius, nullam cereviſiam extra diſtrictum Bergenſem feret aut adferri curabit, potandi gratia intra eundem diſtrictum civitatis, neque foras ibit potandi gratia, quo prædicta civitas in ſuis aſſiſijs damno afficiatur. Et ſi quis repertus fuerit contrarium facere qui cereviſiam ferat aut ferri curet aliter quam in vaſe aut medio vaſe, idque ſub ſuis aſſiſijs, ut oportet, committet ſingulis vicibus quibus cereviſiam repertus erit aliter tuliſſe, viginti ſolidos antiquorum groſſorum: ſuper quo exigi poteſt uniuscujuſque juramentum. Et quantum ad eos qui portandi cauſa foras eunt, tres libras **zwaerten.**

Revocatur modò in dubium & dubitatur, an hujuſmodi ſtatutum præcipuè quoad clauſulam mentionem facientem de potantibus vel gratia potandi extra diſtrictum dictorum ſtatuentium euntibus quoad pœnæ impoſitionem ſit validum nec ne: & an ſubditos extra libertatem potantes vel gratia bibendi euntes adſtringat, nec ne.

Pro cujus deciſione breviter eſt præmittendum illud, quod notant Doctores, & præcipuè dominus Baldus *in l. 1. in 9. & 10. colum. in verſic. nunc venio ad materiam ſtatutorum. C. de ſumma Trinit.*
1 *& fide catho.* quòd quemadmodum † ex defectu cauſarum ad validitatem ſtatuti requiſitarum probatur non ſubſtantia alicujus ſtatuti: ſic à contrario, ubi cauſæ materialis, formalis, efficiens, & finalis, debitè in aliquo ſtatuto intervenerunt, ſufficienter conſtat de validitate ejuſdem. Cùm ergo prætactum ſtatutum de communi conſenſu dictorum legiſlatorum, quibus ex antiqua conſuetudine & aliàs legitimè facultas ſtatuendi competiit ſuper rebus utilitatem dicti oppidi concernentibus, ſervatis ſolennitatibus debitis & conſuetis editum fuerit, conſtat ſufficienter, dictum ſtatutum non deficere ex defectu cauſæ efficientis, materialis, aut formalis, nec etiam ex defectu cauſæ finalis, quæ maximè eſt attendenda: quia dictum ſtatutum, ut in themate præmittitur, editum eſt ad occurrendum fraudibus, & ne melioris conditionis ſint fraudantes aſſiſias dicti oppidi, quàm debitè ſolventes: & ut omnium par & æqua eſ-
2 ſet conditio: fraudibus † enim occurrendum, & malitijs hominum non eſt indulgendum, *l. in fundo. ff. de rei vendic.* nec debet eſſe melioris conditionis ſtultus, quàm prudens, *cap. eum qui de præbend. lib. 6.* Congruum etiam eſt, ut hi, qui per

hujuſmodi

hujuſmodi aſſiſiarum ' ſolutionem rele-
vantur ab aliis impoſitionibus, collectis,
3 gabellis, & oneribus diverſis, † quæ poſ-
ſent ſingulis etiam capitatim, non ſuffi-
cientibus bonis dicti oppidi pro ſufferen-
dis oneribus dicto oppido incumbenti-
bus, exigente utilitate, vel neceſſitate rei-
publicæ, imponi: juxta notata per Bar-
tolum, Ange. Ioan. de Imo. Alexand. &
Doctor. *in l.4.§.actor.ff.de re judica.* &
per *gloſſ. & Bald. in l. 1. ante fin. ff. quod
cujuſque univer. nomine, per gloſſ. & Doct.
in cap. cùm dilecta, de reſcript. & per gloſ.
ordin. in Authen. quibus modis naturales
efficiuntur ſui, in §. ſi quis igitur. ſuper ver-
bo, perſolvat, collat.* 7. eaſdem aſſiſias
ſubeant & exolvant ſine fraude: qui enim
ſentit commodum, non debet refutare o-
nus, per jura vulgaria. Ex quibus con-
cluditur validitas dicti ſtatuti. Quod au-
tem præcisè in caſu noſtro quoad clauſu-
lam mentionem facientem de exeunti-
bus diſtrictum & libertatem dicti oppidi
cauſa fraudandi aſſiſias ejuſdem oppidi
hujuſmodi ſtatutum valeat, probatur per
*caſum legis expreſſum in l. fin. ff. de de-
cret. ab ord. faciend.* ubi patet, quòd per
4 ſtatutum † poteſt prohiberi civibus, ne
agant vel faciant quid extra territorium
ſtatuentium, per quem text. dicit nota-
biliter Barto. *in l. relegatorum, in §. in-
terdicere. ff. de interdict. & relegat.* quòd
civitas poteſt prohibere civibus ſuis, ne
vadant ad certa loca extra eorum diſtri-
ctum, dummodo hoc faciant in commo-
dum propriæ civitatis, prout in caſu dicti
ſtatuti factum eſt: aut in odium illorum,
ad quos illos ire non volunt: & hoc di-
ctum tanquam ſingulare recitat, appro-
bat, & ſequitur dominus Panormitanus
in cap. poſtulaſti, de foro competend. &
Angel. de Clavaſio *in ſua ſumma, ſuper
verbo, ſtatutum, in verſic. ſed nunquid ſi
ſtatutum prohibet:* idem probatur *in l.
mercatores. C. de commer. & merca.* per
quem text. dicunt ibi Bart. & Salic. quod
poteſt fieri ſtatutum vel lex puniens ſub-
ditum egredientem terminos aſſignatos,
licet ſint extra territorium: idem proba-
tur *in l.2. C. de eunuchis.* ubi dicit Bart.
quod civitas poteſt ſtatuere legem contra
ſuum civem, faciẽtem aliquid extra ſuum
territorium. Pro confirmatione præmiſ-
5 ſorum facit † etiam illud quod notârunt
Bald. & Ang. *in l. arboribus. §. Iulianus. ff.
de uſufruct.* & idem Bald. *in l. ſi quis non
dicam rapere, C. de epiſc. & cler.* de ſtatuto
prohibẽte ſub certa pœna portari bladum
extra territorium, ubi non dubitantes de
validitate dicti ſtatuti, concludunt quòd
ubi ſtatutum dicit, quòd extrahens bla-
dum puniatur, tunc in extrahenti bladum
habet locum pœna ſtatuti, ex quo realiter
extraxit, & non prius: cùm requiratur de-
licti conſummatio, ut verba ſtatuti planè
important: & ſic ſentiunt ibi apertè Doct.
ſtatutum ligare ſubditum extra territo-
6 rium delinquentem. Si autem ſtatutum †
dicat, quòd inventus exportare bladum
puniatur, tunc ſi quis reperiatur in loco
ſuſpecto, quamvis nondum limites exceſ-
ſerit, habet locum pœna ſtatuti, *per l. qui
fiſcales. C. de navicula. & naucle. lib.* 11.
Si autem non fuerit repertus in loco ſu-
ſpecto, defertur ei juramentum ſuper eo,
quòd non defert illud contra devetum ſi-
ve prohibitionem, *per l. 1. Cod. de litto.
& iti. cuſto. lib.* 12. per quem text. dicit
7 ibi Ioan. de Platea, quòd à ſuſpecto † poſ-
ſit ſemper exigi juramentum, ex quibus
juſtificatur clauſula in dicto ſtatuto con-
tenta, quæ habet, quòd poſſet recipi ju-
ramentum à quocunque, ſupple, ſuſpe-
cto de contraventione, vel reperto in lo-
co ſuſpecto, aut præſumptione faciente
contra ipſum. Præſumitur autem quòd
quis ierit cauſa fraudandi ſtatutum, ſi
non recta via, ſed per devia incedit. *l. 2.
& l. ſi quis per publicum, C. de curſ. pub.
lib. 12. & dict. l. qui fiſcales, & utrobique*

per Barto. Ioan. de Platea, & alios, vel si sæpius locum prohibitum visi & reperti fuerint accedere seu frequentare, *argument. Authen. si quis ei. C. de adult. & cap. monasteria, cum ibi notatis per Bal. de vita & honesta. cleric.* ubi dicit, quod
8 frequentatio † inducit præsumptionem maleficij. Præterea ad superius dicta faciunt notata per Barto. & alios Doct. *in dicta l. 1. C. de summa Trinit. & fide cath.* & per eundem Bart. *in l. de quibus. ff. de legib.* in quibus passibus ipsi notant, quod statutum disponens circa personas, ligat subditum ubicunque existentem, maximè quando in statuto hoc cavetur & exprimitur, ut in casu presenti, quod secundum Bart. *in dicta l. 1. in 8. quæst.* nedum procedit in delicto jure communi prohibito, sed etiam in damnato seu prohibito per statutum duntaxat: quod dictum refert & sequitur Bald. *in l. fin. ff. de jurisdict. omn. jud. in fine secundę quæstionū:* & est *text. in dicta l. fina. ff. de decret. ab ordi. facien.* Ex quibus, & aliis inferius allegandis, dico: judicio cujuscunque melius sentientis semper salvo: dictum statutum esse validū, licitum & honestum, omnesq; subditos dicti oppidi & statuentium illo ligari & astringi, nec scienter contravenientes à pœna dicti statuti, imò nec à culpa vel peccato excusare possem: per *Theoricam gloss. ordin. in cap. ut animarum, in princip super verbo, sententiis, cum ibi not. per Dom. & alios Doct. de constit.*
9 *lib. 6.* qui volunt, quòd veniens † contra statutum municipale præceptivum peccat mortaliter, etiam si ponatur in statuto alia pœna corporalis: facit *tex. & ibi not. c. 2. de majori. & obed. & cap qui resistit. 11. quæst. 3. de quo etiam pulchrè per dominū Panorm. post BeatumThomam in cap. nam*
10 *concupiscentiam, de constit.* ignorantes † autem à pœna excusantur, *d. cap. ut animarum, & d. l. fina. ff. de decret. ab ordi. faci.* nisi ipsorum ignorantia esset crassa & supina, quod præsumitur, si diu ibi morati fuerint, aut si id fuit generaliter & publicè in locis etiam vicinis prohibitum, de quo per Cyn. & Bart. *in dict. l. 1. C. de summa Trinit. & fide catho. in 2. quæst. principali, & per Salic. ibidem in versic. nunc quæro, quando convenitur.* Non obstat in premissis, si dicatur, quod statutum de quo est quæstio, non est factum de
11 consensu Imperatoris seu Principis, † sine cujus consensu nova vectigalia imponi non possunt, ut *C. nova vecti. per tot. & l. vectigalia, ff. de pub. vect.* ubi dicit Bart. quod defraudantes hujusmodi vectigalia, à communitatibus sine consensu Principis imposita, non tenentur Deo neque mundo, cùm sint potius exactiones. Quia dico, quod hoc potest habere locum in forensibus, in quorum præjudicium non possunt gabellæ indici: secus autem est in subditis statuentium, qui tenentur ad illorum solutionem, prout ibi notavit ipsemet Bart. & post eum Io. de Imo. Pau. de Cast. & Doct. & Bal. *in l. 2. in fine. C. de jur. aur. annu.* imò secundum Pau. de Cast. *in dicta l. vectigalia*, si exactio gabellarū sit præscripta tanto tempore, cujus initij memoria non existit: etiam forenses non possent licitè fraudare hujusmodi gabellas. Cùm ergo in dicto oppido Bergensi dictæ gabellæ, sive assisiæ, sicut etiam in aliis locis circumvicinis fuerint ab ævo impositæ, & à tanto tempore, de cujus initio memoria hominum non existit, quia etiam exinde onera dicti oppidi in relevamen subditorum solvuntur & supportantur, ac ipsi incolæ, à muneribus extraordinariis & aliis gabellis sive collectis eximuntur & relevantur, ut præmissum est, ergo, &c. Non obstat etiam, si dicatur,
12 quòd † jus dicenti extra territorium non paretur impunè, *dicta l. fina. ff. de jurisdict. omn. judi. & præalleg. cap. ut animarum. §. 1.* ubi contra hanc decisionem videtur casus: per quos text. Panor. *in cap. fina.*

fina. ſuper gloſſ. 3. *verſ. ſed circa hoc quęro,
de foro compet.* & idem Panorm. Anto. de
Butrio, & Doct. *in cap. à nobis.* 1. *de ſent.
excom.* Ioan. And. Domini. & alii canoni-
ſtæ *in d. cap. ut animarum,* indiſtinctè te-
13 nent, quòd ſtatutum † pœnale non poteſt
comprehendere vel ligare ſubditum de-
linquentem extra territorium ſtatuentis:
nec poteſt delinquens pœna hujuſmodi
ſtatuti puniri, ſecundum eos: & hoc vi-
dentur concludere, ſive habeamus reſpe-
ctum ad præſumptam voluntatem ſtatu-
entium, qui cenſentur voluiſſe compre-
hendere delinquentem extra territorium,
ut ſentit Barto. & ſui ſequaces *in d. l.* 1.
C. de ſumma Trinit. & fide catho. ubi di-
ſtinguit an ſtatutum ſimpliciter loquatur,
an verò expreſsè & nominatim in eo ca-
veatur & diſponatur de ſubdito delin-
quente etiam extra diœceſim: ſive habea-
mus reſpectum ad poteſtatem dictorum
ſtatuentium, qua (præſuppoſita etiam vo-
luntate) caruiſſe videntur extra territo-
rium, *per pręal c. ut animarum, in fine cum
vulgaribus.* Nam dico, quòd licet in præ-
tacto puncto, An videlicet ſtatutum obli-
get ſubditum delinquentem in alieno ter-
ritorio ad pœnam ſtatuti loci domicilii,
varia ſit doctorum opinio, & quæſtio ferè
inextricabilis: adeò quod Ange. de Pe-
ruſio *in dicta l. fina. ff. de juriſdict. omn.
jud.* dicit, hunc caſum egere deciſione Cę-
ſarea, & meo judicio non malè: quia Pet.
& Cyn. *in dicta l.* 1. *C. de ſumma Trinit:
& fide cath.* & plerique alij indiſtinctè
tenuerunt, quòd ligat ſubditum ubicunq;
exiſtentē, dicentes *d. c. ut animarum,* pro-
ceſſiſſe ex errore canoniſtarum: in qua
opinione poſt multa etiam reſidet dom.
And. Sicu. Barbatia modernus Doctor, *in
d. cap. poſtulaſti, in* 34. *col. in* 5. *oppoſitione
principali.* Io. And. autem, Panor. Domi.
& ferè omnes canoniſtæ *in paſſibus ſuprà
allegatis* tenuerunt ſimpliciter cōtrarium:
Barto. verò *in paſſu ſuprà alleg.* & ſui ſe-
quaces, fœdere diſtinctionis dictas con-
trarias opiniones concordârunt, modo
prius dicto: Ang. autem *in dicta l. fin. de
juriſdictio omn. judic.* & Bal. *in d. l.* 1. *C.
de ſumma Trinit.* aliam adhibent diſtin-
ctionem, dicentes, aut pœnæ per ſtatutum
ipſo facto infliguntur, & habet locum *d.
cap. ut animar. & d. l. fin. de juriſd. omn.
jud.* Aut pœnæ comminatæ per ſtatutum
requirunt ſententiam hominis, & habet
locum *d l. fin. de decr. ab ord. fac.* Tamen
quantum ſufficit propoſito dico, quod *d.
ſtatutum* de quo eſt quęſtio, etiam ſecun-
dū omnium opiniones, valet & ligat ſub-
ditos contravenientes extra territorium
ad pœnam, per caſum *præalleg: l. fi. ff. de
decr. ab ord. fac.* ad quem text. non poteſt
dari ſolutio. Quod deduco, quia ſi intelli-
gamus *d. cap. ut animarum,* proceſſiſſe ex
errore canoniſtarum, quod tamen abſur-
dum eſſet dicere, ſic planè *illud cap.* non
obſtat. Si autem intelligamus *illud cap.*
loqui, quando ſtatutum ſimpliciter loqui-
tur, prout illud intelligit Bart. *in d. l.* 1. *&
ſequaces:* cujus opinio videtur mihi om-
nium veriſſima: vel intelligamus, quando
pœna infligitur ipſo facto abſq; ulteriori
executione hominis: quemadmodum te-
net Ang. & ſui ſequaces *in paſſu præalleg.
& iſtis duobus caſib.* etiam non obſtat, ex
quo dictum ſtatutum, de quo eſt quæſtio,
claré & nominatim cavet de bibentibus
14 extra territorium: & quia † pœna non
eſt impoſita ipſo jure, ſed imponenda mi-
niſterio hominis, prout hoc denotāt verba
in ſtatuto poſita, **Soude verbueren**/quę
important pœnam non eſſe inflictam ipſo
jure, ex quo ſunt verba futuri temporis,
juxta *theor. gl. notabilis, quàm ibi ſequun-
tur Doct. in l. in criminali. C. de juriſdict.
omn. jud. & in Auth. habita. C. ne fil. pro
patre, & in regula, in pœnis, de reg. jur. lib.*
6. Nec etiam obſtat opinio Panormit.
& aliorum canoniſtarum, de qua ſuprà,
ex quo prætactum ſtatutum non ſolùm

punit bibentes extra territorium, sed etiam prohibet subditum causa bibendi ire extra territorium, quod fieri potest per
15 jura superius latè deducta. Subditus † ergo sic eundo extra territorium causa bibendi, contravenit statuto, & initiatur delictum infrà territorium in loco statuentium: in quo casu indistinctè etiam secundum opinionem canonistarum, tenentium simpliciter statutum pœnale non arctare subditum extra territorium delinquentẽ: ligatur subditus quando, ut præmittitur, delictum est initiatum infrà territorium in loco domicilij: ad hoc enim ut *d.c. ut animarum*, locum habeat, requiritur, quòd delinquens & res circa quam delinquitur, & etiam ipsum delictum, sint totaliter extra provinciam sive territorium statuentium, secundum Domin. *in præalleg.c.ut animarum.* & voluit dom. Ang. de Clavasio, qui circa hoc ponit plura pulchra verba, in sua summa, super verbo, excommunicatio, 1. in versic. qui ligantur sententiis: facit ad præmissa illud
16 quod dicunt Doct. de sagittante † ex uno territorio in aliud, ut efficiatur ratione delicti subditus utriusque judicis, de quo latè per Ioan. And. *in regul. in obscuris, de reg. jur. lib. 6. in mercurial. & per eundem in cap. 1. de privil lib. 6. in novella, & per domi. Panormit. in cap. 1. de præsumpt.* & sic hoc non obstat. Non obstat etiam, si dicatur, quòd consuetudo vel statutum loci commissi delicti debeat inspici. *l. saecularij. §. sunt quędam. ff. de extraor. crim.* prout illud idem videmus in contractib. *l. si fundus. ff. de evictio.* æquiparantur enim quoad jus fori contractus & delictũ. *l. omnem. ff. de judi. & cap. fin. de foro compet.* quæ adeò procedunt, quod judex
17 † domicilij potest punire subditum pro delicto extra territorium commisso pœna juris communis vel municipalis loci commissi delicti, ut vult Bartol. & Doct. *in dicta l. 1. in versic.* item quæro quid si in statuto hoc non caveatur expressè, circa finem. Quia dico, quòd licet hæc vera essent, per hoc tamen non arguitur, quin judex domicilij posset etiam punire subditum pro delicto alibi commisso pœna statuti loci domicilij, maximè quando hujusmodi statutum nominatim hoc cavet, pœnam imponens subdito pro tali delicto infligendam, prout voluit Petrus, Cynus & Salicetus, in *dicta l. 1. in versic. secunda quæstio. ad idem sit ista*: & quando delictũ est initiatum in loco domicilij (prout in casu nostro) per præmissa: & tantò magis, quando ex sola dispositione statuti loci domicilij pœna imponitur, & non est alia de jure communi vel municipali loci perpetrati, vel consummati delicti imposita, qua contraveniens puniri posset, ut etiam contingit in casu præsenti. Et ita concludo, statutum in casu præsenti indubitanter valere: nam cùm statutum, de quo est quęstio, conditum sit ex causa rationabili, intervenientibus solennitatibus de consuetudine requisitis, per habentes potestatem statuendi, & in cives non in forenses: non video, quare hujusmodi statutum non debeat sortiri suum effectum.

CONSILIUM XLVI.

SUMMARIA.

1 *Damnum patitur qui diminutionem sui patrimonij patitur.*

2 *Fidejussor omne damnum, quod propter negligentiam debitoris non solventis passus est, recuperat à debitore, & num. 12.*

3 *Jurans verum, pejerare non censetur.*

4 *Quod legitimè fit, pœnam non meretur.*

5 De

5 *De perjurio puniri quis non potest, nisi scienter & dolosè jurasse probatum fuerit.*

6 *Dolum alleganti incumbit probatio.*

7 *Causa qualibet credendi colorata vel adparens etiam injusta, excusat à dolo.*

8 *Qualitate criminis non probata, reus absolvi debet.*

9 *Priora declarant posteriora, & econtrà.*

10 *Dominus esse præsumitur, qui semel fuit dominus, nisi de alienatione constet.*

11 *Verba inter juris ignaros & rusticos debent capi grosso modo, etiam impropriando terminos.*

13 *Contra fiscum pronunciandum est, sive sit dubium juris sive facti.*

CAsus super quo consilium petitur, in vulgari sermone sequitur; & est talis; Tes gevallen int jaer van 98. dat een genaempt A. nae rechte ende costume dezer stede/ ꝛc. heeft dooen arresteren eenen genaempt B. van den zelven eysschenden de somme van 25. Pont/ ꝛc. ter causa van koop harinck/ daer op de voirsz gearresteerde de B. antwooerde de kennende harinck gecocht te hebben van den voirsz A. maer hadde de somme die A. hem B. eyschende was betaelt eenē genaemt C. des zelfs A. gemachticde: daerop de voirsz A. antwoerde zeggende mit protestatie / altzoe B. de schult nyet ontkent/ maer allene zyn defensie doet / dat hy die schult betaelt hebben zoude den voirsz C. als zijn gemachtich/ heeft de zelve A. de macht vanden C. onkent/ eñ voirts gezeyt / dat B. voirsz schuldig was hem A. te betalen. Deze naevolgende heeft de voirsz B. te rechte doen intimieren den voirsz C. van hem eysschende de voirsz penningen de hy hem van wegen de voirn A. zeyde gegeven ende betaelt te hebbē: daerop de voirsz C. antwoerde/ kinnende dat hy de voirsz penningen ontfanghen hadde/ maer hy en hadde nyet te geven noch te betalen / maer was bereet denzelven B. in betalinge vande voirsz schult over te geven ende te transporteren een half huysz / altweelck de zelve B. by transpoertte van den zelven C. accepteerde Achtervolgende dezen heeft de voirn: A. voirts geprocedeert om betalinge te hebben vanden voirn: B daerop B. antworde / dat hy geen penninggen hadde te geven/ maer transporteerde in betalinge van dies hy A. schuldich was t'voirsz half huysz hem bijden voirsz: C. getransporteert : daerop A. antwooerde / dat hy nyt schuldich en was tvoersz: half huys te accepteren/ over mits dat B. een man van buytē was/ ende hier op de heerlicheyt geeen goet een hadde waer op hy indien hem thalf huys voirsz hier indien hem thalf thuys vorisc hier nae mit onderbrieven oft schoender betoicch afgewonnen wordde/ hy zijn verhael nyet hebben en zoude: daer op een genaempt D. stande aende vierschare hooerenn A. voirn: heysch doen op B. voirsz heeft dezelve D. gezeyt/ ick zal de voirsz B. borge blijven/ indient u mit onderbreivē oft schonder betoich afgewonnen woorde / des zal C. voirsz my hier te cause vanden borchtochte geloven te quyten twelck de voirsz: C. alzoe

dede ende geloefde D. vrye/quyte/eñ ſcadeloos te houden. Achtervolgende tguent des voirſz. is heeft de ſelve A. voirſz gepꝛocedeert opten voirſz: B. goet / daeraff hy brieven van eygendomme ende ſchattinge ghenomen heeft.

Nu is voirts gevallen int jaer vã 99. naede voirſz: pꝛocedure bijden voirn: A. gedaen/ dat een genaemt E. te rechte geinthimeert heeft eenẽ genaempt F. eyſſchende vanden zelven F. de ſomme van 45. pont gꝛoot/ ter cauſe van een coop van drie achtendeele vã een buyſſchip/daerop F. antwoerde kennẽ den eyſch bijdẽ voirn: E. ophem gedaen: maer zeyde deſelve F. dat hy die coop overgegevẽ hadde de voirn: C. de welcke C. hem F. daer aff geloefſt hadde vry ende ſcadeloes te houden vanden ſelven coop / ende hem daer af boꝛge geſtelt de voiꝛſ: A. als dat bleeck bij den regiſtre van verbande int jaer van 97. ende zeyde dat E. ſchuldig was te gaene aende voirſ: C. ende aen A. voirſz: des zelfs C. borge: daerop E. antwoerde zeggẽde dat hy cõtract noch vooꝛwaerde gemaect noch gedaẽ en hadde mit C. noch mit A. voirſz: maer hielt zijn actie aen dẽ zelven F. eñ zeyde indien C. oft A. hem wat geloeft hadden/zy soudẽ hem F. wel quijten. Achtervolgenden deze heeft den ſelve E. voirts mit rechte geprocedeert opdẽ voirſ: F: dat hij afgeſcat eñ geeygent heeft des ſelfs F. goet: na den welckẽ heeft de voirſz: F. voirts van bekende ſcade gepꝛocedeert opten voirſz: C. ende A. ter cauſe van der procedure bijden voirn: E. ophem gedaen vande 45. pont gꝛoot/alzoe de ſelve C. hem geloeft hadde quyte ende ſcadeloes te houdẽ/daer voeren hy hem borge geſtelt hatte A. voirſz. Deze nachvolgende heſt de voirſz: F. ſoe verre mit rechts geprocedeert dat hy begeerde een eygendom aenden voirſz: C. oft zijn borge goet/ende daer en tende en ſchattinghe/ de welcke ſchattinge de ſelve F. toeghewee ſen es tzijne vermaene: na den welcken de ſelve F. gegaen heeft aenden voirſz: A. goet/als borge voir de voirn: C. daerop dezelve antwoerde ende zeyde dat F. niet ſchuldich was te gaen noch te comẽ aen zijn goet. Maer dat hy eerſt gaẽ ſoude an C. goet/daerop F antwooꝛde dat hy geen goet en wiſte den voiꝛſz: C. toebehoirende. Maer ſeyde dat hy ſchuldich was hem zeker goet te bewyſen daeran dz hy behooꝛde te gaen eñ zyn bekende ſcade an te hebben. Nachvolgende deze zoe heeft de ſelve A. bewesen een huyskẽn ſtaende int coel voet. den voirſz: C. toebehooren/ twelck by ſcepenen geſchat wert om dꝛy pont groot / ende noch een half huys van ſinte Anna oick den voirſ: C. toebehoereñ/twelck ſcepenẽ voirſ. ſchattede vooꝛ 22. *lib.* 10. *ſs.* groot. Na twelck dat voirſ: is/heeft de zelve F. voerts gezeyt/dat tvoirſ: aengeſcatte ende bewesen goet nyet volſtreckẽ en mochte zijn voirſz: gebreck van 45. *lib.* groot/boven de wetelijcke coſten bedragende 25 *ſs.* 4. d'. Daerop de zelve A. antwooꝛde dat hy vooꝛts bewees als borgen voer de voirſ: C. die ander helſt van ſinte Anna als hẽ toebehoorende / de welcke helſt van ſinte Anna ſcepen ſcattede mede voer 22. *lib.* 10. *ß.* groot. Ende achtervolghende de voirſz: proceduere zoe iſt waer dat de voirſ: A. int jaer 1500. drie / tegen hem te rechte ontboden heeft de voirſ: C eñ heeft opten ſelvẽ C. mit beleet eñ dꝛie dijnſendaegſche geboden gepꝛocedeert/alzoe dat hem teynde tlaeſte gebot geſtelt wert een

dach

dach van rechte inde weeke/ten wel-
ken dage de selve A. compareerde be-
geerende sijnen dach van rechte/optē
voirsz: C. stee ende bekent gemaict te
hebbē/twelc by scepenē alzoe gedaen
wert: dies naevolgende heeft dezelve
A. begeert zijn gebreck van bekende
scade te maeken optē voirs: C twelck
scepenen by maninge van den schou-
te hē toe gewesen hebben/dat hy zijn
gebreck maeken soude opten voirsc.
C. liever minder dan meerder steken
buyten zijnen eedt / dat hy mede be-
houden eedt te doene. Naede welcken
de zelve A. gesterct heeft opten voirs:
C. dat hem noch gebreect op C. ende
op zijn goet ter cause van bekende
scade die hy van wege des zelve C.
geleden heeft de somme van 45. lib.
groot/hooft ēn principal gelts ende
heeft ter cause van dien verergen ey-
gendom ende scattinge aenden voirs.
C. goet tzijne vermaene. Na twelck
dat voirs: is/ēn navolgēde tgebreck
dz de voirs: A geaffirmeert heeft optē
voirsz: C. zeyt ende mainteneert de
heere vander plecken/ dat de voirsz.
A. gedaen heeft een valsschen eedt/ēn
dat by desen alzoe de zelve A. geaffir-
meert heeft op C. voirn/45. *lib.* groot
van bekende scade twelck hy niet en
behoirt te doene / want hy voer C.
nyet meer scade geleden en heeft dan
de helft van 'thuys geheeten sinte
Anna/ die de zelve A. bewees als de
voirscreven F. opde voirs: C. proce-
deerde / ende als hy geen goet meer
en conste bewijsen den voirscrevē C.
toebehoirende / zeyde voirts dat
thalve huys dat de voirn: A. gehadt
heeft van B. voirs: ēn hy bewees den
voirsz: C. toebehoorende meende dat
te soecken aendē genen daer hy tselve
half huijs af gecregen hadde oft an
zijn borge ēn niet an C. Zeyde noch
voirts sprekende tot de scepenen/Al-
waert dat u heerē dochte dat A. tge-
heel huys toebehoirt hadde/ ēn hem
dat affgegaen was als borge vande
voirs: C. bijde vuytwinninge vanden
voirn: F. voer die vijfenveertich pont
groot voirscreven die C. voirn: den
voirn: F. schuldich ēn tachterewas/
zoe heeft de selve A. daerop ontfan-
gen tguent dat den zelven C. aenge-
comen ēn bestorven es geweest bij-
den overlijden des zelfs C. huys-
vrouwe moedere ende oom/Ēn con-
cludeerde de zelve heer daer mede ēn
mit meer woerden / dat de zelve A.
nyet meer scade geleden en hadde
van C. wegen dan 22. *lib.* 10. *ß.* groot/
waer bij dezelve A. gedaen heeft een
valschen eed / ende schuldich waer
daer in gecondemneert te zijn / ende
als dan zijn conclusie te nemen ge-
lijck ter materie behoirt/ waerop de
voirs: A antwoerde ende zeyde dat hy
wel ende te rechte gesworen hadde/
want tlijckt dat hem den eygendom
vā tvoirn: huys twelc hy possedeer-
de geheel afgegaen is voerde voirn:
C. schult/ daer hy als borge voeren
stōt. Zeyde voirts dat de heere zegt
dat hy schuldich waer de een helft
van tvoirn: huys dat hy verergen
zoude hebben te verhalen aenden ge-
nen daer hijt afgecregen hadde / om
dies wille dat hem dat afgegaen
was mit ouder brieven ēn schoender
betoich/zeyt neen want hem vā geen
node en was dat te doene / want hy
zijn goet als borge voor den voirs:
C. heeft af laten eygen ende scatten/
twelck hy al ēn geheel te buyten is/
ēn schuldich is te zoeken aenden ghe-
nen daer zijn goet voeren af gegaen
was. Zeyde noch voirts dat de hee-
re oick seyt dat hy op de voirs. schult
ontfangen hebben zoude tguent dat
de voirs: C. in maniere voirs: aenge-
comē is. Sustineert ende zeyt de sel-
ve A.

ve A. neen / maer indien C. enich goet gencompt eyscht dat met zulck recht als daer toestaet. Ende concludeerde de zelve A. mit tgunt dat voirsz: is / ende met meer woerden dat hy schuldig is geabsolveert te zyne vande aenspzake byden voirn: heer gedaen/ende zeyt dat dat recht is/ begerende daeraff vonnisse. Id est, Accidit anno XCVIII. quod quidam dictus A. secundum jus & consuetudinem hujus oppidi arrestari curavit quendam appellatum *B.* petens ab eodem summam 25. librarum, &c. ad causam empti halecis, super quo prædictus *B.* arrestatus respondit fatendo se emisse halec à prædicto A. Sed quod solverat prædictam summam, quàm à se exigeret, B. cuidam vocato C. ab eodem A. mandatum habente, ad quod prædictus A. respondit dicens cum protestatione, attento quòd B. debitum non neget, sed solum defendendo dicit, debitum se solvisse prædicto C. tanquam ab eodem mandatum ad hoc habente: Idem A. negavit mandatum, & præterea dicens prædictum B. obligatum esse sibi satisfacere. Quibus consequenter prædictus B. in jus traxit prædictum C. petens ab eo prædictos nummos, quos nomine A. prædicti dicebat se tradidisse & solvisse. Ad quod prædictus C. respondit, fatendo se prædictos nummos accepisse, sed non debere se eos restituere aut solvere. Sed paratus erat eidem B in solutionem prætacti debiti, cedere & transportare medietatem unius domus, Quæ omnia prædictus B. transportu & cessione ejusdem C. acceptavit. His consequenter prædictus A. ulterius processit pro solutione habenda à prædicto B. ad quod B. respondit, non habere se nummos quos solveret, sed cedebat in solutionem eorum, quæ debebat A. medietatem domus sibi à prædicto C. cessæ, ad quod A. respondit, non teneri se medietatem prædictæ domus acceptare, eo quòd homo B homo esset extraneus, & in hoc districtu nulla bona habebat, super quibus, si fortè medietas domus prædictæ sibi per antiquiores literas aut melioribus probationibus evinceretur, regressum habiturus non esset. Ad quæ quidam vocatus D. stans ad tribunalia, audiens A. prædictum petitionem facientem super prædictum B. idem D. respondit, ego sponsor ero pro prædicto B. in eventum, quo tibi per literas antiquiores aut meliores probationes evincatur: tum tamen C. prædictus hìc ad causam sponsionis meæ securitatem mihi promittat. Ad quod prædictus C. ita fecit & promisit D. liberum, securum, & indemnem servare. Quibus inhærendo, ut prædictum est, idem A. ulterius processit super prædicti B. bonis, de quibus literas proprietatis & scattinge, hoc est, æstimationem accepit.

Accidit deinde anno 99. post prædictum processum per prænominatum A. factum, quod quidem dictus E. in causam traxit quendam vocatum F. petens ab eodem F. summam 45. librarum grossorum, ad causam emptionis trium octavarum *van een buysschip*. Ad quod F. respondit agnoscens petitionem à prædicto E. super se factam: sed dicebat idem F. contractum emptionis cessisse se prædicto C. qui C eidem F. promiserat liberum & indemnem se eum servare de eadem emptione, dato eidem fidejussore prædicto A. ut patet ex registro obligationum anni 97. Et dicebat quòd E. tenebatur convenire prænominatum C. & prænominatum A. fidejussorem ejusdem C. ad quod E. respondit, dicens, quod neque contractum, neque cautionem dedisset vel fecisset cum C. neque cum A. prædictis, sed integram retinebat actionem suam super eodem F. Et dicebat, quòd si C. aut A. aliquid ei promisissent, benè

benè eidem F. satisfacerent & solverent: His inhærendo idem E. ulterius jure expertus est cum eodem F. ita quòd evicit & appropriavit sibi ejusdem F. bona. Post quæ idẽ F. ulterius super recognito dãno dato processit cõtra prædictum, C, & A. ad causam processus per præfatũ E. super eo facti de 45. libris grossorum, eo quod idem C. promisisset sibi liberum, se & indemnem servare, dato sibi fidejussore prenominato A. his inhærendo idem F. eo usque in jure processit, ut peteret aliquam proprietatem à præfato C. aut bona sua prædia, & hinc fieri æstimationem, quæ æstimatio eidem F. adjudicata est ad suam instantiam. Post quæ idem F. aggressus est prædicti A. bona, tanquam fidejussoris pro prædicto C. ad quæ idem respondens dicebat non licere F. ad sua bona recurrere, sed quòd prius bona C. petenda essent, Ad quæ F. respondit, nescire se ulla bona ad prædictum C. pertinentia. Sed dicebat, quòd ipse tenebatur eidem certa bona demonstrare quæ peteret, & super quibus dãna recognita reciperet. Quibus inhærendo idem A. demonstravit domunculam stãtem *int coelvoet*, pertinentem ad prædictum C. quæ per scabinos æstimata est ad tres libras grossorum. Et adhuc medietatem domus sanctæ Annæ similiter ad dictum C. pertinentem, quam scabini prædicti æstimarunt ad 22. libras, 10. solidos grossorum. Post quæ prædicta idem F. ulterius dixit, quòd bona prædicta æstimata & designata non poterant sufficere ad supplendum id quod deerat 45. libris grossorum, cum legitimis expensis ad 25. solidos & 4. d' ad quæ idem A. respondit, quod ulterius designabat tanquam fidejussor, pro prædicto C. aliam medietatem sanctæ Annæ, tanquam ad se pertinentem, quam medietatem scabini similiter æstimarunt pro 22. libris 10. solidis grossorum. Et in sequendo prædictum processum verum est, quòd prædictus A. anno 1500. tertiò, in jus traxit prædictum C. cum missione in bona, & trium dierum edictis processit, ita ut in fine ultimi edicti statutus sibi sit dies unus juris dicendi in septimana, ad quam diem idem A. comparuit, petens comparitionem suam contra prædictum C. statam & recognitam factam habere id, quod per scabinos ita factum extitit. Quibus inhærendo idem A. petiit defectum recogniti damni sui fieri super prædicto C. quod scabini ad summationem sculteti sibi adjudicarunt, quòd defectum suum super prædicto C. potius faceret minorem quàm majorem, & medio suo juramento velit confirmare & asserere. Post quæ idem A. fortificando contra prædictum C. sibi deesse super C. & bonis suis ad causam recogniti damni, quòd ex parte ipsius C. incurrit, summam 45. librarum grossorum capitalis & principalis debiti, & occasione hujus assecutus est proprietatem & æstimationem super prædicti C. bonis ad suam instantiam. Post quæ prædicta & insequendo defectum, quem prædictus A. affirmavit, super prædicto C. dicit & contendit dominus loci prædictum A. falsum juramentum præstitisse, quòdque per hoc idem A. affirmavit super C. præprædicto 45. libras grossorum recogniti debiti, quod facere non debet, quia pro C. non plus damni passus est, quàm medietatem domus sanctæ Annæ, quæ idẽ A. designavit, cùm prædictus F. super prædicto C. procederet, & cùm alia bona designare non posset, ad prædictum C. pertinentia. Dicebat præterea medietatem domus quam prædictus A. habuit à B. prædicto, & designabat prædicto C. competere, putabat hoc recipere ab eis, à quibus eandem medietatem nactus erat, aut ab eis fidejussoribus, & non à C. dicebat ulterius ad scabinos loquens, & si vobis dominis videretur, quod ad A. tota domus

Ff spe-

ſpectaſſet, & ab eodem abceſſiſſet tanquam fidejuſſore prædicti C. per evictionem præfati F. pro 45. libris groſſorum prædictis, quas prædictus C. prædicto F. debebat ex reſiduo: tamen prædictus A. deſuper recipit id, quod prædicto C. acceſſit per mortem ejuſdem C. conjugis, matris & avunculi. Concludebatque idem dominus per hoc abſque pluribus verbis, prædictum A. non plus damni paſſum nomine C. quàm 22. lib. 10. ſolidos groſſorum. Quapropter idem A. præſtitit falſum juramentum, & dignus erat in hoc condemnari, & ex tunc concluſionem ſumere pro cauſa pertinentem. Ad quæ idem A. reſpondit, dicens, quòd benè & rectè juraſſet, quia liquet, quòd proprietas prædictæ domus in totum ſibi abſceſſerit pro prædicti C. debito, cujus ipſe fidejuſſor erat. Dicebat præterea dominum dicere, quòd deberet medietatem prædictæ domus quam acquiſiſſet, recipere ab eis, à quibus conquiſierat, eo quòd abſceſſiſſet ſibi per antiquiores literas & meliores probationes. Dicit, quòd non, quia ſibi id facere non incumbebat, quia ipſe ſita bona tanquam fidejuſſor pro prædicto C. paſſus eſt abjudicari ſibi & æſtimari, quæ ſibi prorſus & in totum adempta ſunt, & quærere debet ab eis quibus bona ſibi ablata prius abſceſſerant. Dicebat præterea dominum dicere, quòd ſuper prætacto debito recepiſſet id, quod prædicto C. modo prædicto acceſſit. Suſtinet & dicit idem A. quòd non, verùm ſi C. bona aliqua competunt, petit ea jure ad hoc competente. Concludebat idem A. per prædicta & pluribus verbis, debere ſe abſolvi ab impetitione per prædictum dominum facta, dicens ita jus eſſe, ac de eo ſententiam petens. Quæritur quid juris.

Viſo caſu ſuprà ſcripto mihi tranſmiſſo, omiſſis ambagibus, videtur mihi ſubſcripto, quòd dictus A. de perjurio quoviſmodo inculpari non poſſit: ſed quòd idem A. venit ab impetitione fiſci ſeu domini ſuper perjurio eundem inculpantis omni jure abſolvendus: quod deducitur evidentiſſimè medio infrà ſcripto. Nam certum eſt, quòd dictus A. ob culpam dicti C. non ſolvendo præfato F. ſuo creditori 45. libras, in quibus ipſe C. eidem F. ut principalis, obligatus fuit, ac pro quibus 45. libris dictus A. ſe fidejuſſorio nomine pro dicto C. obligavit, ſuſtinuit ac paſſus eſt damnum 45. librarum: Sed ſic eſt, quòd fidejuſſor vel quicunque alius paſſus damnum culpa tertii, illud recuperare poteſt ab illo, cujus culpa damnum ſuſtinuit. Sequitur ergo, quòd dictus A. rectè impetiit dictum C. pro refuſione ſeu ſolutione dictarum 45. librarum. Major deducitur, quia ut ex caſu patet, dictus A. pridem fuit ſolus & in ſolidum dominus domus ſanctæ Annæ, cujus medietatem jure dominii habuit ab antiquo: Aliam verò medietatem, ut ex caſu patet, conſecutus eſt per ceſſionem factam à dicto C. in præfatum B. & ex conſequenti per ceſſionem factam à præfato B. in præfatam A. Ex caſu etiam patet, quòd dictus F. præfatam domum ſanctæ Annæ pro exolutione dicti ſui crediti 45. librarum, ex integro evicit:
1 & certiſſimi juris eſt, † quòd ille patitur damnum, qui diminutionem ſui patrimonii patitur. *l. 3. ff. de damno infect. cum ſimilib.* & patet ad ſenſum. Patet etiam ex caſu, quòd dicta domus fuit æſtimata ad 45. lib. & certiſſimi juris eſt, quòd ipſe debitor eſt in culpa non ſolvendo creditori ſuo, quia non facit, quod facere debuit. *l. culpa, & l. qui non facit. ff. de reg. jur.* Patet ergo verificata major.
2 Minor verò videlicet, quòd † ſi debitore non ſolvente creditori ſuo, fidejuſſor vel alius ob hoc damnum paſſus illud recuperat à debitore, deducitur ex pulchrè & ſingulariter commemoratis per domin.
Panorm.

Panorm. *in consilio suo* 21, 2.*volum.* ubi
ad hoc probandum plura pulchra & præ-
gnantia media adducit. ultra quæ est
text. ad literam in cap. pervenit, & ibi
dominus Ioan. de Imo. & Doct. de fidejuss.
& etiam text. juncta gloss. in cap. fina. de
injur. & in l. in lege Aquilia, & quasi per
tot. tit. ff. ad legem Aquil. & text. pulcher
cum gloss. in l. si merces, in §. culpæ. ff. loca.
cum similibus. Non enim debet damno
affici, qui præmium ex fidejussione me-
retur, *dicto cap. pervenit.* & sic patet ve-
rificataminor. Quibus subsistentibus, si
ponatur ratio in aliquo modorum forma-
liter, necessaria est omnium judicio con-
3 sequentia. Præterea certum est, † verum
jurantem non perjurare, juribus vulgari-
bus, dictus autem A. verum juravit, se
sustinuisse damnum culpa præfati C. us-
que ad 45. libras, & hoc fuit verum:
quia tanti fuit æstimata integra domus
sanctæ Annæ, ut patet in casu: quam do-
mum perdidit culpa dicti C. ob non im-
pensam solutionem præfato F. de præta-
ctis 45. libris grossorum, ergo, &c.

Nec præmissis obstat, si dicatur, quòd
dictus A. tempore præstiti juramenti non
fuit dominus dictę domus, quæ fuit abla-
ta per præfatum F. Quia respondeo, fa-
tendo hoc verum, quo præsupposito ne-
cessariò sequitur dictum A fuisse passum
damnum usque ad dictam summam 45.
librarum, ad quam prætacta domus fuit,
ut præmittitur, æstimata: cùm constet ex
casu & actis, dictum A. prius fuisse do-
minum integræ domus. Cùm ergo dam-
num sit diminutio patrimonii, ut dixi, &
cùm ipse A. diminutionem patrimonii
sustinuit usque ad illam summam: patet
clarè, eum sustinuisse damnum 45. libra-
rum, & sic eum verum jurasse, & per con-
4 sequens eum inculpari non posse: quod †
enim legitimè fit, pœnam non meretur.
l. Gracchus. C. de adult. & cap. qui peccat,
23. *quæstio.* 4. per quæ patet solutio ad
argumentum, quo dicitur, quòd dictus A.
non fuit passus damnum 45. lib. sed dun-
taxat damnum 22. lib. & 10. ß. quia
contrarium patet per suprà dicta. Imò
quod plus est, etiam si dictus A. ex aliqua
verisimili credulitate deceptus falsum ju-
5 rasset, tamen † ex hoc puniri non posset
de perjurio: nisi articularetur & proba-
retur, eum falsum jurasse: cum illa quali-
tate, scienter & dolosè: *text. est expressus*
in l. qui jurasse, in princip. & ibi Paul. de
Cast. & Doct. ff. de jurejur. & vult Bald.
in l. observare, in §. proficisci. in 3. col. ff. de
offic. procons. & lega. & Pau. de Castro *in*
l fin ff. qui satisda. cog. & Alex. *in consilio*
suo 42. *primi voluminis*: In casu autem
præsenti constat dictum A. verum juras-
se: & præterea licet constaret eum fal-
sum jurasse: ex hoc tamen non convince-
retur eum falsum dolosè jurasse: quia
6 dolus † non præsumitur, sed qui dolum
allegat, dolum probare debet. *l. quotiens.*
§. qui dolo. ff. de probat. & l. merito ff. pro
socio, ubi glossa dicit, quod hęc est notabilis
7 *præsumptio*: & quælibet † causa creden-
di colorata vel apparens, etiam si sit in-
justa, excusat à dolo: *text. est ad lite-*
ram, in l. igitur, in principio, ff. de libe.
causa, & vult gloss. in l. 1. in fi. ff. de abig.
Ange: *in l. plagij. Cod. ad legem Falcid.*
de plag. & Baldus post gloss. *in l. 1. in*
fine, Cod. ubi causa sta. debet ergo dictus
A. absolvi, quia non constat, eum falsum
jurasse, imò verum: Et dato quòd con-
8 staret eum falsum jurasse, non constat †
tamen de qualitate requisita ad punitio-
nem perjurii: quare debet absolvi, juxta
theoricam Cyn. & Docto. in l secunda, C.
de probatio. & Bartolus *in leg. Fulci-*
nius, in §. cùm hoc, per illum text. ff. ex
quibus caus. in possess. ea. Nec obstat,
si dicatur, quòd dictus A. tempore evi-
ctionis factæ per præfatum F. de hujus-
modi domo demonstravit medietatem
ejusdem domus, tanquam spectantem ad

præfatum C. ut patet ex actis & caſu, &
ſic non eſt paſſus damnum, niſi in medie-
tate domus ad eum ſpectante, quæ æſti-
mata fuit duntaxat ad 22. libras, & 10.
ß. & per conſequens malè juravit ſe ſu-
ſtinuiſſe damnum 45. librar. Quia dico
breviter, quòd acta dicentia, quòd dictus
A. demonſtravit medietatem dictæ do-
mus tanquam ſpectantem ad præfatum
C. debent intelligi non crudo modo, ſed
taliter, ut non contrarientur aliis priori-
9 bus, & prout jus interpretatur. Priora †
enim declarant poſteriora, & econtra: *l. ſi
ſervus plurium, §. fina. ff. de legat. 1. cum
ſimilibus.* Debent ergo intelligi ſic,
quòd medietas dictæ domus quondam
pertinuerit præfato C. quia ex actis pu-
blicis, & ex caſu patet, quòd interim
præfatus C. dictam medietatem tranſtu-
lit in præfatum B. & quòd expoſt præ-
fatus B. eandem medietatem tranſtu-
10 lit in præfatum A. Semel † autem domi-
nus ſemper præſumitur dominus, niſi cō-
ſtet de alienatione. *l. ſive poſſidetis. C. de
probatio.* nec poteſt dominium ſola vo-
luntate perdi. *l. ſi quis vi. §. differentia. ff.
de acquirenda poſſeſſione, cum ſimilibus.*
Ex actis autem non conſtat, dictum A.
alienaſſe vel in aliquem tranſtuliſſe domi-
nium medietatis domus, quæ ad eum
pervenit exceſſione ſeu tranſportu facto
in eum per præfatum B. Præſumitur
ergo juris præſumptione, tempore evi-
ctionis adhuc fuiſſe dominus integræ do-
mus: & ſic verba hujuſmodi, quibus de-
notatur medietatem dictæ domus ad
præfatum C. perveniſſe, intelligi debent,
ſcilicet tempore initæ obligationis cum
præfato F. in qua obligatione venit etiam
11 præfata medietas domus: verba † e-
nim inter juris ignaros & ruſticos debent
capi groſſo modo, etiam impropriando
terminos, *l. quid ſi nepotes, cum ſua gloſ.
ff. de teſta. tut. ubi gloſſ. dicit, quòd dicen-
di varietas non cadit in idiotas:* & eſt
*bonus text. cum gloſſ. in l. ſtipulatio iſta,
in §. hæc quoque. ff. de verborum oblig.*
verba enim impropriantur ratione ſub-
jectæ materiæ. *l. ſi uno, in princip. ff. loca.
& l. inſulam. ff. de præſcript. verbis.*

Non obſtat etiam, ſi dicatur, quòd di-
ctus A. recuperare debuiſſet damnum
ſuſtentum ex evictione medietatis do-
mus in eum tranſlatæ per præfatum B. ab
ipſo B. vel à præfato D. qui pro eo fide-
juſſit, & non ab ipſo C. quia dico, quòd
utique dictus A. hoc facere potuiſſet, a-
gendo de evictione contra ſuum aucto-
rem, ſed hoc facere non tenebatur: imò
ex quo dicta evictio proceſſit culpa dicti
C. non ſolventis præfato F. dictas viginti
quinque libras, habuit dictus A. actionem
contra præfatum C. pro recuperatione
damni ſuſtenti ex hujuſmodi evictione
aſcendentis, ut præmittitur, ad 45. lib.
quod ſiquidem damnum ipſe A. non ſu-
ſtinuiſſet, ſi dictus C præfato F. ſolutio-
nem impendiſſet: & ſic quia culpa dicti
C. facta eſt hujuſmodi evictio, rectiſſimè
conta eum actum eſt per præfatum A. ad
reſartionem damni ob hoc ſuſtenti, per
*d. l. ſi merces, in §. culpæ, ubi text. multum
notabilis. cum gloſſ. etiam in longè fortio-
12 bus terminis.* Æquum eſt enim, † ut
damnum quod culpa debitoris fidejuſſor
ſentit, eidem fidejuſſori debitor reſarciat,
*d. cap. pervenit, cum ibi not. ubi de hoc eſt
caſus.* Licet enim contra auctorem au-
thoris in quantum hujuſmodi non com-
petat actio de evictione niſi cedatur,
l. ſi res quam à Titio. ff. de evictio. fidejuſ-
ſori tamen contra debitorem eundemque
auctorem auctoris, non inquantum hu-
juſmodi ob damnum ſuſtentum ob non
ſolutionem factam, per eum benè com-
petit actio ad reſartionem damni, *præ-
alleg. cap. pervenit. & d. §. culpæ.* & ita
punctualiter accidit in caſu noſtro. Nec
obſtat etiam aliud, quo dicitur, eundem
A. falſum juraſſe ex eo, quòd apud ſe ha-
buit

buit partem hæreditatis præfato C. per obitum matris & avunculi uxoris præfati A. obventæ: quia respondetur, quòd non obstat: Nam ex casu clarè patet, quòd dictus A. affirmavit ex causa fidejussionis præcisè & specificè ac illius occasione ob non solutionem dicti C. sustinuisse damnum 45. lib. quod utique verum fuit, ut ex suprà deductis patet. Nec illi repugnat, si quid sub se ex causa successionis aut alia quacunque causa habuit, quod vel in executione compensari, vel novo instituto judicio peti potuisset. Stant enim hæc simul, dictum A. fuisse passum damnum 45. lib. ex causa fidejussionis, & ex alia causa eidem C. fuisse obligatum, nec probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, *l. neque natales. C. de probat. & l. non hoc. C. unde cog. cum similib.* Debet ergo dictus A. absolvi, cum favorabiliores sint rei quàm actores, *l. Arriani. ff. de act. & oblig.* & maximè
13 in casu præsenti: quia in † dubio contra fiscum pronunciandum est, sive sit dubium juris sive facti. *l. non puto, & ibi Bart. ff. de jure fisc. cum similib.* Et quia præsens casus apertissimè decisus est, per *suprà alleg. cap. pervenit, & alia jura suprà allegat.* Idcirco circa eundem amplius insistere non curo, cùm supervacuis laboret impendiis, qui solem facibus certat adjuvare. *6. q. 1. cap. si omnia, cum vulgaribus.*

CONSILIUM XLVII.

SUMMARIA.

1 *Mulier in dote, etiam anterioribus creditoribus, tacitam hypothecam habentibus, præfertur, quando dotans tenetur de evictione.*

2 *Dos quando incipit à traditione, dotans non tenetur de evictione.*

3 *Evictionis incommodum in dubio pro rata sustineri debet, re ad plures pertinente pro parte evicta.*

4 *Sententia referens se ad acta probatoria, quæ illud non probant, est ipso jure nulla.*

5 *Disputandum non est de apicibus juris ubi de salute animæ tractatur.*

6 *Æstimatio dotis data quid operetur, &c.*

7 *Æstimatio facit emptionem, quando res traditur ita ut restituatur æstimatio.*

8 *Inducta ad diminutionem non operantur augmentum.*

9 *Patris persona liberis semper sancta & honesta videri debet.*

10 *Quem de evictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio.*

QVidam Petrus in dotem habuit cum sua uxore Elisabeth van Amstel medietatem duarum curtium pro indiviso: Is Petrus cuidam Arnoldo Iacobi, à quo Henricus de Mechlinia ad causam suæ uxoris ex post causam habuit, eandem medietatem pro 25. libris Flandriæ hæreditarij redditus obligavit: De post dictus Petrus reliquam medietatem dictarum curtium à Iacobo van Amstel suo socero emit & comparavit: & depost domicellæ Christinæ suæ filiæ tertiam dictarum duarum curtium pro indiviso in dotem dedit, quam voluit se posse redimere mediantibus 25. libris Brabantiæ hæredita-

rij reditus, dote siquidem incipiente à traditione & non à promissione, ut ex tenore copiæ apud acta exhibitæ constare videtur: & ex post idem Petrus illam medietatem dictarum curtium, quam à præfato Iacobo van Amstel suo socero emit, vendidit Adriano Vrancken, dicta domicella Christina sua filia & ejus marito præsentibus, scientibus, tacentibus, & non contradicentibus, nec aliquid de dote ipsis addicta dicētibus: & quod amplius est, partem precij puta duas libras hæreditarii redditus recipientibus, ac depost præfatus Petrus unam ex dictis curtibus, & præfatus Adrianus Vrancken reliquam, 13. 14. aut 15. annis quietè & pacificè possederunt, ac fructus earundem respectivè receperunt: deinde præfatus Henricus de Mechlinia antiquior creditor medietatem dictarum curtium sibi, ut præmittitur hypothecam evicit, præfata domicella Christina nihil contra evictionem objiciente, contra quam tamen propter antiquitatem ejusdem præscriptio & plura alia objici potuissent: Sed quia sanguine juncti erant, præsumitur id in fraudem omissum: Filius verò dicti Adriani Vrancken coram lege loci protestatus fuit, quòd in quantum hujusmodi inchoata evictio se extendere posset ad partem per eum emptam in sui præjudicium, ipse se hujusmodi evictioni opponere vellet: Ad quod procurator dicti Henrici respondit in effectu, quòd duntaxat procedere intendebat & processit ad evictionem medietatis hujusmodi curtium, quæ præfato Petro in dotem data fuit: quo audito filius dicti Adriani Vrancken hujusmodi evictioni se non opposuit. Post hoc medietate hujusmodi curtium evicta, dicta domicella Christina agens contra colonos earundē curtium pro exolutione suæ dotis, ex eo quòd de ea fidem facere non potuit, succubuit, colonis ab impetitione ejusdem absolutis. Ex post autem quæstione suborta inter filium præfati Adriani Vrancken impetrantis ex una, & dictam domicellam Christinam ex altera, coram legislatoribus de Barendrecht super eo, an hujusmodi evictio præfato impetranti tanquam posteriori creditori in solidum nocere deberet, vel an simul impetrantem & Christinam concerneret: lata est per præfatos scabinos quædam sententia, in effectu continens, quod præfata domicella Christina, præfato impetranti in annali solutione dotis sibi constitutæ præferri deberet, juxta tenorem contractus antenuptialis, ad quem sententia se refert, & petita deinde à legislatoribus oppidi Antuerpiensis declaratione prætactæ sententiæ, declaratum est per eosdem, quòd ante omnia detrahi debent onera antiquiora præcedentia dictam constitutionem dotis, & quòd illa detractione facta, præfata domicella Christina recipiet integram dotem in residuo hujusmodi dictarum curtium, & quòd quò ad persolutionem illius præferri debet præfato impetranti. A quibus sententiis, licet fortè fuerit appellatum, eandem tamen non est appellans prosecutus. Post hoc dictus impetrans credens sibi licere offerendo 25. libr. hæreditariè posse hujusmodi curtes liberas reddere à prætacta dote, prout potuit præfatus Petrus auctor ejus, instituit processum contra dictam domicellam Christinam, concludens ad finem supra tactum, in quo succubuit primo Antuerpiæ, & deinde per reformationē in consilio Brabantiæ, Novissimè autem dictus impetrans porrecto domino Archiduci supplicatione obtinuit, hujusmodi processus omnes & singulos revideri, & de nullitate ac injustitia eorundem disputari, cognosci, & diffiniri: ad quem finem exhibitæ sunt scripturæ, in quibus plura, nullitatem & injustitiam sententiæ latæ per legislatores de Barendrecht,

drecht, & declarationes ſubſecutæ per le-
giſlatores oppidi Antuerpienſis, cõcernen-
tia deducuntur. Quæritur nunc, an dicta
ſententia per legislatores de Barendrecht
lata, & declaratio per legislatores oppidi
Antuerpienſis ſubſecuta ſint juſtè, injuſtè,
aut nulliter latæ. In qua materia videtur
prima facie dicendum, ſententiam & de-
clarationem hujuſmodi prima facie juſtè
1 latas, cum mulier † in dote habeat hypo-
thecam, ratione cujus præfertur aliis cre-
ditoribus, etiam anterioribus tacitam hy-
pothecam habentibus, & ſic multò fortius
poſterioribus expreſſam hypothecam ha-
bentibus, *vulgari l. aſſiduis. Cod. qui pot. in
pigno. hab. cum ſimilib.* Tamen quod iſtud
non procedit in caſu præſenti, deducitur
ocularitur ſic. Certum eſt, quòd tunc de-
mum mulier in dote habet hypothecam,
quando habet dotantem obligatum de e-
victione, ita dicit *gloſ. in l. unica, poſt prin-
cip. & ibi Salicet. & Doct. C. de rei uxo.
act. & Bal. in l. 1. in 4. colum. in nova le-
ctura, C. de jur. dot. & eſt communis &
2 vera opinio.* Sed ſic eſt, quòd quando †
dos incipit à traditione, ut in caſu præ-
ſenti, ut patet ex tenore copiæ inſtrumẽti
dotalis, dotans non tenetur de evictione,
d. l. 1. ubi text. clarus. Ergo dictæ domi-
cellæ Chriſtinę non competiit hypotheca,
& per conſequens non debuit præferri
præfato impetranti, ſed debebant ſimul
concurrere, juxta *l. privilegia, cum ſua
3 materia. ff. de privil. cred.* & ſimul † in-
commodum evictionis ſuſtinere, juxta
*l. cùm plures. & l. minor, in §. ſi à me beſ-
ſem, juncta gloſſ. & ibi Ang. ff. de evict.*
ubi eſt caſus, quòd in dubio pro rata de-
bet ſuſtineri incõmodum evictionis, re ad
plures pertinente, pro aliqua parte evicta:
& ſic ſententia declaratoria per legiſlato-
res oppidi Antuerpienſis lata contrarium
volens, eſt notoriè injuſta. imò quia dicta
ſententia ſe refert ad acta probatoria, pu-
ta ad contractum antenuptialem, ex quo
contractu antenuptiali clarè patet, dotem
incepiſſe à traditione, & ſic ex cõſequen-
ti clarè patet, dotantem de evictione non
fuiſſe obligatum, & per conſequens hypo-
thecam mulieri dotatæ non competiiſſe
pro dote, per ſuprà dicta præfata ſentẽtia
nedum eſt injuſta, ſed nulla: quia commu-
4 nis & vera opinio habet, quod ſententia †
referens ſe ad acta probatoria, quæ illud
non probant, eſt ipſo jure nulla. ita dicit
Innoc. pater juris, *in c. cùm Bertoldus, de
re jud.* & Bart. *in l. unica. C. de erro cal.*
& volunt Panorm. & Felin. pulcherrimè
in cap. inter cęteras, de re jud. ubi Felinus
in 2. colum. dicit, quòd hæc eſt communis
opinio. Reſpondens omnibus objectis, quę
poſſent fieri in contrarium. Imò plus vo-
luerunt Iaco. de Ra. Pet. de bella pert.
& Cyn. *in d. l. unica*, videlicet, quòd ſem-
per ſententia eſt nulla, quando error appa-
ret ex actis: licet ſententia expreſsè ſe
non referat ad acta; ſed hoc communiter
non tenetur, nec eſt in practica acceptatũ.
Sufficit autem nobis, quod communis o-
pinio habet, quòd quando error apparet
ex actis, & ſententia ſe refert ad acta,
quod tunc ſententia eſt nulla: & ceſſante
nullitate, prout nõ ceſſat, ad huc clarè pa-
tet in caſu præſenti de juſtitia & iniqui-
tate dictæ declarationis, per ſuprà dicta,
quòd ſufficere debet, maximè in hac ſu-
prema curia, in qua non debet de apicibus
diſputari, nec ſubtilitates admitti, ſed ex
bono & æquo procedi: ſicut in ſimili dicit
5 Archi. *in c. ſcriptum, 6. q. 3.* quod ubi † de
ſalute animæ tractatur, non eſt de juris a-
picibus diſputandũ: propriè enim principis
eſt, inter ęquitatẽ & jus interpretationem
facere *l. 1. C. de legi.* teſte enim Ulp. *in l.
fidejuſſor, in § quidam. ff. manda.* non con-
gruit de apicibus juris diſputare, ſed de
hoc ſolum quęrendum eſt, an quis debitor
fuerit nec ne: cui etiamconſonat, *l. ſicut.
in §. ſi debitori, ff. quib. mod. pign. vel
hypo. ſol.* Nec obſtat, ſi dicatur, quod imò
dotans

6 dotans tenetur † de evictione, quando dos incipit à traditione, si dos fuit data æstimata, *dicta l.* 1. In casu autem præsenti dos fuit tradita æstimata, ut videtur: ergo, &c. quia fateor assumptum verum, quando talis facta est æstimatio, quæ facit emptionem. *l. quotiens. C. de jur. do.* Secus si non faciat emptionem. *l. si inter virum, eodem tit.* In casu autem præsenti certum est, æstimationem factam per di-
7 ctum Petrum non facere emptionem, quia tunc demum † æstimatio facit emptionem, quando res traditur, & partes inter se paciscuntur, quòd restituatur æstimatio, *d. l. quotiens.* Sed sic non est in casu præsenti, in quo nihil dictum est de restitutione dotis, an scilicet soluto matrimonio tertia curtium restituenda sit, an 25. lib. hæreditarii redditus, ergo, &c. Imò æstimatio in casu præsenti facta est in favorem dotantis, in casu quo vellet reluere vel rehabere dictam tertiam curtium, & minimè in favorem recipientis
8 dotem, prout loquitur dicta l. quotiens. Iam inducta † ad diminutionem non operantur augmentum, *l. legata inutiliter. ff. de legat.* 1. & econtrà inducta ad augmentum non operantur diminutionem, *l. si mancipia, in principio, ff. de fundo instruct.* & regulariter inducta ad unum effectum non operantur ejus contrarium, ut volunt Bal. & Imo. *in d. l: legata inutiliter.* Et sic non obstat, quod de æstimatione objectum est. Non potest etiam allegari dolus dicti Petri per præfatam
9 domicellam Christinam ejus filiam, quia persona † patris filio vel filiæ semper sancta & honesta videri debet, *l. liberto. ff. de obseq.* & patet clarè, dolum nullum intervenisse tempore traditæ dotis, cùm duntaxat medietas dictarum curtium tunc obligata fuerit, ut patet ex casu: imò dolus dictæ domicellæ Christinæ convincitur ex hoc, quòd tempore venditionis ex post subsecutæ eidem venditioni interfuit, & de dote sibi constituta mentionem non fecit: imò quod amplius est, partem precij recepit: quare & si præmissa cessarent, etiam de evictione teneri debet, *juxta l. quidam, & ibi Angel. ff. de evict.* & ex quo passa est patrem vendere medietatem dictarum curtium tanquam suam propriam, in quarum qualibet ipsa habuit tertiam ex causa dotis, voluit decipere emptorem bonæ fidei, & sic sibi præjudicavit, per *l. si fine, in fine, ubi casus: & ibi Bald. Paul. de Castr. & Doctor. C. ad Vellei.* Nocet enim magis hoc casu dolus, qui colligitur ex patientia & silentio, quàm consensus expressus, ut est textus apertissimus *in dict. leg. si fine, & ibi expressè Bald. & Doct.* & sic au-
10 diri non debet agendo ad integram dotem, per regulam, quam † de evictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio, *l. vendicantem. ff. de evict. cum simil.* & sic multo fortius debet sentire incommodũ evictionis factæ per dictum Henricum de Mechlinia pro rata suæ dotis, cùm ut suprà deductum est, hypothecam non habuit, ex quo dos à traditione incepit non æstimata tali æstimatione, quæ facit emptionem, & ita concludo.

CONSILIUM XLVIII.

SUMMARIA.

1 *Pactum juratum per filiam patri factum de non succedendo eidem, valet.*

2 *Juramentum & interpositio fidei æquipollent.*

3 *Renunciatio hæreditatis jurata facta per liberos an valeat.*

4 *Filij meritis non pactionibus ad paterna provocandi sunt obsequia.*

5 *Hæreditas parentum voto naturali debetur filiis.*

6 *Correctio jurium non præsumitur, nisi de ea expresse constet.*

7 *Juramentum, in quo dolus intervenit, non est obligatorium.*

8 *Juramentum tres debet habere comites, veritatem, judicium & justitiam.*

9 *Renunciatio hæreditatis ejus qui non consensit nullius est momenti. & num. 11.*

10 *Timor reverentialis idem operatur, quod justus metus.*

12 *Renunciatio hæreditatis est pactum de succedendo: Secus tamen quò ad renunciantem.*

13 *Judex contra communem opinionem judicans litem suam facit.*

14 *Renunciatio patris filio venienti ex persona propria non præjudicat.*

VIsis verbis renunciationis dominii de
Haren cum suis pertinentiis, instante
domino Wilhelmo van Doenrade milite
Domino temporali de Haren in præsentia
bonæ memoriæ Reverendissimi in Chri-
sto patris & Domini Domini Ludovici
de Borbon dum vixit Episcopi Leodien-
sis ac Comitis Lossensis, & suorum dictæ
curiæ Lossensis hominum feudalium, per
domicellum Theodoricum van Doen-
raide dicti domini Wilhelmi seniorem fi-
lium in anno ætatis suæ 18. factę, ac ejus-
dem renunciationis verbis diligenter pon-
deratis: licet prima facie videatur hujus-
modi pactum sive renunciatio de nō suc-
cedendo in dicto dominio de Haren per
præfatum domicellum Theodoricum fa-
ctum seu facta valere, & sibi prejudicare,
1 per *c. 2. de pac. lib. 6.* Ubi habetur, quòd †
pactum per filiam patri factum de non
succedendo eidem valet, si juramento val-
letur, & per *auth. sacramenta puberum,
Co. si adver. vend. & c. cum contingat. de
jurejur. & c. licet, eo. tit. lib. 6. cum sim.*
cùm in casu pręsenti pactum de quo suprà
sit de non succedendo, & ei accesserit ju-
ramentum vel æquipollens, ex quo dictus
domicellus Theodoricus promisit fide sua
media loco juramenti, dictum dominium
nunquam petere, illique renunciavit, ac
contra hujusmodi renunciationem nullo
unquam tempore venire, eâdem fide me-
2 dia solenniter promisit: fidei † enim in-
terpositio & juramentum æquipollent, ut
est *gloss. ordin. in c. præterea 1. de spons. &
in c. pervenit, de fidejuss.* & probatur in
*c. juramenti. 22. q. 5. & in c. ad aures, quod
me. cau. cum si.*

In contrarium tamen est veritas, quæ
ut luce clarius appareat, est præmittendū,
3 quòd de jure † civili renunciatio hæredi-
tatis futuræ paternæ vel maternæ etiam
jurata, facta per filios, non valet. *le. pactum
dotali, cum ibi notatis per gloss. & Bald. in
1. colum. C. de col. & l. qui superstitē, cum
ibi notatis per gloss. ff. de acquir. hæred:
juncta l. non dubium, C. de legi. cum sim.*
Nec juvat color, quo utuntur laici dicen-
tes, quòd filij hoc modo nedum provo-
cantur, sed etiam astringūtur ad obsequia
4 paterna, quia filii † ad paterna obsequia
meritis sunt provocandi, non autem pa-
ctionibus astringendi: ut pulchrè inquit
text. in l. fin. quando. §. 1. C. de inoff. testa.
Posteà autem supervenit jus canonicum,
quo jure filia potest cum patre pacisci ut
dote contenta nullum habeat regressum
ad bona paterna, cui pacto si accedat ju-
ramentum non vi vel dolo præstitum, ser-
vandum est. *d c.* 2 Modò est consideran-
dum quod *dictum c. 2.* venit correctivè
ad prætacta jura civilia, & sic non debet
extendi extra terminos, in quibus loqui-
tur, juxta *notata per Bartol. & alios in
authen. quas actiones, C. de sacros. Eccles.*

text. autem *d. c. 2.* loquitur, quando filia
renuncians fuit dotata, & sic quando ali-
quid loco renunciationis recepit, quod nō
est in casu præsenti: unde cum hæreditas
5 † parentum debeatur filiis naturali voto,
leg. nam & si parentibus, ff. de offic. testa.
& l. cum ratio. ff. de bon. damna. cum si:
Inhumanum esset & præter mentem ju-
ris, quòd valeret renunciatio facta in casu
pręsenti per dictum domicellum Theodo-
ricum nihilo percepto. Nec est verisimile,
6 † jus canonicum quod innititur æquitati
voluisse corrigere legem in hoc casu: cum
d. c. 2. veniens, ut præmittitur, ad corre-
ctionem juris civilis non loquatur in hoc
casu, *argum. l. si verò. §. de viro. ff. solut.*
matrimonio, quod enim non mutatur ex-
pressè, firmum remanet. *l. pręcipimus, in*
fin. C. de appell. & l. sancimus. C. de testa.
Correctio enim jurium est vitāda. *l. unica*
C. de inof. doti. & c. cùm expediat, de elect.
li. 6. Adeò quod nunquam inducitur cor-
rectio juris, etiam per tacitos & subaudi-
tos intellectus, ut est *gl. singularis commu-*
niter approbata in c. cupientes, in §. quod
si per 20. in verbo, petere, de elect. lib. 6.
& istud expressè in terminis nostris vult
Dom. Barto. de Saliceto, *in l. pactum quod*
dotali C. de pac. in pen. col. & do. Pet. de
Ancho. multum latè *in d. cap. 2. & idem*
in consil suo 39. incipiente, pro clariori de-
cisione, &c. Præterea est considerandum,
quod *d. ca. 2.* non procedit, etiam si aliquid
7 detur pro † renunciatione, si illud datum
sit minus dimidia hæreditatis renunciatæ:
cùm tunc interveniat dolus re ipsa: quo
interveniente juramentum non obligat
cum effectu *d. c. 2.* in sua exceptione quæ
generaliter & indistinctè loquitur, & sic
intelligi debet tam de dolo re ipsa, quàm
de dolo ex proposito secundum Do. Pet.
de Ancho. *in d. cap. 2. & in d. consil. 39. &*
in repetitione c. canonum statuta, de con-
stitut. & voluit Anton. de Butrio, & post
eum Panorm. *in d. c. cùm contingat, in 22.*
col. & seq. in versi. dominus. Pet de Anch.
& Fed. de Senis *in consil. 199 incipiente,*
quæritur an Domina Margareta, ubi ex-
pressè vult *d. ca. 2.* non procedere, quando
dolus dedit causam renunciationi, & re-
putat hoc valde notabile Panor. *in d. cap.*
cum contingat. in 24. colum. ubi enim est
dolus, ibi excluditur voluntas, *leg. 1. ff. de*
8 *dolo*, & juramentum † debet habere tres
comites, veritatem, justitiam & judi-
cium. *cap. & si Christus, de jurejur. & c.*
inter cætera. 22. quæstio. 4. nec debet esse
iniquitatis vinculum, *cap. 1. de jurejuran.*
lib. 6. cum similibus. Præterea tertiò est
considerandum, quòd dictum dominium
de Haren, ut in facto præsupponitur, ve-
nit ex latere materno dicti domicelli
Theodorici, quæ mater, ut etiam in facto
præsupponitur dictæ renunciationi non
interfuit, nec illi unquam consensit. Modò
sic est, quòd de consuetudine curiæ feu-
dalis, ubi dictum dominium de Haren re-
sortum habet, à memoria hominum ten-
tum & observatum fuit, ac de præsenti
tenetur & inviolabiliter observatur, ut in
facto præsupponitur, quod de bonis ex
latere uxoris provenientibus maritus abs-
que consensu & præsentia uxoris suæ
disponere non potest., nec illa alienare,
aut de eis aliquem contractum facere
quovismodo, qua consuetudine præsup-
posita quę in primis est attendēda *c. prim.*
de feud cog. cum ibi notatis, in usibus
feudo. & qua deficiente ad jus scriptum
recurrendum est, ut ibi in versicul. stre-
nuus, patet clarè hujusmodi renunciatio-
nem etiamsi juramentum solenniter in-
tervenisset, dicto domicello Theodori-
9 co non † præjudicare, cum mater dicti
domicelli de cujus hæreditate agebatur,
eidem renunciationi non consensit, *leg.*
fina. Codic. de pact. cum similibus, &
tantò minus debet hujusmodi renuncia-
tio præjudicium generare, quia tempore
factæ renunciationis dictus domicellus
Theo-

Theodoricus fuit, ut præmittitur minor
25. annis, cujus ætatis consilium infir-
mum & facilè multorum insidijs & ca-
ptionibus expositum esse omnibus con-
stat, unde naturalis æquitas suadet talibus
subveniri. *l. 1. ff. de minoribus* & maximè,
quando instante patre in filium suum sto-
machato, cui magna reverentia debetur,
renunciatio fit, ut in casu præsenti, qui
10 quidem timor † reverentialis idem ope-
ratur quod justus metus, ut est textus no-
tabilis *in l. 1. §. quæ onerandæ, juncta sua*
gloss. ff. qua de re actio non datur, & ibi
Bartolus & ita in terminis nostris decidit
Bald. *in d. l. pactum dotali, in secunda co-*
lumna, in prima quæstione. Et licet præ-
missa consuetudo cessaret, & similiter
tam minor ætas quàm metus reverentia-
lis patris, tamen adhuc ex alio capite sine
aliquo dubio non obstat dicto domicello
Theodorico hujusmodi renunciatio, quia
de jure scripto cessante etiam omni com-
11 suetudine, in renunciatione † seu pacto de
non succedendo intervenire debet con-
sensus illius, de cujus hæreditatis renun-
ciatione agitur, & si illius consensus non
intervenerit nihil valet renunciatio, nec
habet locum *d. c. 2.* ita singulariter deci-
dit Raph. Fulg. *in d. l. pactum dotali*, &
sequitur Raph. Cumanus *in l. stipulatio*
hoc modo concepta. ff. de verb. oblig. & post
eum ibidem latè hoc comprobat D. Alex.
de Imol. idem etiam volunt Dom. Pet. de
Anchorano, Ioan. de Imol. & Dominicus
in d. c. 2. & idem Petr. de Anchoran. *in*
d. consilio 39. & probatur clarè *in d. l. fin.*
C. de pact. quia in casu præsenti quoad
juniores fratres vel nepotes dicti domi-
celli Theodorici renunciantis, hujusmodi
12 renunciatio † est pactum de succedendo,
quod omnium judicio non firmatur ju-
ramento, licet quoad renunciantem sit de
non succedendo, ut benè declarat Dom.
Alexand. de Imol. *in d. l. stipulatio hoc*
modo concepta & Doctor. præallegati
hanc conclusionem pro veritate irrefra-
gabili ponentes, à qua conclusione in-
commutabili & vera non est in judican-
do quovis modo recedendum, juxta *theo-*
ricam notabilem Ioan. And. Panorm. &
Doct. in c. 1. de constit. & not. per Bart. in
l. fin. C. de pœn. judicis qui mal. jud. & est
bonus text. *in c. novimus, & ibi Panor. &*
Doct. de verb. signif. & in l. 1. & ibi Bal.
ff. de off. quæsto. in cap. de judicijs. 3. q. 3.
13 imò judex † contra talem veritatem ju-
dicans facit litem suam, & tenetur parti
ad interesse, nec excusatur in syndicatu,
secundum Bartol. & alios *in d. l. fin. cum*
vulg. Cùm ergo mater dicti domicelli
Theodorici, ex cujus latere hujusmodi
dominium venit, hujusmodi renunciationi
ut præmittitur non interfuit, patet mani-
festè hujusmodi renunciationem etiam si
juramento formali vallata fuisset, dicto
domicello Theodorico non præjudicare,
& d. c. 2. hoc casu locum habere, per quæ
etiam patet solutio ad adducta in oppo-
situm, quia illa recipiunt limitationem ex
his quæ dicta sunt. Et licet hujusmodi
renunciatio propter religionem juramen-
ti vel fidei interpositionis fortè posset
præjudicare dicto domicello Theodorico
renuncianti, prout non, cùm veritas irre-
fragabilis sit in contrarium, ut suprà o-
14 stensum est, tamen hujusmodi † renuncia-
tio filijs dicti domicelli Theodorici, qui
sunt nepotes præfati Domini Wilhelmi,
nullo modo præjudicare posset, ut nota-
biliter in his terminis decidit Bald. *in d.*
l. pactum quod dotali, in 2. col. 2. & quæ-
stione, C. de collat. ex quo veniunt ex per-
sona propria cùm pater eorum decessit:
ut notabiliter declarat Paul. de Castr. &
dicit se consuluisse *in l. qui superstitis, cir-*
ca fin ff. de acquir. hæred. Ex quibus con-
cludo, fratres juniores d. domicelli Theo-
dorici ex hujusmodi renũciatione in præ-
tacto dominio de Haren nullum jus præ-
tendere posse, & ergo eos consultè factu-

ros, si à lite desistant, & inanibus expensis se non vexent, juxta consilium Iurisconsulti *in l. 1. ff. de in offic. testa. cum simil.*

CONSILIUM XLIX.

SUMMARIA.

1 *Asserens se damnificatum probare tenetur.*

2 *Religiosus non habet legitimam personam standi in judicio.*

3 *Quicquid contra rescriptum Principis fit ipso jure irritum est & inane.*

4 *Iudex delegatus alium subdelegare extro diœcesin in qua ipse deputatus est, ne quidem de consensu partium expresso potest.*

VEnerabilis Domine Decane, visitavi acta utriusque instantię mihi per dominationem vestram missa, & illis attentis, si & quantum vestræ dignitati competeret jurisdictio vigore rescripti, & si acta secundæ instantiæ essent aliqua, deberetis primam sententiam Abbatis de Echoute tanquam iniquam, imò tanquam nullam retractare ex primis actis: & appellatum in expensis utriusque instantiæ condemnare. Injustitia enim primæ sententiæ patet ex actis primæ instantiæ ex hoc, quod Ioannes Colarts egit ut hæres
1 Iacobi Colarts, & ex eo † quod asseruit se damnificatum in summa per eum libellata, quam ipse asseruit se solvere habuisse illis de ordine Sancti Ioannis Hierosolymitani: tamē ex actis non constat, quod fuit hæres Iacobi Colarts. Et prætera (quod præcipuum est) non constat ex actis, quod fuit damnificatus, videlicet, quod habuit solvere illis de ordine S. Ioannis Hierosolymitani summam per eum libellatam. Item de nullitate sententiæ Abbatis de Echoute potest probabiliter dubitari. Primo, quod licet abbas de Echoute sit conservator dictorum fratrum ordinis S. Ioannis contra occupatores bonorum dictorum fratrum, & contra inferentes eis injurias: tamen non constat ex literis exhibitis, quod sit judex in causis intentandis per quoscunque alios non religiosos dicti ordinis, contra religiosos de dicto ordine S. Ioannis. Præterea de nullitate satis patet ex eo, quia Ioannes Colarts traxit coram Abbate de Echoute fratrem Nicolaum de Erfvelt religiosum ordin. S. Ioannis prætacti, sine licentia sui superioris: & hoc fuit exceptū pro parte
2 ipsius fratris Nicolai. Et cum † religiosus non habeat legitimam personam standi in judicio, & constet ex actis, eum religiosum professum: ideo de nullitate sententiæ non parva sunt motiva: & ergo si essetis judex, deberetis pronunciare ut suprà scriptum est. Verùm quia non estis judex, & appellans nulliter processit, & acta sunt nulla, ut infrà deducitur: si non possunt partes concordari, ipse debet solvere omnes expensas, & in illis condemnari: & ad relevandum p. v. à laboribus, mitto formam sententiæ per me conceptæ in hunc qui sequitur modum:

In causa appellationis, quæ coram nobis vertitur per & inter fratrem Nicolaum de Erfvelde religiosum ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani de Rodes appellantem ex una, & Ioannem Colarts dum viveret ac eo defuncto Isabellam relictam dicti quondam Ioannis Colarts, ac Philippum de Visch ad causam domicellæ Iosinæ Colarts sororis dicti quondam Ioan. Colarts, qui dictam appellationis causam resumpserunt, appellatos ex alia partibus. Christi nomine invocato pro tribunali sedentes, ac solū Deum & justitiam præ oculis habentes, jus dicentes per hanc nostram sententiam, quam de jurisperitorū consilio & assensu ferimus in his scriptis,

ſcriptis dicimus, decernimus, & declaramus, dictos appellatos ab inſtanria judicij noſtri abſolvendos fore, fuiſſe, & eſſe prout abſolvimus per præſentes, nullamque nobis competijſſe neque competere juriſdictionem de præſenti in cauſa prætacta: dictumque fratrem Nicolaum de Erfvelde appellantem in expenſis legitimis pro parte dictorum appellatorum factis condemnandum fore, fuiſſe & eſſe: prout condemnamus per præſentes: quarum expenſarum legitimarum taxationem nobis reſervamus.

Ad quam ſententiam in cauſa appellationis ſic pronunciandum motus ſum: quia præpoſitus Frigidimontis, Decanus ſanctæ Gudilæ, & Officialis Cameracenſis in Bruxella fuerunt dati judices in reſcripto extra diœceſim tam appellantis, quàm appellati cum clauſula de perhorreſcentia contenta in reſcripto: non in forma humilibus, in quo caſu antequam judex decernat citationem in cauſa appellationis, debet ei conſtare ſaltem per proprium juramentum appellantis, de perhorreſcentia: aliàs acta ſunt nulla. *text. eſt in cap. ſtatutum, §. cùm verò ejuſdem civitatũ ſeu diœceſis, juncto verſic. fin. ejuſdem cap. ſtatutum, de reſcription. libro ſexto*, ubi dicit text in fine, quicquid
3 † contra præmiſſa vel eorum aliquod contigerit attentari, ipſo jure ſit irritum & inane: & ibi hoc notant Doctores, unde cùm unus judicum nominatus in reſcripto decreverit citationem, non conſtito ſibi prius de perhorreſcentia, de qua etiam poſteà non conſtabat, nec conſtat: ergo acta ſunt nulla. Præterea ex alio, Officialis Cameracenſis Bruxellæ reſidens non potuit vos Dominum Decanum in diœceſi Tornacenſi reſidentem
4 ſubdelegare, ut eſt text. † clarus *in d. c. ſtatutum, in verſic. in nullo quoque caſuum prędictorum, dum dicit*: neque alibi quàm infrà illas, & perſonis duntaxat deſignatis ſuperius, committere quomodo libet vices ſuas: unde ibi originaliter Ioan. And. *ſuper verbo, quomodo libet*, & poſt eum Domin. de ſancto Gemi. Philip. Franc. & alij dicunt, quòd etiam de partium expreſſo conſenſu non poſſet judex delegatus ſubdelegare alium extra diœceſim, in qua judex delegatus deputatus eſt: & ſic nulla vobis competit juriſdictio ex dicta ſubdelegatione, & non eſtis nominatus in reſcripto, ergo, &c. Et ergo pronunciandum mihi videtur ut ſuprà, judicio cujuſlibet melius ſentientis ſemper ſalvo

CONSILIUM L.

SVMMARIA.

1 *Alienationis prohibitio facta in contractu inter vivos non impedit tranſlationem dominij, & num. 11.*

2 *Vſufructuaria an poſſit conveniri perſonali actione ratione bonorum obligatorum, &c.*

3 *Donatio propter nuptias per virũ conſtante matrimonio quando & qualiter alienari poſſit, &c.*

4 *Hypotheca contra prohibitionem legis eſt inefficax & invalida.*

5 *Donatio propter nuptias non transfertur in hæredes mariti, niſi dote efficaciter reſtituta, & num. 14.*

6 *Contrahentes conſuetudini loci tacitè renunciare voluiſſe non cenſentur.*

7 *Pactum de non alienando concurrens cum prohibitione legis, impedit*

pedit alienationem & hypothecationem.

8 *Consuetudo loci derogat juri communi aliter disponenti.*

9 *Res de facili ad suam redit naturam.*

10 *Res ecclesiæ alienari prohibita an pro redemptione captivorum alienari possit, &c.*

12 *In bonis donatis propter nuptias uxor dominium habere dicitur.*

13 *Pignoris constitutionem & rei obligationem jus municipale tacitè inducere potest.*

15 *Vxor usufructuaria non tenetur ad exolutionem debitorum per quondam maritum ipsius contractorum.*

16 *Vsusfructus ex provisione legis obveniens in præjudicium usufructuarij obligari nequit.*

17 *Arrogatus impubes in quarta sibi in bonis arrogatoris debita, gravari onere fideicommissi non potest.*

CAsus. Quidam Petrus van der Howen senior cum filio suo Petro van der Howen juniore, in subsidium matrimonij quod idem Petrus suus filius tunc cum domicella Margareta de Puytsuynberge contrahere intendebat, & posteà contraxit, promisit & addixit, ac in donationem propter nuptias dedit & donavit domum seu curtim vulgariter nuncupatam, t'hofte Kerkem, cum suis pertinentijs, & nonnullis alijs bonis in instrumento dotali latius nominatis & descriptis: adjiciens donationi hujusmodi propter nuptias, quod hujusmodi bona alienari hypothecari, vel obligari per dictum Petrum filium suum non possent, nisi maxima urgente necessitate sua vel amicorum suorum, & tunc non nisi cum expresso consensu præfatæ domicellæ Margaretæ ac suorum parentum: & ita per stipulationem solẽnem fuit hinc inde promissum. Conventum etiam fuit inter alia, quòd casu quo contingeret dictum Petrum juniorem van der Howen futurum Sponsum ante præfatam domicellam Margaretam absque prole legitima ex corpore ejus per eum suscitanda, prædecedere, prout prædecessit: in eum eventum ipsa domicella Margareta pro sua duwaria seu lucro antenuptiali ad vitam suam ad & supra dictam curtim & alia bona in instrumento dotali latius descripta consequeretur & retineret singulis annis 80. florenos Rhenenses communes. Modò contigit, dictum Petrum van der Howen juniorem in vita sua plura contrahere debita, tàm nomine suo, quàm nomine alieno, pro alijs se obligando, & bona sua hypothecando. Quæritur nunc, an dicta obligatio vel hypotheca bonorum fuerit valida, vel non: & si non, an saltem actione personali præfata domicella Margareta relicta quondam Petri à dictis creditoribus conveniri posset vel non, attento quòd ipsa, ut mihi præsupponitur, de jure municipali oppidi Lovaniensis loci situationis domus mortuariæ statim post mortem dicti Petri sui dum vixit mariti effecta est usufructuaria, nec ratione apprehensionis hujusmodi ususfructus de eodem jure municipali tenetur ad solutionem debitorum ejusdem quondam Petri, si non apprehendat bona mobilia, prout nulla dicitur apprehendisse. Et videtur prima facie dicẽdum, quòd hujusmodi obligatio & hypotheca sit ef-
1 ficax: cùm prohibitio † alienationis facta in contractu inter vivos non impediat alienationem vel translationem dominij: ut est tex.

est tex.apertus *in l.ea lege C.de condict. ob caus.cum aliis vulg.* Et si sic,ergo dicta
2 domicella † Margareta relicta ratione defructuationis bonorum obligatorum, licet non sit etiam hæres defuncti, tenebitur actione personali,*arg.notatorum per Host.Io.And. Panor. & Doct. in cap.parochianos,& in c.tua,de deci.& perPaul. de Cast.in l. Imperatorii, in princ. ff. de publica.*facit benè *l. neque stipendium.ff. de impen.in reb.dotal.fac.*

In contrarium tamen meo judicio est veritas, videlicet quod prædicta domicella Margareta, stante dicto jure municipali,non potest conveniri actione personali ratione defructuationis bonorum, quæ prætenduntur obligata ; & quod hujusmodi obligatio seu hypotheca non valuit,neque potest censeri efficax: Quod deducitur breviter, omissis ambagibus, rationibus infrà scriptis. Primo sic,
3 quia certum est, quod donatio † propter nuptias non potest alienari per virum cõstante matrimonio, nisi interveniat consensus uxoris: nec hoc sufficit, nisi post biennium secundarius interverniat consensus: nec hoc quidm satis est,nisi super sint alia bona viri,ex quibus possit consuli mulieri in dote:ut de isto est *tex. ad literam:& ibi Bal.Paulus de Castro,& Doctores in auct. sive à me. C. ad Vellej.& nota,per gloss.Panor.&Doct.in c.pervênit, de emp.& vendit. & in c. cùm contingat, de jurejur & in c.ex literis,de pig.* In casu autem pręsenti consensus dictæ domicellæ Margaretę dicitur non intervenisse, nec etiam aliæ solennitates,de quibus suprà:Nec est unde posset consuli eidẽ mu-
4 lieri in dote:ergo hypotheca, † si quæ est facta per dictum quondam Petrum de præfatis bonis donatis propter nuptias, etiã cessante prohibitione hominis, de qua in dicto contractu antenuptiali, propter prohibitionem legis est inefficax & invalida, *l.non dubium, C. de legib.cum vulgaribus.* Nec obstat,si quis dicat, quòd hæc possent habere locum constante matrimonio, sed eo soluto non: cùm donatio
5 † propter nuptias debeat redire ad hæredes mariti, *c.fi.de don. inter vir.& ux. cum vulg.*Quia dico,quod etiam hæc stãt soluto matrimonio: quia donatio propter nuptias non retransfertur in hęredes mariti,nisi restituta dote : & sic intelligitur *d.c.fin.* dote autem non restituta, non transfertur, secundum Nicol. de Matth. Bald.& Paul.de Cast. *in pręall. auct.sive à me.* In casu autem præsenti præsupponitur mihi, dotem non esse efficaciter
6 restitutam. Etiam propter † consuetudinem loci, per quam superstes lucratur usumfructum bonorum immobilium defuncti, præfata domicella Margareta videtur tacitè pepigisse de lucrando usumfructum dictorum bonorum donatorum propter nuptias : quare ex alio non transfertur efficaciter donatio propter nuptias in hæredes dicti quondam Petri, juxta *theoricam gloss.* & *Doct. in d.auct. sive à me,& est text. in pręalleg.c. fin.* & ibi Dom.Panor.ponit effectus qui resultant ex constitutione donationis propter nuptias. Præterea deducitur istud, quia dictæ prohibitioni legis accessit prohibitio hominis, ut patet ex tenore contractus antenuptialis. Modo certum est,
7 quod quando † pactum prohibitivum alienationis apponitur in contractu inter vivos super eo quod prohibetur alienari per legem,tunc pactum de non alienando quod de se non habet vim impeditivam alienationis,ex quo concurrit cum prohibitione legis impedit alienationem & hypothecationem, textus est *in §.sanctissimas,in auct.de alien.& emphyt.col.9.* & ita per illumtext.decidunt Bald. & Sal. *in d.l.ea lege* :ergo hypothecatio,si quæ sit facta per dictum quondam Petrum, est nulla & inefficax. Nec obstat si dicatur,quòd licet per *auc.sive à me*,interdicatur a-

tur alienatio donationis propter nuptias, tamen de consuetudine loci domus mortuariæ vir, potest constante matrimonio illam alienare, quæ consuetudo habet vim legis, & est lex in loco illo, quod tollit legem aliter disponentem, *l. de quibus, cum ibi not. ff. de legi.* & §. *ex non scripto, Instit. de jur. natur. gen. & ci, cum vulg.* ergo nō dici potest ut videtur, quòd in casu præsenti pactū prohibitivum concurrat cum prohibitione legis, cùm lex †
8 loci & consuetudo patriæ admittat alienationem: quia dico quòd posito, quòd consuetudo loci alienationem donationis propter nuptias cessante pacto admittat: tamen adhuc militat ratio suprà dicta, cùm satis sit, quòd pactum reducat contrahenda ad jus commune: nam de † fa-
9 cili res redit ad naturam suam, *l si unus, §. pactus ne peteret, vers. quod in specie, ff. de pact. & cap. ab exordio 35. dist.* & hoc probat apertissimè tex. *in d. §. sanctissimas,* ubi habetur, quod regulariter res immobiles Ecclesiæ prohibentur alienari. In casu tamen lex posterior admittit alienationem rerum immobilium patriæ, pro redemptione captivorū. Ponamus modò,
10 quod † quidam donet ecclesiæ rem immobilem cum pacto, quod nullo modo alienetur: dubitatur, an posset alienari pro redemptione captivorum: & dicit ibi tex. quod non: & tamen lex posterior in casu illo redemptionis captivorum admisit alienationem, sed propter pactum, quod reducit Ecclesiam ad jus suum commune & regulare, impeditur alienatio indifferenter, ut ibi est casus notabilis. Istud etiam apertè vult D. Salic. *in d. l. ea lege. in 7. oppositione:* & sic habeo intentum. Preterea deducitur istud aliter. Nam certum
11 est quòd quando † quis retinet aliquod jus in re, sive sit jus ususfructus, sive jus pignoris, vel quodcunque aliud, tunc pactum de non alienando appositum traditioni rei inter vivos impedit translationem dominij: text. est singularis secundum literam Pisanam & veram *in l. creditor, in §. final. ff. de distract. pign.* & ibi Bald. Volunt idem Bald. & Doct. *in dict. l. ea l.* Paulus de Castro, Ioan. de Imol. Alexand. de Imol. & Doct. *in l. qui absenti. §. primo. ff. de acquir. post Panor. & Doct. in c. querelam, ne prælati vi suas.*
12 Modò clarum est, quòd dicta domicella † Margareta habuit jus in dictis bonis donatis propter nuptias, quia fuit domina illorum: ut est textus apertus *in dict. auct. sive à me, in verbo in rem actio, & ibi gl. Bal. Salic. Paul. de Castr. & Doct.* Certum etiam est, quòd dictus Petrus van den Howen senior in dicta curti, sibi reservavit jus pignoris pro exolutione 30. duorum florenorum Rhenensium, ut inspicienti contractū antenuptialem patet. Pariformiter etiam Michael de Puytsenberg cum sua uxore, reservavit domicellæ Margaretæ suæ filiæ pro sua duwaria, in eventum quo dictus Petrus sine prole præcederet, 80. florenos Rhenenses ex dicta curti cū suis pertinētijs exoluendos: & sic reservatum fuit jus pignoris in dictis bonis: & præterea tacitè lex municipalis eidem domicellæ Margaretæ in eventum quo superviveret, prout supervixit, in dictis bonis jus ususfructus reser-
13 vavit: quòd jus † municipale sine dubio hoc inducere potest: ut *est text. in fortioribus terminis in dict. cap. fin. de dona. inter virum & uxor.* Nec est dubium, quin inducant pignoris constitutionem & rei obligationem: ut est gloss. ordin. *in l. fi. de contrahen. empt. & in l. Lucius. ff. de ali. & ciba lega. & in l. Cajus de annu. legat.* quas gl. approbat & commēdat Lud. Rom. *in suis singularibus, singulari 435. incipiente, quæritur an.* Certum autem est, quòd prestationes alimentorum, ususfructus, vel duwariæ, sunt favorabiles præstationes: ergo clarè patet, hypothecā si quæ in dictis bonis generaliter vel specialiter

cialiter per præfatum Petrum constituta
sit, nullius est vigoris vel efficaciæ: & si
sic, relinquitur quòd dicta domicella Margareta à creditoribus præfati Petri nullo
modo conveniri possit, stante jure muni-
14 cipali, de quo in themate: imò † posset
ipsa domicella Margareta tam diu retinere dictam curtem cum suis pertinentijs quousque dos sua sibi integraliter esset restituta per *præallegat. auth. sive à me, cum ibi nota. per Do. Nic. de Matth. Bald. Paul. de Cast. & Doct*, & voluit, notabiliter Bald. *in l. penul. C. de pig. ac.* & idem Bald. *in l. penul in princ. C. de non nu. pe.* & idem Bald. *in l. cum tibi. C. qui potio. in pig. hab.* quam theoricam refert, sequitur & commendat D. Iason *in l. si non sortem, in § centum. ff. de condic. indeb.* & est bonus text. *in l. si filiof. primo in princ. ff. soluto matrimonio.* Nec obstãt adducta in contrarium, quia procedunt ubi res non est prohibita alienari per legẽ, & ubi non concurrit prohibitio hominis cum prohibitione legis, & ubi apponens pactum de non alienando traditioni rei nõ servat sibi jus in illa re, quæ omnia in casu nostro concurrunt: & sic ex triplici capite invalidatur alienatio vel hypothecatio, si quæ sit constituta per præfatum quondam Petrum in dictis bonis donatis propter nuptias. Concludo ergo, quòd licet dicta domicella Margaretha nullo modo conveniri potest, neq; actione personali propter jus municipale, neq; actione reali, quia bona dicti quondam Petri non sunt realiter & efficaciter obligata, propter rationes superius allegatas. Et quia ad Dominum officialẽ Leodiensem spectat cognitio super vi & efficacia ipsius pacti dotalis seu contractus antenuptialis: ideo rectè aditus est ipse in hoc casu. Et licet prædicta sufficiant pro justificatione boni juris dictæ domicellæ Margaretæ: Tamen ut luce clarius appa-
15 reat, dictam † domicellam Margaretam
non teneri ad exolutionem debitorum per dictum quondam Petrum contractorum propter apprehensionem usufructus: adduco text. expressum cum ibi not. per Bald. & DD. *in l. licet, C. de jur. dot. ubi de hoc est casus.* Speciale enim est, quòd maritus, qui lucratur dotem, teneatur pro rata dotis ad expensa funeris uxoris defunctæ: Sed ad solutionem æris alieni tenentur hæredes universales, & de hoc est casus *in l. Celsus, cum quinque legibus sequentibus, & ibi gl. de relig. & sump. fun. & in l si vir, ff. ad l. fal.* Com-
16 probatur etiam istud, quia lucrum† usus-
fructus, quod per jus municipale defertur uxori superstiti, nõ dicitur haberi per eam jure hæreditario, sed ex provisione legis, ut not. eleganter D. Alexan. *in d. l. si vir Bar. Bal & DD. in l. si arrogatur, ff. de adop.* ergo clarè patet, quòd ipsa ad solutionem æris alieni non teneatur, sed hæredes & universales successores, per *præall. l. licet, quę ad hoc est singularis secundum Bal.*
17 *ibi, & per d. l. si arrogatur, in versic. sed an*
impers, ubi habetur, quòd impubes † arrogatus non potest in quarta sibi ex constitutione divi Pij debita in bonis arrogatoris, per ipsum arrogatorem gravari onere fideicommissi: & ponitur ratio in tex. quia dicta quarta ad impuberem pervenit nõ ex judicio arrogatoris, sed ex provisione & providentia legis, ita dico etiam in proposito: qui text. fortius probãt, dictam domicellam Margaretam non teneri ad solutionem hujusmodi debitorum, etiam si hoc præfatus Petrus sibi injunxisset: cùm hujusmodi gravamen non valuisset tanquam injunctum ei, quæ non ex judicio gravantis, sed ex provisione legis usumfructum consequitur.

CONSILIUM LI.

SUMMARIA.

1 *Affinitas solùm primi generis im-*

pedit matrimonium contrahendum, & post contractum dirimit.

2 *Affinitas primi generis quomodo contrahatur, & num. 3.*

4 *Vxores duorum fratrum inter se sunt in secundo genere affinitatis.*

5 *Cognatio spiritualis quando contrahatur, &c.*

QVidam Cornelius & quædam Apolonia, fuerunt filius & filia duarum sororum: Cornelius præfatus contraxit matrimonium cum quadam nomine Elizabeth: Apolonia autem contraxit cum quodam Ioanne: mortuus est Cornelius, similiter mortua est Apolonia, superstitibus remanentibus Ioanne & Elizabeth. Item præfatus quondam Cornelius antequam contraxisset matrimonium cum Elizabeth, levavit prolem ipsorum Ioannis & Apoloniæ de sacro fonte. Quæritur modò, an præfati Ioannes & Elizabeth, præmissis non obstantibus, matrimonium in facie ecclesiæ contrahere possint, & an si contractum sit, teneat.

Ad quam quæstionem breviter dimissis argumentorum involutionibus, videtur mihi subscripto de iure dicendum, quòd præfati Ioannes & Elizabeth matrimonium in facie ecclesiæ contrahere possint: & si contraxerunt, quòd hoc matrimonium contractum mero iure tenet. Pro cujus clara deductione, quoad primum apparens impedimentum, affinitatis videlicet apparentis inter Ioannē & Elizabeth viventes, est præsupponen-
1 dum, quòd † hodie solum & duntaxat attenditur affinitas primi generis, quæ est proximitas personarum inter copulatam & consanguineos copulati, & inter copulatam & consanguineos copulatæ, solumque affinitas primi generis causat impedimentum, matrimonium contrahendum impediens, & post contractum dirimens: secus autem est de secundo genere affinitatis, quod causatur ex persona addita primo generi, & similiter de alijs generibus ulterioribus: de isto est text cum glos. *in cap. non debet. de consang. & affin. & ibidem Doct.* Quo tanquam certissimo præsupposito: clarè sequitur in casu proposito, impedimentum affinitatis non obstare: Quod sic deducitur, quia ut ex præmissis patet, impedi-
2 mentum affinitatis † primi generis, quod præstat impedimentum contrahitur inter maritum & consanguineos uxoris cum qua contraxit, ac inter ipsam uxorem & consanguineos mariti cum quo ipsa contraxit: Iā sic non est in casu præsenti, ex quo ipse Cornelius non erat consanguineus ipsius Ioannis, & sic per eum non potuit contrahi affinitas primi generis inter Ioannem & Elizabeth: nec etiam Apolonia erat consanguinea ipsius Elizabeth, quare etiam per eam non fuit contracta affinitas inter præfatum Ioannem & Elizabeth. Patet ergo, quòd nulla est ibi affinitas primi generis, cùm illa debuisset necessario fuisse contracta per ipsum Cornelium seu medio ipsius, vel per ipsam Apoloniam seu medio ejus. Affinitas ergo, quæ hic est seu esse potest inter Ioannem & Elizabeth, causatur ab affinitate quæ fuit inter quondam Cornelium & Ioannem ratione Apoloniæ uxoris ipsius Ioannis, quæ affinitas est causata ab affinitate, & sic est alterius generis à primo: cùm affinitas † primi generis nunquam causetur ab affinitate, sed duntaxat à consanguinitate, ut suprà deductum est, ultra quæ adducta est sententia & regula Ricardi de media villa *in quarto, distinct. 41. quæst. 1. articulo 4,* unde notanter dicunt Dom. Panor. & Anton. de Butrio *in dicto ca. non debet,* quòd

† uxo-

4 † uxores duorum fratrum inter se sunt in
secundo genere affinitatis: uxor ergo fra-
tris & maritus sororis pariformiter sunt
in secũdo genere affinitatis: & propterea
decedentibus fratre & sorore, possunt
maritus sororis defunctæ, & uxor fratris
defuncti invicẽ matrimonium contrahere
ergo & in casu nostro hoc potest fieri:
pro quo etiam est text. *in cap. quod super*
his, de consang. & affin. & in §. mariti. In-
stit. de nupt. cum similib. Quò verò ad
secundum, de apparenti impedimento co-
gnationis spiritualis contractæ, ut inten-
ditur, per quondam Cornelium ex hoc,
quòd prolem dicti Ioannis & quondam
Apoloniæ, de sacro fonte levavit, clarum
est hoc etiam non obstare. Pro cujus clara
deductione est præsupponendum, quòd
5 ad † hoc ut contrahatur cognatio spiri-
tualis inter uxorem & parentes prolis le-
vatæ per ipsum maritum levantem de sa-
cro fonte, oportet quòd illa prius fuisset
uxor illius mariti: & ultra hoc requiritur,
quòd fuerit prius carnaliter cognita ab
eodem, sic quòd sint facti una caro, ante-
quam ipse maritus hujusmodi prolem de
sacro fonte levavit: Aliàs enim ex post fa-
cta uxor, aut prius uxor & postea carna-
liter cognita, non fit commater parenti-
bus prolis levatæ: text. est *in cap. Marti-*
nus Bertam, juncta glos. quam sequuntur
ibidem Ant. de Butrio, Panorm. Henric.
Boick & Doct. de cognat. spirit. & in cap.
cum spirituale, cum seq. & ibi Archid. 30.
quæst 4. & hoc idem tenet præfatus Ri-
car *in 4. distinct. 42. quest. 1. arg. 3. repro-*
bans Gratianum in §. notandum. 30. *q* 4.
contrarium tenentem: pro quo etiam *est*
text. cum gl in cap. 1. de cogna. spir. lib. 6.
Cùm ergo in proposito ipsa Elizabeth nõ
fuit uxor Cornelij, neque carnaliter co-
gnita ab ipso Cornelio, tempore quo ipse
Cornelius levavit prolem Ioannis & A-
polloniæ de sacro fonte: sequitur clarè,
hoc impedimentum similiter non obstare:
Et per consequens dicti Ioannes & Eli-
zabeth sine hæsitatione aliqua, invicem
matrimonium contrahere possunt, si aliud
non obstiterit canonicum impedimen-
tum, cùm præmissa apparentia impedi-
menta non obstent, per prædicta.

CONSILIUM LII.

SUMMARIA.

1 *Uxor convolans ad secunda vota contra voluntatem mariti defuncti, perdit legata sibi ab ipso relicta,*

2 *Dictio,* Hoc amplius, *est repetitiva præcedentium, quoad qualitatem & conditionem eorundem.*

3 *Repetitio conditionis præcedentis quando in sequentibus præsumatur, &c.*

VIso instrumento testamenti quon-
dam Ioannis van der Guechte, in fa-
vorem domicellæ Margaretæ suæ reli-
ctæ conditi, videtur mihi subscripto,
1 dictam domicellam † Margaretam per-
didisse legata sibi relicta, ex quo ad se-
cunda convolaverit vota, ut ex actis con-
stat, *juxta Auth. cui relictum, cum ibi*
plenè notatũ per Ia. & novissimos, C. de
indic. vidui. Nec debet fieri distinctio
inter legata posteriora & priora: licet in
posterioribus conditio indictæ viduitatis
non fuerit adjecta, quia meo judicio
debet censeri repetita propter dictionem,
hierenboven, &c. quæ tantundem im-
2 portat sicut dictio, † hoc amplius: quæ
dictio, hoc amplius, est repetitiva præce-
dentis legati, & non solum repetitiva pre-
cedentis legati, sed etiam qualitatis seu

conditionis eidem legato adjectæ, *l. si tibi purè. ff. de legat. tertiò, & l. legata inutiliter, & ibi Moderni. ff. de legat. primo, & est glos. ordinaria in l in repetendis. ff. de leg.* 3. quam in terminis nostris sequitur Bart. *in dicta l. si tibi purè.* Nec obstant *notata Bart. in dicta l. in repetendis, in 2. col. in vers. quandoque est identitas personarum & rerum diversitas,* ubi videtur hoc limitare, quando illa oratio non est perfecta: quia si benè inspiciatur, loquitur de dictione, item, & non de dictione, hoc amplius, quę est multò amplior: ut ex notatis ejusdem facilè colligi potest. Non obstant etiam *notata Bartol. in eadem l. in repetendis in 3. colum. in versic. item*
3 *adverte.* ubi videtur hoc limitare,† quando repetitio congruit: quia in casu præsenti omnia legata sunt annua, & sic plura, & successum tractum habentia, *leg. 4. & l. in singulos. ff. de annu. lega. cum similib.* & sic repetitio congruit *juxta declarationem ipsius Bartoli ubi suprà:* quare sequitur, quòd conditio debet censeri repetita in posterioribus legatis, & per consequens dicta domicella Margareta debet omnia perdere: per *dict. Auth. cui relictum, & alia jura suprà allegata, cum similib.* circa quod amplius non insisto, ex quo materia de se meo judicio est tota clara. Supervacuis enim laborat impendiis, qui solem facibus certat adjuvare, *cap. si omnia, 6. quæstione 1. §. fina. ff. de dote prælega. cum similibus.*

CONSILIUM LIII.

SVMMARIA.

1 *Bona constante matrimonio acquisita, soluto eo pariter dividi debent.*

2 *In generali sermone omnia veniunt, nisi specialiter excipiantur.*

3 *Filij prætextu læsionis accidentalis ex conventione parentum obvenientis, restitui non possunt.*

4 *Conventio reciproca habens se æqualiter ad commodum & incommodum, non dicitur onerosa.*

5 *Verba pactorum intelligi debent, ut aliquid operentur.*

6 *Argumentum à contractu societatis ad contractum sponsaliorum valet.*

7 *Nemo præsumitur extraneum velle posteritati præferre.*

8 *Ambigua verba contra proferentem interpretanda sunt.*

9 *Bonorum appellatione in generali conventione vel sermone non veniunt bona feudalia.*

10 *In societate omnium bonorum non venit feudum.*

11 *In sermone generali ex tacita conjecturata voluntate plus venire non potest, quàm posset ex expressa.*

12 *Primogenitus solus ex consuetudine succedens in regno, tenetur ad recompensam secundo genito.*

13 *Feudum si legetur ad pias etiam causas, non valet legatum in aliquo, etiam ad hoc ut debeatur æstimatio.*

14 *Ex separatis nulla fit illatio.*

STantibus verbis contractus antenuptialis, quo cavetur, quod altero conjugum decedente superstes ad se capiet mille

mille per eum in subsidium matrimonii data, similibus mille apud filios si sint, vel eis non existentibus apud hæredes defuncti remanentibus, & quòd omnia alia bona, quæ tunc in hæreditate reperiri continget, dividentur æquis portionibus inter superstitem & filios vel hæredes defuncti. Dubitatur de tribus. Primò an bona hæreditaria, quæ ex successione titulo universali stante hujusmodi matrimonio obvenerunt, debeant æqualiter dividi: vel an debeant remanere præcipua penes filios, ex quo ex latere materno provenerunt. Secundo dubitatur de bonis feudalibus. Et tertiò, dato quòd bona feudalia non veniant dividenda, an saltem superstes debeat ex aliis bonis consequi tantundem.

Super quibus dubiis per ordinem respondendo, præhabita desuper matura deliberatione, videtur mihi subscripto de jure dicendum quò ad primum dubium,
1 quòd sicut † bona mobilia & alia ex industria stante matrimonio acquisita, debent dividi juxta consuetudinem loci notoriam, cui satis consonat jus commune, *c. significavit, de donat. inter vir. & uxor.* Ita etiam vigore dicti pacti dividi debent bona hæreditaria, stante matrimonio obvenientia, licet illa cessante hujusmodi pacto de jure & consuetudine loci debuissent devolui duntaxat ad illum vel illos, ex cujus latere obvenerunt. Et quod istud operetur pactum in casu præsenti, probo mediis infrà scriptis. Primò enim pro hac parte facit generalitas illorum verborum, omnia alia bona quæ tunc in hæreditate
2 reperiri continget, &c. qui enim † omne dicit, nihil excludit, *l. à procuratore, cum gloss. C. mand. & c. solitæ, de ma. & obed.* & in generali sermone omnia veniunt, nisi specialiter excipiantur, *l. quicquid astringendę primo responso, ff. de verbor. oblig. & l. fin. C. de dot. promis.* & quia verba hujusmodi intuitum suum dirigunt ad futurum, ut patet ad sensum. Certum autem est, quòd soluto matrimonio bona hæreditaria, de quibus est quæstio, reperta sunt in hæreditate, ergo &c. Secundo pro
3 hac parte facit, quòd conventio † hujusmodi est reciproca, habens se æqualiter ad commodum & incommodum, lucrum & damnum: unde licet casualiter sit damnosa filiis, potuisset tamen esse lucrosa, si pater constante matrimonio alicui successisset: unde non debet dici onerosa, nec possent filii prætextu talis læsionis accidentalis, etiam si sint minorennes, restitui. *text. est optimus in l. de fideicommisso, C. de transact. & ibi Paul. de Castr. & Doct. in l. si pater puellę, C. de inoffic. testam.* Tertiò pro hac parte adduco *notabilem theoricam Angel. in consilio suo 260. in penul. colu.* ubi dicit, quòd quan-
4 do † plures inter se paciscuntur, quòd nullus confœderatorum debeat recipere bannitos vel rebelles alterius, quantumcunque verba sonent in præsens, tamen trahuntur ad futurum: cùm conventio sit reciproca, & non contineat plus odii vel incommodi, quàm favoris & commodi, quam decisionem refert & sequitur dom. Iason. *in d. l. si pater puellæ.* Quartò, pro
5 hac parte facit alia ratio, quia † verba pacti sic debent intelligi, ut aliquid operentur, *c. si Papa, de privil. lib. 6. & l. si quando, ff. de legat. 1. & notat Bar. in l. 4. in §. prætor ait. ff. de dam. infec.* sed nisi bona hæreditaria quæ titulo universali obvenerunt, comprehendantur in dicto pacto, verba hujusmodi pacti nihil operarentur: quod patet, quia bona mobilia & alia ex quæstu vel industria acquisita, etiam pacto non apposito, ex consuetudine loci cui satis consonat jus commune, ut dixi, debebant æqualiter dividi: ut ergo verba pacti quę sunt generalia & ampla, aliquid operentur, debent in eo comprehendi bona hæreditaria, ex successione obvenientia. Quintò pro hac parte adduco talem ratio-

rationem, uxor eſt ſocia rerum mariti, *l.*
1. ff. rer. amo. & *l. adverſus, C. de crim.*
exp. hæred. & probatur *in c. 2. de ſponſal.*
6 ubi † arguitur à contractu ſocietatis ad
contractum ſponſaliorũ : & vult Specul.
in titul. de feud. §. 2. verſic. 20. quæritur :
Sed ſic eſt quòd cùm expreſsè contrahi-
tur ſocietas omnium bonorum, tunc &
hæreditas & legatum & quod donatum
eſt, aut quacunque ratione acquiſitum eſt,
communioni acquiritur : *text. eſt ad lite-*
ram in l. tertia. §. cum ſpecialiter. ff. pro
ſocio, licet ſecus ſit, quandó non eſt ex-
preſsè dictum, quod ſit omnium bono-
rum : tunc enim ſolùm ea communican-
tur, quæ ex quæſtu veniunt *l. coiri, cum*
tribus ſeq. ff. eod. tit. Sed in caſu præſenti
expreſsè, imò expreſſiſſimè contracta eſt
ſocietas omnium bonorum, ut patet ex
verbis pacti, ergo &c. Et quia ferro viam
aperit, qui per contraria tranſit, teſte Bal.
in l. precibus, C. de impub. & aliis ſubſtit.
Reſpondebo paucis quibuſdam motivis
prima facie tendentibus ad contrarium.
Et primò non obſtat ſi dicatur, quòd ne-
mo præſumitur ſuum jactare, *l. cum de*
indebito, ff. de probat. cum ſim. & quòd
7 quis † non præſumitur extraneum pro-
priæ poſteritati velle præferre, *l. cum acu-*
tiſſimi, C. de fideicommiſſ. cum ſimil. Quia
fateor in dubio : ſed ubi conſtat de vo-
luntate contraria, ceſſat præſumptio. In
incertis enim non in certis locus eſt con-
jecturis, *l. continuus. § cum ita, ff. de ver-*
bor. oblig. quòd autem hîc ſumus in cer-
tis, patet ex præmiſſis. Non obſtat et-
8 iam ſi dicatur, quod verba † ambigua
debent interpretari contra proferentem,
qui potuit legem apertius dicere, *l. vete-*
ribus, ff. de pac. cum ſimi cùm in caſu præ-
ſenti verba non ſint dubia, ſed multùm
clara & aperta, ut prædixi : Concludo
ergo, quòd bona quæ ex ſucceſſione ob-
venerunt comprehenduntur in dicto pa-
cto, & quod debent dividi æquis portio-
nibus. Quò autem ad ſecundum dubium
9 dico breviter, quod bona feudalia † non
comprehenduntur vigore dictorum ver-
borum : quia in generali conventione vel
ſermone non venit feudum, *text. eſt ad li-*
teram in c. in generali, ſi de feud. fuer. con-
trover. in uſib. feud. & *in c. 1. de vaſal. qui*
cur. vendi. & *volunt Bal.* & *Præpoſitus, in*
l. imperialem, in tit. de probi feud. alie. per
Fede. circa princip. ubi dicunt, quod con-
ſuetudo diſponens quod vir lucretur ter-
tiam partem bonorum uxoris, non habet
locum in feudis : & idem Præpoſitus *in*
c. 1. de inveſt. de re alie. facta, circa finem
principij. ubi punctualiter concludit, quod
10 in ſocietate † omnium bonorum vel in
generalibus contractibus non venit feu-
dum, per multas rationes, de quibus per
eum ibi. Nec obſtat quod de generali-
tate objici poſſet, ex quo lex expreſsè de-
clarat, feudum in generali ſermone non
comprehendi : cujus ratio eſt, quia cùm
in alienatione requiratur licentia domini
feudi, nec poſſet aliter alienari, *dict. l*
imperialem, cum ſimi. non mirum, ſi
non veniat in ſermone generali : cùm va-
ſallus, etiam ſi vellet, illud alienare non
11 poſſet : Nec † plus cenſeri debet venire in
ſermone generali ex tacita conjecturata
voluntate, quàm venire poſſet ex expreſ-
ſa, *arg. ca. ſi de off. vicar. lib. 6.* Concludo
ergo, quòd feuda non erunt diviſibilia,
ſed recto tramite devolvi debent ad fi-
lios, juxta formam & tenorem inveſtitu-
ræ, ad quē pręcipuus oculus eſt habendus,
cap. 1. § præterea, in tit. quid ſit inveſtit.
& in cap. unico, ubi opt. textus, de duobus
fratrib. à cap. inveſt. in uſibus feudorum
cum ſimilibus. Quò autem ad tertium
dubium, licet inveniam per ſententiam
arbitralem declaratum, patrem hujuſ-
modi prolium debere recompenſari à
mamburnis occaſione dictorum feudo-
rum in ducentis florenis Rhenenſibus: ta-
men credo mamburnos malè feciſſe ſe
ſub-

submittendo dictamini arbitrorum, *argu. l. si dictum. §. si compromisero, cum ibi notat. ff. de evict.* & credo etiam sententiam hujusmodi arbitralem non benè latam: Imò credo eam nullam, *per l. clarum, C. de auctor. præstan. & l. non eo minus, C. de procur. juncto dicto § si compromisero.* Cessante tamen nullitate, deduco injustitiam ejus tali ratione: de jure communi scripto, vel consuetudinario pater in prætactis feudis jus non habet, & ex pacto non est consequutus aliquod jus in feudis, cùm illa in pacto non fuerint comprehensa, ut prædixi: sequitur ergo, quod nullum colorem habet petendi recompen-
12 sam: licet enim † secundo genito debeat fieri recompensa, à primogenito, quando primogenitus solus ex consuetudine succedit in regno vel ducatu, *juxta notata Hostien. Ioan. And. Panormit. & docto. in cap. licet, de voto*: & tangitur per Ioan. And. *in regula sine culpa, de reg. jur. lib. 6.* tamen in casu præsenti nullum video apparentiam, cùm id ratione cujus ipse pater petit recompensam, puta feudum, non includatur in pacto, nec ei aliàs jus competit, ut prædixi, nec subest ratio dandi recompensam, ut in primogenito: Nec potest dici hujusmodi contrahentes sensisse de recompensa feudi, ex quo de feudo non senserunt tacitè vel expresè: pro quo optimè faciunt *nota Bald. in l. 1. in lectura in quarta colum. C. de sacrosanct. eccles. & not. ejusdem Bald. in tit. qualiter olim feu. po. alie. in § denare, in usib. feud. & notata Ioan. Fab. in § non solùm, Instit. de legat. in fin.* in quibus locis volunt, quòd
13 † si legetur feudum expresè etiam ad pias causas, & pro anima, non valet legatum in aliquo, etiam ad hoc, ut debeatur æstimatio: minus ergo debetur æstimatio, vel loco ejus fieri debet recompensa, quando de feudo contrahentes non senserunt tacitè vel expresè. Et per præmissa tolluntur *notata per Bald. & Salicet. in l. omnimodo, in § imputari, C. de inoffic. testam.* & *nota. per Bart. in l. 1. in §. nec castrense, ff. de collatio. bonor.* quia loquuntur in casu multum diverso à casu præsenti: & sic ex dictis eorum nihil concludi potest in hac materia: cùm ex
14 † separatis non fiat illatio, *l. neque natales, C. de proba. cum similibus.* Et id quod dicunt de imputatione, non placet Ang. neque Paul. de Castr. *in l. si patroni, in principio, ff. ad Trebellia.* nec Iasoni & *novissimis in l. quoniam novella, C. de inoffic. testam.* ubi plenè hoc prosequitur in secunda colum. circa finem. Quia tamen causa est modica, & agitur inter patrem & filios, & reperio judicatum contra filios consulo pro bono pacis & concordiæ, quòd per amicos neutrales causa ista ducentorum florenorum sopiatur, si fieri potest.

CONSILIUM LIV.

SUMMARIA.

1 *Clericus suspensus à divinis, immiscens se divinis incurrit irregularitatem.*

2 *Clericum ab irregularitate solus Papa absolvere potest.*

3 *Irregularis ad divina nullo modo est admittendus.*

4 *Irregularis carere debet fructibus beneficij, ex quo à jure suspensus fuit.*

5 *Excommunicatum exemptum absolvere ab excommunicatione ordinarius vel ejus officialis non potest.*

1 CAsus, super quo consilium petitur, talis est, Decanus † suspensus à divinis tempore suspẽsionis immiscuit se divinis: quæritur, an ob hoc excõmunicationẽ & irre-

& irregularitatem incurrerit. Super quo breviter reſpõdeo, quòd ex ea cauſa irregularitatem incurrit, *cap primo, in fine, de re judic. lib. 6. & cap. 1. in fin. de ſentent. excom. eo. lib.* ſed non incurrit excommunicationem, quia hoc nullo jure cautum reperitur, nec etiam ſtatuta ſynodalia per me viſa hoc volunt, licet alias pœnas infligant, ut patet ea intuenti. Ad aliud au-
2 tem quo quæritur, quis † eundem in foro exteriori poſſet abſolvere: & an abſolutio in foro conſcientiæ ſibi impenſa proſit ei in foro contentioſo ſive exteriori, breviter dico, quod ſolus Papa eundem abſolvere poteſt ab irregularitate, ut in dictis juribus: Nec ſuffragatur ſibi in foro exteriori abſolutio ſibi impenſa per *domin. Egidium de Brabantia in foro conſcientiæ, per notata Ioan. And. Hen. Boick, & Doct. in cap. clerici. de cler. excomm. miniſtran.* Ad tertium autẽ quo quæritur, quid cum eo agendum ſit, & qualiter ſecum debeat converſari, ſimiliter breviter reſpondeo,
3 quod quia † ut præmittitur excommunicatus non eſt, extra divina non eſt vitandus. Sed quia irregularitatem incurrit, & ſic eſt à jure ſuſpenſus, *juxta notata per Innocen. Ioan. And. & Doct. in cap. veſtra, de coha. cler. & mulier.* vitandus eſt in divinis, nec ad ea quovis modo admittendus, donec & quouſque à ſummo Pontifice, vel ejus in ea parte in foro exteriori commiſſario, rehabilitationem obtinuerit, & oſtenderit, *per jura prææallegata.* Ad
4 quartum autem quo quæritur, † an propter promiſſa medio tempore debeat privari fructibus ſui decanatus vel beneficii, & cui accreſcant, breviter reſpondeo, quòd de juris rigore debet carere fructibus, ex quo ut præmittitur à jure ſuſpenſus eſt, & illi ſi ſint fructus groſſi applicari debent eccleſiæ: ſi verò diſtributiones quotidianæ, ſociis eccleſiæ: ut *eſt text. juncta ſua notabili gloſſ. in Clement. ſuper verbo ſuſpenſus, de vita & honeſt. cler. & volunt Doct. poſt gloſſ. in c. paſtoralis, in §. verùm, de appella.* habenda tamen eſt conſideratio ex fraterna charitate, ne egeat vel fame laboret: ut vult *gloſſ. & Doct. in d. §. verùm.* Ad quintum autem quo quæritur, an Officialis Leodienſis poſſet dictum decanum declarare ſuſpenſum & irregularem, ac eum ut talem ad ſedem apoſtolicam pro abſolutione conſequenda remittere: videtur mihi, quòd tenor privilegij exemptionis ſecundariarum eccleſiarum eſt inſpiciendus, *cap. porrò, de privileg.* de quo, quia mihi non conſtat, non poſſum deſuper certum dare reſponſum, *arg. cap. de muliere, de ſponſal. & l. ut reſponſum, C. de tranſact.* Sed in quantum hujuſmodi exemptio non haberet ſpeciales derogatorias, crederem officialem id poſſe, per *Clement. 1. poſt principium, de*
5 *privileg.* abſolvere † autem exemptum excommunicatum ab excommunicatione ordinarius vel officialis ejus non poteſt, ut *eſt textus cum ſua ſingulari gloſſ. in Clem. cum ex eo, in fine, de ſentent. excommun. quam ibi ſummè commendat Panorm. & idem Panor. in cap. cum tempore, in ſecunda columna, de arbit.*

CONSILIUM LV.

SVMMARIA.

1 *Verba contrahentium ad tempus contractus referenda ſunt.*

2 *Verbum* Perveniſſe *ſemper intelligitur cum effectu, ſcilicet deductis impenſis & ære alieno.*

VIgente conſuetudine, qua omnia conjugum bona, tàm mobilia, quàm immobilia, tàm credita, quàm debita communicantur, ita ut poſt alterius deceſſum, omnium bonorum medietas, etiam quoad plenam proprietatem, cum medietate onerum

onerum seu debitorum apud superstitem remaneat, reliqua medietate ad proles si sint, aliàs ad hæredes prædefuncti, vel prædefunctæ transeunte.

Quidam A. contraxit matrimonium cum quadam B. contractu antenuptiali tali inter se habito & inito. Videlicet, quod matrimonio (altero eorum carnis debitum solvente) soluto, hæreditates cujusque integrè ad illum vel illam pervenirent, ex cujus latere provenerunt, nec communicarentur cæteris bonis creditisque ac debitis hinc inde communicandis & dividendis. Contigit modò, quòd præfatus A. ante hujusmodi contractum antenuptialem initum, vel matrimonium contractum, certam hæreditatem suorum parentum pro certa denariorum summa exolvenda titulo emptionis acquisivit: quo sic se habente, præfatoque matrimonio contracto, contractuque antenuptiali ut præmittitur præhabito & inito, præfata B. sine liberis certis relictis hæredibus, prædecessit. Est jam quæstio, inter dictum A. ex una, & hæredes præfatæ B. ex altera: an debitum per præfatum A. ex emptione præfatæ hæreditatis contractum, inter eum & hæredes uxoris prædefunctæ veniat communicandũ, ea hæreditate apud præfatum A. tota ac integra remanente: vel an potius hujusmodi æs alienum integraliter solvi debeat per dictum A. ac sibi soli incumbat exolutio illius. In qua quæstione videtur mihi, quòd hujusmodi æs alienum solvi debet integraliter per dictum A. recipientem ad se dictas hæreditates, ut sic eo modo dictę hæreditates emptę ad eum redeant,
1 quo pervenerunt: cùm sic † censeantur ipsi contrahentes intellexisse, referendo scilicet verba ad tempus contractus, prout referri debent de jure, *l. Rutilia Polla. ff. de contrahen. empt. & l. 2. §. 1. ff de her. vel ac. ven. cum similib.* Nec obstat, quòd hujusmodi debitum ex vi hujusmodi consuetudinis fuit communicatum statim contracto & consummato matrimonio: quia licet hoc sit verum, ex hoc tamen non sequitur, quòd hæredes dictæ B. debent medietatem ejus solvere: & hoc propter dictum pactum, quod vult hujusmodi hæreditates pervenire ad illum, ex cujus latere pervenerunt: non autem est verum dicere, hujusmodi hæreditates pervenisse ad dictum A. nisi cum onere hujusmodi æris alieni: & sic cum effectu
2 non pervenerunt ad eum, hoc † enim importat significatio hujus verbi pervenisse, ut est *textus in l. secunda, in §. pervenisse, cum versic. sequen. ff. de hæred. vel accep. ven. & in l. utrum. ff. de petend. hæredit. cum similib.* sive enim verbum pervenisse proferatur in contractibus, sive in ultimis voluntatibus, semper intelligitur cum effectu, scilicet deductis impensis & ære alieno, ut vult Bartolus *in l. Mevio, in §. 1. ff. de lega. 2. & legitur in juribus suprà alleg. cum concor.* ergo etiam cum eodem onere hujusmodi hæreditates debent ad dictum A. reverti: & si hæredes dictæ B. à creditoribus, istius occasione conveniantur, debet ipsa A. eosdem quoad hoc indemnes conservare, tum ex vi verbi pervenisse, tum etiam, quia verba debent in dubio ad tempus contractus referri, *dicta l. Rutilia Polla, cum similibus.*

CONSILIUM LVI.

SUMMARIA.

1 *Pacta in contractu antenuptiali inita servari debent, modo non sint contra leges. & num. 6.*

2 *Medietas bonorum constante matrimonio acquisitorum debetur hæredibus prius defuncti conjugis: Alia verò superstiti conjugi.*

3 *Verba relativè posita nihil operantur, si non reperitur id, ad quod fit relatio.*
4 *In legitima jure naturæ filiis debita pater gravare illos non potest.*
5 *Legitimæ non intelligitur renunciatum in generali renunciatione hæreditatis, nisi de ea specialis fiat mentio.*
7 *Legitima ultra trientem se non extendit quatuor duntaxat existentibus liberis.*
8 *Clausula à non habente facultatem disponendi adposita contractui nihil operatur.*

CAsus. Anno millesimo, quadringentesimo octogesimo septimo, vigesimosexto Ianuarij, comparuerunt Arnoldus van Overhof, & dominus Lambertus cum suis amicis, pro matrimonio per & inter Christianum dicti Arnoldi filium, & Corneliam dicti domini Lamberti filiam contrahendo : Et designârunt certa bona in subsidium ejusmodi matrimonij apportanda in quadam schedula specificata, & convenerunt sub hac forma :

Ende waert alsoo / dat dit houwelijck scheyde by de aflijvigheydt vanden eenen oft den anderen / tzy Christiaen oft Corneliæ sonder wettighe ende levende ghebooꝛte van haren lijve komende / dat in die gheval tot allen tyde als dat ghebeuren sal / alsulcke goeden als Christiaen boven bewesen / ende van sijne Vadere ghecomen zijn ende aenstervén by successien / ghegheven by testamente oft anders aencomen moghen / nae der doot van Christiaen vooꝛsz. sullen gaen ende besterven op de rechte ooꝛ ende erfghenaeme van hem / alsoo dat van rechts-weghen behooꝛt ende schuldigh is te ghescien. Id est, Et si contingeret hoc matrimonium separari per mortem alterutrius, sive Christiani aut Corneliæ absque legitimis relictis liberis ex eorum corpore procreatis, quod in eum eventum quandocunque hoc accidet, hujusmodi bona Christiano suprà assignata, & à patre suo perventa, & per successionem delata, testamento relicta, vel alio modo accepta, post obitum Christiani prædicti, deferentur successivè ad legitimum ejus hæredem, uti de jure fieri convenit. Pari modo conditionatum est de bonis Corneliæ : & ex post sequitur clausula. **Niet wederstaende eenighe saecke van rechte coustumen / privilegien / oft anders / dese vooꝛsz. vooꝛwaerde contrarierende in eeniger manieren.** Id est, non obstante ulla ratione juris, consuetudinis, privilegij aut aliter præmissæ conventioni adversante ullo modo. Item conditionatum est, quòd superstes loco duariæ retinebit annuum canonem quatuor librarum monetæ Brabantiæ, quamdiu in humanis vixerit. Item, quòd omnia bona acquisita, & bona dicta, **havelijcke goeden**/ id est, mobilia bona, erunt matrimonio soluto divisibilia in duas partes, ut præmissum est : in his proviso, quòd redditus dequitabiles stabunt ad naturam redditnum perpetuorum, sive proles extiterint, sive non. Item conditionatum est, quòd præmissis non obstantibus, poterit alter prætactorum conjugum alteri in testamento aut aliàs relinquere quinquaginta Rhenenses semel solvendos, & non amplius : Tandem promiserunt dicti Arnoldus & Christianus cum suis amicis, ac dominus Lambertus & Cornelia cum suis amicis, & eorum quilibet pro suo interesse in manibus notarij, id nomine eorum

quorum

quorum intereſt, vel intereſſe poſſet in futurum, legitimè ſtipulando, & teſtium ad hoc vocatorum, ſub hypotheca omnium bonorum ſuorum, præmiſſa omnia intertenere & ſervare. De poſt autem decimo ſexto Octobris, anni milleſimi quingenteſimi tertij, dicti Chriſtianus & Cornelia ſimul & uniformi conſenſu condiderunt ſuum teſtamentum: Et primò declararunt, quòd quia juxta tenorem contractus antenuptialis prius initi Cornelia non poſſit diſponere de bonis in ſubſidium matrimonij per patrem ſuum donatis. Sic ipſa reliquit Chriſtiano ſuo marito omnia bona, quæ ei à matre & latere materno advenerunt quoad uſumfructum: Chriſtianus verò in recompenſam illius reliquit Corneliæ ſuæ conjugi tot & tanta bona quoad uſumfructum, quot & quanta advenerunt Corneliæ ex latere materno. Item conſenſerunt dicti teſtatores, quòd ſuperſtes eorum retinebit omnes ſuas veſtes & clenodia corpori ſuo ſervientia quoad proprietatem. Item dicti teſtatores reliquerunt ſibi invicem omnia ſua bona mobilia vulgariter dicta, **huyſ-raedt / juweelen / kateelen / goudt / ſilver / kleederen / habijten.** Id eſt, inſtrumentum domus, precioſas imagines, **kateelen/** aurum, argentum, veſtes, indumenta, quæ habebant & habituri eſſent, ita ut ſuperſtes de illis ad libitum diſponere poſſit, ſub onere exolvendi hæredibus defuncti centum Rhenenſes ſemel, volentes ſuos hæredes mediantibus illis eſſe contentos ſub pœna privationis portionis contravenienti debitæ. Eſt poſt autem defunctus eſt prænominatus Chriſtianus ſine prole legitima ex corpore dictæ Corneliæ ſuſcitata. Petunt modò hæredes dicti quondam Chriſtiani bona per & poſt deceſſum ejuſdem relicta ſecundum tenorem contractuum antenuptialium prætactorum: quibus reſiſtit dicta Cornelia ſuperſtes, prætendens habere medietatem bonorum mobilium, & aliorum conſtante matrimonio acquiſitorum virtute dicti contractus antenuptialis: ac reliquam medietatem eorundem bonorum mobilium & acquiſitorum ſibi retinere ſecundum tenorem teſtamenti antetacti. Quæritur, quid juris?

In hoc puncto prima facie videtur dicendum, quòd bona per & poſt deceſſum dicti quondam Chriſtiani relicta, devolvi debent ad illius hæredes, ſecundum tenorem contractuum antenuptialium, ut præmittitur initorum: quia pa-
1 cta † inita in hujuſmodi contractibus ſervari debent, juxta ea quæ habentur & notantur *in cap. 1. extra de pac. & ff. eod. titul. per totum cum concor.* Præterea publica perſona nomine hæredum dicti quondam Chriſtiani ſtipulata eſt, bona ejus ad eoſdem hæredes debere devolvi, ſecundum tenorem prætactorum contractuum antenuptialium: Ex ſtipulatu ergo poſſunt hujuſmodi hæredes agere pro intertentione eorum, quæ in eodem contractu accordata ſunt & concluſa, per ea quæ habentur *in leg. prim. §. exigere, verſicul. planè. ff. de magiſt. convenien. cum ſimilibus.*

Præmiſſis tamen non obſtantibus, videtur mihi ſubſcripto, judicio melius ſentientium ſemper ſalvo, de jure dicendum,
2 quòd † medietas ejuſmodi bonorum mobilium & acquiſitorum debetur dictæ Corneliæ ſuperſtiti, virtute dicti contractus antenuptialis, quo ut præmittitur cavetur, quòd talia ſoluto matrimonio debent eſſe diviſibilia in duas partes, & ſic una applicari debet ſuperſtiti: Alia verò hæredibus defuncti (prout hoc etiam habet conſuetudo loci domus mortuariæ) ſaltem de acquiſitis, & eſt ſatis conforme juri, *cap. ſignificavit, de donatio. inter virum & uxorem, cum ſimilibus.* Nec obſtat ſi dicatur, quòd fieri debet diviſio ejuſ-

modi bonorum mobilium & acquisitorum
æquis portionibus inter hæredes defuncti
& hæredes dicti quondam Domini Lam-
berti, de quorum numero non est dicta
Cornelia, cùm sit illegitima: & per hoc
clausulam illam, erunt divisibilia in duas
partes, ut præmissum est: ex clausulis au-
tem præcedentibus clarè reperitur dispo-
situm de transitu bonorum ad hæredes
defuncti ex una, & hæredes quondam
Domini Lamberti ex alia, ergo &c.
Quia respondetur, quòd dicta clausula,
erunt divisibilia, &c. nihil facit ad hoc
propositum, cùm debeat fieri punctatio
post verba illa, in duas partes & ante clau-
sulam, ut præmissum est, Quod patet ex
duplici consideratione: tum primò, quia
in clausulis præcedentibus nihil de divi-
sione bonorum dictum est, sed duntaxat
3 qualiter redire debent bona, quæ ex latere
uno vel alio obvenerunt, & sic † inepta
hæc esset relatio, cùm non reperiretur id
ad quod fieret relatio: unde ex disposi-
tione juris nihil deberet operari, etiam si
fieret punctatio post clausulam illam, ut
præmissum est: *juxta leg. si quis legave-
rit, cum ibi notatis per Bartol. & Docto-
res. ff. de legatis primo, & notata per An-
gel. in leg. si in venditione. ff. commun.
prædio.* tum secundò, quia punctando an-
te clausulam, ut præmissum, benè con-
gruit, quod sequitur, cùm de illo prius
facta fuerit mentio in quadam clausula
superiori, & quia de illa una medietate
non est quæstio, amplius circa hoc non in-
sisto. Quo verò ad aliam medietatem bo-
norum mobilium & acquisitorum, ve-
stium, clenodiorum, ac aliorum dictæ
Corneliæ per suum maritum testamen-
taliter legatorum, de qua est quæstio: vi-
detur infrà scripto, quod testamentum
dicti quondam Christiani sortiri debet
suum effectum usque ad quantitatem le-
gitimæ sibi de jure naturæ in bonis sui
4 patris ante eum defuncti debitę, quia † in
illa pater eum gravare non potuit, *leg.
quoniam in prioribus, Co. de inoffi. testam.*
Imò nec ipse quondam Christianus per
stipulationem in dictis contractibus an-
tenuptialibus positā intelligitur se quoad
hoc gravasse, quia ibi specialiter suæ legi-
timæ non renunciavit, quod tamen ex
dispositione juris requiritur, ut in ea filius
sibi præjudicet, *textus in leg. si quando §.
& generaliter, Cod. de inoffic. testam. per
hunc text. Guilhelm de Cu. in leg. de his.
ff. de transact. (quem sequuntur Baldus,
Salic. & Paulus de Castr. in dict. §. gene-
5 raliter.)* notat, quod † etiam in gene-
rali renūnciatione hæreditatis non intel-
ligitur renunciatum legitimæ, nisi de ea
specialis fiat mentio, Potuit ergo dictus
quondam Christianus de suis bonis pater-
nis usque ad legitimam, testamentaliter
aut aliàs disponere. Nec obstant ea quæ
habentur in *præalleg. cap. 1. extra, de pac.
6 cum simil.* quia verum est, pacta † servari
debere, quæ contra leges facta non sunt,
*leg. jurisgentium, §. prætor ait. ff. de pac. &
vult glos. in dict. cap. 1.* quatenus verba
pacti se extendunt. Sed pactum de quo
est quæstio, legitimam dicti Christiani
non comprehendit seu includit, cum de ea
non sit specialis facta mentio, *præalleg. le.
si quando, in §. illud. & in §. & generali-
ter:* quare non obstat. Unde sequitur,
quòd hæredes dicti quondam Christiani
ex stipulatu agere possunt, duntaxat con-
tra illius relictam, si & in quantum id
quod ipse Christianus ei reliquit excedat
suam legitimam & bona materna ad eum
tempore initarum conventionum ante-
nuptialium devoluta: quoniam in illo
excessu acquisitum est jus hæredibus sæ-
pe dicti quondam Christiani per stipula-
tionem in dictis contractibus antenuptia-
libus interpositam. Restat igitur inqui-
rere, quam quantitatem potest dicta Cor-
nelia ex vi testamenti quondam sui mari-
ti retinere. Ad quod respondetur, quòd
potest

poteſt omnia ei relicta retinere, ſi illa non excedant illius legitimam & bona materna, ut præmittitur. Sed tunc quæritur, ad quantum extendit ſe hujuſmodi
7 legitima? ad quod dicitur, quod † ex quo dicti quondam Arnoldi ſui patris quatuor duntaxat fuerunt proles, legitima dicti Chriſtiani extendit ſe ad trientem, id eſt, ad tertiam partem ejus quod ei provenifſet ab inteſtato, deducto ære alieno & funeris impenſa, ut habetur & notatur *in Auth novisſima. C. de inoffic. teſt. & in corpore unde ſumitur, & volunt canoniſtæ in c. Raynutius, extra, de teſtamen.* Nec præmiſſis obſtat illa clauſula poſita in contractu antenuptiali. **Nyet wederſtande eenighe ſake van rechte/couſtume/ previlegie / oft anders / deze voirſz: voerwaerde contrarierende in eeniger manieren:** id eſt, non obſtante ulla ratione juris, conſuetudinis, privilegij vel aliter præſenti contractui adverſante ullo modo: quia talis clauſula, quatenus concernere poteſt legitimam, rejicitur ipſo jure, & habetur pro non appoſita: vt *eſt text. ſingularis in §. ceterùm in Authent. ut cùm de appell. cog. colla. 8. & vult expreſſè Paul. de Caſt. & noviſſimi in d. §. & generaliter. & idem Paul. de Caſtr. in l. omnimodo. C. de inof-*
8 *fic. teſtamen.* & operatur † ſolum dicta clauſula, ſubſiſtente facultate diſponendi in diſponente, aliàs nihil valet quod agitur, *l. uxor patrui. C. de lega.* & *l. quod in rerum. §. 1. ff. de lega. 1.* & *l. 1. C. de bon. mat. juncta l. multum intereſt. C. ſi quis alteri vel ſibi,* & *c. cùm ſuper, de offic. deleg. cum ſimil.* Cùm ergo de jure certum ſit, dictum Chriſtianum in ſua legitima per patrem gravari non potuiſſe, *d. leg. quoniam in priorib. cum ſimilibus.* patet evidenter, dictam clauſulam non obſtare diſpoſitioni præfati quondam Chriſtiani quoad ſuam legitimam.

CONSILIUM LVII.

SVMMARIA.

1 *In legato etiam generali non veniunt nomina debitorum, niſi ſpecialiter hoc exprimatur.*

2 *Retinuiſſe quis præſumitur quod ſemel habuit, niſi de alienatione conſtet.*

3 *Dictio,* Reſervare, *quid importet.*

4 *Ratihabitio retrotrahitur, & mandato æquiparatur.*

5 *Ad veritatem copulativæ requiritur concurſus utriuſque copulati, niſi copula ponatur inter duo idem importantia.*

6 *Communis uſus loquendi præcipuè in ultimis voluntatibus eſt attendendus.*

7 *Diſpoſitio teſtamentaria non vitiatur, licet in ea non reperiatur id ad quod ſit relatio.*

8 *Relatio falſa diſpoſitionem vitiare non debet.*

9 *Ad quem ſpectat creatio, ad eum ſpectat & deſtitutio.*

10 *Notarium creare ad Papam, principem vel deputatos per eos pertinet.*

11 *Geſta per eum qui notarius non erat, quando valeant.*

CAſus. A. maritus certas emit vitales penſiones, & inter cæteras unam quatuor modiorum bladi ad vitam B. uxoris ſuæ, & cujuſdam Gertrudis in literis deſuper confectis nominatæ, reſervan-

do dictæ B. suæ uxori in eadem pensione vitali receptionem & liberam dispositionem: tandem decessit dictus A. superstitibus remanentibus, præfatis B. & Gertrude. Ex post autem dicta B. ad secunda convolavit vota cum quodam C. & tandē dicta B de bonis suis disponens, testamentum condidit, in quo in effectu dicto C. suo marito omnia sua bona mobilia & immobilia hæreditario jure tenenda, & possidenda reliquit: nec non eidem legavit omnes vitales pēsiones quas habuit: ad vitas quarumcunque personarum emptas, de quibus prius non disposuit, & in quibus sibi juxta tenorem literarum scabinalium desuper confectarum dispositionem suam liberam retinuit & reservavit. Quęritur modò, an dicto C. legatario ex hujusmodi testamento jus competat ad prętactum redditum vitalem quatuor modiorum, nec ne. Et videtur prima facie, quod nō, quia dicta B. eidem C. duntaxat legavit pensiones vitales, in quibus ipsa sibi liberam suam dispositionem, juxta tenorem literarum scabinalium desuper cōfectarum retinuit & reservavit: Sed redditus dictorum quatuor modiorum non est hujusmodi, quod patet, quia dicta B. ut præmittitur in prædicto redditu non reservavit sibi dispositionem, sed præfatus originalis emptore, ut ex literis scabinalibus patet: ergo sub dicta generalitate non videtur dictus redditus quatuor modiorum comprehensus, deficiente præsumpta voluntate testatricis:
1 attento, quòd in † legato etiam generali non veniunt nomina debitorum, nisi hoc specialiter exprimatur, *leg. Cajus, in princip. ff. de lega. 2.* etiam si adjiciantur verba illa, nullo omnino excepto, ut *est tex. in l. si mihi Męvia, in § fin, ff. de lega. 3.* Contrarium tamen videtur mihi infrà scripto de jure verius, quia certum est, dictam B. testatricem tempore conditi testamenti habuisse jus ad dictum redditū
2 quatuor modiorum, & quia † de alienatione ejusdem redditus facta per eam non apparet, jus præsumit eandem tempore conditi testamenti retinuisse dictum redditum, *l. sive possidetis, cum sua materia, C. de proba*, quo pro vero præsupposito, ulterius sequitur, quòd eundem redditum
3 sibi reservavit: cum reservare, † ex proprio significato nihil aliud sit, quàm acquisitum retinere: componitur enim ex re & servare, quasi præcipuum servare, dictio enim re, addita verbo simplici, addit & ampliat id cui adjungitur: sicut videmus in dictionibus, retinere, repetere, & similibus: & hinc est, quòd verbum reservare inducit fideicommissum, *leg. filiam. ff. de auro & argent. legat.* Nec obstat si dicatur, quòd dicta B. non reservavit sibi dictum redditum tempore emtionis ejusdem, sed maritus ejus, ad quod tempus videtur ipsa testatrix se retulisse. Quia respondetur per interemptionem, negando quòd non reservavit tempore emptionis. Nec valet consequentia, præfatus A. maritus dicti redditus dispositionē dictæ B. reservavit, ergo ipsa sibi eum non reservavit: quia cùm hujusmodi reservatio facta fuerit per dictum A. nomine & ad utilitatem dictæ B. præfata B. potuit hujusmodi reservationem habere ratam & gratam, prout eam ratam & gratam habuit: quo stante succedit dispositio juris quæ habet, quòd ratihabitio
4 † retrotrahitur & mandato æquiparatur: & quod quis per alium facit, per se facere videtur, juribus vulgaribus. Nec obstant *dicta lex Cajus, & lex, si mihi Mævia, paragrapho finali*, quia in casu præsenti legati sunt omnes redditus vitales ad testatricem spectantes in quibus suam dispositionem retinuit & reservavit, & sic legata sunt nomina: & solùm dubitatur, an iste redditus sub legato comprehendatur: quare sumus extra casum dictarum legum, in quibus de nominibus debi-

debitorum nulla fiebat mentio : quòd autem iste redditus sub legato comprehendatur, patet ex præmissis. Nec obstat
5 si dicatur, quòd ad veritatem † copulativæ requiritur concursus utriusque copulati. *l. si hæredi plures. ff. de condi, instit. cum simil.* In casu autem præsenti non habetur concursus utriusque copulati, cum dicta B. sibi non reservaverit dictam pensionem, ergo, &c. Quia data veritate minoris, quæ tamen est falsa, ut dictum est: respondetur ad majorem, quòd concursus utriusque copulati non requiritur, quando copula ponitur inter duo idem importantia, secundum Bar. & Doc. *in l. 1. ff. de just. & jure, & in l. 1. ff. de pact. cum simil.* & sic est in casu præsenti, cùm retinere & reservare idem importẽt, tam ex dispositione juris, quàm ex com-
6 muni usu loquendi: qui communis † usus loquendi præcipuè in ultimis voluntatibus attendendus est *l. Labeo, cum ibi nota. per Bart. ff. de suppell. lega. & l. liberorum. §. quòd tamen Cassius. ff. de legat. 3. & capit. ex literis. 1 cum ibi not. per canonistas, de sponsa, cum simil.* quare non obstat. Nec obstat si dicatur, quòd saltem concursus unius copulati requiritur, & ergo legatum non debetur dicto C. quia neutrum copulatorum concurrit, quòd patet, quia non est verum dicere, quòd dicta B. in literis scabinalibus sibi reservavit, vel etiam retinuit dispositionem dicti redditus, quod tamen, videtur requiri ad hoc, quòd legatum debeatur. Quia respondetur per interemptionem, negando quòd neutrum copulatorum cõcurrit, & ad probationem dicitur, quòd tenor testamenti solvit contrarium, quia in eo non dicitur, quòd dicta B. reliquit pensiones, in quibus ipsa sibi in literis scabinalibus dispositionem retinuit & reservavit : sed dicitur, quod ipsa legat & relinquit dict. C. omnes & singulas pensiones suas, quas habet ad vitas quarumcunque personarum, de quibus prius non disposuit, & in quibus sibi, ut in literis scabinalibus, suam liberam dispositionem retinuit & reservavit. Sed hæc omnia cõcurrunt in prætacto reddita. Primò enim verum est, hujusmodi redditum fuisse suum. Secundo verũ est, quod de eo prius non disposuit: Et tertio verum est, dictam B. in isto redditu, ut in literis scabinalib. desuper confectis non dico simpliciter in literis scabinalibus desuper cõfectis, suam dispositionem retinuisse & reservasse:
7 quare debetur legatum: Per hæc † enim verba, ut in literis desuper confectis, fit relatio ad aliud, quod licet non reperiatur, tamen ex hoc dispositio testamentaria non vitiatur: *tex. est notabilis in l. Lucius, ultima, in §. quisquis. ff. de leg. 2. & in l. si donatio. C. de bon.* ubi habetur, quod cõmemoratio donationis inter vivos, facta in testamento, habet vim testamenti, licet non appareat de donatione inter vivos: & dicit ibi Bald. valde notabiliter in finalibus verbis, quod quando in uno instrumento fit mentio alterius instrumenti, non est necesse de primo constare, quã do secundum potest per se principaliter disponere, prout est in proposito: per quod limitatur singulariter *Auth. si quis in ali-*
8 *quo documento. C. de eden.* ex quo † enim dicta testatrix potuit de dicto redditu disponere, prout est indubitatum, non debet falsa relatio dispositionem vitiare, *dict. §. quisquis. & d. l. si donato :* prout in simili videmus, quòd falsa demonstratio vel causa non vitiat legatum *paragra. huic proxima, cum seq. Instit. de legat. cum similibus.* Præterea verum etiam est dicere, dictam testatricem retinuisse & reservasse sibi dispositionem dicti redditus in ipsis literis scabinalibus, cùm id maritus ejus fecerit, & ipsa ratum habuerit, quare ipsa fecisse videtur, per prius dicta, Nec obstat si dicatur, quod hujusmodi legatũ corruit, quia interdicta fuit illi qui instru-

mentum

mentum conſcripſit, per capitulum Thenenſe, confectio teſtamentorum. Quia reſpondetur, dato quòd hoc verum eſſet, tamen non præjudicat in hoc caſu: tum quia d. capitulum id in prejudicium tertij facere non potuit. Non enim potuit capitulum facere, quod ipſe non eſſet vicecuratus, coram quo tam de jure, quàm de conſuetudine fieri poſſunt teſtamenta,
9 *c. cùm eſſes. de teſta.* Non † potuit etiam capitulum facere, quòd deſineret eſſe notarius: Ad eum enim ſpectat deſtitutio, ad quem creatio, *c. cum ex injuncto, in fin. de hære. cum ſimil.* Capitulum autem Thenenſe eundem non creavit notarium,
10 nec creare poſſet: cùm hoc ad † Papam vel principem ſpectet, vel deputatos per eos *juxta nota. per canoniſtas in c. cùm P. tabellio, de fide inſtru.* Et dato, quod capitulum hoc potuiſſet, tamen quia illo non obſtante ad eum tanquam ad notarium habitus eſt recurſus, ipſeque talis publicè habitus eſt, tentus, & reputatus, ſeque
11 † pro tali gerebat, debent geſta per eum in favorem tertij legatarij ignorantis valere, *juxta materiam leg. Barbarius Philippus. ff. de offic. preto.* & benè facit *lex, ſi quis patremfamilias, in princip. ff. ad Macedo.* & *ibi hoc notat Paulus de Caſtr. in fortioribus terminis.*

CONSILIUM LVIII.

SVMMARIA.

1 *Ex facto jus oritur.*
2 *Facti ſpecies.*
3 *Abdicanti à ſe jus ſibi competens, nõ datur regreſſus ad illud.*
4 *Materiæ quotidianæ non ſunt ſummo ſaltem digito attingẽdæ.*
5 *Papa in beneficialibus habet poteſtatem ampliſſimam, & nu. 10.*
6 *Papa poteſt præjudicare patronis laicis, conferendo beneficia, ipſis non auditis vel vocatis, & num. 19. & 24.*
7 *Ratihabitio retrotrahitur & perinde habetur, ac ſi ab initio quis conſenſiſſet.*
8 *Jus patronatus inventum eſt à jure poſitivo.*
9 *Papæ poteſtas omnium eſt ampliſſima.*
11 *Jus patronatus competens eccleſiæ facilius tollitur quàm quod laico competit.*
12 *Clauſ. Motu proprio & ex certa ſcientia, &c. ſurreptionem tollunt.*
13 *Collatio beneficiorum vacantium in curia an ad Papam ſpectet, &c. & num. 33.*
14 *Collatio facta de beneficio non vacante, ipſo jure nulla eſt.*
15 *Plus operatur contemptus unius Canonici in electione, quàm contradictio multorum.*
16 *Collatio facta etiam per Papam ſine præſentatione patroni eſt funditus nulla.*
17 *Sub & obreptio in beneficialibus reddit proviſionem ipſo jure nullam.*
18 *Voluntas & poteſtas ad validitatem cujuſlibet actus copulativè requiruntur.*
20 *Actus nullus habetur pro non actu.*
21 *Reſcriptum per inhabilem impetratum*

iratum censetur subreptitium.
22 Gratiæ per summum Pontificem more solito concessæ præsumuntur.
23 Papa semper præsumitur uti potestate ordinaria & non potestate absoluta, nisi exprimatur clausula, ex certa scientia.
25 Papa nunquam censetur voluisse præjudicare juri patronorum laicorum.
26 Verbis generalibus non includuntur ea quæ in specie verisimiliter non venirent.
27 Circumventus consensisse non præsumitur.
28 Charitas benè ordinata incipit à se ipsa.
29 Pacta in fundatione ecclesiarum adposita non tolluntur, nisi de illis specialis & expressa fiat mentio.
30 Claus. Motu proprio non ampliat gratiam ad tollendum jus alterius, sed tollit solam subreptionem.
31 Claus. Motu proprio, non tollit inhabilitatem personæ impetrantis.
32 Claus. Supplendo defectum omnē, si quis intervenerit, de plenitudine potestatis, &c. quid operetur, &c.
34 Beneficia quando vacare dicantur, &c.
35 Ad electiones vocandi non sunt qui extra provinciam commorantur.
36 Patronus collationi de beneficio ad patronatum suum spectante, per alium facta, consentire intelligitur, non præsentando alium infra tempus juris.
37 Consensus post impletum factum adhibitus quid operetur, &c.
38 Ex separatis non fit bona illatio de uno ad aliud.
39 Princeps in dubio nunquam intelligitur velle tollere jus tertio quæsitum, & num. 44.
40 Princeps ex pacto ut alius obligatur.
41 Verba impropriè sunt accipienda, ne præjudicent juri alterius.
42 Dispensasse Papam super facto ignoto non est præsumendum.
43 Impedimento uno ex pluribus sublato, non etiam aliud sublatum censetur.
45 Leges futuris regulas imponere, non præteritis calumnias excitare convenit.
46 Verba rescriptorum narrativa & enunciativa nihil operantur.
47 Decretum irritans afficit etiam ignorantes & annullat actum postea contra illud factum. Limita ut num. 51.
48 Dictio, Dummodo, adjecta rei imperfectæ, conditionem facit. Secus si perfectæ.
49 Papa sæpe circumvenitur.
50 In rescriptis semper subintelligitur clausula, si preces veritate nitantur.

52 *Mendax precator propter surreptionem impetratis penitus carere debet.*

53 *Electio secunda facta post primam, prima prius non cassata, an & quando sit nulla.*

54 *Actus ipso jure nullus non præstat impedimentũ actui postea fiendo.*

55 *Disputare de potestate Papæ nulli licet.*

56 *Vicegerens dominum repræsentat. Et quando opus habeat speciali mandato.*

57 *Jus conferẽdi beneficia ad solius Episcopi collationem spectans, non trãsit in capitulum sede vacãte.*

58 *Electum in prælatum petiisse confirmationem sufficit, licet non obtineat eam.*

59 *Jura spiritualia non cadunt in laicum nisi ex privilegio sedis Apostolicæ, ideoque præscribi nequeunt.*

60 *Constitutiones pœnales & odiosæ non sunt extra terminos suos extendendæ.*

61 *Quod legitimè factum est, pœnam non meretur.*

1 CUm ex † facto jus oriatur. *l. si ex plagis. §. in clivo. ff. ad l. Aqui. l. obligamur. §. ex facto. ff. de actio. & oblig. l. quidam referunt. ff. de jur. codicil. & l. ut responsum. C. de transact.* & cum in certo quæsito non posset dari certa responsio, *c. de muliere, de sponsa. ubi Cardi. Floren. & Præpos. referunt fabulam de infirmo & medico.* Et quia, nisi fundamentum facti præmittatur, nullum bonæ allegationis poterit ædificium superponi, *c. cùm Paulus. & c. principatus, 1. q. 1. & ca. veniens, de presby. non bapt. minist.* Nec posset clientulus ullam de allegationis nitore habere subsidium, facti fundamento non præmisso. *9. q. 3. aliorum, cum simil.* Idcircò casum in terminis, sive seriem facti, brevis & clarius quo potui, præmittendum duxi: qui est talis.

2 Quidam † A. Decanus ecclesiæ collegiatæ sanctæ Odæ Rodensis, constituit procuratorem in forma communi, ad simpliciter resignandum in manibus summi Pontificis d. decanatum Rodensem, tam ex fundatione, quam ex donatione de jure patronatus ducis Brabantiæ notoriè existente, per quem siquidem ducem tempore fundationis d. decanatus jus eligẽdi decanum eodẽ decanatu per cessum vel decessum vacante, in capitulum dictæ ecclesiæ Rodensis sponte translatum est: qui procurator juxta potestatem & facultatẽ sibi traditas, dictum decanatum in manibus dicti summi Pontificis simpliciter resignavit: qua resignatione sic, ut præmittitur, facta, summus Pontifex eandem admisit, & cuidam B nepoti d. A. de eodem decanatu adjecta hac clausula, dummodo dicti ducis ad id expressus accedat assensus, dato ad hoc certo executore provideri mandavit, cui etiam ex post non accedente consensu dicti ducis provisum extitit, ut in literis desuper confectis plenius continetur. Deinde autem canonici dicti capituli Rodensis, de prætacta renunciatione & prętensa provisione subsecuta, fama publica referẽ. certiorati, perpendẽtes ex fundatione ac voto & desiderio fundatoris patroni laici electionẽ futuri decani ad d. capitulum Rodense spectare, ac certiorati, quod dicta provisio fuit & erat ex multis capitibus surreptitia & obreptitia ac aliàs nulla, sicque non esse nec censeri debere dictæ ecclesiæ provisum de pastore & prælato, quodq; diutina vacatio periculosa & damnosa esse consuevit Ecclesijs, vo-

fiis, vocatis confratribus de jure vocandis ad certam & determinatam diem, ad electionem futuri decani unà cum eis procedendũ, &c. die hujusmodi adveniente tali diutinæ & periculosæ vacationi, ut præmittitur occurrere volentes, ad electionẽ hujusmodi processerunt, & via sancti spiritus concorditer nemine discrepante una voce quendam C. in eorum Decanum elegerunt, prout juxta facultatem per dictum fundatorem tempore erectionis & fundationis dicti decanatus eis tam sibi facere licuisse sperant. Cujus fundationis verba sic sonant: Henricus Dei gratia Dux Lotharingiæ & Brabantiæ universis præsentem paginam inspecturis salutem & scire veritatem. Cùm in cunctis plerũque locis in sancta Ecclesia pro defectu capitis membra dissolvantur, ex quo canonicam disciplinam venire contingit à pluribus in contemptum: ne divina justitia arguere nos valeat in futuro desidiæ vel torporis, si in horũ regimine, quæ nostræ provisioni à cœlesti rege sunt commissa, negligentes invenimur & remissi, ad honorem salvatoris proponimus hujusmodi defectibus quantocyus obviare. Verùm cũ ex ordine ministrorum dictæ matris ecclesiæ non modica pulchritudo consurgat, & in ecclesia beatæ Odæ de Rode hujusmodi ministrorum sit defectus, pro quo ibidem Domino minus dignè ministratur: ipsam ecclesiam tam in cap. quàm in mẽbris, divino cultui necessarijs, annuente Domino decrevimus relevare. Tenore igitur præsentium ordinamus, quòd in dicta ecclesia Rodẽsi decanus statuatur sufficiens & idoneus, qui subditos suos bonis informet moribus, & eorum corrigat & emendet excessus: eidem pro beneficio ecclesiam de Erschot ad nostram collationem antea pertinentem, cum omni integritate totaliter assignantes, hoc salvo, quod vicario ibidem pro tempore celebrãti redditus competen. reserventur: & ut decedente decano d. loci vel cedente, semper utilis eligatur, ipsam electionem ad cap. Rodense decernimus pertinere: cui, electione celebrata nobis à capitulo præsentata, si fuerit idoneus dictum beneficiũ tenebimur elargiri, &c. Post hujusmodi autem electionem dicitur consensus dicti ducis præfatæ provisioni apostolicæ accessisset. Quæritur modo ex præmissis: utri istorum jus competat ad d. decanatũ Rodensem. An dicto B. habenti provisionem à sede Apostolica ante factam electionẽ, vel an dicto C. per dictum capitulum Rodense expost, antequam tamen accessit cõsensus Ducis, electo. Nam de jure dicti
3 A. non dubitatur, cùm † ille sponte cesserit, & jus sibi prius competens à se abdicaverit, & sic sibi regressus ad idem beneficium dari non debet de jur. *l. queritur. §. si vendit. ff. de ædil. edict. & Clem. unica de renuncia. cum similibus.* Restat ergo solùm videre de efficacia & validitate provisionis factæ dicto B. per sedẽ Apostolicam: nec non de validitate electionis factæ per capitulum Rodense de persona dicti C. Et quamvis circa quodlibet præmissorum diffusè argui & instari posset, cùm † materia sit pulchra, subtilis, &
4 quotidiana, & ergo non summo digito attingenda *l. legavi, in princ. ff. de liber. leg.* Attamen brevitatis causa procedam succinctè, & conclusivè corroborando primo aliquibus medijs, provisionem factam dicto B. per summum Pontificem: Deinde impugnabo ex aliquibus capitibus dictam electionem: Tertiò subjiciam summatim id quod sentio circa prædicta: Et quartò tollam pro viribus omnia & singula motiva, quæ pro parte contraria adducuntur: Sub correctione tamen cujuslibet melius & rectius sentientis, ut accedat illud quod habetur *in l. Claudius Felix. in fine, ibi, sine præjudicio, &c. ff. qui potio. in pig. habe. cum similibus.* Redeundo igitur ad primum, videtur, quòd provisio facta

dicto B. ſit valida, & quòd omnino ſorti-
5 ri debeat effectum ſuum: nam in † bene-
ficialibus dominus Papa habet poteſtatem
ampliſſimam, ut eſt *text. in cap. 2. in fin.*
de præben. lib. 6. & in Clemen. 1, in fin.
ut lite penden. adeò quòd dicit gl. notabilis
in capit. per principalem. 9. quæſtio. 3.
quòd Papa poteſt etiam ſine cauſa depo-
nere unum Epiſcopum. Ergo videtur,
quod non obſtante, quòd dictus decana-
tus eſt de jure patronatus principis lai-
ci, Dominus Papa potuit ipſum conferre,
vel alicui de eo providere, etiam non au-
6 dito vel vocato patrono: & quod D. †
Papa poſſit præjudicare patronis laicis,
firmant communiter omnes Doct. *in d. c.*
2. de præben. lib 6. & Arch. in c. hortamur
in princ. 71. diſt. ubi dicit, quod ad ſolum
Papam pertinet poteſtas conferendi bene-
ficia juris patronatus patronis invitis, &c.
hoc etiam vult idem Archi. *in c. piæ men-*
tis in fin. 16. q. 7. hoc etiam firmant com-
muniter omnes DD. *in c. cùm dilectus de*
jure patrona. & in pluribus alijs paſſibus:
ergo multò magis valebit proviſio facta
dicto B. attento, quòd in proviſione ſua
adjecta ſit hæc clauſula, dummodo ad id
dicti principis expreſſus accedat aſſenſus,
qui dicitur expoſt, ut præmittitur acceſ-
7 ſiſſe: & ſic † ratihabitio ſua debet retro-
trahi, & perinde haberi, ac ſi ab initio cō-
ſenſiſſet: *regul. ratihabitionem, de regul.*
jur. lib. 6. quo ultimo caſu nemo dubita-
ret proviſionem valere: quare, &c. Præ-
8 terea corroboratur iſtud, quia jus† patro-
norum eſt inventum à jure poſitivo, à quo
illud eis conceſſum eſt de gratia, *cap. 3. de*
jure patron. cum ſimilibus. cui juri poſiti-
vo Dominus Papa non ſubjicitur, *cap.*
propoſuit, de conceſſ. præben. & l. princeps.
ff. de legibus cum vulgarib. ergò, &c. Præ-
9 tereà poteſtas † ſummi Pontificis eſt ad-
eò ampla, quod dummodò contra fidem
non veniat, in omnibus & per omnia po-
teſt facere & dicere quicquid ſibi placet,
auferendo etiam alteri jus ſuum: quia non
eſt qui ei dicat, cur ita facis? ita dicit
Spec. *in tit. de lega. in §. nunc oſtenden-*
dum, in verſic. 89. & eſt gloſſ. notabilis de
hoc in cap. quanto, in verbo, vicem Dei, de
tranſlat. prælat. hoc etiam vult Bald.
in præludiis feudorum, in verſ. expedita,
cum ſeq. faciunt etiam ad propoſitum *no-*
tata per canoniſtas in cap. quæ in eccleſia-
rum, & in c. Eccleſia ſanctæ Mariæ de con-
ſtit. & notata per legiſtas in l. fi. C. ſi con-
tra jus vel utili. publi. Præterea corrobo-
ratur proviſio facta dicto B. ex alio: quia
ut præſupponitur in poſitione caſus ele-
ctio cedente vel decedente Decano, ſpe-
ctat ad d. capitulum Rodenſe, cui Domi-
10 nus Papa † præjudicare poteſt, ſicut quo-
tidie præjudicat, inhibendo illis de capi-
tulo, ne eligant: vel dando coadjutorem
cum clauſula ſucceſſionis, &c. vel venien-
do decanatum cum præbenda: & ſic in-
directè præcludēdo illis de capitulo viam
eligendi, prout videmus quotidie fieri: pro
hoc eſt *tex. optimus in c. ſi capitulo, & in*
c. ſi ſoli. de cōceſ. præb. lib. 6. & in c. dilectus.
2. cū ibi not. per DD. de præb. cum infinitis
ſimilib & cenſetur ipſe ſummus Pontifex
voluiſſe præjudicare dicto capitulo Ro-
denſi, ex quo in literis proviſionis factæ
11 dicto A. poſitæ ſunt clauſulæ non obſtan-
tiæ generales: pro iſto etiam faciunt
not. in † d. c. cùm dilectus, de jure patron.
ubi habetur & notatur, quod facilius tol-
litur jus patronatus competens eccleſiæ,
quàm laico, ergo, &c. Præterea illud vi-
detur concludi ex alio, quia in literis di-
ctæ proviſionis inſerta eſt clauſula, motu
12 † proprio & clauſula, ex certa ſcientia, ut
aſſeritur: quæ clauſulæ ſurreptionem
tollūt, *c. ſi motu proprio, cum ibi plenè not.*
de præben. lib. 6. & l. 3. in princip. cum ibi
plenè not. per Dom. Alexan. de Imol. & a-
lios. ff. quòd quiſque jur. cum ſimilibus.
Ergo licet in hujuſmodi proviſione non
ſit facta mentio, quòd dictus Decana-
tus eſt

tus eſt de jure patronatus principis laici,
hoc non poterit obeſſe impetranti · quia
id ſupplet clauſula, motu proprio. Præ-
terea videtur iſtud non habere dubium,
13 ex quo dictus Decanatus † per reſigna-
tionem ſimplicem vacavit in curia, & ſic
indubitanter diſpoſitio illius ad collatio-
nem ſummi Pontificis videtur ſpectare,
*juxta ea quæ habentur & notantur in ca-
pit. licet, & in cap. ſtatutum, & in c. præ-
ſenti de preben. libro ſexto, cum alijs vul-
garibus.* Et multa alia pro dicto B. addu-
ci poſſent, quæ ex infrà dicendis colligun-
tur, & hæc brevitatis gratia omittuntur.
Venio nunc ad impugnationem dictæ e-
lectionis, ut ſic conſtet, dictum B. liberas
ædes habere quoad dictũ C. dato etiam,
quòd aliàs ſibi jus non competat: & ad
hoc deducendum videtur in primis, quòd
14 † dicta electio ſit penitus & funditus
nulla, cùm ſit facta de beneficio non va-
cante, quæ eſt ipſo jure nulla, *cap. prim.
& 2. de conceſſ. præben. cum vulgaribus.*
Aſſumptum deducitur ſic: quia dicta
proviſio præceſſit electionem, ut præſup-
ponitur in themate. Cùm ergo per provi-
ſionem factam dicto B. per ſummum
Pontificem beneficium deſijt vacare, er-
go electio quæ eſt ſubſecuta, eſt omnino
nulla. Præterea unus ex canonicis dictæ
eccleſiæ Rodenſis: puta magiſter Ambro-
ſius Dintere, non fuit ad diem electionis
citatus, ſed ſpretus & contemptus: quare
etiam electio debet judicari nulla, vel ſal-
15 tem eſt annullanda: cùm † plus operetur
contemptus unius, quàm contradictio
multorum *c. quòd ſicut, & cap. bonæ, 2. de
elect. cum alijs vul.*

Quibus omnibus non obſtantibus vi-
detur, quòd electio facta de perſona di-
cti C. eſt canonica & præferenda provi-
ſioni factæ dicto B. Quod deducitur pri-
mò ſic: quia cùm ex tenore fundationis,
de qua ſuprà, clarè conſtat dictum deca-
natum eſſe de jure patronatus principis
laici, tàm ex dotatione, quàm ex funda-
16 tione, liquet apertè, quòd collatio † ſive
proviſio facta per Dominum Papam de
ipſo ſine præſentatione patroni, eſt fundi-
tus nulla: ut de iſto eſt *text. clarus in cap.
decernimus, in verbo, irritam. 16. q. 7.* qui
tex. licet loquatur in epiſcopo, tamen etiã
habet locum in ſummo Pontifice, *ſecun-
dum D. Felin. in tractatu ſuo quem inti-
tulavit, quoniam literæ apoſtolicæ noceant
patronis eccleſiarum: ubi dicit, ſe hoc in-
dubitanter tenere, nec reperitur habere
contradictorem:* ergo cum dictus Deca-
natus per ceſſionem dicti A. & admiſſio-
nem ejuſdem poſt factam etiam provi-
ſionem & adhuc tempore electionis va-
caverit, tam de facto, quam de jure: de
facto, quia tempore factæ dictæ proviſio-
nis, & etiam tempore factæ electionis
poſſeſſio dicti beneficij fuit vacua publicè,
& notoriè, de jure quia proviſio facta di-
cto B. fuit & eſt ipſo jure nulla, quia ex
multis capitibus ſurreptitia & obreptitia,
17 & ſic ipſo jure nulla: cùm ſurreptio † &
obreptio in beneficialibus reddat provi-
ſionem ipſo jure nullam, ut *eſt text. aper-
tus in c. 1. & 2. in fin. de filijs presb. lib. 6.
cum vulg.* optimo jure potuit capitulum,
& canonici dictæ eccleſiæ Rodenſis capi-
tulum repræſentantes, procedere ad ele-
ctionem, cùm non fuerint inhibiti aut eis
manus clauſæ. Iſtud etiam deducitur ex
18 alio ſic, nam clarum eſt, quòd † ad validi-
tatẽ cujuſlibet actus requiruntur copula-
tivè duo ſcilicet volũtas & poteſtas: quo-
rum alterum ſi defuerit, redditur actus
nullus, & habet locum regula, quod noluit
potuit, & quod voluit adimplere nequivit,
*c. cùm ſuper de offic. deleg. & leg. multum
intereſt, C. ſi quis alteri vel ſibi:* de quo cõ-
ſueverũt dari tales verſus: Omnes res ge-
ſtas faciunt cum velle poteſtas: Si cõjun-
gantur, diſiuncta nil operantur. Modò ſic,
Poſito ſine præjudicio, quod Romanus
Pontifex poſſit conferre beneficium juris

patronatus laici, ut suprà deductum est, 19 tamen ipse † non præsumitur velle præjudicare patrono laico, nisi hoc exprimat clarè & specificè, benè & plenè de omnibus informatus: hinc dicit Hostiens. *in capit. dilectus, de officio legat.* se vidisse Bullam Papalem directam prælatis Angliæ, in qua continebatur, quòd quando Papa scribit pro aliquo beneficiando, non est suæ intentionis, quòd conferantur beneficia, in quibus laicus obtinet jus patronatus, de quo dicam latius infrà. Sed non comperitur, quòd summus Pontifex, in casu præsenti debitè & plenè fuerit de natura dicti Decanatus, imò sinistrè & mendosè informatus, ut ex literis provisionis, & ex his quæ infrà dicam, clarè patebit. Non constat etiam quòd voluerit principi patrono, vel juri dicti capituli Rodensis sibi ex voto & desiderio fundatoris laici competenti derogare: corruit ergo dicta provisio ex defectu voluntatis ipsius summi Pontificis. Præterea literæ dictæ provisionis in multis sunt surreptitiæ & obreptitiæ, ut suprà dixi, & sic ex alio capite nullæ, & penitus invalidæ, *juribus suprà allegatis, cum aliis vulgaribus*, quòd autem literæ dictæ provisionis sunt surreptitiæ & obreptitiæ, statim infrà deducam. Si ergo 20 literæ provisionis sunt nullæ, & actus † nullus habetur pro non actu *lege quarta §. condemnatum, & ibi Paulus de Castro. Digest. de re judic. & leg. non putavit. paragraph. non quævis. ff. de bonor. possess. contra tabul. cum similibus*, sequitur, quod dictæ literæ provisionis in nullo poterunt suffragari dicto B. aut obesse dicto C. quia non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, *regul. non præstat, de regul. jur. libro sexto*, quæ regula indistinctè procedit secundum Doct. quando aliquid non sortitur effectum, eo quòd est ipso jure & penitus nullũ: sicuti in casu præsenti. Quòd autem dicta provisio sit surreptitia & obreptitia, deducitur ex tribus infra scriptis capitibus. Primo ex eo, quia dictus B. in impetratione hujusmodi decanatus asserere non erubuit, dictum decanatum esse de jure patronatus principis ex speciali privilegio sedis apostolicæ, quod minimè verum est. Sed ex eo capite est de jure patronatus principis, quia illum fundavit & dotavit, assignando pro dote ejusdem, Ecclesiam de Erschot cum suis pertinentiis, prius pleno jure ad eum, ut præmittitur, spectantem: cujus expressio facilius induxit summum Pontificem ad providendum, & si hoc tacitum fuisset, vel si veritas fuisset debitè expressata, tardius vel difficilius concessisset, aut verisimiliter omnino non concessisset: quare talis surreptio vitiat provisionem, *per ea quæ habentur & notantur per Doctor. canonistas in cap. super literis, & in cap. postulasti, & in cap in nostra, de rescript.* Secundò, quia dictus impetrans tacuit, per principem patronum & fundatorem tempore fundationis jus eligendi Decanum fuisse translatum in Capitulum Rodense, & sic ad capitulum Rodense spectasse & spectare jus eligendi ex voto & desiderio sive pacto fundatoris laici: quod si fuisset expressum, summus Pontifex in præjudicium fundationis & extremi desiderij fundatoris laici non annuisset supplicanti, vel saltem valde difficulter, & tunc cum expressa derogatione: in bulla autem dictæ provisionis non reperitur facta aliqua mentio de hoc, quòd jus eligendi Decanum in Ecclesia Rodensi spectat ad Capitulum Rodense ex voto & extremo desiderio fundatoris laici, puta ducis Brabantiæ: quare etiam talis surreptio vitiat hujusmodi prætensam provisionem, juxta ea, quæ statim copiosè adducam in solutione contrariorum. Tertiò ex eo, quia dictus impetrans tacuit, se oriundum ex Gallia & nescire idioma theutonicum, quale

quale loquuntur homines loci situationis
dicti decanatus, cùm tamen dictus deca-
natus curam habeat animarum, etiam
laicorum, utputa virgiferi, & nonnullo-
rum aliorum, & sic quomodo ipse impe-
trans illorum confessionem audire, vul-
tum pecoris sui agnoscere, ipsis pœniten-
tiam salutarem injungere, vel eosdem ab-
21 solvere posset, non video: ex † quo capite
dictus B. censendus fuit & est omnino
inhabilis & inutilis: quare etiam talis pro-
visio censenda est surreptitia: ita dicit
glossa singularis in cap. si proponente, de re-
script. quam ibi extollit, approbat, & se-
quitur Dominus Panormitanus. Præterea
regula Cancellariæ Moderni Pontificis in
audientia contradictarum legitimè pu-
blicata in ordine decima nona, tales & si-
miles provisiones damnat & annullat, cui
non reperitur expressè derogatum, ergo,
&c. Quod autem primum istorum trium
eo modo expressum quo mendosè repe-
ritur expressum facilius induxit summum
Pontificem ad concedendum, & si veri-
tas fuisset expressata, retraxisset eundem
à concedendo: Quod etiam taciturni-
tas aliorum duorum facilius ad conce-
dendum induxit, & si veritas fuisset ex-
pressata, summus Pontifex nequaquam
vel difficilimè concessisset, colligere de-
bemus ex generalibus regulis juris, & ex
communi stylo & cursu curiæ Romanæ,
ac ex regulis Cancellariæ ejusdem: alias
enim nunquam sciri posset, an Papa fecis-
set gratiam, si quid fuisset expressum vel
non expressum: fortè enim fecisset, &
22 fortè non unde referendum † est hoc,
ut dixi, ad probabilem conjecturam, vel
communem usum aliarum gratiarum per
summum Pontificem concessarum vel so-
litarum concedi. ita pulchrè dicit *Lapus*
de Castellione in allegatione sua octogesima
octava, quę apud aliquos incipit, duo præ-
lati &c. & apud aliquos, in DEI no-
mine amen, factum super quo &c. Cer-
tum autem est quòd summus Pontifex
non consuevit patronis laicis & præcipuè
Regibus vel Principibus in beneficiis per
eos vel prædecessores suos fundatis, præ-
judicare per literas suas quantumcumque
amplas, nisi hoc clarissimè exprimat, ut
infrà latius patebit: & tunc utitur ple-
nitudine potestatis suæ, qua non debet uti
sine causa nec passim: ita singulariter
dicit *Innocent. in cap. innotuit de electio.*
Nec præsumitur velle uti plenitudine
potestatis, nisi hoc exprimat: ita dicit
gloss. singularis in clem. & si principalis in
fine, de rescriptio. & gloss. notabilis in cap.
statutum in princip. in verbo literarum,
de rescript. lib. 6. hoc vult etiam singula-
riter *Ludovi. de Roma in suis singulari-*
bus, in singulari 760. ubi dicit, quòd sum-
23 mus † Pontifex semper præsumitur uti
potestate ordinaria & non potestate abso-
luta, nisi in suis literis apponat illam clau-
sulam, ex certa scientia. sed quando hoc
verbum reperitur, tunc præsumitur uti
potestate absoluta, *secundum eum, & al-*
legat gloss. quam reputat singularem in c.
ad hæc, de rescript. & in illo c. ad hæc, id
idem in effectu ibi dicit Dominus Panor.
hæc autem clausula, ex certa scientia, in
literis dictæ provisionis minimè reperi-
tur, ergò, &c. Præterea non consuevit
summus Pontifex præjudicare capitulis
in juribus suis quæ ex fundatione alicujus
laici, præcipuè Principis vel Regis habent
in præjudicium piæ fundationis. nec cen-
setur hoc velle, etiam si in literis provisio-
nis apponi faciat clausulas non obstantiæ
generales, ut infrà in solutione contrario-
rum pluribus mediis comprobabo. Non
consuevit etiam summus Pontifex balbis
seu balbutientibus & idioma loci igno-
rantibus curam animarum committere,
ergo in casu nostro summus Pontifex
dictam prætensam provisionem verisimi-
liter non fecisset, si prædicta sibi clarè &
debitè exposita fuissent. & per consequens
hujusmodi

hujuſmodi ſurreptio & obreptio meritò
vitiat hujuſmodi proviſionem, & reddit
eam ipſo jure nullam, *juxta ſuprà dicta,*
& infrà alleganda.
Reſtat nunc reſpondere ad objecta in
contrarium: Et primò non obſtant tria
prima, quia ad illa reſpondeo ſimul unico
verbo, quòd illa benè probant Dominum
24 † Papam de poteſtate abſoluta poſſe con-
ferre beneficia exiſtentia de jure patrona-
tus Principis laici & poſſe præjudicare
patronis laicis, quando hoc clarè & lucidè
exprimit, & ubi de voluntate ejus apertè
& clarè conſtat, ut quia in literis ponitur
clauſula, ex certa ſcientia, vel clauſula, de
plenitudine poteſtatis, quæ idem impor-
tant, *ſecundum Panormitan. & Ludovic.*
in paſſibus ſuprà allegatis: & de hac po-
teſtate non intendo diſputare, quia hoc eſ-
ſet ponere os in cœlum lingua gradiente
ſupra terram, *contra cap. in tantum.* 21.
diſtinct. imò planè fateor, quod ipſe hoc
poteſt, ſi vult, & ſi de voluntate ſua clarè
conſtet ſed illa non debet uti ſine cauſa,
nec præſumitur illa uti niſi exprimat cla-
rè & lucidè ut ſuprà dixi. Sed ego diſpu-
to quid Dominus Papa in caſu præſenti
præſumitur voluiſſe, & quid debeat velle:
25 Et in hoc dicto, quòd ſummus † Ponti-
fex non præſumitur unquam velle, per
literas à ſe emanatas, præjudicare juri pa-
tronorum laicorum, præcipuè Regum vel
Principum, hoc luce clarius non expreſ-
ſo: *iſta eſt concluſio Ioann. Mona. Ar-*
chidiac. & Ioannis Andreæ in dicto cap. 2.
de preben. lib.6. in novella ſua, quos latè
refert & ſequitur ibidem Dominic. quic-
quid dicat ibi gloſſ. quam omnes damnant.
hanc concluſionem etiam ſentit *Ange. in*
leg. ſed ſi hac, in §. patronum. ff. de in jus
vocan. dicens, quòd qui impetrat benefi-
cium patronale laicorum nihil agit: idem
etiam vult *domi. Panorm. poſt Ioan. And.*
& alios in d. cap. cum dilectus in fine, hoc
etiam latè firmat *Lapus de Caſtellione,*
advocatus dum vixit conſiſtorialis, & pra-
cticus maximus, in allegatione ſua 96. in-
cipiente, beneficia vacantia in curia Ro-
mana, concludens, quòd reſervationes quas
facit Domin. Papa de beneficiis vacanti-
bus in curia Romana vel alibi, non inclu-
dunt beneficia patronalia, & refert inter
alia verba Hoſtien. *in dict. c. dilectus, de*
offic. legat. ubi dicit ſe vidiſſe Bullam Pa-
palem directam prælatis Angliæ, in qua
continebatur, quòd quando Papa ſcribit
pro aliquo beneficiando, non eſt ſuæ inten-
tionis, quòd conferantur beneficia in qui-
bus laicus obtinet jus patronatus, & hoc
dictum refert ibidem *Ioann. Andr. in no-*
vella, & ad idem refert ipſe *Ioan. Andr. in*
addit. Specul. in tit. de actio. ſeu petit. in
§. ſuper petitionibus & actionibus, in verſ.
illud etiam pretermittendum non eſt. Ad-
ducit etiam *Lapus* rationem, quia ſi talia
beneficia patronalia per iſtum modum
vel alium conferrentur per Papam vel per
alios prælatos eccleſiaſticos, laici retarda-
rentur à fundationibus eccleſiarum, con-
26 tra † quam rationem non eſt veriſimile,
quòd Dominus Papa in ſpecie veniret, er-
go etiam generalibus verbis contravenire
non intelligitur, *cap. cùm in generali, de*
offic. vicar. lib.6. cum ſimilibus, quam ſi-
quidem rationem aſſignavit originaliter
gloſſ. ordinaria in d. c. cum dilectus, in fin.
de jure patronat. & dicit Lapus ubi ſu-
prà, in fine dictæ allegationis ſe vidiſſe
ſervari per Gregorium undecimum, quòd
dum contuliſſet eccleſiam Sancti Romu-
li Florentiæ, non facta mentione de pa-
tronatu parochianorum, non potuit poſtea
obtinere ille cui contulit: imò plus vo-
luit *Lapus* ubi ſuprà, videlicet, quòd et-
iamſi Papa mandaret provideri de bene-
ficio ad cujuſcunque collationem, provi-
ſionem, electionem, vel præſentationem,
aut quamvis aliam diſpoſitionem, ſpe-
ctante: tamen adhuc non comprehen-
deretur beneficium ſpectans ad præſen-
tationem

sentationem laicorum, & idem voluit ipse *Lapus in aurea allegatione sua octogesima quarta, incipiente, Dominus Papa gratiosè concessit, & dicit Ioan. Andreas ita consuluisse per notata in dict. capit. dilectus, de offic. lega. & de isto consilio Ioan. And. etiam commemorat Dominic. in c. cùm in illis, in §. 1. in ultim. colum. de preben. libro sexto*, & sic ista prima tria contraria in nullo obstant, nec merentur allegari: quia nihil operatur potestas, ubi non adest voluntas, *juribus præallegatis*. Quod autem non adfuit voluntas Papæ, patet ex jam proximè dictis, & deductum est suprà ex surreptionibus & obreptionibus dictæ
27 provisionis, ex quibus Papa † circumventus fuit, & sic non consensit, cum nihil sit magis contrarium consensui, quàm error, *leg. si per errorem. ff. de jurisdict. omnium jud.* & sic in casu præsenti etiam si cessaret obreptio & surreptio, non debebit meo judicio per aliquem facilem persuaderi illustrissimo Archiduci, quòd hujusmodi provisionem Apostolicam admittat, & jus suum proprium quod habet in admittendo personam electam, negligat:
28 ordinata † enim charitas incipit à seipsa, nec debet quis agris suis sitientibus, alienos agros irrigare, *capit. nisi specialis, de auto. & usu pal. & l. præses, Cod. de servitut. & aqua, cum vulgarib.* & multo minus hoc persuadendum sentio Domino Archiduci attentis surreptionibus & obreptionibus prætactis, & præcipuè quia in diminutione juris sibi, ut præmittitur, competente, dictus impetrans mendosè asserere non erubuit jus patronatus dicti decanatus Rodensis ad ipsum spectare ex speciali privilegio sedis Apostolicæ, quod notoriè falsum est, ut suprà sæpe commemoratum est. Quod autem illud tangitur de consensu principis, qui dicitur postea accessisse, infrà latius reassumam, & ibi formaliter solvam.

Non obstat etiam aliud cùm dicitur, quòd capitulum Rodense subest summo Pontifici, & ergo summum Pontificem posse præjudicare capitulo quoad jus eligendi ad capitulum spectans, & quòd censebitur voluisse præjudicare dicto capitulo Rodensi quoad jus eligendi, per clausulas non obstantiæ generales positas in bulla dictæ provisionis: Quia respondeo, quòd hoc esset utique verum, si electio spectaret ad dictum capitulum Rodense ex alio capite, quàm ex voto seu extremo desiderio fundatoris laici: Sed quia in casu præsenti jus eligendi spectat ad dictum capitulum Rodense, ex speciali gratia, votoque, & desiderio fundatoris laici, ut ex literis fundationis, de quibus suprà, clarè patet, ideò hoc non obstat, quia in tali casu Dominus Papa non intendit, etiam per quascunque clausulas non obstantiæ generales, pactis, modis, & conditionibus, in fundatione facta per laicum, appositis, vel voluntati aut desiderio ipsius fundatoris laici in aliquo de-
29 rogare: imò ut † illa pacta in fundatione apposita tollantur, debet de illis fieri expressa & specialis mentio, quod in casu præsenti non reperitur factum: pro isto est *text. in capit. ex multiplici, de deci. & est glossa aurea Guilhelmi de monte Laudino in extravaganti, sedes apostolica, in verbo, mutare, de qua exclamat Rota in decisionibus novis, decisione 3. quę incipit, si statutum est in aliqua ecclesia*: istud etiam refert & sequitur *dominus Panormitanus in cap. cùm in cunctis, in §. inferiora, circa finem, de electio.* hoc etiam voluit notanter *Dominus Petrus de Anchor. in consiliis suis, consilio 19. quod apud aliquos est 20. & secundum aliquas quotas 16. & incipit, quæstio talis est, Dominus noster Papa Bonifacius, ubi adhuc plus voluit, videlicet, quòd etiam hoc locum habet in pactis & conventionibus appositis in ultima voluntate tempore fundationis per fundatores ecclesiasticos, &*

non solùm in fundationibus laicorum : &
hoc dictum tanquam singulare & solenne
refert & sequitur *Dominus Felinus Zan-*
deus in cap. nonnulli, in principio illius c.
in 26. columm. in versic. octava conclusio,
de rescript. in tractatu suprà allegato.
hoc dictum etiam refert & sequitur *Do-*
minus Vitalis de Cambanis in libro suo
clausularum, in 11. columm in versicul.
clausula non obstantibus quibuscunque sta-
tutis privilegiis, vel consuetudinibus, ec-
clesiæ contrariis : pro isto etiam faciunt
duæ gloss. Ioan. And. singulares, quarum
una est in cap. cùm non deceat, de electio.
libr.6. & alia in clem. dudum, circa fin.
de sepultu. quas in suis locis tanquam sin-
gulares approbant Docto. ibidem scriben-
tes : illas etiam tales reputat *Ludovic.*
de Roma in singulari suo 9. incipiente,
quòd dispositio emanans &c. & Panorm.
in cap. constitutus, de rescript. Et sic lu-
cidè patet, istud contrarium in aliquo
non obstare. Non obstat etiam quod ob-
jicitur de clausula, ex certa scientia, &c.
motu proprio, &c. quia & si Papa scri-
beret motu proprio pro aliquo benefici-
ando, quæ clausula tamen in dicta provi-
sione non inseritur, ex hoc non censeretur
comprehendere beneficium patronale lai-
corum, aut velle præjudicare patrono lai-
co, nisi hoc clarè aliter exprimeret, ut sæ-
pius suprà dictum est : & ratio illius est,
30 quia † motus proprius non ampliat gra-
tiam ad tollendum jus alterius, sed tollit
solam surreptionem, ita decidit singulari-
ter *Rota decisione 115. in novis incipien-*
te, dicebant Domini quòd motus proprius
&c. secundum quotas meas : & hoc voluit
Cardin. Florent. in consilio suo nonagesi-
mo sexto, incipiente, Papa univit quandam
Abbatiam &c. ita etiam sentit Dominus
Panor. in cap. ad aures, in penult. columm.
de rescript. Admisso ergo, quòd motus
proprius surreptionem tollat, ut probat
argumentum, nihil ex hoc aguitur contra
electum: Tum primò, quia dicta clausula
in bulla provisionis non ponitur: Tum se-
cundò, quia & si illa in ea esset posita, ta-
men per eam juri tertij, puta patroni lai-
ci, & juri dicti capituli Rodensis ex voto
& desiderio fundatoris laici eidem com-
petenti, non est per eam derogatum, ut
31 dictum est: Tum tertiò, quia motus †
proprius non tollit inhabilitatem personæ
impetrantis, ut est *gloss. singularis quam*
ibi approbat Dominus Cardin. & Doctor.
in clement. si Romanus Pontifex, de præ-
ben. Cùm ergo ipse impetrans fuerit &
sit inhabilis ad obtinendum dictum deca-
natum habentem curam animarum, pro-
pter ignorantiam idiomatis, ut suprà di-
ctum est, nihil sibi prodesse posset dicta
clausula, motu proprio, vel clausula, ex
32 certa scientia. sic etiam clausula illa † quę
consuevit poni in rescriptis, videlicet,
supplendo defectum omnem, si quis in eo
intervenerit, de nostræ plenitudine pote-
statis : de qua clausula habetur *in clem.*
pastoralis, de re judic. & in cap. inter di-
lectos, de fide instrum. non tollit nec legi-
timat defectus concernentes personam
supplicantis vel inhabilitatem ejus, sed
duntaxat operatur circa solennia juris, ita
singulariter dicit *Specu. in tit. de lega. in*
§. nunc ostendendum, in versic. 18. supplet.
refert & sequitur Archid. in c. Zenomo-
nassem, 56 distinct. & Ludovic. de Roma,
in singularibus suis, singulari 421. inci-
piente, verba rescripti : hoc etiam vult
Cardin. Flore. in consilio suo 97. incipien-
te, casus talis est, agitatus est processus &c.
facit etiam benè id quod voluit *idem Car-*
din in consilio suo 142. incipiente, punctus
quæstionis seu dubij &c. aliàs incipit,
sanctissimus Dominus noster Bonifacius
Papa nonus. & sic in nullo obstat dictum
contrarium. Non obstat etiam, quòd
dictum beneficium dicit vacasse in curia,
quia hoc admisso *juxta doctrinam gloss.*
singularis in clement. 1, ut lite pendent.
respondeo

33 respondeo breviter, quòd † sive beneficium juris patronatus vacet in curia, sive extra curiam, nunquam cadit sub collatione vel reservatione summi Pontificis; sed remanet præsentatio penes patronum vel illum ad quem ex dispositione patroni hoc spectat: ita singulariter in specie decidit *Lapus de Castellione per plura pulchra media, in allegatione sua 96. ut sup. dixi*: & quòd hoc sit de mente summi Pontificis ultra prædicta benè declarat *regula cancellariæ apostolicę quę incipit, Item voluit quod super quovis, numero quadragesima*, qua specialiter cavetur, quòd super quovis beneficio ecclesiastico de jure patronatus laicorum existente, non expediantur literæ, nisi ponatur expresè, quòd tale beneficium tanto tempore vacavit, quòd ejus collatio est ad sedem Apostolicam legitimè devoluta, vel quod ad id patronorum accedit assensus, & si per ipsum Papam juri patronatus derogari contigerit, non vult hujusmodi juri censeri derogatum si jus hujusmodi ad aliquem Regem, Ducem, Marchionem, vel alium Principem pertineat, & de hoc mentio in literis facta non fuerit. Non obstat etiam quod objectum est de non va-
34 cantia beneficij, quia † respondetur breviter, quòd de vacatione per præmissa sufficienter constat, ex quo liquet de resignatione simpliciter facta, & constat beneficium esse de jure patronatus principis laici: nec apparet de aliqua valida collatione vel provisione quæ electionem impedire posset, ut in simili dicitur *in dict. cap. cùm in cunctis. in principio.* sed duntaxat de quodam mandato de providendo quod ex multis capitibus est surreptitium, obreptitium, & nullum, & sic beneficium tempore factæ electionis adhuc verè vacavit de jure & de facto, quare optimo jure potuit dictum Capitulum Rodense ad electionem procedere, prout processit, dicto prætenso mandato de providendo & provisione subsecuta, tanquam nulla, non obstante, juxta plenius suprà dicta: & sic non obstat. Non obstat etiam id, quod alle-
35 gatur, † magistrum Ambrosium de Dintere, unum ex Canonicis dictæ Ecclesiæ Rodensis, tempore celebratæ electionis, non fuisse vocatum, & per consequens contemptum, & sic electionem nullam, cùm plus noceat contemptus unius, quàm contradictio multorum, *dict. cap. bonę, 2. & cap. quod sicut, cum simili.* Nam admisso assumpto, respondetur negando consequentiam, cùm vocari non debuit: *argum. leg. non videtur. ff. de judic.* Quòd autem vocari non debuit patet, qui extra provinciam moram traxit, & de præsenti trahit, qui ex antiquissima consuetudine dictæ ecclesiæ Rodensis, & etiam de jure communi, vocari non debet, *cap. coram, de elect. cum vulgaribus.* Præterea dato, quòd vocari debuisset, tamen ex eo, quòd vocatus non fuit, electio non potest dici nulla, licet contempto prosequente contemptum cassari & annullari posset, *dict. c. bonę, & cap. quod sicut, & ibi Doctor.*
36 & debet † contemptus prosequi contemptum suum infrà tempus datum ad eligendum, aliàs non auditur: ut vult *dom. Panormitan. & Doctores, in dict. cap. quod sicut, in 7. notabili, & facit in simili notabile dictum domini Card. in clemen. unica, de supplen. neglig. prælator.* ubi dicit, quòd si patronus facta collatione per alium de beneficio ad patronatum suum spectante non præsentet alium infrà tempus juris, intelligitur consentire collationi factæ, cùm tunc sublata sit omnis potestas agendi de contemptu, qui durat, secundum eum, duntaxat eo tempore quo durat potestas præsentandi: Nam lapso tempore non potest ipse dici contemptus, sed potius ipse suum jus contempsit. Tempus autē juris datum ad eligendum

diu effluxum est, absque eo, quòd dictus Magister Ambrosius vel quivis alius contemptum suum prosecutus sit: & sic illud non obstat. Non obstat si dicatur, quòd illustrissimus Dominus Archidux post † provisionem factam dicto B. præ-
37 stitit consensum suum, quare convalidata est ipso jure provisio facta dicto B. etiam si præsupponamus eam ab initio fuisse nullam, *juxta notata singulariter per Dominum Cardin. Florent. in dict. clement. unica, in nona column. in versicul. sed post longam cogitationem, de supplen. neglig. prælat. & per ea quę voluit dom. Panorm. in disputatione sua quæ incipit Augerio, in 13. column.* quia respondeo concesso, non tamen admisso, quòd consensus principis intervenit, negando consequentiam, quia Theorica Domini Cardin. & Panormitan. de qua suprà, procedit quando per consensum postea præstitum nulli fit præjudicium, nisi soli patrono consentienti, apud quem remansit jus prę sentandi: ita enim propriè loquuntur ipsi si benè inspiciantur: sed in casu nostro patronus tempore fundationis transtulit jus eligendi in capitulum Rodense, reservando sibi duntaxat admissionem personæ eligendæ: & sic in casu nostro consensus Domini Archiducis etiam si expost intervenisset, tenderet nedum in præjudicium ipsius patroni, sed etiam in præjudicium ipsius capituli Rodensis, cui
38 derogare velle non præsumitur, & sic † hoc argumentum, tanquam procedens à separatis, non valet: ex separatis enim non fit bona illatio de uno ad aliud, *leg. neque natales, C. de probat. & leg. non hoc Cod. unde cognat. cum vulgaribus.* Cùm ergo ad dictum capitulum Rodense ex voto & desiderio fundatoris spectet electio decani, ut ex tenore fundationis clarè patet, neq; princeps tempore fundationis aliud sibi reservavit, quàm admissionem personæ eligendæ per capitulum, sequitur quòd principis consensus in casu præsenti nihil penitus potuit operari in præjudicium dicti capituli Rodensis & electi. Et quòd sic est moderandus, temperandus, & intelligendus consensus principis, ut sine incommodo & præjudicio tertij fiat,
39 patet: quia nunquam † in dubio princeps intelligitur velle tollere jus tertij vel jus quæsitum tertio, etiamsi per quęcunq; verba ampla vel generalia loquatur, etiam si utatur verbo restitutionis, *text. est singularis in capit. quamvis, de rescript. libro sexto, & ibi DD. & ita per dictum cap. quamvis, & alia jura concludunt Bart. & DD. in leg. fin. Cod. de sen. pass. & idem Bartol. Bald. Paul. de Castr. Alexand. de Imol. & omnes Doct. in leg. Gallus, in §. & quid si tantum. ff. de liber. & posthum. dicentes quòd restitutus ad bona sua per principem prius confiscata, non censetur propterea restitutus ad bona medio tempore alienata, ne tertio præjudicetur:* facit etiam *text. in l. 2. in §. merito, & in §. si quis à principe. ff. ne quid in loco publ.* & maximè non est facienda illa interpretatio, quando ultra læsionem illatam tertio etiam ipse princeps veniret contra pacta & promissa, quemadmodum hic fieret, si fundationem benè inspiciamus: quia ut verba fundationis habent, ipse fundator se obligavit & promisit electo idoneo beneficium elargiri, & sic nulli alteri nisi soli electo consensus principis possit suffragari, propter dictum pactum: cùm
40 † princeps obligetur ex pacto ut cæteri homines: *textus est in cap. 1.* & *ibi Panormit. Bald.* & *Docto. de proba.* & *in c. 1. de natu. feud. in usib. feud.* & *ibi Bald. volunt Cy. Pau. de Cast.* & *DD. in le. digna vox, C. de legib.* Aliàs si princeps non obligaretur ex pacto, interdictum esset sibi commercium, & esset tanquàm exul, qui est omnium præsul: ut dicit idem *Bal. in d. l. princ.* & *in le. 2. de servit.* & *aqua*, & nimirū si princeps ex suo pacto vel con-

tractu

tractu obligetur, cùm etiam ipſe Deus
creator omnium obligetur ex pacto, *ſe-
cundum Bald. allegantem Magiſtrum ſen-
tentiarum, in leg. 1. ff. de pac.* Cùm ergo
dicto C. ante conſenſum emanatum à
principe fuerit jus quæſitum, ut mihi in
facto præſupponitur per electionem, per
quam quæritur jus in re, *juxta notata in
cap. tranſmiſſa, de electio.* ergo conſenſus
principis ſuperveniens nihil potuit opera-
ri in præjudicium juris quæſiti tertio, i-
41 mò † potius improprianda ſunt verba li-
terarum principis, ne præjudicet juri alte-
rius, cùm id nullatenus princeps facere
intendat: pro hoc eſt *textus peculiaris
ultra jura ſuprà allegata in capit. ſuper eo,
de offic. de lega.* ubi verbum eccleſiam or-
dinet, ne tertio præjudicetur, exponitur,
id eſt, ordinandam prænunciet: & eſt ille
textus ſingularis in hac materia ad regu-
landum ambitionem impetrantium, quo-
rum importunitas inducit, ut non conce-
denda concedantur, *ſecundum Dom. Car-
din. Floren. in prȩallegato conſilio ſuo 142.
in fine.* Præterea dato, quòd conſenſus
principis præceſſiſſet hujuſmodi provi-
ſionem, & quòd ex hoc capite hujuſmodi
proviſio impugnari non poſſet: tamen ea-
dem proviſio non poſſet viribus ſubſiſte-
re, propter alias duas ſurreptiones com-
miſſas in tacendo, de quibus ſuprà, ut quia
tacuit, jus eligendi ad capitulum Rodenſe
ſpectare ex voto & deſiderio patroni lai-
ci Ducis Brabantiæ, cui Papa non dero-
gavit, nec derogare unquam intendit,
etiam per clauſulas non obſtantiæ gene-
rales, ut ſuprà commemoratum eſt: &
quia tacuit, ſe alienigenam & idioma loci
ſituationis dicti beneficij curati, ut ipſa
bulla de providendo in duobus locis com-
memorat, ignorare: & ſic ſe inhabilem,
42 cum quo † non poteſt dici, Papam facti
ignarum tacitè cenſeri diſpenſaſſe: licet
fortè aliud dicendum eſſet, ſi eum inha-
bilem ſciviſſet, *juxta materiam l. quidam
conſulebant. ff. de re judic. & notata, per
Innoc. Panor. & alios in c. diverſis falla-
cijs, de cler. conjuga. cum ſimilibus*, quæ
duo ſi expreſſiſſet, nullatenus hujuſmodi
literas obtinuiſſet, ut ſuprà declaratum
eſt. Modò regula eſt firmiſſima, quòd
43 quando † alicui obſtant plura impedi-
menta, licet tollatur unum, non tamen
propter hoc aliud cenſetur ſublatum: &
ideo uno remanente, totum adhuc rema-
net impeditum: hinc eſt, quòd duabus
excommunicationibus innodatus, ſi ab-
ſolvatur ab una, remanet nihilominus ex-
communicatus, & eſt evitandus. *cap. cùm
pro cauſa: de ſentent. excommun. cum ibi
notatis*: & ſi ex duabus ſervitutibus una
remittatur, altera remanet, *leg. ſi domus.
ff. de ſervitut. urba. præ. & ibi Baldus &
Ang.* & diſpenſatus ſuper uno impedi-
mento, non cenſetur diſpenſatus ſuper a-
lio non expreſſo, *cap. ſecundo, ubi textus
optimus, de filijs presbiter. cum vulgarib.*
Deduco tamen, conſenſum Domini Ar-
chiducis hujuſmodi proviſionem non
præceſſiſſe: tum ex eo, quia in diſpoſitiva
Bullæ dictæ proviſionis ponitur hȩc clau-
ſula, dummodo dicti ducis ad id expreſ-
ſus accedat aſſenſus, &c. & non dicit, ac-
cedit vel acceſſit: ex quo videtur clarè
patere, conſenſum hujuſmodi non prȩceſ-
ſiſſe datam dictæ proviſionis, vel verius
mandati de providendo: tum ex alio, quia
ipſemet princeps poſt factam antetactam
electionem ad requæſtam dicti B. per
ſuas literas clauſas, quas capitulo Rodenſi
in favorem dicti B. direxit, ſcripſit præ-
fatum decanatum adhuc vacare, & dictum
B. ſibi eſſe gratum hortando eoſdem ut
eundem B. vel intelligere: quare, &c.
Nec ſtandum eſſet meo judicio principi
vel ejus aſſertioni, ſi de novo nunc decla-
raret, ſe hujuſmodi literas conſenſus ſui
dicto B. ante factam electionem dediſſe,
licet agatur de facto ſuo, propter præju-
dicium quod ex hoc tertio generaretur.

Nec huic dicto obstat *Clem. 1. de probat.* quam intelligo procedere, ubi declaratio
44 † non esset expressè in præjudicium tertij, ut est in casu nostro, & contra jus quæsitum alteri, quod non est suæ intentionis tollere, cùm sit fons justitiæ & lex animata in terris, *in auth. de consul. in fin. columna quarta, cum alijs juribus suprà allegatis.* Nec esset talis declaratio ab aliquibus judicibus recipienda vel admittenda, sed penitus refutanda, cùm tendat ut præmittitur in præjudicium tertij: & quia reperio eam nō admitti in simili post sententiam, cujus rationem puto esse præjudicium tertij: dicit enim alibi lex, quod
45 † super jam statutis legem iterum statuere, non est æquitatem in medium proponere, sed præteritis calumniam invenire: ita sonat *text. in leg. penultim. in finalibus verbis, Cod. de decur. lib.* 10. & ita per præmissa in simili casu decidit singulariter *Dominus* Pet. *de Anchor. in consilio suo* 398. *incipiente, præmitto pro clariori.* Nec obstant literæ executoris Apostolici deputati ad providendum dicto B. de hujusmodi decanatu, in quibus ipse asserit, sibi de consensu dicti principis constare: quia literæ illæ nihil probant,
46 cùm † verba earundem sint merè narrativa & enunciativa, quæ non probant. & maximè ex eo, quia tenor hujusmodi præsentatarum literarum consensus principis non est insertus hujusmodi provisioni, *leg. ex his verbis & ibi pulchrè per Dom. Iaso. & alios, Cod. de testam. mili. & l. ex hac scriptura, & ibi per Bartol. & alios. ff. de don. cum simil.* Sed quicquid sit, licet dictæ literæ fidē facerent, (prout non) & licet etiam aliàs legitimè constare posset, consensum principis præcessisse hujusmodi provisionem (prout etiam nō) tamen quia dictæ provisioni adhuc duo obstant alia impedimenta, quæ ipsam surreptitiam & obreptitiam, & per consequens nullam reddunt, ut suprà deductū est: Non militat, quòd de consensu principis præcedente vel subsequente hujusmodi provisionem tam animosè contra electum allegatur. Non obstat etiam si quispiam dicat, dictam electionem nullam ex eo, quòd in Bulla provisionis seu verius mandati de providendo, habetur clausula decreti irritantis, quod decretum
47 † irritans afficit etiam ignorantes, *cap. penult. de præben. libro sexto, cum similibus* & annullat actum expost contra illud quomodolibet factum, ut ibi, *& c. si eo tempore, de elect. eod. lib. cum simil.* Quia respondetur dupliciter: Primò, quod hoc habet veritatem, quando clausula decreti irritantis apponitur provisioni puræ, non autem quando apponitur provisioni conditionali: tunc enim non operatur effectum suum antetactum, nisi à tempore conditionis impletæ, *text. est de hoc apertissimus in cap. quia cunctis, in §. subjunctum, de conces. præben. lib. 6. & in Clemen. unica, in princip. eodem tit.* nisi impletioni conditionis tempus adjiciatur, ut ibi *in §. secus*, quod non est hîc. Cùm ergo summus pontifex ad falsam suggestionem dicti B. impetrantis, mandaverit sibi de dicto decanatu provideri, nō quidem purè, sed conditionaliter: dummodo scilicet ad id expressus principis accesserit assensus, cum appositione decreti: & ante eventum dictæ conditionis præfato C. quæsitum fuerit jus in re per electionem, ut præsupponitur in facto clarè patet, quòd dicta clausula decreti irritantis in casu præsenti nihil penitus potuit operari, cùm ante eventum dictæ conditionis alteri prius fuerit quæsitum jus in re, *per dicta jura, & per tex. pulchrū*
48 *in cap. si pro te, de rescript. lib. 6.* dictio † enim dummodo, hoc casu facit conditionem, ex quo adjicitur rei imperfectæ, ut volunt *Paulus, Dominicus & Philippus Francus, in cap. non potest, in §. 1. de elect. lib. 6.* licet secus sit, quando adjicitur rei perfe-

perfectæ: quo casu facit modum & non conditionem, ut ibi per eos. Respondeo etiam secundò, quòd hoc habet veritatem, quando clausula irritans apponitur in bulla provisionis validæ, non quando apponitur provisioni surreptitiæ, vel obreptitiæ, ut in casu nostro: quia cùm isto
49 secundo casu Papa † sit circumventus, prout sæpe circumvenitur, *ca. sententiam, & cap. veniam, 35. quæst. 9. c. cùm ex literis, de in integ. restit.* & *de re judic.* cùm olim, non est mentis summi Pontificis, quòd dicta clausula decreti irritantis operetur contra intentionem suam: actus enim agentium non operantur ultra intentionem eorum, *l. non omnis, ff. si cert. petat. cum si.* fuit enim mens summi Pontificis, providere dicto B. si preces veritati nitantur: & econverso si preces veritati non nitantur, mentis suæ fuit, nō vel-
50 le providere eidem: quia illa clausula † si preces veritati nitantur, semper subintelligitur, *cap. 2. cum ibi nota. de rescript. cum vulgar.* & est dicta clausula, si preces veritate nitantur tanti effectus, & si res aliter se habeat, quàm præsupponat mens summi Pontificis vel rescripti, ut in casu præsenti, supersedendum est per executorem vel judicem cui rescriptum dirigitur, quantumcunque etiam præcisè Papa scribit, etiam si rescriptum contineret excommunicationem latæ sententiæ: quia illa tacita conditio si preces veritate nitantur, tenet eam in suspenso: ita singulariter determinat *D. Pet. de Anchora. in consilio suo 240. quod incipit, per prædicta subtiliter.* Cũ ergo dicta provisio, vel verius mandatum de providendo, sit, ut suprà declararum est, ex multis capitibus surreptitia & obreptitia, non potest ipsa contra mentem ejusdem virtute dictæ clausulæ decreti irritantis aliquid opera-
51 ri. Tunc enim duntaxat operatur † dicta clausula, quando apponitur provisioni validæ, non autem quando provisioni surreptitiæ vel obreptitiæ, ut suprà declaratum est: Et cùm apponitur provisioni validæ aut apponitur provisioni puræ, aut conditionali: si provisioni puræ, tunc immediatè incipit operari: si autem apponitur provisioni conditionali, tunc incipit demum operari post eventum conditionis, & non ante, etiam si addatur ex nunc prout extunc, & extunc prout ex nunc: ut *in dicta Clemen. 1. in principio, ubi est text. apertus.* Alias oporteret dicere, summum Pontificem alicui injicere laqueum contra suam intentionem & voluntatem, quod est absurdum, & contra *dictam l. non omnis*, & *dict. l. multum interest*, & *c. cap. cùm super.* & a-
52 *lia infinita jura.* Nam cum† propter surreptionem mendax precator carere debeat penitus impetratis, *cap. super literis. de rescript. cum vulgar.* absurdum est dicere, eum hujusmodi surreptionis vel obreptionis nomine quicquam consequi, *argum l. fine hæreditaria. ff. de neg. gest. cum simil.* & sic hoc argumentum quod Achillem vocitant, in nullo obstat. Non obstat etiam, si dicatur hujusmodi electio nulla ex eo capite, quia celebrata fuit post provisionem summi Pontificis dicta provisione prius non cassata, quemadmodum
53 dicitur in electione † secunda facta post primam, prima non cassata, *cap. auditis, de elect. cum sim.* Nam respondetur. quòd id non obstat, quia quod dicitur de secunda electione celebrata post primam, prima prius non cassata, quòd illa est nulla, non est indistinctè verùm, ut patet *cap. cùm terra*, & *in cap. bonæ, primo, in fin. illo eodem tit.* tunc enim secunda electio facta post primam, prima non cassata est nulla, quando prima electio non est ipso jure nulla sed injusta, vel saltem habet colorem validitatis, vel cùm electores essent privati potestate eligendi, ut quia elegissent scienter indignum: tunc enim nihil validè postea agũt.

Sed

Sed quando prima electio esset ipso jure & penitus ac notoriè nulla, & electores non essent privati potestate eligendi, puta, quia elegerunt ignoranter indignum, tunc possunt propria authoritate transire ad secundam electionem: & ratio est, quia ex quo electio prima est ipso jure & penitus ac notoriè nulla, non oportet expectare, ut reprobetur à superiore: ita notabiliter dicit *Dom. Panor. in d. c. cùm terra*, & si oculos mentis aperiamus, & rectè singula consideremus, hoc ultimum multum servit pro intentione electi: quia cùm omnis provisio in beneficialibus surreptitia & obreptitia sit ipso jure ac penitus & funditus nulla, ut sæpius dictum est suprà, optimo jure in casu isto processum est ad electionem, dicta provisione summi Pontificis ipso jure, ut præmittitur nulla prius non cassata, vel ejus cassatione non expectata. Est enim
54 firma regula; quòd actus † ipso jure nullus, & ex eo capite, quia penitus est ipso jure nullus effectum non sortiens, non præstat impedimentum actui postea fiendo: & ita procedit regula, non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, suprà allegata, licet benè secus sit in actu non ipso jure & penitus nullo, sed injusto, vel ex aliquo capite annullando: & sic procedit *c. ad audientiam, de sponsa. cum similib.* & argumentum suprà formatum, & quòd expectari non debuit cessatio provisionis ipso jure nullæ, voluit expressè *Compostel. in cap. capitulum sanctæ crucis, de rescript. & refert & sequitur Domic. de sancto Geminiano in cap. dudum, in quinto notabili, de præbend. lib. 6. ubi dicit de hoc esse*
55 *casum*. Nec valet, si dicatur, quòd dicere † provisionem factam per summum Pontificem esse nullam, est ponere os in cœlum, & incurrere sacrilegium: cùm sacrilegium sit disputare de factis domini Papæ, *cap. si quis suadente diabolo. §. qui autem. 17. q. 4.* Nam respondeo, quòd *ille. §.* hoc non dicit, sed duntaxat dicit, quòd sacrilegium committunt qui disputant, an sit dignus is quem princeps elegerit: & tamen dicunt *ibidem Laurent. & Archid. quòd si constat, quòd est malus & indignus, potest de hoc disputari*: & hoc dictum refert & sequitur *Dominus Cardin. Floren. in consilio suo* 143. *incipiente, post hoc consilium.* Hinc etiam dicunt *Abbas antiquus, & Ioan. And. in cap. à nobis secundo, de sentent. excommun.* quòd si ecclesia ligat vel absolvit clave errante, non valet quò ad Deum, nec tunc tam de potestate Papæ (quod non licet) quam de informatione facti, seu non plena scientia ipsius disputatur (quod utique licet) & idem est de mente *Bald. in l. prima, in principio ff. de constitut. principum*, & ita est in proposito: quare non obstat. Non obstat etiam, si dicatur electio nulla ex eo capite, quia dominus electus, non petivit confirmationem à principe infrà tres menses, prout de jure debuit, *cap. quàm sit, circa fin. de electio. lib. 6. cum vulgar.* Quia respondetur per interemptionem: Nam imò summa cum diligentia ac debito tempore eam petivit á Domino Cancellario & Concilio Brabantiæ, in absentia Domini Archiducis, tunc extra patriam suam Brabant. in remotis agentis: in quo casu absentiæ dictus Cancellarius & Concilium in talibus & similibus obtinent vicem Principis, ut præsupponitur in facto: & sic perinde censeri debet, ac si à principe id petitum fuisset: cùm
56 vicegerens † dominum repræsentet, *cap. ultim. 93. distinctio. cum vulgar.* & licet vicegerens alicujus non posset vigore generalis suæ commissionis conferre beneficia, nisi id specialiter habeat in mandatis, ut est *text. planus in cap. fin. de offic. vicar. lib. 6.* tamen vicarius generalis virtute suæ generalis commissionis potest præsentatum per patronum vel præsentatum

tum

præſentatum per habentes de jure eligere, admittere, inſtituere, & confirmare, *cap. ex frequentibus, ubi de hoc eſt text. ſingularis & rotundus, & ibi hoc communiter tenetur per Doct. ſecundum Panorm. ibidem de inſtitut. & voluit Ludo. de Roma, in ſuis ſingularibus ſingulari 605. incipiente: Tu ſcis, quòd fundatores eccleſiarum, referens quendam Doct. aliter conſuluiſſe, & malè ſecundum eum:* & ſic non fuit neceſſariò adeundus princeps exiſtens in remotis, vel ejus adventus expectandus, ut aliqui per generalia jura ſibi perſuaſerunt: & pro hoc eſt optimum ſimi-
57 le, quia licet jus † conferendi beneficia ad
ſolius epiſcopi collationem ſpectans non tranſeat in capitulum ſede vacante, ut eſt *text. planus & pulcher. in cap. unic. de ſede vacante, lib. 6.* tamen jus inſtituendi vel confirmandi electum tranſit in capitulum ſede vacante, ut eſt *text. apertus in cap. cùm olim, de major. & obedien.* Rationem autem diverſitatis inter præmiſſa ponit *Dominus Panormitanus, in dict. cap. ex frequentibus:* quia conferre beneficium eſt liberalitatis, admittere autem præſentatum vel inſtituere eſt neceſſitatis: & hoc etiam in caſu noſtro ſonant verba fundationis, cùm dicitur, tenebimur beneficium elargiri, &c. quod eſt verbum neceſſitatem importans, *Clemen. exivi. §. item ordo, de verborum ſignif.* ſicut eſt verbũ Dei, de quo eſt *gloſſa notabilis in Clemen. attenden. in verbo, debeant. de ſtatu monach.* Potuit ergo de jure prætacta electio præſentari domino Cancellario & Concilio Brabantiæ, & per eos admitti, *dict. cap. ex frequentibus.* Præfatus tamẽ Dominus Cancellarius Brabantiæ, licet debitè in præſentia Concilij, ut præmittitur requiſitus fuerit, confirmationem tamen impendere, vel verius electionem hujuſmodi admittere recuſavit, licet mi-
58 nus juſtè & indebitè. Et quia de jure †
ſufficit petere confirmationem, licet non obtineatur, ut eſt *gloſ. ordinaria, quam ibidem ſequitur Dominic. & Doctores in dicto cap. quàm ſit in verbo, petere:* ideò hoc non obſtat. Præterea dictus electus infra paucos dies poſt petitionem hujuſmodi de ſcitu & beneplacito dicti Domini Archiducis, coram dicto Domino Cancellario & Concilio Brabantiæ, judicibus ſiquidem per eundem principem ſibi deputatis, contra eundem B. ſuum inſtituit proceſſum, ubi idem iteratò petiit in effectu: & quia per eum non ſtetit, quò minus confirmationem obtinere potuit, ſibi imputari non debet: *regula, imputari, de reg. juris, l. 6.* Prętere a (& iſtud obſtruit ora oblatrantium) confirmatio, de qua in propoſito, non eſt propriè confirmatio, de qua loquuntur jura, *d. c. quàm*
59 *ſit, cum ſimil.* cùm illa † ſicut quælibet a-
lia ſpiritualia, ut decimæ, electio, collatio, & ſimilia, non cadat propriè in laicum, niſi habeatur ex privilegio ſedis Apoſtolicæ, *cap. Maſſana, & cap. ſacroſancto, de elect. & cap. cauſam quæ, de præſcrip. cum infinitis ſimil.* Nec poſſunt hujuſmodi ſpiritualia per laicum præſcribi propter incapacitatem ejus, etiam tanto tempore & per tantum tempus, de cujus initio non eſt memoria: ut ſingulariter volunt *Ioan. Monach.* & *Io. And. in dicto cap. 2. de præben. lib. 6. quam theoriam pro valde ſingulari commendat, refert* & *ſequitur Dominus Panormitanus in dicto cap. cauſam, quę de præſcrip.* Et iſtud etiam ſatis ſonant verba fundationis dicti decanatus in fin. cùm dicitur, cui electione celebratà nobis à capitulo præſentata, ſi fuerit idoneus dictum beneficium tenebimur elargiri: Non autem dicit, electionem confirmabimus: Eſt ergo hæc confirmatio, de qua in propoſito, nihil aliud, quàm admiſſio ſeu approbatio perſonæ electæ, quam approbationem ſive admiſſionem ipſe dux Brabantiæ fundator & patronus non immeritò ſibi reſervavit, cùm mul-

tum intersit sua, talem vel talem in patria sua habere prælatum fidum vel perfidum: *juxta notam singularem Innocen. in cap. super his, de accusa.* Cùm ergo constitu-
60 tio dicti cap. quàm sit, sit † pœnalis & odiosa, non est extra terminos vel limites suos extendenda, maximè cùm verba fundationis non patiantur, *regula odia, & regula in pœnis, de regul. jur. lib. 6. cum vulgarib.* & ad hoc adduci possit materia extensionis in pœnalibus, de qua *per gloss. Panormitan. & Doctor. in cap. de multa, de præben. & per legistas in l. si verò. §. de viro, & in l. si constante, ff. solut. matrimonio. & in aliis pluribus passibus, quos brevitatis gratia referre omitto.* Et cogimur dicere hoc casu, tempus præsentandi electionem principi, ut personam electam, si idonea sit admittat, esse arbitrarium, ex quo tempus hoc in jure specificatum non est. *l. prima, ff de jure deliberan. & cap. de causa, de offic. delega. cum similibus. & facit optimè in simili theorica singularis Ioan. Andr. & aliorum, in capit. secundo, de magist. de qua commemorat glossa ordinar. Ioan. And. in cap. ad apostolicæ, circa finem, de re jud. lib. 6.* & sic constitutio dicti cap. quàm sit, quoad tempus ibidem præfixum ad petendum confirmationem, & quò ad pœnam ibidem adjectam, eundem electum non arctavit neque arctat: & cùm confirmationem sæpius & legitimè, ut præmittitur, petiverit, dictum medium
61 eidem non obstat: quod enim † legitimè factum est, pœnam non meretur. *l. Gracchus, Cod. de adulter. & cap. qui peccat, 23. quæstio. 4. cum vulgaribus.* Quare ex præmissis concludo pro veritate, quæ verborum adminicula non desiderat, sed se ipsam protegit & defendit, electionem factam de persona dicti C. fuisse & esse canonicam, & præfato B. nullum penitus jus ad dictum decanatum Rodensem competere: & ita esse judicandum & pronunciandum, omnibus futilibus medijs, de quibus suprà non obstantibus: & ad majorem fidem me huic chartæ subscripsi: Salvo tamen judicio cujuslibet melius & rectius sentientis.

CONSILIUM LIX.

De eadem materia.

SVMMARIA.

1 *Jus patronatus acquiritur vel ex constructione, fundatione vel dotatione.*
2 *Frustrà precibus imploratur quod jure communi conceditur.*
3 *Renunciatio nunquam se extendit ultra expressa.*
4 *Stultitia potius quam donatio præsumitur.*
5 *Literæ contra communem & solitum curiæ stylum conscriptæ, præsumuntur suspectæ de falso.*
6 *Velle nemo præsumitur, quod consuetum non est, licet sit possibile.*
7 *Provisiones & gratiæ omnes sunt odiosæ.*
8 *Appellatione deserta judex appellationis desinit esse judex, cùm deficiat fundamentum suæ jurisdictionis, puta appellatio.*
9 *Non entis nullæ sunt qualitates.*
10 *De literis nullis, ratione defectus impetrantis, non necessariò facienda est mentio in impetratione secundarum.*
11 *Ratificatio non debet operari nec intelligi facta in præjudicium tertij, vel juris tertio quæsiti.*

12. Pa-

12 *Paria sunt non esse & non apparere.*

13 *Papa an solus beneficia in commendam dare possit.*

14 *In resignatione beneficiorum quæ requirantur, &c.*

15 *Regulæ juris communis statur, nisi in contrarium appareat exceptio vel dispositio specialis.*

16 *Beneficium existens de jure patronatus alicujus dari in commendam non potest, nisi patronus ille ad id vocatus fuerit.*

17 *Gratia vel dispensatio Papalis qualiter probetur.*

18 *Confessio facta contra naturam rei, non præjudicat confitenti, quò ad pœnam sustinendam.*

19 *Mendax precator impetratis carere debet.*

20 *Literæ ad beneficia sunt stricti juris propter ambitionem impetrantium. Et gratia nunquam excedit casum proprium.*

21 *A surreptione an probabilis ignorantia impetrantẽ excuset, &c.*

22 *In impetratione beneficij quorum mentio sit facienda, &c.*

23 *Surreptio dolosa vitiat literas gratiosas in totum.*

MAgnifici ac circumspecti domini, ultra deducta & allegata in consilio meo pro parte electi ecclesiæ Rodensis,
2 ponderandum videtur, quòd jus † patronatus acquiritur altero de tribus modis: ut puta ex constructione, ex fundatione, & ex dotatione ita vult *Panor. & Doct. in rub. de jure patron, & in cap. 1, super 1. gl. illo eo. tit. & in pluribus alijs passibus.* Ex actis autem clarè apparet, quòd dux Lothoringiæ & Brabantiæ creando, quantũm in eo erat decanatum in ecclesia Rodensi, ubi per prius non fuit decanus, dedit pro dote ejusdem decanatus ecclesiam de Erschot, cum suis pertinentiis, transferens in capitulum jus eligendi decanum, cùm vacaverit per cessum vel decessum, ut hæc & alia in instrumento fundationis plenè habentur: & sic negari non potest, quin decanatus Rodẽsis sit de jure patronatus principis & ducis Brabãtiæ ex fundatione & donatione, & minimè ex privilegio sedis Apostolicæ, cùm de hoc non constet: Nec est præsumendum cùm facta non præsumãtur, *l. quæcunque, in fine, ff. de public. cum vulg.* Nec est verisimile,
2 cùm frustrà † precibus imploretur, quod jure communi conceditur. *l. unica. C. de thesaur. lib.* 10. hoc dico propter illos, qui dicunt ducem Brabantiæ in casu præsenti non esse patronum, ex quo transtulit in Capitulum Rodense jus eligendi decanum: quod non credo benè dictum: quia licet transtulerit in Capitulum jus eligẽdi, patronatum tamen à se non abdicavit, nec hoc ex verbis fundationis quovismo-
3 do apparere potest. Renunciatio † enim nunquam se extendit ultra expressata, *l si domus. ff. de serv. urb. prędio.* Nec est verisimile, quòd abdicasset à se hujusmodi patronatum, qui posset sibi esse utilis propter multa, de quibus pulchrè per *Doct. in cap. nobis, de jure patron.* quibus carere deberet, si patronatum à se abdicasset. Nec præsumitur quis velle suum jactare, *l. cùm de indebito ff. de probat. & cap. super hoc, de renunc. cum vulgar.* Imò po-
4 tius † præsumeretur stultitia vel fatuitas, quàm donatio: *teste Bald. in l generaliter, C. de non num. pec.* & in signum hujus patronatus retenti, reservavit sibi princeps facultatem admittẽdi personam eligendam: & si hoc fuisset expressum,

veriſimiliter moviſſet ſummum pontifi-
cem ad non concedendum, etiam in for-
ma in qua conceſſit: cùm non conſueve-
verit ſummus Pontifex alicui providere
de beneficio juris patronatus alicujus
principis ex fundatione vel dotatione, niſi
conſtito ſibi prius de conſenſu patroni, i-
mò *per regulam cancellarię apoſtolicę* 40.
*de mandato moderni ſummi Pontificis an-
no nonageſimo ſecundo noviſſimè præteri-
to de menſe Auguſti palàm, publicè,* &
*notoriè publicatam, quę incipit: Item vo-
luit, quòd ſuper quovis,* &c. expreſsè pro-
hibetur, ne literæ de cætero ſuper talibus
beneficijs patronalibus expediantur, niſi
in eis expreſsè ponatur alterum horum
trium, videlicet, quòd tale beneficium
tanto tempore vacavit, quod ejus collatio
eſt ad ſedem Apoſtolicam legitimè de-
voluta, vel quòd tempus patronis laicis,
ad præſentandum à jure præfixum, la-
pſum exiſtit, aut quòd ad id patrono-
rum ipſorum accedat aſſenſus, &c. cui re-
gula non eſt in prætenſa proviſione dicti
5 B. derogatum. Modò conſuetudo † curiæ
adeò eſt attendenda, quòd ſi emanaverint
literæ à curia contra talem communem
& ſolitum ſtylum, tales præſumuntur
ſuſpectæ de falſo, *gloſ. eſt notabilis,* & *ibi
Panormitanus* & *Doct. in cap. cauſam, de
teſtib.* Imò ſi Papa etiam motu proprio a-
liquid reſcribendo concedat, non præſu-
mitur tamen velle id, quod non eſt cõſue-
6 tum reſcribi: quia nemo † præſumitur
velle id, quod non eſt conſuetum fieri, li-
cet ſit poſſibile: *tex. eſt notabilis in l. fi-
deicommiſſa, in §. ſi ſervo. ff. de lega.* 3. &
ergo ſi clericus ſecularis impetraret bene-
ficium non ſolitum dari clericis ſeculari-
bus, non valet talis impetratio, dato quòd
Papa etiam motu proprio conceſſerit: ita
determinat notabiliter *Baldus in dicta l.
fideicommiſſa, in §. ſi ſervo, per illum text.*
& *ſequitur ibidem Dom. Florianus de ſan-
cto Petro:* & *eſt bonus tex. licet ipſi non
allegent, in cap. cùm de beneficio, de præb.
lib. 6. junctis notatis ibidem per Dominic.*
& *per Hoſtien. Panorm.* & *alios in cap.
poſſeſſiones, ubi etiam bonus text. de re
eccl. non alien.* Idem ergo erit in propoſi-
to de beneficio juris patronatus laicorũ,
maximè principum, de quo ut pręmittitur
Papa non conſuevit diſponere, niſi modo
& forma præmiſſis. Hinc eſt, quòd talia
beneficia patronalia, ſi vacent in curia Ro-
mana, non veniunt neque comprehendun-
tur in generali reſervatione beneficiorum
vacantium in curia, *ut vult Lapus in alle-
gatione ſua 69 incipiente, beneficia va-
cantia in curia Romana:* & dixi ſuprà in
conſilio meo principali, ergo prætenſæ li-
teræ proviſionis dicti B. tanquam contra
ſolitum ſtylum Romanæ curiæ ab eadem
emanatæ, & per conſequens de falſo ſu-
ſpectæ: & nihilominus ſurreptitiæ & ob-
reptitiæ ſibi ſuffragari non debenr. Cer-
7 tum enim eſt, quòd omnes † proviſiones
& gratiæ ſunt odioſæ, cùm per eas pręju-
dicetur ordinarijs in eorum collationibus:
& ergo reſtringendæ, *cap. quamvis.* 1. *de
præb. lib. 6. cum ſimil.* & propterea ſubre-
ptio & obreptio in illis vitiat gratiam i-
pſo jure, *c.* 1. & 2. *de fil. presby. cum ſimil.*
Si ergo gratia vel proviſio propter ſurre-
ptionem vel obreptionẽ ſit ipſo jure nul-
la, ut præmittitur, conſequens eſt, ut exe-
cutor deſuper à ſede Apoſtolica datus ni-
hil validè facere potuit, cùm ceſſat princi-
pale & fundamentum facultatis ſuæ, &
acceſſorium ſequitur naturã principalis,
juribus vulgarib. & hoc aperta fronte in
his terminis per pulchras & efficaces ra-
tiones tenet *Dominus Panormitanus, in c.
ad audientiam, 2. in fin 4. col. de reſcript.*
& *hoc dictum refert* & *extollit ibidem
And. Sicul* & *Moderni.* Hinc etiam vi-
8 demus, quòd deſerta † appellatione, judex
appellationis deſinit eſſet judex, cùm de-
ficiat fundamentũ ſuæ juriſdictionis, puta
appellatio: ita expreſsè decîdit *Rota in*

prima

prima decisione in novis, sub tit. de appell. Cùm ergo ex multiplici capite bulla provisionis sit surreptitia & obreptitia, ut suprà in consilio meo longè lateque deduxi: sequitur, quòd impetratio & provisio & omnia expost subsecuta vigore dictæ impetrationis, utpote ipso jure nullæ & invalidæ, sint nulla, cassa, & irrita: & si sic, ergo nullum possunt operari juris effectum: & ergo illa non obstante procedi potuit ad electionem, cùm nihil obstitit.
9 non enim † præstat impedimentum, quod de jure ex eo capite, quia ipso jure nullum, non sortitur effectum, ut ibidem etiam dixi. Non entis enim nullæ sunt qualitates. *l. ejus, qui in provincia. ff. si cert. peta. cum vulgaribus.* Hinc videmus,
10 quòd de literis nullis † in impetratione secundarum non est necessariò facienda mentio, maximè quando nullitas primarum literarum surgit ex defectu impetrantis, ut in casu nostro præsenti, *gloss est ordinaria in capit. ex tenore. de rescript. quam ibi approbat & commendat dominus Panormitanus, & communiter Scribentes, pro isto etiam militat & stringit decisio Archidiac. quam sequuntur ibidem Dominicus & alij in cap. nemo deinceps, de electio. libro 6. ubi dicunt, quòd si commenda fiat contra formam illius cap. quod interim habens eligere non prohibetur procedere ad electionem, & allegant aliqua ex juribus prædictis.* Et per hæc etiamsi nulla alia facerent pro electo, prout tamen multa alia sunt quæ pro eo faciunt, ut suprà in consilio meo latius deduxi, corruunt funditus omnia per partem adversam prætensa. corruit enim prætacta provisio facta B. per prætensum executorem apostolicum, cùm illi defuerit potestas, per præmissa. Electio ergo, tanquam ritè & canonicè facta, debet judicari valida. Nec obstat, quòd dominus Archidux ex postfacto dicitur approbasse omnem processum habitum per dictum prætensum executorem Apostolicum.
11 Quia ratificatio † illa vel approbatio non debet operari, nec debet intelligi facta in præjudicium tertij, vel juris jam quæsiti tertio, *cap. quamvis, de rescript. libro 6. sæpius allegato, cum aliis generalibus, de quibus suprà in consilio meo.* Et si forsan allegetur, quòd surreptio si quæ esset in literis apostolicis, illa duntaxat præjudicaret principi, & ergo dominus Archidux potuit hujusmodi ratificationem facere. Respondetur per interemptionem, quia imò de interesse electi & capituli Rodensis agitur, ad quod ex fundatione decanatus spectat electio decani, ut præmittitur: cui summus pontifex in dubio non censetur voluisse præjudicare, etiam per clausulas non obstantiæ generales, attento, quod illud jus in capitulũ Rodense transfusum est ex voto & desiderio Ducis Lotharingiæ & Brabantiæ fundatoris laici, & de expressa voluntate summi pontificis: quòd scilicet juri capituli, sic ut præmittitur sibi competenti derogare voluit,
12 non apparet: & de his † quæ non sunt, & non apparent, idem est judicium, *l. in lege. ff. de contrahen. emptio. cum vulgaribus.* Obstat etiam inhabilitas personæ impetrantis, ita, ut uno impedimento ex tribus sublato, adhuc remaneant alia duo quæ obstant, ita ut locum habeat illud vulgare, de quo *in cap. cùm olim, de verborum signific.* dum ansam solvimus, nodum dicimur ligavisse, ut in consilio meo latius tetigi. Et si forsan ex adverso præ-
13 tendatur, quòd nemo † potest beneficium dare in commendam, nisi solus Papa, est *textus rotundus in contrarium in dicto cap. nemo deinceps, de electio. lib. 6.* dummodo tamen servetur forma, de qua ibi. Præterea posito sine præjudicio, quòd solus Papa posset beneficia commendare, & ea commendata postea conferre, hoc tamen non militaret in proposito, quia hoc deberet intelligi de beneficijs per eum

datis in commendam, quæ aliàs non essent
de jure patronatus principis laici, & mi-
nimè de beneficiis patronalibus: cùm
Papa per nullam concessionem quantum-
cunque amplam velit præjudicare patro-
nis laicis, præcipuè regibus, ducibus, vel
principibus: nisi id clarè exprimat, ut
suprà in consilio meo longè lateque de-
duxi. Neq; obstat, si dicatur, quòd dictus
decanatus Rodensis non potuit resignari,
nisi in manibus summi Pontificis, attento
quòd ab eo primo fuit receptus in com-
mendam per dictum A. Quia responde-
tur per interemptionem. Nam in contra-
rium est *bonus text. in argumentum, &
ibi per illum text. hoc expressè decidit Bal.
in l. adoptatum. C. de adopt. ubi ipse dicit,
quòd si Papa contulit beneficium quod
vacabat in curia, quòd illud potest nihilo-
minus resignari in manibus diœcesani, cum
quo transeunt Ange. Alexan. & posterio-
res, illud tacitè approbantes:* & etiam
14 regula est firmissima, quòd beneficia †
juris patronatus non possunt resignari, nisi
interveniat in resignatione & tempore re-
signationis consensus patroni, sive ille
fuerit laicus, sive ecclesiasticus. ista est
nota singularis *Innocent. in cap. fin. de re-
nuncia. quam sequuntur Pau. de Lyaza-
ris, Pet de Anch. & Doct: in Clem. unica,
de renunc. & dominus Panormit. referens
hoc dictum Innocen. in cap. significatum, de
præben. in ult. notabili circa fin. dicit illud
mente tenendum.* Imò plus notabiliter
voluit *do. Pet. de Anchor. in d. Clemen.
unica, in tertio notabili*, videlicet quòd
in resignatione beneficij requiratur etiam
consensus habentium eligere, à qua regula
non reperitur per aliquam constitutio-
nem in corpore juris clausam, de qua me-
minerim, exceptus iste casus, quando be-
neficium juris patronatus datur in com-
15 mendam. Cùm ergo regulæ † sint tena-
citer observandæ, nisi in contrarium ap-
pareat exceptio vel dispositio specialis:
*teste Bald. in l. si tutor, in fin. C. de ser.
pig. da. ma. & voluit glossa ordinaria super
rub. de reg. jur. lib. 6. circa fin.* non potest
prætacta allegatio vel objectio dicto C.
electo Rodensi quovis modo præjudicare,
per prædicta. Hinc etiam est, quòd quan-
16 do est beneficium † existens de jure pa-
tronatus alicujus, datur in commendam:
ille patronus debet ad hoc vocari, cùm
de ejus præjudicio agatur, *gloss. est ordi-
naria approbata in d. cap. nemo deinceps,
in verbo, commendare, circa medium, &
voluit Innocen & Doct. in cap. si constite-
rit, de accusa.* qui consensus hîc non in-
tervenit ante jus quæsitum electo. Nec
obstat electo prætensa dispensatio super
ignorantia idiomatis dicti B. quam dicit
se habere: tum quia de illa non constat,
nisi per solam signaturam, quæ non pro-
17 bat: quia certissimum est, quod gratia †
vel dispensatio papalis non potest probari
per testes vel signaturam: sed duntaxat
per bullam & literas debitè confectas &
expeditas: ita determinat *Rota in deci-
sione 335. quę incipit, licet Romana curia
observet, in novis decisionibus, secundum
quotas meas:* ita etiam determinat *domi-
nus Cardin. Flor. in prooemio Clement.
in § nec sanè, in quinta quæstione, & Ro-
ta in decisio. 462. quæ incipit, factum circa
quod multæ difficultates palatij versan-
tur, in versic. circa secundum dubium, in
novis secundum quotas meas:* ubi dicitur,
quòd gratia facta per principem ante
confectas literas, est quædam res informis
sive imperfecta, quæ postea in confectio-
ne literarum formaliter politur, & ad
suum esse perfectum per adjectionem
clausularum necessariarum & dationem
certorum executorum reducitur. Hinc
etiam dicit alia *regula cancellariæ aposto-
licæ, approbata & publicata publicè de
mandato moderni summi Pontificis, quæ
incipit, Item cùm concessiones, &c. nu-
mero 55.* quòd ante confectas literas
nulla

nulla dispensatio alicui prodest vel suffragatur: quia multa petuntur, quæ postea ex stylo limitantur, quando reducitur signatura ad formam. Præterea hujusmodi prætensa dispensatio est obtẽta post datam electionis, ut in facto præsupponitur: & sic cujus efficaciæ & vigoris sit, quisque facilè dijudicare potest. Præterea licet impetranti dicta prætensa dispensatio suffragari posset, prout non, tamen eidem obstat aliud impedimentũ, quod sublatum non est: videlicet subreptio commissa per eum in tacendo, quod jus eligendi decanum Rodensem spectat ad capitulum Rodense, ex voto & desiderio fundatoris laici, quod Papa expresse non submovit, nec præsumitur voluisse tollere per clausulas non obstantiæ generales, positas in bulla provisionis, ut supra in consilio meo longè lateque deduxi: & sic illud impedimentum semper manet, & solum illud, etiam si alia non concurrerent, facit dictam prætensam provisionem funditus ruinosam & nullã, ut suprà sæpius repetitum est. Debet ergo electio tanquam canonicè facta declarari valida, dicta prætensa provisione tanquam nulla, cum omnibus inde secutis, non obstante. Nec obstat motivum dicti B. quo sic ar-

18 guit. Confessio † facta contra naturam rei, non præjudicat confitenti, ut si quis confiteatur, se occidisse hominem, qui adhuc vivit: *text. est in l. inde Neratius, in § fi. ff. ad l. Aquil.* Sed quicquid per supplicantem in supplicatione ponitur ad finem impetrandi aliquid, habetur tanquam confessatum per eum, etiam si faciat contra eum: ut est *text. junct. a glos. in l. cum precum. C. de libe. causa*: ergo talis confessio, si est contra naturam rei & veritatem, non oberit confitenti vel supplicanti, per *dict. l. inde Neratius, in § fin.* & per consequens licet in bulla provisionis expressum sit, dictum præfatum decanatum esse de jure patronatus principis laici, cum illa adjectione, ex speciali privilegio sedis apostolicæ, quæ reperitur falsa, non debebit obesse supplicanti, ex quo est contra naturam rei. Nam respondeo, quòd licet confessio contra veritatem & naturam rei facta per aliquem, si per illam non præjudicetur alicui nisi soli confitenti, & sit notorium illam non esse veram, non noceat confitenti ad pœnam sustinendam, ut in *d. l. inde Neratius.* tamen quando porrigitur summo pontifici vel principi supplicatio aliqua pro obtinendo beneficio, in qua continentur multa menda-

19 cia, licet supplicans videatur omnia illa confiteri, talis tamen † supplicatio & confessio nocet supplicanti, ut nihil obtineat, vel impetret, *cap. super literis, de rescript.* mendax enim precator carere debet impetratis, ut ibi: & non est mirum, cum per illam studeat summum pontificem vel principem circumvenire, & velit per illam aliis præjudicare, & sibi lucrum quærere: Iam sunt multum diversa, damnum sentire, & lucrum non capere, *l. fin. C. de codicil. cum vulgar.* & sic est in casu præsenti, ubi dictus B. tacens de jure patronatus principis laici, seu verius non exprimens prout debuit exprimere, tacens etiam jus capituli Rodensis sibi ex voto & desiderio fundatoris laici competens, tacens etiam inhabilitatẽ propriam falsum suggessit, & tale falsum, quod si non expressisset, sed veritatem rei gestæ, nihil obtinuisset: meritò ergo tanquam mendax precator carere debet

20 penitus impetratis: cùm literæ † ad beneficia sint multum stricti juris propter ambitionem impetrantium, *d. cap. cum juribus vulgaribus.* & quia gratia nunquam excedit casum proprium, ex quo mens principis non est, concedere gratiam in alio casu quàm expresso: & hinc est quòd impetrans non potest gratiam suam trahere ad beneficium magis tenue, ut est *textus expressus in capit. cui*

de non

de non sacerdotali, in fin. de præben lib. 6. Hinc etiam videmus, quòd licet renunciatio & mors æquiparentur quantum ad vacationem: tamen si quis impetret beneficium, quod dicit vacare per renunciationem, & in veritate vacet per mortem, & non per renunciationem, nihil consequetur: licet etiam de corpore beneficij constet: Et ratio est, quia ut dixi, princeps taxavit gratiam ad illum casum expressum: ideo non debet fieri extensio ad alium casum. iste est *casus expressus & notabilis in cap. susceptum, de rescript. libro 6. & volunt domini de Rota in decisione* 582. *quę incipit, quidam obtinuit gratiam de quadam sacristia, in antiquis:* & id refert & sequitur *domin. Panorm. in d. cap. super literis de rescript.* Nec adjuvat si allegetur per partem adversam,
12 quòd † ipse ex probabili ignorantia & simplicitate dictam adjectionem ex speciali privilegio sedis Apostolicæ, &c. in supplicatione posuit, & minimè ex dolo, quæ probabilis ignorantia excusat, & à surreptione impetrantem tuetur, per *text. notabilem in cap. gratia de rescript. lib. 6.* quare dicta expressio sibi ut videtur non debet nocere, maximè cùm Papa etiam hoc non expresso, nihilominus ut allegatur, petitioni suæ annuisset. Nam quod ipse de ignorantia dicit, nihil sibi potest suffragari, tum quia in consideranda validitate gratiæ non advertimus ad culpam impetrantis, sed potius ad intentionem concedentis: ut in *cap. postulasti, de rescript. & in cap. si motu proprio, de præben. libro sexto,* tum etiam, quia ut dicit *Ioan. Andr. in dict. cap. gratia, in novella, illud c. gratia,* fundatum est super maxima ratione, & non debet excedere terminos suos: & diceremus contrarium secundum eum, si illud cap. non emanasset: Cùm ergo ibi sit speciale in casu illius capituli, quod probabilis ignorantia excusat à surreptione, ergo extra illum casum jus commune est in contrarium. *leg. jus singulare. & leg. quod verò contra. ff. de legibus, & notat gloss. in c. præsenti, in §. loca, de præben. libro 6.* & sic illud contrarium non obstat. Vel respondeo secundò aliter & plenius, pro enucleatione hujus articuli præmittendo duo per Doct. communiter comprobata: quorum primum est, quòd *d. c. gratia,* non ponit casum adeo specialem, quin in simili vel majori casu decisio ejusdem posset habere locũ. secundum est, quòd regulariter ignorantia etiam probabilis non excusat impetrantem, quin surreptio vitiet gratiam ipso facto, etiam si consistat in tacendo factum alienum, quod impetrans probabiliter ignoravit: primum volunt *Doctor. in d. c. super literis, & in d. cap. gratia, & de secundo est text. notabilis* & *semper mente tenendus, nec reperitur alibi secundum Panormit. ibidem in cap. constitutus, de rescript.* Quibus præmissis dico, quòd regula dict. cap. constitutus, procedit & habet veritatem passim & indistinctè, quando surreptio ex ignorantia fuisset circa ea, quibus benè & clarè specificatis, Papa in totum denegasset literas: tunc enim neque ignorantia, neque simplicitas excusant, *secundum Imol. Panormit.* & *alios in d. c super literis, per dict. c. constitutus,* procedit etiam dicta regula sine dubio, quando juri tertij præjudicaretur, de quo non est facta mentio: quia tunc ignorantia, quamvis probabilis, etiam non excusat, *secundum Panorm.* & *alios, in d. cap. super literis,* & *in d. cap. constitutus, in secundo notabili.* Fallit autem dicta regula in duobus casibus, quorum primus est, quando princeps vel Papa fuisset alias concessurus talem gratiam, si fuisset expressum id, quod per ignorantiam fuit tacitum: licet forsitan non ita faciliter, *secundum Panorm.* & *alios in d. c. super literis, per præallegatum cap gratia.* Fallit etiam secundo quando gratia hujusmodi,

stante

ſtante validitate reſcripti, reduci poſſet ad terminos juris communis, *argum. d. cap. gratia*, in quo non ſervatur præcisè forma reſcripti, ſed reducitur ad jus commune, ut alterum dimittat prout olim erat: ut in *cap. referente, & in cap. Præterea, de præben.* & ſic ſtat ſubſtantia reſcripti, quando dimittit beneficium habitum alibi: Si autem dimittat beneficium habitum à Papa, non corruit reſcriptum ex ſurreptione, ſed ex renunciatione: & procedit hæc fallentia, quando talis reductio fieri poſſit ex proportione verborum reſcripti, prout fit in *dict. c. gratia*: ſecus ſi diſproportionarentur verba, quia tunc etiam ſi reductio fieri poſſet ad caſum, in quo æquè faciliter vel facilius conceſſiſſet, non fiet reductio, *ſecundum Imol. in dict. c. ſuper literis, per præallegatum cap. ſuſceptum.* Cum ergo in caſu præſenti ſummus pontifex in totum denegaſſet literas proviſionis, omnibus exprimendis benè ſpecificatis & expreſſis: tum quia juri tertij, puta capituli Rodenſis, habendis eligere ex voto & deſiderio fundatoris laici, de quo in bulla proviſionis non eſt facta mentio, & juri principis habentis electum admittere præjudicaretur, ac ultra hoc perſona impetrantis circa intentionem ſummi Pontificis ad habendum curam populi, cujus idioma non intelligit, habilitata cenſeretur, ſi hujuſmodi proviſio facta dict. B. effectum ſortiretur: ideò non immeritò ſurreptio ex ignorantia proveniens, circa prædicta nullatenus debet dicto B. impetranti ſuffragari, per prædicta. Et quia vera & firma eſt *theorica & doctrina Dominic. & Doctor. in cap. in noſtra. & in c. poſtu-*
22 *laſti, de reſcript.* quod in † impetratione beneficij debet fieri mentio de his quæ poſſent Papam retrahere vel difficiliorem reddere ad concedendum, ut in *d. cap. poſtulaſti*, & etiam de hís, de quibus eſt ſpecialiter à jure proviſum, quòd de eis debeat fieri mentio, etiam ſi non ſint talia, quorum taciturnitas haberet Papam retrahere vel difficiliorem reddere, per *caſum dict. cap. ſi motu proprio, in verbo, quantumcunque modicum*: & cùm clari & indubitati juris ſit, quòd de jure patronatus laicorũ, vel de jure alicui etiam eccleſiaſtico, competente, ex voto & deſiderio fundatoris laici facienda eſt clara & expreſſa mentio in impetratione, ut primum habetur *per omnes Doct. in præalleg. cap. ſecundo, præben libro ſexto, & voluit regula cancellariæ ſuprà allegata, quę in incipit. Itẽ voluit quòd ſuper quovis &c.* & ſecundum longè lateque deduxi in dicto meo conſilio, illud plurimorum doctiſſimorum virorum authoritatibus & rationibus ſtabiliendo: cùm etiam ſit clari juris, quòd Papa non intendit juri tertij in aliquo derogare, ut in *juribus vulgaribus, ſæpius ſuprà allegat. & habetur in alia regula cancellarię, quę incipit, Item ne*
23 *per varias, & cap.* cum etiam ſurreptio † doloſa vitiet literas gratioſas in totum, *ſecundum omnes Doct. in dicto c. ſuper literis*, & cùm in literis gratioſis falſitas in dubio præſumatur ſemper expreſſa cum dolo, ut vult *Innocent. in cap. accedens, de crim. fal. & in cap. dilectus, primo de reſcript.* ſequitur, quòd neque probabilis ignorantia, neque ſimplicitas excuſat dictum B. impetrantem in iſtis gratioſis, & per conſequens cùm hujuſmodi proviſio ſit ſurreptitia & obreptitia, & ſic ipſo jure nulla: & cùm ſurreptio vitiat nedum gratiam, ſed etiam literas ipſo facto, adeo quod proceſſus inde ſecutus eſt nullus, ut ſuprà dixi: clarè patet, dictam electionem eſſe canonicam, & dicto B. ad præfatum decanatum Rodenſem nullum jus competiiſſe aut competere.

CONSILIUM LX.

SUMMARIA.

1 *Legari possunt res etiam aliena.*
2 *Dans potestatem alicui testandi de rebus suis, præjudicat sibi & suis successoribus, adeo quod actione mandati vel de dolo consentientem hæredes testatoris convenire possint. & nu. 3.*
4 *Notorietas tollit præsumptionem juris.*
5 *Pœnitentia ejus qui semel consensit, non aufert jus alteri ex illo consensu quæsitum.*
6 *Consentiens alteri disponenti de re sua, donare non videtur.*
7 *Incapax capere potest ut capaci restituat.*
8 *Donatio inter virum & uxorem, si est remuneratoria vel morte confirmata, censetur valida & irrevocabilis.*
9 *Donatio inter conjuges non valet, nisi traditio vera vel ficta intervenerit.*
10 *Donatio inter conjuges remuneratoria, insinuatione non indiget.*
11 *Ultima voluntas non potest dependere ex alieno arbitrio de futuro. Secus de præsenti & de præterito.*
12 *Captatoria non potest dici ea voluntas, in qua quis animi sui desiderium perfectè exprimit.*
13 *Dispositio quando dicatur ex alieno pendere arbitrio, &c.*
14 *Disponens modo non permisso, nihil agit.*
15 *Ad perfectionem codicillorum interventus quinq; testium sufficit.*
16 *Mandatum an morte mandantis semper expiret, &c.*
17 *Paria sunt aliquid fieri tempore prohibito, vel fieri tempore permisso & conferri in tempus prohibitum.*
18 *Bona alterius pecunia empta cujus efficiantur.*
19 *Favendum est in dubio parti stanti pro testamento.*

VT vobis venerabilibus & circumspectis viris, Dominis judicibus causæ, & partium infrà scriptarum, liquidissimè constet, executores testamenti quondam Domini Iohannis Scamp reos & conventos, contra & adversus hæredes quondam Gertrudis Bogaerts dicti quondam domini Iohannis dum vixit uxoris actores & impetrantes, justam fovisse & sustinuisse causam: Considerandum est ante omnia, quòd difficultas ejusdem causæ versari videtur circa validitatem testamenti seu ultimę voluntatis d. Domini Iohannis Scamp, cum ex decisione validitatis ejusdem testamenti facilè liquebit determinatio totius negotij & materiæ principalis. Et quia decisio hujusmodi quæstionis principaliter & originaliter pendet ex virtute potestatis & facultatis dicto Domino Iohanni per prælibatam Gertrudem suam dum vixit uxorem præstitæ & attributæ, idcirco breviter & succinctè circa hoc elaborandum est. Pro cujus intelligētia præmitto, quòd
1 † nedum res testatoris, sed etiam aliena legari potest, ut est *text. Instit. de lega. in §. non solùm, & in l. cum aliena. C. eo. cum* concor-

concordan. Item secundò præmitto, quòd
2 consentiens vel dans † potestatem alicui de rebus suis disponendi vel testandi, prejudicat sibi & suis successoribus, perinde ac si consentiret in contractu, adeo quòd hujusmodi legata debeantur in ipsius consentientis & suorum hæredum præjudicium: ut est *textus ad literam, qui ad hoc reputatur singularis, in l. sicut, in §. venditionis, ff. quibus mod. pign. vel hypo. sol. & Barto. & Alex. de Imola. in apostillis ad Bartol. declarant benè Bald. Salic. & Domin. Iason in d. le. cum aliena, & est bonus tex. & ibi Bal. in c. 1. in §. preterea, quibus mod. feud. amit. in usib. feud. & idem Bal. in l. senium Cod. qui testam. fac. possunt, cum infinitis similibus*: & istud est indubitatum quò ad hoc, ut pariatur ex hujusmodi consensu exceptio contra consentientem vel ejus hæredem, *secundum Bartol. in d §. venditiones, & secundum Bald. & Salic. in d. l. cum alienam, & secundum eundem Bald. in l. 1. in 3. col. suæ lecturæ, in versic. deinde quæro nunquid filiusfam. Cod. de sacrosanct. eccles.* sicut est in casu proposito, ubi dicti executores sunt rei, & hæredes dictæ quondam Gertrudis impetrantes sive actores, contra quos excipitur de consensu testandi præstito dicto quondam Domino Iohanni per dictam quondam Gertrudem & dispositione
3 postmodum subsecuta benè tamen † verum est, quòd meris legatarijs non datur actio vigore hujusmodi consensus contra consentientem vel ejus hæredes possidentem vel possidentes res legatas: licet actio mandati vel de dolo benè detur hæredibus testatoris vel legantis contra consentientem vel ipsius hæredes: ex quo aliàs verisimiliter relicturus non fuisset ut eleganter inquit Bartolus, cum quo cæteri Doct. transeunt *in l. cùm quis decedens, in principio. ff. de leg. 3. & idem Bartol. in l. si fundum per fideicommissum ff. de legat. 1. & idem in consilio suo 2. incipiente, quidam sibi filios.* In casu autem præsenti præfati executores non agunt ut præmissum est, sed se defendunt: Quibus præmissis, judicio cujuscunque melius sentientis breviter dico, quòd dispositio & ultima voluntas dicti quondam Domini Iohannis Scamp sortiri debet suum effectum & declarari valida, nedum quoad bona propria ipsius quondam Domini Iohannis, sed etiam quoad bona prædictæ quondã Gertrudis: ex quo ipsa sibi potestatem & facultatem de eisdem bonis disponendi & ordinandi tribuit, ac de eisdem bonis testari permisit, quare licitè potuit dictus testator in præjudicium dictæ Gertrudis consentientis & suorum hæredum, sic ut præmittitur disponere: *per text. dicti §. venditionis, cum aliis suprà allegatis*: prout solenniter coram notario & quatuor testibus, & sic ad minus, coram quinque anno 1487. nona Ianuarij disposuit, & nedum Domino Iohanni de Vaddere cum suis cohæredibus hujus causæ reis ex hoc capite contra dictos impetrantes competit exceptio, cùm ipsi sint rei & in possessione bonorum, unde est quæstio: Sed etiam in quantum ipsi hujusmodi bona non possiderent, daretur ipsis efficax actio mandati vel de dolo contra hæredes dictæ quondam Gertrudis, cùm non sint meri legatarij, sed etiam hæredes dicti quondam Domini Iohannis Scamp testatoris, per præallegata: facit etiam ad præmissa, quòd dicta quondam Gertrudis uxor dum vixit dicti quondam Domini Iohannis Scamp testatoris hujusmodi consensum disponendi de suis bonis præfato suo marito tribuit ex causa rationabili, evidenti, & notoria, hac videlicet, quia ipsius Domini Iohannis industria & diligentia, bona de quibus est quæstio fuerunt acquisita: nec est hujusmodi confessio reputanda simulata, & in fraudem legis emissa, quia notorium est, hujusmodi

bona facto, industria, diligentia dicti
quondam Domini Iohannis fuisse & esse
4 acquisita: quæ notorietas † tollit præ-
sumptionem juris, de qua *in leg. qui te-*
stium.ff.de probat.cum vulgarib. Id etiam
præsumit lex, ut est *text. in leg. etiam*
Codic. de donat. inter vir. & uxor. & in
le. Quintus.ff.eo. Pro isto facit etiam *no-*
tabilis doctrina Bald. in d.leg.senium, ubi
5 dicitur, quòd si † alius quàm filius qui est
in potestate mea, leget rem meam me
consentiente, nõ possum ego talem actum
per pœnitentiam impedire, cùm jus legãdi
sit sibi quæsitum: & allegat *dict.le.sicut,*
in §. venditionis, & notata in d. leg. cùm
quis discedens, in principio, cum pluribus
aliis. Patet ergo, quòd si dicta quondam
Gertrudis post consensum per eam præ-
stitum expressè pœnituisset, quòd illo non
obstante hujusmodi dispositio nihilomi-
nus effectum sortiretur. Restat modò re-
spondere nonnullis motivis, super quibus
ut ex actis apparere potest, pars adversa
se fundare videtur: & primo non obstat
si dicatur, quod ex nudo pacto non oritur
actio, *jurib. vulgar.* & sic nec ex consen-
su. Quia respondeo, quod pro victoria
reorum satis est, quod ex dicto consensu
pariatur ipsis reis in possessione bonorum,
de quibus est quæstio, existentibus, exce-
ptio contra consentientem vel ejus hære-
des: quam exceptionem certum est ex
hujusmodi consensu nasci, ut suprà latius
dixi. Præterea licet meris legatarijs non
oriatur actio ex hujusmodi consensu ta-
men hæredibus testatoris quales sunt rei
licet cum hoc sint legatarij, bene cõpetit
actio mandati contra consentientem vel
ejus hæredes, ad hoc ut rem legatam jux-
ta voluntatẽ testatoris legatarium habere
sinant & permittant: cùm aliàs testator
verisimiliter relicturus non fuisset illam
rem, nisi verus Dominus consensisset, ut
etiam supra dixi, & hoc non obstat. Non
6 obstat etiam si dicatur, quod iste † con-
sensus operatur donationem: Sed dona-
tio inter virum & uxorem non valet, *leg.*
prima, & quasi per to. Digest. de donatio.
inter vir. & uxor. cum vulgaribus ergo,
&c. Quia dico, quod iste consensus non
est propriè donatio, sed inducit manda-
tum disponendi, ex quo siquidem man-
dato dicto quondam Domino Iohanni
Scamp marito & testatori nihil commo-
di, quod apud eum fixè & irrevocabiliter
remansurum erat, acquirebatur: & sic
quia ex ea factus non est locupletior, non
habet locum prohibitio antetacta, *per c.*
fin. de donatio. inter vir. & uxo. cum vul-
7 *garib.* Nec est inconveniens, quod † inca-
pax capiat, ut capaci restituat: ut est *tex.*
in le. cum ei qui. ff. de leg. 2. & in le. cogi.
in §. hi qui solve. ff. ad Trebell. cum vulgar.
Esto etiam, quod dictus consensus opera-
retur veram donationem, & talem ex qua
maritus fieret locupletior, & sic inter vi-
rum & uxorem prohibitam: tamen quia
8 illa † est morte mulieris confirmata, pro-
culdubio censenda est valida, ut est *tex-*
tus in l. cum hic status. in §. ait oratio. ff.
de donatio. inter vir. & uxor. & quia non
est simplex, sed remuneratoria magis,
ut suprà dixi, omnino est censenda valida
& irrevocabilis, *juxta plenè notat. per*
dominum Panormitanum, & dom. Anton.
in d.c.fin. circa princip. per text. pulchr.
in l. quòd autem. §. si vir. ff. de donatio.
inter vir. & *uxorem.* ubi patet, quod si
maritus donavit unam rem uxori, & uxor
unam aliam marito, fit hinc inde com-
pensatio: & per hoc notabiliter dixit
Bart. in l. si divortij. ff. de verbor. oblig. &
est gloss notabilis in le. si voluntate. Cod. de
do. promis. quod si mulier nobilis nubit
plebejo, potest plebejus sibi constituere
dotem animo donandi, licet conferatur
in tempus matrimonij: quia ista non
est simplex donatio quæ prohibetur, sed
est remunerativa: quia nobilis nuben-
do plebejo videtur sibi quoddam mu-
nus

nus conferre, & sic maritus donando videtur remunerare, & non simpliciter donare: pro hoc etiam est *l. Aquilius Regulus, ff. de donat. & l. si patitur. §. 1. ff. eo. ubi habetur juncta gloss.* quòd donatio remuneratoria est irrevocabilis, etiam secuta ingratitudine. ad hoc etiam est, quod singulariter dicit *Cyn. & post eum Paul. de Castro. Iason & alij in l. pater puellæ. C. de inoffic. testamen.* ubi dicit, quòd si conjuges faciant sibi invicem reciprocam donationem, si contingat alterum præmori, talis donatio non dicetur prohibita, sed statim erit valida, nec egebit confirmatione per mortem: & non interveniente traditione poterunt bona peti post mortem: quòd Paulus de Castro, & alij ibi reputant singulare & mente tenendum. Nec obstat si dicatur, quòd non
9 † valet donatio inter virum & uxorem etiam morte confirmata, nisi intervenerit traditio in vita, *per l. Papinianus: ff. de donatione inter virum & uxorem*, quæ hic non intervenit. Quia respondeo per interemptionem, negando quòd hic non intervenit traditio: licet enim hic non intervenit traditio vera, intervenit tamen traditio ficta per hoc quòd dicto quondam Domino Iohanni Scamp, omnia & singula bona sua & dictæ quondam uxoris suæ possidenti, attributa fuit potestas disponendi de illis, quatenus concernebant dictam quondam Gertrudem, ut de proprijs suis bonis: quæ ficta traditio tantùm operatur, sicut vera, *per text. §. interdum, de rer. divis. cum similibus.* & sic hoc non obstat. Non obstat etiam si dicatur,
10 quòd hæc † donatio non debet sortiri effectum, quia non fuit insinuata, *per l. sancimus. C. de don. cum similibus.* quia dico ut suprà dixi, quòd hæc non est propriè donatio: Esto tamen, quòd esset propriè donatio, tamen quia remuneratoria est, insinuatione nō indiget, *per tex. pulchrum junct. glos. cum ibi notatis, per Paul. de Castro & Doct. in d. l. Aquilius Regulus, ubi de hoc est casus.* Non obstat etiam
11 si dicatur, quod hujusmodi † voluntas censenda est captatoria, tanquam collata in voluntatem sui mariti, quæ de jure non valet. *l. captatorias. C. de testa. milit. & l. captatoriæ. ff. de lega. 2.* Quia respondeo breviter, quòd illud quod dicitur, quod ultima voluntas non potest esse captatoria, id est, non potest dependere ex alieno arbitrio, quia posset sequi captio: Sed de præsenti & de præterito benè potest dependere ex alieno arbitrio & valet. *textus est in l. illæ autem institutiones. ff. de hæred. institut.* & ratio diversitatis est, quia quando est consensus de præterito, vel de præsenti, tunc nulla potest esse deceptio, & sic talis dispositio non est captatoria, & per consequens non est prohibita. Sed non sic, quando consensus est de futuro: Modò ad propositum, quando quis consentit alteri, ut de re sua testetur, ista voluntas non pendet ab alieno arbitrio de futuro, imò statim est perfecta & irrevocabilis, ut suprà dixi.
12 Illa enim † non est captatoria voluntas, in qua quis perfectè exprimit animi sui desiderium *l. clemens patronus. §. fin ff. de hered. instit.* Cum ergo in casu præsenti consensus dictæ quondam Gertrudis uxoris intervenit de præsenti & purè, & cùm non possit revocari hujusmodi consensus, ut supra latius deduxi: claret aperte, quòd dicta voluntas non est captatoria, sive loquamur de voluntate dictæ quondam Gertrudis, sive loquamur de voluntate ultima dicti quondam Domini Iohannis Scamp: neutra enim ex eis collata est in alienum arbitrium de futuro: Sed utraque statim recepit perfectionem suam, voluntas scilicet dictæ quondam Gertrudis per hoc quòd consensit, & voluntas dicti quondam Domini Iohannis Scamp per hoc quòd testatus est. Non enim dicta quondam

Gertrudis censetur disposuisse, & sub-
stantiam dispositionis in arbitrium dicti
Domini Iohannis contulisse: Sed ipse
Dominus Iohannes est ille, qui disposuit
ex potestate sibi tradita tam à jure, quàm
ab homine: pro hoc sunt *notata Bald. in
repetitione l. 1. C. de sacrosanct. eccles. in 6,
col, in versic. juxta hoc quæro incidenter
quare filius*. Et sic hoc nõ obstat. Nec ob-
stat si dicatur, quòd imò bona dictæ Ger-
trudis fuerunt in suspenso & pendenti,
ex quo dictus testator de eisdem bonis
potuit non disponere: & sic negari non
potest, quin dispositio pendebat in alieno
arbitrio de futuro contra prohibitionem
legis. Quia respondeo, admisso assumpto,
13 negando consequentiam: quia † disposi-
tionem pendere ex alio arbitrio de futu-
ro, quantum proposito servit, potest intel-
ligi dupliciter: uno modo quòd hujus-
modi facultatem disponendi de certis re-
bus à jure & ab homine habenti, liberum
sit de hujusmodi rebus disponere vel non
disponere. Et hoc modo intelligendo, fa-
teor dispositionem pendere posse licitè in
in alicujus arbitrio: clarum enim est,
quod regulariter unicuique gratiosè data
est à lege facultas testandi de bonis suis.
*l. illa institutio, cum sua notabili glos. ff. de
hæred. instit. de qua commemorat Panor.
in Rubr. extra de testam. exceptis personis
specialiter prohibitis, de quibus per glos. &
Doct. in l. si quæramus ff. de testa. & per
gl. & Doct. Instit. quibus non est permis.
facere testamentum, in fin.* Modò clarum
est, quod hujusmodi talem facultatem à
jure habenti liberum est de bonis meis
disponere vel non disponere, nec ad alte-
rum præcisè faciendum compelli possem,
& similiter si tertius consentiat mihi,
quod possem de re sua disponere testamẽ-
taliter, potero de illa si voluero dispone-
re, potero etiam non disponere, & hoc ul-
timo casu si † non disposuero juxta fa-
14 cultatem mihi ab homine præstitam, con-
sensus mihi præstitus habetur pro non
præstito, & consentienti non præjudicat:
ut est *text. apertus in d. l. sicut, in §. si vo-
luntate, & in §. venditionis, suprà allegato:*
& hoc modo intelligendo, falsa est illa
propositio, quæ habet, quòd omnis volun-
tas collata in arbitrium vel voluntatem
alterius, est nulla tanquam captatoria: &
hoc modo intelligendo non procederet
argumentum. Alio modo potest intel-
ligi aliquid poni in arbitrio alterius, ita
quòd actus tanquam captatorius non va-
leat, quando tota substantia dispositionis
conferretur in voluntatem tertij. Et i-
stud potest contingere tribus modis. Uno
si sic dicatur, instituo te, si Titius volue-
rit. Nam cùm tota substantia institu-
tionis conferatur in meram voluntatem
tertij, talis institutio proculdubio nihil
valet, & habet locum regula *d. l, captato-
rias*. Secundo modo quando committi-
tur alicui electio personarum incerta-
rum & de incertis, ut quia dicitur, insti-
tuo illos, quos Titius voluerit, vel quos
Titius elegerit. Nam cùm tunc substantia
institutionis etiam conferatur in volun-
tatem tertij, cùm ille possit non eligere:
secus si committeretur electio certarum
personarum, sed de incertis. Tertio, si sub
spe alterius institutionis, fiat institutio,
ut si sic dicatur, instituo te hæredem,
si me institueris: talis etiam non valet
tanquam captatoria & deceptoria, & in
his tribus casibus vera est regula *dictæ l.
captatorias*, quam materiam plenè decla-
rant *gl. Paul. Dom. Iason & alij Doctor.
in dicta l. captatorias* & *in dict. l. captato-
riæ*, ad quos me remitto, & sic hoc non
obstat. Non obstat etiam quod allega-
15 tur † per partem adversam, videlicet quòd
in hujusmodi ultima voluntate non est
hæredum institutio, quare non debet
valere, &c. Quia respondeo, quòd dicti
rei non se defendunt virtute testamenti
formalis, sed virtute codicilli seu ultimæ
volun-

voluntatis, in qua ut dixi ad minus quin-
que testes interfuerunt, & sic numerus ad
hoc sufficiens, *juxta l.fin. C. de donat.
causa mortis & c.cùm esses, & c. relatum
primo, de testa.cum vulgar.* & sic hoc non
obstat. Non obstat si dicatur, quòd di-
16 ctus consensus, ut suprà dictum est, in-
ducit mandatum: Jam mandatum † re
integra mandantis morte expirat, ut est
*tex.instit.mand. in §.rectè, & in l. inter
causas. ff.eo.* & ergo dictus quondam
Dominus Iohannes Scamp non potuit vi-
gore prętacti consensus in sua ultima co-
dicillari volũtate de bonis suæ uxoris di-
sponere vel legare, saltem post mortem
dictæ suæ uxoris: cùm mandatum, ut prę-
mittitur est expiratum. Quia respondeo,
quòd dicta regula, quæ habet quod mor-
te mandantis re integra expirat manda-
tum, fallit in multis casibus: & quatenus
proposito nostro servit, illa regula fallit,
quando mandatum est explendum post
mortem mandantis, & ubi effectus man-
dati confertur post mortem, ut est *text.
notabilis in l.si verò non remunerandi, in
§.fin.cum l.seq.ff. manda. & ibi notabili-
ter per Bartol. & Bald.* qui circa hoc fa-
ciunt distinctionem trimembrem, cum
qua communiter omnes transeunt: notat
etiam ibidem Bald. illum text. ad hoc
quod possit constitui procurator tali mo-
do, quod mandatum non expiraret, & i-
dem sentit ipse *Bald.in d § rectè, & Cy.
Bald. & Doct. in l.mandatum. C.mand.*
ubi dicit *Bald.in 6.col.in vers.deinde sta-
tim opponitur contra aliud*, quòd quando
mors est in forma mandati, ut quia man-
datur aliquid fieri post mortem, tunc non
finitur morte, sed incipit in morte: & ad-
do rationem, quia non debet quid finiri ab
eo capite, à quo debet incipere: quando
autem mors est in casu, sed non in forma
mandati, secus est secundum eum: & sic
intellige *l.fin.in fi.ff.de solut. & ita com-
muniter tenetur secundum Bald. ibi ita
etiã declarat gl. ordinaria in l. mortis cau-
sa, in §. Titia. ff. de donat. causa mort.*
In casu autem nostro mors est in forma
mandati, cum dicta quondam Gertrudis
præfato Domino Iohanni Scamp suo dũ
vixit marito consenserit, & mandatum
dederit, ut post mortem suam de bonis
suis disponeret, ut de proprijs, aut bona e-
jusdem quondam Gertrudis retineret, do-
nec & quousque summa inibi specificata
eidem à contradictoribus integrè per-
solveretur, & sic effectum mandati con-
tulit post mortem suam: ergo clarè pa-
tet, quod hujusmodi mandatum non de-
bet censeri, per mortem mandatricis ex-
pirasse: & per consequens dispositio d.
quondam Domini Iohannis mandatarij
debet sortiri effectum suum, *per allegatum
§ fin cum l. sequenti, juncto d.§ venditio-
nis, & alijs juribus suprà plenius allegatis.*
17 Nisi fortè dicatur, quod quia paria †
sunt aliquid fieri tempore prohibito, vel
fieri tempore permisso & conferri in tẽ-
pus prohibitum. *l.quod sponsæ.C. de do-
nat.ante nupt.* & dicta quondam Gertru-
dis non potuit de quondam suis bonis di-
sponere post mortem, ut clarum est: ergo
nec potuit in id tempus conferre disposi-
tionem in alterum in præjudicium hæ-
redum suorum ab intestato: quibus per
mortem fuit jus acquisitum in eisdem
bonis, ita quod facultas disponendi dicto
Domino Iohanni data restringatur, dum-
modo ipse in vita ejusdem Gertrudis, &
tempore quo ipsamet potuisset disponere
disponat, & utatur facultate sibi attributa,
& non aliter: Circa quod multa dici pos-
sent. Sed quid istis immoramur, cùm ces-
sante etiam testamento seu ultima volun-
tate codicillari dicti quondam Domini
Iohannis Scamp ac validitate ejusdem
clarum sit, jus dictorum reorum ex alio:
quod deduco per locum à sufficienti par-
tium enumeratione, quod argumentum
validum est & efficax in jure. *l.patre fu-
rioso.*

rioso.ff.de his qui sunt sui vel alien. juris, notat Bald. & Doct. in l. conventiculam. C.de episcop. & cler.cum infinitis simil.lib. Nam est hic considerandum, quòd bona per dictum quondam Dominum Iohannem Scamp temporibus suorum & uxoris suæ vitę, & decessus fuerunt, quantum proposito servit, in sextuplici differentia. Aut enim erant immobilia & stipalia, ex parte dictæ Gertrudis suæ uxoris ratione contractus matrimonialis aut titulo universali, ad eum devoluta : & in illis dicti executores hujus causæ defensores &, rei nihil juris unquam prætenderunt, sicut nec prætendunt, aut prætendere possunt : cum ipse quondam Dominus Iohannes Scamp in sua ultima codicillari voluntate apertè declaraverit, quòd illa ad hæredes dictæ quondam Gertrudis redire & devolvi debeant, prout etiam ab intestato debent. Aut erant immobilia & stipalia, ex latere dicti quondam Domini Iohannis titulo universali, vel aliàs legitimè ad eum devoluta, & proculdubio in illis dicti executores, ut & tanquã veri & indubitati hæredes ab intestato dicti quõdam Domini Iohannis Scamp, cessante etiam testamento, omni jure successerunt ab intestato : Nec quicquam juris in illis hæredes dictæ quondam Gertrudis prætendere possunt : cùm ab intestato eidem Domino Iohanni Scamp, aliquo consanguinitatis gradu non attineant, neque eisdem in testamento dicti quondam Domini Iohannis Scamp, quicquam in illis bonis relictum reperitur. Aut erant bona mobilia ad dictum quondam D, Iohannem Scamp ex morte parentum ejusdem aut aliàs legitimè devoluta, & in illis idẽ ut suprà eadem ratione. Tum etiam, quia in illis cessante testamento vel ultima voluntate dicti quondam Domini Iohannis Scamp presbyteri succederet reverendissimus Dominus Cameracensis, à quo dictus Dominus Iohannes de Vaddere cum suis litisconsortib. causam habet & actionem, & hoc si opus fuerit, prout non propter præallegata, lucidè probabitur. Aut erant bona mobilia ex parte dictæ quondam Gertrudis in subsidium matrimonij adportata, & in illis eidem quondam Domino Iohanni Scamp tanquam ejus marito & superstiti juxta antiquissimam & notoriam cõsuetudinem loci domus mortuariæ, & ferè totius patriæ Brabantiæ, plenum jus etiam quoad proprietatem statim per mortem ejusdem Gertrudis acquisitum fuit : & sic etiam in illis hæredes ejusdem Gertrudis nullum jus prętendere potuerunt neque possunt. Aut erant bona mobilia constante eorum matrimonio acquisita, & in illis idem eadem ratione. Aut erant bona immobilia ex bonis parentum, vel amicorum dictæ quondam Gertrudis vel aliunde, ad dictum quondam D. Iohan. Scamp, tanquam ad quemlibet extraneum titulo singulari, puta emptione devoluta, in quibus ipse solus inhæredatus est, & in illis similiter certum est nullum penitus jus hæredibus quondã dictæ Gertrudis competere posse hoc judicio universali, scilicet petitione hæreditatis, ex eo capite, quòd aliquando fuerunt parentum vel amicorum dictæ quondam Gertrudis, docto per reos, quòd illa non per medium dictæ quondam Gertrudis ratione successionis, & sic titulo universali ad eundem quondam Dominum Iohannem Scamp fuerint devoluta, sed titulo singulari emptionis tanquam ad quemlibet extraneum, ut hæc
18 sunt juris apertissimi, etiam si † dicta bona essent empta ex pecunia dictæ quondam Gertrudis : licet hoc casu daretur actio hæredibus ejusdem Gertrudis ad pecuniam, *tot.tit.Cod.si quis alter.vel si.* In casu autem præsenti non competit eisdem actio etiam ad pecuniam, cùm de denarijs ad Domin. Iohannem spectantibus sint & præsumantur de jure empta, & com-

& comparata, *juribus suprà allegatis*: quibus est addenda *gl. in §. est & aliud. Inst. de dona. quam Ludovi. de Roma in singularibus suis singul. 545. reputat singularem & mente tenendam.* Possit etiam hìc addi septimum membrum, puta de his bonis, ad quæ ipsa quondam Gertrudis constante matrimonio pervenisset, vel in quibus inhæredata fuisset cum extraneo mamburno de consensu sui mariti, & in illis possent hæredes ejusdem Gertrudis juxta consuetudinem loci jus prætendere, nec in hoc ipsi rei eis difficultatem aliquam fecerunt: sed quia illa nulla sunt vel pauca, omisi hoc membrum ponere inter alia membra. Concludendo ergo patet, quòd hæredibus quondam Gertrudis duntaxat jus competere potest in bonis qualificatis, ut in primo membro, & in hoc ultimo si quæ sint: & minimè in cæteris alijs. Cùm ergo ex suprà dictis & alijs hujus causæ actis & actitatis clarè constet de consensu dictæ quondam Gertrudis præstito quoad effectum testandi dicto quondam Domino Iohanni Scamp, cùm etiam de dispositione ejusdem Domini Iohannis Scamp subsecuta constet, neque appareat de consuetudine hujusmodi dispositionem vel similem reprobante: cùm etiam ex depositionibus testium pro parte impetrantium productorum non plus habeatur, quàm quod quondam dicta Gertrudis cessante testamento in bonis immobilibus acquisitis jus haberet de consuetudine loci, si & quantum ad illa ipsa devenisset cum extraneo mamburno & minimè aliàs, quam consuetudinem ipsi rei quatenus pro eis faciat, acceptarunt & acceptant. Videtur de jure dicendum, quòd cùm in dubio favorabiliores sint rei, quam actores: & cùm sit
19 † favendum parti stanti pro testamento *l. si pars ff. de inoffic. testa. & c. fin. de re jud. cum vulgar.* & maximè cum cessante etiam dispositione testamentaria reis jus competat ab intestato, ut in casu præsenti, ut supra dixi, *ar. l. hac consultissima. §. si quis autem C. de testa. cum si.* quod dicti executores hujus causæ rei & defensores per circumspectiones vestras ab impetitione prætensorum hæredum dictæ quondam Gertrudis impetrantes, quoad omnia bona mobilia & immobilia per dictum quondam Dominum Iohannem acquisita, & in quibus ipse inhæredatus est, & non dicta quondam Gertrudis cum extraneo mamburno cum sua voluntate, etiam si illa ex latere suæ pridem uxoris ad eum titulo singulari, sicut ad quemlibet extraneum pervenerunt, dummodo ad eum nomine suæ uxoris non pervenerunt titulo universali vel ex causa dotis, & similiter quoad omnia bona mobilia tam acquisita, quam alia, omni jure sunt absolvendi: & dicti prætensi impetrantes seu actores eisdem reis in expensis condemnandi: Judicio vestrarum circumspectionum, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM LXI.

SUMMARIA.

1 *Testamentum tempore pestis conditum coram duobus testibus valet.*
2 *Tempus belli & tempus pestis æquiparari solent*
3 *Propter imminentiam pestis receditur à jure communi.*
4 *Necessitas non subjacet legi.*
5 *In dubiis opinionibus tenenda est, quæ favet testamento.*
6 *Instrumentum carens substantialibus de jure requisitis, fidem non facit.*
7 *Testamentum, etiam militare, non valet,*

valet, nisi per duos vel tres testes probetur.

8 *Actore non probante, reus absolvitur.*

9 *Ecclesiis & viduis ita favere debemus, ne aliis injuriam faciamus.*

CAsus mihi transmissus, super qua consilium petitur, talis est. Quædam A. adversa valetudine laborans, Deo creatori suo per confessionem proprio curato factam reconciliata, coram dicto curato eodemque notario absque testibus, qui propter periculum pestis, qua dicta A. per vicinos putabatur infecta, haberi non poterant, attenta præcipuè angustia domus, in qua decumbebat, nullis relictis descendentibus nec ascendentibus, sed fratre & sorore duntaxat, suum condidit testamentum, extremamque ordinavit voluntatem, ac piam causam instituit, quàm siquidem extremam voluntatem præfata A. testatrix post decessum dicti curati cuidam B. quem executorem suæ ultimæ voluntatis deputaverat, declaravit, repetiit, ac manifestavit: quo facto post modicum intervallum, altissimo disponente, diem vitæ suæ clausit extremum.

Quæritur, an dicta pia causa ad agendum sufficienter sit munita. Et videtur quòd sic, auctoritatibus & rationibus infrà scriptis: tum primò auctoritate *Bal. in l. fina. C. de testam.* ubi tenet, quòd si
1 † testamentum fiat tempore pestis, quo tempore non possunt testes de facili haberi, valet testamentum cum minore numero septem testium, propter necessitatẽ: *argum. dict. l. fina. idem tenet Dominus Alexand. de Imol. in l. scriniarios. in ult. colum. per gloss. ibi. C. de testam.* ubi dicit, quòd tempore pestis valet testamentum conditum coram duobus testibus, nec distinguit, an sit ad piam causam, nec ne: & idem tenet *Florianus de Sancto Petro in l. milites, per illum text. C. de testam. milit.* idem etiam tenet *Rapha. Cumanus in l. conficiuntur, in § codicil. ff. de jur. codicil. ubi dicit, quòd ista est æquior & humanior sententia*: & loquuntur prædicti Doct. habito respectu ad dispositionem juris civilis. Cùm ergo de jure canonico, etiam cessante necessitate, sufficiant duo testes ad validitatem testamenti ad pias causas, ut est *text. singularis in cap. relitum. I. de testam.* ergo imminente necessitate propter periculum pestis, ita quòd testes duo uno contextu haberi non possunt, sufficere debent, ut videtur duo singulares testes diverso tempore adhibiti: ut quemadmodum detrahitur numero septem testium de jure civili requisitorum propter necessitatem, ut volunt *Doctor. in passibus suprà allegatis*: ita etiam detrahatur aliquid de jure canonico propter necessitatem, & servetur ut ita dicam, proportio sesqui altera, de qua *per gloss. in cap. fina 77. distinctio.* pro quo ultra præmissa facit *text. in l. fina. C. de testam mili. & in l. I. ff. de bonor. possess. ex testam. mili.* ubi existens in actu guerræ, dato quòd non sit miles, potest testari cum minori numero septem testium:
2 Cùm ergo † tempus guerræ vigentis inter homines, & tempus mortalitatis seu pestis æquiparentur: cùm tunc censeatur bellum inter Deum & homines, ut notat *Bart. in l. naturaliter, ff. de usucap. & canonistæ in c. ex transmissa, de præscript.* videtur idem servandum in uno, quod in alio, *arg. l. illud, ff. ad l. Aquil. cum vulgaribus*: pro ista parte etiam facit *C. de testam.* ubi propter necessitatem aliquid relaxatur de solennitate, inducendo illam, prout eam inducit *Domin. Iason in præ-*
3 *alleg. l. fi. C. de testam.* item facit, quia † propter imminentiam pestis receditur à jure communi, *l. de ætate, juncta l. præcedente*

dente cum ibi notatis, ff. ad Trebell. cap.
ad supplicationem, cum ibi notatis per gl.
de renun. & cap. cum dilecti, de dolo &
contumac. item facit illud vulgatum,
4 quia necessitas † non habet legem, nec
subjacet legi, *c. quod non est licitum, & ibi*
gl. bona de reg. jur. & l. 1. & ibi Bald. C.
de oper. liber. item facit, quòd necessitas
facit probabile illud, quod aliàs non esset
probabile, ut dicit *Bal. in l. si testam. ētum.*
C. de testam. præterea pro hac parte facit
illa communis *theorica Doct.* quæ habet,
quod ubi aliquid etiam pro forma & so-
lennitate actus requiritur, tamen propter
casum necessitatis valet actus gestus non
servata illa solennitate: unde videmus,
quod licet pro solennitate sententiæ re-
quiritur, quòd feratur judice sedente in
loco majorum, & aliter lata non valet, *l. si*
ut proponis, 2. C. quomodo & quando jud.
& l. pen. ff. de just. & jur. tamen alibi la-
ta metu periculi vitæ, puta super turri,
valet & tenet: ut est *glos. ordinaria in l. 1.*
& ibi Bald. & Doct. C. de sent. ex bre. re-
cit. & idem tenet gl. in cap. fi. in verbo, se-
dendo, de re jud. lib. 6. præterea pro hac
parte facit *decisio Ang. in §. quod autem,*
in Auth. de non alien. per illum text. in
verbo, aut etiam uno, si unum solùm civitas
habea. ubi determinat, quod stante statu-
to, quòd nullus contractus minorum vel
mulierũ valeat, nisi interveniant duo no-
tarij: tamen si tempore pestis non posset
haberi nisi unus notarius, valeret illo solo
interveniente, & *decisio ejusdem Ang. in*
l. si vacantia, C. de bo. vac. lib. 10. ubi de-
terminat, quod si sit statutum in civitate,
quòd non possit fieri testamentum, nisi
scribatur per notarium matriculatum: si
tempore pestis non reperiatur aliquis no-
tarius matriculatus, poterit fieri testamē-
tum per alium notarium non matricula-
5 tum: pro ista parte etiam facit, quia in †
dubijs opinionibus tenenda est illa, quæ
favet testamento, *l. si pars, ff. de inoffic.*
test. & *cap. fi. de re jud.* quia causa conser-
vationis testamenti concernit publicam
utilitatem, *l. vel negare, ff. quemad. testa.*
aper. facit etiam pro hac parte, quod ma-
gna est ratio, quæ pro religione vel pia
causa facit, *l. sunt personę, ff. de relig.* &
sumpt. funer. Istis tamen non obstantibus,
veritas est in contrarium: quod deduco
rationibus infrà scriptis. Primò, quia nu-
merus testium de jure civili requisitus nō
intervenit, nec etiam satisfactum est juri
canonico, requirenti in testamēto ad pias
causas ad minus duos testes integros, *di-*
cto cap. relatum. ergo pia causa debet suc-
6 cumbere. Nec suffragatur † instrumen-
tum de hujusmodi ultima voluntate con-
fectum, quia cùm non habeat inscriptio-
nem testium, careatque substantialibus in
instrumentis condendis requisitis, fidem
non facit: *juxta notata per Ioan. Fab.* &
Doct. in § item verborum, Institut. de in-
util. stipul. & in Authent. de instru. cau.
& *fin. circa principium.* Remanet ergo
duntaxat fides unius testis, puta dicti cu-
rati, cum tali, quali adminiculo resultante
ex declaratione postea facta coram dicto
B. quod certum est non sufficere, cùm u-
terq; in sua depositione sit singularis, nec
sint contestes, quare non probant, *ca. bonę,*
1. & *ibi Doct. de elec. cum simil.* Secundò
id idem deduco tali ratione: quia commu-
nis & vera *theorica gl.* & *Doct.* habet,
quod quantumcunque in testamentis mi-
litum, præsertim quando talia testamen-
ta fiunt in discrimine belli, hoc est, in cō-
flictu seu prælio, & sic subsistente maxi-
7 mo periculo vitæ, remissæ sint solennita-
tes juris civilis: tamen semper † subsistē-
te quacunque necessitate locum habent
solennitates juris gentium, ex quibus in-
ter cæteras illud est unum, quod in ore
duorũ aut trium, stat omne verbum, & sic
requiruntur ad minus duo vel tres testes,
per quos probetur talis ultima voluntas:
ita dicit *gl. ordinaria,* & *ibi Bar.* & *Doct.*

in l. 1. ff. de testa. mili. & glos. in dicta. l. milites, & *ibi Bar.* & *Paul. de Cast. Alex. de Imol. Iason* & *Doct.* & *est tex. notabilis in l. Lucius, in principio*, & *ibi glos. ff. de testa. mil. in illis verbis, ita tamen, ut hoc subsecutum esse legitimis probationibus ostendatur:* Ita etiam dico in proposito, aliàs dici posset piæ causæ, non deficit tibi jus, sed probatio juris, *l. duo sunt Titij, ff. de testa. tutel.* paria enim sunt, non esse, & esse, & non apparere, *l. in l. ff. de cōtrahen. emptio.* Cùm ergo pia causa hoc casu partes actoris sustinere deberet, ea non probante sufficienter fundamentum intentionis suæ, puta ultimam voluntatem dictæ A. deberet succumbere, & absolveretur
8 reus juxta vulgatam regulam actore † non probante reus absolvitur: cùm non simus in casu, in quo deferri posset juramētum, *juxta nota. per Bald. Salicet Paulum de Cast. Alexan.* & *alios in l. 2. C. de bonorum possess. secundum tab.* nec in casu, ubi uni soli creditur qui sunt multi, de quibus per *Spec. in tit. de teste, in §. restat, in versic. hoc tamen fallit*; & *per Ant. de Butrio. Felin.* & *alios in cap. veniens, de testib.* Nec tantus est favor piæ causæ, ut non constito de fundamento intentionis suæ pronuncietur pro ea in præjudi-
9 cium alterius: quia ita † sumus ecclesijs & viduis in justitia debitores, ut alijs injuriam facere non debeamus, *cap. nuper. de don. inter virum* & *ux.* & *cap. ex tenore. de fore competen.* Non debet etiam discooperiri unum altare, ut cooperiatur aliud, *cap. cum causam, de præb.* per quæ tollitur quicquid pro parte adversa allegatum est: quia omnia suprà allegata procedunt, quando de actu aliàs legitimè constat, saltem per duos testes, ut patet discurrendo per singula. Unde concludo, piam causam in casu præsenti non sufficienter munitam ad agendum: & ergo consultè faciet, *si juxta consilium jurisconsulti in l. 1. ff. de inoffic. testam.* sumptibus inanibus se non vexet. Si verò quid offeratur, cùm non jus sed probatio duntaxat ei deficiat, id capiat: & secum bene actum putet, uti fecit Paulus cum Græcis.

CONSILIUM LXII.

SUMMARIA.

1 *Alimentorum causa multùm est favorabilis.*

2 *Minor transigens vel renuncians alimentis, cum juramento etiam nihil agit.*

3 *Ad transactionem super alimentis quæ requirantur.*

4 *Transactio super his quæ pendent ex testamento, non valet, nisi inspectis cognitisque verbis testamenti.*

5 *Omissio solennitatis de jure requisita vitiat actum ipso jure.*

6 *Transactio super alimentis qualiter confirmari debeat.*

7 *Elegisse non censetur, cui facultas eligendi adempta fuit.*

8 *Renunciare juri quod sibi competere ignorat nemo credendus est.*

9 *Tacitum non debet plus operari quàm expressum.*

10 *Sententia conformis esse debet libello, sive petitioni.*

11 *Alimentariorum conditio quando melior vel deterior fieri censeatur, &c.*

PRior, ut vobis lucide constet de justitia sententiæ per Official. Cameracensem, in favorem Arnoldi Houtmans & Barbaræ van der Brande, latæ, & de frivo-

frivola appellatione ejusdem domicellæ Elizabeth, habet vestra circumspecta paternitas considerare infrà scripta. Et primò paupertatem & miserabilitatem dictæ Barbaræ, de qua per acta clarè constat: Secundo, quòd eidem Barbaræ ob hujusmodi miserabilitatem per suum patrem relictum est legatum annuum alimentorum, de quo per instrumentum testamenti in actis primæ instantiæ exhibitum etiam clarè constat: Tertio, quòd
1 legatum † alimentorum est multum favorabile, quia super alimentis potest procedi summariè, simpliciter, & de plano, *l. si quis à liberis, §. si vel parens, & ibi Bartolus, ff. de liber. agnosc.* & potest causa alimentorum expediri diebus feriatis, *l. 2. ff. de fer.* nec in ea requiritur litis contestatio, *Clement. sæpè, de verborum signific.* Quarto, quod super alimentis in testamento vel in ultima voluntate relictis non potest transigi sine auctoritate prætoris seu judicis: imò talis transactio est nulla, *text. est expressus in l. cum hi, in principio, ff. de transactio.* nec etiam valet compromissum factum super alimentis sine decreto prætoris: ita volunt *Spec. & Ioan. And. in tit. de arbit. in §. restat videre, in vers. sed nunquid compromissum super alimentis: & volunt Alber. Iason & Doct. in dict. l. cum hi, in princip.* imò fortius consuluit *Petrus de Anchar. in consilio 375.* ubi concludit valdè singulariter, quòd stante statuto, quòd contractus minoris cum juramẽto valeat: quod
2 si minor † transigat vel renunciet alimentis cum juramento, non valet quod per id ipsum factum est. Istud autem inductum est per legem ob publicam utilitatem, ne pauperes fame pereant, *secundum Pau. de Castro, in dicta l. cum hi, in princip.* In casu autem præsenti non intervenit auctoritas prætoris in ipsa transactione seu in compromisso, super quo dicta domicella Elizabeth se fundare videtur: ergo sequitur, quod hujusmodi transactio & compromissum nullius sunt momenti, *per*
3 *prealleg. jura.* Præterea auctoritas † prætoris sola non sufficit, quando transigitur super alimentis: & requiritur causæ cognitio, quæ fit circa tria, scilicet causam, modum, & personas transigentium, aliàs transactio nullius est momenti. Præterea enim ea res quærenda commissa est, non negligenda, nec donanda: ita dicit *text. ad literam in dicta l. cum hi, in §. vult igitur, & in §. si prætor:* quæ causæ cognitio hîc non intervenit, ergo, &c. Præterea, & si auctoritas prætoris & causæ cognitio intervenissent, prout non, tamen transactio super alimentis facta non extenderetur ad habitationem, vestiarium, vel calcearium, nisi specialiter auctore prætore super eis esset transactum, quod hîc factum non est: ita dicit *text. singularis in dicta l. cum hi, in §. qui transigit. & ibi Bar. & Pau. de Cast. Iason & Doct.*
4 Præterea non valet transactio † super his, quæ pendet ex testamento, nisi inspectis, cognitisque verbis testamenti, ut est *text. expressus in l. de his, ff. de transactio.* quod hîc factum non est: & quemadmodum non potest fieri transactio super alimentis, nisi auctore prætore, ita nec permutatio, *dicta l. cum hi. §. fina.* Restat modò respondere ad nonnulla motiva, quæ pro parte dictæ domicellæ Elizabeth adduci possent. Et primò non obstat transactio vel compromissum factum super alimentis in actis primæ instantiæ coram officiali Cameracensi petitis, per
5 ea quæ suprà dixi, quia omissio † solennitatis de jure requisitæ vitiat actum ipso jure. *præalleg. §. si prætor. & ibi Doctor.* Non obstat etiam si dicatur nihil aliud debet curare prætor, quàm quòd partes sint concordes, *l. 1. §. post operis, ff. de novi oper. nuncia.* Sed hîc partes semel fuerunt concordes, ergo non est curandum de hoc, quòd auctoritas prætoris non intervenit,

venit, Quia dico, prout dicit *dominus Iaſon in dicta l.cum hi. in princ.quod regula dictæ l. 1. §. & poſt operis, fallit in caſu noſtro favore alimentorum.* Non obſtat etiam, ſi dicatur, compromiſſum & laudum latum ſuper alimentis fuit confirmatum per legiſlatores oppidi Mechlinienſis, ergo omnia debent cenſeri ritè & legitimè acta, Quia reſpondeo dupliciter. Primò,
6 quòd hujuſmodi † confirmatio eſt nulla, ex quo facta eſt ſine cauſæ cognitione præcedente, verbaliter & generaliter duntaxat ac ex abrupto, ut ex verbis ejuſdem, de qua in actis primæ inſtantiæ, conſpici poteſt, & per conſequens nulla. *dicto. §. ſi prætor, & ibi Pau. de Caſtro, & Doct.* Etiam ex alio, quia dato, quod in ea cauſæ cognitio interveniſſet, tamen quia tranſactio in ſe fuit irrita & nulla, ex eo quòd in ea non intervenit auctoritas prætoris nec cauſæ cognitio, ut prædixi: confirmatio ſubſecuta non facit illam convaleſcere: iſta eſt *doctrina gloſſ. ordinariæ in ca. unico, ſuper verbo, irritum, de poſtul. prælat, lib. 6. & in cap. quam ſit, in finalibus verbis, de elect. eodem lib. & ibi Dominic. valdè notat illam gloſſ.* Non obſtat etiam ſi dicatur, prout ex adverſo dicitur, quod iſta non eſt propriè tranſactio, ſed ex duabus viis competentis unius ele-
7 ctio: quia nego aſſumptum. Nam † non dicitur electio, ubi facultas adimitur eligendi, ut in ſimili dicit *text. in cap. ubi periculum, ante fin. de elect lib 6.* Sed in caſu iſto, ut prædixi, adempta fuit dictæ Barbaræ facultas eligendi per viam tranſactionis ſuper alimentis ſibi per patrem teſtamentaliter relictis abſque auctoritate Prætoris per legem hoc ſtatuentem ob publicam utilitatem, ne pauperes vel membris deſtituti, quibus alimenta relinquuntur fame perirent, ergo non poteſt dici duarum viarum unius electio, cùm ut dixi iſta non pendeant à voluntate partium: Imò dato, quod partes milleſies fuiſſent concordes, tamen prætor pœnitente altera partium habet declarare actũ nullum, ob omiſſionem ſolennitatis de jure requiſitæ in ipſo actu tranſactionis, *dicto §. ſi prætor*: tum etiam ex alio, quia
8 nemo † credendus eſt renunciare juri, quod ſibi ignorat competere, *l. mater decedens, ff. de officioſo teſtament.* ſed dicta Barbara tempore prætenſæ tranſactionis, compromiſſi, ſeu diviſionis, ignoravit ſibi competere jus ad legatum alimentorum ſibi relictum, cum teſtamentum paternum non habuerit, neque ſciverit habentem: licet in confectione præſens fuiſſe dicatur, ut hæc medio juramento ſuo affirmare offert, ſi vobis venerande Pater neceſſarium videatur, prout non, propter præalleg. ergo, &c. Imo ſi acutius acta intueamur, non comperietur facta tranſactio ſuper legato alimentorum, ſed ſimpliciter facta diviſio & quitatio hinc inde: ex quibus non poteſt dici ſublatum
9 legatum alimẽtorum, cùm tacitum † non poſſet plus operari, quàm expreſſum, *juribus vulgaribus.* Non obſtat etiam, ſi dicatur, ſi dicta Barbara non teneatur ſervare hujuſmodi tranſactionem, ſed ea non obſtante poſſet habere legatum alimentorum ſibi relictum, ergo ipſa locupletaretur cum jactura & damno dictæ domicellæ Elizabeth, quod fieri non debet. *l. nam hoc natura, ff. de condit. indeb.* Quia reſpondeo dupliciter. Primo, quod dicta tranſactio valuit in præjudicium dictæ Elizabeth & ſuorum adhærentium gravatorum per eorum patrem, ad præſtandum alimenta dictæ Barbaræ claudæ & miſerabili perſonæ eorum ſorori: ſed non valuit in præjudicium dictæ Barbaræ alimentariæ, *dict. l. cum hi. §. ſi integra.* Si ergo dicta Elizabeth ſua culpa contra diſpoſitionem juris veniens damnum ſentiat, ſibi debet, non alij imputare *regula damnum, de reg. jur lib 6.* Præterea re-
10 ſpondeo ſecundo, & dico, quod † dicta allegatio

allegatio nihil facit ad propositum, quia actum est ad legatum alimentorum, non autem actum est vel conclusum ad repetitionem eorum, quę ex causa transactionis invalidæ & nullæ, seu verius ex divisione dicta Barbara consecuta dicitur: ergo super hoc non poterat pronunciari, vel sententia ferri: quia sententia debet esse conformis petitioni, *l. ut fundus, ff. communi divid. & ca. licet Heli, de simon.* Imò fatuus est judex, qui pronunciat super non petitis, *l. fin. C. de fideicommiss. libertat.* Nec potest dici, quòd conditio dictæ Barbaræ & sui mariti facta, est melior per hujusmodi transactionem seu divisionem, ex quo id quod illius prætextu dicuntur recepisse, consumpserunt & dilapidarunt: & quia verisimile erat eos id dilapidaturos: cùm ipsa appellans in responsione sua ad exceptiones in hac causa appellationis exhibitas confiteatur, appellatos semper delicatè vixisse, ac sua devorasse, & sic non potest dici, quod eorum conditio est facta melior. *text. est notabilis in dicta l. cum hi, in §. eam transactionem, & ibi hoc notat Pau. de Cast.* Concludendo ergo dico, sententiam primam tanquam justè latam, per vos debere confirmari, & appellantem in expensis debere condemnari: Iudicio vestro, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM LXIII.

SUMMARIA.

1 *Ascendentes in linea recta non succedunt descendentibus in feudo. Secus in collateralibus, qui semper succedunt in feudo antiquo & paterno.*

2 *Fœmina in feudo non succedit quandiu masculus extat ex eo qui primò acquisivit feudum, etiamsi illud sit fœmineum.*

3 *Quoto gradu collaterales in linea æquali distant à communi stipite, toto duplicato distant inter se de iure civili.*

4 *Quot sunt personæ collateralium in linea inæquali, stipite dempto, tot quoque sunt gradus.*

5 *Post fratres fratrumq; filios proximior in gradu remotiorem excludit in feudo paterno, secus in feudo novo.*

6 *Ius feudale vasallo mortuo continuatur in filiã absq; investitura.*

7 *Successio in feudis semper aspicit stipitem agnationis communis, & non alius.*

8 *Hæres non est melioris conditionis, quàm fuit is, in cujus locum successit.*

Super casu proposito, quo quæritur, an patruus in successione feudi, per & post decessum neptis sine liberis defuncti relicti, præferatur filio amitæ & filiæ propriæ. An econtrà filius amitæ patruo, & filia patrui ipsi patruo. Videtur mihi infrà scripto breviter de jure dicendum, quòd Raso de Lonchamp, qui est patruus dictæ quondam Mariæ de Lonchamp, per cujus Mariæ obitum, feudum vacavit, eidem Mariæ succedere debet, & etiam sine aliquo dubio præferri Annæ de Lonchamp dicti Rasonis seniori filiæ: ex quo ipse Raso est uno gradu proximior dictæ quondam Mariæ, juribus & rationibus infrà scriptis. Nec obstat *c. 1. in princ. 1. de natura. success. feud.* ubi
1 habetur, quòd natura † successionis feudi est talis, quòd ascendentes descendentibus non succedunt: Sed dictus Raso respectu

respectu dictæ quondam Mariæ est hujusmodi, quia patruus, & sic in linea collaterali ascendenti: ergo, &c. Quia respondetur, quod illud procedit in linea recta, in qua pater non succedit filio aut filiæ in feudo, ut ibi: licet in aliis bonis allodialibus, censualibus, aut similibus, pater benè succedat filio, *Authen. defuncto, C. ad Tertull. cum simil.* Sed in collateralibus, sive sint collaterales in linea transversali ascendente, ut in casu isto: vel ex linea transversali descendente, vel in linea transversali æquali, seu ex latere: semper habet locum successio in feudo antiquo & paterno, *cap. primo, § his vero, de grad. success. in feud.* cum ibi non distinguatur, ergo nec nos distinguere debemus, *l. de precio, ff. de publici.* & ita expressè *in dicto §. his verò:* tenet *dominus Iacobus de Alvarot. post Iaco. de Bel. & Docto.* & *est casus expressus in l. unica, in fine,* & *ibi Præpositus in tit. Imperator Lothar. Eug. Papę:* ubi text. planus, quòd patruus succedit nepoti: & sic ascendens in linea collaterali descendenti: & præfertur semper proximior remotiori post fratres fratrumque filios: ut est in casu præsenti, per *text. dicti §. his verò, juncta Auth. post fratres. C. de legit. hæred.* & ergo dictus Raso præferri debet sine aliquo dubio dictæ Annæ, ex capite suprà tacto: & tum ex alio, quia nunquam † succedit
2 fœmina in feudo, etiam si sit ejusdem gradus cum masculo, quàm diu extat masculus ex eo, qui primò feudum acquisivit, ut est *text. expressus in cap. 1. de success. feud. in usib. feud.* etiam si feudum sit fœmineum, vel ex pacto fœmina possit in eo succedere: quia id locum habet, nisi extet masculus, qui eam impediat: ut ibi est text. expressus: & vult *gloss. ordinaria,* & *ibi dominus Iacobus de Alvarotis* & *alij Doct. in dicto cap. 1. de natura success. feud. in usib. feud.* Præterea dico, quòd dictus Raso de jure etiam præferri debet præfato Iohanni de Spontin: quia dictus Raso, tanquam patruus præfatæ quondam Mariæ est uno gradu proximior dictæ quondam Mariæ suæ nepti, quàm est dictus Iohan. de Spontin, qui est filius amitæ dictæ quondam Mariæ, & sic in quar-
3 to gradu ei attinens: per regulam † collateralium in linea æquali: quoto gradu quis distat à communi stipite, toto duplicato de jure civili distant inter se vel sibi attinent. Sed dicta Maria & præfatus Iohannes de Spontin sunt collaterales in linea æquali, ut certum est, & quisque eorum distat à communi stipite secundo gradu, ut etiam certum est: ergo distant inter se quarto gradu. Præfatus verò Raso distat à dicta Maria ejus nepte duntaxat tertio gradu in linea inæquali, per
4 regulam † collateralium in linea inæquali, quot sunt personæ de quibus quæritur, stipite dempto, tot sunt gradus: ergo dictus Raso debet præferri: quia ut dictum est, post fratres fratrumque filios in collateralibus proximior in gradu semper præfertur. *dict. cap. 1. §. his verò, de gradu success. in feud. juncta dicta Auth. post fratres,* & *d. c. 1. de nat. success. feu.* & *ibi Alvarot. qui dicit, quòd istis casibus circa istas successiones idem ordo servatur, qui in legibus quò ad alia bona non feudalia continetur,* & *allegat bonum textum in ca. 1. ante finem, in tit. An illi qui inter fratrem domini sui.* Sed ita est de jure communi,
5 quòd † post fratres fratrumque filios proximus remotiorem excludit, *præalleg. Auth. post fratres, C. de legit. hęre.* ergo, &c. quod procedit in feudo paterno, quale est istud, cùm à communi parente puta Iohanne de Lonchamp, qui fuit stipes agnationis communis, processit *dicto cap. 1. §. his verò,* & *dicto cap. 1. de natu. success. feu.* In feudo autem novo frater fratri, vel agnatus agnato non succedit regulariter, sed revertitur ad dominum, *dicto § his verò,* & *in tit. qui feu. dare pos.*

§ quia

§. *quia vidimus, in fin. & in tit. de benefi-cio fratris, & qualiter frater fratri succe. cap. unico, cum similibus infinitis.* Nec obstat, quòd dominus Iohannes de Lonchamp, & etiam præfata quondam Maria ejus filia investiti non comperiuntur in dicto feudo, de quo nunc est quæstio:
6 quia in filijs † & descendentibus feudum acquiritur per successionem absque investitura: quoniam vasallo mortuo jus feudale continuatur in filium, *l. in suis, ff. de liber. & posthum. & l. 1 §. largius, ff. de success. edict.* Imò filius succedendo patri in feudo non dicitur illud propriè acquirere, sed potius acquisitum capere: cùm hæreditas patris sit sibi debita, ita in terminis nostris expresè determinat *glossa ordinaria, Bal. Iacob. de Alvarotis, & alij in cap. 2. in fine, de feud. cognit.* Ex quibus clarè patet, hujusmodi feudum paternum ad dictam quondam Mariam fuisse devolutum, & sic per ejus obitum illud vacare, & per consequens dictum Rasonem ejus patruum debere præferri dicto Iohanni de Spontin ejus amitino: quia ipse Raso est uno gradu, ut præmittitur proximior. Quod si fortè diceretur hic agi de successione dicti quondam domicelli Iohannis de Lonchamp, avi præfatorum Mariæ & Iohannis de Spontin, prout revera dici debet, per regulam quæ habet
7 quod † in feudis successio semper aspicit suum stipitem, & non alium qui non est stipes agnationis communis: ut est *text notabilis in dicto cap. unico. § his verò, & ibi Bal. Præpositus & alij*, & per regulam quæ habet, quòd stipiti usque in infinitum potius dicitur succedi, quia ipse feudum acquisivit, quàm ultimo morienti, in cujus feudum nunc subintratur, & per cujus obitum feudum nunc vacat, ut vult singulariter *Cald. in Rub. de feud. consilio 13. quem refert & sequitur Præpositus in cap. 1. §. & quia, in quarta col. de his, qui feudum dare pos. & est de mente ejusdem Præpositi in c. unico, in 2. col. de vasal. decr. ætat.* tunc adhuc fortius Raso præferri deberet præfato Iohanni de Spontin: Tum quia filius, & sic uno gradu propinquior: Tum quia masculus, & sic potior dicto Iohanne de Spontin, qui descendit ex fœmina: & sic quemadmodũ illa succedere non potuit in dicto feudo, quamdiu frater masculus ejusdem gradus extitit: ita nec ipse Ioannes ex ea descendens, *per jura superius allegata:* & *per c. 1. de his, qui sibi vel heredib. suis masculis vel*
8 *fœminis.* Nam † debet ipse esse ejusdem juris & conditionis, cujus fuit ejus mater, cujus est hæres. *leg. hered ff de reg. juris.* Tum etiam, quia dictum feudum nunquã fuit ad matrem dicti Iohannis de Spontin devolutum: quia ipsa, ut ponitur in casu, decessit ante dictum domicellum Iohannem de Lonchamp, ejus patrem, & similiter ante dictum dominum Iohannem de Lonchamp ejus seniorem fratrem: & sic non potuit plus juris transmittere ad dictum Iohannem de Spontin ejus filium, quàm ipsa fuisset habitura si vixisset, *juribus vulgaribus.* Sed ipsa si vixisset, vel hodie viveret, nihil juris in dicto feudo de jure scripto feudali prætendere posset, obstante dicto Rasone ejus fratre masculo, *per præallegata*, ergo, &c. Et sic licet hic tractetur de admittendo transversali, puta Rasone patruo ad feudum vacans per mortem transversalis, puta Mariæ neptis dicti Rasonis: tamen quia iste Raso transversalis descendit ex primo auctore seu stipite agnationis communis potius ipse dicitur succedere ascendenti, puta stipiti vel patri suo quàm dictæ Mariæ collaterali defunctę: & sic non obstat. *dict. ca. 1 in princip. de natu. success. feud.* quia non habet locum in feudo antiquo, *secundum Prepositum in dicto cap. unico, de vasal. decr. æta.* Concludo ergo, dictum Rasonem in præfato feudo cæteris debere præferri.

CONSILIUM LXIV.

SVMMARIA.

1 *Promissio facta à carcerato in favorem incarcerantis vel participis etiam nulla est, maximè quãdo incarceratio est injusta.*

2 *Delinquens ubi sit puniendus.*

3 *Appellatione pendente nihil est innovandum.*

4 *Factum per me censetur illud quod meo nomine meaq; voluntate factum est.*

5 *Submissio tertiæ personæ fraudem non minuit, sed arguit.*

6 *Damnum dare videtur dans occasionem damni.*

CAsus, super quo consilium petitur, talis est: Titio diffamato de certo prætenso crimine in civitate Tornacensi sub ditione regis Franciæ existente, per eundem ut prætenditur commisso, per præfectum loci & quosdam alios assignata fuit domus propria pro carcere: à quo per eundem Titium fuit ad parlamentum Franciæ appellatum, qua pendente, dictus Titius existens in territorio Insulensi regi Franciæ, quò ad causas appellationum duntaxat subjecto, & de territorio sive jurisdictione dictæ civitatis Tornacensis aut regno Franciæ aliàs minimè existente, per quendam Seium subditum domini Archiducis absq; mandato regis Franciæ vel dictæ civitatis captus fuit, ac captivus ad castrum de Huesten ductus, non obstante quòd dictus Titius allegabat dicto Seio captivanti, se ad dictam curiam parlamenti appellasse, & se esse in debita prosecutione ejusdem: In quo siquidem castro dictus Titius per 15. Menses vel circiter in duro carcere detẽtus fuit, adeò quod nemo suorum amicorum sibi loqui potuit, vel ipse ad eos scribere, sibique Titio instanter postulanti semper audiẽtia & justitia denegata fuit. Tandem defuncto domino de Nassou, dictus Sejus suis complicibus in prætenso jure, quod præfatus dominus de Nassou, sibi contra dictum Titium captivũ competere prætendebat, per dominum Archiducem fuit surrogatus, quod videns dictus Titius, ac de justitia sibi fienda quàm diu in carcere esset, verisimiliter dubitans: Rogavit fratrem suum, qui eum in carcere existentem visitavit, quatenus laboraret, ut audiri posset in jure, & sibi in justitia ministrari: aut cogitaret de alio medio, quo à carcere liberari posset, qui frater non videns aliud remedium liberandi eundem Titium à carcere, nisi cum dicto Seio & suis complicibus componeret: dicto Seio & suis complicibus nomine sui fratris causa redimendi eundem Titium à carcere, certam summam pecuniariam infra certum terminum exolvendam promisit, ac desuper chirographum suum eisdem tradidit.

Quæritur, an hujusmodi promissio de jure sit valida, nec ne, & an dictus Titius damna occasione dictæ capturæ sustenta à præfato Seio & suis complicibus recuperare posset. Et quantum ad primum, omissis superfluis, videtur nobis infrà
1 scriptis, quod prætacta promissio † sic ut præmittitur facta, de jure est invalida nulliusque roboris vel momenti, *per text. clarum in l. qui in carcerem. digest. quod met. causa*, ubi est text. apertus, quod promissio facta à carcerato, in favorem incarcerantis est nulla, non autem annullanda, ut regulariter sunt gesta per metum, quia regula, quod gesta per metum tenent & sunt rescindenda, fallit in hoc casu: ut vult notabiliter *Panormitanus in cap. Abbas, in 12. fallentia quod metus causa,*

*causa, ad hoc allegans dict. l. qui in carce-
rem, quę idem apertè vult, cùm dicit, nul-
lius momenti.* Et istud procedit, nedum
quando promissio extorta est per incar-
cerantem, sed etiam quando per partici-
pem, ut vult *gl. in dicta l qui in carcerem,*
& *probatur in l. non interest. C. quod met.
causa,* & procedunt præmissa, quando in-
carceratio est injusta, prout fuit in casu
nostro: quod sic deducitur. Nam, ut ex
2 casu patet, dictus Titius non † fuit sub-
ditus carcerantis ratione delicti vel domi-
cilij, & ergo per eum capi nō potuit: quia
de prætenso delicto alibi commissò per
eum, puniri non potuit, cùm sub dicto
Seio domicilium non habuit, ut volunt
Bal. Salic. & *communiter Doct in l. 1. post
gloss. ibid. C. ubi de crimin. agi opor.* Præ-
terea dato, quòd subfuisset ratione domi-
cilij, tamen ante capturam constare de-
buisset de delicto, ut volunt *Archid. &
Ioan. Andr. in novella, in cap. clericos, de
sent. excom. lib. 6. in verbo, commissos:* &
*vult Bald. in l. quod evitandi, in fin. C. de
condic. ob turp. causam, de quo non consta-
3 bat.* Præterea dictus Titius ante † ca-
pturam & incarcerationem appellavit, &
se pro appellante gessit, ut in themate.
Sed appellatione pendente nihil est inno-
vandum. *l. 1. & per totum, ff. nil no. ap.
pen. & cap. non solùm, de appel. lib. 6. cum
similibus.* Item præventa fuit jurisdictio
dicti Seij, etiamsi aliquam in præfatum
Titium habuisset, quare sequitur, quòd
hujusmodi incarceratio fuit injusta: ubi
enim cœptum est judicium, ibi finem ac-
cipere debet, *l. ubi cœptum, ff. de judi.
etiam in criminalibus. d. l. 1. in verbo, in-
choata sunt. C ubi de cri. ag. opor. c propo-
suisti, de for. compe.* & *l. si quis postea ff de
jud. cum si.* & per consequens promissio
facta dicto Seio fuit & est nulla. *dicta l.
qui in carcerem.* Nec obstat *l. si mulier, in
princ. ff. quod met. causa:* quia ibi revoca-
tio in servitutem fuit justa, & ergo pro-
missio ad eam tollendam admittitur & est
licita, *secundum Doct. ibi & volunt Doct.
in d. l. qui in carcerem.* Sed in casu nostro
captura fuit injusta & injuriosa, ut su-
prà deductum est, & ergo promissio ex-
torta non immeritò est nulla. Nec obstat,
4 si fortè dicatur, quòd in † casu præsenti
promissio non fuit facta per incarceratū,
sed per ejus fratrem. & sic debet valere,
l metum. §. sed licet, ff. eod. tit. Quia re-
spondetur, quòd cùm in casu præsenti hu-
jusmodi promissio fuit facta incarceranti
nomine carcerati, & ob deliberationem
ejusdem, perinde haberi debet, ac si facta
fuisset per ipsum carceratum: quia quod
fit meo nomine & mea voluntate, per me
fieri videtur, & perinde habetur, ac si per
me fuisset factum, & nullo modo cense-
tur factum per tertium: *text. est optimus
in l. in ædibus. § quod filius,* & *ibi Paulus
de Cast. ff. de donat.* In casu autem *dicti
§. sed licet,* facta fuit promissio à carcera-
to tertio, qui vim non submisit, ut eun-
dem liberaret, quæ valet: quòd si ille
tertius vim submisisset, non valeret, ut
ibi: in casu autem præsenti, dictus Seius
vim submisit, ut in themate: ergo pro-
missio ad ejus utilitatem facta nomine in-
carcerati non debet sibi prodesse. Ex alio
capite etiam non prodest dicto Seio, quod
tertius sibi promissionem fecit: quia sub-
5 missio † tertiæ personę fraudem non mi-
nuit, sed arguit: *argum. l. si per impressio-
nem. C. quod met. causa.*

Concluditur ergo, quod dicta promis-
sio fuit & est nulla, aut saltem rescinden-
da. Quo verò ad secundum, respondetur
breviter: quod dictus Titius recuperare
potest damna, occasione hujusmodi ca-
pturæ sustenta: quod deducitur primo
6 per regulam, qui † occasionem damni
dat, damnū dedisse videtur. *l qui occîdit.
§. fin. ff ad legem Aquil. & cap. sicut no-
bis, & ibi gloss. & Henric. Boick, de testib.*
Præterea istud probatur per *l. si merces,*

in § culpæ, cum sua gloss. ff. loca. ubi plus probatur, scilicet quod patior damnum à tertio ex culpa tua, recupero damnum sustentum à te, & in *l. pen. in principio, ff. soluto matrimonio,* fortius ergo recupero, quando patior damnum pro te facto tuo damnato & injusto. præterea de isto est casus ad literam in *l. penult. ff. de calum.* & sic de hoc dubitari non debet: ubi enim est casus legis, ibi nulla est dubitatio. *l. ancillæ, cum gloss. & ibi Bald. C. de furtis.*

CONSILIUM LXV.

SVMMARIA.

1 *Merces venales an sint hypothecatæ uxori pro donatione propter nuptias.*

2 *A verbis contractus recedendum non est.*

3 *Mulieri non competit actio, etiam pro dote sua consequẽda in mercibus venalibus per maritũ mercatorem prius alienatis.*

4 *Dos majora habet privilegia, quàm donatio propter nuptias.*

A & B. conjuges inter tractandum de futuro eorum matrimonio, inter alia voluerunt, quòd præcedente dicto A. præfata B. ex omnibus bonis quæ post mortem dicti A. remanerent, haberet & consequeretur annuatim quamdiu viveret pro sua duwaria unam libram grossorum monetæ Flandriæ. Ex post, solennisato hujusmodi matrimonio, præfatus A. mercator cum pluribus contraxit, & inter cæteros cum quodam C. cui ex resta majoris summæ in novem libros grossorum similis monetæ legitimè obligatus fuit, pro cujus C. securitate, præsentibus & astantibus scabinis loci de Valkenesse, eidem in solutum dedit quasdam species res seu merces venales, vulgariter nuncupatas meæ, jacentes in fundo conducto per eum à præfato C. & in subsidium casu quo præfatæ species res seu merces venales non sufficerent, assignavit ac dedit in solutum eidem, præsentibus quibus suprà, species res seu merces venales vulgariter nuncupatas meæ, jacentes in terra matricis ecclesiæ de Valkenesse, nihil juris sibi in illis retinendo: super quo confectæ sunt literæ scabinales. Mortuo autem dicto A. præfata B. nisa est impedire præfatum C. quo minus dictas species res seu merces venales consequatur & habeat, ac de eis pro libito suæ voluntatis disponat, nisi sibi de sua duwaria satisfiat, asserens omnia bona dicti A. pro sua duwaria fuisse obligata: Resistit autem dictus C. dicens dictas res species seu merces venales in eum legitimè ante mortem dicti A. fuisse transportatas: & ergo dictam B. in illis jus prætendere non posse. Quæritur, quid juris. In quo dubio videtur prima facie, quòd dicta B. benè est fundata. Nam præsupponitur in the-
1 mate, quòd dictæ † res species seu merces venales fuerunt aliquando dicti A: & sic videntur in hypotheca comprehendi competente dictæ B. pro sua duwaria, ex dispositione juris. *l. unica, in principio C. de rei uxo. act. & l. assiduis. C. qui potio. in pigno. hab. & l. qui res, in principio. ff. de solutio. juncta l. & quę nondum, in § quod dicitur. ff. de pign.* In contrarium tamen est veritas: quod deduci-
2 tur ex duobus, primò ex † verbis contractus antenuptialis, à quibus non est recedendum. *l. non aliter. ff. de lega. tertio,* habent enim verba contractus antenuptialis, quòd dicta B. consequeretur duwaria unius libræ grossorum ad & suprà omnia bona remanentia post mortem dicti A. ut ponitur in themate, sed dictæ res species seu merces venales datæ præfato C.

fato C. in ſolutum, non erant hujuſmodi, ex quo dictus A. nullum ſibi jus in illis retinuit: patet ergo clarè, hujuſmodi res ſpecies, ſeu merces venales ſub dicta obligatione non comprehendi: ſed ſolùm illa, quæ poſt mortem dicti A. in bonis ejus reperta fuerunt. Secundò iſtud deducitur ex alio, dato etiam quod verba contractus antenuptialis haberent, quod dicta B. ex omnibus bonis ipſius A. pro ſua duwaria conſequi deberet unam libram groſſorum Flandriæ abſque pluri: tamen adhuc dictæ res ſpecies, ſeu merces venales dicto C. in ſolutum datæ, & ſic in bonis dicti A. tempore deceſſus ejuſdē non exiſtentes non cōprehenderentur, & ſic dicta B. in illis nullum jus prætendere poteſt. Nam firma eſt theorica Doctor. quòd mulieri † non competit a-
3 ctio, etiam pro dote ſua conſequenda, in rebus mobilibus ſeu mercibus venalibus, per maritum mercatorem prius alienatis, ſeu in alium tranſlatis. ita volunt. *Iacob. de Aretio, & Cyn. in cap. ubi adhuc, in 15. quæſtione. C. de jure dot. & Salicet. ibidem in 11. quæſtione, & Bald. ibidem in quinta colum. & Bart. in repetitione. l. ſi conſtante, in tertia quæſtione tertiæ queſtionis principalis. ff. ſoluto matrimonio,* pro qua doctrina eſt *bonus text. in l. cum tabernam, in principio, ff. de pign.* Cùm ergo in caſu præſenti dictus A. fuerit mercator, & per prius tranſtulerit dictas res ſpecies ſeu merces venales in dictum C. ſequitur quod dicta B. injuſtè impedit dictum C. quo minus de dictis rebus pro libito ſuæ voluntatis diſponere poſſit. Et tantò fortius illud eſt dicendum in caſu
4 præſenti: quia † non ita privilegiata eſt duwaria ſive lucrum antenuptiale, ſicut dos: quòd mulier agens de dote, certat de damno vitando: ſed cùm agit pro duwaria, certat de lucro captando, *præalleg. l. aſſiduis. circa finem.* Jam multum differunt damnum pati, & lucrum non capere. *l. fina. C. de codicil.* & ſic ex alio capite dictus C. qui certat de damno vitando, præferri debet dictæ B. certanti de lucro captando, *argum. l. ſi univerſæ. C. de lega. cum ſimilibus.* Nec obſtant jura pro prima parte adducta: quia illa recipiunt limitationem, ut non procedant, quando maritus eſt mercator, & prius tranſtulit res mobiles ſeu merces venales in tertium: quia tunc id videtur tacitè actum ex qualitate perſonarum, *dicta l. tabernam, ut volunt Doct. in paſſibus ſuprà allegatis*: prout eſt in caſu noſtro.

CONSILIUM LXVI.

SVMMARIA.

1 *Ius cognationis non tollitur, maſculo ex ſexu fœmineo interveniente.*

2 *Actore non probante jus ſibi competere, reus etiam injuſtè poſſidēs abſolvendus eſt: & num. 4.*

3 *In feudo novo non ſuccedunt collaterales.*

QUidam Wilhelmus de Beveren poſſedit uſque in finem vitæ ſuæ quoddam officium dictum, **een Schrootambacht** in oppido Dordracenſi, in partibus Zuythollandiæ hæreditario jure gratia & conſenſu Principis: qui Wilhelmus de Beveren habuit tres proles, Nicolaum, Jacobum, & Barbaram. Item poſt mortem ejus ſucceſſit ei in officium prædictū Nicolaus de Beveren primogenitus vigore naturæ & conditionis ejuſdem officij **Schrootambacht**: qui Nicolaus reſignavit illud jus hæreditarium, & ſuſcepit illud in feudum à principe, pro ſe & hæredibus ſuis ſimpliciter. Item, poſt mortē dicti Nicolai primi vaſalli dicti feudi ſucceſſit in prædictum feudum domicella

Zueta de Beveren unica filia ejus. Item post obitum domicellæ Zuetæ, successit Wilhelmus de Brakel etiam unicus filius ejus: Item iste Wilhelmus obiit absque prolibus, relictis post se magistro Wilhelmo de Beveren filio Iacobi de Beveren prædicti, propatrui sui, & magistro Cornelio Henrici filio Barbaræ prætactæ proamitæ suæ. Item defuncto dicto Wilhelmo de Brakel, dictus magister Wilhelmus de Beveren fuit missus in possessionem dicti feudi, prout adhuc dictum feudum possidet: Tandem post præmissa dictus magister Cornelius Henrici coram hominibus feudi in curia Hollandiæ movit litem contra dictum magistrum Wilhelmum de Beveren, de & super feudo prætacto: & dicti domini per eorum sententiam pronunciarunt contra dictum magistrum Wilhelmum, ac pro & in utilitatem dicti magistri Cornelij. Quæritur à nobis infrà scriptis, an dicta sententia fuerit & sit justè lata, & an alicui vel neutri dictarum partium jus in prætacto feudo competat, & cui. Antequam ad istius quæstionis decisionem perveniatur, præmittendum est, quòd uterque litigantium, tàm dictus magister Wilhelmus de Beveren, quàm dictus magister Cornelius Hẽrici est cognatus dicti Wilhelmi de Brakel, per cujus mortem di-
1 ctum feudum vacavit: quia uterque † ei attinet per sexum fœmineum, puta per Zuetam: & licet pro parte dicti magistri Wilhelmi de Beveren masculus mediavit & intervenit, nõ minus tamen est cognatus, ut est *tex. expressus in §. sunt autẽ agnati. Instit. de legit. agn. succes. ibi glossa expressa super verbo agnati.* Respondendo jam ad primam partem quæsiti, videlicet an prætacta sententia, quæ fuit & est lata pro dicto magistro Cornelio Henrici contra dictum magistrum Wilhelmum de Beveren sit justè lata, dicendum breviter videtur nobis infra scriptis, quòd hujusmodi sententia non fuit justa, sed
2 omnino injusta: quia † ut infrà deducetur, dicto magistro Cornelio Henrici actori originali in dicta prima instantia nullum jus competijt, neque competit de præsenti in prætacto feudo: & ut ex casus positione nobis deductum est, & dicitur constare apud acta, dictus magister Wilhelmus de Beveren fuit & erat & adhuc est in possessione dicti feudi. Cùm ergo actori nullum jus competijt in dicto feudo, nec potuit probare, nec probavit sibi aliquod jus in eodem feudo competiisse, sequitur quòd dictus magister Wilhelmus originalis reus debuisset de jure absolvi ab impetitione dicti actoris, prout adhuc per sententiam diffinitivam in causa appellationis absolvi debet, etiam si constaret eum injustè possidere: *per text. expressum & & clarum in l. fina. C. de rei vendic.* dictus enim magister Wilhelmus originalis reus liberas ædes habuit quo ad dictum magistrum Cornelium Henrici, ut in simili dicitur in *l. loci corpus. §. competit. ff. si ser. vend.* & ex hoc sequitur, quod judices primæ instantiæ injustè adjudicarunt dicto magistro Cornelio Henrici prædictum feudum. Quantum verò ad secundam partem quæsiti, videlicet cui dictorum litigantium jus competat, vel an neutri competat: dicitur breviter, deducen-
3 do primò quod nullum † jus competijt in dicto feudo dicto magistro Cornelio Henrici actori originali in dicta prima instantia, & quod ergo non potuit justè ei dictum feudum adjudicari: quod patet, quia Nicolaus de Beveren primo prætactum feudum à principe pro se & hæredibus suis acquisivit, & sic dictus Nicolaus fuit de novo beneficio investitus: & dictus Nicolaus fuit avus maternus dicti Wilhelmi de Brakel, dictus autem Wilhelmus de Brakel decessit sine prole legitima, & mater magistri Cornelij

Henrici

Henrici unius contendentium & originalis actoris primæ instantiæ fuit proamita dicti quondam Wilhelmi van Brakel, & ergo mater dicti magistri Cornelij, & ea defuncta dictus magister Cornelius non potuerunt, nec possunt in dicto feudo succedere: sed reversum est ad dominum: *per textum clarum & expressum in tit. de gradib. succes. in feud. §. his verò deficientibus, in versiculo, sic enim Titij avus*: quia dictus magister Cornelius Henrici actor originalis non descendit à dicto Nicolao van Beveren, qui ut præmittitur primo dictum feudum acquisivit, ut ibi habetur: & sic ad eum venire ex successione non potest. Et ex eadem ratione videtur nobis, quod etiam nullum jus competijt, neque competit in dicto feudo prætacto magistro Wilhelmo van Beveren, & sic dictum feudum reversum est ad dominum, *d. §. his verò deficienti-*
4 *bus*. Tamen, ut † præmissum est, ex quo dictus magister Cornelius fuit actor originalis, & nullum jus sibi probavit competere, dictusque magister Wilhelmus fuit reus originalis & possessor, debuit prout adhuc debet ab impetitione originali dicti magistri Cornelij Hērici per sententiam diffinitivam absolvi, & per vos pronunciari benè fuisse appellatum, & malè fuisse sententiatum & diffinitum: *per d. l. fin. C. de rei vendicat. cum similibus*. Actore enim non probante, reus debet (etiam si nihil præstiterit) absolvi. *l. qui accusare, C. de eden. & cap. fin. & ibi Doct. canonistæ de jurejurando*.

CONSILIUM LXVII.

SVMMARIA.

1 *Clericus crimen Sodomiæ committens, qualiter puniendus.*

2 *Judex de pœna non capitali, capitalem facere nequit, etiamsi arbitrio ejus relicta sit.*

3 *Pœnæ propter scandalum & frequentiam delicti augeri solent.*

4 *Pœnæ in dubio molliendæ potius sunt, quàm exasperandæ.*

VEnerabilis Domine Officialis, vidimus, legimus, & cum animi dolore ponderavimus articulos, per promotorem curiæ vestræ Domino Rumuldo Luytens presbytero de crimine Sodomiæ diffamato impositos, confessionemque ejusdem ac responsionem ad illos: qua attenta videtur nobis subscriptis, matura desuper habita deliberatione, communicatoque sæpius super hoc consilio: quòd
1 dictus presbyter † actualiter degradari & curiæ seculari tradi non debet de jure: Sed pœna depositionis verbalis seu amotionis à clero, & canone *per cap. clerici, de exces. prælato.* imposita, cujus depositionis verbalis effectus, ut scitis, multiplex est, percelli potest & debet: qua judex ordinarius contentus esse deberet, nisi frequentia delicti, diuturnitas temporis, & scandalum populi, pœnam canonis augeri suaderent: in quo judici ar-
2 bitrium datur, † *juxta ea, quæ habentur & notantur in l. si severior. Cod. de his, qui notan. infam. & in l. quid ergo, in §. pœna gravior. ff. eo. & plenè per Henric. Boick in cap. in Archiepiscopatu, de raptor.* non quidem, ut ex suo capite de pœna non capitali, capitalem faciat, quod nullo modo potest, ut benè declarat *Dominus Felinus in cap. ex literis, in* 13. *colum in quarta declaratione de con-*
3 *stitut.* Sed ut ultra pœnam juris communis, † quod depositionem verbalem imponit *d. cap. clerici, cum ibi notatis, per Hostiensem, Ioan. Andr. Anton. de Butrio, Panormitanum, & Doct.* eundem ad pœnam perpetui carceris pro

pro pœnitentia, in pane doloris, & aqua angustiæ peragendæ condemnet, maximè cùm secundum communem opinionem glos. & Doctor. à qua in judicando non est recedendum, *juxta notam Ioan. Andr. Panorm & Doct. in c. 1. de constit.* casus iste non reperiatur inter casus degradatione actuali dignos, & quod amplius est, specifica pœna hoc casu clerico imponitur, *præallegato cap. clerici*: ultra quam, si addatur perpetuus carcer, cessabit scandalum, & satisfiet nedum juri, sed rigori ejusdem: quia augetur pœna propter scandalum & frequentiam delicti. Nec videtur nobis ad degradationem actualē & traditionē fiendam curiæ seculari procedēdum, nisi in casibus in jure expressis, sanctissimo domino nostro Papa in consulto, etiam ubi pœna specifica imposita non esset: ut expressè determinat *Dominus Andreas Siculus in cap. at si clerici,*
4 *de judic.* & tantò minus, quia in † dubio pœnæ sunt molliendæ magis, quàm exasperandæ: & melius est argui de nimia misericordia, quàm de nimio rigore, *juribus vulgaribus*, maximè cùm sanctissimus Dominus noster Papa *in cap. novimus, de verborum signif.* consultus super crimine falsitatis literarum apostolicarum, pro quo à canone imponitur pœna degradationis actualis & traditionis curiæ secularis, *cap. ad falsariorum, de crimine fals.* consulit, hujusmodi falsarium sceleratum in perpetuo carcere ad agendum pœnitentiam in pane doloris & aqua angustiæ detrudi: & sic consulit pœnam à canone impositam minui: fortius ergo in casu præsenti degradatio actualis imponi non debet.

CONSILIUM LXVIII.

SUMMARIA.

1 *Appellatio ab interlocutoria fieri debet in scriptis, aliàs neque suspendit neque devolvit.*

2 *Sententia lata super appellatione ab interlocutoria, est interlocutoria.*

3 *Sententia, quòd appellans non potuit appellare, censetur interlocutoria.*

4 *Sententia lata super peremptoria exceptione quando habeat vim diffinitivæ, &c.*

5 *Rescriptum etiam surreptitium tribuit jurisdictionem, &c.*

QUæritur de duobus: primo, an ab interlocutoria lata per per Archiepiscopum, per quam declaravit, appellantem ab interlocutoria lata per officialem suffraganei, per quam certa proposita ad impediendum executionem sententiæ diffinitivæ prius latæ, quæ in rem transivit judicatam, exhibita tanquam impertinentia & inadmissibilia rejecta fuerunt, appellare non potuisse, vel tanquam appellantem recipiendum non esse, appellari posset viva voce: vel an necessario appellandum sit in scriptis à dicta interlocutoria Archiepiscopi. Secundo, an rescriptum super hujusmodi appellatione viva voce absque scriptis à dicta interlocutoria Archiepiscopi interposita à sede Apostolica impetratum, de cujus surreptione & obreptione per acta coram judice in eodem nominato exhibita notoriè constat, hujusmodi judici aliquam jurisdictionem tribuat: & si sic, an ne illa ope exceptionis, opposito de surreptione, & ea probata per acta elidatur: ita quod talis necesse habeat se judicem incompetentem declarare. Quantum ad
1 primum, videtur mihi subscripto, quòd à † dicta interlocutoria lata per Archiepiscopum, per quam declaravit, appellantem

lantem appellare non potuisse, necessariò fuit appellandum in scriptis, & quòd si duntaxat viva voce fuerit appellatum, quòd talis appellatio neque suspendit neque devolvit: quod sic deduco, quia certum est, quòd dicta sententia Archiepiscopi fuit interlocutoria: ita ad literam dicit *Henric. Boick in cap. in literis, circa principium, de offic. deleg.* & *Ioan. Monach. in cap. cupientes, in versic. quòd si per 20. in verbo, privatos, de elect. libro 6. & Gulliel. de monte Laud. in Clemen. fina. de appellat. & domin. Cosmas Guinner super pragmatica, in titu. contra fri. appell. in fine magnæ gloss.* ergo debuit appellari in scriptis, ut dicunt præfati *Doct. Henric. & Ioan. Monach. in passibus suprà allegatis. juxta cap. cordi, de appell. lib. 6.* Confirmo etiam istud *authoritate Bald. in l. cùm & minoris. C. si advers. rem judica. & authoritate ejusdem in Auth. hodie, C. de jura. cal.* in quibus locis dicit, quòd hujusmodi sententia quoad partes est interlocutoria: & idem clarius vult *in addit. ad Specu. in titu. de appellat. in versic. si judex pronuntiat*, ubi expressè dicit, quòd est appellandum in scriptis ab interlocutoria vim diffinitivæ habente:
2 & etiam dicit, quòd sententia † lata super appellatione ab interlocutoria, est interlocutoria: talis autem fuit sententia dicti Archiepiscopi. ergo, &c. Confirmo etiam idem *authoritate Felin. super rubro, de re jud. in princip. ult. col.* ubi formaliter dicit, quod omnis sententia tangens negocium principale, censetur interlocutoria, quantum ad *cap. 1. de appell. lib. 6.* quod disponit appellandum esse in scriptis, & allegat *decisio. Rotæ 135. quæ in meis est, 13. in novis*, quæ expressè dicit, quod in omni interlocutoria, etiã vim diffinitivę habente, observandum est *cap. cordi, pręalleg.* & sic appellandum in scriptis: & per hoc tollitur, quod ex adverso objici posset, videlicet, quod hujusmodi sententia archiepiscopi, licet sit interlocutoria, habet tamen vim diffinitivæ: quia id negatur: & quod non habeat vim diffi-
3 nitivæ adducitur in primis † *glos. ordin. in Clem. fi. de appel.* quæ dicit, quòd si pronuncietur, quòd appellans non potuit appellare, talis sententia interlocutoria: adducitur etiam *decisio Rotę, 432. in novis, & decisio Specu. & Bald. in passu suprà allegat.* Item esto, quòd haberet vim diffinitivæ, tamen adhuc appellandum esset in scriptis, *per dictam decisionem Rotę 13. quam sæpe refert & sequitur Milis in suo repertorio, in verbo, sententia, & per decisionem Bald. ubi suprà.* Nec obstat, quod *gl. d. Clem. fin.* subjungit, quòd sen-
4 tẽtia † lata super peremptoria, habet vim diffinitivæ. Quia dico, quòd *dicta gl.* non loquitur hoc modo, sed dicit, quod tunc sententia lata super peremptoria, habet vim diffinitivæ, quando pronunciatum est super peremptoria, quod obstat: & ita ibi eam declarat *Cardin. Florent. post Ioan. de Georgio*, qui dicit secus esse, si pronunciatur duntaxat super admissione vel rejectione exceptionis peremptoriæ: nihil autem ultra prædicta dicit *d. gl.* de sententia qua pronunciatur, quod appellans non potuit appellare: & sic *d. gl.* persistit in hoc, quod sententia per quam pronunciatur, quòd appellans non potuit appellare, est mera interlocutoria, ex quo sequitur, quod ab ea in scriptis est appellandum, *juxta d. cap. cordi*, quod servit proposito. Ex quibus omnibus concludo, prætenso judici nominato in hujusmodi rescripto virtute hujusmodi appellationis, viva voce interpositæ, & rescripti desuper impetrati, nullam penitus jurisdictionem competere.

Quo verò ad secundum dico: quòd si debitè & pertinenter in scriptis appella-
5 tum fuisset, tunc hujusmodi † rescriptum licet esset surreptitium, tribueret jurisdictionem, quę tamen per exceptionem eli-

deretur: ita voluit *Innoc. Host. Goff. Pan. & communiter omnes Doct. in c. cæterùm, de rescrip. & in c. ad audientiam, 2. eo. tit.* Cùm ergo de surreptione, ut in casu ponitur, objectũ est, & per acta fides facta: sequitur, quod elisa est jurisdictio, si qua dicto judici competijsset, prout tamen nunquam revera competiit, ex quo non fuit appellatum in scriptis, quod tamen fieri debebat, per suprà deducta. Concludo ergo, dictum delegatum in hujusmodi rescripto nominatum debere declarare, se judicem incompetentem, appellantemque in expensis appellati condemnare.

CONSILIUM LXIX.

SVMMARIA.

1 *Excommunicatus dicens sententiam in se latam esse nullam, ideoque ad cautelam se absolvi petens, an absolvendus, &c.*

2 *Excommunicatus pro manifesta offensa, non absolvitur ante satisfactionem seu sufficientem emendam.*

FUimus deinde consulti, an judex hujusmodi, cui absolutio ad cautelam recepta cautione idonea, &c. in forma communi committitur, posset hujusmodi absolutionem ad cautelam impendere præstita cautione idonea pignoratitia vel fidejussoria, non obstante, quod ex adverso objicitur, & per acta judicialia clarè probatur, quòd ipse impetrans pro re judicata per eum approbata, & de suo consensu fuit excommunicatus, seu in pristinam excommunicationem reintrusus. In quo prima facie videtur dicendum, quod sic, tenore hujusmodi rescripti attento. In contrarium est veritas, quia

1 absolutio † ad cautelam non est impendenda, quando objicitur, & infra octo dies probatur, quod excommunicatio lata fuit pro manifesta offensa, nisi realiter & effectualiter prius satisfactio fuerit impensa: *text, est ad literam in cap. solet, de sent. excom. lib. 6.* Sed in casu præsenti tempore latæ censuræ sententia ob cujus non paritionem impetrans de consensu excõmunicatus seu reintrusus, ultra plures annos in rem transivit judicatam, ut per acta judicialia clarè constare præsupponitur, ergo talis excommunicatio lata fuit pro manifesta offensa commissa in nõ obtemperando, imò temerè resistendo judici justè præcipientes, ut vult *gl. ordinaria & Doct. in d. c. solet*, & per consequens absolutio ad cautelam nullo modo est impendenda, nisi satisfactione impensa, & parito judicato, *d. c. solet*, ubi casus, & *cap. ex parte, 1. de verborum signif. & ibi Panor.* Nec obstat tenor rescripti, de quo suprà, in quo sanctissimus dominus noster Papa, committit absolutionem ad cautelam recepta cautione idonea, ergo illa præstita videtur satisfactum rescripto, & absolutio impendẽda, dummodo aliàs competat jurisdictio, cùm de voluntate Papæ circa hoc constare videtur. Quia respondetur, quod hoc procederet, nisi ex adverso objiceretur, & per acta judicialia clarè probaretur infrà tempus octo dierum, quod impetrans pro manifesta offensa fuit excommunicatus, *dicto c. solet.* Modo sic est, quod sanctissimus ad suggestionẽ impetrantis justè, ut præmittitur, de suo consensu excommunicati, falsè narrantis sententiam contra eum esse latam post appellationem per eum interpositam, & sic post appellationem interjectam, esse excommunicatum, tacentisque quod hujusmodi excommunicatio de suo consensu, postquam sententia contra eum lata, diu in rem transivit judicatam, fulminata fuit, commisit absolutionem ad cautelam recepta

cepta cautione idonea. Nec mirum, quia hoc casu si narrata vera essent, offensa pro qua lata fuit excommunicatio esset dubia, & sic ad obtinendum absolutionem ad cautelam sufficeret competens cautio, ut dicit *text. in dicto cap. solet, in tertio membro primi dicti*. Sed quia per acta judicialia clarè comperitur, quod sanctissimus fuit circumventus, & quod
2 excommunicatio † in casu præsenti lata fuit pro manifesta offensa de consensu impetrantis, laudantis, & approbantis sententiam contra eum prius latam, & quòd minimè lata fuit censura excommunicationis post appellationem per eum interpositam, quam etiam postea interponere non potuit, ex quo de suo consensu censura, ut præmittitur, fulminata fuit: ut vult *Panormitanus & Doctor. in cap. P. & G. de offic. delega.* apparet manifestè, quòd non sumus in casu rescripti, sed in casu *d. cap. solet*, in secundo membro primi dicti, puta, quando excommunicatio lata est pro manifesta offensa, quo casu, ut præmittitur, requiritur satisfactio seu sufficiens emenda, *d. cap. solet*, quæ omnia, si sanctissimo domino nostro Papæ exposita fuissent, indubiè non mandasset absolutionem ad cautelam impendi, nisi satisfactione impensa, *juxta tenorem d. cap. solet*, quod ex eo etiam apparet, quia in hujusmodi rescripto Papa non mandat simpliciter absolutionem impendi ad cautelam recepta cautione idoneâ, sed si & prout justum fuerit. Certum autem est, non esse justum, censuram relaxari etiam ad cautelam, quæ lata est consensu partis, ob non paritionem rei judicatæ, laudatæ, & approbatæ: & sic pro manifesta offensa satisfactione non impẽsa in grande præjudicium partis adversæ, *dicto cap. solet, & prææallegato capit. ex parte prima*, ergo, &c. Concludimus ergo in casu præsenti, absolutionem ad cautelam, etiam si jurisdictio dicto judici competeret, prout non, ut suprà deduximus, non esse impendendam ob quamcunque cautionem, nisi impensa prius satisfactione.

CONSILIUM LXX.

SUMMARIA.

1 *Testamentum tempore quo quis ad testandum habilis fuit, conditum valet, licet tempore mortis testamenti factionem non habuerit.*

2 *Elogia defunctorum novis constitutionibus supervenientibus non infirmantur.*

3 *Qualitatis causam efficientem concernentis perduratio non requiritur.*

4 *Interdictio bonorum à lege facta vel statuto, non rumpit testamentum prius factum, licet fieri impediat.*

5 *Hæredis in testamento instituendi conditio tempore conditi testamenti, mortis, & adeunda hæreditatis inspicitur.*

6 *Testatoris conditio quando faciat valere vel invalidari testamentum.*

ALias post inthronisationem piæ memoriæ Illustrissimæ Principis Mariæ Ducissæ Brabantiæ, &c. tempore scilicet, quo licuit unicuique personæ naturali & illegitimæ de bonis sibi ab altissimo collatis, liberè suum testamentum condere, & suam extremam voluntatem ordinare: honesta matrona Elizabeth Regis, persona naturalis & illigitima,

suum condidit testamentum, ac suam extremam ordinavit voluntatem: in quo seu qua honestum virum quendam Ioannem Herent heredem instituit: nunc novissimè antetacta matrona post inthronisationem serenissimi principis Philippi Archiducis Austriæ, &c. in prętacto suo testamēto seu ultima voluntate perseverando, altissimo disponente, decessit: verùm cū juxta tenorem inthronisationis invictissimi Principis Philippi, non liceat naturalibus & illegitimis, sine licentia ejusdem Principis, de bonis sib ab altissimo collatis, suum condere testamentum seu extremam ordinare voluntatem: Prætendunt officiati Principis antetacti, bona per & post decessum prænominatæ Elizabeth relicta apprehendere & Principi applicare: quibus prænominatus Ioannes Herent hæres, ut præmittitur, per dictam Elizabeth institutus resistit, prætendēs sibi antetacta bona vigore dicti testamenti fuisse & esse applicanda. Quæritur, quid juris? Supposita etiam validitate articuli prætactæ inthronisationis Illustrissimi Archiducis Philippi testamenti factionem personarum illegitimarum concernentis: Videtur, judicio melius sentientium semper salvo, de jure dicendum, quòd bona per & post decessum dictæ Elizabeth relicta, in quibus dictus Ioannes Herent invenitur institutus debent eidem Iohanni, & nullatenus fisco applicari: quod sic deducitur.
1 Ad hoc quod † testamentum per aliquem conditum de jure debet censeri validum, sufficit quòd condens testamentum, sit tempore quo condidit testamentum ad testandum habilis & idoneus: & non requiritur, quòd apud eum sit tempore decessus ejusdem testamenti factio, per ea quæ habentur & notantur in *l. 2. ff. de testam. & est tex. de hoc ad literam clarus in leg. 1. §. si quis autem testamentum fecerit. ff. de bonor. possess. secundum tabul.* ubi textus sic inquit: Si quis autem testamentum fecerit, deinde amiserit testamenti factionem vel furore, vel quòd ei bonis interdictum est, potest ejus peti bonorum possessio, quia jure ejus testamentum valet. Et hoc generaliter de omnibus hujusmodi dicitur, qui amittunt mortis tempore testamēti factionem, sed ante factum eorum testamentum valet. Cùm ergo prenominata Elizabeth tēpore quo condidit prætactū suum testamentū, testamenti habuit factionem, licet mortis tempore illam stante articulo prætacto inthronisationis Archiducis Philippi amiserit, sequitur quòd ejus testamentum de jure censeri debet validum præterea *textus est optimus in lege 1. & in §. lo-*
2 *cum, C. de caduc. tollen.* quòd novæ † constitutiones circa ultimas voluntates ordinatæ habent locum in elogijs post illas constitutiones conditis, & anteriora suo marte decurrere debent. Non poterit ergo hæc nova constitutio seu articulus antetactus præmemoratæ inthronisationis Archiducis Philippi, testamentum per antetactam Elizabeth conditum invalidare: sed debet illud in suo robore permanere:
3 hinc contingit, quòd † ut dicit *Bald. in leg. si quis hæredem, Cod. de institut. & substitut. sub condic. fac.* si qualitas concernat causam efficientem non requiritur illius perduratio: unde *textus in l. Titius, ff. de militar. testam.* vult quòd si rusticus condat testamentū, qui postea est effectus tribunus, testamentum rustici & non tribuni dici debet, quamvis ergo qualitas seu idoneitas testandi penes dictam testatricem non perduraverit, non debet ejus testamentum per hoc invalidari, pro quo etiam *text. est, & ibi Bart. ff. de testa. l. is cui,* quo cavetur, quòd interdi-
4 ctio † facta bonis à lege, ac per hoc etiam à statuto, non rumpit testamentum prius factum, quamvis testamentum fieri impediat: non intelligetur ergo prætactū testamentum prætactæ testatricis per præme-

præmemoratum articulum inthronisationis ruptum: licet testamentum per eandem testatricem expost fieri, per eundem articulum fuisset impeditum. Nec obstat præmissis *text.in* §. *hæredibus extraneis, Instit.de hæred.qual.& diff.* quia ille §.
5 loquitur in hærede † instituendo in testamento, apud quem debet esse testamenti factio passiva tempore conditi testamenti, tempore mortis, & tempore adeundæ hæreditatis: ut vult ille textus. In testatore verò solùm inspiciendum est unum tempus videlicet conditi testamenti, ut suprà dictum est. ita vult *gloss. in præall. leg.2.ff.de testamen.& ibi Paul.de Cast.& DD.* Contra quod si opponatur *d, l. qui ex liberis.§ testamento. ff.de bo.poss.*
6 *secundum ta.* ubi requiritur, † quod apud testatorem sit testamenti factio activa tempore conditi testamenti & usque ad tempus mortis, vel saltem requiritur, quòd tempore facti testamenti & tempore mortis habeat testator testamenti factionem, *juxta l.1. in §. exigit, eo tit.* Respondetur *secundum gl. in d. §.exigit. quæ singularis est & benè notanda, post Bart. & communiter Doctor. in d. l. 2.* quòd præallegata jura in contrarium adducta loquuntur in casu quo testatoris conditio est mutata suo facto aut delicto: ita quòd ipse testator devenit ad hoc, quòd non habet testamenti factionem. Secus autem si non suo facto aut delicto: tunc enim sufficit, quòd habeat testamenti factionem tempore conditi testamenti: ita quod si post testamentum conditum deveniat ad tempus, quo non habeat testamenti factionem, testamentum non invalidatur: ut de primo est *text. in l. si qui. §. si cui. ff. de test. & de secundo est text. in l. item qui in potestate §. 1. ff. eod.* & sic est hic: ergo &c. cui etiam consonant *nota. per Dy. in regula 1. de reg. jur. lib. 6.* ex cujus dictis habetur clarè decisio hujus dubij.

CONSILIUM LXXI.

SUMMARIA.

1 *Statuta civitatum quando valeant.*

2 *Consuetudo non differt à statuto, nisi sicut tacitum ab expresso.*

3 *A pari potentia causæ par procedit effectus.*

4 *Statutum quod bona immobilia non transferantur in extraneos valet.*

5 *Bona Rerumpublicarum iisdem gaudent privilegiis quibus bona ecclesiarum.*

6 *Statutum in fraudem libertatis ecclesiasticæ vel piæ causæ conditum, non valet.*

7 *Facere in suo quis potest quod principaliter sibi prodest, licet alteri per consequentiam noceat: nec illud animo nocendi fecisse præsumitur.*

8 *Factum ubicunque aliquo velamine excusari potest, lex interpretatur quod sit factum bona fide.*

9 *Statuta quando censeantur scripta in rem, &c.*

10 *De bonis alteri à lege delatis, ne quidem ad pias causas testari licet.*

11 *Pro non dato habetur, quod ab eo datur qui jus dandi non habuit.*

12 *Ecclesia dimittere debet bona sibi donata, quæ æquitate naturali* sua-

dente retineri nequeunt: licet de jure stricto retinere possit.
13 *Prohibitus testari favore alterius, ne quidem ad piam causam relinquere potest.*
14 *Statuta scripta in rem ligant nedum laicos, sed etiam clericos.*
15 *Pœna Testamento invalido inserta, nulla est.*
16 *Ex facto alterius alius prægravari non debet.*

CAsus mihi oblatus, super quo juris cõsilium petitur, talis est. Statuto civitatis Hamburgensis, à tempore memoriam hominum excedente inviolabiliter observato, cavetur, quòd bona hæreditaria seu patrimonialia, districtui dictæ civitatis subjecta testamentaliter relinqui non possunt, sed ad filios defuncti si extiterint, vel eis non extantibus ad proximiores hæredes, aut illis deficientibus ad Rempublicam dictæ civitatis devolvi debent: de bonis verò acquisitis liberè disponi potest. Alio quoque statuto ejusdem civitatis inviolabiliter practicato & observato cavetur, quòd bona hæreditaria seu patrimonialia neque in vita neque in morte alienari, obligari, seu aliquo modo distrahi possunt, nisi in casu necessitatis, de qua ante hujusmodi alienationem senatui dictæ civitatis legitimè constare debet.

Nunc accidit casus, quòd quidam A. presbyter dictæ civitatis, habens nedum bona patrimonialia seu hæreditaria, sed etiam acquisita seu conquæsta, condidit testamentum seu ultimam ordinavit voluntatem, in quo seu qua inter alia voluit & ordinavit, quòd quia legitimos hæredes non habuit seu agnovit, qui sibi juxta morem patriæ sive jus scriptum succedere possent, omnia bona sua in refrigerium animæ suæ pro fundatione trium stipendiorum seu bursarum tribus artium Magistris annuatim distribuendorum reliquit: & in eventum, quo aliquis ecclesiasticus vel secularis dictam ordinationem infringere, vel quovis modo invalidare præsumpserit, in eum eventum hujusmodi bona mediatim ad summum Põtificem, & pro reliqua medietate ad Dominum Archiepiscopum dictæ Civitatis devolvi voluit: ut hæc & alia in instrumento dicti testamenti & statutis Civitatis prætactæ plenius & latius dicuntur contineri. Quæritur modò, utrum dictum testamentum, non obstantibus statutis, sit validum, nec ne. Pro cujus quæstionis decisione tria per ordinem sunt discutienda. Primò discutiendum est de validitate dictorum statutorum. Secundo præsupposita validitate utriusque statuti, discutiendum erit, utrum valeat dicta testamentaria dispositio, quæ est collata in piam causam. Tertio præsupposita invaliditate testamenti, utrum propter clausulam testamenti qua prohibetur contraveniri, & in eventum contraventionis dictus testator voluit bona sua ad summum Pontificem & Archiepiscopum dictæ Civitatis devolvi, pœna prætacta sibi locum vẽdicet. Quantum autem ad primum, omissis superfluis, præsupposito ut mihi est
1 expositum, quod † potestas statuendi seu condendi statuta competat dictæ civitati & senatui ejusdem, & quòd illustrissimus Imperator Federicus tertius prætacta statuta dictæ Civitatis confirmavit: dico & concludo, quòd statuta hujusmodi valeant, & vim legis habeant, *l. omnes populi, cum ibi notatis, per Bartolum & Doctor. ff. de justit. & jure, cum alijs juribus vulgaribus*, hoc confirmatur etiam autoritate *Iohannis Fabr. in prooemio Institut.* ubi in terminis nostris præsupponit vali-
2 ditatem consuetudinis, † quæ non differt à statuto, nisi sicut tacitum ab expresso,

presso, *leg. de quibus, & ibi Doctores, ff. de legibus* confirmatur id idem *per text. §. donare, in titul. qualiter olim feud. alien. pote. in usib. feud.* ubi expressè disponitur, quòd bona feudalia etiam pro anima, & sic in piam causam testamentaliter relinqui non possunt: Et tamen nemo dubitat, quin dispositio illius juris consuetudinarij valeat, ergo & valet statutum idem disponens de bonis patrimonialibus
3 seu hæreditarijs: quia à † pari potentia causæ par effectus procedit, *d. leg. de quibus, & l. 1. §. veteres. ff. de acquir. poss notat Bald. in l. conventiculam, C. de episc. & cler.* confirmatur etiam istud per leges, quibus statuitur, bona hæreditaria deficientibus descendentibus debere devolvi ad proximiores agnatos, ut in familia maneant: ut est *textus expressus in §. cæterum, Inst. de legit. agna. suc. & in l. lege 12. tabularum, C. de legit. hær.* & illis ac agnatis deficientibus tandem ad fiscum, *l. prima. C. unde vir & uxor.* Potest ergo pariformiter rationabiliter statui pro cõfirmatione familiæ & reipublicæ, quòd bona patrimonialia seu hæreditaria ad filios, & illis non extãtibus ad proximiores hæredes, ac illis deficientibus ad Rempublicam devolvantur, Imperatore id statuente, vel prius per alios statutum cõfirmante seu ratificante, aut illi auctoritatẽ impartiente, quæ parificantur: cùm ut inquit Imperator, in *leg. 1. C. de veter. jur. enuc. & summus Pontifex in c. si apostolicę, de præb. lib 6.* Omnia nostra facimus quibus auctoritatem impartimur: & sic cessat, quod de *l. 1. C. de bon. vacan. lib. 10.*
4 objici posset. Præterea videmus per † legem statui, quòd bona immobilia non transferantur in extraneos, *l. unica C. non licere habita. metroco. lib. 11.* ergo idem ob publicam utilitatem potest disponi per statutum civitatis, *leg. Antiochensium, juncta glossa, in secunda ejus lectu. quam Bart. ibi sequitur & commendat, ff. de privileg. credit.* & *est bonus textus in l. venditor, §. si constat,* & *ibi Bartolus. Ang.* & *Doct. ff. communia prædi.* & *in c. in nostra, de injur.* Præterea quòd dictum statutum valeat, probatur primò ex persona statuentium: secundò ex parte rerum, super quibus statutum disponit: & tertiò ex causa publicæ & communis utilitatis. Prima duo per se patent: tertium deducitur, quia dictum statutum pro causa habet favorem proximorum, & illis deficientibus utilitatem Reipublicæ: & sic ordinatur ad bonum commune: quare est
5 justum ex fine. Nam † editum est hoc statutum bona fide pro bono dictæ Civitatis Hamburgensis, ut supportentur onera ejusdem ex bonis deficientibus heredibus ad eandem Rempublicam devolvendis, quod æquiparatur bono ecclesiarum, *leg. ut inter divinum, C. de sacrosanct. eccles.* Prolibus verò vel hæredibus existentibus, statutum hujusmodi naturali æquitati & juri innitens, hujusmodi lucrum eisdem defert, *leg. cum ratio, ff. de bon. damna, cum vulgaribus.* Nec aliquo modo
6 dictum statutum † impedit piam causam, cùm permittat de bonis acquisitis expressè & de fructibus hujusmodi bonorum hæreditariorum tacitè, quia non vetat, liberè disponi, cùm ergo dictum statutum disponat, deficientibus filijs & hæredibus, bona hæreditaria devolvi debere ad rempublicam, in hoc disponit principaliter in favorem Reipublicæ ob onera ejusdem Reipublicæ supportanda, & sic dictum statutum non potest dici in fraudam libertatis ecclesiasticæ vel piæ causæ editum: quia licet in quæsitis laici nullo ingenio possunt derogare Ecclesijs vel juribus ecclesiarum, ut in *cap. Ecclesia sanctę Marię, de constitutio. & c. fin. de immun. eccles. libro 6.* Tamen in acquirendis, si laici hoc non faciant malo ingenio, sed bono, & principaliter ut sibi prosint, nõ ut piæ causæ obsint; hoc possunt. Potest

† enim

7 † enim quis in suo facere quod principaliter sibi prodest, licet alteri per consequentiam noceat, *leg. Proculus, ff. damn. infect.* & *l.1.§.denique. ubi text.notabilis, ff. de aqua plu.arcen. notat Ioan.Fab.* & *Doctor. Instit. de leg. fu.can.toll.circa fin.* In casu autem præsenti dicta civitas Hamburgensis statuit inter subditos, & super rebus & bonis sibi & suo territorio subjectis, & in dubio non præsumitur facere animo nocendi, qui quid in suo facit, quod sibi prodest, licet alteri obsit: *leg. meritò, ff. pro soc.* & *notat gloss.ordinaria* & *Doct.in l.fluminum.in §.fi.ff.de dam.*
8 *infect.* ubicunque † enim factum potest aliquo velamine excusari, lex interpretatur quòd sit factum bona fide, *l.1.* & *ibi Bal.* & *Doct. ff.de distract.pig. leg.si adulterium cum incestu.ff. de adulter. in §. fratres* & *l.igitur, ibi quotiens quis justis rationibus ductus, vel non justis sine calliditate tamen,* & *c ff.de liberal.causa.* accedit præmissis, quod in fortioribus terminis decîdit *domin. Pet. de Anchor. in consilio suo 24. incipiente, videretur prima facie:* item accedit præmissis, quod etiam in terminis nostris & longe fortioribus decîdit *domin. Abbas Panor in consilio suo 83. primi voluminis,* ubi pro indubitato tenet, hujusmodi statuta valere, etiam si in personam concepta sint, etiam in præjudicium piæ causæ, accedit etiã præmissis id, quod notat *Paulus de Castro in consilio suo 89. in novis, incipiente, posset quis dicere,* ubi pro indubitato concludit, rem affici posse hoc onere reali, per jura, ibi amplissimè adducta, accedit etiam præmissis, quod in fortioribus terminis decîdunt *Bartol. Bal.* & *DD. in l.fin.C. de pac.* & *idem Bal. in l. Deo nobis, C. de epis.* & *cleric.* & *sequitur Pet. de Anchor. in cap.canonum statuta.in versic. ad idem queritur an valeat:* ubi concludunt, valere statutum, quo disponitur, quòd ingrediens monasterium non succedat: licet sit conceptum in persona, & videatur retractivum ingressus: id ultimum tamen pro constanti non pono. Concludo ergo, dicta statuta, de quibus in themate, ut jacent valere & viribus subsistere. Circa secundum quæsitum suprà tactum, quod erat, utrum dictum testamentum valeat, attento quòd sit ad piam causam, & per sacerdotem conditum: est primò consi-
9 derandum, quòd † dicta statuta, de quibus in themate, sunt scripta in rem, ex quo ut suprà tactum est in themate, de bonis hæreditarijs testari prohibent, de acquisitis autem permittunt. Clarum autem est, quòd quando verba statuti modo prætacto concipiuntur, tunc statutum hujusmodi est scriptum in rem, & non in personam, ut est *text. multum notabilis* & *singularis,* & *ibi Bart. in leg. aut qui aliter.§.fin.ff. quod vi aut clam. commemorat Dominus Panormit.* & *canonistę in cap.mulieres,de sentent.excommun.Bart.* & *Docto.in l.cunctos populos, C. de summa trinita.* & *fide cathol.* Secundò est considerandum, quòd cum dicta statuta sint vetustissima, ultra memoriam hominum condita, bona patrimonialia seu hæreditaria dicti A. testatoris, antequam essent ad eundem A. per mortem suorum parentum seu consanguineorum devoluta, vigore dictorum statutorum affici poterant, & erant affecta tali onere, quòd non poterant in testamento relinqui, nisi duntaxat liberis si extarent, & eis non extantibus consanguineis proximis, quibus deficientibus ad Rempublicam dictæ civitatis devolverentur, *per jura præallegata,* & ergò non potuerunt dicta bona patrimonialia dicti A. obstantibus dictis statutis, etiam in piam causam per eum testamentaliter relinqui: quod deducitur latius rationibus infrà scriptis. Et primò sic.
10 Nam ubi † lex simpliciter defert aliqua bona vel certam quotam bonorum alicui ex bonis alterius, si ille sit prægravatus, nequit

nequit etiam ad pias causas de bonis alte-
ri delatis testari, nec Ecclesia vel pia causa
debet talia bona recipere : ut apertè pro-
batur *in cap. fin.* 17. *q.* 4. ubi divus Au-
gust. sic inquit, quicunque vult exhære-
dato filio hæredem facere ecclesiam, a-
lium quærat qui suscipiat, non Augusti-
num, & Deo propitio neminem inve-
niet : & idem est ubi ipsa civitas hoc sta-
tuit, maximè superiore permittente vel
confirmante : quia in hoc habet potestatẽ
à jure communi, *dict. leg. omnes populi, &*
dict. leg. Antiochensium, cum aliis juribus
11 *prçallegatis.* Et facit ratio, quia † ex quo
bona hæreditaria per dicta statuta defe-
runtur alijs, pro non dato seu legato ha-
betur, quod ab illo datur seu legatur, qui
de jure dare seu legare non potest, *l. tra-*
ditio, ff. de acquir. rer. dom. & cap. quòd
autem, de jur. patro. & *l. uxor patrui,* & *ibi*
Paul. de Castr. & *DD. C. de legat.* & *l.*
quod in rerum. § 1. & *ibi. do. Ale. de Im.*
& *DD. ff. de leg.* 1. Item ex alio istud de-
12 ducitur † *per d. cap. fin. post principium.*
17. *q.* 4. ubi notanter colligitur, ecclesiam
debere dimittere bona sibi donata, quæ
æquitate naturali suadente retineri non
possunt: licet de stricto jure Ecclesia pos-
set retinere. Sed in casu nostro omnis æ-
quitas resistit, ut puta favor filiorũ, agna-
torum, Reipublicæ: item communis uti-
litas, ob quam multa specialia à jure in-
troducta noscuntur, *l. item si verberatum*
§. 1. *ff. de rei vendi. cum similib.* ergo &c.
Sufficere enim debuit dicto A. quòd de
bonis acquisitis, sibi, ut mihi relatum est,
abundè ab altissimo collatis, & de fructi-
bus dictorum bonorum hæreditariorum
seu patrimonialium, juxta morem patriæ
suę disponere potuit. Sequitur ergo, quòd
ecclesia vel pia causa non debet bona hæ-
reditaria præfatæ Reipublicæ, ut præmit-
titur, delata, agnoscere. Sumus † enim
13 Ecclesijs, viduis, pupillis, orphanis & mi-
serabilibus personis ita in justitia debito-
res, ut alijs injuriam facere non debea-
mus, inquit *Pontifex maximus Innocentius*
tertius in cap. nuper, de donatio. inter vir.
& *uxor.* & *in c. ex tenore, de foro compet.*
Præterea ubicunq; lex vel statutum pro-
hibet aliquem testari favore alterius, nun-
quam prohibitio censetur remissa favore
piæ causæ : ista est *theorica Bart.* & *Bal.*
& *Doct. in l.* 1. *C. de sacros. eccles.* & *proba-*
tur apertè in c. licet, § *fin. de sepult. lib.* 6.
sed sic est hic, ergo, &c. Et istud quod
dictum est, videlicet quòd lex vel statu-
tum posset prohibere aliquem testari sal-
tem de certis rebus favore alterius, ita &
in tantum, quòd talis prohibitio etiam
vires suas porrigat ad piam causam, tenet
apertè *Dom. Abbas Panorm. Iurisconsulto-*
rum sua ætate princeps, in consilio suo 63.
incipiente, Stante quadam constitutione,
in primo volumine suprà allegato, per pul-
chra & diversa motiva, & inter alia, quia
facultas testandi indulta est hominibus
gratiosè & ex speciali gratia, secundum
gloss. singularem in leg. illa constitutio, ff.
de hered. instit. de qua commemorat
idem Domin. Panorm. & alij post eum in
Rubrica de testam. ergo &c. Cùm ergò
dicta statuta, ut suprà tactum est, sint
14 scripta in rem, & cum † statuta scripta
in rem ligent nedum laicos, sed etiam
clericos, & sacerdotes bona hujusmodi
possidentes, saltem quando injecerunt
vinculum rebus & bonis, antequam per-
venerunt ad eos, ut vult *Bart. in l. rescri-*
pto § *fin. ff. de mun. & hon. notant Innoc.*
Panorm. & Doctor. in c. postulasti, de foro
comp. & idem Panor. in c. quod clericus, in
13 *col. eod. tit. referens Dominum Ant. de*
Butrio & *Dominum Petrum de Anchor.*
ita consuluisse: & *idem voluit ipse Panor.*
in c. Ecclesia sanctę Mariæ, ubi post Ioan.
Andr. in regula sine culpa, de regulis jur.
lib. 6 *in Mercurialibus, in fortioribus ter-*
minis concludit, quòd si statuto caveatur,
quòd primogenitus succedat patri, si se-

cundogenitus fiat clericus, post statutum ligatur illo statuto : & idem quod suprà dixi tenet *Dom. Felin in d. c. Ecclesia sanctæ Mariæ, in 34. col. in versic. quintus & ultimus casus est, salvans Bartol.* &c. & *idem consuluit Dom. Paul. de Cast. in consilio suo 88. in novis suprà allegato*, & longè & accuratius *Dom. Abbas Panormitan. in d. consilio 63. ubi plenè objectis & argumentis quæ fieri possent ad partem contrariam, respondet* : & quia ipse plenissimè hunc passum tangit & examinat, supervacuum duxi huc ea transcribere: cùm supervacuis laboret impendijs, qui solem facibus certat adjuvare *cap. si omnia, 6. quæ. 1.* Sequitur ergo, quod dictus A presbyter, obstantibus dictis statutis in rem scriptis, de bonis suis hæreditarijs seu patrimonialibus antequam ad eum pervenerunt hoc onere ne alienarentur vel in alium testamentaliter transferantur affectis, validè disponere non potuit, *per præallegata.* Imò quod fortius est, etiam si dictus A. aliqua ex bonis hæreditarijs, quæ ad eum juxta tenorem dictorum statutorum à suis parentibus vel consanguineis omnino obventura erant & obvenerunt, in vita eorum aliquo titulo acquisivisset, talia tamen bona non dicerentur acquisita, sed hæreditaria, ita quòd de eis tanquam de bonis hæreditarijs disponere non potuisset: ita singulariter determinat *Ioan. Fabr. in passu suprà allegato.*

Ad tertium quæsitum suprà tactum breviter respondetur: quòd hujusmodi pœna ex duplici capite locum sibi non
15 vendicat. Primò, quòd dicta † ultima voluntas ut suprà ostensum est, est inefficax & invalida, ergo & adjectio pœnæ nulla, *leg. servo alieno, §. fin. ff. de lega. 1. cum ibi notatis.* Tum ex alio quia dictus A. testa-
16 tor propter culpam † aliorum ejus testamentum fortè impugnaturorum, si culpa dici posset, piam causam hæredem per eam institutam hæreditate privare, & eam ad alios transferre non potuit, ut est *text. singularis in l. paterfam. testamento. ff. de hæred. instit. quam valde commendat Ludovic. Rom. in singularibus suis in singulari 113.* Præterea hujusmodi cessio seu translatio tanquàm in potentiorem in odium dictæ reipublicæ Hamburgensis in eventum contraventionis facta non valet, *leg. 2. & ibi Bart. Paul. de Cast. & Doct. C. ne fisc. vel respubl.* Concludo ergo dicta statuta valere, & prætactam testamentariam dispositionem quoad bona hæreditaria seu patrimonialia dicto A. à suis parentibus seu consanguineis obventa, fuisse & esse invalidam & inefficacem quò verò ad bona acquisita, & fructus bonorum hæreditariorum, viribus subsistere, ac hujusmodi privationem, cessionem, seu translationem, in eventum contraventionis ut præmittitur factam, nullius fuisse aut esse roboris vel momēti. Et sic bona hæreditaria dicti A. in casu præsenti ad rempublicam dictæ civitatis Hamburgensis fuisse & esse devoluta, & devolvi debere, juxta & secundum tenorem prætactorum statutorum.

CONSILIUM LXXII.

SUMMARIA.

1 *Testis in propriam exonerationem deponens, nihil probat.*

2 *Testis extra articulata deponens, nihil probat.*

3 *Succumbens ex eo, quòd articulata non probavit, novo judicio contra absolutum agere potest.*

4 *Solutionem inficians, si convincatur, onere probandi debitum se recepisse gravatur.*

5 Con-

5 *Confeſſio extrajudicialis ſemiplenam ſaltem facit præſumptionem, qua ad condemnationem non ſufficit.*

6 *Delicta in dubio non præſumũtur.*

VEnerabilis Domine Officialis, viſo proceſſu coram vobis pendente indeciſo, per & inter dominum Antonium Pennenagle presbyterum actorem ex una, nec non Dominum Iohannem Cuſtodem presbyterum reum ex altera, de & ſuper conditione ſeu repetitione quinque librarum, indebitè ut prætenditur præfato Domino Iohanni ſolutarum, ac cautionis de tribus alijs libris, certis in terminis exolvendis datæ. Videtur mihi ſubſcripto, omiſſis ſuperfluis & alijs in actis ſatis tactis, ſine aliqua hæſitatione ad abſolutionem dicti Domini Iohannis Cuſtodis rei fuiſſe & eſſe procedendum. Nam ut ex actis patet, dictus Dominus Antonius actor libellat, ſe ſolviſſe præfato Domino Iohanni Cuſtodi quinque libras, & dediſſe cautionem de alijs tribus, in quibus tamen nullo jure dicit ſe præfato reo fuiſſe obligatum. Sed quòd dictus actor præfato reo ſummam antetactam vel partem ejuſdẽ ſolverit, ex actis non conſtat: ſequitur ergo, quòd dictus reus debet ab impetitione præfati actoris abſolvi. Nullus enim teſtium productorũ per actorem, dicit reo aliquid ſolutũ eſſe per actorem, quod tamen eſt libellatum:
1 licet † aliqui in propriam exonerationem deponendo dicere videantur, ſe ab actore pecuniam recepiſſe ad opus rei & illam reo deliberaſſe, ut tertius & quartus teſtes, quæ depoſitio etiam ſi aliàs eſſet canonica, prout non, cùm ultra hoc quòd in propriam exonerationem deponunt, etiã in ſuis dictis ſint ſingulares, unus de una libra, alter de quatuor libris deponere ſatagens: tamen eorum depoſitio propoſi-
2 to non ſervit, quia † id articulatum non eſt: ſed quòd actor reo quinque libras exolvit, & tres ſimiles ſolvere promiſit, licet indebitè, quę multum diſtant: & eorum altero articulo alteroque probato ſe-
3 qui debet abſolutio: Licet † novo judicio contra ſic abſolutum ſuccumbens agere poſſet, ita notabiliter ſentit *Innocen. pater juris in ca. inter dilectos, circa principium, de donat.* quem refert & ſequitur *Ioan. Fab. in §. lex. Inſtit. de jur. natur. gen. & ci. dicens ſic de facto ſervari*: & de iſto eſt *text. rotundus, licet nemo eorum illum alleget, in c. abbate ſanè, poſt princ. in verſic. multum quoque diſtabat, de re jud. lib. 6.* ubi Abbas de Bonefac. ſe fundans ſuper donatione facta per Regem Arragoniæ monaſterio Bonefac. ſuccubuit, licet probaverit donationem factam per Regem monaſterio de Populeti, & ex poſt per monaſterium de Populeti ipſi monaſterio de Bonefac. quia illa multum diſtant, ut dicit ibi textus & per hoc ceſſat fundamentum partis adverſæ, quo dicit luculentiſſimè probatum quòd actor per ſe vel per alium reo pecuniam, de qua eſt quæſtio, numeravit, & quòd ergo ipſe debet triumphare, *per vulgatam regulam juris, qui per alium, &c.* quia cùm alterum præcisè ſine altero non disjunctivè libellatur ſeu articulatur: ut in caſu præſenti, alterius probatio non ſuffragatur, *per prædicta*. Per hoc etiã ceſſat aliud fundamen-
4 tum Domini actoris, quo dicit, quòd † ex quo per eum negata eſt abſolutio, & per actorem probata, incumbit reo probatio quod id erat debitum, *per cap. fin. de ſolutio & leg. cum deindebito, in princip. ff. de probatio.* Sed hoc per reum probatum non eſt, ergo debet ſuccumbere. Quia reſpondetur per interemptionem aſſumpti, negando quod probata eſt ſolutio articulata, per prædicta. Nec juvat actorem primus teſtis, qui dicit, reum ſibi fuiſſe cõfeſſum, quod ab actore recepit quatuor

 libras,

libras, quia cùm ille ſit unicus & ſingularis, ei non creditur, *cap. bonæ.* 1. *cum ibi notat. de elect. juncto c. licet universis, de*
5 *teſtibus.* Et dato, quòd plures † deponerent de hujuſmodi confeſſione extrajudiciali, tamen illi non facerent niſi ſemiplenam probationem, *juxta notata in c. fin. de confeſſ.* quæ ſemiplena probatio non ſufficeret ad condemnationem, *juribus vulgaribus.* Non obſtat etiam *miſſiva producta apud acta, ſcripta per Iodocum Lips & recognita:* quia de mandato rei vel ratihabitione ejus non conſtat apud acta, nec probat hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe, *l. neque natales, C. de proba. & l. non hoc, C. unde cog.* ex quibus ſequitur, quòd reus in caſu præſenti debet abſolvi, *juxta vulgatam regulam, actore non probante &c. l. qui accuſare. C. de edend. & cap. fin. de jurejur. cum ſim.* maximè cùm favorabiliores ſint rei, quàm actores, *l. Arrian. ff. de act. & oblig. cum ſimili.* Et præcipuè attento, quòd omnes teſtes uno ore dicunt ſe tenere reum pro
6 probo & honeſto ſacerdote, unde debet † in dubio capi præſumptio excluſiva delicti, *l. merito, cum ſua gl. ff. pro ſocio:* attento etiam, quod allegata per actorem non ſunt veriſimilia, ut in noviſſimis propoſitis rei licet rejectis deductũ eſt: quæ non veriſimilitudo arctat & conſtringit allegantem ad pleniſſimam & clariſſimam probationem *leg. non eſt veriſimile, cum ſua gloſ. & ibi Bal. ff. quod met. cauſa, &c. quia non eſt veriſimile, & ibi canoniſtæ, de præſumpt.*

CONSILIUM LXXIII.

SVMMARIA.

1 *Diſpenſatio à jure communi exorbitans ſtrictiſſimè intelligenda eſt.*

2 *Beneficij appellatione in materia ſtricta non venit canonicatus.*

3 *Beneficia duo uniformia in una eccleſia, an Pater & Filius obtinere poßint, &c.*

4 *Diſpenſationes intelligendæ ſunt, ne multum lædant jus commune.*

5 *Concilij generalis decreta habent tacitè clauſulam derogatoriam ad reſcripta vel diſpenſationes ſubſequentes.*

6 *Diſpoſitio conditionalis non ſortitur effectum, niſi exiſtente conditione.*

7 *Qualitas in una orationis parte poſita quando in alia repetita cenſeatur, &c.*

8 *Determinatio ſequens duo determinabilia in dubio utrumq; determinat.*

9 *A capite non eſt ſeparanda cauda.*

10 *Canoniam habentes ſolùm habent vocem in Capitulo.*

11 *Agens poſſeſſorio interdicto retinendæ poſſeßionis ante omnia docere tenetur.*

CAſus. Quidam A. in ſacerdotio conſtitutus, Canonicus præbendatus in quodam municipio, ac illic reſidentiam faciens, ſuſcitavit ex quadam muliere libera & ſoluta filium, nomine A. juniorem: quem ordinarius charactere clericali inſignivit, utque ad unum beneficium eccleſiaſticum promoveri poſſet cum eodem diſpenſavit, ac ſimiliter poſtea ut ad duo beneficia eccleſiaſtica compatibilia, etiam ſi alterum perſonatus, canonicatus, vel præbenda etiam in Eccleſia collegiata eſſet, ſive etiam alterum curam

curam haberet animarum, dummodo non dignitas vel in Eccleſia cathedrali eſſet, promoveri poſſet: fuit à ſede Apoſtolica miſericorditer diſpenſatum cujus vigore fuit Eccleſiam quandam curatam, nec non aliam quandam Capellaniam aſſecutus: tandem aliam impetravit diſpenſationem à pœnitentiario ſedis Apoſtolicæ, ſub hac verborum forma: Iulianus miſeratione divina Epiſcopus Oſtienſis dilecto in Chriſto Arnoldo Meeſens juniori, Diacono rectori parochialis Eccleſiæ de Lilloe Cameracenſis diœceſis in Theologia Baccalaureo, ſalutem in Domino. Exhibita nobis pro parte tua petitio continebat, quòd aliàs tecum ſuper defectu natalium, quem pateris de preſbytero genitus & ſoluta, quòd hujuſmodi non obſtante defectu ad minores ordines promoveri, & beneficium eccleſiaſticum cui cura non imminet animarum obtinere poſſes, fuit autoritate ordinaria primò diſpenſatum: & deindè ut ad omnes ſacros etiam presbyteratus ordines promoveri & unum aliud beneficium eccleſiaſticum compatibile, etiam ſi curam haberet animarum obtinere velles, fuit de uberiori gratia Apoſtolica autoritate miſericoriter diſpenſatum: Quarum quidē diſpenſationum vigore dictam parochialem Eccleſiam canonicè fuiſti aſſecutus. Cuperes præterea, ut liceret tibi ſi dictam eccleſiam dimitteres, & loco dimiſſi aliud beneficium & illud ſeu aliud quod te alterius diſpenſationis vigore obtinere contigerit, fuerit etiam in Eccleſia in qua tuus genitor beneficiatus fuerit vel erit, ſi tibi aliàs canonicè conferatur, recipere & retinere, nec non in dicta ſeu alijs eccleſijs præfato tuo genitore præſente vel abſente, miſſam & alia divina officia celebrare, & illis dum celebrantur intereſſe. Nos igitur tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, autoritate Domini noſtri Papæ, cujus pœnitentiariæ curam gerimus, & de ejus ſpeciali mandato ſuper hoc vivæ vocis oraculo nobis facto, tecum ſuper præmiſſis petitis alio canonico non ſubſiſtente, & dummodò in beneficio ſeu beneficijs hujuſmodi dicto tuo genitori immediatè non ſuccedas, miſericorditer diſpenſamus, conſtitutionibus Apoſtolicis ac ſtatutis, tam provincialibus, quam ſynodalibus, nec non eccleſiæ ſeu eccleſiarum, in qua ſeu quibus beneficium ſeu beneficia hujuſmodi extiterint, contrarijs non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, ſub ſigillo officij pœnitentiariæ, quarto Idus Septembris, Pontificatus Domini Alexandri Papæ ſexti anno decimo. Quarum diſpenſationum vigore dictus A. junior obinuit ſibi conferri ab Ordinario canonicatum & præbendam ex cauſa permutationis in eadem Eccleſia & ſub eodem tecto & capitulo, in qua & ſub quo ſuus genitor à tempore & ante tempus quo eundem ſuſcitaverat ſemper Canonicus reſidens fuit, & adhuc de præſenti exiſtit: fuitque ad poſſeſſionem ejuſdem Canonicatus & præbendæ, ac ad ſingula alia, ut alij reſidentes, prætextu dictæ collationis ultra annum & per annum admiſſus, abſque tamen eo quòd hujuſmodi beneficium curatum quod tēpore ultimæ impetrationis obtinuit dimiſit, ſed adhuc tenet de præſenti. Quæritur jam, utrum dictus A junior dictos canonicatum & præbendam vigore dictarum diſpenſationum validè obtinuit & obtinet: & ſi ſic: An debeat habere vocem & locum in Capitulo una cum patre, ſicut cæteri Cononici. Secundò quæritur, dato quòd non validè obtineat: An ſaltem, ſit cenſendus habilis poſſeſſor, ac poſſeſſionem ſufficientem nactus ad hoc, ut in poſſeſſorio retinendæ poſſeſſionis in cancellaria Brabantiæ intentato vel intentando, triumphare debeat, nec ne.

Ad quæ dubia per ordinem respondendo, videtur tota difficultas harum quæstionum stare in dispensatione novissimè impetrata, cujus tenor suprà relatus est: An scilicet per eam sit sufficienter derogatum, *cap. ad abolendum, de fili. presbyt.* nec ne.

Et videtur mihi subscripto breviter dicendum, quòd non, quia † hujusmodi dispensatio est odiosa, ac à jure communi exorbitans: ergo strictissimè est intelligenda, *capit.* 1. *&* 2. *de filijs presbyt. in* 6. *& cap. quamvis, de præben. eodem lib.* unde dicit *glos. ordinaria, in cap. ordinarij, in verbo, dispensationes, de offic. ordi. in* 6. quòd iste est unus casus, ubi beneficium principis est strictè interpretandum, etiamsi neminem lædat, nisi jus commune: sed in materia † stricta ac odiosa appellatione beneficij non venit canonicatus: ita volunt *Goffred. Innocen. Ioan. And. Henric. Boick, Anton. de Butrio, Pet. de Ancho. Ioan. de Imo. Panormitanus & alij Doctor. in cap. fina. de præben. ubi Panormitanus dicit, quod est communis opinio, & ergo in judicando ab ea non est recedendum, juxta theoricam Ioan. And. ab omnibus approbatam in cap.* 1. *de constitut.* & ratio hujus est, quia canonia est longè honorabilior, quàm aliud beneficium simplex. Cùm ergo in rescriptis & dispensationibus debeat fieri stricta interpretatio, *juribus præallegatis,* appellatione beneficij non veniet canonia, & idem volunt *Panormitanus, Felinus & alij in cap postulasti, de rescript.* patet ergo, quòd licet dictus A. fortasse potuisset obtinere aliud simplex beneficium vigore dictæ dispensationis in eadem ecclesia, ubi pater extitit beneficiatus: non tamen canonicatum.

3 Præterea † longè absurdius est, quòd pater & suus filius teneant duo beneficia in eadem ecclesia omnino uniformia, quàm si sint difformia: ut declarat *Ant. de Butrio, in cap. cum decorem, & in dicto cap. ad abolendam, de filijs presbyt.* hinc est, quòd licet ordinarius dispenset, quòd quis teneat duo beneficia difformia sub eodem tecto, non tamen uniformia, *secundum Ioan. And. Panorm. & alios in cap. literas, de conces. præben. & est glos. ordinaria, in c.* 1. *de consuet. lib.* 6. sequitur ergo, quòd quia pater fuit, & adhuc est canonicus, quòd in dicta dispensatione, appellatione beneficij non debet venire canonicatus, id est beneficium omnino uniforme, sed simplex cappellania, vel aliud beneficium: ut minor sequatur absurditas: & istud maximè debet habere veritatem in canonicatibus, propter vota & alia, & maximè in casu nostro, cùm † si non veniat hic appellatione beneficij canonicatus, non adeò tam expresè lædet hæc dispensatio jus commune, ac concilium generale, quod habetur *in dict. cap ad abolendam:* quare est restringenda ad hoc, ut minus lædat: & tantò magis, quia non est hæc dispensatio à summo Pontifice facta, licet habeatur, quòd ex sua speciali commissione facta sit. Nam non præsumitur summus Pontifex alicui dare mandatum dispensandi cum quoquam contra jus commune, & maximè contra concilium generale: nisi ex causa legitimè jure expressa, *secundum theoricam Innocen. in cap. dudum secundo, paulò ante fi. in versic. item & si Papa. de elect. quam refert Felin in cap. ad audientiam,* 2. *in col. de rescrip.* Cùm ergo in hujusmodi dispésatione nulla subsit nec exprimatur legitima causa: ergo restringenda est, ut valeat, & jus commune in concilio generali editum non lædat. Præterea dato, quòd hujusmodi dispensatio à summo Pontifice immediatè emanasset, tamen adhuc eidem non posset suffragari ex eodem capite scilicet, quia est contra concilium generale. Nam † est firma theorica, quòd omnes constitutiones concilij generalis habent tacitè clausulam derogatoriam ad rescri-

reſcripta vel diſpenſationes, adeò, quòd
reſcripta vel diſpenſationes obtenta vel
obtentæ, contra conſtitutionem concilij
generalis, debent facere ſpecialem men-
tionem concilij: nec ſufficit clauſula ge-
neralis, non obſtante jure communi, ita
originaliter & valde ſingulariter dicit
*Archid. in cap. 1. de conſtit. lib. 6. quem re-
fert & ſequitur Bald. & valde commen-
dat in l. humanum, in tertio notabili, C. de
legib. hoc etiam vult apertè Oldrad. in duo-
bus locis: primò, in conſ. ſuo 326. inci-
piente, quòd articuli dati: & in conſ. ſuo
328. incipiente, & idem primò in dicta
autē diſpenſatione non dicitur, non obſtan-
te concilio generali*, ergo, &c. Præterea, &
ſi præmiſſa ceſſarent, quæ tamen non ceſ-
ſant, non poteſt dictus A. ex alio dictum
canonicatum obtinere ſecundum caſum
6 præmiſſum: quia † quandocunque eſt facta
aliqua diſpoſitio ſub conditione, non ha-
bet effectum illa diſpoſitio, niſi ſubſiſtē-
te conditione: Sed hæc diſpenſatio eſt fa-
cta ſub conditione, ſcilicet, ſi eccleſiam in
diſpenſatione narratam dimitteret, ut pa-
tet intuenti eandem, quam non dimiſit:
ergo non debuit habere effectum diſpen-
ſatione.

Nec obſtat, ſi dicatur, quòd in diſpen-
ſatione ſunt plures clauſulæ, quarum licet
prima ſit conditionalis, ſcilicet cuperes, ut
liceret tibi, ſi dictam eccleſiam dimitte-
res, & loco dimiſſi aliud beneficium, & il-
lud ſeu aliud, &c. fuerit etiam in eccleſia
ubi tuus genitor, &c. licet illa dictio, &
illud, ponatur conditionaliter, non tamen
dictio ſequens, ſeu aliud quod te alterius,
&c. ponitur conditionaliter: ut patet ma-
ſticanti & conſtruenti dictam orationem.
7 Quia certè regula eſt in jure, quòd †
quandocunque plures ponuntnr clauſulæ
una oratione, quæ determinantur ab eo-
dem verbo, tunc qualitas poſita in una
parte cenſetur etiam repetita in alia, quā-
do hoc fieri poteſt ſalva ratione recti ſer-
monis, *per text. in cap. olim, de reſcript. &
in cap. 2. requiris, de appell. ita decidit
Bart. in l. 4. §. eritque differentia. ff. vi
bon. rapt. & idem Bart. in l. ſi legatarius.
§ cum ita. ff. de legat. 3. per plura jura al-
legata ibidem per eum, & Io. de Imo. in
Clem. 1. § fina. de ſuppl. neg. præla cum ſi-
mibus.* Sed in caſu noſtro iſtæ duæ clau-
ſulæ, & illud, &c. & alia clauſula ſeu a-
liud, &c. determinantur ab eodem verbo,
ſcilicet recipere & retinere, poteſtque cō-
ditio ad utramque clauſulam ſalva ratio-
ne recti ſermonis referri & adaptari: er-
go, &c. pro hoc etiam eſt alia regula, quæ
8 habet, quòd quotieſcunque † una deter-
minatio ſequitur duo determinabilia, in
dubio determinat utrumque in caſu quo
poteſt æqualitate ſervata, *textus eſt nota-
bilis, & ibi Bart. Bald. Paul. de Caſtro, Io.
de Imo. Alex. & Doct. in l. jam hoc jure.
ff. de vulg. & pup.* Sed certum eſt, quòd in
caſu præſenti determinatio ſequens am-
bo determinabilia, non poteſt ea determi-
nare æqualiter, niſi diſpenſatio intelliga-
tur in qualibet parte ejus eſſe conditiona-
lis, ſi ſcilicet dictam eccleſiam dimitteret,
& ſi loco dimiſſi illud vel aliud, &c. ergo
neceſſariò ſic debet intelligi: & pro hoc
9 etiam facit alia ratio, quia cauda † non eſt
ſeparanda à capite, ut ad aliud referatur
principium & ad aliud finis, *cap. majores,
circa medium*, & *ibi gloſ.* & *Panormit. de
baptiſ.* Præterea hujuſmodi diſpenſatio
ex alio capite eidem ſuffragari non po-
teſt, quia eſt ſurreptitia, ex quo in ea ſub-
ticetur capellania, per dictum A. juniorem
obtenta, quare eſt nulla, *cap. non poteſt, in
princip. ubi eſt caſus, de præb. lib. 6. & dicto
cap. 1. & 2. de fil. presbyt. eodem lib.* &
ſic fruſtra quæritur, an dictus vocem ha-
bere debeat in capitulo: quia clarum eſt,
quòd non: ex quo titulum canoniæ non
10 habet, & canonici † duntaxat vocem in
capitulo habent, *Clem. ut hi, qui cum ſua
materia, de ætate, & qualitate.* Quòd ſi
eſſet

esset de collegio, vel titulum canoniæ haberet, utique vocem in capitulo haberet cum suo patre. *l. illud. cum l. sequenti, ff. quòd cujusque univer. no.* Ex quibus patet, quod dictus A. junior hujusmodi canonicatum validè non obtinuit, nec obtinet de præsenti. Restat nunc respondere ad ultimum quæsitum, an sua prætensa possessio, seu verius detentio, sufficiat ad triumphandum in possessorio retinendæ possessionis. Et breviter respondetur,
11 quòd non: quia † agens interdicto retinendæ possessionis debet probare, se possidere, *cap. licet, de proba. & §. retinendæ. Institu. de interdict. cum similibus.* sed hoc non possidet, ergo, &c. quòd autem non possidet, probatur: quia *dictum ca. ad abolendam*, habet in se decretũ irritans, quod quidem decretum irritans, inficit non solùm titulum, sed etiam possessionem, ut est *decisio. Rotæ, 16. in novis.* Præterea agenti possessorio retinendæ in beneficialibus obstat defectus tituli *cap. dilecto, de preben.* & habetur per omnes *in cap. in literis, de restitut. spol.* qui hîc deficit, ut suprà latè deductum est, ergo, &c.

CONSILIUM LXXIV.

SUMMARIA.

1. *Alienatio rerum immobilium vel jurium ecclesiæ, qualiter fieri debeat, &c.*
2. *Solennitates in alienatione rerum ecclesiasticarum, quomodo intervenisse doceantur, &c.*
3. *Bona ecclesiastica pignorari non possunt, vel in eis jus aliquod constitui.*
4. *Pro infectis habentur ea quæ contra jus fiunt.*
5. *Omissio formæ vel solennitatis vitiat actum ipso jure.*
6. *Decretum irritans inficit non solùm titulum, sed & possessionem.*
7. *Emens bona ecclesiastica, non servata solennitate debita, tenetur restituere recepta, & perdere exposita, nisi pecuniam in utilitatem ecclesiæ conversam doceat.*
8. *Pœna alienantis rem ecclesiæ.*
9. *Contrahens cum conventu alicujus monasterij, quid observare debeat.*
10. *Sigillum sine literis vel subscriptione est testis mutus & incertus.*
11. *Ignorantia juris rusticum non excusat in his, quæ introducta sunt pro forma actus.*

CAsus, super quo consilium petitur, ex tenore subscriptæ schedulæ satis patet: Wy broeder Bouwyn. Reynerts/ ꝛc. Prior/ ende ghemeen convent der crucebroders Tschyedam/ doen cond allen luyden / dat wy om zeker nootzaken bekennen vercocht te hebben ende schuldich te wesen voor ons ende onsen naecomlinghen Pieter Jan Pieters/ ꝛc. poerter te Leyden / 18. rinsche gulden siaers ervenlijcke rente / ter lossinghe / die rinsche gulden gherekent voor 40. coemans grooten / te betalen allen jaeren op sinte Marie Magdalenen dach / oft 14. daghen onbegrepen daernae: van welcke daer af dat eerste jaer verschijnen zal op sinte Marie Magdalenen dach int jaer van 86. naest comende/ ende dan zoe

voert

voert van jare tot jare tot ſinte Marie Magdalene naeſt volghende deſe voerſcreven rente te betalen. Welcke rente wy ons ende voer onſen naecomlinghe verſekert beloeſt ende bewyſt hebben Pieter Jan Pieters/ꝛc.voirſz: te verſienen ende te verhalen alle die goeden die ons voerſz: convent nu ter tyt heeft/oſt hiernaemaels vercryghen mach/ roerende ende onroerendẽ/ waer ende waer dat die geleghen zyn/ binnen ſteden oſt daer buyten:eñ des en ſullen wy noch onſe naecomlinghe/ noch yemant van onſen weghen ons verweeren met gheenen rechten geeſtelyck oſt waerlyck/ noch mit geenen exceptien oſt vonden diemen hierteghen dencken/peynſen/ vinden oſt verſieren mach in eenigher manieren. Voert zoe ſijnt voerwerden/ende es wel bedingen ende voerſproken/ dat wy ende onſe naecomẽlinghe tot onſe voorſz: convent behoeſt ende van onſe convents weege deſe voorſcreven rente loſſen zullen moghen / te weten naer thien jaer naer datum deſer litter/ tot wat tyden dat wy willẽ ende des van ſtaede zyn/elcken penninck met 20.penninghen int hoeſtghelt / ende met zulcken renten als nae den beloopen van den tyt verſchenen zullen weſen in der tyt alſmen die loſſinghe van der voirſz: rente doet. Ende wy Prior ende ghemeen convent voirſz: beloeven voer ons ende onſe naecomlinghe Pieter Jan Pieters/ ꝛc.voirſz:deſe rente voirſz everlycke rente t[illegible] Loſſinghe in der maniere voirſz vr[illegible] te waeren jaer eñ dach/ alzoe recht es / ende alſmen vry renten ter loſſinge ſchuldich es te waeren. Ende hier of belien wy ons wel voldaen eñ betaelt te weſen/de leſten penninck metten eerſten. Ende hebben des te oerkonde deſen brieſ bezeghelt met onſe convents zeghel hier an ghehangen / int jaer ons Heeren duſent vierhondert, ende vive ende tachtentich op ſinte Marie Magdalene avont. Id eſt · Nos frater Bouinus Reynerus,&c. Prior & communis Conventus cruciferorum Tſchyedami,notum facimus omnib.hominibus,quod pro certa neceſſitate fatemur vendidiſſe, & debere pro nobis & noſtris poſteris Petro Ioannis Petri,&c. civi Laidano 18.Rhenenſes aureos, annuos perpetui redditus,luibiles, renenſe aureo computato ad 40.coemans groſſos,ſolvendos quotannis in die Mariæ Magdalenæ , aut quatuordecim dies citra calumniam poſt. Cujus primus annus cedet ipſo die Mariæ Magdalenæ, anno 86. proximè futuro: Atq; ita deinceps de anno in annum ad Mariæ Magdalenæ proximè futuram prædictum redditum ſolvere. Quem redditum nos pro nobis & noſtris ſucceſſoribus, certificavimus,promiſimus & deſignavimus Petro Ioannis Petri,&c.prædicto recipiendum ſuper omnibus bonis,quæ noſter conventus prædictus modo habet , aut in poſterum acquiſiturus eſt, mobilibus & immobilibus, ubicunque ea ſita ſint, in civitate aut extra, in quo nec nos, nec ſucceſſores noſtri, neque quiſpiam noſtro nomine, obſiſtemus ullo jure eccleſiaſtico aut ſeculari, neque ullis exceptionibus, neque adinvẽtionibus in contrarium excogitandis aut inveniendis ulla ratione. Adhæc convenit &expreſsè cautum eſt,quòd nos & noſtri ſucceſſores, ad noſtram & noſtri prædicti conventus utilitatem , noſtrique conventus nomine , prædictum redditum redimere poterimus, nempe, poſt decem annos à data harum literarum , omni tempore quo volemus & quo expediet, ſingulos denarios pro 20 denarijs capitalibus , ſolutis quoque redditibus curſu

temporis cessis, eo tempore quo redditus redimendus est. Et nos Prior & Conventus communis prædictus promittimus pro nobis & nostris successoribus Petro Ioannis Petri prædicto, hunc perpetuum redditum prædictum redimibilem uti præmissum est, liberum custodire per annum & diem, ut est juris, utque debitum & justũ est liberos redditus luibiles custodire (ut scilicet nullis oneribus graventur) atque hoc nomine fatemur nobis plenè satisfactum & solutum esse, tàm ultimum denarium, quàm primum. In cujus rei testimonium præsentes literas sigillavimus sigillo conventus nostri his appenso, anno domini millesimo, quadringentesimo octogesimo quinto, in vigilia Mariæ Magdalenæ. Visis literis suprà scriptis, loco casus nobis exhibitis, earumque tenore diligenter ponderato: Ad dubium, quo quæritur, an constitutio hujusmodi redditus perpetui, redimibilis tamen, valeat, & effectum sortiri debeat, nec ne: Dico breviter, omissis superfluis, quòd constitutio hujusmodi redditus est penitus nulla, nec ex ea jus aliquod acquisitum est Petro Ioannis Petri inibi nominato: quod deduco mediis infrà scriptis. Ad validitatem enim † alienationis
1 bonorum immobilium, vel jurium ecclesiæ requiruntur multa. Primò enim requiritur, quòd subsit necessitas vel utilitas ecclesiæ, vel quid simile, puta pietas vel incommoditas: ut est *glos 12. quæstio. 2. in Summa, & textus in Clemen. 1. de rebus eccles. non alien. & in cap. 1. eodem tit. lib. 6 cum similibus.* Secundò requiritur, quòd ultrà necessitatem vel utilitatem interveniat tractatus & deliberatio clericorum ecclesiæ, ac subscriptio eorundem, dicto *ca. 1. & cap. sine exceptione, 12. quæstio. 2. cum similibus.* Tertiò requiritur quòd ultra præmissa interveniat consensus superioris, aliàs alienatio est nulla, & nullum jus tribuit, *dicta Clemen. 1. & ibi glos. & Doct.* nisi summa instet necessitas, quæ tantam celeritatem requirat, quòd licentiam vel consensum petere non potest, vel petitam obtinere: tunc enim non est locus pœnæ, *dicta Clemen. 1. secundum Cardin. ibi in 29. quæstione*: de qua hîc non constat. Et de
2 † omnibus istis debet constare per instrumenta, de quolibet hujusmodi requisito principaliter confecta. Nec sufficit, quòd hoc narretur in literis super alienatione confectis, ut volunt *Laurent. & Cardin. in dicta Clemen. unica, in 30. quæstione, & legistæ præsertim novissimi, in l. civitas. ff. si certum petat. & Archid. in § hoc jus porrectum. 10. quæstio. 2. Bald. in Authen. hoc jus porrectum. C. de sacrosanct. eccles. Anton. Butrio, & Imol. in cap. 1. de deposito, & Alexand. in consilio quarto, tertij voluminis*: literæ enim hujusmodi quoad hoc nullam fidem faciunt, nec confessio prælati, & conventus confitentium suffuisse necessitatem vel utilitatem ecclesiæ, aut pecuniam fuisse versam in utilitatem ecclesiæ, in casu in quo requiritur versio secundum eos: & ratio est, quia cum non possit alienare sine solennitate, de qua *in dicto ca sine exceptione, & in dicto c. 1. confessio ejus*, de qua aliâs non constaret, nisi per verba narrativa, censeri debet emissa in fraudem legis, cui non statur, *l. qui testamentum. ff. de probat.* & *l. si fortè, cum ibi notatis per Bart. ff. de cast. pe.* & *pro hoc in simili est gloss. ordinaria approbata per Doctor. in l. si donatione. C. de collat. in illis verbis, nec inspicio, si pater dixerit*, &c. Et quòd literis super alienatione confectis non stetur, *est textus optimus, quem ibi ad hoc ponderat Dominic. de sancto Geminiano in d. cap. 1. de rebus eccles. non alien. lib. 6.* & quemadmodum bona ecclesiæ non possunt alienari, nisi intervenientibus illis de
3 quibus suprà: ita † nec pignorari, nec in eis aliquod jus constitui, *cap. nulli*, & *ibi Doctor.*

Doctor. de reb. eccles. non alien. faciunt notata per Bart. in l. quorum, ff. de pignor. In casu autem præsenti non constat per alia documenta, quòd tempore constitutionis hujusmodi redditus suffuit necessitas vel utilitas ecclesiæ, defuit ergo unum requisitum ad validitatem alienationis bonorum vel jurium ecclesiæ. In casu etiam præsenti non constat de tractatu clericorum dicti conventus, vel subscriptione eorundem per alia documenta: qui tamen tractatus est necessarius, *cap. tua nuper,* & *ibi glos. super verbo, tractatu, de his, quę fiunt à prela. sine consen. cap.* & *dicto cap. 1.* & *ibi pulchra glos. super verbo, tractatus,* & *similiter subscriptio, dict. cap. sine exceptione :* quæ solennitas etiam per consuetudinem tolli non potest, *secundum Panormitanum in dicto cap. nulli per illum tex. juncto dict. cap. sine exceptione :* & sic quò ad hoc etiam militat ratio proximè dicta. Tertiò, in casu præsenti non intervenit auctoritas superioris, quare ex alio capite hujusmodi alienatio est nulla, *dicta Clemen. 1. prima, & ibi gl. super verbo non habeat : quam sequuntur Doct.* Imò quod amplius est, hujus-
4 modi † titulus non dat causam præscribendi, cùm habeatur pro non titulo: ut volunt communiter *Doct. & post eos Cardin. in dicta Clem. prima, in versic. si quis in ultima quæstione, per illum textum: quę enim contra jus fiunt, debent pro infectis haberi l. non dubium. C. de legib. & regula, quæ contra jus, de reg. jur. lib. 6.* Potuit enim Papa contractibus ecclesiasticis novam formam certam & limitatam apponere, à qua recedere non liceret, &
5 sine qua nullum esset, quod fieret: forma † enim est, quæ dat esse rei. *l. Iulianus. §. sed & si quis. ff. ad exhibend. & dicto cap. tua :* & omissio formæ vel solennitatis vitiat actum ipso jure. *l. cùm hi. §. si prætot. ff. de transact. cum similib.* Imò quòd fortius est, ex hujusmodi contractu secuta etiam perceptione actuali, non acquiritur possessio, vel quasi, recipiendi in futurum: ita quòd locum habere possit interdictum unde vi, vel uti possidetis, vel etiam condictio *cap. querelam, de elect. vel cap. redintegranda. 3. quæst. 1.* hoc patet, quia in *dicto cap. 1. & in dicta Clem. 1.* habetur decretum irritans. Modò sic est,
6 quòd † decretum irritans inficit non solũ titulum, sed etiam possessionem: ut est *decisio Rotæ ab omnibus approbata 16. in novis*, quocunque igitur dictus Petrus Iohannis Petri agat sive petitorio sive possessorio, debet succumbere, per prædicta. Item ex alio dictus contractus, & si ex forma non sit usurarius, est tamen suspectus ex eo, quòd libertas redimendi redditum vẽditum, restringitur taliter, quòd infra decennium redimi non possit, & sic dictus Petrus Iohannis voluit certitudinaliter lucrari, usq; ad decem annos, quolibet anno tres libras: *arg. cap. ad nostram. de empt. & vend.* Circa hoc tamen nõ insisto, quia per prædicta ad sufficientiam & luce clarius patet, hujusmodi contractum ex multiplici capite fuisse & esse penitus nullum, & sic quicquid vigore dicti contractus per dict. Petrum Ioh. receptũ est, injustè & sine titulo receptum est, quare mitè cum eo agetur, si id quod receptum est, in sortem pecuniæ numeratæ compu-
7 tetur & deducatur. Nam de † rigore juris restituere deberet recepta, & perdere exposita, ex quo non apparet pecuniam fuisse conversam in utilitatem ecclesiæ. *l. jubemus nulli. §. sanè. & ibi Bald. & Salicet. C. de sacrosanct. eccles. & vult plenè Alexan. in consilio suo suprà allegato, post glos. ordinariam, in Authen. qui res jam dictas, C. de sacrosanct. eccles. & alios per eum ibidem relatos.* Qui enim contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere, *l. quemadmodum, in fin. Cod. de agri. & censi. libro 11.* sibique imputare posset, quare cum talibus facultatem

alienandi non habentibus non contraxit, discatque de cætero cautius mercari: *arg.*
8 *l. 2. C. de furt. cum simil.* Et dictus † Prior pœnam suspensionis ab officio ipso jure, auctoritate canonis, temerè rem ecclesiæ alienando vel onerando incurrit, *d. cap. primo. §. si quis.* Nec juvat, quòd dictus Prior promisit non contravenire per se, vel per alium: quia ipse non potuit superiori legem imponere, nec etiam conven-
9 tus, † cujus monachorum nomina specificari & exprimi tutius est, *secundum Bald. in l. prima. ff. de magistra. conven.* & ita utimur secundum eum ibidem: quæ tamē hìc non fuerunt expressa. Nec aliquid arguit, quòd appensum dicitur sigillum cōventus: quia illud potuit subtrahi, *cap. ter-*
10 *tio loco, de probatio.* Sigillum † etiam sine literis vel subscriptione est testis mutus & incertus, *secundum Baldum in l. falsus, in fine. C. de furt. & vult idem Bal. in tractatu de pace Constantię, in verbo, communi sigillo,* & sic non probat consensum cōventus intervenisse, & dato quod verè consensus conventus intervenisset, tamen id non sufficit, ut suprà dictum est per *d. Clem. 1. cum sua gl. & ibi Doct.* Concludo ergo ex præmissis, præfatum contractum esse nullum, & præfato Petro Iohannis ex eo nullum jus esse acquisitum, & bona ecclesiæ pro observatione illius nullo modo esse obligata: Imò pecuniam illius occasione sibi solutam per ecclesiam repeti posse: æquius tamen est, & ita fieri consulo, ut soluta cum receptis compensentur, ut sic dictus Petrus Iohannis juris ignarus graviter non lædatur, licet rigorem juris servando aliter fieri posset, ut
11 dixi. In his † enim quæ inducta sunt pro forma actus, juris ignorantia, non excusat mulierem vel rusticum, etiamsi non potuit consulere peritiores: Ita singulariter voluit *Baldus, quem omnes posteriores sequuntur, in leg. juris ignorantia. C. qui admit. ad bo... posses. possunt.*

CONSILIUM LXXV.

SVMMARIA.

1 *Feudi natura per pactum in investitura alterari & immutari potest.*

2 *Investituræ tenor principaliter est attendendus.*

3 *In feudo immortali qui succedant.*

4 *In successione feudi non attenditur proximitas respectu personæ à qua feudum vacat, sed à qua incepit.*

5 *Agnatus cognato in successione feudi præfertur, maximè quando feudum est indivisibile.*

6 *Casus omissus in investitura relinquitur dispositioni juris consuetudinarij feudorum scripti, non juris communis Romanorum.*

7 *Differentia suitatis & emancipationis sublata est etiam in feudis: non tamen differentia agnationis & cognationis.*

8 *Senior an semper juniori præferendus sit.*

9 *Masculo existente, nedum fœmina sed etiam natus ex ea excluditur, in successione feudi.*

10 *Actore non probante, reus & possessor etiamsi nihil præstiterit, absolvendus est.*

QUidam Wilhelmus de Beveren, ex contractu emptionis de speciali gratia & consensu principis, possedit pleno & hæreditario jure quoddam officium dictum **'t Schropambacht metter soutmaete**, cum suis pertinentijs: quo Wilhelmo defuncto, Nicolaus de Beve-

Beveren ejus filius primogenitus, in hujusmodi officio successit: & ne illud officium scinderetur in plures hæredes, idem Nicolaus resignavit illud jus hæreditarium ad manus Principis, & recepit illud eodem instanti à principe in feudum hæreditarium perpetuum & immortale pro se & hæredibus suis: defunctoque dicto Nicolao, successit eidem in prætacto feudo Wilhelmus de Beveren ejus filius, seclusa domicella Zoeta ejusdem Wilhelmi sorore, licet seniore: Ex post defuncto dicto Wilhelmo, in hujusmodi feudo successit præfata domicella Zoeta, atque ea defuncta sibi successit in eodem feudo Wilhelmus de Brakel dictæ Zoetæ filius, per cujus mortem jam feudum vacavit: dictus autem Nicolaus de Beveren primò infeudatus, habuit fratrem Iacobum de Beveren nuncupatum, patrem siquidem ipsius Magistri Wilhelmi de Beveren nūc appellantis, ac unam sororem Barbaram de Beveren nuncupatam, matrem siquidem Magistri Cornelij Henrici nunc appellati. Modò vertitur quæstio inter præfatum Magistrum Cornelium Henrici originalem actorem ex una, ac præfatum Magistrum Wilhelmum de Beveren originalem reum, ex altera, quis eorum in successione dicti feudi erit potior.

Pro cujus quæstionis decisione, præ-
1 supponendum est primò, quòd † natura feudi potest alterari & immutari per pactum in investitura positum, ut est *text. in cap. unico, de feud. non ha. propri. feud. natu.* & *ibi Bal. Alvarot. Præpo.* & *Doct.* & *in cap. feudum ea lege, in tit. si de feud. fuerit contro.* & *ibi singulariter Alvarot.* & *Præpositus.* Pacta enim insolita possunt apponi in investituris, & servanda sunt: ut in *tit. quid sit investit. §. præterea*: contractus enim ex conventione, legem accipiunt. *l. 1. §. si convenerit, ff. depo. cum similibus.* Secundum præsupponendum est, quòd feudum, de quo est quæstio, est indivisibile: ut patet ex tenore investitu-
2 ræ, cujus tenor † est maximè attendendus: ut est *text. in cap. primo, de duobus fratribus à cap. investit. per quem dicit ibi Bald. quòd tenor investituræ derogat omni feudi naturæ.* est etiam de hoc *textus in cap. primo, in principio, de fratri. de no. benef. investi. ibi, nisi facta sit investitura eo pacto*: & hinc est, quòd feudi successio potius fit ex tenore investituræ seu ex pacto, quàm ex successione, ut habetur & notatur *per Baldum* & *Doctor. in cap. 1. de success. feud.* & *in cap. primo, an agnatus vel fili. defunc. in usibus feud.* & per consequens ambo contendentes non possunt simul succedere.

Tertiò præsupponendum est, quòd feu-
3 dum † de quo est quæstio, est immortale: ut etiam ex tenore investituræ patet, & sic in eo succedere debent nedum collaterales descendentium à primo infeudato, sed etiam collaterales ipsius primi infeudati: quia aliàs feudum non esset immortale. & sic non obstat *cap. unicum. §. his vero deficientibus, versicul. si enim Titij avus, de grad. success. in feud.* quo minus collaterales dicti Nicolai primi infeudati etiam in hujusmodi feudo succedere possint. Quartò præsupponendum est, quod
4 in † successione feudi non attenditur proximitas respectu personæ ejus à qua vacat feudum, sed respectu ejus, à qua incepit feudum, ut vult *Gaspar de Caldri. in consilio suo 13. sub tit. de feudis, incipiente, concessum est feudum uni* & *hæredibus suis,* &*c. per textum cap. 1. in §. primo, ibi, si moriatur sine hærede,* &*c. de success. feud. in usibus feudorum, quem refert* & *sequitur dominus Præpositus in cap. 1. §.* & *quia, in quarta columna, de his, qui feudum dare poss.* Semper enim in successione feudi dirigimus oculos ad primum infeudatum, ut ibi per eum post alios per eum relatos. Ex quo sequitur, quod dictus Magister Wilhelmus est ipsius Ni-

colai de Beveren primi infeudati cognatus, quia ei attinet per lineam fœmininam, videlicet mediante matre ipsius: ut est *text. in vers. at qui pro fœminini sexus, Instit. eodem tit.* Quintò præsupponendum est,
5 quòd in † successione feudi agnatus præfertur cognato & ipsum excludit, ut *in dicto titulo, de grad. succes. in feud. post principium.* Nec obstat, quòd ex pacto in infeudatione dicti feudi apposito, cognati etiam possunt succedere, ex quo hujusmodi feudum, ut præmittitur, est immortale: & sic ne revertatur ad dominum, & fiat mortale, debet posse ad cognatos devolvi. Quia respõdetur, quod tenor hujusmodi investituræ duntaxat operatur exclusionem domini directi in casu quo non superessent agnati: ut tunc cognati etiam succedant domino excluso: sed quod agnati non excludant cognatos, hujusmodi pactum non habet. Standũ ergo erat consuetudini feudali scriptę, quæ habet, quod agnatus præfertur cognato, & ipsum excludit, prǽsertim quando feudũ est indivisibile, sicut est in casu præsenti, ut præmittitur: pro hoc *textus in dicto c. 1. de feud. non haben. prop feud. nat. & ibi not. per Alvarot. in tertio no-*
6 *tabili.* Casus † enim omissus in investitura relinquitur dispositioni juris communis, *l. si cum dotem, in principio, ff. soluto matrimonio, & cap susceptum, de rescript. libro sexto, cum similibus:* quod jus commune, hoc casu deficiente speciali consuetudine curiæ domini feudi, est jus consuetudinarium feudorum scriptum, non jus commune Romanorum: *juxta ea, quę plenè habentur & notantur per Baldum & Dominum Prępositum, Alexan. in c. 1. de feudi cognit. in usibus feudorum, & pro hoc etiam faciunt notata per dominum Præposit. in tit. de eo, qui sibi vel hæredib. suis, in secunda columna*, ubi vult, quòd quando feudũ ex tenore investituræ mutat propriam naturam feudi, ex quo sumus in materia feudali, magis debemus inspicere simile secundum naturam feudi, quàm jus commune: *juxta notata in dicto cap. 1. de feudi cognit. & in l. de quibus. ff. de legibus.* Unde in casu nostro licet investitura habeat, quod Nicolaus de Beveren recepit in feudum perpetuum & immortale 't Schropambacht metter fourmaete/ꝛc. Tamen ex quo concurrunt filius ex masculo, qui est cognatus dicti Nicolai primi infeudati, & filius ex sorore fœmina qui est cognatus ejusdem Nicolai: debet secundum naturam juris consuetudinarij feudalis præferri agnatus cognato: *dicto titulo, de grad. succes. in feud. post principium.* & li-
7 cet † differentia suitatis & emancipationis sit sublata etiam in feudis, non tamen differentia agnationis & cognationis: ut determinat *Iacobus Alvarot. & alij, in tit. qui feudum dare possunt, §. hoc quoque. ante finem.*

Ex quibus præsuppositis evidenter cõcluditur, dictum Magistrum Wilhelmum, præfati Nicolai primi infeudati agnatum, in hujusmodi feudo esse potio-
8 rem. Nec obstat, quòd † dictus Magister Cornelius est senior præfato Magistro Wilhelmo, & sic videtur, quod ipse esset præferendus, *argum. l. fina. ff. de fide instrum. cum similibus.* Quia respondetur, quòd hoc posset habere locum cæteris paribus, ut in simili dicit *Panormitanus in cap. primo, de majo. & obed.* Sed in casu nostro cætera non sunt paria: quia dictus Magister Wilhelmus, ut præmittitur, est agnatus: & præfatus Magister Cornelius cognatus. Agnatus autem de jure consuetudinario feudali, ubi natura feudi per pactum non est mutata, solus admittitur, cognato penitus excluso: *juribus suprà*
9 *allegatis.* Quando † ergo ex pacto fœmina, vel filius ex ea, & sic cognatus ex tenore investituræ admittitur: id propter naturam feudi intelligendum est deficiente

ciente masculo vel agnato respectivè: *per text. cap. 1. in §. filia verò, & ibi id notat Bald. & post eum dominus. Prepositus, & reputat notabile. in tit. de success. feud.* & *confirmatur per text. in cap. 1. in § hoc autem notandum, de his, qui feud. dare possunt:* & *per text. in tit. de grad. de succes. in feud. post principium.* qui text. expressè volunt, quòd existente masculo, nedum fœmina, sed etiam filius ex ea excluditur. Quare sequitur, quòd præsertim in paritate agnatus cognato, & masculus fœminæ, imò masculus filio ex fœmina, & sic cognato est præferendus: maximè in feudo indivisibili, ut in casu præsenti: & per consequens dictus Magister Wilhelmus in jure dicti feudi
10 est potior. Quare sequitur, quòd † judices primæ instantiæ debuissent dictum Magistrum Wilhelmum reum & possessorem ab impetitione dicti Magistri Cornelij absolvisse: ex quo præfato Magistro Cornelio in dicto feudo nullum jus competit, ut præmittitur, etiam si de jure dicti Magistri Wilhelmi non constitisset: *per l. fin. C. de rei vendica.* cum actore non probante reus debeat (etiam si nihil præstiterit) absolvi. *l. qui accusare. C. de edendo,* & *cap. fina. de jurejuran. cum vulgaribus.*

CONSILIUM LXXVI.
SUMMARIA.

1 *Redditus annuus super bonis ecclesiæ constitui non potest, nisi forma à jure tradita servata.*

2 *Possidere non dicitur, cui jus obviat.*

3 *Agens interdicto recuperandæ possess. quæ probare teneatur.*

4 *In possessorijs mixtæ naturæ absque titulo non concluditur possessio, nec in eis datur possessorium.*

5 *Spoliatus non restituitur in possessoriis causam proprietatis sapientibus, nisi possessorium coloret titulo.*

6 *Spoliatus contra se habens præsumptionem juris non restituitur, nisi possessionem se legitimè assecutum docuerit.*

7 *Titulus non præsumitur.*

8 *Laicus potest habere prabendam, sed non canoniam.*

9 *Spoliatus non restituitur quando notoriè constat vel constare potest incontinenti de non jure spoliati agentis possessorio.*

10 *Confiteri quis videtur posita in libello vel supplicatione porrecta.*

11 *Acta judicialia maximè post conclusionem in causa, faciunt notorium.*

12 *Notorius defectus juris petentis revocationem attentatorum, impedit revocationem ipsorum.*

13 *Fatalia non currunt agenti super attentatis.*

Reverende Pater, in causa appellationis dominorum commendatarij & conventus monasterij Sancti Trudonis appellantium, contra Antonium Colen & Elizabeth van Kockenburch appellatos, dignetur P.V. attendere: quòd licet in hac causa agatur possessorio recuperandæ, quod est valdè privilegiatum: tamen ex quadruplici capite dictus Antonius succumbere debet. Primò ex eo, quia dictus Antonius aut ejus uxor nunquam habuit possessionem, vel quasi, accipiendi redditum annuum, de quo est quæstio, ad & supra bona ecclesiæ vel conventus Sancti Trudonis. Quod deducitur, quia

1 quia † ſuper bonis Eccleſiæ vel Conven-
tus non poteſt conſtitui redditus, niſi in-
terveniente conſenſu ſuperioris, & ſerva-
ta forma à jure tradita: aliàs autem ex
hujuſmodi conſtitutione redditus, nullum
penitus jus acquiritur, *text. eſt ad literam*
in clement. 1. ante fin. de rebus eccleſ. non
alie. & *in cap. 1. eod. tit. lib. 6. ubi habetur*
decretum irritans, quod inficit nedum ti-
tulum, ſed etiam poſſeſſionem: ut eſt *de-*
ciſio Rotę 16. in novis, & *429. in antiquis:*
2 ubi autem † adminiculum juris non ad-
eſt, & fortius ubi obviat, ut in caſu præ-
ſenti, non dicitur quis poſſidere: licet ani-
mo & corpore inſiſtat rei, *ſecundum Azo.*
in ſumma, Co. de acqu. poſſ. in 2. col. quem
refert & *ſequitur Arch. in h. 2. ut lite*
penult. lib. 6. & *Domi. in cap. ad decimas,*
de reſtit. ſpolia. eod. lib. Cùm ergo hujuſ-
modi exceptio detrahat poſſeſſioni, ex
quo declarat poſſeſſionem non fuiſſe in
agente: non debet dictus Antonius poſſe
obtinere agendo poſſeſſorio recuperandæ
ad reſtitutionem, cum in perſona ejus de-
3 ficiat poſſeſſio, ut dixi. Ad obtinendum †
autem in interdicto recuperandæ requiri-
tur. Primò, quòd agens illo interdicto
pridem poſſidet: & ſecundo, quod ipſe
ſpoliatus eſt: ut eſt *text in cap. conſul-*
tationibus, de officio delegat. cum pluribus
ſimilib. Spolium enim præſupponit poſ-
ſeſſionem, ſicut privatio habitum. *l. decem.*
ff. de verborum obligation. & ita expreſsè
firmat *dom. Prępoſ. in c. porrò, in 4. col. in*
verſicul. nono fallit, de divor. & *Panormit.*
poſt Dominos de Rota in cap. 1. ante fin. de
reſtit. ſpolia. & *Dominic. poſt eoſdem Do-*
minos de Rota in d. cap. ad decimas, in pri-
ma colum. in verſic. ſed pone rector. Se-
cundò dictus Antonius debet ſuccumbere
4 ex alio, quia † poſſeſſorium in caſu præ-
ſenti ſapit cauſam proprietatis: quod pa-
tet, quia interdictum ſapere vel habere
annexam cauſam proprietatis ex eo venit,
quòd illa pro quibus hujuſmodi interdi-
cta dantur, poſſideri non poſſunt ſine ti-
tulo: ut eſt *bonus textus cum ſua gloſſ.* &
ibi Bartol. in l. 2. in § quædam, ff. de in-
terdic. ubi habetur & *notatur, quod in*
poſſeſſorijs mixtæ naturæ abſque titulo non
concluditur poſſeſſio, nec in eis datur poſ-
ſeſſorium: & *vult deciſio Rotæ 14. in*
novis, & *Panorm. in c. in literis, in 6. col.*
de reſtitut. ſpoliator. Sed non poteſt ha-
beri redditus per laicum ſine titulo, ut in
juribus ſuprà allegatis, ergo interdictum
poſſeſſorium pro ſubtractione hujuſmodi
redditus per dictum Antonium laicum
intentatum ſapit cauſam proprietatis:
5 modò ſic eſt, quòd in † poſſeſſorijs ſapien-
tibus cauſam proprietatis ſpoliatus non
reſtituitur: niſi poſſeſſorium coloret titu-
lo, *dict. leg. 2. §. quędam, cum ibi notatis,*
& patet in beneficialibus *juxta commu-*
nem opinionem Doctorum in dict. cap. in
literis, & *per Rotam in pręalleg. deciſione*
14. & *in matrimonialibus, ut in cap. ex*
tranſmiſſa & *cap. ex parte, eodem titulo:*
& *vult expreſsè Alexand. in l. naturali-*
ter, in §. nihil commune, in decima colum.
in verſiculo, quartò ſecundum Bald. hîc
fallit. ff. de acquir. poſſeſſ. & *Philip. in dict.*
cap. ad decimas, ergo etiam ita dicendum
eſt in propoſito. Patet ergo, quòd ex du-
plici capite dictus Antonius agens poſſeſ-
ſorio debet ſuccumbere. Primò, quia non
poteſt dici poſſediſſe, propter decretum
irritans poſitum in dictis juribus, ut præ-
dixi, & per conſequens non poteſt dici
ſpoliatus. Secundò, quia & ſi poſſediſſet
& de ſpolio conſtaret, tamen non deberet
reſtitui, niſi poſſeſſorium ſapiens cauſam
proprietatis coloraret per titulum, quod
in actis factum non comperio. Tertiò,
dictus Antonius ſuccumbere debet ex
6 alio, quia † quandocunque præſumptio
injuſtæ poſſeſſionis eſt fundata de jure
communi contra agentem tunc talis ex-
ceptio admittitur contra agentem poſſeſ-
ſorio recuperandæ, & non reſtituitur
ſpoliatus

spoliatus nisi evidenter docuerit, se possessionem legitimè fuisse assequutum, cùm eam injustè occupasse verisimiliter præsumatur: *textus est ad literam in d. cap. ad decimas, de restitut. spolia. libr. 6. & vult Alex. in d. §. nihil commune, in decima columm. in versicul. sexto fallit.* Modo sic est, quod in casu præsenti præsumptio injustę possessionis de jure communi fundata est contra dictum Antonium agentem, quod patet, quia ut præmissum est, redditus super bonis Ecclesiæ maximè per laicum haberi nō potest sine titulo, & servata forma à jure tradita, ac interveniente consensu superioris, imo jus tali possessioni resistit, ut ex suprà dictis patet. Hic autem petitur solutio redditus super bonis Ecclesiæ per laicum, nec exprimitur titulus: Est ergo præsumptio injustæ possessionis, de jure commu-
7 ni fundata contra agentem: quia † non debet præsumi titulus, vel quod forma à jure tradita intervenit, vel quod superior consensit, cùm facta non præsumantur, *leg. quæcunque. §. fina. ff. de public.* & licet redditus super bonis Ecclesiæ haberi posset interveniente consensu superioris, & forma à jure tradita: tamen quia hoc est ex accidenti & potest abesse, non debet in dubio attendi: ut in simili dicit *Rota in decisione 371. in antiquis per l. Seio. §. fin. ff. de annu. lega. cum aliis juribus ibidem allegatis.* Aliud autem esset, quando præsumptio juris non esset contra agentem possessorio: prout contingit, quando jus non assistit nec etiam resistit: & sic intelligi debet *cap. cum Ecclesia Suttina, de causa possess. & proprie. & d.c. in literis, secundum Dominic. & Philip in dict. cap. ad decimas, & Ioan. de Imola, in clemen. unica, de causa. possess. & propri.* Nec aliquid facit, quod reus est capax possessionis redditus perci-
8 piendi ab Ecclesia, cùm † laicus posset habere præbendam, licet non canoniam ut est *gloss. ordinaria in c. cum M. de constit.* Quia in primis dico, ut suprà dixi, quod decretum irritans positum in dictis juribus inficit hoc casu possessorium: *decisione 16. & 429. præallegatis:* ita quod talis non potest dici possessionem habere, ut etiam in simili dicit *Rota in septima decisione in antiquis.* Secundò dico, dato quod ipse fuisset capax possessionis, & quod possessionem vel quasi fuisset assecutus, tamen hoc nihil faceret ad obtinendum, ex quo jus commune est contra eum & pro reis, ut dixi, nisi hujusmodi possessionem ex titulo colorasset, quod non fecit: quia etiam in *d. ca. ad decimas,* canonici erant capaces possessionis decimarum, & tamen quia jus commune erat contra eos & pro reo, ipsi non restituuntur, nisi evidenter docuerint, se possessionem legitimè fuisse assecutos, ut ibi dicit textus. Ita etiam dico in proposito. Quartò, dictus Antonius debet succumbere, etiam si præmissa omnia cessarent,
9 ex alio capite: quia quandocunque † notoriè constat de non jure agentis possessorio, vel constare potest incontinenti, tunc ipse spoliatus non auditur petens restitutionem: ista est *theorica Innoc. in cap. constitutus, de filiis presbytero. approbata per omnes, & commendata plurimùm per Lanfran. in repetitione Rubricę, de causa possess. & proprie. in quinta colum. in versic. secunda limitatio:* & de ea est *text. apertus in c. significasti, de divortiis, ubi petenti restitutionem conjugis obstat notorium adulterium, licet constet de spolio: & dicit ibi Innocent. hanc theoricam procedere nedum in causa matrimoniali, sed etiam in qualibet alia:* & *idem firmat ibi Dominus Præpos. & idem Prepositus in d. cap. porrò, in quarta columm. in versicul. 14. fallit. & in versic. 17. fallit: & ibi etiam per Panorm. & est gloss. ordinaria in dict. cap. ad decimas, quam ibi sequuntur Dominic. Phili. & alii, & vult*

Alexan. in d. §. nihil commune, in 10. colum. in versic. 10. fallit & pulchrè Dominus Ioan. de Imo. in d clemen. unica, in ulti. col. & Rota decisio. 46. in antiquis. Sed in casu præsenti ex propria confessione actoris inter easdem partes facta constat de notorio non jure dicti Antonij agentis possessorio: quod patet, quia ipse in libello coram Domino officiali Leodiensi exhibito, libellat licentiam superioris in constitutione hujusmodi redditus non intervenisse, & idem narratur in rescripto à sede Apostolica ad reverendissimum Dominum Leodiensem, & Decanum Ecclesiæ Coloniensis per eum
10 impetrato: Modo sic est, quòd † quicquid per aliquem libellatur, ponitur, vel in supplicatione porrecta exprimitur, is qui libellat, ponit, vel supplicat, confitetur: ut est *text. cum gloss. in l. cum precum, C. de liber. causa, & gloss. in cap. 1. de confess. lib. 6.* cùm ergo sine licentia superioris super bonis Ecclesiæ redditus constitui non potest, *juribus præallegat.* patet manifestè, quòd notoriè constat de non jure dicti Antonij agentis possessorio
11 ex sua propria confessione. Acta † enim judicialia maximè post conclusionem in causa, faciunt notorium: *cap. cum olim, & ibi notatur de verbor. significat.* Nec potest efficacior vel apertior aut magis notoria esse probatio, quam quæ ex propria confessione venit: cùm non possit quis ex post facto resistere ei, quod sua voce dilucidè protestatus est, *l. generaliter in fin. Cod. de non num. pecu.* Sequitur ergo, quod dictus Anton. restitui non debet, per suprà allegata: imò quod
12 fortius est, notorius † defectus juris petentis revocationem attentatorum, impedit revocationem ipsorum: licet interdictum attentatorum sit longè plus privilegiatum, quàm interdictum unde vi: ut multum singulariter declarat *Rota in decisione 14. prgallegat. & decisio. 348. & 505. in antiquis.* magis ergo notorius defectus juris agentis possessorio recuperandæ, impediet restitutionem, quod erat probandum. Nec præmissis obstat *cap. querelam, in fine, de electio.* quia ibi non objiciebatur notorius defectus proprietatis, & sic recipit limitationem à theorica Doctor. præallegata: & eodem modo solvitur *dictum cap. cum Ecclesia, & dictum c. ex literis.* Non obstat etiam *d. c. porrò*, quia optimè ad illud respondet *Ioan. de Imol. in d. clem. unica, & Lanfran. in passu suprà allegato, & Dominic. post alios in d. cap. ad decimas*, dicentes quòd ibi exceptio opposita contra petentem restitutionem non erat notoria: & ideò nimirum si admittatur restitutio, ut latius ibi declaratur per eos, & sic casus ille nihil commune habet cum casu præsenti. Ex quibus omnibus concludo, pro appellantibus & contra appellatos debere pronunciari, & sententiam diffinitivam per Decanum sancti Georgij primæ instantiæ judicem post appellationem à rejectione propositorum relevantium legitimè interpositam temerè latam, tanquam attentatum debere revocari, *juxta ea quę habentur & notantur in cap. non solùm, de appellatio. libr. 6.* Nec dici potest, quòd quoad præmissa obstat lapsus
13 fatalium: quia † fatalia non currunt agenti super attentatis, imò totum illud tempus de fatalibus subducitur, ut est pulchra *decisio Rotæ 448. in antiquis, & 105. in novis.* Nec in prosecutione hujusmodi attentatorum servandi sunt termini sacri palatij, *ut vult alia pulchra decisio Rotę 765. in antiquis,* & in pluribus alijs remedium attentatorum est privilegiatum, ut latè habetur *per Rotam, in prę allegat. decisione 14. in novis.*

CON-

CONSILIUM LXXVII.

SVMMARIA.

1 *Missio in possessionem bonorum hæredis vel defuncti fieri potest ob non solutionem vel satisdationem legati.*

2 *Legatarius quomodo consequatur missionem in poss. bon. hæredis vel defuncti.*

3 *Mittere in possessionem est mixti imperij.*

QUæritur: An fieri possit missio in
possessionem bonorum defuncti vel
hæredis, ob non solutionem vel satisdatio-
nem legati: & an hujusmodi missio fieri
possit per judicem Ecclesiasticum, coram
quo pendet quæstio. Ad quod breviter
respondetur per ordinem modo infrà
1 scripto. Primò quòd † hærede non ca-
vente se soluturum legata etiam puré re-
licta, vel contumaciter se absentante, ne
de legato vel fideicommisso cognoscatur,
aut ne cautio ab eo exigatur: potest pro
securitate legatarij fieri missio in posses-
sionem bonorum defuncti statim post in-
choationem litis: *tex. est in le. 1. §. non
exigit prætor, in fin.* & *in le. si is à quo, in
principio,* & *in l. quamvis,* & *in l. is cui, in
principio, ff. ut in possess. lega.* & *in l. pri-
ma,* & *in l. etiam, ff. ut leg. no. cap.* & *in
l. 1.* & *in l. cum legati, ff. ex quib. caus. in
poss. ea.* & *in l. qui legati* & *in l. certa est
forma in principio, Cod. ut in possess. legato,*
imò quod plus est, fieri potest hæc missio
ob causas prætactas etiam in bonis hære-
dis post lapsum sex mensium à tempore
inchoatæ litis: ut est *textus clarus in d. l.
certa, in fin.* & *in d. l. is cui, in §. imperat.*
Nec tenetur si missus in possessionem re-
cederet à possessione, nisi legatum sibi so-
lutum aut eo nomine satisdatum fuerit,
quibus intervenientibus recedere debet
de possessione: *tex. est in l. si pecuniæ, in
2 §. 1. ff. ut in poss. le.* Antequam † tamen
posset perveniri ad decretum missionis,
habet legatarius summariè docere de jure
suo ut sic possit constare judici, eum non
calumniosè petere hanc missionem, *d. l. si
is à quo, post prin. cum sua singulari gl.* &
tex. & *ibi Bal. Sali.* & *DD. in l. 1. Cod. ut
in poss. leg.* exhibeat ergo testamentũ vel
codicillum, non abrasum, non abolitum,
non cancellatum, aut in aliqua sui parte
vitiatum, & faciat recognosci manum &
signum notarij: item doceat summariè per
duos testes de apprehensione bonorum, &
quod in cæteris penè omnibus punctis te-
stamentum fuit per hæredem approbatũ,
per hoc quod satisfecit de cæteris legatis:
ut mihi expositũ est. Nec per istam mis-
sionem impedietur processus in principali
negotio: *text. est peculiaris in d. l. qui le-
gati, in fin.* & *ibi Bal.* & *Doct. C. ut in pos.
3 lega.* Et quia † mittere in possessionem est
mixti imperii, *l. jubere cavere, ff. de jurisd.
omnium judic.* ideo realis & effectualis
missio fieri non potest, nisi per habentem
merum & mixtum imperium: & sic non
per judicem ecclesiasticũ merum & mix-
tum imperium non habentem, sed per ju-
dicem ecclesiasticum benè potest interpo-
ni decretum de mittendo, quo habito im-
petrabitur à justitiariis laicis imperium
merum & mixtum habentibus, quòd rea-
lem faciant missionem subveniendo juris-
dictioni ecclesiasticæ in hac parte: quod
facilè fiet per literas subsidij juris: ita no-
tabiliter sentit *Bald. in auct. ei qui ju-
rat, C. de bon. auct. jud. pos.* Attendendum
est etiam, quòd si hæres habitaverit extra
provinciam, fieri poterit citatio ad do-
mum & domicilium, *secundam eundem
Bald. ibid.* & *secundum Doctor. canonistas
in c. quoniam frequenter, ut lit. non contes.*
& *in cap. causam quæ, de dolo* & *contu.*

CONSILIUM LXXVIII.

SVMMARIA.

1 *Moneta in solutione annali redditum qualis requiratur, &c.*
2 *Mos regionis in qua contractus celebratus fuit, attenditur, & num. 17.*
3 *In bonæ fidei judicijs venire debent ea, quæ sunt moris & consuetudinis.*
4 *In concernentibus decisoria causæ consuetudo loci contractus semper inspicitur. & num. 26.*
5 *Contraxisse in eo loco unusquisque intelligitur, in quo ut solveret se obligavit.*
6 *Quod principaliter agitur potius, quàm quod accessoriè vel secundariò venit, inspiciendum est.*
7 *Fictio nunquam habet locum, nisi concurrat æquitas.*
8 *Pro promissore facienda est in dubio interpretatio.*
9 *Æstimatio rei debitæ consideratur secundum locum, ubi destinata est solutio.*
10 *Mora contrahi dicitur in loco destinatæ solutionis.*
11 *Locus contractus duobus modis dicitur, &c. & num. 18.*
12 *In executione non consideratur causa de præterito, sed locus & tempus ubi & quando fieri debet.*
13 *Valor bladorum emptorum in loco destinatæ solutionis, non initi contractus, inspicitur.*
14 *Valor beneficij impetrati consideratur secundum locum ubi est beneficium.*
15 *Contrahentes in dubio non præsumuntur sensisse de moneta reproba, sed de moneta in loco solutioni destinato cursum habēte.*
16 *Verba contrahentium juxta dispositionem & intellectum juris interpretanda sunt.*
19 *Dictum Doctoris intelligendum est secundum legem quam allegat.*
20 *Contrahens in loco destinato solutioni conveniri potest, & non in loco initi contractus, nisi ibi habeat domicilium.*
21 *Fidejussor conveniri potest in loco per principalē solutioni destinato.*
22 *In his quæ concernunt executionem contractus, inspicitur consuetudo loci destinatæ solutionis.*
23 *Locus destinatæ solutionis quando inspiciatur, &c. & n. 24. & 25.*
27 *In contractu duplici quis locus inspiciatur.*
28 *Relativum substantiæ in diversis orationibus inducit conjunctionem verbalem.*
29 *Veritas an magis sit inspicienda quàm fictio.*
30 *Actus agentium contra intentionē ipsorum non operantur, sed benè operantur pro vel præter, &c.*
31 *Ad decisionem causarum licitè allegatur ratio naturalis.*

32 Ea

32 *Ea quæ juris sunt in contractibus expressa censentur.*
33 *Periculum pecuniæ debitæ ante solutionem est ipsius debitoris.*
34 *Solutio fieri debet in loco solutioni destinato, & non alibi.*
35 *Cautela à debitore in loco solutioni destinato comparente observanda.*
36 *Abundans cautela in contractibus non nocet.*
37 *Verba an semper aliquid operentur.*
38 *Una eademque res diverso jure censeri non debet.*
39 *Determinatio sequens duo determinabilia, in dubio determinat utrumque in casu quo potest æqualitate observata.*
40 *Punctus in oratione habet vim copulæ.*

EX literis mihi pro casu, super quo juris consilium petitur, exhibitis earumque tenore, oritur dubitatio talis. Cujus
1 † loci valor seu æstimatio monetæ in solutione annuali redituum, de quibus est quæstio, attendi debeat: an valor loci destinatæ solutionis, an verò valor loci ubi contractus cœpit esse & perfectionem accepit. Et quia teste Aristotele philosophorum principe, opposita juxta se posita magis elucescunt: & teste *Bal. in l. precibus. C. de impub. & alijs substit.* ferro viam aperit, qui per contraria transit: arguam primò ad unam partem, deinde corroborabo & eligam aliam partem quæ meo imbecilli judicio, justitia, veritate, & æquitate fovetur: & demum respondebo objectis pro prima adductis. Redeundo ergo ad primum.

Videtur prima facie, quòd in hoc casu attendi debeat valor monetæ loci celebrati contractus, & quòd venditores talem monetam in oppido Bergensi supra Zomam deliberando debeant liberari, juribus, rationibus, & auctoritatibus infra
2 scriptis. Tum primò quia † ex quo inter partes contrahentium non est apertè conventum, cujus loci moneta attendi debeat, seu in quo valore hujusmodi reditus venditi solvi debeant; inspiciendum videtur, quod in regione illa, ubi hujusmodi contractus fuit celebratus, frequentabatur & usitatum fuit: *per text. notabilem, ubi videtur casus cum ibi notat. per Bartol. in l. semper, in stipulationibus. de regul. jur. cum similibus.* Tum secundò, quia contrahentes non præsumuntur cogitasse de alia moneta, quàm quæ in loco celebrati contractus cursum habuit:
3 ea enim † quæ sunt moris & consuetudinis loci celebrati contractus, in bonæ fidei judicijs debent venire, & habentur pro expressis: videnturque contrahentes se secundum illa regulasse, ut est *text. notabilis in l. quod si nolit, in §. quia assidua. ff. de ædili. edict. cum vulgar. notant. Bald. Alexand. & Moderni in l. hujusmodi, in principio. ff. de lega. primo. & idem Bald. in l. si quis sub conditione. in fin. ff. de condic. instit. & est text. optimus, & ibi etiam Bald. notat in l. fin. C. de fidejussori.* ergo, &c. Tum tertiò, quia lege cavetur, quòd consuetudo loci contractus inspicienda est: *text. est apertus in l. si fundus. ff. de evict.* quæ lex videtur decidere hunc casum, & ponere securim ad radicem. Tum quartò, quia *theorica Bart. in l. cunctos populos, C. de*
4 *sum. tri. & fid. cath.* habet, quod in † concernentibus decisoria causæ, quale est istud de quo quæritur, cùm ex hoc condemnatio crescat vel decrescat, semper inspicitur consuetudo, lex, observantia, seu statutum loci contractus; & non con-

conſuetudo vel ſtatutum loci judicij,
quando conſuetudines hujuſmodi loco-
rum ſunt diverſæ: ut in caſu præſenti: &
movetur per *d.l.ſi fundus,optimè proban-*
tem. Videtur ergo expeditum, quòd in
caſu preſenti inſpici debeat locus celebra-
ti contractus: quia licet dicti venditores
ratione adjectionis loci deſtinatæ ſolu-
5 tionis,poſſint ibidem conveniri,cùm † vi-
deantur quò ad hoc contraxiſſe, *l.contra-*
xiſſe,& ibi Dyn.Bart.& Doct.ff. de act.
& oblig.l.3.& ibi Doctor.ff.bo.auct.jud.
poſſ.& eſt tex. & ibi DD. in l.unica. C.
ubi conveni qui cer.loc. dar. promiſit. &
text.optimus in cap.dilecti,de foro compet.
qui fortius probat, quòd etiam hoc caſu
talis ſortitur forum in loco deſtinatæ ſo-
lutionis: non obſtante privilegio ſuæ pa-
triæ de non poſſe trahi extra patriam: et-
iam ſi talis ſit clericus, qui aliàs expreſsè
non poſſet prorogare juriſdictionem al-
terius judicis etiam eccleſiaſtici ſine con-
ſenſu ſui diœceſani, *c.ſi diligenti.*& *c.ſi-*
gnificaſti, eod.tit. Tamen propter theo-
ricam Bart. *in d. l. cunctos populos*, &
theoricam ejuſdẽ Bart.*in d.l.contraxiſſe*,
videtur omninò dicendum, quòd in caſu
præſenti,quò ad valorem monetæ annua-
tim ſolvendæ inſpici debet conſuetudo
loci celebrati contractus: & non conſue-
do loci deſtinatæ ſolutionis. Tum quin-
6 tò, quia † potius inſpiciendum eſt, quod
principaliter agitur,quàm quod acceſſo-
riè vel ſecundariò venit, *l.ſi quis nec cau-*
ſam,ff.ſi certũ petat.l.1.in princ.ff.de au-
tor.tutor.l.navis adverſa.ff.ad leg.Rod.de
jac.& *l.prima.* § *unde Offilius,ff.de exer-*
cit. Sed in caſu præſenti ſolutio acceſſo-
riè ſeu ſecundariò venit ad obligationem,
ergo inſpicienda videtur conſuetudo loci
contractæ obligationis,non deſtinatæ ſo-
lutionis.Tum ſextò, quia plus inſpici de-
bet veritas, quàm fictio *l.filio.ff.de liber.*
& *poſthum.* & §.& *ſi rem Inſtit. de lega.*
Cùm ergo in loco deſtinatæ ſolutionis ſo-
lùm fictè cenſeatur contrahi, in loco verò
celebrati contractus verè: ergo locus ce-
lebrati contractus magis inſpici debet:
7 & eo magis,quia fictio † nunquam habet
locum, niſi concurrat æquitas, ut eſt
theorica Bartol. quam omnes ſequuntur
in l.ſi is qui pro emptore. ff. de uſucap.
Sed hic reſultaret,ut videtur, magna ini-
quitas: ſi dicti venditores cogerentur ſo-
lutionem facere in moneta curſum haben-
te in loco deſtinatæ ſolutionis,cùm de illa
ut præmittitur non cogitârunt,& eo ma-
gis quia illa aſſeritur eſſe gravior, attento
quod actus agentium non operantur con-
tra legem ultra intentionem contrahen-
tium, *l.non omnis,in princip. ff. de rebus*
8 *cre.*ergo.&c.Tum etiam,quia in † dubio
facienda eſt interpretatio pro promiſſo-
re,& contra ſtipulatorem, *l. quicquid a-*
ſtringendæ.ff.de verbor.oblig.cum ſimili-
bus: & in dubio ad id quod minimum
eſt redigenda eſt ſumma. *l ſemper in ob-*
ſcuris.ff.de regul.jur.cum vulgaribus: &
imputet ſibi emptor hujuſmodi reddituũ,
qui potuit legem apertius dicere & non
dixit, *l.veteribus, ff. de pactis.* Iſtis ta-
men non obſtantibus, videtur mihi ſub-
ſcripto, quòd veritas eſt in contrarium:
quod deduco juribus,rationibus & aucto-
9 ritatibus infrà ſcriptis: & † primò *per l.*
vinum, in fi.ff.ſi cert. pet. & *per l.fi.cum*
ibi notatis per Ang.ff.de tritica: quibus
juribus apertè cavetur, quòd æſtimatio
rei debitę conſideratur ſecundum locum,
ubi deſtinata eſt ſolutio ſeu deliberatio:
non obſtante quod contractus alibi ſit
celebratus: id etiam probatur *toto tit.ff.*
de eo quod cer. loco: & *præcipuè in l.*
ideò, illo eodem titulo, junctis ibidem no-
tatis per Angel.& *Raphael.Fulgo.*qui di-
cunt, quod licet de jure communi valor
ſeu æſtimatio pecuniæ debeat eſſe ea-
dem ubique, ut ibi eſt textus,quanquam
precia aliarum rerum varientur ſecun-
dum diverſitatem locorum & regionum:
ut et-

ut etiam ibi dicit text. tamen qui interdum in aliquibus locis aliter servatur, ut punctualiter accidit in casu præsenti Idem dicendum est secundum eos in variatione monetæ, quod deciditur toto illo titulo in alijs rebus, ut videlicet inspiciatur valor monetæ, qui est in loco destinatæ solutionis. Præterea deduco istud rationibus infrà scriptis. Et primò sic: quia
10 † ubi certus locus solutioni faciendæ destinatus est, tunc non facta solutione in termino & loco præfixo, mora dicitur contrahi in loco destinatæ solutionis: & non in loco celebrati contractus, *l. 1. & Bartol. Angel. & Doctor. ff. de usur.* & voluit *Alber. de Rosate in dict. l. vinum:* dies autem interpellat pro homine, & constituit debitorem in mora, *cap. ponit, de locat. & l. magnam. C. de contrahen. & commit. stipula.* Nimirum ergo si inspiciatur valor rei debitæ secundum locum ubi destinata est solutio.
11 Tum etiã, quia locus † contractus dicitur duobus modis. Primò ubi contractus cõventio, sive obligatio perficitur, seu verba proferuntur. Secundò ubi solutio seu deliberatio destinatur: de primo loquitur *dicta l. si fundus:* de secundo loquitur *dicta l. contraxisse*, cum alijs juribus suprà allegatis. Modò sic est, quòd quò ad perfectionem contractus seu ad solennitatem ad esse seu subsistentiam ejus requisitam, semper inspicitur statutum seu consuetudo loci celebrati contractus: & ita intelligitur *dict. l. si fundus, secundum Ang. ibidem*, qui sic summat illam legem: & secundum eundem *in dicto. §. quia assidua, & secundum Bart. Angel. & Doctores in dict. l. prima, ff. de usur.* & est ratio, quia ex quo agitur de consuetudine contrahendi, non mirum si inspiciatur locus initæ conventionis, ubi contractus accepit perfectionem: Sed ubi agitur de consuetudine solvendi, ut in casu presenti, vel de his quæ veniunt implenda diu post contractum, & in alio loco impletioni destinato, tunc inspicitur locus destinatæ solutionis, ita expresse determinat *Angel. post Bald. in d. l. si fundus:* & idem determinat Baldus in his, quæ concernunt executionem contractus, *in l. quero, ff. de solutio.* ubi tradit hanc theoricam, quòd in expeditivis contractus, non inspiciuntur ordinativa contractus, sed locus solutionis: cui concordat alia theorica Bald. *in auten quas actiones, C.*
12 *de sacrosanct. eccles.* ubi dicit, quòd † in executione non consideramus causam de præterito, sed locum & tempus, quando & ubi fiet: quia executio est actus de futuro, secundum eum: de qua theorica meminit Ioan. de Platea *in l. missi opinatores, C. de exactor. trib. lib. 10.* Præterea istud deduco auctoritatibus infrà scriptis. Et primò ultra auctoritatem Angel. *in dict. l. si fundus, & Bald. in dicta l. quero, & in dicta autent. quas actiones,* adduco *Iacob. de Arent. in dict. l. tertia. ff. de bonis auctoritate judic. possid.* ubi
13 expresse determinat, quòd si vendatur bladum vel quid aliud in uno loco, deliberandum in alio loco pro certo precio: & oriatur quæstio super rescissione contractus propter deceptionem ultra dimidiam justi precij: *juxta l. secundam, C. de rescind. vendit. & capit. cum dilecti, & capit. penultimo, de emptio. & vendi.* venditione allegante, se deceptum inspecto valore bladi, qui est in loco destinatæ solutionis vel deliberationis, emptore contrarium asserente inspecto valore bladi, qui est in loco celebrati contractus: quod hoc casu pro decisione dictæ controversiæ inspiciendus est valor bladorum loci destinatæ solutionis seu deliberationis, & non valor loci celebrati cõtractus: ut si vẽditor reperiatur deceptus ultra dimidiam justi precij, attento valore bladorum, qui est in loco destinatæ solutionis, obtineat rescissionem contractus:

tractus: non obstante quòd habito respectu ad valorem loci celebrati contractus non posset dici deceptus ultra dimidiam justi precij: Sin autem succumbat: Ex qua decisione clarè patet, inspiciendum esse valorem loci destinatæ solutionis, & minimè valorem loci celebrati contractus: & idem in terminis præmissis invenio determinasse *Cyn. Alber. de Rosate, Alexand. de Imola, Iason. & Doct. in dict. l. vinum.* licet de Iacobo mentionem non faciant. Secundò adduco auctoritatem. *Oldra. in consilio suo 168. in principio,*
14 ubi consuluit, quòd † valor beneficij impetrati consideratur secundum locum ubi est beneficium, & non secundum locum ubi facta est impetratio, seu ubi gratia ortum sumpsit per *d. l. contraxisse cum alijs juribus suprà allegatis.* Tertiò adduco auctoritatem *Alexan. de Imola, in consilio 37. quinti voluminis*, ubi concludit, quòd attendi debet moneta loci beneficij, quando quis impetravit sibi gratiam, ut possent ibi conferre beneficia usque ad certam summam, & non moneta loci in quo facta fuit gratia, referens & approbans *dictum consilium Oldrad.* Quartò confirmo hãc partem auctoritate *Domini Ias. consummatissimi Doctoris in d. l. vinum*, ubi in terminis præsentis dubij expressè tenet hanc partem. Præterea ultra præmissa pro hac parte etiam facit tenor hujusmodi literarum, in quarum primis cavetur, quod in primo termino solvendi erunt centum. 33. Rhenenses, septem stuferi, & octo mitæ Flandriæ, & paulò post subditur, quod depost, in quolibet termino solvendi erunt ducenti floreni monetæ prædictæ, & expost subditur, quòd in eventum non solutionis in quolibet termino emptor hujusmodi reddiutum quolibet die consumere poterit tres grossos monetæ Flandriæ ad rationem cujuslibet libræ: & idem multo pinguius habetur in alijs literis mentionem facientibus de quadringentis sexaginta sex florenis Rhenensibus tredecim stuferis & sexdecim mitis Flandriæ, an-
15 nui & hæreditarij redditus: ergo † clarè patet, contrahentes non sensisse de moneta in loco celebrati contractus cursum habente, quæ in patrijs Domini Archiducis reproba censetur, & sic ibi expendi non potest, *l. eleganter. §. qui reprobos nummos, ff. de pignor act.* habetur & notatur *in cap. 4. de jurejuran. in l. Paulus. ff. de solutio.* sed sensisse de moneta in loco solutioni destinato cursum habente, attento quòd moneta Flandriæ conformis existit quò ad cursum & valorem monetæ cursum habenti in loco destinatæ solutionis. Nam hujusmodi geminatio seu repetitio in dictis literis sępius facta de moneta Flandriæ nedum inducit demonstrationem, sed etiam arctationem seu restrictionem: ita quod talis moneta & non alia solvi posset: ita singulariter in similibus terminis determinat *Bal. in c. fin. de offic. delegat. per text. notabilem in l. Balista, ff. ad Trebellian.* Cùm ergo moneta Flandriæ & moneta in loco destinatæ solutionis cursum habens, sit uniformis quo ad valorem: clarè patet, in illa moneta & valore ejus solutionem fieri debere. Nam de mente contrahentium constat ex duplici capite. Primò ex tenore dictarum literarum, ut præ-
16 dixit: Secundò ex vi † verborum adjectionis loci destinatæ solutionis, capiendo intellectum juris, secundum quem verba intelligi debent: & non secundum capitalem sensum alterius contrahentium: ut est textus notabilis *in cap. ex literis primo, junctis ibidem notatis per Innocen. Panorm. Præposit. & Doctor. de sponsal.* ubi ponitur hæc Theorica: quod quando partes proferunt verba, certum quid vel mysterium ex dispositione Iuris importantia, licet partes postea dicant, verba illa non intellexisse vel vim hujus-

modi

modi verborum non concepisse, non creditur eis: Imò spreto eorum capitali seu sophistico intellectu, capiendus est intellectus juris, etiam si de statu hominis agatur, & sic de maximo præjudicio: *juxta gloss. in c. mulieri, de jurejuran.* pro quo etiam facit *c. ne innitatis, de constit.* fortius ergo est capiendus intellectus juris in casu præsenti, Concludo ergo, quòd debet annuatim fieri solutio in valore florenorum Rhenensium in oppido Bergensi suprà Zomam, loco, siquidem destinatæ solutionis cursum habentium. Restat modo respondere objectis in contrarium adductis: & primo non obstat primum, quia respondeo per interemptionem negando quod in casu præsenti non est expressè conventum, de qua moneta debeat solvi, quia imò hoc satis apertè conventum est inter contrahentes, tum propter illa verba monetæ Flandriæ sæpius repetita, ut suprà dixi, tum etiam propter appositionem loci destinatæ solutionis: ex quo jus interpretatur, solutionem fieri debere in valore monetæ cursum habentis in loco destinatæ solutionis: ut suprà deduxi. Et per id etiam tollitur quod ex adverso objectum est de auctoritate *Bartol. in d. l. semper in stipulationibus*:
17 quia † ipse loquitur in casu, quando unicus duntaxat fuit locus contractus, ut quia promissio fuit facta simpliciter, & solutio non fuit destinata alibi, licet res vendita erat alibi sita, quod non facit censeri ibi esse contractum, ut pulchrè declarat *Alexan. de Imol. in consilio suo 49. quinti voluminis, & Bal. in l. prima. C. de contrahen. empt. & vendit.* & sic loquitur omnino extra casum præsentem, in quo duplex est locus contractus, ut suprà dixi, quo in casu in tantum censetur contractus celebratus in loco destinatæ solutionis, quod nullo modo censetur celebratus in loco ubi verba fuerunt prolata, quò ad ea quæ veniunt post contractum, in esse productum, ut suprà dixi, & infrà latius deducam. Et sic non obstat.

Non obstat etiam secundum, quo dicitur, quòd partes contrahentes non intellexerunt de alia moneta, quàm quæ ibi cursum habuit, &c. quia imò videntur intellexisse prout jus intelligit, *præalleg. c. ex literis primò, cum ibi notatis per Innocen. Panor. Præposit. & Doct.* tradentes theoricam suprà relatam. Item ex alio videntur intellexisse de moneta cursum habente in loco destinatæ solutionis: propter specificationem monetæ Flandriæ, ut suprà dixi, & sic non obstat. Non obstat etiam aliud, quo dicitur, quòd consuetudo loci contractus inspicienda est, &c.
18 Quia dico, ut suprà dixi, quod † locus cōtractus dicitur duobus modis. Primò, ubi contractus celebratus est: Secundò, ubi solutio destinata est. Nunc ad propositum dico, quòd quando solutio non est destinata alibi, etiam si res super qua contrahitur sit alibi sita, tunc consuetudo loci celebrati contractus semper inspicitur consuetudo quò ad omnem effectum, exceptis præparatorijs judicij, in quibus inspicitur consuetudo loci suscepti judicij, puta originis vel domicilij rei: & ita procedit *dicta l. semper in stipulationibus, cum ibi notatis per Bartol. & notata per Bald. in d. l. 1. C. de contrah. empt. & not. per Alex. in d. consilio 49. & nota. per Cyn. Bart. Bald. & Doct. in l. 1. C. quæ sit long. consue. & not. per canonistas in c. quod clericis, de foro comp.* ubi verò in uno loco celebratus est contractus, & in alio loco destinata est solutio, ut in casu præsenti, tunc quò ad ea quæ concernunt solennitatem actus, item ad esse & perfectionem contractus, inspicitur consuetudo loci celebrati contractus: unde si ex statuto loci contractus requiratur certa solennitas in ipso contractu, vel ad subsistentiam contractus requiratur solutio gabellę, vel quid simile: tale statutum vel

conſuetudo debet obſervari, licet in loco
deſtinatæ ſolutionis non ſit ſimile ſtatu-
tum: & idem ſi ex conſuetudine loci
contractus requiratur ſatiſdatio de evi-
ctione cum pignoribus: & ita propriè lo-
quitur *d.l.ſi fundus*, pro contrario allega-
ta: & ibi expreſsè *Angel.* & *Doct.* & ita
intelligi debet theorica *Bart. in d.l. cun-
ctos populos*, & *in d. l.contraxiſſe*, & *in d.*
19 *l.1.ff.de uſur.* Nam dictum † Doct. de-
bet intelligi ſecundum legem, quam alle-
gat: ut vult ibidem *Bart. in l.non ſolùm,
in §.liberationis.ff.de liber.lega.* ſed *d.l ſi
fundus*, ſuper qua Bart. ſe fundat, non plus
probat, quàm prædixi: ut ibi declarant
Ang. & *Doct.* & ſentiunt alij Doct. *in lo-
cis ſuprà allegatis*, ergo, &c. Sed quæ ve-
niunt ex poſt facto celebrato contractu,
& eo perfecto implenda in alio loco im-
pletioni deſtinato, ſemper inſpicitur con-
ſuetudo loci deſtinatæ ſolutionis, & non
conſuetudo loci celebrati contractus:
quod ultra præmiſſa deduco argumento
inconvincibili, à ſufficienti partium enu-
meratione: quod eſt efficaciſſimum in
jure. *l. patre furioſo. ff. de his qui ſunt ſui*
20 *vel alie.jur. cum ſimilibus.* Nam aut †
quærimus quis locus inſpiciatur quoad
forum: & certum eſt quòd inſpicitur lo-
cus deſtinatæ ſolutionis, *dict.leg. contra-
xiſſe. & dict.leg.tertia.ff.de bon auc.jud.
poſſid. & præallegato cap. dilecti*: & mi-
nimè locus celebrati contractus, in quo
talis convenire non poteſt, niſi ibi habeat
domicilium: ita expreſsè determinat *gl.
& Doct. in d.l contraxiſſe, & gl. Alex. &
Doct. in d.l. 3. & eſt tex. juncta gl. & ibi
Paul. de Caſt. & Doct. in l.hęres abſens, in
§.fina.ff.de jud. notant canoniſtæ in d.c.
dilecti, Bart. Paul. de Caſtro & alij legiſtę
in d. l. 1. de eo quod certo loco, & idem
Paul. de Caſt. in l eum qui §. 1.ff.de con-
ſtit pecu. & Bart. Bald. & Doct. in d.l.
quęro*, in quibus juribus dicunt, quod in
loco deſtinatę ſolutionis adeò fingitur ce-
lebratus eſſe contractus, quod nullo mo-
do cenſetur eſſe celebratus in eo loco, vbi
verba contractus fuerunt dicta vel prola-
lata, niſi aliud expreſsè ſit actũ: exceptis
his quæ concernunt ſolennitatem & ſub-
ſiſtentiam contractus, ut dixi: imò fortius
voluerunt *Ang. & Alex. de Imol. in l.qui
Romæ.ff.de verb.oblig.* & refert ſequitur
& approbat *Dom. Iaſon. in d.l. 1.ff.de eo
quod cert.loc.* quod licet Roma ſit cõmu-
nis patria, ita quòd quiſque poſſet ibi cõ-
veniri *l.Roma.ff.ad munic.* & habetur &
not. *per canoniſtas in c.fin.de fo.comp.* ta-
men ſi quis contrahat Romæ, & promit-
tat ſolvere alibi, puta Paduæ vel Floren-
tiæ, non poterit Romæ conveniri: & ſic
ratione cõtractus non ſortitur ibi forum,
licet ſit communis patria: niſi aliàs ibi
habeat domicilium, ſecundum eos: imò
21 quod mirabilius eſt, ſicut † ipſe principa-
lis cenſetur contraxiſſe in loco deſtinatæ
ſolutionis & ibi ſortitur forũ, ut prædixi:
ita etiam fidejuſſor vel mandator, licet lo-
cus deſtinatæ ſolutionis duntaxat adje-
ctus ſit in obligatione principali: cenſetur
enim repetitus in obligatione acceſſoria.
*tex. eſt notabilis & ibi Bart. Bald. Ang.
Paul. de Caſt. Ioan. de Imo. & Doct. in l.ſi
ut proponitur.ff.de fidejuſ.* Aut quęrimus,
22 quis † locus inſpiciatur quoad ea quæ
concernunt executionem: & certum eſt,
quod inſpicitur locus deſtinatę ſolutionis,
textus eſt *in d. l. quęro, & ibi Bald. idẽ
Bald. & Ang. poſt Fedc. de Senis in d.l.ſi
fundus*: unde dicũt ipſi, quòd ſi in loco ce-
lebrati contractus ſit ſtatutum, quòd de-
bitor poſſet capi & incarcerari, vel quod
inſtrumenta notariorum habeant execu-
tionem paratam: in loco verò deſtinatæ
ſolutionis non ſit ſimile ſtatutum, ſed ſer-
vetur jus commune: attẽdetur quoad hoc
obſervantia & lex loci deſtinatæ ſolutio-
nis, per *d.l.quæro*: & idem volunt Doct.
moderni *in d.l cunctos populos.* Aut quæ-
23 rimus, † quis locus inſpiciatur quoad ex-
tinctio-

tinctionem actionis, propter præscriptionem statutariam vigentem in uno loco & non in alio, vel quo ad exactionem pœnæ adjectæ quantitati: ubi statuta locorum sunt diversa: & certum est quod inspicitur locus destinatæ solutionis, ita expresse determinat *Bart. Ang. & Doct. in d. l. 1. ff. de usur. & idem Ang. in d. l. si fundus*, & *Bar.*
24 *in d. l. cunctos populos*. Aut quærimus † quis locus inspiciatur quoad accessoria, ut puta expensas & damna de jure canonico, & usuras de jure civili, si minores vel leviores sint in uno loco, quàm in alio: & similiter certum est, quod inspicitur locus destinatæ solutionis, nedum quoad principalem obligationem, sed etiam quoad accessoria: *tex. est notabilis* & *ibi Panor.* & *Doct. in d. c. dilecti*, & *in d. l. 1. ff. de usur.* & *ibi gl. Bart. Bald, Ang.* & *Doct.* & *voluit Alex. in d. l. quæro*, & *etiam tex. in d. l. si ut proponitur.* & *ibi omnes DD.* Aut
25 quærimus † quis locus inspiciatur quoad ea quæ concernunt valorem rei debitæ: & similiter certum est, quòd inspiciendus est locus destinatæ solutionis, & non locus celebrati contractus, sive hic investigatio fiat propter interesse creditoris in recipienda deliberatione rei debitæ consistente in specie, cùm varia sint precia rerum in regionibus distinctis. *dict. l. ideo*, & *per tot. tit. ff. de eo quod cer. loco*, & *præall. l. vinum, in fin.* & *præall. l. fin. ff. de tritica*, & *ibi specificè Ang.* sive, hæc investigatio fiat ad rescissionem contractus, propter deceptionem ultra dimidiam justi precij. *juxta d. l. 2. C. de rescin. vend.* Nam similiter certum est, quòd inspicitur valor loci destinatæ solutionis, ita expresse determinat *Iacobus de Aret. in d. l. 3.* & *Cyn. Alber. de Rosate, Alexand. Iason* & *Doct. in d. l vinum*, sive hæc investigatio fiat propter interesse creditoris cui debetur pecunia: cùm alia sit æstimatio seu valor monetæ in loco destinatæ solutionis, quàm in loco celebrati contractus, ut in casu præsenti: & similiter certum est, quòd attendi debet valor loci destinatæ solutionis, & non valor loci celebrati contractus: ita in terminis nostris expresse decidit *Dominus Iason in d. l. vinum*, & *Ang. post Bald. in d. l. si fundus*, & *idem Angel.* & *post eum Raphae. Fulgos. in d. l. ideo*, & *Oldra. in dicto consilio 168.* & *post eum Alexan. de Imol. in dicto suo consilio 37.* & sic dictum contrarium non obstat. Et eodem modo respondeo
26 ad aliud quod dicitur, quòd in † decisorijs debet inspici consuetudo vel statutum loci contractus. Quia dico, quod dicta theorica procedit sine scrupulo, quando unicus duntaxat est locus contractus, puta, quia solutio non est destinata alibi: tunc enim in decisorijs non est inspicienda cõsuetudo seu lex loci judicij, puta domicilij vel originis rei, nisi quoad præparatoria judicij: sed lex vel consuetudo loci celebrati contractus, etiam si res super qua contrahitur sit ibi sita, ut suprà dixi: & ergo si in loco contractus ad probationem plenam sufficiunt duo testes, in loco vero judicij requiruntur quatuor ex statuto, inspicitur consuetudo loci contractus: quia istud tendit ad decisionem causæ, & ita loquitur *Baldus in dicta leg. cunctos populos, in 16. colum.* & *in d. l. 1. circa finem, C. quæ sit longa consuet.* & similiter si in loco contractus minor ex statuto non potest restitui, in loco verò judicij potest restitui, inspicitur consuetudo vel statutum loci contractus, & non loci judicij: quia ex quo contractus nascitur inexpugnabilis attẽto hujusmodi statuto in nullo loco poterit peti restitutio in integrum, nisi illa peteretur ratione læsionis postea emergentis ex præscriptione vel in judicio, secundum *Bart. Bald.* & *Doctor. in dict. l. cunctos populos*, qui in hoc ultimo casu salvant *gloss. quæ est in leg. 2. ff. de eo quod cert. lo.* ubi
27 † verò duplex est contractus, ut in casu

præſenti, tunc eſt diſtinguendum: Quia aut quæri mus an in deciſorijs inſpiciatur locus celebrati contractus, an locus deſtinatæ ſolutionis quoad ea quæ reſpiciunt ſolennitatem actus, vel quæ oriuntur ſecundum naturam ipſius contractus tempore contractus, & debent adhiberi in contractu vel impleri tempore contractus: & tunc dico quòd debet inſpici conſuetudo loci celebrati contractus, & ita procedit theorica Bart. pro contrario allegata, quæ deberet intelligi, ut dixi, ſecundum legem quam allegat. Aut quærimus, an in deciſorijs inſpiciatur conſuetudo loci celebrati contractus, an conſuetudo loci deſtinatæ ſolutionis quoad ea quæ veniunt implenda diu poſt contractum in eſſe productum in loco impletioni deſignato: tunc dico quod inſpicienda eſt lex ſeu conſuetudo loci deſtinatæ ſolutionis, & non conſuetudo loci celebrati contractus: ita expreſsè determinat *Bald. Angel. Raphael Fulgo. Cyn. Aberic. de Roſate, Iocob. de Areti. Oldrad. Iaſon, & Doctor. in paſſibus ſuprà allegatis*: & in hoc caſu non procedit theorica Bartol. per ſuprà allegata, & ſic non obſtat: Non obſtat etiam aliud quo dicitur, quòd potius inſpiciendum eſt, quod principaliter agitur, quàm quod acceſſoriè venit, &c. Quia fateor hoc verum, ſed non ſervit propoſito, quia in caſu præſenti utrumque æquè principaliter in obligatione venit, ut ex verbis hujuſmodi literarum clarè patet, quia unico conſtructu, & in una oratione tam obligatio, quam ſolutionis ſeu deliberationis promiſſio & deſtinatio profertur per re-
28 lativum † ſubſtantiæ, quam ſummam, &c. cujus natura eſt continuare & proſequi materiam præcedentem: imò tanta eſt ipſius relativi poteſtas, ut etiam in diverſis orationibus inducat conjunctionem verbalem, ſecundum *Baldum & Ang. in l. Iulianus, in princ. ff. de hæred. inſt.* quare non obſtat. Non obſtat etiam
29 aliud quo dicitur, quòd plus † inſpicienda eſt veritas, quàm fictio, &c, quia dico, quòd hoc eſt regulariter verum, ſed fallit in multis caſibus, inter quos caſus præſens eſt unus, quia hic longè fortius operatur locus deſtinatæ ſolutionis, quam locus celebrati contractus, ut infrà deduxi: & ita in terminis volunt *canoniſtæ in d. c. dilectis. Bart. Paul. de Caſt. Iaſ. & alij legiſtæ in d. l. 1. ff. de eo quod cer. lo. & idem Paul. in d. l. eum qui §. 1. & in d. l. hæres abſens. §. fin. & Ang. Alexan. & Doct. in d. l. qui Romæ.* Et per hoc etiam tollitur aliud quo dicitur, quòd fictio non habet locum niſi concurrat æquitas, quia id utique verum eſt: ſed in caſu præſenti maxima ſubeſt æquitas, ut ſolvatur pecunia in valore curſum habente in loco deſtinatæ ſolutionis, propter varietatem monetæ & utilitatem contrahentium. *d. l. ideo, cum ibi notatis per Angel. & Rapha. Fulgoſ.* ratione cujus actio ſtricti juris efficitur arbitraria, ita quòd ſi alibi ſolvatur, habetur ratio valoris qui eſt in loco deſtinatæ ſolutionis, *tot. tit. ff. de eo quod cer. lo.* & ſic non obſtat. Non obſtat
30 etiam aliud quo dicitur, quòd † actus agentium non operantur contra intentionem eorum: quia fateor quòd actus agentium non operantur contra intentionem contrahentium, ſed benè operantur pro vel præter. *l. ſi is qui §. fin. ff. commo.* hic autem non operantur contra ſed pro, tum propter adjectionem loci, tum propter ſpecificationem monetæ Flandriæ, ita in multò fortioribus terminis decarat *Ang. in l. Proculus. ff. de uſufruct.* Non obſtant alia in contrarium adducta, quia non ſumus in caſu dubio ſed claro, deciſo per leges & auctoritates præclariſſimorum Doctorum abundè ſatis ſuprà ad-
31 ductas: unde nulla † debet cenſeri ſubeſſe dubitatio vel ambiguitas, *l. ancillæ, cum ſua gloſſa, & ibi Bald. Paulus de Caſtro,*

Castro, & Doctores. Co. de furtis. Quinimò ad decisionem causarum deficientibus legibus licitè allegatur ratio naturalis, ut est gloss. ordinaria *in cap. consuetudo, prima dist.* & est textus optimus *in leg. scire oportet, in §. sufficit, & ibi Bald. ff. de excu. tuto. & bon. textus in cap. 2. requiris, & ibi Panorm. & Doct. de appell.* Contraria autem procedunt, quando est dubium facti & juris, quorum neutrum est hic, unde succedit illa trita regula, in incertis, non in certis locus est conjecturis. *leg. continuus. §. cùm ita. ff. de verbor. oblig.* & per hoc etiam tollitur aliud objectum, quia in casu pręsenti, lex est apertè dicta, tum propter specificationem monetæ Flandriæ sæpius repetitam, tum propter adjectionem loci destinatæ solu-
32 tionis, quo expresso cætera † quæ juris sunt expressa videntur, *juxta pręallegatam theoricam Innoc. Panorm. Prępo. & Doctor. in d. c. ex literis. 1. & decisionem Rotæ 468. in novis, quę incipit, extra Rotam.* Nec valet si dicatur, prout unus consulentium pro parte adversa dicere conatur, quòd si verba dictarum literarum modo præmisso intelligantur, tunc illa verba in eis posita videlicet, t'onse pericle, erunt superflua & nugatoria, cùm
33 certum sit, quòd periculum † pecuniæ debitæ ante solutionem sit ipsius debitoris, cùm sit debitor quantitatis, quæ perire non potest. *le. incendium. C. si certum petatur. & l. in ratione. §. diligenter. ff. ad leg. Falc. cum similibus.* Cùm ergo jus odio habeat actus frustratorios, & cùm verba ita debeant intelligi, ut aliquid operentur, *leg. si quando. ff. de legat. 1.* & *cap. si Papa, de privileg. lib. 6.* etiam si debeant impropriari, secundum *Bart. in le. quarta, in §. prætor. ff. de damn infect.* ergo videtur, quòd hujusmodi verba intelligi debent taliter, quòd solutio fiat in loco celebrati contractus, & quòd ea ibi facta in moneta ibi cursum habente nuda traditio

seu solutionis executio, ut verbis dicti Domini consulentis utar, fiat in oppido Bergensi supra Zomam: quia dico, quòd dictus Dominus consulens salva ejus reverentia somniavit, & quòd turpe est præsertim viro patricio causas oranti, jus scilicet in quo versatur, ignorare. *l. 2. §. juris civilis scientiam, in ver. Servius autem Sulpitius. ff. de orig. jur.* in fundamento juris enormiter & multipliciter erravit. Præsupponendo primò, quòd ubi adjectus est certus locus in quo fieri debeat solutio, distinctus à domicilio debitoris, quod nihilominus solutio posset fieri in domicilio debitoris quod est falsum & contra casum legis expressum, quia
34 non † potest fieri solutio nisi in loco solutioni destinato, ut est textus expressus ad literam *in leg. is qui cer. ff. de eo quod cer. loc.* Item præsupponendo secundò, quod creditor hoc casu teneatur die constituta ad recipiendum solutionem ire vel mittere ad domum debitoris, quod similiter est falsum, quia jus neminem arctat ad impossibile, *juribus vulgaribus.* Sed ita est, quod ubi certus locus solutioni fiendæ destinatus est, jus arctat creditorem ad comparendum in illo loco die constituta ad recipiendum solutionem, quando creditor & debitor sunt diversi fori, & est debitum quantitatis, & est dies certa expressa, vel tacita à jure subintellecta, ut in casu præsenti aliàs debitor non constituitur in mora lapsu temporis
35 præfixi non obstante, imò hoc † casu creditore non comparente, sufficeret quod debitor in loco destinato solutioni compareret, vel mitteret & protestaretur coram notario & testibus, quod paratus esset solvere, si videret aliquem qui posset legitimè recipere pro creditore, *d. l. is qui certo, juncta l. item illa, cum sua singulari gl. ff. de constit. pecu. & ibi Bart. Paul. de Cast. & Doct. & idem volunt Panorm. & do. Ioan. de Imo. in c. significante, de pig.*

Vu 3 ergo

ergo clarè patet, quod creditor uno eo-
demque tempore non tenetur comparere
in loco domicilij debitoris, à loco solutio-
ni destinato fortè multum distante & re-
moto. Ex quo etiam sequitur, quòd de-
bitor hoc casu non posset liberari faciendo
protestationem, de qua suprà de consti-
tuta ad solvendum in loco sui domicilij,
cujus tamen contrarium dictus Dominus
consulens præsupponit, & malè, *d. l. is qui
certo, juncta dict. l. item illa, cum utrobique
not. per Doctor.* Cùm ergo propter adje-
ctionem loci destinatæ solutionis ipsi de-
bitores teneantur pecuniam deferre ad il-
lum locum, ubi aliàs quando non esset ad-
jectus locus solutioni fiendæ, ipsi prote-
stando in domo propria liberarentur, *præ-
allegat. l. item illa*, non incongruè nec su-
pervacuè adjectum est in dictis literis,
quòd hoc facere debent suis expensis &
periculo, tum quia hoc tacitè inest, & sic
deducitur in pacto secundum naturam
contractus, tum etiam, quia occasione
tollendæ litis quæ in posterum, si id ex-
pressum non esset, oriri posset, id cautè
pro abundanti cautela expressum est, quæ
36 † abundans cautela in contractibus non
nocet, *leg. testamentum, cum sua gloss. C. de
testament.* hinc pulchrè dicit *text. in l. pe-
riculis. §. Labeo, ff. de auro & argen legat.*
quòd non mutat substantiam rerum, non
necessaria verborum multiplicatio. Hinc
etiam pulchrè ad propositum dicunt *Ho-
stiens. Ioan. Andr. & Dominus Anton. de
Butrio in ca. nimis primò, de excess. prælat.*
quod in instrumentis, literis, & privile-
giis non possunt nimis specificari specifi-
canda ad tollendam sophisticam interpre-
tationem malignorum, secundum eos,
per quod tollitur objectum quo dicitur,
37 quòd verba † debent aliquid operari &c.
quia dicta regula fallit, quando aliquid
exprimitur ex his, quæ dependent à vo-
luntate, vel tacitè insunt, & fit expressio
ex superabundanti: tunc enim talia verba
nihil operantur secundum *Dominic. in d°
cap. si Papa, & est text. in leg. 3. ff. de leg.
1.* Ea enim quæ causa dubitationis tol-
lendæ in contractibus inseruntur, jus
commune non lædunt, *l. qui mutuam, in
princ. ff. mand.* Ex quibus profectò red-
ditur ridiculosa cavillatio & sophistica
interpretatio dicti Domini consulentis,
qua dicit, quòd solutio fieri debet in loco
celebrati contractus, & executio ejusdem
in oppido Bergensi supra Zomam: Quod
ultra prius dicta deduco aliter, & primò
sic, quia in dictis literis unico constructu
& eadem oratione seu conceptione ver-
borum dicitur, quòd solutio & delibera-
tio fieri debebit in dicto oppido Bergen-
si: ergo clarè patet, solutionem & deli-
berationem in eodem loco fieri debere, ne
38 aliàs sequatur absurdum, quòd una † &
eadem res diverso jure censeatur, contra
leg. eum qui ædes. ff. de usucap. & quòd
sequentia non declarent præcedentia,
maximè eodem constructu seu conce-
ptione verborum in eadem oratione posi-
ta, contra *l. si servus plurium. §. fin. ff. de
leg. primo.* Tum etiam, quia dispositio
etiam plures orationes habens debet uni-
formiter intelligi, nec est cauda separanda
à capite, ut ad aliud referatur principium
& ad aliud finis, ut dictus Dominus con-
sulens facit & malè, *textus est notabilis,
& ibi gloss. Panorm. & Doct. in c. majo-
res, circa medium, de baptis.* Tum etiam,
39 quia quotiens † una determinatio sequi-
tur duo determinabilia, in dubio determi-
nat utrumque in casu quo potest æquali-
tate servata. *text. est notabilis, & ibi
Bart. Bald. Paul. de Cast. Ioan. de Imol.
Alex. & Doct. in l. jam hoc jure. ff. de
vulg. & pupil.* Sed sic est præcisè in casu
præsenti, ergo, &c. Cujus contrarium
ipse Dominus consulens etiam vult &
malè. Tum etiam, quia ut suprà dixi ex
dicta interpretatione sequitur absurditas,
impossibilitas & repugnantia, ergo est
respuenda

respuenda lex, *ubi repugnantia. ff. de reg. jur. cum similibus*: imo quod fortius est, si somniemus, ut fortè dictus Dominus consulens somniavit, quòd ante illa verba, **te leveren/ etc.** in hujusmodi literis posita sit punctus, tamen adhuc hujusmodi interpretatio convincitur esse so-
40 phistica, cum punctus † habeat vim copulæ & idem operetur, ut est *glos. ordinaria in leg. cum duobus. in §. si in coëunda, & ibi Bartol. & Doctor. ff. pro socio, & gloss. in leg. precia rerum.* & *ibi Alex.* & *Doctor. ff. ad l. Falci.* & *voluit Bald. in l. placet, in fin. C. de sacrosanct. eccles.* Sed sic est, quòd de natura copulæ est denotare, quòd eadem sit qualitas in casu posteriori, quæ est in casu præcedenti, & econtrà, de primo est *text. notabilis in l. Seiæ. in §. Gajo. ff. de fundo instruct.* & de secundo *est gloss. ordinaria in leg. si sic, in principio. ff. quemadmodum servi. amit.* quam refert & sequitur *Dominus Iason in leg. jusjurandum quod ex conventione, in §. procurator. ff. de jurejur.* Sed si in dictis literis ante dicta verba, **te leveren/ etc.** esset hæc copula, **ende/** res esset clarissima, ut patet ad sensum, ergo etiam & nunc res debet censeri esse clara, si dicamus ibi esse punctum, qui habet ut dixi vim copulæ, & multò fortius res est clara si ibi non fiat punctus, sed unico constructu & conceptione verborum sine pausa seu suspensione dicta oratio soluta pronuncietur, prout verisimiliter à partibus contrahentibus fuit intellecta: quemadmodum etiam communiter & à quolibet rectè sapienti intelligeretur. Ad quam communem intelligentiam de jure recurrendum est, *preallegato capit. ex literis primo.* Ex quibus omnibus concludo, solutionem dictorum reddituum fieri debere de jure in florenis & valore in oppido Bergensi supra Zomam, loco siquidem destinatæ solutionis cursum habente.

CONSILIUM LXXIX.

SVMMARIA.

1 *Testamenta tot sunt, quot personæ testamentum facientes.*

2 *In re communi quis sua & non alterius parte uti voluisse censetur.*

3 *Nemo præsumitur hæredes plus dilexisse quàm seipsum.*

4 *Consensus vim contractus habet quò ad revocationem.*

5 *Verba dubitationis tollendæ gratia prolata nihil ulterius operantur.*

6 *Argumentum à contrario sensu locum non habet quando contraria juris dispositio est expressa.*

7 *Testamentum revocare potest etiam qui juravit vel promisit non revocare, &c.*

8 *Testamenti factio ejusdemq; revocatio semper debet esse libera.*

CAsus, E, & H. conjuges habentes bona hæreditaria acquisita & communia, pari manu, mutuo consensu reliquerunt per viam testamenti seu ultimæ voluntatis suis hinc inde proximioribus consanguineis residuum bonorum acquisitorum, mediatim proximioribus hæredibus ipsius mariti, & mediatim proximioribus hæredibus ipsius uxoris: deinde accidit, quòd dicta H. sicut Deo placuit, decessit, post cujus mortem vel decessum dictus E. ad alia vota convolans prætactum suum legatum revocavit, & id quod heredibus suis reliquit, ad uxorē, cum qua contraxit devolvi voluit. Quæritur, an jure potuit. In quo dubio, omissis superfluis argumentis, quæ hinc inde possent

possent adduci videtur nobis infrà scriptis resolutivè esse dicendum, quòd hujusmodi revocationem de jure facere potuit, & hoc ex motivis infrà scriptis. Primò, quia
1 de jure † duo censentur esse testamenta, ex quo vir & uxor simul testati sunt, quia tot sunt testamenta, quot sunt personæ testamentum facientes, ut vult *Oldrad. in consilio suo* 174. & *Ioan. Andr. in addit. Spec. titulo de testamen.* §. 1. per jura ibidem per eos allegata, quæ ad hoc benè faciunt: & sic perinde est, ac si unusquisq; eorum discretivè de medietate bonorum communium ad eum spectante disposuisset, & per consequens superstes suam ultimam voluntatem revocare potuit, ut in passibus suprà allegatis. Præterea ex quo duo sunt testamenta, & testati sunt dicti conjuges de communibus bonis per eos
2 acquisitis, censetur † unusquisque in dubio disposuisse de parte sua, & minimè de parte alterius, ut est *text. in leg. servi electione. §. fin. ff. de lega.* 1. & *vult Bald. in l. penult. Cod. de impub.* & *alijs substit.* & faciunt notata per *Ioan. de Imo. in l. fin. § filium. ff. de legat.* 2. quod enim commune est, meum est, quo ad dispositionem partis meæ, ut in *d. §. fin.* Et quod in casu præsenti quilibet censetur legasse partem suam duntaxat, hoc patet ex verbis testamenti, quæ in effectu sic sonant, Et omnia reliqua bona acquisita dicti E. & H. legant eorum proximioribus hæredibus, videlicet medietatem proximioribus hæredibus dicti E. & aliam medietatem proximioribus dictæ H. &c. Ex quibus verbis evidenter constat, quòd unusquisque solum voluit disponere de parte sua, & non de parte alterius, & unusquisque solum voluit legare medietatem eum concernentem, hæredibus suis & non
3 hæredibus alterius, quia non † præsumitur superstes plus dilexisse hæredes proprios quàm seipsum, *argu. le. cum acutissimi. C. de fideicommiss.* & *l. generaliter. §. cùm autem. Cod. de instit. substit.* & *restit. sub condi. fac.* & *le. cùm avm. ff. de condit. & demonstrat.* quod necessario dici deberet, si unusquisque conjugum de toto residuo bonorum acquisitorum disposuisse censeretur, cum tunc conjunx superstes proprietatem suæ partis amisisse censeretur, & sic plus dilexisse hæredem proprium quàm seipsum. Nec obstat, quòd dicti conjuges de consensu mutuo condiderunt hujusmodi testamenta, cùm
4 ergo † consensus habeat vim contractus quoad revocationem, sequitur quòd dictus E. dictum testamentum propter consensum adhibitum revocare non potuit, *per leg. sicut. § venditionis ff. quibus mod. pig. vel hypo solvitur, juncta leg. sicut ab initio. Cod. de action.* & *obligat. junctis notatis Barto. in leg. cùm quis decedens. §. codicillis. ff. de leg.* 3. *cum similibus.* Quia dicendum est, quòd quamvis dictus E. non potuit revocare consensum per eum adhibitum dictæ H. in testamenti per eam conditi factione, ut probat argumentum: Tamen ex hoc non sequitur, quòd ipse E. non potuit revocare testamentum proprium, per ipsum E. etiam de consensu præfatæ H. suæ uxoris conditum, qui est casus noster nihil commune habens cum theorica *Bart.* & *Doctor. in d. §. codicillis*: si enim dicta H. non consensisset præfato E. potuisset nihilominus ipse E. testari de medietate hujusmodi bonorum acquisitorum, pro indiviso ad eum spectante, ergo licet præfata H. consensit dicto E. ut de sua medietate testaretur, ille consensus non aufert potestatem revocandi, quia ille consensus datus fuit ad augmentum, ergo ille consensus non debet operari diminutionem *l. legata inutiliter. ff. de legat.* 1. *cum similibus.*

Nec obstat si dicatur, quod consensus mutuus nihil operaretur, cùm etiam sine consensu alterius alter potuisset de parte sua disposuisse quod est contra *leg. si quando,*

quando in principio.ff.de legat. 1. *& cap. si Papa, de privileg.lib.*6. Quia respondetur, quòd regula dictorum jurium non
5 procedit, quando † aliquid exprimitur ex superabundanti & causa dubitationis tollendæ: tunc enim talia verba non debent interpretari, ut aliquid operentur. *leg.qui mutuam.ff.manda. & notat Dominic. de sancto Geminiano, & post eum Philip. Franc. in d.cap. si Papa.* Sed sic est in casu nostro, quòd dictus consensus mutuus est appositus ex superabundanti, & causa dubitationis tollendæ, quia potuisset dubitari, an dictus E. potuisset disponere in re communi de parte sua pro indiviso sine consensu dictæ H. & econtrà. Ad quam dubitationem tollendam fuerunt apposita dicta verba. Nec obstat, quòd in dicto testamento cavetur, quòd dicti conjuges, reservaverunt sibi potestatem revocandi testamentum suum de consensu alterius conjugis, ergo à contrario sensu, alter sine alterius consensu suum testamentum re-
6 vocare non potuit, cùm argumentum † à contrario sensu sit fortissimum in jure, nedum in verbis legis. *leg. conventiculam, & ibi Bald. & alij Doctor. Cod. de Episc. & cleric. & in leg. qui testamento. §.mulier.ff.de testamen.* & in verbis contrahentium, *l. inter socerum.§.cum inter. ff. de pac. dotal.* verum etiam in testamentis. *leg.aliquando ff.de condit. & demonstrat. & l.quod purè.ff.quando di.leg. ce.cum similibus.* Quia respondetur, quod argumentum à contrario sensu non habet locum, quando in casu contrario est expressa contraria juris dispositio, ut vult *gloss. ordinaria in capit. unico de ætat.* & *quali.ordi.lib.*6. *& gloss. in cap.significasti, de foro competen. & gloss. in Clem.* 1. *de sentent. excom, & volunt Doctor. in le.* 1. *in § hujus rei.ff.de offic. ejus cui mand. est jurisdictio,* & *canonistę in cap. publicato, de electio.* & *in cap cum apostolica, de his quę fi. à prela. sine consen. cap.* Sed in casu nostro est jure cautum, quòd quam-
7 vis † aliquis promisisset non revocare testamentum sine consensu alterius, imò & si jurasset, tamen posset revocare, *juxta notata per Bart.* & *Doctor. in l. si quis in principio testamenti. ff. de lega.* 3. & est ratio, quia testamenti factio non potest dependere ex alieno arbitrio. *l. illa institutio, in principio. ff. de hæred. instit. leg. captatorias. Cod. de testam. milita.* & *l. captatoriè. ff. de legat.* 1. pro quo etiam benè facit *text. in l.cum tale.§.si arbitratu.ff. de cond.* & *demonstrat.* & *nota. per Paul. de Castro,* & *Doctor. in leg. turpia.§.*1.*ff. de legat.* 1. in quibus locis habetur, quòd conditio apposita legato contra libertatem matrimonij, quod debet esse liberum, rejicitur. Sic etiam pactum appositum contra libertatem revocandi testamentum debet rejici, cùm testamenti fa-
8 ctio † & ejusdem revocatio debet esse libera. *leg.* 1 *C. de sacros. eccles.* & non debet dependere ex alieno arbitrio, *juribus suprà allegatis.* Concludendo ergo videtur nobi infrà scriptis, quòd dictus E. potuit dictum suum testamentum, quoad medietatem eum cõcernentem, revocare.

CONSILIUM LXXX.

SUMMARIA.

1 *In judicium venisse non censentur, quæ post litem contestatam obveniunt.*

2 *Sententia definitiva validè ferri non potest, super quibus lis non est contestata.*

3 *Lite contestata libellus alterari vel actio mutari nequit.*

4 *Probationes super fama locum non habent, postquam super crimine facta est inquisitio.*

5 *Non entis nullæ sunt qualitates.*
6 *Accusans de vi publica & probans vim privatam succumbit.*
7 *Rescripta principum intelligi debent, ne tertius lædatur.*
8 *Rescripta in præjudicium tertij tendentia revocari debent.*
9 *Crimina undecunque claruerint, sunt punienda.*

SUper dubio mihi proposito, quo quæritur, An accusatione super homicidio contra A. reum & vindictam proposita, & lite super veritate ejusdem delicti contestata, testibusque desuper productis, & in publico, ut moris est examinatis, possit seu debeat accusans seu villicus illi adhærens ad de novo proponendum seu articulandum famam eadem durante instantia de jure admitti, & si non, An saltem per viam relevamenti seu restitutionis jure quodam speciali ad id admitti debeat. Videtur mihi subscripto post habitam desuper maturam deliberationem quoad utrumque dubium de jure breviter dicendum, quòd non, juribus, motivis & rationibus infrà scriptis. Nam
1 in primis certo certius est, † quòd judicium ex his quæ post litis contestationem obveniunt justificari non potest, imò quæ post litem contestatam obveniunt, censentur in judicium non venisse, & sic sequi debet absolutio, & alia interpellatione opus est *text. est expressus in leg. non potest videri. ff. de re jud. & in cap. abbate sanè, de re jud. lib. 6. & in c. cum ecclesia Sutrina, de causa possess. & proprie.*
2 Ex quo † enim super hujusmodi deductis, quæ post litem contestatam obveniunt, lis contestata non est, non potest desuper sententia diffinitiva validè ferri, & si feratur processus talis irritus est & nullus, ut est *text. apertus in c. unico, in fin. de litiscontest. cum sim.* Certum etiam est, quòd aliud est judicium intentatum super veritate delicti, & aliud intentatum super fama, quia in uno concluditur ad pœnam, in alio solum ad torturam seu quæstionem, *eod. tit. ff. & Cod. de pe. & tot. tit. ff. & C. de quæst.* Item certo certius est, quòd
3 post † litem contestatam non potest alterari libellus nec mutari actio in præjudicium rei, ut est *text. & ibi notatur in leg. edita. C. de eden. & in l. 1. ff. eod. tit.* & *in c. significantib. de libel. oblat.* imò cogitur actor, tàm in civili, quàm in criminali causa perseverare in actione intentata, nisi ex toto velit liti renunciare, *Auth. qui semel. C. quomodo & quando jud. quam ita intelligit Pau. de Castro, & Doct. in dicta l. edita.* Ex quibus lucidè patet, quòd durante hac instantia, in qua super veritate delicti disputatum est, lite contestata, & testibus productis non potest accusator vel villicus articulum novum dare de fama, cùm hoc esset mutare actionem post litem contestatam, quod non licet, per supradicta, & hoc expressè firmat *Innocen. pater juris, in cap. cùm oporteat, de accusa. in 2. colum.* ubi aperta fronte dicit, quòd
4 † inquisitiones super fama & probationes desuper habent locum antequam fiat inquisitio super crimine. Nam postquam super crimine fit inquisitio, ex tunc non haberent locum probationes super fama, nisi adminiculentur secundum eum, & allegat § *item sæpè, 4. questio. 3.* in casu autem præsenti certum est, famam non adminiculari, quia ut mihi præsupponitur in facto, per testes publicè ut moris est examinatos nihil de veritate criminis impositi probatum, nec de fama quicquam prius articulatum est, ergo non potest intelligi vel concipi adminiculum ejus quod
5 non est in rerum natura. cùm † non entis nullæ sint qualitates, *l. ejus qui in provincia, ff. si certum petat. cum vulgaribus.* Præterea pro isto est Theorica, *Cyni in l. 2.*

l.2.C.de proba. quam in hoc sequitur & approbat *Salicet.in l.tutores.C. ad l.Iul. de vi public. vel priv.* quæ habet, quod
6 accusans † & petens quem condemnari de vi publica, & probans vim privatam succumbit: quia accusatio de vi privata non videtur in judicium deducta, & idem vult *Barto.in l.denunciasse, in §.quid tamen.ff.de adulter.* ergo ita etiam dicendum est in proposito, pro isto etiam faciunt jura generalia, quæ dicunt, quòd non licet actorem vagari in incerto, vel variare in præjudicium alterius, *cap. ut quis duas, de electio.libro 6.cum similibus.* & jura quæ dicunt favorabiliores esse reos quàm actores, *l. Arrianus, ff. de act. & obliga.& cap.ex literis, de proba.* Sanctius enim est nocentem absolvere, quàm innocentem condemnare, *l. abundantem in principio,ff.de pœnis*, pro isto etiam est ratio *Clemen.testibus,de testib.* quæ propter timorem subornationis, vetat etiam in causa appellationis, testes produci post publicationem attestationum, &c. Item pro hac parte etiam sunt jura, quæ volunt lites non esse immortales, *cap. finem litibus, de dol.& contum.& l.fratres, Cod.de transact. cum similib.* & jura quæ volunt ferri absolutionem propter ineptitudinem actionis, vel ob non probationem accusatoris, *c.examinata, de jud.* & *l.qui accusare.C.de eden.* Et tantùm de primo quæsito. Quò verò ad secundum quæsitum, videtur mihi idem dicendum, & moveor
7 ultra prædicta, quia † indultum principis in dubio sic debet intelligi, ut per hoc tertius non lædatur, *l.2.§.meritò.* & *§ si quis à principe, ff. ne quid in loc. public.* & *cap. quamvis, de rescript. libro 6. cum similibus.* maximè impetratum lite pendente, quod ut odiosum debet restringi, *l. 1.* & *2 C.ut lite pend.* ergo hujusmodi indultum principis, tanquam ab omni jure devians & exorbitans, debet intelligi, ut consonet juri communi, juxta *c. causam quæ, de rescript.* dummodo scilicet lis contestata non fuerit, & dummodo expensæ parti reæ refundantur ut juris est, ut sic conveniat *dict.l.edita,& aliis juribus suprà allegatis*, præcipuè cùm lata dicatur interlocutoria per scabinos Lovanienses in favorem rei per quam declaratum est, villicum ad dandum novos articulos super fama post litem contestatam & productionem testium admittendum non esse, quæ sententia in rem transivit judicatam, ex quo ab ea appellatum non fuit, *c.cum dilecti, de electio.cum similib.* & sic ex ea ultra supradicta quæsitum est
8 reo jus, ut de cætero tales articulos durante hac instantia prima, recipere non teneatur: cui juri partis princeps † in dubio per suum indultum surreptitiè & obreptitiè obtentum non videtur, nec censeri debet voluisse derogare *jurib.præall.* & si indultum hujusmodi contrarium sonet, tunc tanquam irrationabile parte inaudita per opportunitatem obtentum, & sine causæ cognitione concessum, debet ex causis præmissis revocari tanquam juri contrarium, tendens ad noxam, & in præjudicium tertij: *c.suggestum, de deci.* & *l.rescripta.C. de precib. imper. offer.ubi text.nota.* Nec præmissis obstat, si dicatur, quod crimina
9 † undecunque claruerint sunt punienda, *cap.ecce 21. quæst. 3. cum similibus juribus ad idem tendentibus.*

Quia dico, quòd hoc debet intelligi secundum modum propositum & probatum, ut ad literam dicit *Panorm in cap. super his, in primo notabili in fi.de accusat.* non autem potest accusans pro libito suæ voluntatis vagari & variare, quia hoc esset destruere omnes regulas juris de hac materia loquentes, ut ex suprà dictis lucidè patet.

Ex quibus omnibus concludo, accusatorem & villicum ad dandũ de novo articulos super fama durante hac instantia admittẽdos non esse: & rescriptũ seu indul-

 tum,

tum, si quod desuper emanavit, fuisse & esse revocandum.

CONSILIUM LXXXI.

SUMMARIA.

1 *Contrarius sensus in contractibus, legibus & statutis venire dicitur ex mente contrahentium, legum vel statutorum.*

2 *Pro expresso habetur quod à contrario sensu colligitur.*

3 *In pactis dotalibus sensus contrarius ex mente contrahentium venit.*

4 *Quod tacitè agitur, pro expresso habetur quò ad effectum juris.*

5 *Argumentum à contrario sensu quid operetur, &c.*

6 *Pro disposito habetur, quod verisimiliter fuisset dispositum, si disponens de eo fuisset interrogatus.*

7 *Voluntas evidens & liquida dicitur, quæ ex conjecturis etiam colligitur.*

8 *Casus omissus habetur pro omisso quando pro expresso ex aliqua conjectura haberi non potest.*

9 *Hæres non compellitur ad observandum juramentum à defuncto cujus est hæres præstitum.*

VEnerabilis Domine Officialis, ad finem ut luculenter constet, dominationem vestram esse judicem competentem in causis coram eàdem d. v. per & inter domicellam Margaretam de Potsumberghe impetrantem ex una, & Adam van Caversem & alios ipsius litisconsortes partibus ex altera, pendentibus præ oculis haberi debet illa vulgata & vera
1 theorica Docto. quæ habet, quòd † casus
veniens à contrario seu sensus contrarius in contractibus dicitur venire ex mente contrahentium seu paciscentium, prout contrarius sensus legis vel statuti dicitur venire ex mente ipsius legis vel statuti, ita vult *Bald.* & *Doctor. legistæ in l. conventiculam, in princip. C. de episc. & cler.* & *Doctor. maximè novissimi in l. 1. §. hujus rei. ff. de offic. ejus cui mand est jurisdict.* & *Ioan. de Imo. Alex.* & *Docto. in l. si cum dotem, in fin. principij, ff. solut. matrim.* & *canonistæ in c. publicato, de elect.* & *est bonus textus in cap. cum apostolica, ibi, per quod indirectè datur intelligi,* & *ibi hoc notant Panor. Ioan. de Imo.* & *alij de his, quæ fi. à prelatis, sine consensu cap.* & *Felin. in cap. significasti, in penult. col. de foro compe.* & *vult glos. ordinaria in l. qui testamento, in §. mulier, ff. de testam.*
2 quæ dicit, quòd † contrarius sensus legis
pro lege accipitur, quam supplendo dicit ibi Paul. de Castro, quòd id quod tacitè colligitur à contrario sensu pro expresso habetur: & probatur istud *in l. in possessionem in §. 1. ff. ex quibus causis in possess. eatur,* & *in l. apud antiquos, ibi per conjecturam, C. de furtis,* ut ibi dicit gloss. ordinaria, quòd conjectura est, quando sensus tacitè ex litera elicitur & non est in litera expressum: probatur etiam *in l. his solis, ante finem, in verbo, tacitè cautum putamus, Cod de revoc. dona.* & *in l. aliquando, in fin. ff. de cond. & demonst.* & *in l. quòd purè, in princip. ff. quando di. leg. ce.* Et ne videar ire per mendicata suffragia, quoad propositum nostrum,
3 quòd scilicet † in pactis dotalibus sensus
contrarius, venit ex mente cõtrahentium, allego *text. expressum in l. inter socerum in §. cum inter. ff. de pact. dota.* ubi text. *formaliter sic inquit, cùm inter patrem puellæ & generum convenit, ut in matrimonio sine liberis defuncta filia, dos patri*

patri restituatur, *id actum inter contrahentes intelligi debet, ut liberis superstitibus filia defuncta, dos retineatur.* Pondero enim illa verba, *id actum inter contrahentes intelligi debet*, &c. quæ clarè volunt, quòd sensus veniens à contrario in contractibus, venit ex mente contrahentium, & perinde habetur, ac si veniret
4 ex verbis contrahentium, quod † enim tacitè agitur, haberi debet pro expresso, quò ad juris effectum, *l. cum quid. ff. si certum petat. & cap. ex parte, de sponsa. & vult expressè Panormitanus in dicto cap. cum apostolica in penultimo notabili.* Præterea firma est juris regula ab omnibus approbata, quòd id quod venit ex mente legis, videtur venire ex ipsa lege, *tex. est familiaris in l. nominis & rei, in §. verbum ex legib. ff. de verborum signif.* & *vult Bart. & Doct. in l. omnes populi, ff. de justit.* & *jur.* & *clarissimè Dominus Petrus de Anchor. in consilio suo* 213. *incipiente, in Christi nomine amen : pro isto patre*, &c. *in secunda colum. ubi formali-*
5 *ter dicit*, *quòd* † *ex argumento à contrario sensu resultat evidens conjectura disponentis*, & *quòd id, quod venit ex tacita conjectura dispositionis, dicitur venire ex mente*, & *allegat dictam l. nominis* & *rei, in §. verbum ex legib.* & *d. l. qui testamento, § mulier*, cùm ergo sensus contrarius, veniat ex mente contrahentium, ut probavi, perinde haberi debet, ac si verbis contrahentium id esset expressum *d. l. cum quid, & alijs juribus suprà allegatis. & dict. §. verbum ex legibus*, ubi text. formaliter sic inquit, *verbum ex legibus sic accipiendum est, tàm ex legum sententia, quàm ex verbis*, & gloss. ordinaria ibi dicit, quòd appellatione legis continentur verba legis, & ipsa legis sententia cessantibus verbis, imò plus probat *text. in l. si quis locuples, in fine, in verbo, apertissimè. ff. de man. testam.* scilicet, quod sensus veniens à contrario dicitur apertissimus, & sic negari non potest, quin veniat ex mente contrahentium, & per consequens de eo judicari debet, sicut & tanquam de expresso in pacto dotali, pro quo ultra præmissa est gloss. ordinaria notabilis approbata per *Doct. in l. tale pactum, in §. fina. ff. de pact.* quæ vult, quod
6 † illud haberi debet pro disposito & expresso, quod verisimiliter fuisset expressum seu dispositum, si de hoc statuens fuisset interrogatus, & dicit ibi *Bald. & post eum Paul. de Cast. & Doct.* quòd illa glos. est optima, & mente tenenda, nedum in legibus & statutis, sed etiam in conventionibus & rescriptis, & idem vult *Bald. in l. 1. C quæ res pig. oblig. poss. & Paul. de Castro, & apertius Alexan de Imol. & l. Titius. in §. Lucius, per illum tex. ff. de liber. & posth.* pro isto etiam facit,
7 quòd voluntas † dicitur evidens & liquida, quæ expressè vel ex conjecturis colligitur. *tex. est notabilis in l. licet imperator, ff. de lega. 1. & vult Panor. & Doct. in c super quæstionum, in princ. in secunda col. per illum tex. in verbo, liquidè, de offic. deleg.* Et quod casus omissus habetur pro expresso, ubi haberi potest pro expresso ex aliqua conjectura, *text. est notabilis in l. si ita scriptum, in principio, ff. de liber. & posth. & in l. clemens patronus, ff. de hæred. instit.* in quibus juribus de præmissis est tex. & habentur exempla, cùm ergo ex actis clarè constet, quòd vos domine Officialis ex antiqua observata cõsuetudine habetis jurisdictionem in laicos diœcesis Leodiensis, quando disceptatio est super viribus seu efficacia cõtractuum antenuptialium seu comprehensorum in eisdem : luce clarius patet, quòd in causis nunc coram vobis pendentibus etiam fundata est vestra jurisdictio, cùm dicta domicella Margareta vos adierit virtute pactorum dotalium seu antenuptialium inter eam ex una, & quondam Petrum van der Howen juniorem, suum

dum vixit maritum, ex altera initorum & conclusorum, in quibus pactis inter alia cavetur, quòd dicto Petro eam prædecedente sine liberis, ipsa consequeretur ex bonis ejusdem octoginta florenos annuos, quàm diu ipsa viveret in humanis, pro sua duwaria, seu lucro antenuptiali. Et licet de casu veniente à contrario nunc occurrente, qui est, quòd dicto Petro eam cum liberis prædecedente ipsa consequeretur id, quod jus municipale, superstitem lucrari vult, & non plus, nihil in eisdem pactis dotalibus dicatur, & sic prima facie videatur casus † ille omissus de-
8 bere haberi pro omisso, & relinqui dispositioni juris municipalis, juxta *l. commodissimè, ff. de liber. & posthum. & cap. susceptum de rescript. lib. 6. cum similibus*, & per consequens, ac ex consequenti prima facie videatur, quòd vestra non sit fundata jurisdictio, ut in dictis etiam processibus partes opponentes sæpè protestantur, tamen hoc non obstante, credo contrarium esse verissimum, per *tex. d. §. cum inter*, ubi de hoc meo judicio est casus, & per jura, rationes & auctoritates suprà per me adductas. Et ad contrarium suprà formatum respondeo & dico, ut formaliter dicit *Bald. in dicta l. conventiculam, in principio, & Pet. de Anchor. in d. cap. susceptum, & est de mente Felin in dict. cap. significasti*, quòd casus omissus habetur pro omisso, quando pro expresso ex aliqua conjectura haberi non potest, & sic propriè loquitur, *d. l. commodissimè, & dict. cap. susceptum.* Sed quando haberi potest pro expresso ex aliqua conjectura, tunc secus est, ut est *tex. apertissimus in d. l. si ita scriptum, & in d. l. clemen.* & ita est in casu præsenti, ut clarè patet intuenti *tex. dict. §. cum inter*, cujus verba retuli suprà & luce clarius patet ex alijs juribus & theoricis Doct. suprà commemoratis Cùm ergo iste casus habeatur pro expresso, & eo expresso fundata esset indubiè vestra jurisdictio, ergo etiam & nūc fundata est. Tum etiam ex alio, quia dicta pacta dotalia seu antenuptialia firmata
9 sunt juramento, quod † accumulat forum foro, ut est *tex. singularis cap. fi. de foro compet. lib. 6. & vult Panor.* exclamans de illo *in cap. cùm venissent, de instit.* hoc ultimum tamen licet sit verum, quò ad jurantem, non tamen habet veritatem in hærede juratis, & sic multò minus in creditoribus ejus, secundum *Io. And. in cap. fin. de sepul.* & sic non faceret ad propositum nostrum. Idem tamen in hærede jurantis putat *Ludov. de Rom. in suis singularibus, singulari 219.* & ita fuit judicatū per quendam Officialem, & ejus sententia in causa appellationis confirmata, ut refert idem *Io. And. in d. cap. fin. de sepul. dicens Abbatem hoc tenuisse*, & sic benè facit ad propositū: hoc etiam est de mente *Paul. de Castro in l. qui superstitis, ff. de acquir. hæred.* Quò verò ad materiam principalem latè scripsi pridem in favorē dictæ domicellæ Margaretæ, antequam processus hujusmodi instituerentur, ad quæ scripta me remitto, quibus adhuc pro præsenti inhæreo: Iudicio tamen vestro, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM LXXXII.

SUMMARIA.

1 *Legatum alicui post mortem tertij relictum est conditionale, non purum. & num. 8.*

2 *Legatarius quando transmittat legatum, &c.*

3 *Legata conditionalia an hæredi vel collegatariis accrescant legatario moriente, &c.*

4 *Dies incertus legato adjectus, legatum facit conditionale.*

5 *Legatarij re & verbis conjuncti, qui dicantur, &c.*

6 Le-

6 *Legatum quando habeatur pro non dato, &c.*

7 *Morte nihil certius: hora verò mortis nihil incertius.*

9 *Glossæ authoritas in judicando maxima esse debet.*

10 *Dictum glossæ intelligendum est secundum legem quam allegat.*

11 *Dubius casus non dicitur, de quo est textus juris expressus.*

12 *Correctio in dubio nō præsumitur.*

13 *Verba contrahentium & testantium semper aliquid operari debent.*

14 *Voluntas mutationem allegans probare tenetur.*

15 *Legum correctio per subauditiones & tacitas repetitiones nunquam inducitur.*

16 *Legatum redditur conditionale, sive conditio apponatur substantiæ legati sive executioni.*

VEnerabilis Domine Officialis, ad finem ut luculenter & clarè constet, Ioannem Pilecpert originalem actorem contra Franconem Pilecpert reum, in causa coram vobis pendente, malè, perperam, & ineptè agere, sibique Ioanni nullum jus vel actionem competere ad tertiam vel etiam ad quartam partem tertiæ partis bonorum immobilium, per quondam Gregorium Meydoghe Franconi, Gregorio, & Elizabeth Pilecperts, in suo testamento relictorum, præ oculis haberi debet illa vulgata & vera juris regula, quæ
1 habet, quòd † legatum relictum alicui post mortem tertij, est conditionale, non purum: *text. est de hoc apertus in l. quibus diebus, in §. quidam Titio. ff. de cond. & demonst. & ibi Paul. de Castro. in primo notabili, & idem Paul. de Castro in l. hæres meus, in principio. ff. illo, eod. tit. & idem Paul. de Castro in l. si pecunia, in §. 1. ff. de legat. secundo:* sicut etiam legatum relictum alicui post mortem hæredis est conditionale, non purum: ut de hoc est *text. expressus in dicta l. hæres meus, post principium, & in l. 4. ff. quando di. lega. ce.* Item præ oculis haberi debet alia vulgata & firma juris regula, quę
2 habet, quòd legatario † decedente ante hæredem vel tertium, post cujus mortem sibi aliquid est relictum, & sic sub die incerta quando ipse legatarius non transmittit hujusmodi legatum, utpote conditionale, ad suos hæredes: *text est expressus in dicta l. 4. post principium; ff. quando dies leg. ced. & probatur in dicta l. hæres meus.* Item præ oculis haberi de-
3 bet tertia regula, quæ haabet, quòd † hujusmodi legata conditionalia legatario moriente ante hæredem, vel tertium, post cujus mortem sibi est legatum, & sic antequam dies incerta quando venit, non remanent apud hæredem testatoris, quasi habeantur pro non relictis: sed accrescunt collegatarijs, si quos habeat talis legatarius: *text. est apertus in l. unica, in § sin autem aliquid sub conditione, C. de caduc. tollen.* Ex quibus præsuppositis infertur, necessariò ad casum præsentem, quòd dicto Iohanni nullum jus competit ad tertiam vel etiam ad quartam partem tertię partis bonorum immobilium præfatis Franconi, Gregorio, & Elizabeth, ut pręmittitur relictorum. Quod deducitur apertissimè hoc modo. Constat enim ex actis, quòd dictus Gregorius Meydoge testator reliquit præfatis Franconi, Gregorio, & Elizabet Pilecpert, omnia bona sua immobilia, post mortē suam & domicellæ Katharinæ Meydoghe suæ uxoris remanentis, hæreditariè habenda, tenenda & possidēda, & inter ipsos æqualiter dividēda, sal-

da, salvo dictæ domicellæ Katharinæ suo usufructu in eisdem: & sic constat clarè, hujusmodi legatum esse relictum præfatis tribus personis Franconi, Gregorio, & Elizabeth, post mortem tertij, puta post mortem dictæ domicellæ Katharinæ, & sic ex consequenti liquet, hujusmodi legatum esse conditionale, tanquam relictum in diem incertum quando, qui
4 dies †incertus quando facit conditionem, *l. dies incertus, ff. de conditio, & demonst. & est text. apertissimus in d. l. quibus diebus, in §. quidam Titio*, qui plus probat, videlicet, quòd etiam si legatum esset ab initio purè datum, & expost per testatorem additum, quòd fieret solutio post mortem tertij, adhuc legatum redderetur conditionale: ut ibi est textus valde singularis, per quem declaratur & limitatur *l. ex his, C. quando di. le. ced. secundum Pau. de Castro, in dicto §. quidam Titio: & sentit ibi Bart. in secunda oppositione.* Patet etiam ex præmissis, dictos tres le-
5 gatarios † fuisse & esse conjunctos re & verbis, juxta ea, quæ habentur & notantur *in l. re conjuncti. ff. de legatis tertio, & in §. si eadem res duobus. Inst. de legat.* Item constat exactis, quòd dictus Gregorius Meydoghe testator primò, & deinde dictus Gregorius Pilecpert unus legatariorum secundò, & postremò dicta domicella Katharina (post cujus mortem hujusmodi legatum relictum erat) tertiò, & successivè decesserunt, & dies suos clauserunt extremos: Sequitur ergo ex præmissis necessariò, quòd per mortẽ dicti Gregorij Pilecpert unius ex legatarijs decedentis, ut præmittitur, ante dictam domicellam Katharinam, post cujus mortem hujusmodi legatum relictum fuit, totum legatum accrevit jure accrescendi, propter conjunctionem verbalem & realem dictis Franconi & Elizabeth collegatarijs: & ex consequenti sequitur, quòd dictus Iohannes frater dictorum Franconis & Elizabeth, nullum jus habet vel prætendere potest in quota, dicto Gregorio Pilecpert suo fratri, ut præmittitur relicta: ex quo dictus Gregorius Pilecpert habuit conjunctos sibi in legato, & ex quo ipse decessit ante dictam domicellam Katharinam, post cujus mortem legatum fuit relictum. Si enim †
6 dictus Gregorius non habuisset conjunctos vel substitutos in legato, ut puta, quia sibi soli fuissent omnia bona immobilia relicta post mortem dictæ domicellæ Katharinæ, & decessisset ante dictam domicellam Katharinam: tunc legatum haberetur pro non dato, & si remaneret apud hæredes dicti Gregorij Meydoghe testatoris: & sic ex consequenti dictus Iohannes, ut unus ex hæredibus ab intestato dicti Gregorij Meydoghe potuisset habere jus in hujusmodi bonis: ut est textus clarus *in dicto §. sin autem aliquid sub conditione*, sed quia Gregorius Pilecpert legatarius habuit in hujusmodi legato, ut præmittitur, conjunctos re & verbis præfatum Franconem & Elizabeth, & decessit ante dictam domicellam Katharinam: patet luce clarius, quòd dictum legatum accrevit dictis suis collegatarijs, *per d. §.* sin autem aliquid sub conditione, ubi de hoc est casus: & quòd illud non transmisit ad suos hæredes, de quorum numero dictus Iohannes est unus, tanquam frater ejus, ut ex actis patet: *per text. expressum id dicta l. 4.* cujus ratio est, quia quando relinquitur aliquid alicui post mortem hæredis vel tertij, potest conditio non existere vivente legatario, ut puta si moriatur legatarius
7 ante illum tertium: licet † enim certum sit hæredem, vel illum tertium moriturum, quia nihil certius morte, *l. 1. ff. de cond. & demonst.* tamen non est certum illum moriturum ante legatarium: cùm hora mortis nihil sit incertius, *d. l. 1. in fi.* quod requiritur ut purificetur legatum: ita

ita dicit *glossa in dicta l.4.* & probatur *in præalleg. l. hæres meus in principio*, & apertius *in d.l. quibus diebus in §. quidam Titio*, ubi plus probatur, scilicet, quòd le-
8 gatum † relictum alicui, si talis moriatur, est conditionale: adeò quòd si contingat legatarium decedere ante illum, non trãsmittit legatum: quia non est certum talem conditionem extituram vivo legatario, ut ibi pulchrè declarat *Paulus de Castro, in secundo notabili*: hujusmodi enim dies mortis hæredis vel tertij, est incertus: quando dies autem omnino incertus, vel etiam incertus quando, ubi est incertum diem eventurum vivo legatario, facit conditionem: *dicta l. dies incertus. ff. de conditio. & demonstra. & declarat pulchrè Paul. de Castro, in dicta l. 1. in prima col. ff. de cond. & demonst. & idem Paulus de Castro in dicta l. hæres meus*: per quod tollitur quicquid pro parte adversa adduci posset. Sed dicet aliquis, quòd contra prædicta est glossa ordinaria expressa *in dicta l si pecunia. §. fin. ff. de lega. 2.* à qua
9 † non videtur in judicando recedendum: *juxta notata per Bart. in l. ut vim. ff. de justit. & jure. & per Bald. in l. cum hæreditas, C. de depo.* Quia fateor, quòd *gl. in d. l. si pecunia*, tenet contrarium: & quòd magna est authoritas glos. & quòd in dubio ei est adhærendum, maximè ubi habet aliquos famosos Doctores post se, juxta notam *Iacob. Butr. in l. 1. C. qui pro sua jurisdict.* Sed gl. illa reprehenditur per omnes Doc. ut ibi dicit Paulus de Castro, & meritò reprehenditur: quia contra eam est casus expressus *in d. l. quibus diebus, in § quidam Titio*, de quo textu gl. non fuit recordata, nec mirum: quia omnium habere memoriam, & in nullo penitus peccare, potius est divinitatis, quàm humanitatis: ut inquit Imperator *in l. 2. in 6. colum. C. de vete. jur. enuc.* & quandoque bonus dormitat Homerus: unde quia glos. inadvertenter locuta est, & quia contra eam est casus expressus *in d. l. quibus diebus, in §. quidam Titio*: & ita Doct. omnes uno ore sentiunt, standum erit in hac parte textui, cui adhærent Doct. contrà gl. inadvertenter & noto-
10 riè malè loquentem: dictum † enim gl. intelligi debet, sicut dictum cujuslibet Doctor. secundum text. quem allegat, ut dicit Bar. *in l. non solum, in §. liberationis. ff. de liber. leg.* & opinio gl. est notabilis duntaxat, non autem necessaria: ut est *gl. ord. in l. si de interpretatione. ff. de legib. & in cap. primo de postu. præla.* cùm ergo dicta glos. nullum text. pro se habeat, nec text. allegati per eam hoc probant: imò est text. contrà eam, non est ei
11 standum. Tunc † enim statur opinioni gl. quando de casu occurrente non est casus expressus & sunt opiniones inter Doct. & sic sumus in casu dubio. Casus autem iste non potest dici dubius, cùm de hoc sit casus expressus, ut prædixi, ubi enim est casus legis, ibi nulla est dubitatio. *l. ancillæ, cum glos. & ibi Bald. C. de furtis.* Nec præmissis obstat, si dicatur, quòd tenor testamenti ita posset intelligi glossari & suppleri, ut legatum hujusmodi censeatur purè relictum, quod patet, quia verba testamenti habent, quòd dictus Gregorius testator præfatis Franconi, Gregorio, & Elizabeth, relinquit omnia bona sua immobilia, post mortem suam & domicellæ Katharinæ suæ uxoris remanentia, hæreditariè habenda, tenenda, & possidenda, &c. quæ oratio sic potest resolvi, ut censeantur relicta bona immobilia dictis tribus per eos hæreditariè habenda & possidenda: ecce purum legatum: & ut major haberetur specificatio bonorum relictorum, subsequitur intellectualiter, licet non in ordine verborum, clausula illa, remanentia post mortem suam, scilicet testatoris & dictæ domicellæ Katharinæ, & alia clausula, salvo eidem domicellæ Katharinæ suo li-

bero usufructu in eisdem quo intellectu sumpto, non potest dici legatum conditionale, sed purum: & sic cessant omnia supra dicta, quæ super hoc fundata sunt. Quia respondetur multipliciter: primò per interemptionem, negando quòd dicta oratio sic posset resolvi: quia si attendatur clausula præcedens, in qua habetur quòd dictus Gregorius testator legat uxori suæ omnia bona sua mobilia & immobilia per eam retinenda & possidenda, quamdiu vixerit, & cum illa jungatur clausula ante tacta, quæ immediatè absque medio sequitur: patet clarè, quòd dictus testator non voluit, dictos legatarios habere vel possidere dicta bona immobilia in vita dictæ domicellæ Katha-
12 rinæ suæ uxoris, quia † sic intelligendo in continenti se correxisset, quod non est præsumendum, *l. non ad ea, cum ibi notatis, per glos. & Doctor. ff. de condi. & demonstratio.* debet ergo clausula illa intelligi prout jacet, ut sic non contrarietur clausulæ immediatæ præcedenti: quia
13 verba † contrahentium & testantium sic debent intelligi, ut etiam verbum unum in eis non reperiatur quod suum non habeat mysterium, *ut vult Bald. in rubr. C. de contrah. empti. in 9. quæstione.* Nec est à verbis recedendum, ubi de contraria voluntate non apparet. *l. non aliter, in principio. ff. de legatis, 3. cum simılib.* & maximè ubi ex hoc argueretur mutatio voluntatis subitanea, *dict. l. non ad ea, juncta l. Labeo. ff. de sup. lega. & cap. majores,*
14 *circa fi. de Baptis.* qui enim † voluntatem mutatam dicit, id probare debet, *ut in dictis juribus, & l. fideicommissa, §. si rem, ff. de leg. tertio.* Item ex alio id clarè apparet, quia dicta clausula testamenti continet solùm unam rationem, ergo debet intelligi uniformiter & non dispariter, *l. jam hoc jure. ff. de vulg. & pu. cum ibi no. per Doct. & dict. cap. majores, circa medium, & ibi glos. Panorm. & Doctor.*

Si autem præmisso modo intelligeretur; jam intelligeretur difformiter, & separaretur cauda à capite, & induceretur tacita & subitanea mutatio voluntatis, contra jura supra dicta: sequitur ergo, quòd debet intelligi, ut jacet, quomodo intelligendo nullum sequitur inconveniens: quòd si voluisset ipse testator intelligi, ut suprà somniatum est, hoc utique expressisset: *argum. cap. ad audientiam, de deci.* pro quo etiam ultrà prædicta facit,
15 quòd per † subauditiones & tacitas repetitiones nunquam inducitur legum correctio, *ut est glos. ordinaria singularis approbata per Doct. in cap. cupientes, in §. quòd si per. 20. de elect. lib. 6. quem refert & sequitur Dom. Ioan. de Imo. in l. si cum dotem, in fin. principij, ff. sol. matrimonio, & alij Doctor. in pluribus alijs passibus:* eâdem ergo ratione moti dicemus, hîc non debere induci correctionem vel mutationem voluntatis subitaneam per trāspositionem verborum, subauditionem, vel tacitam repetitionem. Et dato, quòd præmissa inconvenientia cessarent, & quòd hujusmodi transpositio verborum admittatur & fiat, tamen ex hoc hoc non minus legatum redditur conditionale: quod
16 patet, quia † non refert in ultima voluntate, an conditio apponatur substantiæ legati, vel executioni, quò minus legatum reddatur conditionale, & impediatur transmissio legatario decedente ante conditionis eventum: *ut est text. singularis in dicta l. quibus diebus, in §. quidam Titio, & ibi pulchrè Paul. de Castro, & novissimi.* Partes ergo vestræ domine Officialis erunt, dictum reum ab impetitione præfati Iohannis absolvere, & eundem Iohannem ob suam temerariam vexationem præfato reo in expensis condemnare: judicio vestro, cui Deus adsit, semper salvo.

CON-

CONSILIUM LXXXIII.

SUMMARIA.

1 *Venditor potest sibi reservare jus pignoris in re vendita, donec ipsi satisfiat.*

2 *Actio hypothecaria non subsistit principali penitus extincta.*

3 *Reservatio ab aliquo facta in praejudicium tertij nihil operatur.*

4 *Principalis debitor ejusque fidejussores prius sunt conveniendi, quàm agatur contra tertium pignoris possessorem.*

5 *Privilegio suo quilibet renunciare potest.*

6 *Succedens in feudo jure feudali, & non haereditario, non tenetur ad solvendum debita sui praedecessoris.*

7 *Actionem ineptam proponens succumbere debet.*

DOminus Jacobus de Wassenare, olim ducens in uxorem, nobilem dominam Elizabeth de Rivieres, fecit certa pacta antenuptialia, quibus inter alia cavetur, quòd si contingeret ipsum praedecedere superstite dicta domina sua conjuge, quòd tunc & eo casu ipsa haberet in duwariam redditum sexcentorum salutiorum, pro quorum solutione & exactione, ipse obligavit & hypothecavit, specialiter accedente domini consensu, omnia sua bona & dominia feudalia. Contractus autem dictis obligatione & hypotheca bonorum, devenerunt aliqua ex eis quendam Philippum de Wassenare fratrem dicti Domini Iacobi, qui illa toto tempore vitae suae possedit, & tanquam feudalia tenebat: Labente autem tempore, Dominus Iacobus antedictus, superstite dicta sua conjuge decessit, cui in omnibus bonis successit Dominus Ioannes de Wassenare: quapropter ab eadem ipse judicialiter impetitur super solutione dictae duwariae: pendente autem processu moritur dicta conjux, cui in lite successit mater sua nomine A. ad cujus instãtiam & persecutionem praefatus Dom. Ioannes, novissimè cõdemnatur occasione dictae duwariae, in summa novem millium & trecentorum salutiorum, una cum litis expensis: Estque dicta sententia executioni mandata in omnibus bonis dicti D. Ioan. quae valebant tunc temporis tria millia florenorum annuè & ultrà: & sunt eidem A. ab executore vẽdita pro tribus millibus & sexcentis florenis semel tantùm: Facta autem taliter executione in bonis praedictis, quorundam nobilium interlocutione revendidit dicta A. praedicto Dom Ioanni pro sexcent. lib. grossorum semel & 60. clinckardis annuè persolvendis, omnia jura omnesque actiones, quae & quas ipsa haberet vel habere posset adversus praefatum dominum de Wassenare, vel ejus bona, redditus, terras, & dominia executis. Salvo & hoc intellecto, quod non obstante dicta revenditione, ipsa posset exequendo procedere pro consecutione residui duwariae contra & adversus ea bona, quae praefatus Philippus de Wassenare tenebat & possidebat, quodque Dominus Ioannes, vel ejus filij, nullum impedimentum dictae executioni praestarent: His ita peractis novus processus oritur inter dictam A. & Philippum praefatum possessorem antedictorum bonorum occasione residui, quo pendente Philippus moritur, cui in praedictis bonis successit Dominus Iohannes antedictus, non haereditario jure, sed feudali: denique post certa temporum curricula indeciso adhuc processu moritur

A. quæ residuum antedictum & illius actionem legavit cuidam suæ nepti, cujus maritus reassumens prædictum processum inter A. & Philippum pendentem, petit ab hæredibus Domini Ioh dictum residuum occasione dictorum bonorum ab eis possessorum. Quæritur modò, an dictus maritus virtute legati & reservationis possit consequi residuum à dictis heredibus tenentibus bona ipsius Philippi, & ita agere contra bonorum possessores. Viso casu suprà scriptô, rejectis superfluis, videtur nobis infrà scriptis breviter & conclusivè dicendum, quòd maritus neptis dominæ de Revieres, nomine uxoris suæ legatariæ potest agere de jure actione hypothecaria contra modernos possessores bonorum per quondam dominum Philippum de Wassenare relictorũ, & in conventionibus antenuptialibus, de quibus in casu suprà scripto fit mentio, ratione & medio infrà scriptis: quia in revenditione bonorum per præfatam dominam de Revieres, quondam Domino Iohanni de Wassenare facta, dicta domina de Rivieres pro consecutione residui jus hypothecæ sibi in prætactis bonis per dictum quondam dominum Philippum
1 possessorem expresse reservavit, quod † facere de jure potuit, *ut est bonus text. in l. si debitor, §. 1. de quib. mod. pig. vel hyp. sol.* ubi apertè habetur, quod licet ex pacto contrahentium reservare jus pignoris, ubi etiam aliàs sine reservatione jus pignoris tolleretur. Licet igitur dicta domina de Rivieres generaliter præfato Domino Iohanni omne jus & actionem, quod & quam adversus præfatum dominum Ioannem, vel ejus bona haberet, vel habere posset, remiserit: quia tamen dictę partes in hujusmodi revenditione per pactum jus hypothecæ in bonis dicti quondam Domini Philippi expressè reservarunt, patet apertè, quòd dicta generalis revenditio, accessio, seu transportatio actionis non excludit actionem hypothecariam in prætactis bonis dicti quondam domini Philippi reservatam. Non obstat, si dicatur, quod per dictam generalem revenditionem & omnis juris translationem, sublatum fuit principale debitum & actio personalis pro illo competens, & per consequens etiam actio hypothecaria, quæ sine principali subsistere non potest, *l. cum principalis. ff. de reg. jur. cum simi.* Quia dicimus, quod benè verum est,
2 quod actio † hypothecaria subsistere non potest principali penitus extincta, ut probat *dicta l. cum principalis*: sed ubi actio principalis non est penitus extincta, sicut est in casu nostro propter reservationem, tunc *prædicta l. cum principalis* non vendicat sibi locum. *dicta l. si debitor. §. 1. & vult Paul. de Cast. in l. debitor, & in l. si hæres pecuniam. ff. de Trebellian.* Nec etiam obstat, quod dictus quondam Dominus Ioannes de Wassenare tempore revenditionis & reservationis hujusmodi actionis hypothecariæ in bonis quondam dicti Domini Philippi, non fuit eorundem bonorum dominus vel possessor, sed
3 d. quondam Dominus Philippus: & sic † in præjudicium dicti quondam Domini Philippi tertij possessoris, hujusmodi reservatio nihil potuit operari: & sic videtur, quod *dicta l. si debitor. §. 1.* quæ loquitur in casu, in quo paciscens est dominus rei, super qua paciscitur, non vendicet sibi locum. Quia respondetur, quod hoc utique verum esset, si dominium dictorum bonorum ad præfatum dominum Iohannem paciscentem, vel ejus hæredes ex post non venisset. Sed, quia in casu nostro dominium hujusmodi bonorum ad præfatum Dom. Iohannem paciscentem, & ejus filios seu hæredes ex post pervenit, perinde est, ac si ipse Dominus Iohannes paciscens tempore pacti dominus hujusmodi bonorum fuisset, *per l. rem alienam, in princip. ff. de pign. act.* ubi de hoc

hoc casus. Et per præmissa etiam respondetur *ad Auth. sed hodie. C. de act. & obl. & ad Auth. hoc si debitor, C. de pig.* quibus juribus cavetur, quod prius † conve-
4 niendus est principalis debitor, & ejus fidejussores, quàm agatur contra tertium possessorem pignoris, qui siquidem principalis debitor, si compertus fuerit sufficiens, prout juxta casus positionem, constat dictum dominum Ioannem principalem fuisse sufficientem & solvendo, non potest cōtra tertium bonorum vel pignoris possessorem cum effectu agi, ex quo obstat exceptio, de qua *in dictis Auth.* ergo videtur, quòd contra dictum dominum Philippum tertium possessorem agi non potuit, & per consequens, nec contra dictum dominum Ioannem vel ejus filios, ad quem vel quos hujusmodi bona post mortem dicti domini Philippi jure feudali devenerunt. Quia, ut ex suprà dictis patet, dicta bona pervenerunt ad dictum dominum Ioannem paciscentem, & sic ipse non censetur tertius possessor, nec uti potest jure tertij possessoris propter pactum per eum factum reservationis actionis, & non impediendi prosecutionem contra hujusmodi bona pro recuperatione residui faciendam, *dicta leg. rem alienam, in principio, juncta dicta le. si debitor. §. 1.*
5 per † quod pactum censetur renunciasse privilegio seu beneficio dictarum auctenticarum, quibus de jure renunciari potest: *ut ibi volunt Doct.* Licet autem dictus maritus posset agere actione hypothecaria, ut suprà dictum est, non tamen potest agere actione personali ex ipsis conventionibus antenuptialibus competente, ex quo dictus dominus Philippus nunquam fuit personaliter obligatus, nec fuit hæres obligans: sed solùm fuit possessor bonorum hypothecatorum: & reservatio, de qua suprà, duntaxat fuit facta inter partes prætactas, quò ad actionem hypothecariam; quare nullum est fundamentum obligationis personalis in ejus persona. Et dato, quòd dictus dominus Philippus fuis-
6 set personaliter obligatus: quia † tamen dictus dominus Ioannes non successit dicto dominò Philippo suo fratri jure hæreditario, sed solum in feudo jure feudali: Ipse dominus Iohannes non teneretur ratione apprehensionis hujusmodi bonorum feudalium, ad solvendum debita dicti quondam domini Philippi sui fratris, ex persona dicti quondam domini Philippi: *per text. expressum in cap. 1. an agn. vel fil. ag. cum simil. b.* nec etiam ex persona propria: quia licet actio personalis in eo remanserit, quo ad substantiam, tamen propter pactum non manet cum effectu, *l. si unus. §. pactus ne peteret, cum sua mate. ff. de pact.* Et quanquam maritus agendo actione personali malè ageret,
7 & succumbere † deberet in illo casu ineptam actionem proponendo, *c. examinata. de jud. & l. 1. ff. si mens. fal. mod. dix. cum ibi not.* quia tamen post ea posset agere actione hypothecaria apta quidem, & hoc modo agendo intentum suum consequeretur, per suprà dicta. Consulimus, quod si bono modo fieri possit, fiat & tractetur concordia.

CONSILIUM LXXXIV.

SUMMARIA.

1 *Matrimonium ad confessionem etiam utriusq; conjugis affinitatem præcessisse dicentis, separandum non est.*

2 *Confessio emanans ab eo qui stabat pro matrimonio, probat: licet sit contra matrimonium.*

3 *Ratione dispositionis cessante, cessat etiam ipsa dispositio.*

4 *Uxore perdita, perditur & lucrum dotis.*

5 *Allegans propriam turpitudinem audiendus non est, nisi in casu ubi periculum animæ vertitur.*

6 *Carnalis copula intervenisse præsumitur, ex quo nudus cum nuda, & solus cum sola in uno lecto visi sunt.*

7 *Unius testis fide digni viva vox certius probat, quam fama.*

8 *Probationes imperfectæ plures, conjungi debent ad faciendam plenam fidem.*

9 *Matrimonium ut separetur quæ requirantur.*

10 *Probatio copulæ carnalis difficillima est.*

QUidam A. contraxit matrimonium cum B. muliere, carnali copula subsecuta: postea dicta B. habita notitia, quod præfatus A. priusquam cum eadem B. matrimonium contraheret, cognoverat quandam C. eius consanguineam tertio gradu eidem B. attinentem, petivit à præfato A. marito suo separari, & declarari per judicem hujusmodi matrimonium fuisse & esse nullum: dictus autem A. vocatus ad tribunal judicis, stans pro matrimonio adjuratus de veritate dicenda, confessus est judicialiter articulatam fornicationem cum cognata præfatæ B. suæ conjugis, ac eam præcessisse matrimonium inter eandem B. & ipsum A. contractum, & idipsum ipsa C. cognata ipsius B. adjurata in forma juris deposuit. Præterea ultra tres aut quatuor annos ferè antè litem motam dicta C. extrajudicialiter recognovit, se à dicto A. fuisse carnaliter cognitam, coram pluribus probis viris salutem animarum zelantibus, & qui huic periculo occurrere capiebant, judicialiter productis, receptis & desuper auditis, ac hoc deponentibus. Item alius quidam bonæ famæ & reputationis deposuit, se vidisse dictum A. & antetactam C. cognatam præfatæ B. simul in uno lecto, solum cum sola, ac nudum cum nuda, ante contractum matrimonium inter præfatos A. & B. Quæritur, an de jure sit fundata intentio dictæ B. actricis: ut judex sine scrupulo diffiniendo habeat declarare, hujusmodi matrimonium fuisse & esse nullũ.

Ad quam quæstionem prima facie videtur dicendum, quòd non, *per text. in cap. super eo, de eo, qui cogn. consang. uxo. suæ.* ubi habetur, quòd † ad confes-
1 sionem etiam utriusque conjugis ambobus dicentibus affinitatem præcessisse, non est separandum matrimonium, etiam si rumor viciniæ consentiat: minus ergo hic videtur dicendum in casu præsenti: cùm hoc solùm alter id confiteatur, & militat ratio conclusionis, de qua ibi: & agitur de magno præjudicio & periculo animæ, propter quod tollerabilius videtur, eos dimittere contra sacrorum canonum statuta ligatos, quam hujusmodi conjunctos separare, vel matrimonium nullum declarare. *argum. cap. licet ex quadam, in fine, de testib. & cap. juvenis, de sponsalibus, cum similibus.*

Istis tamen non obstantibus, credo contrarium licitè & sine scrupulo fieri posse. Nam in primis ponderanda est confessio dicti A. stantis pro matrimonio:
2 quia ex hoc † quod stat pro matrimonio, non presumitur voluisse contra se, nisi veritas sic se habuisset: *ut est text. junct. a gl. cum ibi nota. per Hostien. Panorm Præpo. in c. attestationis, de despon. impu.* ubi confessio emanans ab eo qui stabat pro matrimonio, probat: licet sit contra matrimoniũ: *per quod dicit ibi Panormit. limitari. dict. cap super eo.* Non est enim verisimile, quod dictus A. confessus sit animo colludendi, ex quo stat pro matrimonio: & sic cessat ratio conclusionis,

super

super qua fundatur decisio *dict. cap. super eo*: & per consequens cessare debet dicta
3 dispositio. Cessante † enim ratione legis, cessat dispositio ejus *leg. adigere. §. quamvis ff. de jure patrona. cum similib.* quod coadjuvatur etiam ex eo, quia ut mihi præsupponitur in facto esse notorium, dictus A. est inops, & præfata B. satis locuples: Confessio ergo dicti A. stantis pro matrimonio, in quantum confessus est hujusmodi impedimẽtum affinitatis in nullo sibi prodesse, sed ex adverso multum no-
4 cere potest: cum † perdita uxore quam retinere contendit, perdere debeat ex consequenti lucrum dotis, ex qua stante matrimonio ali deberet *l. dotis fructus. ff. de jure dot. cum vulgaribus*. Ergo in hac re ponderanda est, meo judicio, confessio dicti A. stantis pro matrimonio: maximè cùm illa coadjuvetur per depositionem dictæ C. quæ jurata deposuit se à præfato A. antequam hujusmodi matrimonium contraheretur, fuisse carnaliter
5 cognitam. Nec obstat, quòd † tàm dictus A. quàm dicta C. allegant turpitudinem propriam, & sic non videntur audiendi, *per regulam l. si creditorib. C. de servo pig. dato manu. cum similibus*, quia dicta regula non procedit, ubi vertitur periculum animæ, *ut dicit gloss. ordinaria in cap. inter dilectos, de donat. & ibi Panorm. & Doct. & idem Panormit. in cap. cùm super, de concess. præben. & probatur in cap. tertio loco, de præsumpt. & ibi expressè id firmant Innoc. Host. & Docto. & Archid. in cap. si duo. 35. quæst. 6. probatur etiam in c. lator, de re judic. & ibi notatur per glos.* & præsertim quia diu ante litem motam, ut ponitur in themate, dicta C. recognovit extrajudicialiter, ut probatum est, se à dicto A. carnaliter fuisse cognitam. Ex quibus omnibus simul junctis patet, quòd multum ponderanda est confessio dicti A. stantis pro matrimonio coadjuta tot verisimilibus, & quasi indubitatis indiciis seu conjecturis ad hoc tendentibus, ut verum videatur & credatur esse confessus: ut sic accedat illud vulgare, quæ non prosunt singula, multa collecta juvant, *cap. cùm causam, cum ibi notatis, de probationibus*. Præterea maximè in hoc casu ponderanda est meo judicio deposi-
6 tio illius testis licet unici, qui deponit † de visu super copula per conveniens testimonium, cùm ex hoc quod solus cum sola, nudus cum nuda visus est in uno lecto, juris præsumptione præsumatur intervenisse copula, *cap. literis, de præsumpt.* ubi textus talem suspicionem appellat violentam & certam, ex qua præsumptione violenta potest ferri sententia diffinitiva, *secundum Innocent. ibi, & probatur in cap. afferre. eod. tit. & in l. judicia, cum ibi notatis, per Doct. C. de rei vendic. cum similibus.* maximè cum copula, ut frequenter, cautè & clandestinè expleatur, nec possit, etiam si publicè expleatur, de ea sufficiens & concludens testimonium reddi, *secundum Ioan. Andr. in cap. præterea, de testibus.* ubi dicit, quòd & si testes viderent virum suprà mulierem jacentem, non tamen per hoc necessariò infertur, quòd illam cognoverit: fortè enim vir erat frigidus aut maleficiatus, vel ipsa erat arcta. Cùm ergo in casu præsenti adsit confessio dicti A. stantis pro matrimonio coadjuta per dictam C. & roborata ex depositionibus aliorum testium deponentium super recognitione facta per dictam C. diu ante litem motam: ex qua recognitione ortus est rumor in vicinia: quibus etiam consonat depositio unius testis deponentis de copula, ut in themate, videtur absque scrupulo judicem posse ex hujusmodi actis declarare, hujusmodi matrimonium nullum: quod deducitur. Nam si cum confessione stantis pro matrimonio, articulata & probata esset fama viciniæ: posset judex hujusmodi matrimonium declarare nullum, *ut vult*

dominus

dominus Panormit.in dicto cap.super eo, in finalibus verbis, & est de mente Archid.in dicto cap.si duo, & vult expressè Innoc.pater juris in dicto cap.tertio loco, ergo fortius id fieri potest in casu præsenti: cùm
7 † viva vox unius testis fide digni certius probet, quàm fama: quod patet, quia unus testis omni exceptione major semper facit semiplenam probationem, sed fama non semper: nisi indicia & præsumptiones unde ortum habuit urgeant, *secundum Bart.in l. de Iuniore in § tormenta, circa fin. ff. de quæstio. & hic dicunt canonistæ in cap. veniens.1. de testib. quòd fama in*
8 *arduis parum fidei habet:* debent † ergo omnes hujusmodi imperfectæ probationes, licet diversi generis sint, conjungi ad faciendam plenam probationem: *juxta glo.notabilem in l.2. in princ.super verbo, legitimis, ff.de excu.tuto.* Sicut enim harmonia fit ex multis & diversis vocibus: ita probatio fit ex multis & diversis præsumptionibus, indiciis, & adminiculis: *ut notabiliter dicit Bald. in dict. cap. cùm causam.* Non enim debet judex adstringere animum ad unam speciem probationis tantum, *cap.causamque.de re jud.* sed debet circumspectus & discretus judex motum animi sui ex argumentis & testimoniis, quę rei aptiora esse comperit, confirmare, *dicto cap.præterea, de testib.* quia una species probationis coadjuvat & confirmat alteram. *l.3.§.1. ff. de testib. cum similib.* Nec obstat *d.cap.super eo,* quia si benè inspiciatur, ille text. solum probat.
9 quod † confessio conjugum sola, vel rumor viciniæ solus, aut etiam confessio conjugum cum rumore viciniæ, non sufficit: sed text. ille non negat, quin si concurrat fama viciniæ, quæ in plus se habet, quàm rumor cum confessione conjugum, vel alterius eorum stantis pro matrimonio, separari possit matrimonium, & ita in *dicto cap.super eo, intelligit Innoc. pater juris, in dict.cap.tertio loco, ubi dicit, sibi hoc placere, & Archid. in d. cap. si duo, & expressè Panormit. in d. cap. super eo.* Si ergo loco famæ sit unus testis integer, cum confessione alterius conjugum stantis pro matrimonio, coadjuta per confessionem adulteræ, & ex alteris conjecturis, de quibus suprà, ut in casu præsenti: videtur longè fortiùs *d. c. super eo,* non obstare, *per d.cap.tertio loco, & alia suprà alleg.* & sic licitè poterit judex hujusmodi matrimonium declarare nullum, ma-
10 ximè cùm hoc † casu non requiratur ex toto plena probatio, sed sufficiat quasi plena, propter difficultatem, quæ est in probanda copula, *secundum Archid. in d. cap.si duo, & patet text. not. per Doct.in d.c. præterea,* & *in d.c.literis.* & *in d.c. tertio loco.*

CONSILIUM LXXXV.

SUMMARIA.

1 *Hæres universalis tenetur stare colono.*
2 *Verba narrativa in instrumentis nihil probant.*
3 *Verba relativè posita nihil operantur, si non exhibetur id ad quod fit relatio.*
4 *Dominium rerum feudalium non transfertur, nisi præsente domino feudi.*
5 *Dominium non transfert dicens se nolle esse vel non esse dominum.*
6 *Feudum absq; expresso domini directi cõsensu in dotẽ dari nequit.*
7 *Hæres ex promissione & facto defuncti tenetur.*
8 *Detentator etiam in sua detentatione turbari non debet.*

Viso

VIso & diligenter ponderato tenore instrumenti arendæ per nobilem & generosum dominum quondam Antonium de Bourgundia dominum de Beveren, &c. spacium trium annorum, cum Iacobo van der Moere appellante factæ & initæ, Visis etiam scripturis pro parte dicti Iacobi contra domicellum Adolphum de Veris & dominam de Ravestain ejus tutricem in causa appellationis confectis, licet prima facie videatur, quòd dictus domicellus Adolphus non teneatur stare dictæ arendæ, quia in instrumento narratur, quomodo aliàs dictus dominus Antonius dedit & transportavit suo quondam filio de Beveren, in subsidium sui matrimonij dominium de Beveren dicto Antonio tunc pertinens, prout latius declaratum est in literis desuper confectis, & quòd de post certi tractatus facti sunt inter dominam de Veris relictam dicti sui filij, tàm nomine suo quam nomine Adolphi ejus filij, ac dominam de Ravestain, & dominum de Bergis executores testamenti dicti domini de Veris, per quam tractatum dicta terra de Beveren cum suis pertinentiis manere deberet ad utilitatem dicti domini Antonii, & quòd illa uti posset, & emolumenta exinde provenientia percipere & relevare vita sua durante, & quòd per eundem tractatum dicta relicta remisit & quitavit vita dicti Antonij durante omnem duariam quam potuisset prætendere super dicto dominio de Beveren, prout latius specificatum existit in literis dicti tractatus, & quòd ad causam prætactam ipse dominus Antonius habet facultatem disponendi de omnibus & singulis officiis existentibus in dicto dominio de Beveren, & quòd dictis causis consideratis dictum dominium in arendam, ut præmittitur, dicto Iacobo dedit, &c. ubi ibi plenius habetur. Et sic videtur ipse solùm fuisse usufructuarius, & per consequens videtur, quòd ipse Adolphus non tenetur stare colono, *per text. in l. si quis domum. ff. loc. & conduct.* Istis tamen non obstantibus videtur nobis infrà scriptis de jure dicendum, quòd dictus domicellus Adolphus tenetur stare contractui dictæ arendæ, quia non constat ex dicto instrumento arendæ, sive commissionis, dictum dominum Antonium se devestivisse coram hominibus feudi de dicto feudo, quinimò semper fuit & mansit proprietarius dicti dominii de Beveren usque in finem vitæ suæ. Et nobis exponitur notorium esse, quòd dictus domicellus Adolphus est hæres universalis dicti domini Antonij sui
1 avi, unde cùm † hæres universalis tenetur stare colono, *ut probat textus clarus in l. sed addes. §. fina. ff. loca. l. viam. Cod. loca. vult Barto. in l. filiusfamilias. §. si vir. ff. soluto matrimonio, allegans l. hæredem, ff. de regul. juris.* sequitur, quod dictus Adolphus tenetur stare contractui dictæ arendæ. Non obstant verba in dicto instrumento arendæ posita, per quæ videtur probari, quòd ipse dominus Antonius quondam fuit dominus de Beveren, & quòd donavit in conventionibus matrimonialibus dictum dominium suo filio, &c. quasi illud sibi non retinuisset.
2 Quia dicitur, quòd dicta † verba, sunt solum verba narrativa, & sic illa verba non probant *per text. in l. non nudis. C. de probat. & cap. si papa, de privileg. lib. 6. cum similibus.* Præterea dictæ clausulæ in præfato instrumento arendæ positæ, in quantum se referunt ad conventiones matrimoniales, & ad alium
3 tractatum prætactum non † faciunt aliquam fidem, nec eis credi debet, nisi exhibeantur in forma authentica dictæ literæ conventionum matrimonialium & alterius tractatus, *per textum in Authen. si quis in aliquo documento, C. de edend. & ibi per Bart. Bald. & alios Scribentes.* Item & tertiò, licet istæ conventiones

 nes

nes matrimoniales & dictæ aliæ literæ essent exhibitæ, tamen quia dicta donatio in subsidium matrimonij & transportatio non est facta coram hominibus feudi, attento quòd dictum dominium de Beveren est feudum, dicta donatio & transportatio non abdicarunt dominium de Beveren à dicto domino Antonio in dictum suum filium, quia notissimi juris
4 est, quòd pactis, † donationibus, conventionibus, transportationibus feudorum, non factis coram hominibus feudi non transfertur dominium per text. clarum *in l. imperialem, de prohib. feud. alien. per Federic.* sine traditione enim dominium non transfertur per donationem, aut quamcunque aliam transportationem. *l. traditionibus. C. de pact. & l. traditio. ff. de acquirendo rerum dom. cum vulgaribus*, in cujus etiam confirmationem dictus dominus Antonius in principio dictæ commissionis scribit, se dominum de Beveren de Tournahen, &c. Nec obstant illa verba, terram de Beveren ad nos tunc spectantem, &c. in dicto instrumento arendæ posita, quia per dicta verba nuda absque traditione non potuit transferri dominium in dictum filium, nec auferri dicto domino Antonio propter rationes
5 prætactas, licet † enim quis dicat se nolle esse dominum, vel non esse dominum, per hoc tamen dominium ab eo non aufertur, *l. si quis vi. §. differentia. ff. de acquirenda possess.* Nec obstat, quòd in dicto instrumento arendæ continetur hæc clausula, vita nostra durante, &c. quasi videatur sibi solum usumfructum reservasse, & sic dominium transtulisse, *per l. quisquis. C. de donatio.* & quod dicta relicta de Veris renunciavit duariæ quam potuit prætendere, quia dicitur, quòd ex instrumento arendæ non constat de speciali reservatione ususfructus, & sic non sumus in casu *dictæ l. quisquis*, & quan-
6 quam constaret, tamen illa † non sufficeret, cùm non sit facta coram domino feudi, absque cujus expresso consensu feudum non potest in dotem neque pro anima donari *dicta l. imperialem, & § donare, qualiter olim feud. pot. aliena.* unde cùm non constet de dominij translatione facta coram hominibus feudi: Renunciatio quæ est quædam privatio præsupponens habitum, *ut est textus in l. decem. ff. de verborum obligat. in cap. ad dissolvendam, de despon. impub.* nihil operatur. Et licet esset per alia documenta legitimè passata coram domino aut hominibus feudi probatum claré de translatione dicti dominij de Beveren, & sic quòd dictus dominus Antonius fuisset solus usufructuarius, quòd non. Tamen dictus domicellus Adolphus adhuc teneretur stare colono, ex quo dictus dominus Antonius expressè & specialiter promisit dicto Iacobo in dicta arenda sine commissione dictum dominum Adolphum, gratum & ratum habiturum & se effecturum, quòd ipse Iacobus & sui hæredes uterentur pacificè arenda pro tempore suprà tacto.
7 Certum est autem quòd dictus † dominus Antonius potuit obligare suum hæredem, *per l. unicam. Cod. ut actio ad hæred. & cont. hæred. & l. stipulatio ista habere licere, in principio. ff. de verborum obligat.* & ipse domicellus Adolphus est hæres ejus universalis, ut dictum est: ergo ex promissione dicti Antonij defuncti præfatus domicellus Adolphus tenetur, nec potest venire contra factum defuncti cujus est hæres, *per l. cùm à matre, C. de rerum vendica.* ex qua persona enim quis lucrum capit ejus factum præstare debet. *leg. ex qua persona. ff. de reg. jur. cum similibus.* Et sic non obstat *dicta l. si quis dominium*, tum quia ibi locator fuit nudus usufructuarius, hic autem proprietarius, tum etiam quia ibi defunctus non promisit heredem suum ratum & gratum habiturum, ut est factum in casu nostro, unde

unde cùm † etiam detentatori detur remedium de jure civili contra eum à quo rem & causam habet, & contra hæredem ejus, ne turbetur in justa detentione rei justè detentæ, licet secundum aliquos interdictum retinendæ ei non detur, ut vult *Ioan. Fab. Institu. de interdict. §. retinendę, in secunda colum. in vers.* quo ergo remedio debet dicto Adolpho tanquam improbo turbatori silentium imponi.

CONSILIUM LXXXVI.

SUMMARIA.

1 *Legatario ante testatorem moriente, res legata apud hæredem testatoris remanet.*

2 *Dubitabilis non existimatur esse casus, de quo textus juris habetur expressus.*

Titia in testamento reliquit Mævio decem solidos monetæ Flandriæ, decessit Mævius superstite dicta Titia, quæ statim ex post diem clausit extremum.
1 Quæritur, an † hæredes dicti Mævij debeant consequi hujusmodi legatum decem solidorum. Ad quod breviter respondeo, quòd non, sed debet hujusmodi legatum remanere apud hæredem testatoris, ex quo dictus Mævius legatarius conjunctum vel substitutum in hujusmodi legato non habuit, *per text. expressum in l. unica, in §. & cum triplici, versic. pro*
2 *secundo, C. de cad. tollen.* Et quia † de isto ibi text. expressus, & sic casus iste non est dubitabilis. *leg. ancillę, cum ibi nota. per gloss. Bald. Pau. de Castro, & Doctor. C. de furt.* Idcirco amplius circa istud non insisto. Supervacuis enim laborat impendiis, qui solem facibus certat adjuvare, *cap. si omnia. 6. q. 1. cum similibus.*

CONSILIUM LXXXVII.

SUMMARIA.

1 *Pupillus in quarta quam habet in bonis arrogatoris, gravari non potest: sicut nec filius in legitima.*

2 *Bona restitutioni subjecta non possunt alienari.*

3 *Dominus potest de rebus suis ad libitum, etiam abutendo illis, liberè disponere.*

4 *Conditio si sine liberis, &c. donationi adiecta, quid operetur, &c. & num. 6.*

5 *Res restitutioni subjecta ex contractu inter vivos irrevocabiliter alienari potest.*

7 *Antiqua consuetudo pro lege servanda est.*

Quidam purè donavit Titio tria jugera terræ, cum adjectione, quod si dictus Titius decederet sine liberis, hujusmodi tria jugera terræ reverti deberet ad donatorem vel hæredes ejus. Modò dictus Titius contraxit matrimonium cum quadam muliere vidua, quæ ex alio marito defuncto tres habebat proles, ex qua suscitavit prolem, post hoc decessit dicta mulier, post cujus decessum præfatus Titius qui ut maritus, tàm nomine suo quàm etiam nomine suæ prolis, de consuetudine loci de omnibus bonis, tàm proprijs, quàm ex illis quæ venerunt ex latere uxoris suæ habere deberet mediam partem, reliqua medietate pertinente ad hæredes uxoris defunctæ, divisione non facta superstite dicta prole, sicut altissimo placuit, diem clausit extremũ. Iam quæritur, an in hujusmodi divisione venire

debeant dicta tria jugera terræ, vel an proles suscitata per dictum Titium ex corpore dictæ mulieris debeat ea habere præcipua. Et videtur prima facie quòd dicta proles debeat ea habere præcipua,
2 tum ex eo † quia videtur ea habere non à patre, sed à primo donatore, ex cujus provisione ad dictum Titium, & eo defuncto, ad prolem ejus pervenerunt, & per consequens liberè & integrè debent ad dictam prolem venire & permanere, *argumen. l. si arrogator, versic. sed nec impuberi. ff. de adopt. & argum. l. omnimodo, post principium. C. de inoffic. testam. cum similib.* Sicut enim pupillus in quarta, quam habet ex constitutione divi Pij in bonis arrogatorijs gravari non potest, cum eam habeat ex providentia legis *dicto versic. sed nec impuberi* neque etiam filius in legitima sibi jure naturæ debita, *dicta l. omnimodo. & l. si quando. §. 1. eodem tit.* Imò omne gravamen reijcitur, ut in dictis juribus. Ita etiam videtur dicendum in proposito, tum etiam ex eo, quia dicta jugera subjacebant restitutio-
2 ni, ut patet ex themate, sed bona † subjecta restitutioni non possunt alienari. *l. Marcellus. §. res quę ff. ad Trebellian. cum similib.* ergo nec per contractum matrimonij, ex consuetudine patriæ dicta jugera venire debent in divisione, quia sic censerentur quodammodo alienata excommunicatione, quòd non licet *d. §. res quę, cum similib.* In contrarium tamen meo judicio est veritas, quòd patet, quia dicta jugera fuerunt dicto Titio purè donata, ita quòd dominium eorum fuit in eum post traditionem plenè translatum, & sic † tanquam dominus potuit de
3 eis ad libitum disponere, quilibet enim in re sua est moderator & arbiter. *l. in re mandata. C. manda.* etiam in abutendo, *ut est text. singularis in l. sed & si lege, in §. consuluit. ff. de peti. hær.* Potuit ergo contrahendo matrimonium juxta legem patriæ hujusmodi bona communicare cum bonis uxoris, sicut potuisset ea in quemcunque alium alienare & transferre. Nec obstat, quòd eo decedente sine liberis hujusmodi jugera debebant reverti ad donatorem vel hæredes ejus, quia
4 dico, quòd hoc non obstat, quia dicta † conditio non evenit, ex quo dictus Titius decessit cum liberis, per hoc quod prolem viventem post suum decessum reliquit, *l. jubemus. versic. sin autem. C. ad Trebellian. & l. 1. C. de cond. inser. cum similib.* Et dato quod evenisset, tamen quia donatio fuit purè facta, & sic dominium transivit in dictum Titium donatarium, licet hujusmodi donatio veniebat resolvenda Titio decedente sine liberis potuit dictus Titius, ut dixi, validè alienare hujusmodi jugera sibi donata, *per text. optimum in ratione sui, in l. fina. in §. sed quia, cum ibi not. per Doctor. C. communia de leg.* ubi habetur quòd re legata vel per fideicommissum relicta alicui sub conditione, si hæres decederet sine liberis, vel simili, potest per hæredem qui ante eventum conditionis manet dominus alienari, licet illa alienatio veniat retractanda eveniente conditione, ut ibi est tex. planus. Ita etiam dico in proposito, imò plus videtur posse dici, videlicet, quòd alienatio facta in casu præsenti ex vi consuetudinis patriæ per contractum matrimonij non posset revocari, etiam si dictus Titius decessisset sine prole, quia regula vulgata ha-
5 bet, quod † res subjecta restitutioni ex contractu inter vivos, ut in casu præsenti potest alienari irrevocabiliter, *textus est notabilis in l. & si doris, & ibi, hoc volunt Bart. Bald. & Doctor. C. de jure dot. & refert & sequitur Iason in dicto §. sed quia in quarta fallentia, per quod multum limitatur dicta l. fina. §. sed quia, & Authent. res quæ, eodem tit. & d. §. res quæ.* Non est ergo hæsitandum de alienatione facta, ex quo conditio sub qua debebat resol

resolvi donatio, deficit Titio decedente cum prole, per quod tollitur secundum motivum pro parte contraria adductum. Non obstat etiam primum, quia negatur quòd proles dicti Titij præfata jugera consequitur, ex provisione seu dispositione donatoris. Nam ex † quo verba hu-
6 jusmodi donationis quo ad liberos Titij sunt conditionalia, nullam dispositionem, quò ad eos inducunt, & sic necessariò sequitur, quòd proles dicti Titij hujusmodi jugera consequitur à patre suo Titio ab intestato, *juxta text. in l. Lucius, ultima, juncta sua singulari gloss. quam sequuntur ibi Bartol. Bald. Angel. & examinat ibidem plenissimè Ioan. de Imola, dicens hanc esse communem & veram opinionem. ff. de hered. instit.* Cum ergo consuetudo patriæ communicet bona contrahentium in simul matrimonium debent dicta jugera venire in divisione cum alijs bonis, & facta ex omnibus bonis una massa, capiet proles dicti Titij unam integram medietatem, quo facta proles dicti Titij cum fratribus & sororibus suis uterinis prolibus, videlicet dictæ mulieris dividet aliam medietatem pro virili, capiendo ex ea unam quartam, alijs tribus quartis partibus apud suos fratres & sorores uterinos remanentibus, juxta †
7 consuetudinem patriæ antiquam, quæ pro lege est observanda. *§. ex non scripto. Instit. de jur. nat. gent. & civil. & l. de quibus, ff. de legib. cum similibus.*

CONSILIUM LXXXVIII.

SUMMARIA.

1 *Oratio indefinita æquiqollet universali, quæ suam particularem indebitè infert.*

2 *Ad validitatem cujuslibet depositionis requiruntur duo copulativè, voluntas & potestas, quorum altero deficiente, corruit actus.*

3 *In generali mandato nemo censetur dedisse facultatem impugnandi per eum rectè disposita.*

4 *Verba prolata in materia habente dispositionem ordinatam à jure, semper intelliguntur ordine successivo.*

5 *Conscientiæ puritas nihil prodest, quando deest judicium rationis.*

6 *Verba testatorum an & quando ad tempus testamenti referantur, &c.*

7 *Qualitas adjecta verbo secundum tempus verbi intelligitur.*

8 *Conjunctio sanguinis facit verba amplè & contra modum consuetum intelligi.*

9 *Conjunctio sanguinis vel licita affectio testatoris habet vim clausulæ codicillaris.*

10 *Legatum pauperibus relictum, dicitur pium.*

Magnifice Domine Cancellarie, cæterique Domini præstantissimi, in causa pensionis vitalis 10. florenorum, &c. de qua coram vestris magnificentijs pendet quæstio, per & inter Wilhelmum de Bye ex una, & Hadewigem Walscharts cum suis consortibus ex altera. Visis scripturis & alijs hinc inde exhibitis & allegatis videtur mihi subscripto, sub correctione tamen vestra & omnium melius & rectius sentientium, quòd pro dicto Wilhelmo de Bye, & contra dictam Hadewigem & suos consortes sit pro-

pronunciandum: Nam ex actis clarè con-
ſtat, quòd hujuſmodi redditus ad vitas
dicti Wilhelmi, Mariæ, & Helwigis de
Bye, & ultimo viventis ex eis compara-
tus eſt: Conſtat etiam dictam Mariam &
Helwigem deceſſiſſe, ſicque ſolus dictus
Wilhelmus in literis penſionis nominatus
ſupereſt: Conſtat etiam ex inſtrumento
teſtamenti quondam Magiſtri Iaſparis
morte ſua confirmati quòd redditus, in
quibus nomina dictorum Mariæ, Helwi-
gis & Wilhelmi invenientur in literis ſca-
binalibus deſuper confectis eiſdem Ma-
riæ, Helwigi & Wilhelmo per eundem
ſunt legati, ſub quibus verbis penſio vita-
lis, de qua eſt quæſtio, indubiè comprehē-
1 ditur, cùm illa † indiffinita æquipolleat u-
niverſali, quæ indubiè infert ſuam parti-
cularem, *l. ſi is qui ducenta. §. utrum, cum
ibi notatis, per Bar. & Doct. ff. de reb. dub.
& l. ſi pluribus. ff. de leg. 2. & eſt gloſ. ma-
giſtralis in c. ut circa, in princ. de elect. lib.
6.* Conſtat etiam per certificationem ex-
hibitam, quòd in contumaciam dictæ Ha-
dewigis & ſuorum conſortum per legiſ-
latores oppidi de Halen præfatus reddi-
tus dicto Wilhelmo de Bye eſt adjudica-
tus, quæ ſententia in rem tranſivit judi-
catam, qua adjudicatione etiam ceſſante,
ex actis coram vobis nunc productis cla-
rè conſtat de bono jure dicti Wilhelmi
per ſuprà dicta.

Nec præmiſſis obſtant allegata per di-
ctam Hadewigem & ſuos conſortes, quæ
omnia ſunt notoriè frivola. Et primò non
obſtat primum, quo dicunt per executo-
res dicti quondam Magiſtri Iaſparis, poſt
mortem ejuſdem de dicto redditu fuiſſe
diſpoſitum in favorem dictæ Hadewigis
& ſuorum conſortum. Quia responde-
2 tur, quòd quia ad † validitatem cujuſ-
que diſpoſitionis requiruntur duo copu-
lativè, ſcilicet voluntas & poteſtas, quo-
rum altero deficiente corruit actus *cap.
cum ſuper, de offic. deleg. & l. multum
intereſt, C. ſi quis alter. vel ſibi, cum ſimi-
libus.* ex quo hîc defuit poteſtas ipſorum
executorum, corruit eorum prætenſa
diſpoſitio. Non enim conſtat ex inſtru-
mento teſtamenti, in quo fundata eſt eo-
rum poteſtas, quòd diſponere poſſent
contra diſpoſita per teſtatorem, & fines
mandati ſunt diligenter cuſtodiendi non
excedendi, *l. diligenter. ff. mand. & c. cum
dilecta, de reſcript.* nec cenſetur quis in
3 dubio, in † generali mandato talem fa-
cultatem dediſſe ad impugnandum rectè
per eum diſpoſita, *ar. l. 3. de mil. teſt. cum
ſi.* Nec aliquid facit clauſula poſita in
literis ſcabinalibus confectis de hujuſmo-
di redditu, per quam præfatus magiſter
Iaſpar reſervavit ſibi & executoribus ſuis
facultatem diſponendi de hujuſmodi red-
4 ditu, quia quando verba † proferuntur in
materia quæ habet ordinatam diſpoſitio-
nem à jure, non refert, an utamur verbis
copulativis, an alternativis: quia hujuſ-
modi verba ſemper intelliguntur ordine
ſucceſſivo, ut ſic primò nominatus, pri-
mò ſit in conſideratione, *text. eſt notabilis,
& ibi Bald. Præpoſitus & Doct. in c. uni-
co, in prin. juncta Rubrica, de eo qui ſibi
& hær. ſu. in uſib. feudor. & in l. Gallus.
in §. quidam rectè & ibi nota. per gloſſ.*
& *Doct. ff. de liber.* & *poſthum.* nihil et-
iam facit quòd executores fuerunt viri
valdè probi & conſcientioſi, quia ex hoc
capite non plus potuerunt facere quàm
eis licuit ex facultate eis conceſſa: nihil
5 † enim prodeſt zelus vel puritas conſcien-
tiæ, quando deeſt judicium rationis, quia
talis eſt zelus, non ſecundum ſcientiam,
*ut eſt tex. nota. in c. non ſolùm, in princ. de
regula. lib. 6.*

Non obſtat aliud quo dicunt, quod
prætactus redditus 10. florenorum non
cenſetur comprehenſus in legato, attento
6 † quòd tempore conditi teſtamenti non-
dum dictus redditus fuit per teſtatorem
acquiſitus, verba autem teſtatoris cenſen-
tur

tur in dubio referri ad tempus testamenti, *l. si ita. ff. de aur. & arg.* Quia respondeo & dico, quòd illud procedit, quando testator usus est verbo præsentis temporis, sed in casu præsenti testator usus est verbo futuri temporis relinquendo dictis legatarijs redditus in quibus nomina eorum invenientur: Pondero verbum invenientur, quod est verbum futuri temporis, unde haberi debet consideratio ad postea acquisita, ut illa etiam comprehendantur in legato: ita notabiliter dicit *Bart. in d. l. si ita in duobus locis per l. filiam. ff. illo eodem titulo, & per l. cum pater, §. fidei tuæ, & ibi est gl ord. ff. de leg. 2.*
7 sicut † enim qualitas adjecta verbo, intelligitur secundum tempus verbi, *l. in delictis §. si extraneus, & ibi Bart. Bald. & DD. ff. de nox. ac. & l. Titius, & ibi similiter Bart. Bald. & DD. ff. de test. mi. cum sim,* Ita etiam verba futuri temporis futura comprehendunt, *jurib. præalleg.* hoc etiam
8 suadet proximimitas sanguinis, † quæ facit verba amplè & contra consuetum modum intelligi, *l. Aurelius. §. Titius testamento, juncta gl. ff. de li. leg. & l. si servus plurium. §. fi. ff. de legat. 1. cum simil.* dicta enim Maria fuit soror præfati quõdam magistri Iasparis testatoris, Helwigis autem & Wilhelmus fuerunt filij sororis, ut ex actis patet: ergo in eorum favorem dicta verba debent amplè interpretari, ut comprehendant futura, etiam si testator non fuisset usus verbo futuri temporis prout tamen usus est: sicut vi-
9 demus in simili: quòd conjunctio † sanguinis vel licita affectio in persona valde dilecta testatori habet vim clausulæ codicillaris, & tantum operatur, ac si in testamento fuisset posita clausula codicillaris, adeò quòd illa affectio facit debere legata maximè pia, etiam non solenni testamento relicta: *hoc probat text. juncta sua glos. ordinaria in l. in testamento. ff. de fideicommiss. lib. & sentit. glos. in l. eam quam, in verbo traditur in 10. fallentia, C. de fideicom. & ibi Doct. hoc etiam vult gl. & expreßè Bald. in l. si jure. C. de testam. ma. & Matthæus de Mathesel. in notabili suo 42. & Dom. Iason in l. non dubium,*
10 *C. de testa.* legatum † autem annuum vice alimentorum præfatis legatarijs amicis pauperibus dicti quondam Magistri Iasparis per eundem relictum, fuit & est pium, *juxta gloss. ordinariam in leg. si quis Titio, ff. de legat. 2. & nota. per Panor. in Rubrica, in 3. colum. de testa. & per Bal. in l. 1. C. de sacrosanct. eccles.* videtur ergo pro dicto Wilhelmo & contra prædictam Hadewigem sine aliqua hæsitatione pronunciandum: judicio vestro, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM LXXXIX.

SUMMARIA.

1 *Testis unus in instrumento publico descriptus si contradicat eidem instrumento, illud vacillare facit.*

2 *Instrumentum carens debita solennitate, nullius est momenti.*

3 *Instrumenti validitas non solùm ex probitate notarij, sed etiam ex numero testium dependet.*

4 *Inimicitiæ solùm capitales testem repellunt.*

5 *Testis conditio tempore depositionis attendi debet.*

6 *Inimico reconciliato an habenda sit fides, &c.*

7 *A communi Doctorum opinione in judicando recedendum nõ est.*

8 *Vbi casus legis est, ibi nulla est dubitatio.*

Venera-

VEnerabilis Domine Officialis, ut dominationi vestræ constare: posset, quòd prætensum instrumentum cujusdam testamenti, de quo in libello partis agentis fit mentio, viribus subsistere non posset, placeat attendere quod in hujusmodi prætenso instrumento sunt inscripti tantum duo testes, quorum unus est mortuus & alter vivens, & de testis vivens expressè deponit, quòd in prætacto testamento de bonis in libello specificatis & tactis, nulla fuit facta mentio, ex quo ergo hujusmodi testis & de testibus necessarijs in dicto instrumento descriptis, qui contra hujusmodi instrumentum deponit, sequitur quòd hujusmodi instrumentum non facit fidem, quia communis opinio DD. utriusque juris habet, quòd
1 quando † unus ex testibus necessarijs descriptus in instrumento publico contradicit eidem instrumento facit illud vacillare. *ita tenent expreßè & in specie Innoc. Host. Ioan. And. Henr. Boick. Io. Cal. Ant. de But. Io. de Imol. Panorm. & Felin. in ca. cum Ioannes heremita, de fide instrum. dicentes hanc esse communem opinionem: idem etiam tenent Bartol. & Bald. in l. 1. §. si quis neget. ff. quemad. test. aper. & Angel. in l. vel negare quam legit sub l. 2. §. diem, illo. eod. tit. & Bald. in l. in exercendis, C. de fide instrum.* & ratio est manifesta; quia uno ex necessarijs testibus contradicente deficit solennitas instrumenti & ejus fides, *& idem vult Io. Fab. in §. item verborum Inst. de inutil. sti.* ubi etiam plus dicit: videlicet quod si ex duobus testibus descriptis in instrumento, unus dicat pro instrumento, adhuc unicus, & alter doceret contra, non tamen hujusmodi instrumentum ut tale probat secundum eum, minus ergo in casu præsenti probabit, ubi ex duobus testibus descriptis in instrumento, alter mortuus est, alter verò dicit contra instrumentum, & non ita esse actum ut ibi continetur. Nec obstat si dicatur, quod si hoc esset verum, sequeretur quod semiplena probatio confunderet plenam. Quia id negatur, quia hoc non est ideo quòd semiplena probatio confundat ple-
2 nam, sed est ideo, quia † instrumentum remanet sine debita solennitate secundum *Ioan. de Im. in præall. c. cùm Ioannes heremita, in 7. col. & alios ibid.* & per hoc etiam solvitur illud generale, vox unius, vox nullius, & plura alia generalia.

Nec obstat, quod notarius qui hujusmodi instrumentum subscripsit, fuit vir probus in reputatione hominum, quia hoc non sufficit ad instrumenti validitatem
3 per eum confecti, quia † solennitas & efficacia instrumenti non solum dependet ex probitate notarij, sed etiam ex numero testium *ut dict. §. si verò*, aliàs non requirerentur testes in instrumento, si sola probitas notarij sufficeret.

Nec etiam obstat, quòd dictus testis fuit inimicus ipsius rei originalis, quia hujusmodi inimicitia † non fuit capitalis, quæ sola testem repellit, *secundum Bald. in l. 3. in prin. ff. de testibus & Panor. in c. cùm oportet, de accus.* sed inimicitiæ dicti testis & rei non fuerunt capitales, ergo eum non repellit.

5 Præterea conditio † testis debet attendi secundum tempus depositionis testis, *l. quoniam liberi, C. de testibus*, sed dictus testis non fuit inimicus tempore depositionis, quia deposuit sub anno M. quingentesimo tertio mensis Decembris, die 28. *ut patet folio 39. pag. 1.* sed pax inter eos est facta diu ante, ut puta anno M. quadringentesimo nonagesimo septimo, *ut patet fol. 74. p. 1. & sequenti:* & sic hujusmodi inimicitia depositionis ipsius testis fuit sublata, quia illa non obstat, & hujusmodi pacem fuisse factam etiam probant testes pro parte agente secundo loco producti, & de illa pace facta non est hæsitandum cùm de illa constat ex litera sca-

scabinali oppidi Boscoducensis per ipsummet reum originalem producta, *dicto folio 39. & 74.* Nec obstat, si dicatur
6 quod inimico † reconciliato non est adhibenda fides, *cap. 2. 3. quæstione 5.* quia id est verum, quando reconciliatio est facta de recenti: secus si non est recens, ut in casu præsenti, *ita volunt Innocen Panorm. Felinus & alij in c. cùm oporteat de accusatio. & est de mente dict. capit.* secundo, cùm dicit, heri vel nudiustertius, voluit tamen Ioan. de Anania, *in dict. cap. cùm oporteat*, quòd testi reconciliato etiam de recenti adhibeatur fides, sed quia hîc reconciliatio non est recens, non insisto. Quare sequitur, quòd hujusmodi instrumentum debet declarari non facere fidem, quoad legata in libello specificata, & declarari hujusmodi prætensa legata viribus subsistere non debere, prout petit pars agens in additione ad libellum facta, *ut patet folio 11. pag. 1.* Cùm
7 ergo † hæc sit communis opinio, non debet quovismodo in judicando ab ea recedi *juxta notata per Ioan. And. & alios in c. 1. & in cap. ne innitaris, de constitut.* & tanto fortius, quia pro hac opinione est casus in terminis *in dict. leg. 1. §. si quis neget, in finalibus verbis* si benè ponderetur in quantum vult, quòd per contradictionem vel negationem unius testis necessarij tabulæ sint suspectæ, ita quòd fides instrumenti testamenti vacillat: cùm ergo de isto sit casus legis, relinquitur
8 quòd de hoc nulla est dubitatio, quia † ubi est casus, ibi nulla est dubitatio, *leg. ancillæ. cum glos. & ibi Bald. Paul. de Castro, C. de fur.* quare amplius circa hoc non insisto, quia supervacuis laborat impendijs, qui solem facibus certat adjuvare, *cap. si omnia. 6. quæst. 1.* vel qui rem de se claram nititur magis demonstrare, *l. 1. in fi. ff. de dote præalleg.*

CONSILIUM XC.

SUMMARIA.

1 *Mare & flumina publica sunt de jure naturali libera omnibus navigare volentibus.*

1 *Ius recipiendi vectigal sive telonium, contrarium est libertati, unde ab allegante probari debet.*

3 *Vectigalia quando debeantur, &c.*

4 *Consuetudo cujus contraria non existit memoria vim privilegij principis habet.*

5 *Ex sententia arbitri nascitur nedum exceptio sed etiam actio.*

6 *Libertas non solvendi telonium præscriptione acquiri potest tam contra fiscum, quàm contra privatum.*

7 *Ius exigendi vectigal quanto tempore acquiratur, &c.*

8 *Sententia arbitralis post lapsum decem dierum proximorum, silentio partium roborata, exceptionem & actionem parit.*

9 *Exemplatum sive transsumptum ut valeat, requiritur partis de cujus præjudicio agitur, citatio.*

10 *Alienatio rei civitatis valida non est, nisi major pars civium in illam consentiat.*

11 *Pacta & statuta contra libertatem naturalem, stricti juris sunt, & interpretari debent contra allegantem.*

12 *Generi per speciem, & non econtrà, derogatur.*

13 *Res inter alios acta, alijs non vocatis nec pro eorum interesse venientibus præjudicare non potest.*

14 *Jus naturale est immutabile.*

15 *Privilegium concedens semper videtur sibi reservare potestatem revocandi.*

16 *Telonium non est publica functio nec debetur soli principi in signum superioritatis, sed alijs etiam inferioribus.*

17 *Privilegia regulariter dantur uni ex gratia, sine causæ cognitione & contra jus, ideoque ex causa revocari possunt.*

18 *Injuriam nemini facit qui suo jure utitur: etiamsi ex hoc alius lædatur.*

19 *Subveniendum alicui non est cum detrimento alterius.*

20 *A separatis non fit bona illatio.*

CAsus nobis propositus talis est. Ante annum Millesimum quadringentesimum, oppidum de Ziercxzee comitatus Zeelandiæ fuit in possessione pacifica vel quasi libertatis, quòd naves ex mari venientes poterant liberè & sine alicujus telonij solutione ad prætactum oppidum applicare. Quo non obstante reddituarius seu receptor Comitis Hollandiæ & Zeelandiæ nomine ejusdem comitis circa dictum annum quadringentesimum telonium à nautis & mercatoribus, cum suis navibus & mercibus ad dictum oppidum de Ziercxzee applicantibus exigere conatus est. Cujus conatui d. de Ziercxze tunc restituerunt, quapropter lite præmissorum prætextu inter dictum receptorem nomine quo supra ex una, & dictum oppidum de Ziercxzee ex alia, exorta: tandem dictæ partes in Albertum comitem Hollandiæ & Zeelandiæ compromiserunt. Qui Albertus comes per sententiam suam arbitralem & diffinitivam anno millesimo quadringentesimo, de consilio & scitu consiliariorum latã pronunciavit decrevit, & declaravit, quòd hujusmodi mercatores & nautæ cum suis mercibus & navibus liberè & sine solutione alicujus telonij possent ad dictum oppidum applicare: ita & taliter quòd non liceret dicto comiti aut alicui ejus nomine stationem seu custodiam ponere propius dictum oppidum de Ziercxzee, quàm in loco vulgariter nuncupato, Cats, dictique de Ziercxzee à prætacto tempore citra, & per totum illud tempus semper fuerunt & remanserunt in pacifica possessione vel quasi, libertatis prætactæ, eis tam de jure naturali, quàm ex prætacta sententia competentis, verùm cum pauco tempore elapso, telonarij seu Publicani de Yersekevoert, adjuncto eis procuratore generali illustrissimi Domini nostri Comitis Hollandiæ & Zeelandiæ, à Mercatoribus & Nautis ad dictum oppidum de Ziercxzee, cum suis navibus & mercibus per aquam applicantibus telonium exigere conarentur, præfati de Ziercxzee, pro conservanda ipsorum & Mercatorum libertate & possessione se hujusmodi telonarijs appellatione interposita opposuerunt. Cujus occasione lis coram magnificis Dominis præside & Consiliarijs magni consilij pendet indecisa: Qua lite pendente procurator generalis dicti Comitis, illa lite omissa, supplicationem porrexit, per quam petivit sibi nomine dicti comitis per modum provisionis permitti, poni stationarios seu custodiã ante portũ dicti oppidi de Ziercxzee. Cui requæstæ præfati de Ziercx-

zee

zee se opposuerunt, ratione cujus lis pendet coram eisdem judicibus indecisa.

Quæritur, utrum dicta provisio debeat dicto procuratori generali adjudicari, & ei nomine comitis Zeelandiæ permitti, posse facere poni custodiam ante portum dicti oppidi de Zierzeezee nec ne.

Et ex allegatis pro parte dicti procuratoris generalis in scripturis coram vestris magnificentijs exhibitis videtur quòd sic.

Primò, quia in anno 45. novissimè præterito, congregatis oppidis Zeelandiæ in oppido de Goes, & nomine comitis præsente Domino de Laillain, ordinatum fuit, quòd comes Zeelandiæ posset in omni loco Zeelandiæ ponere suas custodias pro telonio recipiendo, prout hoc procurator comitis probare nititur per certificationem oppidi Bergensis, relationem facientem de quadam litera certificatoria figneto dicti Domini de Laillain, ut asserit, sigillata, & signo manuali Nicolai de Vriese Secretarij subsignata.

Secundò, quia sententia diffinitiva in simili casu, ut dicit procurator generalis comitis infrà pauca tempora, lata est contra Antwerpienses & status Brabantiæ pro duce Brabantiæ, in qua declaratum est, quòd in flumine nuncupato de Honte, & in omnibus alijs locis sibi placentibus ponere posset custodias.

Tertiò, quia ponere custodias spectat ad solum principem, ergo oppidum de Ziercxzee custodiam ponere non potest, cùm jura principis non habeat, sed comitem Zeelandiæ pro superiore recognoscat.

Quartò, quia princeps concedendo alicui privilegium, vel octroij, censetur semper sibi reservare potestatem revocandi, diminuendi, &c. quæ potestas non est præscriptibilis, dato ergo quòd illi de Ziercxzee aliquod habeant privilegium à Comite, illud eis non posset suffragari.

Quintò, quia sententia quæ asseritur lata per Albertum comitem Zeelandiæ eis suffragari non potest, quia non est verè sententia, sed potius privilegium seu octroij ad sollicitationem & supplicationem dictorum de Ziercxzee ipsis concessum, & sic ad nutum revocabile.

Sextò, quia princeps potest ponere & ponit suas custodias circa & prope alia oppida Zeelandiæ, ergo & eadem ratione potest ponere custodiam circa oppidum de Ziercxzee.

Septimò, quia princeps non potest ponere custodias ante portum de Ziercxzee, alia oppida comitatus Zeelādiæ destruerentur, & oppidum de Ziercxzee, multum ditaretur, cùm omnes mercatores ad illud confluerent, quod esset inconveniens.

Octavò, quia si oppidum de Ziercxzee aliquod privilegium habuerit, illud dicit procurator propter rebellionem tempore ducis Caroli per eos commissam per confiscationem esse extinctum & perditum, & sic illi de Ziercxzee se cum illo juvare non possunt.

Quibus non obstantibus videtur nobis infrà scriptis contrarium de jure dicendum motivis infra scriptis, pro cujus deductione. Primò præsupponendum censemus, quòd † de jure naturali mare &
1 flumina publica communia sunt & libera omnibus navigare volentibus, *Institut. de re. di. post prin. & l. 2. cum ll. seq. ff. eod. titul.*

Secundò est præsupponendum, quòd jus † recipiendi vectigal sive telonium à mercatoribus vel nautis cum suis mercibus per mare navigantibus, est quædam servitus, & per consequens ejus cōtrarium est libertas, *ut vult Bald. in consilio 65. primi voluminis post Bart. in le. si publica-*

 nus.

nus. §.*fina.ff. de publ.* quæ servitus non præsumitur, unde dicens rem vel personam debere servitutem, debet hoc probare, cùm res & persona præsumatur libera, *l. altius,* & *in l. si in ædib,* & *ibi Bart. C. de serv.* & *aqua. juncto* §.*jus autem gentium, Inst. de jur. nat. gen.* & *ci.*

Tertiò est præsupponendum, quòd
3 hujusmodi † vectigalia & telonia non debentur, nisi probentur auctoritate Papæ, vel Imperatoris, vel Regis Romanorum, vel Consilij generalis instituta: vel antiqua consuetudine, de cujus initio non est memoria introducta, *text. ad literam, in c. super quibusdam.* §.*præterea, de verb. signific.* & *ibi Doct. C. nova vectigalia institui non posse, per totum.* Hinc est, quod hæc inter regalia numerantur *toto tit. quæ sunt regalia, in usibus feudor.* & *ibi Bald.* & *Doct.* & ergo inferiores à supremo principe non possunt pedagia recipere, nisi habeant privilegium à supremo principe, vel nisi hoc juridicè ven-
4 dicent, ex consuetudine † cujus contraria memoria non existit, quæ vim privilegij principis habet, *l. hoc jure.* §. *ductus aquæ, ff. de aqua cotid.* & *æstt.* & *d. cap. super quibusdam.* §.*prӕterea,* & *ibi hoc notat Panorm.* & *vult Bald. in consilio suo.* 177.2. *voluminis,* & *Bart.* & *Doct. in d. l. si publicanus.* §.*fina.* & *Host. in Summa, in tit. de censib.* § *ex quibus.*

Quartò est præsupponendum, quòd
5 ex † sententia diffinitiva nedum judicis, sed etiam arbitri per partes pacto nudo & sine pœna assumpti emolagata expressè vel tacitè oritur nedum exceptio, sed etiam actio, *ut est tex. clarus* & *expressus in l. cum antea, C. de arbit.*

Quintò est præsupponendum, quòd li-
6 bertas † non solvendi telonium, est præscriptibilis, etiã contra telonium prius legitimè institutum *ut vult clarissimè Henr. Boick, in cap. innovamus, de censibus,* & *probat à fortiori, leg. licitatio,* § *earum.* & *l. si publicanus.* §. *fin. ff. de publ.* & *ibi hoc pro certo* & *indubitato præsupponunt Dyn. Bart.* & *alij Doct. in determinatione illius quæstionis an jus exigendi vectigal, potest prӕscribi,* & *Salicet. in leg. vectigalia, C. nova vectig. instit. non posse.* Si ergo jus exigendi vectigal præscribi potest, *ut concludunt omnes Doctor. in passibus suprà allegatis,* & *est text. in d. c. super quibusdam.* §.*prӕterea,* multo fortius præscribi potest libertas, cùm favorabilior sit præscriptio libertatis contra servitutem, quam econtrà: hinc est, quòd libertas hoc casu præscribi potest contra privatum, jus exigendi vectigal fortè ex consuetudine habentem, spacio decem annorum, & contra fiscum spacio 40. annorum, *secundum Bart. Paul. de Castro. Io. de Imol.* & *alios in d. l. licitatio,* §.*fin.*
7 ubi tamen secundum omnes in † præscribendo jure exigendi vectigal seu telonium requiritur tempus, cujus initij non est memoria, *d. ca super quibusdam,* & *ibi Panorm. qui hoc limitat, quando contra principem prӕscribitur, secus si contra privatum, qui fortè illud ex consuetudine vel privilegio acquisivit.* & *allegat. Bartol. in d le. si publicanus,* §.*fin.* & *vult Corsetus in notabili* 266. Cùm igitur pro ipsis de Zierczee est jus naturale, ut patet ex prima suppositione, nec ex actis constat ipsos de Ziercxzee, vel mercatores aut nautas illic cum suis mercibus applicantes, unquam fuisse ad telonium solvendũ obligatos, nec per constitutionem imperatoris, Papæ, concilij generalis, vel ex cõsuetudine tanti temporis, cujus initij non est memoria astrictos, imò constat ipsos à tempore memoriam hominum excedente semper fuisse in pacifica possessione libertatis usque ad hodiernum diem. Sequitur, quòd dicti de Ziercxzee habent justam causam se opponendi provisioni per procuratorem generalem petitæ novæ quidem & inauditæ, Præterea dicti de

Ziercx-

Ziercxzee nedum sunt fundati in jure cõmuni & naturali, sed etiam ex sententia arbitrali diffinitiva, lata per quondam Albertum comitem Zeelandiæ, quæ sen-
8 tentia † nulla appellatione suspensa per lapsum temporis saltem tacitè est à partibus emologata. Cùm igitur sententia arbitralis nedum producat exceptionem, quæ sufficeret in casu nostro (ex quo illi de Ziercxzee sunt rei) sed etiam producat actionem, ut habetur in quarto præsupposito, sequitur dictos de Ziercxzee se justè opposuisse provisioni per procuratorem generalem petitæ.

Præterea dicti de Ziercxzee nedum spacio 40. annorum, qui sufficerent ad præscribendum libertatem contra fiscum, ut suprà deductum est in quinta suppositione, sed etiam à tempore memoriam hominum excedente fuerunt in possessione libertatis non solvendi telonium nec recipiendi custodias in loco magis propinquo oppido de Ziercxzee, quàm sit locus vulgariter dictus Catz, & sic etiam si præmissa cessarent, ista præscriptio sufficeret, & per consequens dicti de Ziercxzee, provisioni petitæ legitimè se opposuerunt.

Nec præmissis obstant argumenta pro parte procuratoris generalis adducta, Et primò non obstat prætensa ordinatio, ut asseritur facta in oppido de Goes.

Tum primò, quia dicta prætensa certificatio Bergensis in actis exhibita non est nisi quoddam exemplatum ex alio sum-
9 ptum, ad cujus † exemplationis validitatem inter alia necessariò requiritur partis, de cujus præjudicio agitur, citatio, *juxta cap. final. cum ibi notatis, per Innocent. & omnes, de fid. instrum.* quam citationem in casu nostro non constat intervenisse, quare eidem transsumpto seu exemplato nulla fides de jure adhibenda est.

Tum secundò, quia dato sine præjudiciò quòd hujusmodi exemplato deberet adhiberi fides, prout non, tamen non constat ex actis, quòd hujusmodi prætensæ ordinationi, quæ dicitur esse facta in oppido de Goes, oppidum de Ziercxzee aut major pars ejusdem interfuit, aut in illam consensit, de quorum tamen præjudicio maximè agitur, ex quo capite dicta prætensa ordinatio illis de Ziercxzee præju-
10 dicare non potest, cum ad hoc † ut alienatio rei vel juris oppidi censeri debeat de jure valida, requiratur quod saltem major pars oppidi in illam consentiat, *ut est text. expressus in l. fin. C. de ven. reb. ci. libr.* 11. quare sequitur, quòd etiam si de hujusmodi prætensa ordinatione legitimè constaret, quòd nihilominus illa dictis de Ziercxzee non obesset.

11 Tum tertiò, quia hujusmodi † ordinatio, sive sit pactum, sive statutum, aut quocunque nomine nominetur, semper est stricti juris, *leg. si de certa, cum ibi not. Cod. de transact. & l. 4. §. hæc verba. ff. de nego. gest. & ca. in nostra. de injur. cum simili.* & debet interpretari contra illum qui se super eo fundat, sive sit actor, sive reus, *l. veteribus, & ibi expressè Bart. & Doct. ff. de pactis*: cùm ergo in hujusmodi prætensa ordinatione non fiat mentio, nisi de positione custodiæ seu stationis, non autem de telonio de novo acquirendo, debet hujusmodi ordinatio intelligi de custodia ponenda ratione telonij prius habiti, & non de telonio per illam prætensam ordinationem de novo acquirendo, cùm debeat ut dictum est, strictè interptetari contra illum, qui se super illa fundat, *d. l. veteribus.*

Tum quartò, quia dicta prætensa ordinatio, si quæ emanavit, fuit generalis, quæ non potuit derogare sententiæ specialiter in favorem dictorum de Ziercxzee, ut præmittitur, latæ: cum generi
12 per † speciem & non econtrà derogetur. *cap. 1. & c. pastoralis, de rescriptio. & regula, generi per speciem, de reg. jur. lib 6.*

cum simili. imò dispositio generalis recipit interpretationem limitationem, & restrictionem, de habilitate personarum, *l. ut gradatim. §. 1. ff. de muner. & honor. & l. 1. juncta glos. C. de sacrosanct. eccles. cum similibus*, & restrictionem, ut non comprehendantur à jure vel ab homine privilegiati aut aliàs jure exclusi: *ut est tex. expressus. & ibi not. per Doct. in c. cum ipsis. de offic. ordina. lib. 6.* Cùm ergo dicti de Ziercxzee nedum de jure naturali, verùm etiam per sententiam, fuerunt à tempore memoriam hominum excedente liberi à receptione custodiæ & solutione telonij, sequitur quod sub dicta prætensa ordinatione generali & generaliter loquente, non debeant de jure comprehendi.

Tum quintò, etiam si omnia præmissa cessarent, tamen quia dicti de Ziercxzee, ut præsupponitur in themate, sexaginta annos & amplius post datam dictæ prætensæ ordinationis fuerunt & sunt de presenti in vera possessione vel quasi libertatis non recipiendi custodiam aut solvendi telonium, ut præmittitur: sequitur ergo quòd & si de dicta prætensa ordinatione constaret & esset legitimè facta, quod tamen contra eam esset legitimè præscriptum per dictos de Ziercxzee, cùm ut ex allegatis proprijs ipsius procuratoris generalis constat, hujusmodi prætensa ordinatio facta fuisset anno 45. quæ tamen ex exhibitis proprijs, si vera forẽt, fuisset facta anno 42. ex quo capite dictũ exhibitum non probat ordinationem articulatam: *juxta notata per gl. & Doctores in c. Abbate sanè, de re jud. lib. 6.* & sic nedum 40. anni (qui sufficerent ad præscribendum libertatem contra fiscum, ut prius dictum est) sed etiam 40. anni & amplius effluxerunt: ut patet calculanti.

13 Non obstat etiam † secundum motivum ipsius procuratoris generalis, quo fundat se in sententia novissimè, ut dicit, lata inter eum nomine ducis Brabantiæ ex una, & oppidum Antverpiense & status Brabantiæ ex altera, &c. Quia respondetur, quod dicta sententia inter alias partes lata, dictis de Ziercxzee non vocatis, nec ad causam pro eorum interesse veniente, præjudicare non potuit, *eo. tit. in rubro & nigro, C. res inter alios acta, & l. sepè. ff. de re jud. & c. penult. eo. tit. in antiquis, cum simil.*

Præterea non sunt paria jura competentia dictis Antverpiensibus, & dictis de Ziercxzee, cum dicti Antverpienses solo privilegio innitebantur, quod est gratię & ex causa revocabile per principem qui illud subditis concessit: dicti autem de Ziercxzee innituntur triplici juri, eis tam ex sententia, quàm ex præscriptione,
14 quàm etiam † ex jure naturali competente, quod est immutabile. *§. sed naturalia, Instit. de jure naturali gentium & civili cum vulgar.*

Præterea si & Antverpienses habuissent similia jura, prout non, tamen sententia lata contra Antverpienses, non potuit præjudicare illis de Ziercxzee: *per text. expressum in leg. denunciasse, circa fin. ff. ad leg. Iuliam de adul. & per text. in c. dilecto & ibi gl. ordina. Io. de Imo. & Panor. in 4. col. de præben.*

Non obstat etiam tertium quo dicitur, quòd ponere custodiam pertinet ad solum principem ergo ipsi de Ziercxzee non possent ponere custodiam: Quia dicitur primò ad assumptum, quòd hoc verum est in locis ubi sibi competit talem custodiam ponere, prout non est in casu præsenti, ut deductum est: Respondetur etiam secundò ad consequens, quod illo admisso nullum sequitur inconveniens, cùm dicti de Ziercxzee non prætendant sibi jus ponendi custodiam competere, nec ad hoc contenditur, sed solùm ad conservationem libertatis eis ab antiquo debitæ.

Non

Non obſtat etiam quartum, quod pro
parte dicti procuratoris generalis allega-
15 tum eſt, quòd princeps † concedendo ali-
cui privilegium vel octroij, videtur ſem-
per reſervare ſibi poteſtatẽ revocandi &c.
& quòd illa poteſtas non eſt præſcripti-
bilis &c. Quia reſpondetur, quòd illud
argumentum præſupponit unum, quod
non eſt veritate ſuffultum, videlicet, quòd
illi de Ziercxzee prætendunt ſe poſſe po-
nere cuſtodiam in mari vel in eorum
portu, quod non eſt verum quia ſolùm
manu tenent, quòd comes Hollandiæ &
Zeelandiæ non habet facultatem ſeu jus
ponendi cuſtodiam, niſi juxta tenorem
ſententiæ præallegatæ, & ſic dictum ar-
gumẽtum nihil facit ad propoſitum. Nec
etiam verum eſt quod ſubditur, quòd po-
teſtas ponendi cuſtodiam non eſt præſcri-
ptibilis: quia nedum hoc, ſed etiam jus
exigendi telonium poteſt præſcribi, ut
ſuprà latè deductum eſt.

Nec obſtat, ſi fortè Dominus Procura-
tor generalis vellet ſe fundare ſuper *leg.
competit, C. de præſcriptio.* 30. *vel* 40. *an-
norum*, ubi habetur quòd publicæ fun-
ctiones & ea quæ debentur principi in ſi-
gnum ſuperioritatis, non poſſunt præſcri-
bi. Quia reſpondetur, quòd telonium
16 † non eſt publica functio, nec debetur ſoli
principi in ſignum ſuperioritatis, cùm et-
iam inferioribus ſuperioritatem non præ-
tendentibus, illud poſſet competere ex
privilegio vel præſcriptione, *ut dictum eſt
ſuprà, & eſt de mente Cyn. in d. l. compe-
rit, & Ioan. de Imol. in dict. l. licitatio. §.
fina. & Panormit. in cap. ad audientiam,
circa finem, de præſcript.* nec etiam dicti
de Ziercxzee prætendunt præſcribere a-
liquam functionem vel ſuperioritatem,
ſed duntaxat libertatem, quæ præſcripti-
bilis eſt, ut ſuprà dictum eſt, vel verius
contendunt in libertate eis de jure natu-
rali primævo competente, permanere &
conſervari.

Non obſtat etiam quintum, quo dictus
procurator generalis prætendit ſenten-
tiam per comitem Albertum latam non
eſſe ſententiam, ſed octroij ſeu privile-
gium revocabile, &c. Quia reſpondetur
per interemptionem, negando quòd eſt
privilegium, cùm contrarium illius noto-
riè appareat ex tenore ipſius ſententiæ,
cùm hujuſmodi ſententia fuit lata inter
duas partes de jure contendentes, cum
cauſæ cognitione ſecundum jus, & ſic jus
irrevocabile producens. *leg. ingenium. ff.
de ſtatu hominum, & dicta leg. cum an-
17 teà. Cod. de arbit. cum ſimilibus*, privile-
gium † autem regulariter datur uni ex
gratia ſine cauſæ cognitione, & cõtra jus.
cap. privilegia. 3. *diſt.* nec jus irrevocabi-
le producit, quia ex cauſa revocari po-
teſt, quando conceditur ſubdito, ut di-
ctum eſt ſuprà, quare dictum argumen-
tum non obſtat.

Nec obſtat ſextum, quo dicitur, quòd
princeps poteſt ponere cuſtodiam circa
alia oppida Zeelandiæ, ergo etiam circa
dictum oppidum de Ziercxzee. Quia
reſpondetur, quòd hoc utique verum
eſſet, niſi obſtarent jura, dictis de Ziercx-
zee, ut ex præmiſſis apparet, compe-
tentia.

Non obſtat etiam ſeptimum, quo di-
citur, quòd ſi princeps non poſſet ponere
cuſtodiam antè oppidum de Ziercxzee,
alia oppida Zeelandiæ deſtruerentur, &
oppidum de Ziercxzee ditaretur: quia
ex actis non conſtat, alia oppida Zeelan-
diæ ex uſu libertatis dicto oppido de Zi-
ercxzee, ut præmittitur, competentes
aliquod notabile præjudicium paſſa fuiſ-
ſe, quinimò notoriè alia oppida Zeelan-
diæ à centũ annis citra, & ſic poſt datam
dictæ ſententiæ plurimũ fuiſſe & eſſe di-
tata: & ſuppoſito, quòd illa oppida Zee-
landiæ ex uſu libertatis prætactæ aliquod
incommodum paſſa fuiſſent, ob hoc tamen
non deberent impediri illi de Ziercxzee

ut

18 ut jure suæ libertatis, quia † nemini facit injuriam qui utitur jure suo, *cap. cum ecclesia Vulterana, de elect. & leg. injuriarum. § 1. ff. de injur.* etiam si ex hoc alius lædatur. *l. 1. §. denique ff. de aqua plu. arcend. cum similibus:* quinimò, ex adverso, si illi de Ziercxzee suo jure uti non possent, & alijs oppidis subveniretur, talis subventio fieret cum intolerabili detrimento illorum de Ziercxzee, quod fieri
19 non debet, cùm non † sit alicui subveniendum cum detrimento alterius, *c. denique. 13. quæst. 5.* Nec debet discooperiri unum altare ad cooperiendum aliud *c. cum causam, de præben. cum similibus.*

Nec obstat etiam octavum, quo præfatus procurator generalis prætendit, privilegia illorum de Ziercxzee fuisse propter delictum per eos commissum perdita. Quia respondetur, quòd hoc ex actis non constat, & dato sine præjudicio veritatis quòd de illo constaret, tamen argumentum non concluderet, ex quo dicti de Ziercxzee non innituntur privilegio, sed juri naturali, sententiæ, & præscriptioni, quæ appellatione privilegij non veniunt:
20 & de † uno ad aliud (ex quo divisa sunt & separata) non fit bona illatio. *leg. neque natales. Cod. de probat. & l. non hoc. Cod. unde cogna. cum similibus.*

CONSILIUM XCI.

SUMMARIA.

1 *Surrogatum sapit naturam ejus in cujus locum surrogatur.*

2 *Pupillus ex administratione tutorum læsus, quos convenire possit, & quo ordine, &c. & num. 6.*

3 *Exceptio dilatoria ante litem contestatam proponenda est, post verò nunquam proponi potest.*

4 *Legitimi tutores conveniendi sunt priusquam ad fidejussores & magistratum veniatur.*

5 *Statutum loquens in terminis juris communis, recipit etiam interpretationem & intellectum à jure communi.*

PRæsupposito casu uti ipse lator eum ponit, videlicet quòd legitimis tutoribus de consuetudine loci adjungatur Burgimagister pro tempore existens, cujus officium est, ut infrà tangitur, non videtur aliquod dubium, quin primò & ante omnia ipse appellatus debeat prosequi suos tutores seu curatores, & propter hoc fidejussores eorum, antequam potest convenire Burgimagistrum aut ejus hæredes ex ejus persona.

Pro cujus brevi deductione præsuppono, quòd consuetudo loci quæ habet, quòd Burgimagister pro tempore debeat facere bona pupillorum poni in libro orphanorum, & tunc à legitimis tutoribus capere idoneam cautionem, quodque legitimi tutores vel curatores non possint aliquid ex bonis pupillorum vendere seu alienare sine consensu ipsius Burgimagistri appellati vulgariter, **toe-siender / booght/** & conformis juri communi, &
1 facit illa † consuetudo eundem haberi loco magistratus, de quo loquuntur jura scripta: ad instar ergo illius ipse vel sui hæredes sunt conveniendi & non aliàs juxta regulam, surrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum surrogatur, *l. si eum. §. qui injuriarum. ff. si quis cau. cum similibus.*

Secundò præsuppono illam juris regulam notissimam, quæ habet, quòd pupil-
2 lus † læsus ex administratione mala, vel non gestione tutoris vel curat. debet primò & ante omnia convenire tutores vel hçredes eorũ: & si fidejussores accesserint, secundo

ſecundo loco illos: & demum magiſtra-
tum poſt omnes in ſubſidium, ſi videlicet
non poterit conſequi indemnitatẽ ex pri-
mis: exceptis certis caſibus, in quibus
convenitur, primò gerens, ſecundò magi-
ſtratus & tertiò non gerens, de quorum
numero nullus eſt in caſu noſtro, ut iſta
clarè habentur *in §. ſciendum. per text. gl.
Ioan Fab. & Doct. Inſtit. de ſatiſ. tuto. &
per Bart. & Doct. in l. 1. C. de tranſact.*

Tertiò præſuppono, quòd iſtud bene-
ficium ordinis de non poſſe conveniri ante
alium, parit exceptionem dilatoriam, quæ
3 exceptio † dilatoria ante litem conteſta-
tam ſeu reſponſionem libelli eſt propo-
nenda, ut eſt juris notiſſimi: imò quod
plus eſt: ſi illa omiſſa fuerit in prima in-
ſtantia ante litem conteſtatam, non po-
teſt proponi in ſecunda inſtantia ſeu in
cauſa appellationis, ut eſt textus ſingu-
laris *in l. ita demum. Cod. de procurato.
quem ad hoc notat Panorm. in c. noſtra, de
procurato.*

Ex quibus præſuppoſitis clarè ſequi-
tur, quòd cùm pater ipſius appellantis ſo-
lum in caſu poſito fuit loco magiſtratus,
nullam adminiſtrationem habens bono-
rum appellati: ſed fuerunt alij legitimi
tutores, qui adminiſtrationem habuerunt,
quando hoc eſt exceptum, ut fuit in caſu
præſenti: imò quod fortius eſt, ſi ipſe
fuiſſet unus ex principalibus tutoribus,
non poſſet tamen adhuc conveniri, ex quo
non geſſit, cùm gerens primò eſſet con-
veniendus, ut in dictis juribus: & tantò
minus poteſt ipſe vel ejus hæres conveni-
ri, quia fecit debitum ſuum faciendũ ſcribi
in libro pupillorum, quòd de pecunia ſol-
venda per emptorem de bonis unde mo-
vetur quæſtio alienatis poni deberet fide-
juſſor, prout poſitus fuit, & quia termini
ſolvendi dati fuerunt, ſcribi fecit in libro
pupillorum, quòd die ſolutionis advenien-
te Leonardus unus ex legitimis tutoribus,
antequam pecuniam reciperet, cautionem
idoneam poneret, ante quorum duorum
adventum pater dicti appellantis deceſſit,
quare ſibi nihil imputari poteſt.

Nec obſtat, ſi cõtra iſta objiciatur, quod
iſte Burgimagiſter appellatur, **toeſiender/
vooght** / aliàs **weeſmeeſter** / & ſic eſt
tutor ſeu curator, ergo poteſt conveniri,
ut alij tutores. Quia reſpondetur primò,
quod ille terminus **toeſiender/ vooght/**
ſeu **weeſmeeſter** / non propriè venit ap-
pellatione tutoris ſeu curatoris, neque of-
ficium tutoris gerit Burgimagiſter, ut ſu-
prà clarè eſt deductum. Secundò etiam
ſuppoſito, quod talis veniret appellatione
4 tutoris vel curatoris adhuc † tamen habe-
ret locum exceptio iſta, ut prius conve-
niantur legitimi tutores qui adminiſtra-
runt, quàm ipſe, ut eſt *text. clarus in for-
tioribus terminis in l. ſi plures. §. ſi parens.
ff. de admini. tuto.* Ex quibus clarè ſequi-
tur, conſtitutionem patriæ appellatam, de-
cuere, non obſtare: tum quia loquitur in
tutoribus: ergo ſolum locum habet in il-
lis qui veniunt appellatione tutoris, pro-
priè ſumpto vocabulo, *l. 3 §. hæc verba.
5 ff. de neg. geſt.* Tum etiam, quia illa † cõ-
ſtitutio loquitur in terminis juris com-
munis, ergo à jure communi recipit inter-
pretationem & intellectum. *l. 2. Cod. de
noxa. acti. & c. cùm dilectus, de conſuet.* &
ſic non excludit exceptionem ordinis, ſed
eam tacitè admittit & admittere debet.

Non obſtat etiam ſi dicatur, quod ſal-
tem iſte Burgimagiſter non recepit fide-
juſſores ab iſtis tutoribus legitimis, qui
pecuniam provenientem ex venditione
domus recipere habebant, quod tamen ex
ſuo officio facere tenebantur juxta con-
ſuetudinem loci. Quia reſpondetur pri-
mò, quod imò ipſe ſatisfecit, ex quo pe-
cunia ſolvẽda non erat ſtatim recipienda,
ſed pro majori utilitate pupillorum, con-
ſentiente etiam illo qui quartam partem
etiam in domo vendita habebat, dilata in
tribus longis terminis, quolibet videlicet

anno tertia pars: & sic quia tutores legitimi nihil receperunt, non habebant præstare cautionem, nisi cùm reciperent: super quo ipse pater appellantis prospexit, & in libro pupillorum scribi fecit fidejussionem præstandam, antequam pecuniam reciperent tutores, ut patet ex libro pupillorum, quare culpa sibi ex hoc imputari non potuit.

Præterea supposito, quòd in hoc culpa-
6 biliter egisset, adhuc † tamen sibi non præjudicavit, quin tutores qui pecuniam receperunt prius sint conveniendi, ut per suprà dicta patet, quòd si illi non reperiantur solvendo, tunc præjudicavit sibi in hoc, quòd post eos statim conveniri possit: ubi tamen, si fidejussores cœpisset, illi ante eum fuissent conveniendi, juxta suprà dicta.

Ex quo etiam sequitur, ipsum appellantem à decreto scabinorum quo decreverunt & ordinarunt, quòd ipse appellans deberet, præmissis exceptionibus non obstantibus, respondere in principali materia, justè & sanctè provocasse & appellasse, ex quo, ut suprà in tertio præsupposito habetur, ista exceptio fundata super beneficio ordinis, est dilatoria, & sic ante responsionem libelli seu petitionis per quam intelligitur fieri litiscontestatio, proponenda & deducenda.

CONSILIUM CXII.

SUMMARIA.

1 *Lucrum ex pecunia patris per filium acquisitum, patri ne an filio præjudicari debeat, &c.*

2 *Filius in domo & potestate patria constitutus laborare & servitia patri impendere tenetur, nec mercedem non promissam petere potest.*

3 *Serviens alteri, licitè petit expensas ab illo cui servit.*

4 *Usuras de jure vel ex contractu debitas spacio decem annorum petere differens, illas tacitè remittere videtur.*

5 *Debitum ut tacitè remissum censeatur, tria copulativè requiruntur, &c.*

6 *Alimentorum præstatio pia est, ideoq; facilius in illis præsumitur animus donandi quàm in aliis.*

7 *Alimentorum spe futuræ successionis præstitorum æstimatio peti non potest.*

IN causa appellationis Gerardi le Tyndeur oppidani Huyensis contra Reynerum de Moresto & domicellam Mariam ejus uxorem, tanquam hæredes quondam Petræ relictæ legitimæ quondam Henrici le Tyndeur, dantur dubia infrà scripta.

Primum dubium est, utrum filiusfamiliàs, qui fuit in obsequio patris assistendo sibi in ministerio pannitincturæ vel aliquo alio simili artificio, possit ratione talis obsequij petere mercedem à patre, ea non conventa vel promissa: quando non apparet, quòd opera filij pater aliquod notabile lucrum sit consecutus.

Secundum dubium est, privignus, id est, filius mariti ex alia uxore natus, habebat neptem novercæ suæ in uxorem, decessit pater, quo defuncto, recipit privignus novercam in domum suam, & spacio decem & sex annorum, vel circiter, sibi alimenta condecentia liberaliter ministravit. Item noverca fuit mulier locuples sine liberis, in lanætinctura & regimine domestico sollicita & prudens, & in talibus solebat assistere privigno suo ac illius uxori quæ fuit neptis; Item obijt

uxor

uxor privigni quæ fuit neptis novercæ, relictis certis prolibus ex privigno suscitatis, & privignus aliam recepit, & ita fortassis, exorto dissidio inter mulieres, discessit noverca à domo & cohabitatione privigni, quæ spacio sex annorum, vel circiter, postea supervixit, absque eo, quòd privignus ad causam alimentorum prætactorum aliqua exegisset. Postea decessit noverca, & omissis prolibus privigni quas suscepit ex nepte, alios instituit successores & hæredes bonorum suorum, à quibus privignus repetit alimenta ministrata novercæ, aut illorum æstimationẽ. Quæritur utrum possit ita alimenta ab hæredibus repetere, & utrum in dubio debemus præsumere, quòd ista alimenta sint ministrata animo repetendi, vel contemplatione servitiorum, vel spe futuræ successionis seu remunerationis, prout aliqui testes videntur deponere, qui dicunt, quod ipsa noverca ita ab ipso actore tractata fuit sub spe, quòd ipsa bona sua relinqueret prolibus actoris & quondam Ydæ neptis suæ, &c.

Item posito, quòd privignus eandem sic tractasset sub spe futuræ successionis vel remunerationis, an ne propter defectum istius causæ, quæ fuit impulsiva, posset privignus repetere æstimationem expensarum, postquam ista noverca prolibus suis nihil reliquit, neque subsecuta est causa, cujus occasione expensas ministravit.

Item attento quòd iste privignus tacuit decem & octo annis, id est toto tempore quo noverca secum habitabat & etiam depost, postquam noverca discesserat quamdiu ipsa supervixit, an cursus tanti temporis cum consanguinitate uxoris & affinitate viri ac alijs qualitatibus suprà dictis faciat præsumi donationẽ, vel non?

Ad quæ dubia videtur nobis infrà scriptis, judicio cujuslibet melius sentientis semper salvo de jure respondendum, prout & quemadmodum sequitur.

Et primò ad primum respondetur quòd filius in casu quæstionis nihil potest petere ratione obsequij præstiti suo patri: Quod deducitur breviter sic, quia licet de
1 jure sit † dubium, si pater concederet filio peculium seu aliquam summam pecuniariam, cujus occasione ipse filius multa lucraretur, an tale lucrum acquiratur patri quoad plenum jus, & judicari debeat peculium profectitium, vel filio quoad proprietatem, & sic adventitium peculium, de quo dubio habetur *per Bald. & alios Doct. in l. cùm oportet. C. de bonis quę liberis, & in §. 1. Institut. per quas person. nobis acquir. in l. certum. Cod. famil. hercis.* de hoc tamen nullum est dubium,
2 quin filius † existens in obsequio patris, in domo ejusdem recipiens alimenta & alia vitæ necessaria, tenetur laborare & servitia impendere suo patri. *leg. sicut, junctis nota. ibidem. ff. de oper. liber. & l. si uxorem. C. de condi. inser.* quæ hoc probant à fortiori: nam licet de jure pater teneatur alere filium regulariter, hoc tamen fallit in filio sciente laborare & non curante seu non volente hoc facere *leg. si quis à liberis. §. sed & si filius. & §. alimenta. ff. de liber. ag.* unde poterit ei dicere pater, quemadmodum dicit gloss. in *leg. quamvis. ff. de damno infect.* qui non laborat non manducet, & istud maximè verum est in filio in potestate patris constituto, uti fuit in casu præsenti, ex quo filius in potestate constitutus quicquid acquirit, acquirit patri, secus de emancipato, in quo tamen filio emancipato tenuit ipse Bald. idem quod suprà dictum est, quoad petitionem mercedis, non conventæ vel promissæ in suis consil. consilio suo ducentesimo septimo, quarti voluminis, incipiente, facta super quibus quæritur, &c. *per l. officio. Cod. de negoc. gest.* Quare cùm in casu præsenti non constat, ipsum filium ex pecunia vel re partis

aliquod notabile lucrum deductis expensis esse acquisitum, imò nec ex obsequio ejus, sequitur clarè in hoc casu ipsum filium nihil posse petere.

Ad secundum verò dubium magis difficile respondetur, quòd ipse privignus, stantibus omnibus qualitatibus & circumstantijs in ipso dubio narratis & positis, non poterit petere ab hæredibus novercæ suæ aliquid ratione alimentorum eidem novercæ ministratorum.

Istud deducitur ex multis, primò ex illo quod noverca fuit mulier industriosa sollicita in regimine domus, & sic laborans & serviens privigno. Jam sic est, †
3 quòd alteri serviens lucratur, & debet habere expensas ab illo cui servit. *leg. in rebus. §. possunt. ff. commoda. & l. item si servi. §. qui impensis. ff. de ædili. edict. cum suis concor.* & hoc maximè præsumere debemus quando cum servitio concurrit affinitas, ut in hoc casu, pro quo est *tex. & gl. in leg. si servus. ff. de donat. inter vir. & ux. gl. & ibidem notat. Bal. Salic. Alex. & aliorum in l. si paterno, C. de negoc. gest.* in qua lege videtur decidi iste casus per præfatos Doct. scribentes post gl. ibidem.

Secundo deducitur idem ex hoc, quod
4 ipse privignus † tanto tempore distulit petere aliquid pro hujusmodi alimentis per eum præstitis, ex quo præsumitur ipse tacitè remisisse actionem, etiam si quam habuit, pro quo facit in simili. *l. Procula. ff. de proba. & gl. in l. quæ dotis. ff. solut. matrimon. & melius text. in l. vir usuras. ff. de donatio. inter vir. & uxor. & l. cum quidam. ff. de usuris*, ex quibus legibus clarè habetur, quod si quis distulit petere usuras, ex contractu vel à vero jure sibi debitas per longum tempus, hoc est, spacio decem annorum, videtur tacitè illas remittere, adeo quod illas postea petere non potest, pro quo etiam est *text. in l. cùm post. ff. de jure dot. in princ. per quas ll. ut refert Alexan. de Imol. in d. l. quę dotis, circa finem, 4. colum. consuluit Bald.* quòd licet maritus de jure potest petere alimenta uxori præstita ab illo qui dotem promiserat & eam non persolverat, si tamen ipse maritus cessaverit petere per decennium hujusmodi alimenta, præsumitur titulo donationis eadem remisisse: ex quibus videtur sequi, quod solus cursus tanti temporis excluderet actorem à petendo.

Nec obstat si contra præmissa objiciatur de *nota. per gl. Bart. & Doct. in l. libertis. §. 1. ff. de ali. & ciba. legat.* nam ut
5 ibi patet, † solus cursus temporis per se nihil operatur, sed requiruntur tria copulativè, de quibus *in dicta le. Procula*, de quibus hic ultimum deest, videlicet calculatio sæpius facta. Quia respondetur etiam supposita illa opinione pro vera, videlicet, quòd omnia tria requirantur adhoc, *ut le Procula*, habeat locum, quod *dict. le. Procula* loquitur omnino in alio casu, videlicet in remissione fideicommissi magni, vero jure prius debiti: sed ita non est in casu nostro, nam in casu nostro non constat, ipsa alimenta ex aliquo pacto vel conventione fuisse debita, quare facilius præsumitur ex lapsu tanti temporis, ipsum privignum illa donasse & donare voluisse, ut actio non nascatur, quàm actionem competentem voluisse remittere, pro quo facit *decisio Paul. de Castr. in d. l. quæ dotis, circa finem 3 colum. in sua notabili dis.* Ex cujus dictis clarè colligitur, quòd est magna differentia in præstatione alimentorum, & in alijs debitis:
6 facilius † enim in alimentis quorum præstatio pia est, præsumitur animus donandi, quàm in alijs.

Etiam ex alio in casu præsenti concurrunt affinitas, servitium, & diuturnitas temporis, quod servitium, ut ex suprà dictis patet, operatur ad minus tantùm, imò plus, quàm ratio sæpius calculata, *juxta not. Doct. in l. si paterno.* Quare sequitur d.

tur *d. not.* non obstare in casu præsenti.

Ad tertium verò dubium, quòd præsupponit ipsum privignum habuisse animum donandi, & donasse alimenta suæ novercæ, respondetur breviter, quòd iste
7 privignus † licet non sit consecutus successionem quam sperabat, & ob quam alimenta præstitit, non poterit tamen illius occasione jam petere æstimationem alimentorum per eum, ut præsupponitur donatorum, *text. est ad literam in l. si majores. C. de transact.* imò quod plus est, & si noverca per expressum promisisset & convenisset cum privigno, quòd privignus sibi alimenta præstaret & donaret quamdiu vixerit, ipsa eum hæredem institueret, & sibi omnia bona sua relinqueret: adhuc non posset petere neque hæreditatem, neque etiam æstimationem alimentorum, ut est *text. in l. cum donationis, & ibidem Paul. de Cast. Alex. de Imol. & novissi. C. de transactio.* Quare constat in casu præsenti in quo non est conventum neque aliquid promissum nullum esse dubium, sed casum expresse decisum *in dict. l. si majores* & per consequens nulla est dubitatio. *l. ancillæ, & ibi gloss. Bald. Paul. de Cast. & Doct. C. de fur.*

Ex quibus omnibus patet solutio ad præmissa, & similiter ad ultimum dubium in effectu comprehensum in præmissis alijs dubijs.

CONSILIUM XCIII.

SUMMARIA.

1 *Bonæ fidei possessor hæreditatis, condemnatus illam restituere, uti potest jure retentionis bonorum donec sibi de debitis hæreditarijs, per ipsum solutis, fuerit satisfactum.*

2 *Exceptio quæ non est contraria sententiæ, semper potest opponi post sententiam latam.*

3 *Sententia contra jus scriptum lata, est ipso jure nulla.*

4 *Judex qualiter sententiam suam interpretari possit, &c.*

5 *Supplicatio contra sententiam quam vim habeat, &c.*

6 *Sententia manifestè iniqua non meretur nomen sententiæ.*

7 *Exceptionem contra sententiam incontinenti probare volens audiri debet, non obstante statuto omnes exceptiones contra sententias excludente.*

8 *Præjudiciales articuli ante omnia terminari debent.*

STante sententia lata, quæ habet, quòd Arnoldus Rootman teneatur insequẽdo jura oppidi Mechliniensis facere divisionem & partificationem bonorum per & post decessum suæ quondam uxoris relictorum suis duabus prolibus secundum statum per eundem exhibitum, & præter hoc de alijs bonis specificatis in ipsa sententia pro nunc, non obstante reclamatione ipsius Arnoldi executioni, ut prætenditur demandanda. Quæritur an ipse Arnoldus, qui totam hæreditatem pluribus annis bona fide possedit, poterit deducere in executione sententiæ debita hæreditaria per eundem exoluta, non obstante, quòd ante hujusmodi sententiam latam illa debita non probavit neque clarè ea probavit.

Ad quam quæstionem respondetur breviter, quòd ipse Arnold. hoc facere
1 potest imò † quod plus est, uti potest jure retentionis bonorum, donec sibi de illis debitis fuerit satisfactum, *per leg. his*

consequenter.§.sumptuum.& ibi Alber.& per l.item ex diverso. ff.famil. hercíscund. & le.in restituenda, cum l.sequenti. C.de peti. hæred. & ibidem expreßè Paul. de Castro, hoc dicit in bonæ fidei possessore hæreditatis, de quo looquuntur illa jura, condemnato restituere hęreditatem, quòd
2 scilicet † ipse post sententiam potest hujusmodi exceptionem opponere & deducere: ex quo talis exceptio non est contraria sententiæ, quæ semper potest opponi post sententiam, *uti est communis resolutio Doct. in l.1. C. de jur. & facti igno.*

Nec obstat declaratio scabinorum post hujusmodi sententiam latam facta, de hoc quod ipse deberet dividere, reservata sibi actione, ad recuperandum exoluta per eum. Quia dico, quòd ex quo † illa
3 declaratio est facta post sententiam latam & contra jus scriptum notorium suprà dictum, est manifestè iniqua, & sic etiam illo capite ipso jure nulla & nullius momenti, *juxta notata Bartol. & aliorum Doctor. in leg. ab executore. ff. de appell. & nota.per Panorm. & Doctor. in c.inter*
4 *cæteros, de re judic.* Nam licet sit † permissum judici interpretari suam sententiam, hoc tamen est intelligendum, quando hoc ipse facit secundum formam juris & non aliàs. Aliàs enim possit ipse judex interpretando eandem immutare, quod ei non licet secundum Bartol. ubi suprà, & istud maximè verum est in casu præsenti, cùm ut præmittitur, fuit reformatum seu supplicatum contra sententiam, quæ
5 reformatio seu supplicatio † ex consuetudine habet vim appellationis illo solo dempto, quòd non suspenderet executionem, quare post eam supplicationem jam porrectam nihil est innovandum circa ipsam sententiam *juxta nota in Authent. quę supplicatio. C. de preci.impe.& C.ut lit.penden. per totum.* Consulo igitur, quòd porrigatur supplicatio magnificis Dominis præsidenti & consulibus magni consilij capiendo pro majore antetactam theoricam juris, quòd condemnatus judicio familiæ hercíscundæ potest in executione sententiæ opponere & deducere, per eum creditoribus hæreditarijs soluta, & quòd ipse Arnoldus hoc opposuit, postquam tamen oppositionem ipsi scabini omnino extra formam sententiæ & juris procedentes dederunt unam interlocutoriam continentem in effectu, quòd primò facienda erit divisio juxta interlocutoriam prius per eos latam, non obstante exceptione per dictum Arnoldum propositam, reservata nihilominus præfato Arnoldo actione sua contra hujusmodi proles si quam divisione facta occasione solutorum per eum creditoribus hæreditarijs, vel alias contra eos intentare voluerit reijciendo hoc hoc modo exceptionem deductionis per dictum Arnoldum propositam, cùm nulla alia exceptio per eum proposita fuerit:
6 cùm ergo † ex ipso tenore interlocutoriæ pateat evidẽter de ipsius manifesta iniquitate & nullitate, *juribus præallegatis*, sic quod nomen sententię habere non mereatur. *leg. quarta. §. condemnatum. ff. de re judic.* & *ibi Doctor.* & *Clem. unica, in fine,* & *ibi gloss. ordi. ab omnibus commendata, de sequest. pos.* & *fruct.* non debet hujusmodi ultima interlocutoria mandari executioni, attento maximè, quòd ipse Arnoldus paratus est incontinenti docere per quitantias seu aliàs legitimè de solutione hujusmodi debitorum hæreditariorum *juxta nota. per gloss. Panormit.* & *Doctor. in cap. suscitatæ 4.colum. de in integ. rest.* ibi expresè dicit Pa-
7 nor. quòd volens † incontinenti probare exceptionem legitimam contra sententiam, debet audiri, non obstante statuto vel privilegio excludente omnes exceptiones contra sententias, nam tale statutum vel privilegium videtur exclusisse omnes

omnes exceptiones propter præsumptam fraudem opponentium, quæ præsumptio cessat in probatione, quæ offertur incontinenti secundum eum: & pro eo est casus *in c. literas, post medium, de restit. spoliat.* Quibus attentis petatur provisio à consilio cum inhibitione contra partem & le-
8 gislatores, & præterea discusso † articulo præjudiciali, qui ante omnia debet terminari. *c. tuam, de ord. cog. c. lator. qui fi. sunt legi.* & *l. 2. C. de ord jud.* Si præmissis non obstantibus declarari contingat, quod absit sententias declaratorias scabinorum executioni mandandas esse, petenda erit tunc cautio à prolibus de restituendo recepta, in eventum in quem hujusmodi sententiæ per concilium retractentur, quam præstare tenentur *juxta d. Auth. quæ supplicatio:* Item, quia alia emergere possent onera nunc incocognita, petenda est à prolibus cautio de indemnitate, *juxta d. l. item ex diverso, cum similibus.*

CONSILIUM XCIV.

SVMMARIA.

1 *Legatum ad certum pium usum relictum non potest sine authoritate Papæ in alium pium usum converti.*

2 *Papa qualiter possit legatum pium in alium convertere usum.*

3 *Virginibus maritandis relictum in alios etiam pios usus converti nequit.*

4 *Dispositio testatoris facta ad certum usum, maximè pium pro lege servari debet.*

5 *Legatum concernens spiritualitatem, in alios usus converti potest.*

6 *Pauperibus eroganda qui tenet, aliena, rapere censetur.*

7 *Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.*

8 *Pauperes domestici qui propriè dicantur.*

9 *Communis loquendi usus, & consuetudo testatoris attendi debet.*

QUidam Dominus Wilhelmus presbyter beneficiatus in Ecclesia collegiata sancti N. suum condidit testamentum, in quo inter alia dedit & legavit residuum bonorum suorum superessentium mediatim pauperibus domesticis sub hac forma verborum: Ipse Dominus testator voluit & mandavit, quòd executores sui testamenti, quàm primum eis expedire videbitur, omnia alia sua bona per eum relinquenda, sive mobilia sive immobilia, in quibuscunque locis seu rebus consistentia, apprehendant & vendant, publicæque venditioni exponant plus offerenti nemini in hoc faventes, suorum executorum conscientias ad hoc onerando, & pecunias inde provenientes & excrescentes ultra debita sua, legitima legata suprà scripta, expensas exequiarum suarum, & alia onera emergentia, ipse Dominus testator voluit dividi in duas partes æquales, de quibus unam partem eorundem bonorum pauperibus domesticis & miserabilibus personis oppidi N. dari, distribui & erogari voluit, si tamen & inquantum debitè & honestè vixerint, eosdem pauperes & domesticos dicti oppidi honestè viventes, & non extraneos in una parte bonorum suorum excrescentium suos veros hæredes nominando & instituendo, desiderans insuper suos consanguineos, si tales reperiantur, in hujusmodi distributione alijs anteferri & præponi.

Domi-

Domini Decanus & capitulum Eccle-
ſiæ beati N. intendunt pueris choralibus
ejuſdem Eccleſiæ jam ſeorſum habitanti-
bus providere de domo per certum ma-
giſtrum regulanda, quatenus ibi ſimul in-
habitent & inibi ſuſtententur. Quæritur,
utrum liceat executoribus prætacti teſta-
menti ſalva conſcientia aliquam partem
bonorum ſuorum excreſcentium, ad o-
pus prædictum prætactis dominis de ca-
pitulo inſtantibus tradere & deliberare.

Ad quod, judicio melius ſentientium
ſemper ſalvo, dicendum videtur pro in-
1 dubitato, quòd non, quia legatum † ad
certum pium uſum relictum non poteſt
ſine authorirate ſedis Apoſtolicæ in alium
etiam pium uſum converti, *Clem. quia
contingit, juncta ſua gloſſ. in verb. non a-
lium, de relig. do.* dum ibi dicitur, quod ea
quæ ad cettum uſum pium largitione fi-
delium deſtinata ſunt, debent ad illum
non ad alium ſalva quidem ſedis Apoſto-
licæ authoritate converti. Cùm ergo me-
dietas bonorum dicti teſtatoris ſit relicta
ad certum pium uſum, videlicet ad diſtri-
buendum eam pauperibus domeſticis di-
cti oppidi, non poteſt illa medietas aut il-
lius pars ad opus choralium, etiamſi hoc
pium eſſet, converti: niſi authoritas ſe-
dis Apoſtolicæ intervenerit, de cujus po-
teſtate ſaltem abſoluta eſt convertere pia
legata in alium uſum, qua etiam Papa u-
ti non debet ſine cauſa, & voluit *Inno-
cen. in c. innotuit, extra de elect. quod
etiam ſentit Alexan. de Imol. in addi. ad
Bart. in leg. legatum civitati. ff. de uſu &
2 uſufru. leg.* ibi dicens, quòd ſi Papa † ex
cauſa alteret legatum in alium uſum, fa-
cit hoc ex plenitudine poteſtatis, adeo
quòd requiratur inſertio clauſulæ non
obſtante in lata forma, *ſecundum Bald. l.
ſi teſtamentum. C. de teſtam. hinc idem.
Bald. in l. 1. C. de hũ quę pœnæ not. in fin.*
3 dicit, quod id quod relictum † eſt virgi-
nibus maritandis, non poteſt converti in
alios etiam pios uſus, quamdiu in uſum
deſtinati converti poſſit, quia legitima
voluntas non pertinet ad arbitrium ali-
cujus, *ut nota in leg. voluntatis. C. de fi-
deicom.* & ut dicit, ſic fuit conſultum per
collegium Bononienſe, tam decriſtarum,
quã legiſtarum ut notat *Iac. Butri. in l. ſi
quis ad declinãdum, C. de Epiſ. & cle.* un-
de benè ſentivit Lapus, & poſt eum Card.
in præall. cle. quia contingit, quòd Epiſco-
pus aut etiam legatus de latere non poſ-
ſet facere hujuſmodi alterationem quia
hoc facere eſt diſponere contra legem,
4 quod ſoli principi licet: diſpoſitio † e-
nim teſtatoris facta ad certum uſum,
maximè pium, pro lege ſervari debet.
13. *quęſt. 2. c. ultima voluntas*: unde et-
iam, ut prima fronte apparet, hoc Papæ
etiam non liceret, *c. non liceat.* 12. *q.* 2.
ad quod facit dictum Apoſtoli, quod al-
legat Bal. *in l. executorem. C. de ex reiju-
dicatæ, in fin. primę colum.* volentes, quòd
teſtamentum morte confirmatum nemo
ſuperordinare poteſt, quod neceſſaria ra-
tione eſt munitum, nam cum oporteat
teſtamentum per mortem confirmari &
poſſit confirmari id quod tempore mor-
non erit diſpoſitum, ſequitur de neceſſi-
tate, talem alterationem quæ tempore in
rerum natura non erat, ejus morte non
potuiſſe confirmari in jure, *l. Aurelius. §.
teſtamento. ff. de liber. lega.* Non obſtat
præmiſſis dictum Innocentij, *in cap. ſi-
gnificatum, extra, de præbend.* ibi volentis,
5 quòd Papa † & etiam inferior eo poſſit
mutare relicta ad pios uſus, ſi concernat
ſpiritualitatem, quia, ut ibi etiam vult
Innocent. ſi hujuſmodi legata pia concer-
nant commodum temporale, non poteſt
ſaltem à principe inferior mutare illa le-
gata in alium pium uſum, quod etiam
ſentit *And. Barba. in cap. nos quidem ex-
tra, de teſtam. in 4. colum.* nam iſtud lega-
tum, de quo in propoſito reſpicit tempo-
rale commodum, ut hoc de ſe eſt ma-
nifeſtum,

nifestum, unde non possit stante notabili dicto Innocent. per quod Dominus And. limitat *prealleg. Clemen. quia contingit*, legatum de quo in proposito relictum pauperibus domesticis converti in alium usum per dictos dominum decanum & capitulum prætensum (sanctæ sedis apostolicæ autoritate salva) prout dicit *dicta Clemen.* quam ipse etiam sine causa impartiri non debet, ut suprà de-
6 ductum est, quod enim † pauperibus debetur, si alteri solvatur, onus non remittitur, *cap. ea te, de jurejur. & cap. tua, 2. de decim.* & qui tenet pauperibus eroganda rapit aliena, dicit *text. in cap. sicut hi, 47. dist. benè. cap. non est putanda, 1. q. 1.* nemini enim consulendum est, cum alterius injuria, *cap. locupletari, de reg. jur. lib. 6. & cap. denique, 14. quęst. 5.* licet enim juvare chorales sit opus pietatis, non tamen hoc est cum jactura pauperum domesticorum exercendum, cum soli Papæ, ut dictum est, hoc liceat, subsistente causa rationabili. *d. Clem. quia contingit*: & dato quòd hoc fieri posset absque licentia sedis apostolicæ prout non, tamen † omnium
7 illorum requireretur consensus, quorum juri detraheretur, per regulam, *l. fin. C. de auctoritate præst. & de reg. juris, lib. 6.* quod omnes tangit, & sic interveuire deberet consensus pauperum domesticorum dicti oppidi, quibus ex testamento morte confirmato, est jus quæsitum. Nec præmissis obstat, si dicatur, quod ista non est propriè conversio in alium usum, sed distributio in usum destinatum & desideratum per testatorem, ex quo dicti chorales sunt pauperes domestici simul habitantes, & sic videntur etiam in d. legato comprehensi appellatione pauperum domesticorum, & sic sumus juxta casum *d. Clem. quia contingit*: nam respondeo per interemptionem, negans quòd dicti chorales sunt pauperes domestici, de quibus
8 sentiit testator: appellatione † enim pauperum domesticorum ex communi usu loquendi veniunt illi, qui vel senio vel alio impedimento detenti domi penuriam patiuntur, qui ut sua valetudine vel mendicitate victum per plateas & vicos quærere non possunt: quales non sunt dicti chorales, qui sunt juvenes validi & robusti non permanentes quotidiè domi, sed indies frequentantes ecclesiam gratia cantandi, ita quòd sua industria & valetudine victum quærere possunt, quare non possunt dici pauperes domestici de jure, *juxta l. paupertas, cum ibi notat. ff. de excusat. tut. & juxta l. unicam cum sua materia, C. de mendi. vali. lib. 11.* neque etiam ex communi †
9 usu loquendi, qui est maximè attendēdus, *cap. ex literis, & ibi Doct. de sponsa. l. Labeo, & ibi Bart. ff. de suppell. leg. l. cum de lanionis, in § asinam, ff. de fun. instit. & l. librorum, §. quod tamen Cassius. ff. de lega. tertio, cum similib.* nec etiam ex consuetudine testatoris, qui si interrogatus fuisset, an appellatione pauperum domesticorum voluisset comprehendere chorales, verisimiliter respondisset, quod non: debet ergo in casu præsenti ita judicari, *per tex. notabilem cum sua singulari gl. in l. tale pactum, in § fina. ff. de pact. cum ibi no. per Bald. Paul. de Cast. & Doct.*

CONSILIUM XCV.

SVMMARIA.

1 *Casus per testatorem omissus, censetur dispositioni juris relictus.*

2 *Bona restitutioni subjecta non possunt per hæredem vel legatarium alienari aut gravari.*

3 *Casus omissus habetur pro expresso quando ex aliqua conjectura colligi potest.*

4 *Verba ultimarum voluntatum ſemper intelliguntur ut non ſint ſuperflua, ſed aliquid operentur.*

5 *Sequentia declarant præcedentia & econtrà.*

6 *Præſumpta teſtatoris voluntas quid operetur, &c.*

7 *Quando caſus omiſſus omnino ſimilis eſt cum expreſſo, eundemque effectum habet, tunc pro expreſſo etiam haberi ſolet.*

8 *Evidenter illud conſtare dicitur quod ex ſerie inſtrumenti cõſtat.*

CAſus talis eſt, Anno M. D. XLV. mẽſis Iulij die vigeſimo ſeptimo, domicella Margareta uxor legitima cujuſdam Petri, in præſentia ejuſdem ſui mariti, ſuis conſenſum pariter & aſſenſum adhibens, quendam fecit codicillum, ſeu extremã ordinavit voluntatẽ, in quo, ſeu qua, reliquit cuidam Petro filio Magiſtri Gerardi certa bona feudalia, & eidem ſubſtituit alios filios ejuſdem Magiſtri Gerardi ſub hac forma: **Item oft geviele dat die voorſz Pieter ſtorve eer die goeden tot hem quamen zonder wettige ghebuerte / zo zullen die goeden comen tot den oudiſten ſoone oft tot den gheenen die lancrt leven zal van meeſter Gerards kinderen die hy nu heeft oft crÿgen zal.** Id eſt: Item, ſi contingat prædictum Petrum mori abſque legitimis liberis, prius quàm bona ad eum deveniant, tunc redibunt bona ad ſeniorem filium, vel eum qui diutius ſupervivet de Magiſtri Gerardi liberis, quos modo habet vel habiturus eſt. Ex poſt autem dicta teſtatrix ſubſtituit dictis prolibus Magiſtri Gerardi decedentis ſine liberis proximiores ſuos hæredes ſub hac forma: **Ende oft gheburde dat alle die kinderen voorſz: zonder wettighe ghebuerte van hem achter te laten ſtorven / dat als dan die goeden gaen zullen tot den erffghenamen van Jouffrou Margariete teſtatuereſſe / ꝛc.** Hoc eſt: Et ſi contigeret omnes liberos prædictos abſque legitimis liberis ex ſe relictis mori, quod eo caſu tunc bona ibunt ad hæredes dominæ Margaretæ teſtatricis, &c. Deinde præfatus Petrus legatarius ſtatim poſt mortem dictæ teſtatricis & dicti Petri ſui mariti prætacta bona apprehendit, & illa ſpacio quadraginta annorum poſſedit, & noviſſimè illa bona certis annuis legatis diverſis perſonis in ſuo codicillo relictis oneravit, quo nunc anno Milleſimo quingenteſimo quarto, ſine liberis defuncto, petunt prætacti legatarij, legata ſibi per quondam Petrum in ſuo codicillo relicta. Quibus reſiſtit Iohannes filius ſecundò genitus dicti quondam Magiſtri Gerardi, prætendens prætacta bona dicto quondam Petro per præfatum quondam domicellam Margaretam relicta fuiſſe ſubjecta reſtitutioni, & ſic ea non potuiſſe onerari aliquibus legatis, dicti autem legatarij prætendunt contrarium. Quæritur quid juris.

Et videtur prima facie, quòd præfatus Iohannes cogi debeat & compelli ad exolvendum legata per dictum quondam Petrum ex prætactis bonis relicta, quia prætacta bona, quæ dicto quondam Petro fuerunt per prætactam quondam Margaretam relicta, ſolùm ſunt ſubjecta reſtitutioni in caſu quo ipſe Petrus decederet ſine liberis priuſquam bona ad eum devenirent, ex quo alij filij dicti quondam Magiſtri Gerardi ſunt in illũ eventum dicto quondam Petro ſolùm, & duntaxat ſubſtituti. Modo ipſe quondam Petrus deceſſit diu poſtquam hujuſmodi bona devenerunt ad ipſum, ergo in caſu qui nunc evenit, dicta bona non fuerunt

1 runt subjecta restitutioni, cùm † ille casus sit per testatorem omissus, & sic haberi debet pro omisso, *l. commodissimè, ff. de liber. & posthum.* & relictus censetur dispositioni juris communis, *l si cum dotem, in princip. ff. sol. mat. & cap. susceptum, de rescript. lib. 6. cum similib.* & per consequens dicta bona poterunt per dictum quondam Petrum originalem legatarium onerari & gravari legatis antetactis.

Quibus tamen non obstantibus, videtur nobis infrà scriptis dicendum & concludendum, quòd præfatus Iohannes nullo modo veniat compellendus ad exolvendum prætacta legata: Quod sic de-
2 ducitur, quia bona † subjecta restitutioni non possunt per hæredem institutum vel legatarium alienari aut onerari, *text. est expressus in l. fina. § sed quia, C. communia de legatis,* saltem extra casus *authenticæ, res quæ*, ibi positæ, quorum nullus est in casu præsenti, sed prætacta bona Petro relicta fuerunt restitutioni subjecta, eo quòd dictus Iohannes cum suis fratribus & ultimo vivens ex eis fuit eidem Petro substitutus in casu, quo sine liberis decederet, prout decessit, ut patet in themate: ergo dictus Petrus ea onerare non potuit *per dict. §. sed quia, cum similib.* Nec obstat contrarium, quod dicitur, quòd filij dicti Magistri Gerardi solùm fuerunt substituti præfato Petro eorum seniori fratri, in casu quo ipse decederet sine liberis, priusquam bona ad eum devenerunt, qui casus non evenit, & sic haberi debet pro omisso, &c. Quia respondetur, quòd licet casus ille, si Petrus sine liberis decedat priusquam bona ad eum devenerint, solùm reperiatur scriptus in codicillo dictæ quondam domicellæ
3 Margaretæ, tamen † casus decessus dicti quondam Petri sine liberis, postquam bona ad eum devenerunt, omissus per testatricem, qui nunc evenit, fuit & est ex mente ejusdem testatricis subintellectus, & tacitè inclusus, quod sufficit ad hoc, quòd ista bona dicantur in proposito subjecta restitutioni per theoricam Doctor. qui volunt, quòd casus omissus habetur pro expresso, quando ex aliqua conjectura haberi potest pro expresso, *l. si ita scriptum in princip. ff. de libe. & posthum.* nam voluntas quæ expressè vel ex conjecturis colligitur, dicetur evidens, *l. licet Imperator. ff. de legat. 1. ita vult expressè Bald. in l. conventiculam, in secunda colum. Cod. de episcop. & cleric. & idem Bal. in l. unica, C. de his, qui ante apertas tabulas*, & maximè hoc procedit, quando ille casus omissus dependet ex unius tantùm voluntate, ut contingit in ultimis voluntatibus, in quibus potius mens, quàm verba, est attendenda, *l. inter vestem. ff. de auro & argent. legat. & l. in conditionibus primum locum. ff. de condit. & demonst. cum simplib.* præsertim quando illud omissum non est de substantia aut forma ultimæ voluntatis, sed ubi casus omissus haberi non potest pro expresso ex aliqua conjectura, tunc haberi debet pro omisso, & ita procedit, *l. commodissimè de lib. & posthum. pro contrario allegata, cum simil.* Quod autem de mente prætactæ testatricis fuit, casum prætactum, qui evenit haberi pro subintellecto & incluso, deducitur apertissimè hoc modo: nã nisi dicta clausula codicilli, **Item oft gebiele/2c.** intelligeretur in omnem eventũ, sive Petrus decederet sine liberis, priusquam bona ad eũ pervenirent, sive ex post, frustrà addita fuisset clausula substitutionis hæredum testatricis, sed hoc est inconveniens,
4 quia verba † ultimæ voluntatis semper debent intelligi, ut aliquid operentur, ut & non sint superflua, *l. si quando, in princip. ff. de legat. primo*, &c. Assumptum deducitur, quia nisi verba dictæ clausulæ, **Itẽ oft gebiele/2c.** omnẽ casum decessus sine liberis comprehenderent, sed solùm &

duntaxat caſum deceſſus ſine liberis,
poſtquam bona ad eum devenerunt, ut
prima facie videntur ſonare verba, de-
feciſſet fideicommiſſum in perſonam di-
cti Johannis & ſuorum fratrum, ex quo
Petrus deceſſit ſine liberis, poſtquam ap-
prehendit bona, & ad dicta bona ve-
niſſent hæredes proximiores dicti teſta-
tricis: ubi tamen expreſsè conſtat de
mente teſtatricis fuiſſe, quòd hæredes ſui
ſolùm veniant ad illa bona poſt deceſſum
omnium filiorum Magiſtri Gerardi ſine
liberis: ut patet ex illa clauſula ſequenti:
Ende ofte gebuerde/ ꝛc. & quadam a-
lia clauſula ſequenti: Jam ſic eſt, quòd
5 ſequentia † declarant præcedentia & e-
contrà, *l. ſi ſervus plurium*, § *fina. ff. de le-
gat. primo, & l. quiſquis, cum ſua gloſ. & i-
bi Bartol. ff. de legat. tertio.* Hinc eſt,
6 quòd ex præſumpta voluntate † defuncti
conjunctus interdum præfertur ſubſti-
tuto, cum tamen regulariter ſubſtitutus
excludat conjunctum, *ut patet, in l. qui-
dam teſtamento, & ibi Paulus de Caſtro,
ff. de vulgari. & pupill. ſubſtitu.* & in-
terdum plures hæredes conjunctim ſub-
ſtituti, cum disjuncto non habentur loco
unius, ſed loco diverſorum ex præſum-
pta voluntate defuncti, *ut patet in l. qui
cum plures. ff. de vulgar & pup.* Præterea
facit pro dicto Iohanne, *tex. in l. fina. C.
de poſthum. hære. inſtit.* ubi poſthumus
natus in vita teſtatoris intelligitur inſti-
tutus, qui tamen ſolùm inſtitutus fuit, ſi
naſcatur poſt mortem teſtatoris, quòd ex
eo contingit: quia ſi teſtator illum ca-
ſum cogitaſſet, vel de illo interrogatus
fuiſſet, idem ſtatuiſſet in eo: *cui concor-
dat l. tale pactum. § fina. cum ſua ſingula-
ri gloſſ. quam ibi commendant Bald. Pau-
lus de Caſtro, & Doct. ff. de pactis. concor-
dat etiam l. Titius, §. 1. ff. de liber. &
poſthu.* ubi inſtitutio facta de naſcituro,
quia teſtator putabat eum adhuc non
fuiſſe natum, trahitur ad jam natum illa
ratione, quia ſi hoc ſciviſſet, eodem mo-
do inſtituiſſet: *& ibi hoc notavit Paul.
de Caſtro, Alexand. de Imo. & Doctor.*
ſic etiam dico in propoſito, quòd ſi teſta-
trix ſciviſſet iſtum Petrum deceſſurum
ſine liberis, poſtquam bona ad eum deve-
niſſent, vel de hoc interrogata fuiſſet, uti-
que illum caſum expreſſiſſet, & idem
in illo ſtatuiſſet, ut ex conjecturata men-
te ejus colligitur per ſuprà dicta: nam
7 quando † caſus omiſſus eſt omnino ſimi-
lis cum expreſſo, & habet unum effectum
cum caſu expreſſo, tunc ille caſus omiſſus
habetur pro expreſſo, *text. eſt in l. ſi ma-
ter. C. de inſtit. & ſubſtit. ſub condic. fa-
ctis, & vult Bart. & Doct. in l. Gallus, in
§. & quid ſi tantum. ff. de liber. & poſthu.*
Caſus autem iſte omiſſus, eſt omnino ſi-
milis cum expreſſo caſu, & habet eundem
effectum cum illo, videlicet effectum ad-
miſſionis aliorum filiorum dicti Magiſtri
Gerardi, virtute ſubſtitutionis in defe-
ctum conditionis, quos non multo minus
dilexit, quàm dictum inæquali gradu ſibi
attinente, & ſic veriſimiliter eos voluit
ſubſtituere in omnem eventum quo di-
ctus Petrus decederet ſine liberis. Præ-
terea hoc colligitur ex alio, quia Petrus
maritus dictę teſtatricis, de cujus conſen-
ſu dicta teſtatrix ſuam ultimam ordina-
navit voluntatem poſt mortem dictæ ſuæ
conjugis ſuum condidit teſtamentum, in
quo præfato Petro filio Magiſtri Gerar-
di ſui nepoti reliquit certa ſua bona hæ-
reditaria, libera, & cenſualia in parochia
de Roeſmalem & Gheffel, quæ ipſe ha-
buit & poſſedit tempore dictæ domicellæ
Margaretæ, ſuæ dum vixit conjugis,
adijciendo hanc clauſulam:

**Toeghedaen ofte ſaſſe waer / dat
dieſelve Pieter meeſter Geraerts
ſoone afliviich worde zonder wet-
tige ghebuerte van hem te blijven/
zoe wil ick dat in die gheval de zel-
ve goeden comen ende vallen zullen
naer**

naer manieren des testaments van my ende wijlen Jonfrou Margriete mijnder Huysvrouwe te dier tijt/ van zekeren leengoeyen/ den zelven Pieteren meester Gheerardes soone/ beset ende begrepen waren. Hoc est, Iuncto in eventum quo idem Petrus Magistri Gerardi filius decederet absque legitimis liberis ex se relictis, tunc volo in eum casum quod eadem bona adveniant & cedant secundum formam testamenti mei, & quondam dominæ Margaretæ uxoris meæ illo tempore, de certis bonis feudalibus eidem Petro Magistri Gerardi filio assignatis & comprehensis.

In qua clausula non distinguitur, an dictus Petrus decedat sine liberis ante apprehensionem dictorum bonorum, vel post: sed solùm consideratur, an decedat sine liberis, vel non. Ex quibus omnibus liquidè & evidenter constat, quòd de mente tam dictæ domicellæ Margaretæ, quàm dicti Petri mariti, antetactæ testatricis fuit, quòd in omnem eventum decessus dicti Petri, sine liberis, bona hujusmodi devolvi deberent ad fratres ejusdem quondam Petri illi substitutos, quæ magis est attendenda, quàm verba *dictę l. in conditionibus primum locum*, cum alijs juribus suprà allegatis. Eviden-
8 ter † enim illud dicitur constare, quòd constat ex serie instrumenti, quamvis inanis seu vana possit cadere dubitatio: *ut dicit Ioannes de Imola, in cap. cum dilecti, per illum text. de donatio.* Cùm ergo, ex tenore & serie instrumenti dictæ ultimæ voluntatis, constat evidenter, istud fuisse de mente dictæ domicellæ Katharinæ, ex præcedentibus & sequentibus, licet verba prima facie aliud videantur sonare, judicandum erit pro dicto Iohanne, contra præfatos legatarios, per præmissa.

CONSILIUM XCVI.

SVMMARIA.

1 *Minorum & mulierum fragile est & infirmum consilium, multorumque insidiis expositum.*

2 *Pactum de futura successione perdenda, an & quando valeat, & num. 8.*

3 *Læsus ultra dimidium restituitur.*

4 *Timor reverentialis idem operatur quod justus metus.*

5 *Gravari non potest per patrem filia in bonis maternis.*

6 *Filia nubens viro probo & digno sine consensu patris, exhæredari nequit: Imò pater illam dotare tenetur, & num. 9.*

7 *Minores non restituuntur nisi concurrat & probetur quoque læsio enormis, quia sua facilitate vel dolo adversarij contigerit.*

10 *Filia recipiens legitimam à patre vivente, cum pacto de non plus petendo in posterum, auctis post ea bonis paternis ultrà petere non potest.*

11 *Legitima filio non debetur nisi post mortem patris.*

12 *Legitima non augetur ex incremento post mortem patris casualiter subsecuto, extraneis hæredibus institutis.*

13 *Pater donans filio in vita, videtur illud dedisse ut imputet in legitima instar dotis datæ.*

14 *Interventus amicorum facit ces-*

sare præsumptionem doli vel metus reverentialis.

15 *Actus factus in judicio, executionem paratam habet.*

16 *Authoritas judiciaria, quantum operetur, &c.*

17 *Sententia majorem habet authoritatem quam juramentum.*

18 *Venditio coram judice facta rescindi non potest, prætextu læsionis ultrà dimidium, &c.*

19 *Alienatio rei ecclesiasticæ interveniente decreto superiorum celebrata, in utilitatem ecclesiæ facta censetur.*

20 *Renunciari non potest juri de futuro, nisi fiat in judicio.*

21 *Mulier renuncians beneficio Velleia. an & quando teneatur.*

22 *Geminatus consensus tantum operatur, quantū consensus juratus.*

23 *Geminatio facit præsumi plenam deliberationem.*

24 *Metum reverentialem quæ cessare faciant, &c.*

25 *Læsio in principio contractus non adparens, sed postea superveniens, non rescindit contractum.*

26 *Utile per inutile in separabilibus non vitiatur.*

VIsis, pacto, concordia, & renunciationibus, per & inter bonæ memoriæ quondam dominum Wilhelmum de Stradio patrem ex una, ac domicellam Margaretam ejus filiam, ac Antonium de Lu ejus maritum, ex altera, medio & interlocutione amicorum factis, initis & conclusis, nec non condemnatione in consilio Brabantiæ, de consensu hujusmodi partiū, expost subsecuta: videtur prima facie dicta domicella Margareta hujusmodi pacto, concordia, renunciationibus, & condemnatione non obstantibus, audienda, petens adversus ea restitui. Primò ex eo, quia dicta domicella Margareta, tempore hujusmodi pacti, transactionis, renuncia-
1 tionum, & condemnationis, fuit † minor viginti quinque annis: & mulier, cujus ætatis & sexus consilium, apud omnes constat fragile esse & infirmum, multis captionibus suppositū, multorumq; insidiis expositum, & sæpè contra propria commoda laborans, unde naturalis æquitas suadet ei subvenire. *l. 1. ff. de mino. juncta l. si mulier. 2. C. ad Velleia. cum similibus.*
2 Tum secundò ratione pacti in se, quia † hujusmodi pactū est factum super futura successione perdenda, quod est omni jure, tàm civili, quàm canonico reprobatū. Iure civili, *patet in l. pactum, C. de colla. & in l. qui superstitis. ff. de acquir. hered.* de jure etiam canonico, quando pactum non est juramento firmatum, *patet in c. 2. de pact. lib. 6.* ubi pro dicta domicella Catharina videtur casus. Tum tertiò, quia dicta domicella Catharina, ex hujusmodi pacto &
3 renunciatione, dicitur † enormiter læsa, longè ultra dimidiam. & sic etiam si præmissa cessarēt, deberet sibi, ut cuilibet majori succurri, per remedium *l. 2. C. de rescind. ven.* fortius ergo debet sibi minori, enormiter læsæ succurri, per beneficium restitutionis in integrum. Nec potest sibi obesse condemnatio facta in consilio Brabantiæ, quia illa, tanquam subsecuta ex consequentia suæ fragilitatis sibi obesse non debet, *dicta l. si mulier. 2. & l. doli mali, versic. diversum est, ff. de nova. & l. 3. §. scio, cum ibi notatū per gloss. & Doct. ff. de minor. cum simil.* Tum quartò, quia hujusmodi pactum, & alia subsecuta, facta sunt per metum seu reverentiam paternalem, & propter potentiam patris in dictam domicellam Margaretam suam filiam

liam stomachati, cui magna reverentia
4 debetur: qui quidem † timor reverentialis idem operatur, quod justus metus, ut est textus notabilis *in l. prima, §. quæ onerandæ, juncta sua glossa, ff. qua rer. actio. non dat. & ibi Bartolus, & ita in fortioribus terminis decidit Baldus in dicta leg. pactum, in secunda columna, in prima questione.* Tum quintò, quia † dicta domi-
5 cella Margareta, in bonis, per decessum suæ matris ad eam quoad proprietatem jam devolutis, non potuit per suum patrem gravari aut illis privari, cùm ea à patre suo non sit consecuta, *l. si arrogator, circa finem, ubi textus notabilis. ff. de adoptio.* & ultra hoc dicta domicella Margareta habere debuit in bonis sui patris, ad minus, legitimam jure naturæ sibi debitam, in qua etiam gravari non potuit, *l. omnimodo, C. de inofficioso testamen. & cap. Raynutius, cum ibi notatis, de testamen. cum similibus.* Cùm ergo dicta domicella Margareta bona per concordiam sibi dimissa habeat loco bonorum maternorum, & loco futuræ successionis paternæ, quæ tamen vix ad quantitatem bonorum maternorum ascendere dicuntur, & cum illis gravata sit, per hoc, quòd sibi ex pacto interdicta est alienatio illorum bonorum in toto vel in parte, patet eam enormiter læsam, & sic eam debere restitui adversus hujusmodi pactum, renunciationem, & alia subsecuta, maximè cum nulla subfuerit causa exhęredationis, prout etiam per eundem suum patrem non reperitur exhæredationis,
6 propterea enim † quòd filia minor 25. annis nubit viro probo & digno sine consensu patris, ab eo exhæredari non potest, si non nubit servo: *ut est glos. ordinaria in Authen. sed si post. C. de inofficio. testam. & idem Ioan. Fabri in breviario eam ad hoc ponderat & approbat:* imò quod plus est, pater teneatur illam filiam dotare de suo, quando nupsit digno, ut præmittitur, attento quòd hodie de jure canonico consensus patris, in matrimonio per filiam contrahendo non requiritur: *gloss. est ordinaria notabilis in cap. de raptoribus, 36. quæst. 1. & in cap. hoc sanctum, 32. quæst. 2. quas gloss. refert & sequitur Panorm. in cap. 1. de desponsa. impub. & volunt Ioan. And. Panorm. & Doct. in cap. accedens, de procura.* Cùm ergo dicta domicella Margareta non potuit ob hanc causam exhæredari, nec etiam sit exhæredata, & est enormiter lęsa, videtur quod ipsa audienda est, petens adversus præmissa, pacta, renunciationes, & alia subsecuta restitui.

In contrarium tamen meo judicio est veritas, attentis omnibus his, quæ in hujusmodi pacto & renunciatione intervenerunt: quod ut clarius liqueat, respondendum est motivis, pro dicta Margareta suprà adductis: ex quorum solutione, patebit nitida & clara hujus articuli veritas. Ex primo non obstat primùm, de mi-
7 norennitate & fragilitate sexus, quia † sola minorennitas, vel sexus fragilitas, non sufficit ad dandum restitutionem in integrum, nisi concurrat & probetur læsio, *l. nam postea, §. si minor, & ibi notat. ff. de jurejuran.* & quidē enormis requiritur læsio, *l. scio. ff. de in integrum restit.* & ultra hoc requiritur, quòd talis læsio accidit sui facilitate, vel dolo adversarij: si enim fortuito casu accidat, non est danda in integrum restitutio: textus est notabilis *in l. verùm, in §. sciendum, & ibi Bart. ff. de minoribus.* unde si aliquid se habet ad lucrum & ad damnum, licet casualiter contingat damnum, non tamen propter hoc dicitur quis lædi. & si sit minor, non debet propter hoc tanquam læsus restitui: *text. est nota. in l. de fideicommisso, & ibi pulchrè Paulus de Castro, Alex. de Imola, & Doct. C. de transact. & facit l. si pater puellæ, C. de inoff. test. & l. si ea lege in ratione sui, C. de usur. & vult Bald. in l. cum Archimedoram, in 1. col. C.*
ut

ut in possess. legat. ubi dicit dicta l. de fi-
deicommisso, & ad hoc esse unicam & sin-
gularem : ut vult etiam Salicet. in l. 1. in
quarto notabili, Cod. de pactis. In casu au-
tem præsenti dicta domicella Margare-
ta, per hujusmodi pactum, renunciatio-
nem, & alia subsecuta, non est quovismo-
do læsa, saltem tali læsione quæ debet at-
tendi, ut infrà latius declarabo: quare non
obstat. Non obstat etiam secundum, de
8 pacto † negativo futuræ successionis re-
probato. *præalleg. l. pactum. C. de collatio.*
cum similibus. Quia respondetur multi-
pliciter. Primò, quòd regula *dict. l. pa-*
ctum, non procedit, quando cum pacto est
admixtum delictum, *text. est in l. 1. §. si*
parens secundum unam lecturam ff. si quis
à patre fue. manu, & vult Barto. in l. fin.
in versic. secundo quæro, Cod. de pact. &
Ange. in l. stipulatio hoc modo concepta, in
9. fallentia. ff. de verbor. obligat. In casu
autem præsenti, cum pacto est admixtum
delictum dictæ domicellæ Margaretæ,
quæ inscio suo patre ante 25. annum ma-
trimonium contraxit cum dicto Antonio:
9 nam † licet de jure canonico matrimo-
nium per filiam sine consensu patris con-
tractum teneat, cum solùm requiratur
consensus illius, de cujus matrimonio a-
gitur, *cap. cum locum. de spon. cap. 1. de de-*
spon. impub. & cap. sufficiat, 27. quæst. 1.
cum similibus. Tamen filia ob hanc cau-
sam exheredari potest etiam hodie secun-
dum aliquos, cum fiat injuria patri, nec
jus canonicum aliquid de hoc disponit, sed
solùm de fœdere matrimonij ita tenet
Pau. de Cast. in d. Auth. sed si post, & Gof.
in sum. de despon. impu. in versic. sed quę-
ritur pone, in hoc tamen non facio funda-
mentum: ex quo in hoc ultimo puncto,
communis opinio est in contrarium, *ut*
dicit Panorm. & rectè, in d. c. 1. de despon.
impu. Secundo respondeo, & dico, quòd
regula *d. l. pactum*, non procedit, quando
ratione talis pacti tantum percipit filia,
quantum sibi occasione successionis de-
betur, *text. est not. in d. l. 1. § si parens,*
secundum aliam lect. & vult Bart. in d. l.
fin. in vers. secundò quæro : imo plus no-
tabiliter dixit *Iac. Butriga. in d. l. pactum*,
10 videlicet, quòd quando pater † in vita
transignat filiæ legitimam cum pacto,
quòd plus in posterum non petat, quod
filia nō potest amplius ultra petere, etiam
si facultates patris post ea multum auge-
antur: cum hoc, tempore pacti, fuit in-
certum: & quia facultates patris potuis-
sent minui: quod dictum refert & sequi-
tur *Ang. in l. si proponas. §. 1. ff. de inoffic.*
testam. ubi dicit, *quòd filia hoc casu non*
excludetur pacto, sed perceptione: & *idem*
Ange. in d. l. stipulatio hoc modo concepta,
in decima fallentia : hoc dictum etiam re-
fert & sequitur Bald. in l. 2. C. de revo-
bis quæ in fraud. cred. & idem Bald. in l.
fina. in penult. colum. C. de usu. rei judic.
& idem Bald. in Authen. res quę in 2. col.
C. communia de lega. Et ratio hujus est
11 manifesta, quia legitima † non debetur
filia in vita patris, sed demum post mor-
tem, *ut tenent Petrus, Cyn. Bart.* & *Salic.*
& *Doct. in Auth. si qua mulier, circa fin.*
C. sacros. eccles. ubi Salicet. dicit hanc esse
commu. opin. Si ergo assignata est legitima
filio in vita patris, per ipsum patrem, de-
bet attendi tempus quo assignata est legi-
tima, & non dubius eventus, cùm ille po-
tuisset se habere, tàm in commodū, quàm
ad commodum filiæ, *per text. in dicta l.*
de fideicom. & *in præalleg. l. si ea lege,* & *in*
dicta l. si pater puellę cum similibus: sicut
12 in simili legitima † non data in vita non
augetur ex incremento post mortem ca-
sualiter subsecuto, extraneis institutis hæ-
redibus: ut est textus notabilis *in l. si pa-*
tronum ex debita. §. fin. & *in l. etiam. §.*
fina. ff. de bon. liber. quæ jura licet loquan-
tur in legitima debita patrono in bonis li-
berti, adaptari tamen possunt in legitima
debita filio, ex parietate rationis, in casu
autem

autem præſenti dicta domicella Marga-
reta tantum conſecuta eſt, quantum ſibi
occaſione legitimæ, ultra bona materna,
debebatur: imò tantum, quantum ſibi
ratione ſucceſſionis, inſpecto tempore
pacti, competijt, ut præſupponitur in
facto: ergo nimirum ſi teneatur hujuſ-
modi pactum de jure validum ſervare:
13 nam in dubio quando † pater aliquid do-
nat filio in vita, videtur hoc dediſſe, ut
imputet in legitima inſtar dotis datæ,
*ſecundum Bartol. notabiliter in d. §. ſi
parens*: fortius ergo, quando conſtat,
quòd animo compenſandi aliquid ei da-
tum eſt per patrem inter vivos, ut in ca-
ſu præſenti lucidè conſtat ex documen-
tis deſuper confectis. Tertiò responde-
tur, quòd benè verum eſt, quòd pactum
patri factum de non ſuccedendo non va-
let, ſi non firmetur juramento: ſed ubi
juramentum firmatur, tenetur ipſa filia
illud omnino ſervare, ut eſt caſus *in dicto
cap. ſecundo*. Licet autem in caſu præſen-
ti non intervenerit juramentum, quod vi-
detur requirere *dict. cap. ſecundo*. tamen
hîc intervenerunt plura alia longè for-
tiora, & inter alia conſenſus geminatus,
& res judicata, quorum quotlibet jura-
mento æquiparatur, ut infrà oſtendam,
quare non obſtat. Primò enim hîc inter-
venerunt præſentia, conſenſus, & autori-
tas dicti Antonij mariti majoris, & præ-
ſentia amicorum & conſanguineorum di-
ctæ domicellæ Margaretæ: qui inter-
14 ventus † amicorum facit ceſſare præſum-
ptionem doli vel metus reverentialis:
*textus eſt notabilis in l. tranſactionem, C.
de tranſactio.* & *ibi Bart. Bald. Paulus de
Caſtro, Alexand. de Imola,* & *Doctores,* &
*vult idem Bartolus in leg. fina. in prima
colum. ff. ſi quis aliquem teſtam. prohib.* &
*Bald. in l. fina. C. illo eodem titu. cui con-
ſonant notata per gloſſ. ordinariam in l.
Polla, ſuper pupillo, ibi, vel tertio, Cod. de
his, quibus ut indignis,* & *notata per Bald.
in tit. qui feudum dare poſſ. in fine primæ
colum.* Secundò hîc intervenerunt auto-
ritas judicis & ſententia condemnatoria
ſeu approbatoria dicti pacti & renuncia-
tionum, de conſenſu & ex inquiſitione
dictarum partium, ut præmittitur, lata.
15 Iam ſic eſt, quòd omnis † actus factus in
judicio, etiam qui aliàs non deberet ſor-
tiri effectum, habet de jure communi
executionem paratam: nam veſtitur ca-
lore judicij, *ut eſt textus notabilis in l.
tale pactum. §. qui provocavit, in verbo,
legitimam conventionem. ff. de pactis,* &
ibi Bart. Bald. & *Doctores,* quæ autoritas
16 † judiciaria tantùm operatur, quantum
juramentum, & plus: quod deduco ex
infrà ſcriptis. Primò *per l. ſi juravero. ff.
de jure patronatus*, ubi habetur, quòd ſi
patronus juravit ſe patronum, non habe-
tur pro patrono quoad ſucceſſionem, &
tamen ſi per ſententiam pronuncietur pa-
tronus, habetur pro tali etiam quoad ſuc-
ceſſionem. Secundò, quia ſententia non
retractatur prætextu inſtrumentorum de
novo repertorum, *l. ſub ſpecie, Cod. de re
judicat.* ſed benè juramentum, *l. admo-
nendi. ff. de jurejur.* per quas ll. patet,
17 quòd ſententia † majorem autoritatem
habet, quàm juramentum: & nimirum
cùm faciat jus inter partes, *l. ingenuum.
ff. de ſtatu homin. cum ſimilibus.* Præ-
ſentia enim judicis inducit magnam præ-
ſumptionem, pro his, quæ coram eo a-
guntur, & ergo contractus facti apud
acta, licet non pertineant ad naturam ju-
dicij, ſunt multum efficaces, *l. pacta no-
viſſima, ibi, apud acta præſidis, C. de pactis,*
& *ibi Bald. Salicetus, Alexand.* & *Doct.*
nam in primis præſumitur metus & do-
lus abeſſe, ubi decretum judicis intervenit,
18 adeò quòd † non poteſt reſcindi vendi-
tio, tanquam ſit facta citra dimidiam juſti
precij beneficio, *dict. l. 2. C. de reſcinden.
vendi.* quando in contractu venditionis
intervenit decretum judicis, *textus eſt*

notabilis in l. prima, & *ibi Bart. Ioan. de Platea,* & *Doctores, Cod. de prędiis curialium, libro* 10. & ubi decretum judicis intervenit, omnia præſumuntur ritè & rectè proceſſiſſe, *ut vult Specula. in titulo, de emptione* & *venditio § nunc dicendum, verſic.* & *breviter,* & *ſequitur Bald. in l. cum hi. §. ſi prętor. ff de tranſact.* & *idem Bald. in cap. in præſentia. in ultima colum. de renunc. ubi bonus text. hic dicit Bald. in cap. ſicut, in 2 col. de re jud.* quod propter autoritatem judiciariam omnia præſumũtur ſolenniter proceſſiſſe, etiamſi judex eſſet unus rebaldus: fortius ergo hoc eſt præſumendum de tam præclaro ſenatu, cujus decreta ſemper fuerunt in magna autoritate, robore, & firmitate habita, minimeq; ſunt mutanda, quæ certam obſervantiam ſemper habuerunt, *l. minimè, ff. de legib.* injuriamque facit ſenatui, qui rectè per eum diſpoſita in dubium revocare contendit, *l. 3. C. de ſumma Trinit.*
23 imò quod fortius eſt, ubi decretum † ſuperiorum eſt interpoſitum in alienatione, vel alio contractu cum eccleſia celebrato, cenſetur talis contractus factus in utilitatem eccleſiæ: ita ſingulariter dicit *Bald. in cap.* 1. *in* 2. *col. qui feudum dare poſſunt, in uſibus feudorum, quod dictum commendat, refert* & *ſequitur dominus Alexand. de Imol. in conſilio* 79. *primi voluminis, incipiente, circa principium de quo quæritur, in* 4 *colum* Hinc etiam eſt, quod ſi aliquis confiteatur in judicio ex cauſa mutui, non habet exceptionem non numeratæ pecuniæ etiam infra biennium, ubi aliàs haberet, ſi confeſſio emanaret extra judicium: *ut vult Salicetus in l. unica, in prima colum. per illum textum, juncta gloſ. Cod. de confeſ* Hinc etiam eſt,
20 quòd ubi aliàs † juri de futuro renunciari non poteſt, *d. l. qui ſuperſtitis. ff. de acquiren. hęred. cum ſimilibus.* tamen ſi talis renunciatio fiat in judicio, valet: *ut eſt text. juncta gloſ. in l. in plurium, in fine,* & *ibi Bartol. Bald. Pau. de Caſt. Ioan. de Imo.* & *Doct ff. de acquir. hęred.* & *notata per gloſſ.* & *Ang. in l.* 1. *ff. de cura. bo. dan.*
21 Hinc etiam videmus, quòd ſi mulier † renunciet beneficio Velleiani in judicio, valet renũciatio: ſecus ſi extra judicium. *l. fin. §. pen. ff. ad Velleia.* & *volunt Cyn.* & *Bart. in l. fina. Cod. eod. tit.* & *Ioan. de Imo. Felinus* & *alij in cap. ex reſcripto, de jurejurand.* aſſignantes rationem diverſitatis: quia primo caſu hoc cenſetur deliberatè factum: ſecundo autem caſu ipſa videtur ex eadem fragilitate renunciare, ex qua ſe obligavit pro alio, *d. l. doli mali, verſic. diverſum eſt. ff. de nova. per quod patet non obſtare d l. ſi mulier,* 2. & *notata in d. l.* 3. *§. ſcio.* in favorem dictæ domicellæ Margaretæ ſuprà adducta, quia illa ſolùm locum habent in actibus extra judicium factis, non in judicialibus, quæ deliberatè fieri cenſentur, per præmiſſa. Præterea poſt ſententiam condemnatoriam, intervenit etiam in caſu præſenti actus poſitivus inhæredationis factæ coram domino feudi loci ſituationis bonorũ renunciatorum: quæ omnia ſimul juncta nedum tantum, verùm multò plus ope-
22 rantur, quàm juramentum: imò ſolus † conſenſus geminatus tantum operatur ſicut conſenſus juratus: *ut eſt gloſſ. ordinaria junctis ibidem notatis per Panor. in* 4. *colum. in cap. cùm contingat, de jurejur. juncta Authen. ſive à me, Cod. ad Velleianum:* ſolus enim conſenſus mulieris in alienatione fundi dotalis non ſufficit, juribus vulgaribus: tamen ſi eſt juratus vel geminatus, valet & prejudicat, ut in dictis juribus: & videmus idem in ſimili, nam mulier fidejubendo juvatur beneficio Velleiani, *toto tit. ff. ad Velleian.* tamen ſi interveniat conſenſus geminatus mulieris in fidejubendo, vel conſenſus juratus, ceſſat exceptio Velleiani. de primo eſt text. *in l. ſi mulier,* 2. *C. ad Velleian. ſuprà allegata.* & de ſecunda eſt gloſſa ordinaria

in d. cap. ex rescripto, *quam ibi ponderat* & *valde commendat Panormitanus, Ioan.*
23 *de Imola*, *Felinus* & *Doctor.* ubi † enim intervenit geminatio, ibi præsumitur plena deliberatio. *§. & hoc verò jubemus, in Authen. ut nulli judicum, collatio.* 9. reiteratio enim præsupponit deliberationem, *d. l. si mulier, 2.* & *est gloss. ordinaria in cap. si quis iratus, 2. quæstio. 3.* & *vult Bald. in divino suo tractatu schismatis.* Cùm ergo tantum operetur geminatus consensus, quantum juratus, & tantum authoritas rei judicatæ, quantum juramentum, ut suprà ostensum est, & hujusmodi pactum juratum sine dubio præjudicat, *d. cap. 2.* Ergo etiam idem pactum in præsentia amicorum initum & per judicem de consensu partium approbatum, & expost per inhæredationem factam roboratum, & sic sæpius geminatum, dictæ domicellæ Catharinæ præjudicabit: & sic dictum contrarium non obstat.

24 Non obstat etiam tertium, quo dicitur, dictam domicellam Margaretam esse enormiter læsam. Quia respondetur per interemptionem, negando, quòd ipsa per hujusmodi pactum seu concordiam est læsa: imò bona eidem per hujusmodi concordiam dimissa, longè dicuntur excedere quantitatem bonorum maternorum ultra legitimam, in quibus tamen suus pater, cessante hujusmodi pacto, habere debuisset toto tempore vitæ suæ usumfructum, & sic non potest dici læsa, ut latius in alio contrario deducitur. Ad confirmationem autem dicitur, ut incidenter dixi in solutione secundi motivi pro dicta domicella Catharina facti.

Non obstat etiam quartum de metu † reverentiali, quia præsentia mariti, majorum amicorum & consanguineorum, decretum judicis, & inhæredatio subsecuta, tollunt & cessare faciunt omnem præsumptionem doli vel metus reverentialis, *juxta notata Bartol. Bald. Pau. de Cast. Alexan.* & *Doct. in d. l. transactionem*, & *in aliis passibus suprà allegatis.*

Non obstat etiam quintum, quia licet dicta domicella Margareta in bonis maternis, vel etiam in legitima, cessante ingratitudine, gravari non potuit, ut probat contrarium: tamen inspecto tempore concordiæ, ipsa non potuit, nec potest dici læsa, cùm plus vigore dicti pacti sit consecuta, quàm ascendit legitima & successio materna, ut in facto præsupponitur, quod sufficit, ut suprà latè deductum est, licet ex eventu fortè apparere posset, eam esse læsam per hoc, quòd dictus dominus Wilhelmus ejus pater expost plura acqui-
25 sivit bona. Iam ita est, † quòd non consideratur eventus, sed principium contractus: quo tempore si non apparet de læsione, remanet contractus firmus, *secundum Bald. in l. 1. in quarta colum. in versic. extra oppono. C. de pactis, per text. notabilem in præallegat. l. si ea lege, quæ adhuc secundum eum est notabilis:* & *volunt Iacob. Butrig. Ang.* & *Bald. in passibus suprà allegat.* imò etiam minor læsus hoc casu in integrum restitutionem petere non potest, *per text. expressum in præallegat. l. de fideicommisso, cum aliis suprà adductis*, & sic dicta domicella Catharina frustra querulatur, prudenterque faceret, si se inanibus expensis non vexaret: *juxta Iurisconsult. in l. 1. ff. de inofficioso testa-*
26 *mento:* nec debet inutilis † adjectio gravaminis consistentis in hoc, quòd interdicta est alienatio, vitiare dispositionem dictæ concordiæ vel transactionis in reliquis suis partibus, cùm utile per inutile in separabilibus non vitietur, *regula utile, cum ibi notatis, de regulis juris, lib. 6. cum similibus.*

Ex quibus omnibus patet, dictam domicellam Margaretam, ad petendum restitutionem adversus hujusmodi pactum, renunciationem, & alia subsecuta, non esse audiendam, sed pactum reconciliationis

cum alijs subsecutis, debere declarari validum, & sortiri suum effectum, ut & tanquam dispositio patris inter liberos, *juxta l. fina. C. famil. erciscundæ, & l. hac consultissima. §. ex imperfecto. C. de testam. cum utrobique notatis per Doctores.*

CONSILIUM XCVII.

SUMMARIA.

1 *Literæ sive rescripta quando censeantur surreptitia.*

2 *Ecclesia in suis actibus fraudem adhibere non debet, neque lucris temporalibus inhiare.*

3 *Dolum allegans probare tenetur.*

4 *Taciturnitas vitiat gratiam pontificialem, &c. Fallit, &c. & nu. 6.*

5 *Collatio beneficij facta criminoso valet, nisi esset crimen inducens inhabilitatem ipso iure.*

7 *Certum esse per se vel per relationem ad aliud paria sunt.*

8 *Quod ad aliud refertur, intelligitur secundũ id, ad quod fit relatio.*

9 *Clausulæ præsumptionem surreptionis tollentes, quæ sint, &c.*

10 *Speciale denotat jus commune in contrarium.*

11 *Mens contrahentium in primis consideranda est.*

12 *Geminatio & repetitio verborum congruentium dilucidè ostendit deliberatam mentem contrahentium.*

13 *In contractibus ne minimum quidem verbum sine virtute operandi esse debet.*

14 *Prælatus cum conventu recipiens pensionem de religiosa, ecclesiæ præjudicat.*

VIsis actis coram domino Decano sancti Iacobi Lovaniensis, tanquam judice subdelegato inter syndicum monasterij Werdinensis ex una, & procuratorem Egidij de Marseleere ex altera, habitis: instrumento contractus arendæ seu ad firmam, bulla Eugeniana, processu per bonæ memoriæ decanum sancti Rumoldi Mechliniensis judicem apostolicum, prævia informatione capta per eum in loco situationis bonorum ad firmam datorum, de quibus est quæstio, fulminato: & alijs in hujusmodi actis latius deductis, ac informationibus juris, tàm pro parte dicti monasterij, quàm pro parte dicti Egidij præfato Decano sancti Iacobi judici subdelegato datis, & mihi postea ad manus traditis. Licet attenta qualitate negotij, multa adduci possent, tamen quia causa ista agitur coram peritissimo judice, cui multiloquium gratum non est, breviter omissis superfluis, videtur mihi subscripto sub correctione omnium melius sentientium, ex illis actis pro dicto Egidio, & contra præfatum syndicum debuisse pronunciari: nam ut ex eisdem actis patet ex duobus tantùm capitibus, Abbas & Conventus dicti monasterij Werdinensis nituntur infringere alienationem seu bonorum ad firmam dationem, de qua in actis ultra annos sexaginta factam, quorum primum caput sive medium est prætensa surreptio commissa in impetratione confirmationis dictæ alienationis, ex eo quòd ibi callidè, ut dicunt, subticitum est de decimis & oblationibus. Secundum verò caput est non observantia modi, ex quo infrà annum post mortem civilem fratris Henrici de Marseleere, non est in locum ejus alius

alius surrogatus, & soluta summa centum
florenorum rhenensium, quòd tamen, ut
dicunt, forma contractus requirit: Osten-
sio autem, quòd neutrum dictorum me-
diorum suffragetur dictis Abbati & Con-
ventui, vel obstat præfato Egidio, lucidè
patebit, pro dicto Egidio & contra præ-
fatum syndicum debuisse pronunciari.
Hoc ergo per ordinem omissis superfluis
breviter deduco, & primò, quòd hic nul-
la sit commissa surreptio de jure atten-
denda, ostendo medijs infrà scriptis, &
primò tali medio: nam si commissa esset
surreptio, hòc ideo esset secundum domi-
nos consultores, qui pro parte dicti Ab-
batis & Conventus scripserunt, quia in
supplicatione sanctissimo domino nostro
felicis recordationis Eugenio porrecta
solum narratur de bonis immobilibus, ju-
ribus, jurisdictionibus, cum alijs eis anne-
xis ad dictum monasterium pertinenti-
bus, præfatis Egidio & Henrico ad fir-
mam datis, & callidè subticetur de deci-
mis & oblationibus: sed si de decimis &
oblationibus in supplicatione mentio fa-
cta fuisset, sanctissimus literas non de-
disset, vel non ita faciliter, vel saltem non
1 in ea forma: ergo ex † hujusmodi calli-
da & dolosa taciturnitate hujusmodi li-
teræ & omnia subsecuta fuerunt & cen-
seri debent surreptitia, *per cap. super li-
teris, de rescript. ubi de hoc est text. ex-
pressus secundum eos*, sed istud salva eo-
rum reverentia, non est verum, nec *d.
cap. super literis*, istud probat: quod de-
duco, quia *d. cap. super literis*, loquitur in
literis ad lites, sed nos loquimur de literis
gratiosis, in quibus *dict. cap. super literis*
non habet locum indistinctè, quoad se-
cundam ejus regulam, sed in ea aliæ fa-
ciendæ sunt distinctiones: & quoad ter-
tiam ejus regulam nullo modo habet lo-
cum, secundum *Dom. Ioan. de Imol. in d.
cap. super literis in tertia colum. & ibi la-
tè per Felin. & alios novissimos.* Nec po-
test dici, quòd literæ hoc casu fuerunt
impetratæ per dolum vel malitiam, &
quod ergo sumus in prima regula *d. cap.
super literis*, quæ etiam habet locum in
literis gratiosis secundum omnes, sive
malitia, sive dolus committatur in ex-
primendo falsum, sive in tacendo verum,
quod dico, si in casu præsenti fuisset com-
missus dolus in tacendo de decimis & ob-
ligationibus, ille fuisset commissus per di-
ctos Abbatem & Conventum supplican-
2 tes, sed absit † à cordibus fidelium, quòd
tam sancti patres & religiosi viri voluis-
sent committere dolum vel malitiam,
aut decipere secum contrahentes: eccle-
sia enim in suis actibus non debet frau-
dem aliquam adhibere, *cap. per tuas, de
dona.* nec lucris temporalibus inhiare,
cap. ex parte de censibus: ecclesia enim
est cultrix justitiæ, nec patitur contra ju-
stitiam aliquid fieri in se, vel in alterum,
*cap. unico. §. inde potest præsumi, de alie-
na. feud. in in usibus feudorum*, præterea *d.
cap. super literis*, in prima ejus regula lo-
quitur, quando constat, quòd impetratio
facta est per dolum vel malitiam: in casu
autem nostro de hoc non constat, imò ex-
cluditur dolus per hoc, quòd adjuncta est
clausula cum alijs eis annexis, &c. & per
hoc quòd recitato tenore contractus,
quoad effectum facta est relatio ad in-
strumentum desuper confectum, ut ex
3 infrà dicendis patebit. Nec † præsumi-
tur dolus, imò qui eum allegat probare
debet *l. quotiens. §. qui dolo ff. de probat.*
nec huic dicto obstat theorica, *Innoc. in
cap. accedens, de crim. falsi.* ubi vult, quòd
in gratiosis falsitas semper præsumitur
expressa ex dolo: quia loquitur, ut ex
verbis ejus apparet, in expressione ejus,
quod est falsum. Nos autem loquimur
in tacitis & subticitis, inter quæ magna
est differentia, ut infrà patebit, & sic stat
regula *d. §. qui dolo, & patet d. c. super li-
teris* non facere ad propositum. Secundò

hæc deduco tali medio, nam licet † o-
4 mnes falſæ expreſſiones, quæ poterant
movere principem vel papam, veriſimi-
liter ad facilius concedendum regulariter
vitiant gratias: tamen non omnia tacita,
quorum expreſſio movere potuiſſet ad
denegandum, vitiant gratiam: ſed ea ſo-
lum de quibus reperitur expreſſum vel
jure vel cautum, quòd eis expreſſis eam
gratiam nullatenus conceſſiſſet: iſtam
theoricam, per quam declarantur & li-
mitantur jura volentia, quòd taciturnitas
vitiat gratiam, tradit *Rota deciſione qua-
dringenteſima ſeptuageſima prima in no-
vis*, incipiente, extra Rotam ſuppoſito i-
ſto facto, &c. circa finem ſecundum quo-
tas meas, & iſtam theoricam refert &
ſequitur Felinus, licet aliam quotam aſ-
ſignet *in c. poſtulaſti, in 3. col. in verſic. de-
clara etiam notabiliter ex dictis Egidij de
Bellemere, &c. de reſcript.* hinc eſt, quòd
5 ſi † ſupplicans in ſupplicatione, dixiſſet ſe
eſſe criminoſum, Papa fuiſſet veriſimili-
ter difficilior in concedendo gratiam, &
tamen tacere hoc non nocet: quia va-
let collatio facta criminoſo, niſi eſſet cri-
men inducens inhabilitatem ipſo jure, ex
quo hoc non reperitur expreſſum in jure,
ſecundum *Innocen. & Ioan. de Imola, in
cap. cum noſtris, de conceſſione præbendæ,
& vult deciſio Rotæ & Felin. ubi ſuprà:*
6 & ex adverſo videmus, quòd licet † pa-
pa habenti parvum beneficium, non de-
negaret veriſimiliter ſecundum, tamen,
quia jure eſt cautum, quòd impetrans te-
netur mentionem facere de beneficijs
per eum obtentis, hujuſmodi taciturni-
tas reddit gratiam ſurreptitiam, & eam
vitiat, *cap. ſi motu proprio, de præben.
lib. 6.* cùm ergo in caſu præſenti nemo
dubitet decimas & oblationes poſſe dari
ad firmã de conſenſu Papæ, laico ad lon-
gum tempus: nam hoc firmant *Doctor.
in cap. cum apoſtolica, de his, quæ fi. à
prælat. ſine conſen. cap. & in cap. 2. de lo-
ca. & gloſ. Panorm. & Doctor. in cap. quam-
vis, de decim.* nec reperiatur jure cautum,
ſaltem quod meminerim, quòd in aliena-
tione rerum eccleſiaſticarũ fienda de con-
ſenſu ſummi Pontificis, fiat mentio de hac
qualitate, ſequitur per dictam theoricam,
quòd hujuſmodi confirmatio quæ eſt gra-
tiæ, non debet ob hoc cenſeri ſurreptitia.
Tertiò, iſtud deduco alio medio, nam
7 † paria ſunt, aliquid eſſe certum per ſe
vel per relationem ad aliud, ubi à jure non
requiritur certa forma. *l. ubi autem non
apparet. §. illud, in verſic. ſed ſi vinum,
& ibi Angel. Paul. de Caſtr. Alexand. de
Imo. & Doctor. ff. de verbor. oblig. & l.
certum. ff. ſi cert. peta.* imò id ad
quod fit relatio, perinde habetur ac
ſi eſſet expreſſum ſpecificè in ſcriptura,
quæ ſe ad illud refert. *l. ait prętor. §, 1. ff.
de re jud.* ubi accipiendum ſic eſt, quaſi
quantitatem nominaverit: & eſt textus
ſingularis melior de jure *in l. omnes, circa
principium, ibi tanquam ſi per hanc ſpecia-
liter ac nominatim fuiſſent enumeratę,
C. de pręſcript. triginta vel quadraginta
annorum, Bald. & Ang. & bonus text. in
l. omnes, ibi tanquam ſi ſuper ſingu. C. de*
8 *quadrien. præſcript.* Hinc eſt, quòd id †
quod ad aliud refertur, intelligitur ſe-
cundum id, ad quod refertur ſeu fit rela-
tio, ut *dicit Bald. poſt Iacob. Butrig. in
Auth. ſacramenta puberum, in tertia col.
in verſic. ſecundo quæro, in fine, C. ſi ad-
verſus venditionem.* Cùm ergo Papa Eu-
genius, narrato effectualiter tenore con-
tractus, referat ſe ad inſtrumentum deſu-
per confectum, in quo inſtrumento habe-
tur expreſsè de decimis & oblationibus,
haberi debent illa tanquam expreſſa per
prædicta, & ſic ceſſat, quod de ſurreptio-
ne obijcitur, & maximè iſtud procedit,
quando ille ſe refert ad aliud, qui poteſt
principaliter diſponere, ut in caſu præſen-
ti eſt Papa, de cujus poteſtate non dubi-
tatur, *text. eſt notabilis in l. ſi donatio.*
& ibi

& *ibi Baldus in fine hoc notat, C.de dona.* & *vult glos. in cap.si Romanorum. super verbo, quæ desunt,* 19.*dist.* & *ibi Doctor.* & *Bart.* & *Doct. in l.admonendi.ff.de jurejur.* præsertim attento, quòd unicus duntaxat inter dictas partes celebratus est contractus, attento etiam, quòd in parochia de Zeele, ubi bona de quibus est quæstio situantur, principalior pars bonorum ad dictos Abbatem & Conventum spectans consistit in decimis & oblationibus: debuit ergo commissarius sedis Apostolicæ solùm requirere, an dictus contractus cessit in utilitatem dicti monasterij, nec ne, juxta facultatem sibi traditam, cùm nihil aliud voluit Papa, ut patet ex tenore dictæ bullæ, & præcipuè
9 † ex eo quod in eo est clausula supplens omnes & singulos defectus, &c. quæ æquiparatur clausulis motu proprio, & ex certa scientia, quæ de sui natura tollunt omnem surreptionem, *d. cap. si motu proprio, cum ibi nota. juncta glos.* & *nota. per Panorm.* & *alios in cap. ad hæc de rescript.* Quartò istud deduco alio medio,
10 nam in certo & speciali † casu regulæ cãcellariæ apostolicæ prohibent impetrari literas ad instar seu per relationem ad aliud, puta in casu indulgentiarum impetrandarum, ut patet in regula cancellariæ 58. ergo in contrarium erit jus commune. *l. jus singulare,* & *l. quòd verò contra. ff. de legibus, junctis notatis per glos. in cap. præsenti. §. loca. de præben. lib. 6.* & per consequens in alijs casibus non prohibitis valebit impetratio ad instar seu per relationem ad aliud, & hoc pro certo præsupponit *Bald. in l. omnia privilegia. C. de episcop.* & *cleric.* & *Panorm. in cap. super specula, de privilegijs,* & sic cessat, quod de surreptione hujusmodi confirmationis pro parte dictorum Abbatis & Conventus adducitur. Cui per præmissa sufficienter est responsum ultra ea, quæ benè & subtiliter circa hoc scripsit advocatus dicti Egidij, cujus dicta referre omitto. Secundò deduco, quod non obstat secundum caput sive medium, quo dicti Abbas & Conventus nituntur infringere dictam alienationem, seu ad firmam dationem, ex eo scilicet, quod dictus Egidius hujusmodi bona non relevavit post ingressum dicti Henrici sui fratris in religionem, ad quod colorandum domini consultores pro parte dictorum Abbatis & Conventus scribentes adducunt duntaxat illud generale, mentem contrahentium esse considerandam, & dicunt fuisse de mente contrahentium, quod duo simul deberent stare in arenda seu firma, propter verba dicti contractus quæ habent, quòd ipsi Egidius & Henricus post eorum parentum mortem & eorum hæredes, in perpetuum habebunt in arendam ad duas personas, præfatas decimas, &c. quia ultra subtiliter deducta per advocatum dicti Egidij: respondeo ad dictam considerationem, quòd uti-
11 que verum est, mentem † contrahentium esse, considerandam, quo pro vero præsupposito, retorqueo illud idem contra eos, nam ex verbis subsequentibus quæ declarant præcedentia. *l. si servus plurium. §. final. ff. de legat.* I. clarè colligitur de mente contrahentium fuisse, quòd quamdiu dicti Egidius & Henricus ambo viverent, non esset opus relevatione, quia verba subsequentia ad hoc tendunt, quòd tunc debeant hujusmodi bona relevari, quando alterum eorum decedere contigerit & quia illa verba sępius sunt geminata, reiterata, & repetita, clarè patet, quod illa fuit deliberata mens contrahentium, quòd post mortem naturalẽ alterius deberet primò fieri relevatio, *argu. l. balista, cum ibi nota. ff. ad Trebel-*
12 *lian.* deliberata † enim mens contrahentium ex geminatione & repetitione verborum congruentium dilucidè declaratur. §. & *hoc verò jubemus, juncta glos. in* Au-

Authent. ut nulli judicum, colla.9. & *est glos.in c.si quis iratus, 2.quæst, 3.* & *vult Bald. in divino suo consilio schismatis.* Nec obstat si dicatur, ut videntur dicere dicti consultores, quòd dictus Henricus, ex quo est frater minor, non potest habere proprium ex persona propria, nec etiam monasterium ex persona ejus, cùm non sit capax bonorum in communi, & sic non dicitur hujusmodi arenda stare ad duas personas, quod requirit forma cõtractus, quia admisso assumpto negatur consequens, nam licet commodum arendæ ad dictum fratrem Henricum vel monasterium ejus spectare non posset, tamen non minus verum est dicere, hujusmodi arendam stare ad duas personas, hoc est, ad vitam duarum personarum, & quòd sic debet exponi illa clausula, ad duas personas patet, qui aliàs verba in subsequenti clausula de morte & decessu alterius sæpius repetita, essent superflua, & nihil operarentur, quod non est verisimile fuisse de mente contrahentium, ex quo toties sunt repetita: ex quo præsumitur deliberatus animus, ut prædixi, &
13 in contractibus † nulla clausula, imò nec minimum verbum, debet esse sine virtute aliquid operandi, si potest, *secundum Bald. notabiliter in Rubrica. C. de contrahen. empt. in 9 quæstione*, & *probatur in l.si stipulatus, in principio. ff. de usu.* & *in l. hanc legem, ff. de contrahen. emptio.* imò verba impropriantur in contractibus, ut actus ipse valeat, & verba non sint sine effectu, *text. est notabilis in l. insulam, ff. de præscript. verb.* & *in c. constitutus, de reli.do.* & *ibi Panorm. in 6.col.* & *in l.si uno. ff. loca* & *in l.si olei. C. eodem*, & *vult latè Alexan, de Imol. in consilio 43. quarti voluminis*, incipiente, *redemptoris nostri invocato suffragio visis* & *ponderatis*, & *c. in quinta colum.* & licet dictus Egidius cecidisset à jure suo, prout tamen revera non cecidit, adhuc tamen dicti Abbas & Conventus sibi præjudicasset recipiendo pensionem post moram commissam pro annis tribus in actis, ex quo enim non solùm prælatus, sed prælatus ipse cum scitu & consensu totius Conventus, ut sonant quitantiæ in actis exhibitæ, pensionem hujusmodi annorum recepit, non debet amplius audiri ecclesia volens contravenire, ut concludit *glos. ordinaria à Ioan. And.* & *Doctor. communiter approbata in cap. potuit, super verbo, expelli, de loca. imò Card. Floren.* & *plures alij, ut refert ibi Ioan. de Imola, in 17. colum.* te-
14 nuerunt, quòd etiam solus † prælatus potest hoc casu recipiendo pensionem præjudicare ecclesiæ, per rationes, de quibus, per eum ibi, sed proposito nostro sufficit, quòd communis opinio habet, quòd prælatus cum conventu recipiendo pensionem potest in hoc ecclesiæ præjudicare, ut dixi, à qua in judicando non est recedendum, *juxta theoricam Io. And. Panor.* & *Doct. in cap. 1* & *in cap. ne innitaris, de constit. cum similib.* Ex quibus omnibus videtur mihi pro dicto Egidio & contra dictum syndicum debuisse pronunciari, & sententiam pro dictis Abbate & Conventu latam debere retractari: judicio vestro acutissime judex, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM XCVIII.

SUMMARIA.

1 *Gravatus alteri restituere fideicommissum non censetur nudus minister, quando verba dispositiva testamenti principaliter ad ipsum diriguntur.*

2 *Usuræ dotis non solutæ mariti fiunt, etiamsi per ipsum non omnes in alimentis uxoris expendantur.*

3 *Legatarius potest retinere omne id quod ex legato ad opus per alios implendum, conversum non fuit.*

4 *Accessoria regulari debent secundum naturam principalis dispositionis.*

VIsis clausulis testamenti seu ultimæ voluntatis bonæ memoriæ R. mihi ad manus traditis, super dubio, quo quæritur, an rectores fabricæ ecclesiæ sancti Leonardi in Lewis, possint nomine fabricæ retinere & in usum ejusdem fabricæ convertere, id quod singulis annis superexcrescit, facta congrua impensa & solutione cononicis & cappellanis, anniversario per dictum testatorem fundato interessentibus, juxta solitum morem, & prout eisdem canonicis & capellanis de aliis anniversariis proportionabiliter satisfieri consuevit: breviter omissis superfluis, dico, quòd utique dicti rectores fabricæ hujusmodi commodum supercrescens sibi ad opus fabricę retinere possunt. Quod deduco: nam ex dictis clausulis testamenti manifestè patet, quòd verba dispositiva diriguntur ad dictos rectores fabricæ: modo sic est, quòd † quādo verba dispositiva diriguntur principaliter ad aliquem, tunc in dubio licet gravatus sit alteri restituere non censetur nudus minister, ita quod commodum ad eum spectet deficiente fideicommisso vel aliquo supercrescente, sed censetur in dubio legatarius, & penes eum remanet fideicommissum deficiens sui natura vel per casum contingentem in personam fideicommissarij & commodum, si quod supercrescat, nisi alia sit mens testatoris, ut quia fortè expressit, quòd voluit eum esse nudum ministrum, licet verba dispositiva ad eum dirigantur: vel quia fortè dixit, quòd noluit eum aliquod commodum penitus habere ex ipso legato, istud probat textus notabilis *in l. si quis Titio, in principio, ff. de legat. 2.* & *ibi Bart. Bald. Paulus de Castro,* & *apertissimè Dominus Ioan. de Imola, in duobus locis,* & *pro hoc etiam faciunt nota, per gloss. ordinariam, in l si legatarius, in principio. ff. de legat. 2.* Cùm ergo in casu præsenti non constet de contraria mente dicti testatoris, hujusmodi commodum supercrescens debet spectare ad dictos rectores fabricæ ad opus ejusdem. Secundò, hoc confirmo per textum notabilem *in l. creditor, in §. si inter. 1. responso. ff. mandati.* ubi est casus, quòd quando u-
2 suræ † dotis non solutæ dantur per socerum genero, seu marito ratione oneris alimentandi uxorem, si integra quantitas usurarum non expendatur per maritum in alimentis uxoris, remanet nihilominus supercrescens apud eundem maritum, sic etiam dico in proposito. Tertiò pro isto allego notabilem decisionem *Paul. de Castro in lect. Bononiensi, in l. Lucius, ultima. §. 1. ff. de lega. 2.* & *ibi apertius idem vult Dominus Ioan. de Imol.* qui uno
3 ore expressè dicunt, quòd † quando primo loco & principaliter legatur alicui certa quantitas, & postea injungitur onus explendum per alios, de pecunia tamen legata, quòd si in onere injuncto explendo non expendatur tota quantitas, poterit legatarius supercrescens retinere, & moventur per ea quæ habentur, & nota. *in l. si quis Titio,* & *in d. § si inter,* & sic illa decisio decidit casum præsentem: debet tamen anniversarium celebrari decenter juxta facultates & dignitatem defuncti, & prout in similibus consuetum est fieri, quod totum pendet ex bono & æquo, ut in simili dicit textus *in l at si quis, in §. hæc actio ff. de relig.* & *sumpt. fun.* Nec præmissis obstat *præall. l. Lucius, §. 1.* quæ vult, quòd executor minus expendens quàm testator dixit, residuum

reddit hæredi, quia loquitur in casu converso ad casum nostrum, quando scilicet principalis dispositio importat nudum ministerium, & sic alia † accessoria regulari
4 debent secundum naturam primævæ dispositionis, *argu. l. cum principalis. ff. de regul. jur.* & *cap. accessorium, eo. tit. lib. 6. secundum Ioan. de Imol. Paul. de Cast. ibi.* In casu autem præsenti principalis dispositio importat dispositionem, & secundariò injungitur onus solvendi interessentibus anniversario, quare non obstat: & etiam ex alio non obstat, quia ibi non dicitur, quòd residuum supercrescens accrescit fideicommissarijs, sed quòd debet restitui hæredi, & sic in nullo, *d. l. Lucius.* §. 1. facit pro dictis canonicis & capellanis. Ex quibus concludo, quòd in casu præsenti dicti rectores fabricæ poterunt retinere nomine fabricæ totum id & quicquid supercreverit singulis annis, deducta congrua & rationabili solutione fienda canonicis & capellanis dicto anniversario interessentibus juxta solitum morem & facultates ac dignitatem defuncti.

CONSILIUM XCIX.

SUMMARIA.

1 *Oblatio & consignatio pecuniæ debitæ legitima quid operetur, &c.*

2 *Satisdatio idonea in debito non liquido eundem habet effectum quem operatur solutio vel consignatio.*

3 *Remissio arreragiorum quibus ex causis fieri debeat, &c.*

4 *Justa litigandi causa excusat à calumnia & expensis.*

5 *Bona fides potest causari non ex justis solùm, sed etiam injustis & temerarijs rationibus.*

6 *Consignationem factam esse de liquido, & satisdationem de non liquido residuo sufficit.*

7 *Solutio fieri non potest alia moneta, quàm est in obligatione.*

8 *In alternativis electio est debitoris.*

9 *Clausulæ insolitæ literas faciunt suspectas.*

10 *Juri publico in favorem Reipubl. introducta pactis privatorum derogari nequit.*

11 *Impossibilium nulla obligatio.*

12 *Difficultas vel impossibilitas excusat promissorem etiam jurantem.*

13 *Donatio in dubio non præsumitur, nisi qualitas personarum aliud inducat, vel causa remunerationis præcedat.*

14 *Promissor facti liberatur solvendo interesse.*

15 *Consuetudo disponens unam monetam solvi posse pro alia, intelligitur, dummodo creditor ex hoc damnum non sentiat.*

16 *In minimis non cadit affectio.*

17 *Quod principi placet, animo condendi legem, legis habet vigorem.*

18 *Lex principis & patriæ semper justa præsumitur.*

19 *Solvēs vigore statuti illud quod aliàs de jure communi non debetur, indebitum solvisse non censetur.*

20 Prin-

20 *Princeps subditos circumvenire aut eis laqueum injicere velle non præsumitur.*
21 *Mora non est, ubi nulla petitio.*
22 *Mutuum sub qua æstimatione reddi debeat, &c.*
23 *Debitor quantitatis non liberatur, nisi dominio in creditorem translato.*
24 *Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi nõ alij imputare debet.*
25 *A consignatione semel facta an resilire liceat, &c.*
26 *Voluntas mutata non præsumitur.*
27 *Bene cœptum ex sinistro eventu ruinam pati non debet.*

MAgnifice domine Cancellarie, cæterique domini præclarissimi, visis scripturis in causa per & inter magistrum Arnoldum de Lathem impetrantem ex una, & Egidium Vrancx filium Iudoci ex altera, coram vobis pendente indecisa, exhibitis: videtur mihi subscripto, salvo judicio meliori, punctus difficultatis stare
1 & residere in hoc, an oblatio † & consignatio facta per præfatum impetrantem anno nonagesimo nono in Novembri de summa mille & septingentorum florenorum rhenensium tunc cursum habentium unà cum cautione idonea præstita per eundem de solvendo residuum arreragiorum, si & quatenus ad illa teneretur, sit & censeri debeat legitimè & sufficienter facta pro dequitatione & extinctione redditus triginta septem cum dimidio florenorum aureorum, de quo nunc contenditur, nec ne: quòd si sic, habet impetrans intentum, quia tunc redditus hujusmodi à die consignationis & insinuationis fuit ipso jure extinctus, nec amplius cursum habere potuit, ut est casus in terminis *in l. acceptam. C. de usu.* si verò non comperiatur legitimè facta, secus est. *l. tutor. §. Lucius. ff. de usu.* In quo puncto, ut breviter me absolvam, deduco, quòd consignatio hujusmodi est debitè & legitimè facta, tali medio: nam facta est congruo tempore, puta in novembri, & congruo loco, puta in banco publico oppidi Bruxellensis, ubi tam ex beneficio *d. l. acceptam*, quàm ex conventione partium, de qua in literis constitutionis redditus apparet fieri poterat. & facta est de toto liquido sufficiente pro dequitatione nedum redditus 37. cum dimidio florenorum rhenensium aureorum, sed etiam pro dequitatione alterius consimilis redditus: nam ascendebat sors pro dequitatione redditus 37. cũ dimidio florenorum Rhenẽsium aureorum, de quo nunc contenditur, ad octingentos & decem florenos Rhenenses communes duntaxat, & non ultrà: sic ergo consignatio dictorum mille & septingentorum florenorum rhenensium sufficiebat pro sorte dicti redditus 37. cum dimidio florenorum rhenensium, de quo nunc contenditur, & pro dequitatione alterius consimilis redditus & excrescebant adhuc pro arreragijs liquidis octuaginta similes floreni rhenenses, ut comperiri potest per calculum: de residuo autem arreragiorum, quod non erat liquidum, ut infrà deducetur, dictus impetrans
2 posuit, ut mihi asseritur cautionem idoneam & satisdationem, quæ † satisdatio in non liquido habetur pro consignatione, & eundem effectum operatur quem operatur solutio vel consignatio. *text. est de hoc optimus & clarissimus in l. statuliber rationum. ff de statulibe. & in l. servus si heredi, §. fi. illo eo tit. per quos text. hoc voluit notabiliter Angel. & reputat notabile in l. residuum. C. de*

destrac. pig. & *idem Ang. in l. 4. §. ait prætor. ff. de re jud. hoc idem etiam vult glos. ordinaria in d. l. acceptam,* & *ibi Bal. in 6. oppositione,* & *glos. ordinaria in l. obsignatione. C. de solut. istud etiam volunt Bart.* & *Dominus Alex. in l. creditor ultima. ff. de distract. pig.* & *Bald. in l. 1. in 3. colum. C. ne lice. in una eademque causa tertiò provo.* & *idem Bald in l. 1. in §. 1. de l. Conradi, in usib. feudor. Istud etiam vult Dominus Iason. de Imo. in l. ait prætor, in §. si quis. ff. de no. oper. nu.* & *idem in l. si mora. ff. solut. matri.* & *Dominus Bartholomæus Veronensis in cautela quinquagesima prima* : ergo consignatio hujusmodi fuit legitimè facta, *per d. l. acceptam, cum ibi nota, per gl.* & *Doct.* quæ lex nihil aliud requirit, & per consequens à tempore hujusmodi consignationis dictus redditus 37. cum dimidio florenorum rhenensium, de quo nunc contenditur, cursum non habuit, & omne periculum dictę pecuniæ consignatæ si etiam casu fortuito perijsset, spectavit ad dictum Egidium, postquàm intimatio dictæ consignationis per literas dicti oppidi Bruxellensis sibi legitimè facta fuit, *ut expressè dicit tex. in præallegata l. acceptam, quę ad hoc est singularis secundum Bald. ibi* : licet ergo valor hujusmodi pecuniæ consignatæ decreverit posteà, vel pecunia consignata facta sit reproba, nihil ad dictum impetrantem, qui congruo loco & tempore juxta ordinationem Illustrissimi domini nostri Archiducis hujusmodi consignationem fecit in pecunia & valore tunc cursum habente, sed imputet sibi reus qui pecuniam hujusmodi legitimè consignatam ad se recipere temerè recusavit.

3 Quod autem † residuum arreragiorum, pro quo posita est cautio idonea ut præmittitur non fuit liquidum, sic deducitur, quia desuper per prius longo tempore fuit inchoata lis, & pependit quæstio coram vobis præclarissimis dominis inter præfatum impetrantem ex una, & dictum Egidium ac Everardum Spareck ex altera, dicto impetrante ex justis causis sustinente, se debere habere remissionem propter infinita & maxima damna, per eum tempore novissimæ guerræ ex incursu hostium, incendio, sterilitate, & alias sustenta, *arg. l. ex conducto § si vis tempestatis. ff. locat.* &c. propter sterilitatem *eo. tit. cum utrobique notatis*, quemadmodum etiam cæteri sui vicini gratiam & remissionem plurium annorum obtinuerunt Exempla igitur vicinorum, pendentia litis, & dubius litis eventus, fecerunt residuum arreragiorum non liquidū, quare sufficiebat pro illo præstare cautionem idoneam, *per jura suprà copiosè satis adducta.* Cùm ergo octuaginta floreni Rhenenses de summa prætacta mille septingentorum florenorum pro arreragijs liquidis, ut præmittitur consignati supercreverint, constat dictum impetrantem propter præmissa habuisse justam litigandi causam, & per consequens dictum residuum arreragiorum non fuisse liquidum, & ex consequenti cautionem idoneam pro illo suffecisse.

Nec obstat si dicatur, quòd dictus impetrans impetitione hujusmodi succubuit, ergo non habuit justam causam litigandi quia non valet consequentia, talis succubuit, ergo calumniatus est., nam sæpè † succumbunt justam litigandi causam habentes, & ideo litis eventus dicitur dubius, *l. quod debetur. ff. de pecu.* & *c. fraternitatis, de frigid.* & *malefic.* justa autem causa litigandi excusat à calumnia & expensis, *l. qui solidum. §. etiam. ff. de lega. 2.* & *not. in c. in primis. 2 q. 1.* & *in c. finem litibus, de dol.* & *contu.* & *in l. properandum,* & *in l. sancimus, C. de judic.* non ergo probat hoc esse, quod ab hoc contingat abesse, *l. neque natales, C. de prob. cum vulgaribus.* imò quælibet causa etiam injusta & temeraria, apparens tamen, colo-

colorata, & verisimilis, excusat à calumnia & dolo, *ut est gl. in l. plagij*, & *ibi not. Aug. C. ad leg. Falcid. de plag* & *tex. cum gloss. in l. igitur*, ibi *justis rationibus vel injustis absque calliditate tamen. ff. de liberali causa*, & *in l. 1. in fin. ff. de abigeis: hinc dicit notabili. Bald in l. 1. in fin. per*
5 *gl. ibi. C. ubi causa status*, quod bona † fides potest causari non solùm ex justis rationibus, sed etiam ex injustis & temerariis, quod reputat tenendum: ex quibus omnibus patet, dictum impetrantem propter exempla vicinorum, & dubium litis eventum, justam litigandi causam habuisse, & per consequens dictum residuum arreragiorum non fuisse liquidum, & ex consequenti cautionem idoneam pro illo suffecisse.

Restat modo tollere nonnulla objecta quæ ex scriptura dicti Egidii contra dictam oblationem & consignationem colligi & objici possunt. Et primò non obstat si dicatur hujusmodi consignatio †
6 invalida ex eo, quia non est facta consignatio de principali & omnibus arreragiis *per d. l. tutor. §. Lucius*: quia dico ut suprà dixi, consignationem esse factam de liquido, & satisdationem esse præstitam de residuo non liquido, quod sufficit, *per jura suprà copiosè satis adducta.*

Non obstat etiam si dicatur, quòd consignatio fieri debebat in florenis aureis juxta tenorem literarum constitutionis redditus, quibus cavetur, quòd dequitatio redditus, de quo contenditur, fieri debet cum florenis aureis ante annum Millesimum quadringentesimum quinquagesimum cusis & monetatis, & non cum alia moneta vel valore: cum ergo contractus ex conventione legem accipiant, *l. 1. § si convenerit. ff. depo. cum vulgari.* ergo hujusmodi consignatio facta in alia moneta seu valore, non potest dici ut videtur legi-
7 timè facta. Quia dico, quòd quando † floreni aurei sunt in obligatione tacitè, ut in mutuo florenorum aureorum receptorum, vel expresè per pactum, ut in casu nostro, sicut literæ constitutionis redditus sonare videntur, licet de jure non posset solvi alia moneta, quàm sit in obligatione saltem moneta alterius ligæ, *ut volunt Doctor. in c. quanto, de jurejurand. Bartol. Paul. de Cast. Ioan. de Imo.* & *Doct. in l. Paulus. ff. de solut.* & *dominus Petrus de Anchor.* & *Doctor. in clem. fin. de decimis*, tamen juxta consuetudinem notoriam in patria domini nostri Archiducis observatam, debitor solvendo aliam pecuniam etiam argenteam aut æstimationem liberatur, non obstante obligatione tacita vel expressa: quæ consuetudo valet & est servanda, *ut est gloss. ordinaria* & *singularis in leg. si quis argentum, in principio, super verbo æstimatione, Cod. de donatio*, & *volunt Bart. Pau. de Castro*, & *do. Ioan. de Imol.* & *Doctor. in præalleg. l. Paulus*, quæ quidem consuetudo per ordinationem domini nostri Archiducis & patriæ anno octuagesimo nono in legem est redacta per quam ordinationem expresè disponitur dequitationes redditeum florenorum aureorum posse fieri cum florenis vel va-
8 lore eorundem, & sic cum † in alternativis electio sit debitorum, *l. plerumque. §. fin. ff. de jur. doti.* patet, quòd dictus impetrans hoc casu potuit eligere, an cum florenis vel cum valore eorundem, redditum de quo contenditur, dequitare voluit, & quia lex semper loquitur & est in viridi observantia, donec fuerit revocata, *leg. Arriani, C. de hæreticis*, & *leg. precipimus, C. de appella.* sequitur, quòd dicta lex sive ordinatio Domini Archiducis & patriæ dans debitori hujusmodi beneficium optionis, adhuc hodie viget, cùm quoad prætactam clausulam non sit revocata per posteriores ordinationes, adeò quòd & si quis hodie tacitè vel expresè ad Denarios aureos se obligaret, æstimationem vel aliam monetam solvendo liberaretur:

modo ad propositum, cùm dictus impetrans nullos Denarios aureos vel valde paucos tempore venditionis hujusmodi redditus ab emptore receperit, ut per testes probatum speratur, & adhuc ad restitutionem denariorum aureorum non sit ex dispositione juris tacitè obligatus, sed duntaxat ex pacto, quod per literas hujusmodi pretenditur esse factum, ostenso quod hujusmodi pactum non obstat cessat objectum. Quod autem hujusmodi pactum non obstat, deduco ex multis, & primò, quia præfatus impetrans asserit, se nunquam hujusmodi pactum fecisse vel illud de scitu suo processisse, super quo in quantum vobis præclarissimis dominis videatur juramentum præstare offert, sed credit hujusmodi literas quantum ad clausulam prætensi pacti, de quo suprà, per errorem fuisse conscriptas instar aliarum literarũ primi redditus 37. cum dimidio florenorum, quod etiam est veri-
9 simile propter exorbitantes & insolitas † clausulas in hujusmodi literis positas, quæ de verbo ad verbum concordant cum literis super primo simili reddito confectis: quis enim ille qui unquam talem literarum formam vidit vel percunctatus est, in quibus ad datam quadraginta annorum, datam confectionis literarum præcedentium respectus est habitus, sicuti hîc factum est: literæ enim constitutionis redditus de quo agitur, sunt de anno nonagesimo, & dicunt, ut prima facie appareret, dequitationem fiendam cum Denarijs cussis & monetatis ante annum quinquagesimum: quis etiam ille est, qui ad solvendum Denarios, quorum unicum vix unquam vidit, de quo certitudinaliter sciri potuit, talem Denarium ante annum quinquagesimum fuisse monetatum, sese obligare voluisset, quod si ad creditorem intuitum dirigamus, minimè etiam verisimile videtur, eundem de florenis aureis ante annum quinquagesimum cussis & monetatis censisse, cùm pro annali solutione tales aureos non receperit. Posito tamen, quòd dictum pactum intervenisset, & quòd dictus impetrans denarios aureos suscepisset, neque pro se consuetudinem haberet, tamen hujusmo-
10 di † pactum ex multis non posset suffragari dicto Egidio. Primò ex eo, quia adversatur juri publico in favorem & utilitatem reipublicę introducto, videlicet ordinationi patriæ, de qua suprà, æditæ ex justis causis, ut videlicet moneta in patria domini Atchiducis monetata, liberè & copiosè suum cursum haberet: & ne populus forensi moneta gravaretur, quare non valet. *l. jus publicum, cum ibi not. ff. de pac.* & *c. si diligenti. de for. comp. cum vulgar.*
11 Etiam ex alio, quia ad impossibile nemo † potest obligari, *juribus vulgaribus*. Sed sic est, quòd non solùm valde difficile, sed penitus impossibile esset nunc reperire, maximè usque ad tantam summam, hujusmodi denarios aureos, quos certitudinaliter constaret, ita quòd juri sufficeret, ante datam anni quinquagesimi cussos & monetatos, cùm datam communiter non habeant, & monetarum frequens fiat mutatio, ita quod antiqui denarij inflantur, & alij ex eis de novo fiant, licet forsitan tempore confectarum literarum, quod tamen non creditur, in hac patria potestatibus dominorum suprà Rhenum minimè subdita, reperiri potuissent: ergo hujusmodi pactum tanquam obligans ad impossibile, non valet. Unde
12 ne hujusmodi † pactum annihiletur & quia difficultas, & fortius impossibilitas, excusat promissorem etiam jurantem, *ca. brevi, cum ibi not. de jurejur.* & *l. quod te, cum ibi not. ff. si cer peta.* statuit rationabiliter *canon in c. olim* & *in c. cum canonicis, de censi.* quod hoc casu sit satis solvere vel consignare valorem talium denariorum: sequitur ergo, quòd hujusmodi consignatio fuit legitimè facta, &

quod

quod hujusmodi pactum præfato impetranti non præjudicet.

Nec præsumitur aut censetur dictus impetrans per hujusmodi prætensum pactum renunciasse aut voluisse renunciare beneficio optionis, sibi ex prætacta consuetudine & ordinatione principis & pa-
13 triæ competenti, cùm in † dubio non præsumitur donatio: imò potius præsumitur fatuitas, quàm liberalitas, nisi qualitas personarum aliud inducat, vel nisi causa remunerationis præcedat, quorum neutrum est hic: ita dicit singulariter *Bald. in l. generaliter, in 4. oppositione, C. de non num. pec.* & do simile in venditore promittente rem venditam tradere, qui ex beneficio legis, solvendo interesse, ubi dolo vel culpa desijt habere, liberatur à traditione rei, de quo habetur *per gl. Bald. & Doct. in l. 1. ff. de actio. emp.* & *per gl. in §. precium, Institut. de empt. & vendi.* & *per Panor.* & *canonistas in c. cùm Ioannes, de fide instru.* do etiam aliud si-
14 mile in † promissore facti, qui ex beneficio legis evadit solvendo interesse, licet tempore promissionis sciat hujusmodi beneficium sibi competere, *l. si quis ab alio, in fin. ff. de re judi.* & *l. stipulationes non dividuntur, in §. census ff. de verbor. oblig.*

Nec obstat si dicatur, quòd si ordinatio principis, de qua suprà, habeat locum, & pactum interpretetur modo suprà dicto, tunc hujusmodi pactum serviret de vento, & nihil operaretur: *contra l. si quando ff. de legat. primo.* Quia dico, quòd hujusmodi pactum aliquid operatur: nam primò exprimit id quod jus commune disponit. Secundò operatur, quòd ita demùm potest fieri solutio in valore, quando creditor ex hoc damnum non sentit: ita singulariter sentit *Dom. Paul. de Cast.* si subtiliter consideretur *in prælleg. l. Paulus, circa princ.* ubi notabiliter dicit,
15 quòd † consuetudo disponens, quod una moneta posset solvi pro alia, intelligitur secundum *d. l. Paulus,* dummodo scilicet creditor ex hoc damnum non sentiat, ita similiter dico in proposito in pacto. Cùm ergo de interesse dicti Egidij apud acta non constat, imò nec interesse
16 deductum sit, & in † minimis non cadat affectio, *l. minimis. ff. de in litem jura.* patet consignationem hujusmodi, in valore seu æstimatione, ut præmittitur, factam fuisse legitimè & debitè factam, quòd autem dictus impetrans consignat valorem seu æstimationem florenorum aureorum, sic deduco, nam florenus aureus exceptis sophisticatis & specialiter exceptis per ordinationem illustrissimi domini nostri Archiducis & patriæ, Anno nonagesimo nono editam, valuatus, & æstimatus fuit ad viginti septem Stuferos, quam ordinationem dictus Egidius tempore hujusmodi consignationis vigere scivit, & ignorare non potuit, & totidem Stuferos pro quolibet floreno aureo dictus impetrans deposuit & consignavit: ergo consignando valorem florenorum aureorum statutum & approbatum per principem & patriam, satisfecit, & censetur consignatio legitimè
17 facta, quod † enim principi placet animo legem condendi, legis habet vigorem, & observandum est per subditos, quales sunt dictus impetrans & Egidius *l. 1. ff. de constit. principum. cum simil.* & cum tempore dictę consignationis per ordinationem antetactam singuli floreni aurei, etiam in pondere diminuti cursum habebant, & similiter anno nonagesimo tempore constitutionis redditus, de quo nunc contenditur, quo tempore licet reductio monetæ facta fuerit de extremo in extremum, pondus tamen apud nos tunc nondum erat cognitum, imò indifferenter singuli floreni, dummodo ad oculum non perpendebantur minus diminuti, expendebantur & recipiebantur

piebantur in valore tunc approbato per patriam, sic patet consignationem hujusmodi fuisse legitimè factam: sive enim consideremus valorem floreni aurei qui approbatus fuit per Dominum Archiducem & patriam dicto anno nonagesimo nono, consignatus est verus valor florenorum aureorum, sive etiam consideremus valorem florenorum aureorum, statutum & approbatum prætacto anno nonagesimo etiam verus valor reperitur cōsignatus, & amplius: Quod deduco per calculum sic, quia duodecim vierpsers/ quæ secundum ordinationem anni nonagesimi noni constituerunt florenum aureum secundum ordinationem editam anno nonagesimo, constituerunt plusquam florenum aureum, quia florenus aureus tunc æstimatus fuit ad octodecim Stuferos cum medio, & duodecim vierpsers tunc constituerunt viginti Stuferos, & similiter videmus in griphonibus, quia decem tales secūdum ordinationem factam anno nonagesimo nono, constituunt viginti septem Stuferos cum medio, & secundum ordinationem priorem editam anno nonagesimo, decem tales constituunt viginti Stuferos. Idem etiam in Stuferis Philippi, quorum viginti & unus cum medio secundum ordinationem factam dicto Anno nonagesimo nono constituunt viginti septem Stuferos minus novem mitis, & totidem Stuferi Philippi secundum ordinationem editam dicto Anno nonagesimo constituunt octodecim Stuferos cum blanca & amplius, & sic de alijs denarijs, & sic secundum ordinationem factam anno nonagesimo nono, semper ultra verum valorem florenorum aureorū per dictum impetrantem consignatum est, satisfactum est ergo utrique ordinationi, & per consequens jure, ratione, & æquitate suadentibus, dictus impetrans censeri debet legitimè fecisse hujusmodi
18 consignationem, quia † juxta & secundum legem principis & patriæ eam fecit, pro cujus justitia semper præsumitur, *juxta notata per canonistas, in cap. quæ in ecclesiarum, de constit.* & *per Bald.* & *Doct. in l. final. C. si contra jus vel utilita. publ.* & *per Cyn. in l. rescripta, C. de preci, impera. offe.* imò plus dico, quòd si aliquid de facto servatur in aliqua civitate, dato quòd de jure non valeat, tamen est perindè ac si valeret, postquam Principes volunt aut patiuntur sic observari. ita singulariter dicit Dominus Albericus de Rosa. *in l. prima, Cod. de summa trinit.* & *fide catholic.* ubi per hoc dicit, quòd si in
19 civitate statutum, quòd debitores † vel fidejussores non possunt opponere exceptionem, quòd usuræ non debeantur, & ex illo fidejussor condemnatus sit solvere usuras, illasque posteà repetat à principali debitore, debitor autem opponat quòd indebitè illas solvit: quia statutum hujusmodi permittens usuras, non valebat de jure, *clem. unica de usur.* Certè licet de jure illud statutum non valeat, tamen postquam in civitate de facto servatur, est perinde, ac si de jure valeret, & ergo ipse fidejussor, qui vigore dicti statuti solvit usuras, poterit easdem repetere à principali debitore, secundum eum, referentem sic in quæstione facti, tempore suo fuisse judicatum, & idem vult Ioan. de Imola. *in cap. pervenit, de fidejuss. in septima col.* Ita etiam dico in proposito, quòd & si ordinatio Domini Archiducis & patriæ fuisset injusta, tamen injustitia vel nullitas hujusmodi statuti vel ordinationis, non posset suffragari dicto Egidio, ex quo de facto servabatur: multo minus ergo conqueri poterit dict. Egidius de prætacta ordinatione Domini nostri Archiducis & patriæ, cùm fuerit communis & justa ex certis causis ob publicam utilitatem, ut videlicet moneta in patria Domini Archiducis monetata, liberè & copiosè suum cursum haberet, & populus forensi moneta

neta non gravaretur, ædita: quare etiam per actum hujuſmodi juri publico in favorem publicum & utilitatem reipublicæ introducto, renunciari non potuit, ut prædixi, *per jura præallegata*, & per conſequens aſſignatio facta in hujuſmodi valore eſt legitimè facta.

Nec obſtat ſi dicatur, quòd quamvis æſtimatio ſecundum bonitatem extrinſecam aureorum, fuit ſignata, tamen non ſecundum bonitatem intrinſecam, contra *l. cum quid. ff. ſi certum petat.* quia floreni aurei habentes verum pondus in quo fuerunt monetati ante annum quinquageſimum, tempore conſignationis benè valebant viginti octo Stuferos, & totidem non fuit conſignatum, ergo & cætera. Quia reſpondeo & dico, quòd hoc, videlicet, quòd floreni aurei habentes verum pondus in quo fuerunt monetati ante annum quinquageſimum, valebant viginti octo Stuferos, quoad bonitatem intrinſecam, non conſtabat tempore contractus aut etiam tempore aſſignationis, imò potius contrarium, ut ſuprà declaravi: nec hoc præſumitur, quia princeps omnes florenos aureos, exceptis ſophiſticatis, & alijs ſpecialiter in ordinatione deſignatis & nominatis, dicto anno nonageſimo nono æſtimavit ad unum precium, puta ad viginti ſeptem

20 Stuferos. Nec eſt credibile † aut præſumendum, quòd princeps per ſuam conſtitutionem voluerit ſubditos circumvenire, aut decipere, aut eis laqueum injicere infrà, *cap. de viduis, 27. quæſtione prima*, quia omne quod princeps ſtatuit, ſanctum & juſtum ſubditis videri debet, *argumen. l. liberto. ff. de obſequiis*, cùm princeps in dubio præſumatur juſta cauſa motus ad ſic ſtatuendum, ut dicunt omnes *canoniſtę in cap. quæ in eccleſiarum, præallegat.* & *legiſtę in paſſibus ſuprà allegatis.*

21 Et cùm dictus † impetrans potuit hujuſmodi redditum dequitare cùm voluit, & ad dequitandum non conſtringebatur, liquet eum non fuiſſe in mora, nec moram ſibi poſſe imputari: quia ubi nulla petitio, ibi nulla mora, *l. lecta, circa finem, ff. ſi certum petat.* Præterea reſpondeo aliter & dico, quòd cùm in literis conſtitutionis redditus, non contineatur, quòd debeant ſolvi floreni aurei ejuſdem valoris & ponderis quo fuerant ante annum quinquageſimum, & in quo pondere fuerunt monetati: ſed duntaxat habetur, quòd reddantur floreni aurei juſti & boni auri & ponderis, Patet luce clarius, dictum impetrantem non fuiſſe adſtrictum ad ſolvendum æſtimationem florenorum aureorum habentium idem pondus quod habebant tunc cùm fuerunt monetati. Sed ipſum impetrantem duntaxat fuiſſe obligatum ad ſolvendum æſtimationem florenorum aureorum, tempore conſignationis commune pondus & juſtum, ſecundum æſtimationem communem & ordinationem Principis & patriæ, habentium: *ita ſingulariter vult Bartol. in pręallegat. l. Paulus, in finalibus ſuis* & *verbis*, & *ibi hoc dictum magni ponderis refert, declarat, ſequitur* & *approbat Dominus Ioan. de Imola.* Dicit enim Bartol. ibidem, quòd ſi fuit actum ſeu conventum inter partes, quòd

22 † mutuum reddatur in florenis ſub eâdem æſtimatione, tunc ſub eâdem æſtimatione debet reddi, ſecus ſi non addatur hoc verbum, eâdem, quòd tunc debet reddi in æſtimatione communi, quæ eſſet tempore quo debet fieri ſolutio, quod ſervit propoſito noſtro: Et ergo cauti homines volentes ſibi benè proſpicere, hodie hoc agunt, ut eis reddantur floreni aurei, non ſolùm boni & juſti ponderis, verùm etiam ejuſdem ponderis, materiæ, valoris & curſus: & volentes ſibi adhuc melius proſpicere, addunt, quorum tot numero faciunt marcham, juxta conſilium *Ioan. And. in d. c. quanto*, quod conſi-

consilium etiam commemorat *Bald. in consilio suo* 339.

Non obstat etiam si dicatur, quòd pecunia consignata mansit apud campsorem, nec unquam Dominium ejusdem transivit in dictum Egidium: ergo videtur, quòd dictus impetrans, per hujusmodi consignationem non fuit liberatus: quia
23 regula est: quòd † quando debetur quantitas, ut in casu præsenti, tunc nunquam liberatur debitor, nisi dominio translato in creditorem, *l. ex empto, circa prin. cum ibi not. per gl. & Bart. ff. de actio empt.* Quia respondeo & dico, quòd consignatio legitimè facta, habet vim solutionis, traditionis, & translationis dominij, *præall. le. obsignatione*: unde imputet sibi dictus Egidius, si pecuniam ad se non recepit, nam potuit recipere si voluisset, & potuisset utique dictus Egidius consentiendo dictæ consignationi, sibi acquirere domi-
24 nium, potuit † etiam utili actione depositi campsorem compellere vel compelli facere ad tradendum pecuniam sibi consignatam, ut est textus apertus *in d. leg. acceptam, in fin.* si ergo hoc fecit, per eum stetit quo minus hujusmodi pecuniam habuit, sibi imputet: nam damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet &, non alij imputare, *regula damnum, de regul. jur. lib. 6.* Dicto autem impetranti nihil imputari potest, qui fecit quod potuit & debuit de jure, *præall. l. acceptam, cum ibi not. per Bald. Paul. de Castr. & Doct.*

Non obstat etiam si dicatur, quòd hujusmodi consignatio non fuit legitima, quia dictus impetrans, de dicta summa mille & septingentorum florenorum Rhenensium, expost detraxit vel detrahi permisit quadringintos florenos. Cùm ergo prætacta summa, ab initio fuerit consignata, pro dequitatione redditus 37. cum dimidio florenorum Rhenensium, de quo nunc contenditur: & pro dequitatione alterius consimilis redditus non remansit, ut videtur, sufficiens pecunia apud campsorem, pro dequitatione redditus præfati Egidij, de cujus extinctione agitur & contenditur. Quia respondeo, admissa utraque parte assumpti, negando consequentiam, quòd scilicet non manserit sufficiens pecunia pro dequitatione redditus dicti Egidij, de quo nunc contenditur: Nam consignatio
25 † fuit ab initio legitimè facta pro dequitatione utriusque redditus, ut suprà dixi, ex post facto in libero arbitrio dicti impetrantis fuit resilire à proposita & concepta dequitatione redditus, præfato Everhardo spectantis, quàmdiu dictus Everhardus hujusmodi cõsignationem gratam & ratam non habuit, ut volunt *Bald. Paulus de Castro, & alij in dict leg. acceptam, per illum textum, & per leg. 3. C. de novatio.* potuisset enim si voluisset, totam pecuniam ad se recipere, potuit etiam dictus impetrans, tempore deductionis dictorum quadringentorum florenorum Rhenensium declarare prout declaravit, cujus redditum persistentiam habere voluit, & cujus redditum dequitare voluit, fuit enim pecunia consignata pro dequitatione dictorum redditùum, ante acceptationem dictorum creditorum, minimè adhuc ipsorum creditorum, ut vult *Bald. in d. l. acceptam, in nona quæstione, & ibidem Paulus de Castro, & alij*, & ergo secundum eos debitor pœnitere potuit pecuniam iterum ad se recipiendo: nec per hoc mutata est qualitas negocij quo ad dictum Egidium, cõtra quem hujusmodi consignatio mansit in suo robore, in quo fuit ante deductionem hujusmodi quadringentorum florenorum Rhenensium: nam hi redditus sunt omnino distincti, nec alter aliquid commune habet cum altero, & sic præfatus impetrans, quoad dictum Egidium, quantum cõcernit redditum 37. cum dimidio florenorũ Rhenen-

Rhenensium, de cujus extinctione nunc contenditur, liberas ædes habet, *per d. le. acceptam, cum ibi no.* & *alia jura superius alleg.*

Non obstat etiam, quòd ideo hujusmodi consignatio non debet præjudicare dicto Egidio, quia primò ante festum nativitatis Christi anni 99. facta fuit intimatio consignationis hujusmodi præfato Egidio & Everhardo cõjunctim: in profesto autem nativitatis Christi, ejusdem anni, lata fuit sententia super arreragijs contra dictum impetrantem: post festum autem nativitatis Christi, de summa consignata deducti fuerunt quadringẽti floreni Rhenenses, & tunc primùm & non ante festũ nativitatis Christi facta fuit intimatio dicto Egidio soli, & sic non congruo tempore, ante mutationem monetæ. Quia respendeo ad hoc & dico, quod dicta ultima insinuatio, quoad dictum Egidium, non fuit necessaria, attento quod per prius tẽpestivè, diu ante festum nativitatis Christi, eidem Egidio & præfato Everhardo facta fuit, ut præmittitur, legitimè insinuatio: quæ quidem prima insinuatio per subsequentem non fuit sublata, sed potius confortata, & mansit in suo robore quoad dictum Egidium, ex quo non fuit mutata voluntas prima: quo verò ad dictum Everhardum sublatus est effectus dictæ

26 consignationis contraria voluntate dicti impetrantis. Certum est enim, quòd † quis præsumitur permanere in eadem voluntate, nisi voluntas probetur mutata, *tex. est in c. majores, in fi. de baptismo,* & *in l. fideicommissa, in § si rem ff. de legat.* 3. Cũ ergo voluntas dicti impetrantis declarata per primam insinuationem hujusmodi cõsignationis non probetur posteà mutata quoad d. Egidium, patet apertè ipsum impetrãtem in eadem prima voluntate perseverasse, & sic consequenti consignationẽ hujusmodi & insinuationem tempestivè ante festum nativitatis Christi per literas dicti oppidi Bruxellensis præfato Egidio, ut præmittitur factam in suo robore perdurasse quoad dictum Egidium & quoad extinctionem redditus, de quo nunc contenditur. Quod autem dicitur, sententiam fuisse latam in profesto nativitatis Christi contra dictum impetrantem in materia arreragiorum, nihil facit ad impugnandum hujusmodi consignationem prius legitimè in forma juris factam, & præfato Egidio debitè & tempestivè insinuatam: fuit enim ut præmittitur facta realis consignatio de sorte principali, & ultra hoc depositi & consignati fuerunt pro arreragijs liquidis floreni Rhenenses octuaginta, & de residuo non liquido præstita fuit idonea cautio, quod sufficit, *prealleg. l. statu liber rationum, cum alijs juribus suprà adductis.* Nec

27 † debet benè ceptum ex sinistro eventu postea ruinam pati, *le. sed an ultro. ff. de nego gest.* maximè cùm in materia consignationis attendatur tempus consignationis & insinuationis, & non tempus posterius, ut apertè vult *text. in præalleg. l. acceptam*, in illis verbis, quo subsecuto etiam periculo debitor lucratur. Nec debet angustia temporis paucarum horarum quæ inter tempus sententiæ dictæ & festum nativitatis Christi superfuerunt, in consideratione haberi, aut dicto impetrãti qui benè cœpit & legitimè cõsignationem fecit, obesse, *l. precia rerum. in fin. ff. ad legem falcidiam,* & *voluit notabiliter Bart. in prealleg. l. Paulus,* maximè cùm dictus impetrans notitiam hujusmodi sententiæ non habuit, nisi diu post hujusmodi Festum nativitatis Christi. Cùm ergo hujusmodi consignatio fuit, ut præmittitur, legitimè facta, & tempestivè præfato Egidio intimata, videtur mihi sub correctione vestra & aliorum melius sentientium, quòd hujusmodi redditus trigesima septima, cum dimidio florenorum aureorum fuit &

est per hujusmodi consignationem extinctus, & pro extincto habendus & censendus, ac talis per circumspectiones vestras declarandus: Iudicio vestro, cui DEUS adsit, & cui me submitto, qui testium depositiones & alia hujus causæ secreta per me non visa plenè & exactè vidistis & cognoscitis, semper salvo.

CONSILIUM C.

SUMMARIA.

1 *Suffragium consentientis in illum, in quem major pars consentiret, nullum censetur.*

2 *Inhabilis an ex admissione aliorum habilitari possit, &c.*

3 *Facere quis alieno nomine prohibetur, quod proprio nomine facere non potest.*

4 *Actus alio, quàm fieri debuit, tempore factus, reputatur nullus.*

5 *Electio facta Canonicis absentibus & non vocatis retractari potest.*

6 *In electione quæ sint servanda, &c. & num. 8.*

7 *Electio à majore parte capituli facta, quando valeat.*

CAsus talis est. In Ecclesia Oerscottensi, mortuo Decano, vocatis vocandis, canonici residentes, qui erant solùm quatuor numero, processerunt ad electionem, ex his quatuor unus puta A. renunciavit voci, alter puta B. Vicedecanus non erat in sacris, admissus tamen per alios duos residentes, videlicet C. & D. nomine suo elegit dictum A. & nomine procuratorio constitutus ad hoc specialiter per duos Canonicos absentes non residentes, in sacris existentes, & infra provinciam degentes, legitimè ad electionem ut præmittitur vocatos, elegit eundem A. præfati verò C. & D. in sacris constituti elegerunt alium: puta E. eorum confratrem extra provinciam existentem, & quidam alter non residens etiam ad electionem vocatus, elegit seu nominavit scripto illum quem major pars capituli eligeret. Quæritur nunc, an alicui dictorum jus competat in dicto decanatu, & cui, an nulli. Et omissis superfluis, in pri-
1 mis clarum est, † quod vox illius qui consentijt in illum in quem consentiret major pars capituli nullum suffragium affert dicto E. quia tale votum est nullum ex duplici capite, primò, quia incertum, *ca. 2. de elect. lib. 6.* secundò, quia votum non potest exprimi per literas vel ante scrutinium, sed in ipso scrutinio secretè & sigillatim, *cap. si quis justo impedimento, in fi. eod. tit.* & *ls.* Item etiam certum est, quod vox dicti B. nullum suffragium affert dicto A. ex quo ipse B. non fuit in sacris, per *text. clarum in clem. ut hi qui, de æta.* & *quali.* nec aliquid facit quod ad eligendum per alios admissus fuit, quia
2 † ex quo persona ejus de se omnino & simpliciter inhabilis fuit ad eligendum, non potuit ex admissione aliorum habilitari, imò nec episcopus eum habilitare posset, vel circa hanc inhabilitatem dispensare, ut dicit *gloss. ordinaria in clem. ut hi qui, super verbo concedatur,* & *ibi hoc sequitur Cardin. in 4. colum. in 10. quæst. post Stephan. Paul.* & *alios, respondendo clarè ad nota. in c. cum Wintonien. de electio.* quæ prima facie videtur obstare. Præterea etiam certum est quod ex quo dictus B. vicedecanus caruit voce ut jam declaravi, non potuit validè procurator constitui ad eligendum per alios absentes etiam de se habiles, etiamsi datum esset mandatũ de certa persona eligenda: quia † quod

3 † quod ipſe non potuit facere proprio
nomine, non potuit etiam facere nomine
alieno, ex quo *per d.cle.ut hi, qui* talis non
epiſcopus in ſacris ſimpliciter inhabilita-
tur ad vocem, non facta diſtinctione, an
ſuo nomine eligat, an alieno, & ita con-
cluſivè tenet *Dominus Cardin. in d.clem.
ut qui qui, in princ.4.col. in* 11.*queſtio.* &
*in §. illi verò, in octavo notabili poſt Paul.
de Leaza.* & *Ioan. And. in regula.quod a-
licui ſuo, de regul.juris, lib. 6. in mercur.*
Videtur ergo, quòd præfatus E. electus
per antetactos C. & D. cenſeri debeat
Decanus tanquam electus per illos, apud
quos reſidebat poteſtas capitularis. Sed
quatuor eidem E. obſtant: Primò quia
4 † hujuſmodi electio facta non eſt in ter-
mino electioni præfixo, ſed alio tempore
continuatione termini non facta, & ſic
hujuſmodi terminus videtur circumdu-
ctus, & per conſequens actus nullus juxta
*notat. per Doct. in cap. conſtituit, de offic.
delega. cum ſimilibus.* Secundò, quia et-
iamſi tempore præfixo celebrata fuiſſet
electio, tamen illa videtur nulla, ex eo
quòd non eſt ſervata aliqua formarum
requiſitarum in concilio generali, de quo
in cap. quia propter de elect. Tertiò eidem
E. obſtat, quòd non eſt electus à majore
parte capituli, quòd videtur requirere
d.ca.quia propter, ibi, major & *ſanior pars.*
Quartò eidem E. obſtat proviſio facta
dicto A. per reverendiſſimum dominum
Epiſcopum Leodienſem ordinarium loci
jure devoluto. Sed motivis non obſtanti-
bus dico præfato E. duntaxat jus ad di-
ctum decanatum competere tanquam e-
lecto per illos, apud quos reſedit tota po-
teſtas Capitularis, ut infrà declarabo. Nec
obſtat primum motivum, quia dico,
5 quòd ex illo capite etiam † ſi hoc verum
eſſet electio facta de perſona dicti E.
non redditur nulla, licet poſſet retractari
canonicis abſentibus non vocatis legitimè
poſt circumductionem termini proſe-
quentibus contemptum, *ut vult Panor.* &
*Doct. in dict. cap. quia propter, in 7. col. in
verſic. ulterius quæritur,* & *Doct. in c. quod
ſicut,* & *in c. bonæ 2. eo. tit.* In caſu au-
tem præſenti non conſtat de aliqua pro-
ſecutione contemptus, quare non obſtat.
Non obſtat etiam ſecundum, quia dico,
6 quòd † quando in collegio ſunt pauci ca-
nonici, puta duo duntaxat vel tres, ut ac-
cidit in caſu præſenti, tunc non eſt per
eos neceſſariò ſervanda aliqua ex formis,
*d.c.quia propter, ut vult Panorm. in d.c.
quia propter, in verſic. vel ſaltem, circa fi-
nem. poſt Goffe. Inno. Compoſt.* & *alios,*
quare non obſtat. Non obſtat etiam ter-
tium, quia præſupponit falſum, licet enim
dictus E. non ſit electus à majore par-
te capituli, habito reſpectu ad majorita-
tem facti, tamen revera electus eſt à ma-
jori parte capituli habito reſpectu ad ma-
joritatem conſiſtentem in jure vel effe-
ctu juris, imò dictus E. electus eſt ne-
dum à majori parte capituli, ſed à toto
capitulo, ex quo omnes alij vocati qui
vocari debebant excludebantur ut præ-
dixi: unus renunciatione vocis, quam
renunciationē facere potuit, *d.c.quia pro-
pter, ibi, volunt intereſſe,* & *ibi DD.* & *no.
per gloſ.ord. in c. ſi quando, eo. ti. lib. 6.*
Alter quia non erat in ſacris, *d.cle. ut hi
qui,* Alter neminem ad eligendum conſti-
tuit, ſed votum incertum dedit, *d.c.2.* &
c. ſi quis juſto, in fi. & alij duo, quia con-
ſtituerunt inhabilem, quare ſibi debēt im-
putare, *juxta not. DD. in d.cle. ut hi qui,*
& *in alijs ſuprà commemoratis*, & ſic to-
ta poteſtas capitularis reſidebat penes di-
ctos duos C. & D. & per conſequens e-
lectus ab eis cenſetur electus à toto ca-
pitulo, ſicuti omnes dempto uno eſſent
excommunicati, ſuſpenſi, vel irregulares,
electus ab illo uno diceretur electus à
toto capitulo, cùm voces aliorum non de-
beant computari in numero, ut eſt *gl.ord.
notabilis in cle. quod circa. ſuper verbo,*

quod in facto, circa princ. de elect. & *vult gl. in d.c. si quando, in princip. eo. tit. lib.* 6. & *Innoc. in c. gratum, circa med. de postula. præla.* & *ibi bonus text. est etiam bonus text. in c. congregato, de elect.* & *ita nota. in gl. ult.* licet † enim regulariter nõ
7 valeat electio facta à minori parte capituli, *d.c. quia propter, cum si.* hoc tamen fallit in duobus casibus quorum primus est *in c. scriptum, de elect.* quando scilicet electio concurrit cum postulatione: & alius serviens proposito est, quando major pars est inhabilis vel privata potestate eligendi: ita dicunt ad literam *Io. And. Panor. Io. de Imo.* & *DD. in d.c. con-*
8 *gregato.* imò plus dico, quod quando † aliqui ex canonicis sunt privati voce vel inhabiles ad eligendum, non est necessarium vocare eos ad electionem licet hoc non sit declaratum: satis enim est quod de hujusmodi inhabilitate postea cõstare posset, *ita notab. dicit Innoc. in d.c. gratum, ante fin.* & *ibi hoc dict. referunt, commendant,* & *sequuntur Io. And. Panor.* & *DD. posteriores*, & sic dictum motivum prima facie multum apparens, non obstat. Non obstat etiam quartum, quia ex quo infra tempus jure per d capitulantes C. & D. qui soli erant habiles ad eligendum ex residentibus, & apud quos ut præmittitur tota potestas capitularis residebat, ritè processum est ad electionem factam de persona dicti E. cessat provisio facta per ordinarium jure devoluto, cùm cesset causa devolutionem inducens, puta negligentia, vel simile, per suprà dicta: & ita concludo.

CONSILIUM CI.

SUMMARIA.

1 *Beneficij ad beneficium duntaxat fit permutatio.*

2 *Accidens sine subjecto subsistere nequit.*

3 *Surreptio in beneficialibus ipso jure vitiat gratiam.*

4 *In gratijs omnis expressio falsa præsumitur expressa dolosè, & sic vitiat gratiam.*

5 *Sæpe qui totum vult, totum perdit.*

6 *Claus. ut asseris, literis inserta, conditionalis est, & idem importat quod claus. Si ita est, &c.*

7 *Conditio de præsenti vel præterito falsa non suspendit actum, sed ipsum gestum reddit nullum.*

8 *Ad validitatem cujuslibet actus requiruntur copulativè potestas & voluntas.*

Reverende Domine Conservator, in causa pendente coram vobis super nullitate reservationis pensionis per & inter D. Iohannem Lups rectorem Ecclesiæ parochialis de Kercxkinis Cameracensis diocœsis actorem seu impetrantem ex una, ac Dominum Petrum Pavonis reum ex altera, actis ejusdem causæ attentis, videtur mihi subscripto sine aliqua hæsitatione pro dicto actore & contra præfatum reum debere pronunciari: nam ex confessione propria ipsius rei facta ad tertium & quartum articulos libelli, luculenter constat, nullam capellaniam beatæ Mariæ in ecclesia parochiali de Onckezele unquam fuisse in rerum natura, & sic ex consequenti clarum est, quod de ea ad præfatam ecclesiam nulla unquã potuit fieri nec facta est permutatio,
1 cùm † beneficij ad beneficium duntaxat fiat permutatio, *c. unico, ibi sua beneficia, de re. permu. lib.* 6. & *c. quæsitum, eod. tit. in antiquis. cum si.* non chymæra ad beneficium, & sic ex consequenti etiam certum est, quod dictus reus vigore permutationis

tationis non est dictam capellaniam assecutus, & sic etiam ex consequenti falsum est, esse inæqualitatem quoad valorem inter dictam ecclesiam & præfatam capel-
2 laniam beatæ Mariæ, cùm accidens † sine subjecto subsistere nõ posset, & non entis nullę sint qualitates *l. ejus qui in provincia. ff si cert. pet. cum si.* & tamen dictus reus animo circumveniendi sanctissimum bonæ memoriæ Inno. in impetratione hujusmodi pensionis narravit omnia præmissa intervenisse, quorum tamen neutrum est verum, ut patet ex prædictis, & sic hujusmodi reservatio pensionis est surreptitia & obreptitia, & per consequens
3 ipso jure nulla, cùm surreptio † in beneficialibus vitiat ipso jure gratiam, *cap. 1. & 2. de fi. presbyt. lib. 6. & c. ad audientiam. 2. cum ibi nota. de rescript.* Nec obstat si dicatur, prout procurator dicti rei dicere videtur, quòd hujusmodi expressio facta est per ignorantiam, & sic non debet obesse. Quia dico, quòd ex quo aliqua præmissis concernunt factum proprium dicti rei, videlicet quòd ipse assecutus est dictam capellaniam vigore hujusmodi permutationis, & c. non potest prætendi circa hoc ignorantia, cùm in facto proprio non cadit probabilis ignorantia, *cap. ab excommunicato, de rescript.* &
4 dato † quòd caderet ignorantia, tamen in gratijs omnis expressio falsa præsumitur in dubio expressa dolosè, ut dicit *Innoc. pater juris in c. accedens, de cri. fal. quem refert & sequitur Feli. in c. super literis, in 3. col. de rescri.* & sic dictus reus mendax precator debet omnino carere impetratis, juxta primam regulam *d. cap. super literis*, quæ secundum omnes Doct. ibi scribentes teste Felino *in 1. colum.* locum habet in literis gratiosis, quales sunt literæ reservationis pensionis, de qua nunc est quæstio. Præterea licet non omnia tacita, quorum expressio movere potuisset Papam ad denegandum gratiam, vitient gratiam, sed solùm ea de quibus reperitur expressum, vel de quibus in jure est cautum, quòd eis expressis eam gratiam nullatenus concessisset, tamen omnes falsæ expressiones quæ potuerunt movere Papam verisimiliter ad facilius concedendum vitiant gratias, quia literæ habent tacitam conditionem, si preces veritate nitantur, ita dicit *Rota decisio. 471. in novis in fin.* secundum quotas meas, incipiente extra Rotam supposito isto facto, &c. quem refert sequitur *Felin in ca. postulasti, in 3. colum. de rescri.* licet aliam quotam assignet: negari autem non potest, quin Papa per expressionem præmissorum verisimiliter fuit motus ad facilius concedendum hujusmodi reservationem pensionis quam si nihil horum fuisset falsè & dolosè expressum sequitur ergo quod hujusmodi falsa expressio vitiat hujusmodi gratiam, maximè cum camera Apostolica fuerit per hoc defraudata, ut attestantur practici curiales. Nec aliquid facit, quòd dictus reus dimisit hujusmodi ecclesiam, & sic esset defraudatus si non consequeretur hujusmodi pen-
5 sionem, quia cum hujusmodi † damnum sentiat ex sua culpa & dolo debet hoc sibi ipsi imputare, *regula damnum, de reg. jur. lib. 6.* discatque de cætero cautius mercari *l. 2. C. de fur.* sæpe enim qui totum vult, totum perdit, *c. super quęstionum §. si verè, de offi. dele.* maximè cùm quis contra legem mercatur, & legem circumvenire conatur. *l. quemadmodum. C. de agri. & censi. lib. 11.* & *d. l. 2.* ubi emptor & rem & precium perdit, & tantò fortiùs contra reum pręsumitur, quòd voluit fraudare legem, quia cùm fuerit antiquus cortisanus & practicus curiæ Romanæ, melius novit quomodo fraus fieri posset. *le. defensionis facultas in fin. C. de jure fis. lib. 10. cum si.* Et meo imbecilli judicio, etiam si omnia præmissa cessarent lucidè patet nullitas dictæ expeditionis ex alio capite videli-

videlicet, quia in dispositiva literarum sanctissimi Domini Innoc. habetur hæc clausula, nos tibi qui ut asseris dictam capellaniam inter alia obtines, &c. modò
6 certum est, quòd hæc † verba, ut asseris, sunt conditionalia idem importãtia, quod hæc, si ita est, ut expressè determinat *Gaspar de Cal. in cons. suo* 8. *sub Rubrica de rescript. in* ‖. *col. quem refert* & *sequitur Feli. in c. ad aures, in* 6. *colum. in versic* 7. *conclusio, in fine, de rescript.* & clarum est,
7 quod si conditio † de præsenti vel de prȩterito est falsa, non suspendat actum, sed reddit actum gestum sub ea conditione de præsenti vel de prȩterito falsa nullum, *ut est text. in le. cùm ad præsens, cum seq. ff. si cer, pet. cum sim.* Sequitur ergo, quod ex quo hujusmodi conditio importata per hujusmodi verba, ut asseris, est falsa ut præmittitur, quòd ea deficiente corruit actus hujusmodi gratiæ seu reservationis pensionis ex defectu voluntatis sanctissimi concedentis, licet enim dominus noster Papa potuisset hujusmodi pensionem reservare ad utilitatem dicti rei, etiam cessante hujusmodi permutatione ex sola dimissione dictæ Ecclesiæ parochialis, ne dispendium ex hoc pateretur, tamen in casu præsenti non constat, quòd hoc voluit, imò constat contrarium per su-
8 prà dicta: cùm ergo ad validitatem † cujuslibet actus requirantur copulativè duo, videlicet potestas & voluntas, & altero deficiente corruat actus. *l. multum interest, C. si quis alteri vel sibi,* & *c. cùm super, de offic. deleg.* sequitur quòd ex quo hic defuit voluntas sanctissimi deficiente conditione, sub qua facta fuit hujusmodi concessio seu reservatio pensionis, quòd hujusmodi literæ reservationis pensionis sunt nullæ & nulliter expeditæ. Et ita videtur mihi subscripto, judicio vestro reverende pater, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM CII.

SUMMARIA.

1 *Præjudiciales quæstiones ante omnia discutiendæ sunt,*

2 *Cognitio super validitate conventionum antenuptialium est mixti fori.*

3 *Pater impedire potest processum per arrestum contra bona filio suo obligata inchoatum, &c.*

4 *Voluntas seu qualitas mutata non præsumitur, nisi probatur.*

5 *Pater sine mandato agere potest pro bonis adventitiis liberorum, in quib. usumfr. habet.*

6 *Debitore comparente an ad venditionem bonorum procedi possit, &c.*

Venerabilis Domine Præposite in causa coram vobis pendente indecisa per & inter Adrianum de Hont, nomine Antonij sui filij naturalis & legitimi appellantem ex una, & Egidium Vrancx & alios suos litis consortes appellatos ex altera, videtur nobis infrà scriptis, sententiam per dominum Officialem Cameracensem latam, fuisse & esse modo infrà scripto per vos retractandam & reformandam. Pro cujus clara deductione est præsupponendum, ut ex actis colligitur, quòd pridem dictus Egidius Vrancx & sui consortes, mediante justitia seculari procurarunt arrestari diversa bona in oppido Mechliniensi, & sub ejus districtu existentia, quondam Petro de Parelt, & Elizabeth van der Venne, parentibus quondam domicellæ Jacominæ de Parelt, dum vixerunt spectantia & pertinentia, & per

& per mortem ac decessum eorundem Petri & Elizabeth ad dictam domicellam Jacominam devoluta, in nono & decimo articulis libelli appellatorij specificata: quo arresto sic facto venerunt ad causam coram præfatis legislatoribus præfata domicella Jacomina, uxor dicti Adriani nunc appellantis pro se ipsa, & præfatus Adrianus etiam pro se ipso duntaxat, quibus comparentibus præfata domicella Jacomina, coram præfata justitia recognovit, se debere præfato Egidio & suis consortibus magnas pecuniarum summas, ob quam recognitionem dictus Egidius cum suis consortibus, coram dicta justitia seculari nisus fuit procedere ad hujusmodi bonorum adjudicationem sibi & suis consortibus, ex causa præmissa fiendam contra præfatam Jacominam ex ejus confessione, & contra præfatum Adrianum, tanquam maritum dictæ domicellæ Iacominæ, de cujus parentibus, ut dicebat & prætendebat, hujusmodi debita fuerunt contracta, ut ex actis primæ instantiæ liquidè constat, & quia præfatus Adrianus existens pater naturalis & legitimus dicti Antonij sui filij, in ejus potestate existentis, vidit & consideravit hujusmodi adjudicationem & processum cedere posse in grave præjudicium dicti Antonij sui filij, propter conventiones seu tractatus ante nuptiales inter dictum Adrianum ex una, & præfatos Petrum & Elizabeth parentes dictæ quondam Iacominæ, cùm de eorundem Adriani & Iacominæ matrimonio tractabatur ex altera initas & cõclusas, quibus cavetur inter alia, quod si contingeret dictum Adrianum ex dicta domicella Iacomina suscitare prolem vel proles (prout jam suscitavit dictum Antonium) quod in illum eventum, de & ex omnibus bonis post decessum dictorum Petri & Elizabeth parentum relinquendis emerentur ante omnia tot redditus vitales ad vitam hujusmodi prolis vel prolium, quot redditus dictus Petrus & Elizabeth parentes emerunt ad vitas prolium, quas dicta Iacomina habuit ex quondam Rumoldo Hemelrijcx suo primo marito, pro conservatione juris dicto suo filio in bonis arrestatis vigore dicti contractus antenuptialis, ut præmittitur, competente, recurrit ante dictum Officialem Cameracensem judicem, in ea parte judicem competentem, & ab eodem Officiali nomine sui filij literas monitorias & inhibitorias, ac in eventum oppositionis citatorias debitè expeditas impetravit & obtinuit, quibus in dictos appellatos ritè & legitimè executis, comparuerunt in termino præfixo dicti appellati, & se hujusmodi literis opposuerunt, proponendo certas exceptiones declinatorias in effectu, quantum proposito servit, prætactum arrestum & processum coram dictis judicibus laicis habitum continentes, & quòd dictus Adrianus ibidem comparuit, & hujusmodi bona defendere voluit, & se ibidem juri stare velle obtulit, in quantum personam suam concernebat, prout & quemadmodum per certificationem oppidi Mechliniensis de hujusmodi actis confectam in actis primæ instantiæ exhibitam, ut prætendunt, docuerunt, concludentes propterea ad remissionem hujusmodi causæ, ac literas inhibitorias hujusmodi à præfato Domino Officiali obtentas malè fuisse impetratas, & illas esse revocandas & revocari debere, prout etiam dictus Dominus Officialis per suam sententiam eandem causam remisit, & præfatos appellatos ab instantia judicij absolvit, à qua sententia fuit pro parte dicti Adriani nomine quo suprà ad sanctam sedem Apostolicam appellatum, & hujusmodi appellationi delatum, causaque appellationis hujusmodi vobis commissa, ut hæc omnia ex actis, tam

primæ, quàm ſecundæ inſtantiarum lu-
cidè conſtant. Quibus ſic pro caſu præ-
ſuppoſitis deducitur, quòd ſententia per
dictum Dominum Officialem lata, fuit
malè, perperam, & iniquè lata, & quòd
tanquam talis venit retractanda: nam ex
præmiſſis & ex actis lucidè conſtat,
quòd bona arreſtata ſeu ſaltem plura ex
eis fuerunt & ſunt vigore dictarum con-
ventionum antenuptialium dicto Anto-
nio pro conſequendis vitalibus penſioni-
1 bus obligata & hypothecata, quare † in
ejus & hujuſmodi conventionum ante-
nuptialium præjudicium, hujuſmodi bo-
na non potuerunt pro debitis perſonali-
bus poſtea contractis impeti, maximè
coram judice ſeculari, non deciſa prius
hujuſmodi quæſtione præjudiciali, or-
tum ſumente ex antetactis conventioni-
bus antenuptialibus, cujus ſiquidem quæ-
ſtionis præjudicialis dictus dominis Of-
ficialis eſt competens judex, ut apud
acta eſt confeſſatum: debet ergo ſimili-
ter dicta quæſtio arreſti, donec & quouſ-
que hujuſmodi quæſtio præjudicialis fue-
rit deciſa, differri, juxta ea quæ habentur
in cap. tuam, de ordi. cog. & *in c. lator, qui
fil. ſint legit. cum ſimilibus.*

Nec obſtat etiam, ſi contra præmiſſa
objiciatur, quod pręmiſſa procederent, ni-
ſi dictus Adrianus comparuiſſet coram
dictis legiſlatoribus, & obtuliſſet ibidem
ſtare juri, uti conſtat eum in caſu iſto fe-
ciſſe: nam ex hujuſmodi oblatione ſibi
2 præjudicaſſe videtur, ex quo cognitio †
ſuper viribus vel non viribus conventio-
num antenuptialium eſt mixti fori, *ju-
xta notata per Doct. in c. de prudentia,
de don. inter vir.* & *uxor.* & ſic ſolum
ſpectans ad judicem eccleſiaſticum in ca-
ſu quando pars illam reclamat, quę recla-
matio in tempore fieri debet, antequam
judicium coram alio judice ſit inchoatum
& firmatum, *arg. l. ſi conſequens poſtea. ff.
de judic.* & *cap. poſtulaſti, de for. compe,
cum ſimilib.* per quod ſiquidem motivum
credimus, dictum dominum Officialem
motum ad ſic pronunciandum, & partem
appellatam ad hujuſmodi declinatoriam
proponendum. Quia reſpondetur quòd
dictum argumẽtum procederet, ſi dictus
Adrianus comparuiſſet coram prędictis ju-
dicibus laicis nomine ſui filij, cujus nomi-
ne literas inhibitoriales impetravit, pro-
ut non comparuit, imò clarè conſtat ex
certificatione continente in ſe acta coram
præfatis judicibus habita pro parte appel-
lata in actis primæ inſtantiæ exhibita, di-
ctum Adrianum comparuiſſe duntaxat
nomine proprio, & quatenus perſonam
ſuam propriam concernebat & minimè
aliàs, & in illa qualitate conſtat eum non
impetraſſe literas inhibitorias, ſed nomine
dicti Antonij ſui filij, in cujus præjudi-
cium tendebat proceſſus contra dictam
domicellam Iacominam, ſeu verius contra
bona arreſtata per dictos appellatos in-
tentatus, & ſic liquet impetrationem hu-
juſmodi literarum inhibitoriarum, quoad
dictum proceſſum in quantum tendebat
in præjudicium præfatum conventionum
antenuptialium benè fuiſſe factam, & prę-
fatum Dominum Officialem ſic pronun-
ciare debuiſſe, non obſtante comparitione
dicti Adriani, ſi enim dictus Adrianus ni-
ſus fuiſſet per hujuſmodi impetrationem
impedire proceſſum corum dictis judici-
bus contra ejus perſonam inchoatum, be-
nè debuiſſet eam remittere: ſed quia ipſe
Adrianus per hujuſmodi impetrationem
non eſt niſus impedire illum proceſſum,
quatenus contra perſonam ſuam & bona
non obligata inchoatus fuit, ut ex tenore
literarum inhibitoriarum clarè conſtat,
ſed nomine dicti Antonij ſui filij † niſus
3 eſt impedire proceſſum inchoatum per
arreſtum contra bona ſuo filio, ut præ-
mittitur, obligata ex dicto contractu an-
tenuptiali, quod facere potuit ratione
patriæ poteſtatis, *ut eſt text. in l. 1. C. de
bo. mat.*

bo.mat. & *ibi Bald. in prima oppositione,* & *alij Doct.novissimi,* liquet hujusmodi literas benè fuisse impetratas, & sic partes vestri erunt, declarare malè per dictũ Dominum Officialem judicem primæ instantiæ fuisse & esse processum & sententiatum, ac benè pro parte appellantis esse appellatum super literis inhibitorialibus hujusmodi, ac ad justificationem earundem coram vobis fuisse & esse procedendum *juxta c.ut debitus, cum ibi not. per gl.* & *Doct. de appel.cum si.* Nec obstat etiamsi dicatur, quòd dictus Adrianus in causa præsenti comparuit in persona propria, & non nomine filij, ut patet ex scripturis & terminatis servatis in actis. Quia respondetur quod licet hoc non sit expressum in terminis, est tamen expressum in literis inhibitorialibus impetratis: nam ex narratis in literis inhibitorijs & deductis in libello justificatorio, satis clarè constat ipsum Adrianum, nomine sui filij & pro ejus interesse, comparuisse & literis impetrasse sub qua qualitate videtur ulterius in hujusmodi causa processisse, cũ
4 † non præsumatur mutata voluntas seu qualitas, nisi probetur. *l. fideicommissa. §. si rem. ff. de legat.* 3. & quia dictus Adrianus est pater habens dictum Antonium suum filium in potestate, quod in dubio præsumitur de jure, *ut est gl. ordinaria,* & *ibi Doct. in l. sed* & *si de sua,* & *ibi Ang. ff. de acqui. hære.* & *vult Cæpolla in cautela* 164. potuit nomine ipsius filij agere
5 absque eo quod opus fuit † costitutione filij, imò nomine proprio agere potuit pro bonis adventitijs filij, in quibus de jure habet usumfructum, & constituere procuratorem, etiam ante litem contestatam, cùm sit procurator in rem suam, vel mixtus in rem suam & filij, *prealleg. l.* 1. *cum ibi not. per Bald.* & *Doct.* quo nomine & si processisset, adhuc benè literas impetrasset, ex quo per illas solùm & dũtaxat nititur impedire venditionem & alienationem bonorum pro emendis vitalibus pensionibus, ut præmittitur, obligatorum, & suspendere processum contra dictam domicellam Jacominam institutum: nec per hoc vult impedire processum contra personam suam coram prætactis judicibus laicis institutum, quem prosequi posset contra personam ejusdem in actione personali, dummodo ad venditionem hujusmodi bonorum obligatorum
6 non veniant vel concludant: & quia † dictus Adrianus comparuit, non potuit ad venditionem hujusmodi bonorum ob debita ejusdem, etiamsi in aliquo dictis appellatis obligatus fuisset, procedi, sed debuit arrestum tolli, juxta ea quæ habentur & notantur *in le. si. fidejussor. §. fin. ff. qui satisd. cogun.* & sic non fuit opus impetrare literas inhibitoriales propter processum contra eum comparentem legitimè institutum, sed solum ad impediendum venditionem hujusmodi bonorum ex processu servato contra dictam domicellam Jacominam, ex cujus confessione fuisset ad venditionem eorundem bonorum processum in præjudicium dicti Antonij, nisi per hujusmodi literas fuisset impeditum: quare sequitur, hujusmodi literas benè fuisse impetratas.

CONSILIUM CIII.

SUMMARIA.

1 *Promittens stare simplici verbo creditoris super damnis expensis & interesse, an teneatur, &c. & nu. 2. & 6.*

2 *Statutum volens stari dicto damnum passi, intelligitur nisi possit probari contrarium.*

4 *Cautio in debito non liquido quid operetur, &c.*

5 *Sine juramento non creditur illi cujus conscientiæ aliquid est commissum.*

7 *Tutor contrahens pro pupillo pacisci non potest, quod stetur dicto vel juramento creditoris.*

8 *Pupillus & civitas, æquiparantur.*

QUidam debitores promiserunt stare simplici verbo creditoris super damnis, expensis, & interesse: creditor autem simplici verbo absque juramento declaravit expensas, damna, & interesse ascendere ad magnam & excessivam summam: & judex assumptus insequendo talem affirmationem, condemnavit reos in personam procuratoris in forma cameræ assumpti, in absentia hujusmodi debitoris ad solvendum hujusmodi summam: dicti autem debitores tempore hujusmodi sententiæ habuerunt indultum de solvendo in certis terminis, & certo modo à principe, confirmatum per sedem Apostolicam, in qua confirmatione dati erant judices, qui eos defenderent, ut contra tenorem hujusmodi indulti non graventur, & eos absolvant, si contra illius tenorem graventur, vel vigore obligationum suarum excommunicentur, vel gravati aut excommunicati fuerint. Queritur modo attento, quod sors est soluta, & pro expensis etiam soluta dicitur certa summa, an affirmationi dicti creditoris debeat stari, & an conventio hujusmodi sit valida vel non, & quæ erunt partes judicum dictis debitoribus per sedem Apostolicam deputatorum. In isto articulo breviter omissis superfluis invenio plures opiniones. Quidam enim
1 dicunt, quòd hujusmodi † conventio non valet, quia daretur per eam materia & occasio delinquendi: ergo non valet. *l. convenire. ff. de pac. do. ita tenent Pet. & Cyn. in l. si quis in conscribendo, in fi. C. de episc. & cle. & Spe. in tit. de proba. in §. videndum in vers. quid si ibi, & Sal. in l. jusjurandum quod ex conventione. ff. de jurejur. & Bart. in consil. 168. incipiente, quidam habens bona communia, in fin.* Alij dicunt, quòd conventio valet, sed si creditor iniquè declaret, moderabitur & reducetur ejus declaratio arbitrio boni viri instar laudi arbitratorum, *ita dicit Dyn. in l. fi. ff. de pretor. stipul.* & *sequitur Ioan. And. in d. §. videndum, in versic. quid si ibi.* Alij ut Ray. de Forli dicunt, quòd conventio valet, & non reducetur declaratio creditoris, etiam si iniquè declaret, dummodò non declaret in infinitum, sed istam opinionem nemo sequitur.
2 Alij dicunt, quòd † conventio valet, sed si inique arbitretur, fiet reductio arbitrio boni viri, sed potest hujusmodi promissio revocari, antequam creditor declaret vel juret: *ita dicit Bart. in d. l. fi. per l. si quis jusjurandum. C. de rebus cre. & jurejur. & Ang. ibi & post eum Ioan. de Imol.* limitant hoc ultimum verum, quando creditor ex post factus esset unus rebaldus vel infamatæ vitæ, aliàs secus, *per l. cùm quis, & l. si cùm Cornelius. ff. de solu. & idem volunt Alexand. de Imol. Ias. & DD. in d. l. jusjurandum quòd ex conventione, in principali autem dicto Angel. Paul. de Cast. & Io. de Imo. in d. l. fi. & Alex. & Ias. in d. l. jusjurandum. & Alber. de Rosate in d. l. si quis in conscribendo, stant cũ Dyn. & Bartol.* quòd conventio valet, sed reducetur declaratio arbitrio boni viri, si iniquè vel excessivè declaret, addit tamẽ *Paul. de Cast. in d. l. fi.* quòd non stabitur dicto creditoris si posset probari contra-
3 rium: nam etiam † statutum volens stari dicto damnum passi, recipit hanc limitationem secundum eum, ad quod allegat notabilem doctrinam *Iacob. Butrigarij in l. 1. C. de re judic.* & *idem vult Bald. in l. 1. C. si adversus libertatem,* & *Panorm. Prepositus,* & *novissimi in c. continebatur,*

tinebatur, de despon.impub. & *Bartho.Veronen.in cautela* 210. ex quibus concludo, quòd in casu præsenti partes judicum erunt, vocare dictum creditorem & ei statuere competentem terminum, infra quem exhibeat per designationem distinctè & clausulatim expensas, damna, & interesse per eum sustenta vel sustentas, quòd si fecerit cognitione capta super illo deberet reducere & statuere, ut justum & æquum videbitur: si autem dictus creditor non exhibuerit designationem hujusmodi bonorum expensarum, & interesse, tunc partes judicum erunt habito respectu ad summam super hujusmodi expensis solutam, & considerato ad quantum hujusmodi expensæ, damna, & interesse, verisimiliter ascendere possent, ordinare, quòd tanta summa deponatur & consignetur ad opus creditoris, & quòd ponatur cautio de refundendo residuo, si in veritate postmodum comperiatur, damna, expensas, & interesse dicti
4 creditoris ad plus ascendere, quæ † cautio sufficit quoad residuum non liquidum. *ut est text. optimus in l. statu liber rationem, ff. de statu li.* & *in l. si servus hæredi.* §. *fin. illo eod. tit.* & *vult. Ang. in l. si residuum. C. de distract. pig.* & *idem Angel. in le.* 4. *in* §. *ait prætor. ff. de re judic.* & hoc facto partes eorum erunt, absolvere hujusmodi debitores, maximè cùm dictus creditor hujusmodi declarationem damnorum, expensarum, & interesse non
5 firmavit juramento, sine quo † non creditur etiam illi, cujus conscientiæ aliquid commissum est, ut *volunt Ang.* & *Paul. de Cast. in l. de pupillo.* §. *qui opus. ff. de no. ope. nuncia. per le. Theopompus. ff. de do. præle quam Ang. ibi ad hoc reputat optimam:* & in † dubio, quando conven-
6 tum est, quòd stari debet dicto creditoris, non intelligitur de simplici dicto, sed intelligitur in dubio de dicto jurato, secundum *Bal. in d. l. jusjurandum quod ex conventione, circa princip. ff. de jurejuran.* imò etiam si dictum esset, quòd stari deberet simplici dicto creditoris, ut in casu præsenti, tamen adhuc teneretur creditor jurare de calumnia, ut singulariter dicit *Bald, in l cæterùm, de jura. calum. quem refert* & *sequitur Iason in d. l. jusjurandum, in* 3. *col.* quod hic factum non reperitur, si enim tenemus opinionem *Pet. Cy. Spe.* & *Salic.* secundum quam consuluit *Bart.* ut dixi *in præallegat. consilio* 168. incipiente, quidam habens bona communia, non valet hujusmodi conventio, & sic non est ponderanda hujusmodi declaratio: si autem tenemus opinionem *Dyn. Bart. Albe. Ang. Paul. de Cast. Ioan. de Imol.* & *Ioan. And. quæ est communis, ut volunt Alex.* & *Ias. in d. l. jusjurãdum,* debet fieri reductio arbitrio boni viri & quia dicta ultima opinio est communis, non debet in judicando ab ea recedi, *juxta nota. per Ioan. And. Panor.* & *Doct. in c.* 1. & *in c. ne innitaris, de consti. cum si.* & sic in omnem eventum quæ dictarum opinionum teneatur, absolvi debent dicti
7 rei: & tantò fortius, quia † tutor contrahendo pro pupillo, non potest apponere hujusmodi pactum quod stetur verbo, dicto, vel juramento creditoris, *ut vult Bart.* & *Doct. in le. jurisjurandi gratiam, per illum text. de jurejur.* & *Paul. de Cast. in d. l. fin.* & *Iason in præalleg. l. jusjurandum, quòd ex conventione:* Sed sic
8 est, quod pupillus † & civitas æquiparantur *le. respublica*, & *ibi Salic.* & *Doct. C. ex quib. caus. ma.* ergo etiam dicti debitores incolæ & administratores oppidi Lovaniensis, nomine cujus facta est obligatio, non potuerunt hujusmodi pactum apponere in præjudicium dicti oppidi: quare non est ponderanda affirmatio dicti creditoris extrajudicialiter facta. Nec obstat decretum Domini Officialis Trajectensis, quia ipse pronunciavit super eo, de quo sibi non constabat per acta, & sic

nulliter: nam etiam si conventio hujusmodi valuisset, tamen debuit affirmans jurarare de calumnia, ut prædixi, quod non fecit, quare nulla fuit ei fides adhibenda. Nec obstat confessio asserti procuratoris assumpti in forma cameræ, quia ipse ad hoc confitendum non habuit mandatum, ut ex instrumento obligationis clarè conspici potest: dato tamen, quòd sententia dicti Domini Officialis fuisset aliqua, tamen, quia fuit injusta, ex capitibus supra tactis, debent dicti rei à censuris hujusmodi occasione inflictis, solutis expensis, damnis, & interesse, rationabiliter taxatis, absolvi, per supra dicta.

CONSILIUM CIV.

SVMMARIA.

1 *Feudum antiquum ne quidem accedente consensu Domini alienari potest, nisi proximior agnatus consentiat.*

2 *Filius feudum antiquum à patre alienatum, revocare potest, etiamsi patri hæres existat.*

3 *Dubitatio nulla est, ubi casus legis haberi potest.*

A Et B. conjuges habuerunt duas filias, videlicet C. & D. dicti A & B. in conventionibus antenuptialibus, factis inter futurum sponsum dictæ C. & ipsam C. promiserunt eidem, quòd ipsa, si extaret, aut ejus hæredes post eam, dividerent in omnibus bonis post obitum eorum relinquendis, secundum quotam eidem de jure patriæ competentem: salvo quòd ipsa importaret id quod ei in dicti matrimonij subsidium erat donatum. Postmodum in alio tractatu antenuptiali facto inter sponsum dictæ D. & eandem D. præfati A. & B. specialiter & nominatim ferè omnia bona sua dederunt, transtulerunt & transportaverunt in ipsam D. filiam eorum, & fuit ille tractatus antenuptialis postea per regem approbatus: & de jure municipali loci situationis bonorum feudalium prætactorum omnia bona feudalia debuissent ad dictam C. filiam devolui, si nihil in contrarium neque per unum tractatum, neque per alium ordinatum fuisset. Sunt etiam dicta feudalia bona feuda antiqua, in quibus tam masculi, quàm fœminæ, de consuetudine loci succedere possunt. Defunctis autem dictis A & B. relictis post se dictis C. & D eorum prolibus, dicta D. & ejus maritus omnia bona feudalia prætacta in vim prætacti tractatus antenuptialis & confirmationis regiæ occupant. Quæritur utrum dicta C. possit petere de jure à dicta D. prætacta bona feudalia, per & post decessum dicti eorum patris relicta, non obstante dicta datione antenuptiali, & confirmatione regia subsecuta. Pro cujus quæstionis decisione primò est præmittendum, prout ponitur pro constanti in casu, quòd dicta bona feudalia, de quibus est quæstio, sunt feuda paterna antiqua. Secundò præmittendum est, prout ponitur in casu, quòd de consuetudine loci situationis dictorum bonorum feudalium, dicta C. debuisset succedere in dictis bonis feudalibus, si dictæ conventiones initæ cum dicta D. factæ non fuissent. Tertiò est præsupponendum, quòd bona
1 † feudalia antiqua non possunt per patrem alienari, etiam cũ consensu Domini feudi, nisi interveniat consensus proximioris, qui de consuetudine in illis feudalibus bonis succedere deberet, & si alienentur, potest proximior revocare talem alienationem: *ut est textus clarissimus in titulo, de alienatio. feudi paterni, in principio: ad idem est textus clarus in*

rus in cap. Titius filios masculos non habens, si de feudo controversia fuerit, & *ibi Bald. Alvarotus, Præpositus* & *Doctores*, & *vult clarissimè Bald, in cap. primo, de alienatio.feud. in tertia columna, in versiculo, pro uberiori intellectu*, & *ibi hoc etiam vult Dominus Præpositus*, & *tenent idem Baldus, Iacob. Alvarotus*, & *Præpositus in cap.primo, in §.hæc quoque, ubi etiam bonus textus, de successione feudi: hoc idem etiam vult Iacobus Alvarotus in § fina. quę fuit prima causa beneficij amit. in 22. quęstione.* Imò plus dicit glossa ordinaria *in dicto §. hæc quoque super investitura, in fine,* quòd
2 etiam † filius, in cujus præjudicium pater consentiit feudum paternum alienari, etiam si esset hæres patri, posset adhuc contravenire dictæ alienationi de consensu sui patris, cujus est hæres, factæ, ex quo ipse filius habet jus in bonis feudalibus per antecessores acquisitis ex providentia antecessorum, & sic ex dispositione legis, quare potest reprobare factum patris sui defuncti, etiam licet sit ejus hæres, *argum. l. si arrogator, in fi. ff. de adoptionibus*: pro isto etiam facit textus *in d. cap. 1, circa principium, de success. feudi.* ibi nulla ordinatione defuncti in feudo manente vel valente. Ex quibus præsuppositis breviter, omissis superfluis, concluditur, quòd ex quo dicti A. & B. dederunt in tractatu antenuptiali bona eorum feudalia antiqua ipsi D. sine consensu dictæ C. quæ C. tamen de consuetudine loci situationis bonorum feudalium prætactorum, succedere debuisset, quòd donatio prætacta fuit & est nulla & nullius roboris, & similiter regia approbatio subsecuta, & quòd dicta C. potest dicta bona feudalia petere optimo jure tanquam ad eam spectantia, & devoluta ex providentia suorum antecessorũ ac ex dispositione legali, *per jura suprà alle.* in quibus de isto est casus, & sic nulla
3 hìc est dubitatio, nam † ubi est casus legis, ibi nulla est ambiguitas. *l. ancillæ*, & *ibi gl. Bald. Paul. de Cast. C. de fur.* quare censemus supervacuum circa hoc amplius instare: supervacuis enim laborat impendijs, qui solem facibus certat adjuvare, *cap. si omnia, 6. questio. 1. cum sim.*

CONSILIUM CV.

SUMMARIA.

1 *Legatum in certa consistens moneta, solvi debet juxta valorem tempore conditi testamenti currentem.*

2 *Legatum prolibus naturalibus factum censetur in recompensam alimentorum, ipsis debitorum.*

3 *Testator non præsumitur nimium suos hæredes gravare voluisse.*

4 *Verisimilitudo pro lege vel pacto expresso habetur.*

5 *In legatis universalibus attenditur tempus mortis testatoris: in particularibus autem tempus conditi testamenti.*

6 *A communi Doctorum opinione in judicando non est recedendum.*

7 *Ludovicus Romanus novitatum inventor & propriæ inniti sapientiæ dicitur.*

8 *Doctorum lecturis plus creditur quàm consiliis.*

9 *Quando unum & idem est in obligatione & solutione, tunc non potest nisi unum tempus in consideratione haberi.*

10 *Ex separatis non fit bona illatio.*

Casus

CAsus, mihi ad desuper consulendum oblatus talis est. Matthæus Anya suum condens testamentum de anno Domini Millesimo quadringentesimo octuagesimo octavo, quo tempore pecunia erat levis, inter alia relicta sua tale fecit legatum, per talia vel in effectu similia verba: Similiter idem Matthæus testator voluit & ordinavit, quòd Lucia, Elizabeth & Maria, proles ipsius testatoris à prænominata Rosafiera procreatæ, ab ipsius testatoris heredibus & bonorum apprehēsoribus, in singulis nutrimēti, victus & vestitus necessarijs, gubernari debeant, donec ad statutum aliquem se diverterint ecclesiasticum aut secularem. Et cùm ad statutum hujusmodi se diverterint, extunc dedit & legavit idem testator cuilibet prolium sexaginta libras grossorum monetæ Flandriæ semel dandas, substituendo ad invicem easdem proles vulgariter, pupillariter, & per fideicommissum, &c. Modò tempore quo cessit dies legati, pecunia fuit ponderans & plus valens, quàm valeret tempore legati facti. Quare quæritur, in quo valore fiet solutio istius legati: an in valore currente tempore legati facti, an verò in valore currente tempore legati cessi.

In quo articulo, omissis superfluis, quia coram prudentissimis judicibus pendet quæstio, respondeo breviter, & dico, de-
1 beri † monetam in valore & æstimatione, qui vel quæ cursum habuit tempore conditi testamenti, juribus, rationibus, & authoritatibus infrà scriptis. Iuribus hoc probo: Primò, per textum clarum, *in l. uxorem, §. testamento. ff. de legatis tertio.* Secundò, *per l. nomen debitorum. §. 1. ff. illo eodem tit.* Tertiò, *per l. medico, in princ. cum ibi not. ff. de auro & argen. lega.* qui text. omnes loquuntur in materia ultimarum voluntatum, & dicunt, tempus testamenti debere attendi. Quartò, pro isto bene facit *cap. olim*, & *cap. cum canonicis, de censi.* arguendo à contractibus ad ultimas voluntates affirmativè, quòd argumentum est validum in jure. *l. servum filij. §. eum qui chirographum. ff. legat. 1.* & *l. fi. C. de lega. cum similib.* Rationibus autem hoc probo medijs in-
2 frà scriptis: Primò quia hujusmodi † legatum relictum est per testatorem suis prolibus naturalibus, in recompensam alimentorum, eis de jure canonico per testatorem eorum patrem debitorum, juxta ea, quæ habentur & notantur *in cap. cùm haberet, de eo qui duxit in matrimo. quàm poll. per adulte.* præstandum quidem ab hæredibus suis. Modò sic est,
3 quòd † in dubio testator videtur minus quo potest hæredes suos gravare, *l. apud Iulianum, § scio, ff. de legatis, 1.* & *l. nummis. ff. de legatis, 3. cum similibus.* sed tempore conditi testamenti valor pecuniæ fuit minor, ut patet in themate, ergo, &c. Secundò, quia hujusmodi legatum relictum est in recompensam alimentorum, ut dixi: sed recompensa non potest fieri, nisi fiat per pecuniam certam & invariabilem, *argum. l. 1. ff. de contrahen. emp.* Ergo necessariò debemus dicere, quòd testator intellexit de moneta tunc currente: per quàm rationem idem consuluit Dominus Panormita. in dispositione legali, ut patet in consilio suo 56. secundi voluminis. Tertiò, istud ostendit verisimilitudo, quæ in talibus pro lege habetur, *l. semper in stipulationibus. ff. de regul. jur.* & *l. in obscuris, cum ibi nota. eod. tit. cum similib.* Non enim est verisi-
4 mile, † quòd testator senserit de alia moneta, quàm de illa quæ tempore conditi testamenti cursum habuit: unde succedit regula de qua *in l. tale pactum. §. fina. cum sua singulari gl. ff. de pact.* quæ habet, quòd illud habetur pro disposito, quod verisimiliter fuisset dispositum, si de hoc disponens fuisset interrogatus: quàm *gl.* ibi valde commendant *Bald. Paul. de*

Cast.

Cast.Ias. & *Doctores*, dicentes eam proce-
dere, nedum in legibus & statutis, sed
etiam in conventionibus, pactis, rescriptis,
& ultimis voluntatibus: de quo quo ad
casum præsentem, in materia ultimarum
voluntatum, *est optimus text. secundum*
intellectum Bart. & *Bald.* & *aliorum, in l.*
fina. C. de posthum. hæred. institu. & *in l.*
Titius. §. Lucius, & *ibi Paul. de Castro,* &
Alexan. de Imol. ff. de lib. & *posthu.* Præ-
terea autoritatibus hoc corroboro, nam
in primis ita in terminis nostris consuluit
consultissimus *Doct. Oldradus de Lande,*
in consilio suo 31. per jura suprà allegata.
Secundò hoc idem per eadem jura tacito
autore, vult *Ioannes And. maximę auto-*
ritatis, in additio. ad Speculum, in tit. de
obligatio. & *solutio. in §. nunc aliqua, cir-*
ca finem. Tertiò istud etiam in terminis
nostris vult *Panorm. in d. cap. olim, in pri-*
mo notabili, de censib. & *idem Panorm. in*
cap. quanto, in penultima col. de jurejur. &
idem ibi vult Io. de Imola, circa finem re-
mittens ad Io. An. in passu suprà allegato.
Quartò istud idem etiam apertissimè fir-
mat *Dominus Iason in l. cum quid, in ulti-*
ma col. ff. si certum petatur, post Albericum
de Rosate & *Ludovicum de Roma ibi*, &
alios per eum relatos, allegans pro hac de-
5 cisione ultra alios theoricam † *gl. ordina-*
riæ in l. penultim. super verbo, cedit. ff. de
fund. instruct. quæ habet, quòd licet in le-
gatis universalibus attendatur tempus
mortis testatoris, ut ibi, in legatis tamen
particularibus, quale est illud, de quo est
quæstio, attenditur tempus conditi testa-
6 menti. Et quia hæc est communis † opi-
nio, à qua in judicando non est receden-
dum, *juxta notata per Ioan. And. Panor-*
mitanum & *alios, in cap. 1.* & *in cap. ne*
innitaris, de constitutio. & *vult Bart.* &
Legistę in l. fin. C. de pœn. jud. qui malè
judi. supervacuum putavi amplius circa
istud instare. Nam licet circa hanc mate-
riam mutationis seu variationis monetæ,
plura & diversa scribantur per Doctor.
tàm legistas, quàm canonistas in diver-
sis passibus per *Dominum Alexan. de Im.*
in d. l. cum quid, plenissimè commemora-
tis & omnibus notis, tamen in casu præ-
senti, puta testamenti seu ultimæ volun-
tatis, hæc est vera & communis opinio,
ut dixi: Et ergo meo judicio superva-
cuis laborat impendijs, qui (ut ita loquar)
solem facibus certaret adjuvare, *cap. si o-*
mnia, 6. questio. prima. cum similib. Licet
7 enim *Ludovicus* † *de Roma, novitatum in-*
ventor, in hoc casu voluerit, debere attēdi
tempus solutionis, *in singulari suo 519.*
incipiente, quod tempus inspiciatur, &c. &
in consilio suo 123. motus per l. cum cer-
tum. ff. de auro & *argen. legat.* tamen à
dicta communi opinione non est rece-
dendum in judicando, ut dixi. Tum quia
ipse Ludovicus singularis est & propriæ
innitens prudentiæ, contra doctrinam Sa-
lomonis, de qua *Proverbiorum 3. cap.* &
in d. cap. ne innitaris: unde ei accidit, quod
scribitur *Ecclesiastes 4. cap.* & *c. secundo,*
de statu monach. Vę soli, qui cum cecide-
rit, non habet sublevantem se. Tum se-
cundò, quia ipse eidem contrarium ponit
lectura, *in præallega. l. cùm quid*, ut dixi:
8 & in dubio magis † ei credendum est, in
lectura, ubi nulla affectione motus, veri-
tatem præsumitur dixisse, quàm in con-
silijs ad requisitionem partis sæpè affe-
ctuosè datis. Tum tertiò, quia non re-
spondet ad jura suprà allegata, sed dun-
taxat volatili verbo dicit ea non facere,
quo nihil facilius. Tum quartò, quia *d. l.*
cum certum, per quam movetur, nihil fa-
cit, cùm loquatur in casu omnino diverso
à casu præsenti, puta quando massa vel
corpus argenti legatur, quo casu massa
est in obligatione, sed æstimatio in solu-
tione, ut est *text. in l. 1. ff. de auro* & *ar-*
gen. lega. nos autem sumus in casu quan-
9 do † unum idem est in obligatione & in
solutione, puta quando quantitas, ut quan-

titas legatur, quo casu non potest nisi unum tempus in consideratione haberi, quod verisimiliter est tempus conditi testamenti, seu factæ dispositionis ex qua agitur, *l. fundum Cornelianum, in fine, ubi text. singularis. ff. de nova.* & *volunt Doctor. in l. ergo cum in diem ff. de verborum obligat.* In casu autem *d. l. cum certum*, econtrario verisimiliter in consideratione fuit tempus solutionis, cum tunc primum constare posset, an massam seu corpus, an verò æstimationem solvere velit hæ-
10 res. Iam ita est, quòd ex † separatis non fit bona illatio, *l. neque natales, C. de probationibus*, & *l. non hoc, C. unde cogna. cum similibus.* Ex quibus concludo, tempus conditi testamenti in casu præsenti debere attendi, & sic solutionem fieri debere in valore librarum tunc cursum habentium.

CONSILIUM CVI.

SUMMARIA.

1 *Matrimonium qualiter probetur, &c.*

2 *Solennitas extrinseca intervenisse non præsumitur.*

3 *Impedimentum etiam, quod à contrahentibus matrimonium ignoratur, facit liberos inde nasci illegitimos.*

4 *Habitum religiosorum per annum deferens, tacitè professum habetur.*

5 *Factum esse præsumitur, quod solitum est fieri.*

6 *Talis esse quis præsumitur, qualis ejus est habitus.*

7 *Notorium allegare sufficit.*

8 *Actus in ea, qua fieri debuit, ætate celebratus præsumitur.*

9 *Scire dicimur quod ab aliis audivimus, & num. 17.*

10 *Testi deponenti de eo quod sensu corporeo percipi nequit, fides non adhibetur.*

11 *Testis dictum necessario concludere debet.*

12 *Testes numero plures, digniores, & verisimilia deponentes plus probant quàm alij.*

13 *Ad legitimationem prolis non exigitur veritas matrimonij, sed alia etiam quavis colorata, ex bona tamen fide resultans possessio sufficit.*

14 *Constitutio pœnalis extendi non debet.*

15 *Introducta in favorem animarum, dilatanda sunt, ut animarum pericula evitentur.*

17 *Matrimonium in facie ecclesiæ, quando dicatur contractum, &c.*

18 *Ignorare factum proprium nemo præsumitur.*

VEnerabilis Domine Officialis: Tota difficultas hujus processus pendet principaliter super duobus punctis: Primùm est, an sufficienter constet, quòd quondam Elizabeth ante tempus nativitatis & conceptionis reæ causæ præsentis fuit monialis professa Ordinis sancti Benedicti à sede Apostolica approbati, & propterea matrimonium saltem legitimè contrahere non potuit, *juxta cap. unic. de vot. lib. 6.* Secundum est, an sufficienter ex actis constet, quod ipse quondam

dam Henricus, antequam cum ipsa Elizabeth prætensum matrimonium contraxisset, & ante conceptionem & nativitatem dictæ reæ, scivit dictam quondam Elizabeth fuisse monialem professam dicti ordinis sancti Benedicti. Ex his duobus probatis, sufficienter constat prefatam ream fuisse illegitimam prolem dictorum quondam Henrici & Elizabeth, etiam si ex actis sufficienter constaret matrimonium, etiam in facie ecclesiæ fuisse per eosdem contractum, quod tamen minimè constat ex actis: nam nullus testium deponit se interfuisse, ubi dicti quondam Henricus & Elizabeth matrimonium in facie ecclesiæ cum debitis solennitatibus intervenientibus contraxisse debuissent, & licet aliqui testes pro parte reæ pro-
1 ducti dicunt, quòd † dicti quondam Henricus & Elizabeth fuerunt tenti, habiti & reputati pro cõjugibus legitimis, & quod desuper fuit publica vox & fama, & sic secundum opinionem aliquorum *in cap. illud, de præsumpt.* possit præsumi matrimonium inter eos contractum: tamen nõ sequitur, quòd propterea sit probatum, eos in facie ecclesiæ matrimonium contraxisse, quia matrimonium etiam clandestinum dicitur matrimonium, & sic nõ sequitur necessario, contraxerunt matrimonium, ergo contraxerunt in facie ecclesiæ, & cum debitis solennitatibus, quia non probat hoc esse, quando ab hoc contingit abesse, *l. nõ hoc. C. unde cognati*, & *l. neque natales, C. de prob.* & sic, quia potest esse matrimonium sine illis solẽnitatibus, & absque hoc, quòd contrahatur in facie ecclesię, sequitur, quod non est probatum, matrimonium in facie ecclesiæ fuisse per
2 eos contractum: etiam ista † solennitas est extrinseca matrimonio, ergo non præsumitur intervenisse secundum *Bart in l. sciendum. ff. de verbor. oblig.* sed si aliqui contrahant matrimonium, non in facie ecclesiæ & cum debitis solennitatibus, ob-
3 stante impedimento legitimo, propter † quòd contrahentes de jure non possunt, tunc proles ex tali matrimonio procreata, est illegitima, etiam si parentes ambo ignorent, impedimentum subesse, *cap. cum inhib. §. si quis verò, de clandestin. desponsatio.* ergo à fortiori, si alter parentum sciret impedimentum subesse: cùm igitur indubitanter ipsa quondam Elizabeth scivit se esse monialem professam, quia in facto proprio non potest esse probabilis ignorantia: ergo ex isto capite ipsa rea deberet censeri illegitima, probato, quòd inter ejus parentes subfuit impedimentum legitimum. Quòd autem inter ipsius parentes subfuit impedimentum legitimum, videlicet quòd ipsa quondam Elizabeth mater ipsius reæ fuit monialis professa antequam cum dicto Henrico contraxisset, & ante conceptionem & nativitatem ipsius reæ, patet evidenter ex depositione tertiæ testis pro parte agentis productæ, quæ deponit quod moniales velatæ monasterij sancti Mauricij civitatis Coloniensis ante reformationem solent facere & emittere tria vota substantialia ordinis sancti Benedicti, & quòd ipsa Elizabeth mater reæ fuit una de monialibus velatis, ut patet folio 70. pag. 1. Cui concordat quarta testis, folio 82. pagina 2. & quod fuit monialis dicti monasterij velata, & pro tali tenta, habita, narrata, & reputata, & quod tales vestes detulit, deponit etiam quintus testis, ut patet fol. 93. pag. 1. cui concordat sextus testis, folio 100 pag. 2. & sic sufficienter constat ex præmissis testibus, quod dicta quondam domicella Elizabeth fuit monialis professa dicti monasterij. Præterea dicta quondam domicella Elizabeth portavit habitum dicti monasterij, in hujusmodi monasterio benè per spacium novem annorum vel circiter ut patet ex depositione tertiæ testis partis agentis, fol. 73, pag. 3, Cui cõcordat quarta testis,

4 folio 81.pagina prima, sed deferens † habitum religiosorum etiam novitiorum per annum, ubi non est distinctio habitus, sicuti est in casu nostro, de quo saltem ex actis constat, censetur tacitè professa. *Clemen. eos de regular.* quare sequitur, quòd dicta quondam Elizabeth, etiam si tria vota substantialia, expressè non emisisset, quòd tamen esset tacitè professa per delationem hujusmodi habitus, nedum per annum, sed etiam spatio annorum vel circiter, ut hujusmodi testes deponunt.

4 Præterea lex † præsumit factum esse, quod solitum est fieri, secundum *Dyn. consilio suo decimo tertio, qui ad hoc allegat l. de minore, §. tormenta. ff. de quæstio.* & *l. circa locationes, C. locat.* & *l. quod si nolit. §. quia assidua. ff. de ædilit. edict. cum multis aliis juribus*: sed domicellæ velatæ, ante reformationem dicti monasterij, solent vivere sub tribus votis substantialibus, ut deponit tertia testis partis agentis, folio 68. pagina prima, cui concordat quarta testis, folio 81. pagina secunda. Cùm igitur, ut suprà deductum est, ipsa domicella Elizabeth fuit velata ante reformationem dicti monasterij, sequitur, quòd ipsa tria vota substantialia emisit, quia hoc solitum erat

5 fieri, *per jura præallegata.* Præterea † qualis est habitus alicujus, talis esse quis præsumitur, *l. moveri, & ibi Bart.* & *Bald. C. si ser. expor. ve.* & *cap. si judex, de senten. excommun, lib. 6.* sed præfata domicella Elizabeth detulit & incessit in habitu monialium professarum dicti monasterij, ut nedum deponant tertia & quarta testes partis agentis, sed etiam quintus & sextus testes ejusdem partis agentis: Quare sequitur, quod ipsa debeat præsumi de jure fuisse monialis professa dicti monasterij: & quòd hujusmodi monasterium est Ordinis sancti Benedicti, deponunt quasi omnes testes pro parte agentis producti: qui ordo quòd est de religionibus à sede Apostolica approbatis, est

6 † notorium, & sic sufficit hoc solùm allegare, *juxta gl. in Clemen. appellanti, de appellatio,* & *jura infrà allegata.* Nec obstat, si fortè dicatur, quòd non constat ex actis, quòd dicta quondam Elizabeth, quando professionem fecit, fuit ætatis legitimæ: quia hoc præsumitur, quòd

7 quando † actus aliquis requirit certam ætatem, tunc jus præsumit illum actum fuisse in illa ætate, præsertim quando non est ætas negata per partem adversam, *secundum Panor.* & *Ioan. de Imo.* & *communiter Doct. in ca. in præsentia, de proba.* ex quo ergo jus hoc præsumit, non est necesse illud probare, sed solum allegato, quia præsumptio juris relevat ab onere probandi, licet non relevet ab onere allegandi: *secundum Bart. in l. rem alienam. ff. de pigno. actio.* & *Bald. in lecta. ff. si cert. petat.* & ideo pro parte agentis, illud quod jus præsumit, videlicet professionem esse factam in ætate legitima, est allegatum per partem agentem, ut patet folio 247.

Quantum verò ad secundum punctum principale, videlicet, quòd parentes dictæ reæ nedum ante conceptionem & nativitatem dictæ reæ, sed etiam ante tempus prætensi matrimonij per eos contracti sciverunt impedimentum subesse, ut probant tres testes pro parte agentis producti, videlicet quintus testis qui sæpe dixit quondam Henrico, quòd se abstineret à consortio dictæ Elizabeth, quia esset monialis professa, & hoc antequam cum ea matrimonium contraxisset, ut patet folio 93. pag. 2. cum folio sequenti, cui concordat sextus testis, folio centesimo tertio, qui deponit, quòd ipse Henricus fuit certioratus & avisatus per ipsum testem, quòd dicta Elizabeth erat monialis professa, & hoc accidit in anno octuagesimo secundo, & quod ipse recessit à Colonia in anno octuagesimo tertio: & sic fuit

fuit certioratus & avisatus per ipsum te-
stem, de dicto impedimento antequam
contraxit prætensum matrimonium cum
dicta Elizabeth, quia ut ponit pars rea in
sua positione secunda originali, præten-
sum prætactum matrimonium fuit con-
tractum anno octuagesimo quarto, ut pa-
tet folio cētesimo tricesimo quinto, pa. 1.
Et ipse Henricus scivit hujusmodi impe-
dimentum, deponit etiam octavus testis,
ut patet folio centesimo decimo octavo:
& sic ex istis constat, quod Henricus pa-
ter reæ scivit antequam contraxisset cum
Elizabeth præfata, matrimonium præ-
tactum, Elizabeth fuisse monialē profes-
9 sam, quia illud scimus † quod ab alijs au-
divimus, 22.*q*.3.*c.hoc videtur*, & *notat*
gl. in c.apostolicæ, de cler.excom.minist.
& debuit ipse Henricus abstinuisse à con-
tractu matrimonij propter avisationes
dictorum testium, ut notat *Bald. in l.si*
fundum, C.de rei vend. & *gl.ibid.* & ipsa
rea diu post prætactum annum 84. fuit
genita, ut confitetur pars rea, respondens
5. positioni partis agentis, ut patet fol. 28.
pag. 1. Nec præmissis obstat, quòd depo-
nit nonus testis pro parte rea productus,
qui dicit, quòd ante reformationem do-
micellæ dicti monasterij habebant propria
bona, & quòd poterant modum vivendi
relinquere, & ad seculum redire, & matri-
monium contrahere: nam non sequitur,
habebant propria utensilia, ergo non erāt
moniales professæ, imò poterant habere
usum illorum ex licentia abbatissæ, vel si
non intervenit licentia abbatissæ, hoc ha-
buerunt de facto & in damnum anima-
rum suarum: & sic hoc non tollit pro-
fessionem, quam omnes domicellæ velatæ
facere solent, ut deponunt tres testes par-
tis agentis, videlicet secunda, tertia &
quarta, etiam ante reformationem: sicuti
etiam vidimus in omnibus monasterijs
monialium non reformatarum, in quibus
moniales etiam professæ, habent propria
utensilia, & tamen sunt moniales profes-
sæ: & quod ulterius dicit dicta testis,
quod ante reformationem domicellæ po-
terant exire & matrimonium contrahere,
10 in hoc ipsi testi † non est fides adhibenda,
ex quo deponit de eo quod non potest
percipi per sensum corporeum, & sic te-
netur reddere causam dicti sui, etiam non
interrogatus secundum *Inno. quem sequi-*
tur Panorm. in cap. cum causam, primo de
testib. & *Bal.* & *Sal. in l. solā, C. de testib.*
quam causam saltem sufficientem nō red-
dit: & quamvis novit, ut dicit, duas do-
micellas quæ exiverunt dictum monaste-
rium & matrimonium contraxerunt, ta-
men non sequitur, quod hoc facere potue-
runt, quia possibile est hoc de facto fuisse
actum, & non de jure: etiam non depo-
nit hujusmodi testis, quòd tales domicel-
læ quæ exiverunt, fuerunt velatæ, sicuti
fuit dicta Elizabeth, & quòd tanto tempo-
re manserunt in monasterio, sicuti mansit
dicta Elizabeth: imò est possibile, quòd
fuerūt hujusmodi domicellæ in anno pro-
bationis, & quòd tunc ante lapsum anni
hujusmodi exiverunt: non ergo sequitur
necessariò ex depositione dictæ testis,
quòd duæ exiverunt & matrimonium
contraxerunt, quòd propterea hoc omnes
facere possent indifferenter. Cùm igitur
12 dictum † testis debet necessariò conclu-
dere, *cap. in præsentia, de probat.* & dictū
istius testis non necessariò concludit, quia
potuerunt hujusmodi duæ domicellæ quæ
exiverunt, exivisse ante annum probatio-
nis completum, sequitur quòd hujusmodi
testis non obstat parti agenti, præsertim
ex eo quòd dicit iste testis, quòd nō inter-
fuit, ubi dictæ domicellæ exeuntes, pro-
fessionem fecerunt, ut patet folio 127. &
propter præmissa etiam non est creden-
dum testi decimo partis reæ, qui etiam
solùm deponit per audire dici. Nec etiam
est credendum undecimę testi partis reæ,
quia ipsa est sibi ipsi contraria, quia fol.

233. pag. 2. dicit, quòd interfuit, ubi tres domicellæ fuerunt velatæ, & illa velatio fuit eorum professio, & quòd aliquæ ex hujusmodi domicellabus exiverunt & matrimonium contraxerunt, & posteà folio 234. pag. 1. dicit eadem testis, quòd non interfuit, ubi moniales illæ, quæ sic exiverunt, suas fecerunt professiones, quæ duo sunt contraria, quia primò deponit quòd interfuit professioni, & postea dicit, non interfuit. Item primò dicit, quòd non recordatur de nominibus domicellarum quę fuerunt velatæ, & postea dicit, quòd inter illas quæ exiverunt, fuit una domicella de Jovenich. Item ista dicit, quòd nunquam scivit, tempore quo ipsa habitavit in dicto monasterio, ibidem aliquam velatam fuisse in anno probationis, sed postquam erant velatæ, dicebantur moniales. Cùm igitur dicta Elizabeth fuit velata, ut deponunt tres testes partis agentis, videlicet secunda, tertia, & quarta: sequitur quòd ipsa fuit monialis, ut dicit ista testis, & sic ipsa exire non potuit aut matrimonium contrahere: etiam hujusmodi testis est in dictis suis omnino singularis, nullum habens contestem in hoc, quod deponit, quòd velatæ exiverunt & matrimonium contraxerunt, quia hoc nullus alius testis deponit.

Nec etiam obstat depositio duodecimi, quia ille solùm deponit, quòd scivit quãdam domicellam Margaretam, relicto dicto monasterio, contraxisse cum quodam domicello Johanne Spoer, sed non deponit quòd dicta domicella fuit velata, vel quòd mansit ibidem ultra annum probationis: potuit enim relinquere monasterium in anno probationis, & sic ejus dictum non necessariò concludit, professas posse exire & matrimonium posse contrahere, quare ejus testimonium non obest, *dicto cap. in pręsentia.* Et propter eandem rationem non obstat depositio decimi tertij testis, & magis venit credẽdum testibus partis agentis, quàm testi-
12 bus partis reæ, cùm † sint numero plures, digniores, & verisimiliora deponentes, *cap. in nostra, de testibus*, & *l. ob carmen*, *§. fin. ff. eodem titulo.* Cùm igitur dicta Elizabeth fuit monialis professa antequam cum Henrico contraxit prætensum matrimonium, & ipse Henricus hoc scivit, sequitur quòd etiam si matrimonium hujusmodi esset contractum in facie ecclesiæ, & cum debitis solennitatibus, quòd ipsa rea de jure debeat censeri illegitima, ex quo ambo parentes sciverunt impedimentum subesse, *dicto cap. cum inhibitio. §. si verò vers. proles pari modo.* Nec huic decisioni obstat *cap. ex tenore, qui fi. sunt*
13 *legit.* ubi habetur, quòd † ad legitimationem prolis nõ exigitur veritas matrimonij, sed sufficit quasi possessio colorata, resultans ex bona fide alterius conjugum. Quia respondeo & dico, quòd *d. cap. ex tenore* procedit duobus concurrentibus, scilicet, quando alter conjugum ignorat impedimentum, & quando matrimonium fuit in facie ecclesiæ contractum, quorum utrumque deficit in casu præsenti, quia uterque scivit impedimentum subesse, & ex actis non constat, matrimonium in facie ecclesiæ fuisse contractum, ut suprà deductum est, quare non obstat. Non obstant etiam præmissis *nota. per Goffre.* & *Vincen. in d. c. ex tenore*, ubi vo-
14 lunt, quod dato, quòd ambo † parentes sciant impedimentum, tamen si in facie ecclesiæ contraxerunt, proles est legitima, quando subest impedimentum aliud ab impedimento consanguinitatis, de quo *in d. cap. cum inhibitio, de clande. despon.* vel aliud impedimentum ab illo, de quo *in d. c. ex tenore*, ut est in casu præsenti: & moventur subtili ratione, quia ex quo constituto *d. c. cum inhibitio* est odiosa, quia pœnalis, & loquitur solùm in impedimento consanguinitatis, non est extendenda, *regula odia*, & *regula in pœnis, de regul.*

regul.juris,lib.6. Quia respondeo & di-
co, quòd licet *Goffre.* & *Vincen.* ita te-
neant, ut prætendit argumentum, tamen
contrarium & rectius tenuerunt ibidem
Hostien.Ioannes And. Anton. de Butrio,
Card.Panorm.Præpositus & *Doctor.poste-*
15 *riores.* Nam ex † quo constitutio *d. cap.*
fina. inducta est in favorem animarum, id-
eo dilatanda est, ut animarum pericula vi-
tentur, & generaliter intelligenda est in
omni impedimento canonico, cui partes
renunciare non possunt, licet videatur o-
diosa & pœnalis, & quia dicta ultima o-
pinio est communis, non debet in judi-
cando ab ea recedi, juxta *not.per Io.And.*
Panor. & *Doct.in cap.* 1. & *in cap. ne in-*
nitaris, de consti. & *per Bart.in l.fi, C.de*
pœn.jud.qui malè jud. præterea dato,
quòd opinio *Goffre.* & *Vincen.* esset vera,
prout non, tamẽ quia nõ constat ex actis,
16 matrimonium † in facie ecclesiæ esse cõ-
tractum, ut suprà dixi, prout *Innoc. Host.*
& *Io. And.* intelligunt matrimonium in
facie ecclesiæ contrahi, *d.cap.ex tenore,* &
in d.cap.cum inhibitio, nihil suffragatur
eorum theorica, nec in aliquo obstat, nec
proles est favorabilis, ex quo concurrit
canonicum impedimentum, nisi matri-
monium fuerit in facie ecclesię contractũ,
ut probat *text.in d.c.ex tenore,* & *in d.c.*
17 *cum inhibitio,* cùm ergo dicatur † quis pro
certo scire illud, quod ab aliquo fide di-
gno audivit, ut volunt *Dom.* & *Præposit.*
in d.c.de capitulis 10. *dist.* & *est gl. in l.*
Titio fundus.ff.de cond. & *demonst.* & *gl.*
in c.cupiente in prin. super verbo, noti-
tiam, *de electio.lib.7.* patet, quòd Henri-
cus à pluribus fide dignis certioratus,
quòd ipsa domicella Elizabeth, fuit mo-
nialis professa, ut patet ex actis, illius cer-
18 tam notitiam & scientiam habuit, † ipsa
autem factum proprium ignorare non
potuit, *c.ab excommunicato, de rescript.* &
uterque scivit impedimentum subesse, &
per consequens detecto jam impedimen-
to, proles ex hujusmodi matrimonio nul-
lo nata, declaranda est illegitima, propter
notitiam, quam de hujusmodi impedi-
mento habuerunt ambo parentes, etiam
si constaret ex actis hujusmodi matri-
monium in facie ecclesiæ fuisse contra-
ctum, prout tamen non constat, ut dixi:
quare etiam sequitur juxta conclusionem
libelli partis agentis, per dominationem
vestram fore pronunciandum, vestro ta-
men judicio saniori, cui Deus adsit, sem-
per salvo.

CONSILIUM CVII.

SVMMARIA.

1 *Agens possessorio recuperandæ si longissimam possessionem liquidò probavit, obtinere debet.*

2 *Spoliatus, contra quem est jus commune, non restituitur nisi de possessione, spolio & titulo possessionis doceat.*

3 *Capellani ecclesiæ possunt præscriptione acquirere jus eligendi.*

4 *Ex possessione recenti bona fides vel justus titulus non præsumitur.*

5 *Titulus justus præsumitur ex probatione possessionis tanti temporis de cujus initio non est memoria.*

6 *Nemo suum jactare velle censetur.*

7 *Incertitudo & impossibilitas excusant non exprimentem causam specialem.*

8 *In antiquis sola probatio per famam sufficit.*

9 *Antiquum quodnam dicatur, &c.*

10 Prov

10 *Probatio dubia non relevat.*
11 *Testes plures & digniores alijs sunt præferendi.*
12 *Testes minus specifice deponentes supplentur per alios suos contestes.*

VEnerabilis domine Officialis, visis actis & actitatis coram vobis habitis, per & inter Dominum Ioannem Delmoth, Capellanum capellaniæ sancti Iohannis Euangelistæ, sitæ in Ecclesia parochiali de Yscha superiori, actore ex una, & Dom. Iohannem de Ascha curatum ejusdem ecclesiæ reum ex altera, videtur mihi subscripto, quòd actis ejusdem causæ attentis, debet pro ipso domino actore & contra reum pronunciari. Nam
1 ex † actis & confessione rei constat, actorem fuisse & per plures annos ante inchoationem litis, & adhuc esse capellanum dictæ capellaniæ S. Iohannis Euangelistæ, cujus nomine possessorio agit, de quo etiam si plenariè id constaret, sed duntaxat semiplenè, adhuc tamen ipse obtinere deberet, etiam si ipse nunquam in possessione vel quasi recipiendi articulata fuisset, sed duntaxat ejus prædecessor dũmodo ipse diu in possessione beneficij fuisset, & talis reputatus, ut est decisio *Rotę 4. in novis, quæ incipit, possessor beneficij*, cùm ergo de hoc constet & agatur possessorio recuperandæ, quod est multùm favorabile in spoliantis odium, debet dictus actor probata longissima possessione articulata & spolio, prout ea liquidissimè probata sunt per acta obtinere, *c. querelam, in fi. de elect. c. in literis*, & *per totum de restit. spoli.* & *c. cum ecclesia Sutrina, de causa poss. & proprie. cum infinitis similib.* Contra præmissa tamẽ fortiter videtur obstare *c. ad decimas, de resti. spol. li. 6.* ubi prima facie videtur esse casus in terminis contra actorem. Nam illic di-
2 citur quòd spoliatus, † contra quem est jus commune, non restituitur, nisi doceat de possessione, spolio, & titulo possessionis: nec juvat præscriptio, etiam cum bona fide hoc casu, nisi allegetur & probetur titulus, *cap. 1. de pręscriptio eodem lib.* modò in casu præsenti actor agit, ut restituatur ad possessionem, vel quasi percipiendi tertiam partem oblationum ad altaria dictæ ecclesiæ, & in certis festis in actis dignitatis in dicta ecclesia obvenientium, ac ad tertiam partem medietatis oblationum in trunco ejusdem ecclesiæ poni consuetarum, quo casu jus commune est pro reo curato & contra actorem, ut est bonus textus *in cap. pastoralis*, & *ibi hoc volunt Ant. de But. Ioan. de Imol. Panorm.* & *Doct. de his quę fi. à præla.* & *Doct. in Rubrica de parochijs*: ergo videtur, quòd actor in casu præsenti non venit restituendus, ex quo nullum titulum possessionis probavit, quemadmodum *in d. cap. ad decimas*, Canonici spoliati non fuerunt restituti, ex quo de titulo non docuerunt, & ponitur ibi ratio in tex. quia quando jus commune est contra aliquem, tunc præsumitur verisimiliter illud injustè occupasse. Ad quod motivum prima facie multum apparens, respondeò multipliciter. Primò, ut in simili respondet *Ioan. And. in d. c. cum ecclesia Sutrina, ante finem.* & *in d. c. ad decimas, in novella: quem etiam sequitur ibi Dominicus circa finem*, videlicet, quòd quamvis præscribere contra curatum, quòd ipse oblationes vel decimas non recipiat, sed præscribens sit contra jus commune, tamen præscribere, quòd ego unà cum curato recipiam decimas vel oblationes in sua parochia, non est contra jus
3 commune: sicut in simili, quamvis † præscribere, quod canonici non eligant, sit contra jus commune, tamen præscribere quod unà cum canonicis capellani ecclesiæ eligant, non est contra jus commune,

ut vo-

ut volunt *Doct. in passibus supra allegatis*, quo fundamento stante, cessat theorica sumpta *ex d.cap,ad decimas,* & *ex d.ca.* 1. ex quo jus commune in casu præsenti non est contra agentem, ut deduxi. Secundò respondeo aliter, & dico, quòd etiamsi præmissa cessarent, tamen adhuc non obstat *d.cap.ad decimas,ex alio:* quia *in d. c. ad decimas*, canonici succubuerunt, quia allegarunt decimas sitas esse in parochia alterius, & se illas aliquamdiu possedisse, & nunc spoliatos esse, quia ergo jus commune ex propria confessione erat contra eos, & ipsi allegabant se solùm aliquamdiu, hoc est, pauco tempore illas possedisse, & spoliatos esse, debebũt succumbere:
4 quia ex † tali recenti possessione, non præsumitur bona fides, nec justus titulus, sed requiritur longa. *l. possideri. § cùm servus. ff. de acquiren. possess.* & *vult Inno. in c. 2. in 4. col. de in integ. restit.* & *decis. Rotę suprà allegata:* sed in casu præsenti, dato etiam sine præjudicio, quòd jus commune esset contra actorem, prout non est, ut suprà deduxi: tamen quia ipse actor allegavit & probavit se & prædecessores suos nedum longo, sed longissimo tempore fuisse in possessione, vel quasi recipiendi quotam oblationum cum curato, ut in suo libello latius declaratur, debet obtinere: primus enim, tertius quartus, & octavus testes deponunt de possessione 30. annorum: secundus & sextus, de possessione 40. annorum, septimus autem & decimus, de possessione quinquaginta annorum, & quòd ita à suis senioribus semper observatum fuisse audiverunt, ut ex dictis dictorum testium perspicuè liquet: debet ergo ipse actor obtinere hanc limitationem ad *d. cap. ad decimas, tradunt ibi Ioan. And. in novella, Dominicus, Philippus Franc.* & *alij.* Et ratio istius est, quia ex longa possessione, & fortius ex longissima præsumitur bona fides & justus titulus, *per suprà allegata.* Tertiò respondeo aliter, & dico, quòd dicta objectio non obstat, quia actor in suo libello articulat possessionem tanti temporis, de cujus initio non est memoria, quam etiam, ut dixi, clarè probavit: ipse etiam actor in suo libello articulat, se & prædecessores suos ex legitimo titulo hujusmodi oblationes, vel quotam olbationum articulatam recepisse, modò ita est, quòd licet actor hujusmodi ti-
5 tulum non probet, tamen ex † probatione possessionis tanti temporis, de cujus initio non est memoria, titulus allegatus præsumitur. *l. cùm de in rem verso. cum ibi nota. per Bart. ff. de usu.* & *nota. per Ioan. And. Panor.* & *canonistas in c. pervenit, de censi.* & *probat text. in d. c. 1. in fi.* cursus enim tanti temporis, de cujus initio non est memoria, habet vim tituli, ut *ibi, in l. hoc jure. §. ductus aquæ, ff. de aqua quoti.* & *æsti.* & *c. super quibusdam, de verbo. signif. cum similibus.* Nec obstat, quòd non specificatur causa, quia
6 præsumptio † hoc casu est pro petente, cùm non sit verisimile, oblationes tanto tempore sine causa per dictum actorem, & suos prædecessores patientibus curatis fuisse receptas, *argum. l. cùm de indebito. ff. de proba.* & *cap. super hoc: de renun.*
7 Item † certitudo & impossibilitas meritò excusat hoc casu non exprimentem specialem causam, secundum *Ioan. And. in d. cap. pervenit in præsenti*, & *ibi Panor. in 2. col.* dicit hoc tenendum mente, quia quotidianum, per quod multa monasteria in suo jure defendi possunt, imò
8 † in antiquis, sola probatio per famam sufficit, *ut vult Innoc. in c. veniens, de verb. sign. lib. 6.* & *Bald. in Auth. quas actiones, ante finem. C. de sacros. eccles.* & *idem Bald. in l. cùm super C. de rei vendic.* sicut in simili verba enunciativa, etiam incidenter prolata in antiquis plenè probant, *secundum Bald. Salicet.* & *Modernos in l. cum aliquis. C. de jure deliber.* &

est bonus text. in c. cùm causam, de probat & *glos. ordinaria*, & *ibi canonistæ in cap. cùm olim, de censib.* & sumus in antiquis,
9 quando † excedimus quadraginta vel quinquaginta annos, ut in casu præsenti, ita vult notabiliter *Anton. de Butr. in cap. veniens*, I. *de testibus*, & *sequitur Alex. de Imo. in consilio* 4. *secundi voluminis, circa medium*, vel saltem hoc est arbitrio judicis relinquendum, *secundum eum ibidem*, & *idem firmat ipse Alexand. in consilio* 70. *tertij voluminis, incipiente, in casu vertente*, &c. & *Francisc. de Aret. in consilio suo trigesimo sexto, incipiente, casus talis est, presupponitur in facto*, &c. & sufficit hoc casu, quòd testes deponentes excedant quinquaginta quatuor annos, ita quòd de quadraginta annis possint deponere de visu, & de reliquis annis de auditu. ut vult *Lapus Abbas in d. cap.* I. *quem refert* & *sequitur Dominicus in quarta colum.* patet ergo clarè, quòd dicta objectio non obstat, licet prima fronte videatur multum apparens. Non obstant etiam depositiones testium pro parte dicti rei productorum, quia omnes testes rei nihil cõcludenter deponunt in favorem, ejus dempto septimo & octavo, qui aliquid dicere videntur: non enim sequitur, ipsi non viderunt, ergo ita non est, & sic depositiones illæ non suffragantur, cum
10 † dubia probatio non relevet, *cap. in presentia, de probat. cum similibus*, imò secundus testis pro parte rei productus, multum facit, pro actore in quantum dicit, quòd actor & sui prædecessores semper fuerunt in possessione levandi oblationes modo articulato. Nec obstant septimus & octavus testes, quia licet contra eos nihil specificè sit exceptum, ut ipsi conentur deponere se vidisse, quòd quondam Dominus Wilhelmus Meys curatus omnes oblationes extra quatuor principalia festa anni solus percepit, tamen inter se discrepant, quia septimus dicit, quòd in festo crucis & parasceves capellanus sancti Iohannis Euangelistæ debet habere tertiam partem: octavus autem de hoc dicit se nihil scire deponere: & quantum ad principale dato, quòd bonam, & cõcludentem scientiæ causam redderent, prout non, tamen quia † in casu præsenti dicti duo 11
testes discrepant à testibus actoris, qui sunt longè plures numero, & æquè vel magis honesti, cùm hinc inde nihil specialiter reperiatur exceptum in eos, debet in hoc casu, in hac causa possessoria stari potius depositionibus testium pro parte dicti actoris productorum, quàm depositionibus testium pro parte prefati rei productorum, *juxta ea quæ habentur* & *notantur in cap. nostra, de testib.* & *in l. ob carmen ff. de testib. cum similib.* attento maximè quod dictus septimus testis infrà vigintiquinque annos & ultrà, non resedit iu dicta parochia de Yscha superiori, ut ex depositione ejus patet, à quo tempore citra nedum longum, sed longissimum tempus effluxum est: attento etiam, quòd ambo deponunt de tempore quondam domini Wilhelmi Meys, & non de tempore citeriori, & quo tempore citra fuerunt quam plures curati, ut ipse reus in suis propositis antè publicatis articulavit, & sic valdè multi anni ab eo tempore citrà effluxerunt, de quibus ipsi minimè deponunt: testes autem pro parte actoris producti, clarè de illis annis deponunt, & etiam de tempore quondam Domini Wilhelmi Meys, quare eis potius est standum per suprà dicta, & licet † aliqui 12
testes non specificè deponant de quota recipi consueta per actorem & suos prædecessores ex trunco, ut primus, quartus, septimus, octavus, & decimus testes actoris: tamen alij testes, puta secundus, tertius, quintus, sextus, nonus, & undecimus actoris testes clarè de hoc deponunt,

nunt, unde alij testes supplentur per illos, ut est *text. notabilis in cap. cùm Martæ, de celebra. miss. quem ad hoc notat Panor. ibi, in tertio notab.* Ex quibus concludo, pro actore & contra reum esse pronunciandum.

CONSILIUM CVIII.

SVMMARIA.

1 *Promittens factum alienum, non obligatur.*

2 *Debitum non liquidum remitti potest per tutorem, & præjudicatur pupillo.*

3 *Tutor remittẽs debitum liquidum sibi solum & non pupillo præjudicat.*

4 *Promittens alium habiturum ratum videtur promittere se curaturum & facturum quod ita fiet.*

5 *Premissio facti alieni quando valeat, &c. & num. 6.*

QUidam A gerens se pro tutore seu administratore bonorum quorundam pupillorum, fecit compositionem quandam cum debitore eorundem condemnato finaliter eorum patri dum vixit in magna quantitate, & promisit debitori pro sua securitate in manibus notarij legitimè, stipulantis dictos pupillos daturos quitantiam talem qualem ipse dedit, & ratificaturos, ratum habituros compositionem per eum factam, illamque dari, tradi, seu deliberari facere infrà certum expressum terminum, pro cujus adimpletione etiam dedit fidejussorem, qui se pro eo solenniter per stipulationem obligavit. Quæritur modò, an ex dicta promissione oriatur actio contra dictum A. promissorem & ejus fidejussorem non procurata quitantia vel ratificatione pupillorum in forma debita infra tempus præfixum. Et videtur prima facie, quòd
1 non, † quia dictus A videtur promisisse factum alienum, & sic non obligatur. *l. stipulatio ista, in princ. ff. de verbor. obligat.* & *§ si quis alium, Institu. de inuti. stipu. cum sim.* & per consequens fidejussor qui pro eo intercessit non obligatur, quia accessoria obligatio non subsistit, non subsistente principali. *l. cùm lex,* & *l. Marcellus,* & *ibi nota. ff. de fidejus. cum simil.* Istis tamen non obstantibus dico breviter, contrarium esse verum, pro cujus intelligentia præmitto primò, quòd
2 licet † debitum non liquidum, posset remitti per tutorem vel administratorem, & præjudicetur pupillo, quando probationes deficiunt, ut est *gl. ordinaria singularis in l. contra juris civilis generalis, in §. si filius, in fin. ff. de pact.* & *probatur in l. mediterraneæ,* & *ibi Bart. C. de anno.* & *tributis lib. 10.* tamen debitum liquidum non potest per administratorem remitti in præjudicium pupilli, *ut volunt Doct. moderni in juribus præall.* & *in l. præses, ubi bonus tex. C. de transact.* Secundò præmittitur, quòd licet in præjudicium pupilli non valeat remissio debiti liquidi facta per administratorem, ut prædixi,
3 tamen in præjudicium † remittentis, ut teneatur ei, cui remissionem fecit, & cum quo contraxit, benè valet hujusmodi remissio, sicut valet vẽditio vel legatum rei alienæ in præjudicium vendentis vel legãtis, *l. rem alienam. ff. de contrahen. empt.* & *§ non solùm. Instit. de legat. cum simil.* Quibus præmissis deduco, quòd ex dicta promissione nata est actio ad interesse contra dictum A. & ejus fidejussorem, medijs infrà scriptis, primò, quia si benè ponderentur verba instrumenti, patet clarè quod dictus promissor non promisit factum alienum, sed proprium: nam

promisit facere, dari, tradi, seu deliberari
quitantiam, & facere ratificari gesta per
eum. Modò promittens se facturum vel
curaturum, ut aliquid fiat per extraneum,
benè tenetur & obligatur, ut in dictis ju-
ribus, ergo, &c. Secundò, dato, quòd re-
vera dictus A promisisset factum alie-
num, & quòd verba ita sonarent, prout
tamen non sonant, si benè ponderentur,
4 benè adhuc ipse obligaretur, quia † spe-
ciale est in cautione rati, quòd si pro-
mittatur alium ratum habiturum, va-
let promissio, quia talis videtur promit-
tere, se curaturum & facturum, quòd ita
fiet, *l. quotiens quis, secundum verum in-
tellectum. ff. de verbor. oblig.* & *vult Paul.
de Cast. in d. l. stipulatio ista in princip.*
maximè quando promittitur impersona-
liter, ut factum est in causa, quia promisit
facere, dari, tradi, seu deliberari quitan-
tiam & ratificari gesta, ita volunt *Pet.* &
Cyn. in l. 1. in 7. questio. C. de procura. ubi
satis plenè de hoc, imò etiam in terminis
nostris, quando etiam personaliter pro-
mittitur, aliquem ratum habiturum abs-
que pluri, tenet obligatio, ut est *text. ex-
pressus, qui dat hanc formam in l. si fine, in
§. si in stipulatione,* & *in l. procurator cùm
peteret. ff. rem ratam habe. vult gl. in d. §.
si quis, quem in pluribus passibus secutus est
Dynus,* & *idem voluit Iac. de Aret. ut re-
fert Cyn. in d. l. 1. in 7. quest.* Tertiò, i-
5 stud probo, quia regula est, quando † a-
lius contractus præcedet cautionem rati,
vel habere licere, ex quo contractu ca-
vens erat obligatus, cessante etiam cau-
tione ad hoc, ut alter impedimentum
non præstaret, valet tunc promissio facti
alieni. *l. emptorem. §. qui autem. ff. de a-
ctio empt.* & *volunt Paul. de Cast. Ioan. de
Imol. Alexand.* & *Doct. in d. l. stipulatio
ista, in princip.* Cùm ergo dictus A. abs-
que hujusmodi cautione rati ex primo
suo contractu celebrato cum debitore
dictorum pupillorum, quo fecit cum eo
compositionem super debito, obligatus
fuit ad procurandum, ut alter impedi-
mentum non præstaret. Nimirum si po-
tuit hoc expressè deducere in pactum &
promittere, *d. l. emptorem. §. qui autem.*
Quartò, istud probo ex alio, quia hæc
cautio rati tendit ad corroborationem
alterius obligationis factę per dictum A,
promissorem, ut est per se notum. Iam ita
6 est, quòd quando † factum alienum ten-
dit ad corroborationem obligationis fa-
ctæ per promissorum, tunc valet promis-
sio: nam videtur tunc in dubio quis pro-
mittere se facturum & curaturum, *text.
est notabilis,* & *ibi hoc notant Bart. Paul.
de Cast.* & *Doct. in l. qui autem, in §. si* &
si quis. ff. de constit. pecu. & *volunt Paul.
de Cast. Ioan. de Imola, Alexan.* & *Doct.
in d. l. stipulatio ista,* & *Bald. in Rubric.
C. de consti. pecu. in ultima colum.* Ex
quibus omnibus concludo, ex dicta pro-
missione actionem competere ad inter-
esse cõtra dictum A. & ejus fidejussorem.

CONSILIUM CIX.

SUMMARIA.

1 *Redditus ecclesiæ administrator ad vitam alicujus concedere non potest.*
2 *Solennitates extrinsecæ in antiquis intervenisse præsumuntur.*
3 *Res de facili ad suam redit naturã.*
4 *Claus. petens jus dici & justitiam ministrari, &c. in libello quid operetur, &c.*

PRæstantissime domine Doctor, licet
exceptio pro parte religiosorum vi-
rorum Abbatis & Conventus de Berne,
judicialiter exhibita contra Wilhelmum
van Bouchout videatur prima facie rele-
vans

1 vans & admittenda propterea † quæ habentur & notantur *in Clem. 1. de reb. eccles. non alie. cum similib.* tamen videtur mihi sub correctione vestra, non admittenda, ex multis capitibus. Primò, quia redditus, de quo est quæstio, emptus est ad vitas aliquorum duntaxat, & sic non est perpetuus, & talis, in quo requiruntur solennitates *dictæ Clem. 1. secundum aliquos Doctor. relatos per Card. in d. Clem. 1.* & *latius per Lau. de Rudolphis in repetitione c. sine exceptione, 12. q. 2.* & hæc opinio innititur æquitati, licet plures Docto. teneant contrarium. Secundò, à tempore celebrati contractus effluxit longissimum tempus, puta 40. annorum, & amplius, & sic sumus in antiquis, *secundum Antonium de Butrio in c. veniens, 1. de*
2 *test.* Modò ita est, quòd in antiquis † solennitates etiam extrinsecæ præsumuntur intervenisse, etiam si non enuncientur, ut vult *Felin. plenè in c. Albericus circa finem, de testib.* & multò fortius quando sunt enunciatæ, secundum eum, & alios per eum ibidem relatos, modò in literis constitutionis pensionis narratur & enunciatur, quòd consensus & licentia superioris intervenit, ergo id debet præsumi. Tertiò, quia intervenit confirmatio ordinarij passata annis quadraginta, & pacifica possessio, vel quasi recipiendi tam longissimo tempore 40. annorum, quæ confirmatio ordinarij videtur sufficere hoc casu, attento, quòd Præmonstratenses non sunt exempti ab ordinario in corpore juris, ergo probabiliter hoc ignoravit genitor dicti Wilhelmi cōtrahens cū dictis Abbate & Conventu, & per consequens etiam probabiliter stetit contentus confirmatione ordinarij, maximè cùm exemptus posset in ordinarium consentire, non obstante privilegio exemptionis,
3 cùm † de facili res redeat ad naturam suam, secundum *Bald. & Paul. de Castro, in l. si quis in conscribendo, per illum text. C. de episcop. & cleric.* Quartò, videtur inepta exceptio ex eo, quòd non articulatur de usu privilegij exemptionis, vel cui ipsi sunt subjecti: *juxta decisionem Rotæ 243. in novis.* Quintò, in libello
4 † actoris narrantur, tàm ea quæ concernunt possessorium, quàm ea quæ concernunt petitorium: & in eo est clausula illa, petens in & super præmissis jus dici & justitiam ministrari, quæ clausula est tantæ efficaciæ, quòd etiam si expressè concludatur in petitorio subjecta dicta clausula, poterit vigore ejus pronunciari in possessorio, ut *vult Panormitanus post Ioan. Cald. in cap. 2. de ordin. cog. in 25. col.* Sed in possessorio hæc exceptio est notoriè inepta, *per cap. querelam, in fin. de elect. cum similib.* ergo debet rejici. Nec præmissis obstat *cap. ad decimas, de restitut. spol. lib. 6.* quia illud non procedit, quando articulatur & probatur longa possessio ante spolium, *secundum Ioan. And. in novella, Dominic. & Philippum Francum ibidem,* & sic multò magis *dict. cap.* non procedit, probata longissima possessione. Ex quibus videtur dicta exceptio rejicienda, & ad expeditionem causæ esse procedendum: judicio vestro, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM CX.

SUMMARIA.

1 *Exceptiones privilegiatæ, litis contestationem impedientes, quæ sint, &c.*

2 *Plures habens præsentationes alijs præferendus est.*

3 *Cessante ratione legis, cessat & ejus dispositio.*

4 *Exceptio rei judicatæ ut obstet, requiritur quòd sint eædem personæ.*

5 *Litis extinctio non fit nisi per sententiam diffinitivam, quæ in rem judicatam transivit.*

6 *Litigiosa non efficitur res, nisi agatur de dominio.*

7 *Electio lite pendente facta non valet.*

8 *Litis pendentia per solam inducitur citationem,*

9 *Res inter alios judicata non habenti actionem neque prodest neque nocet.*

Reverende Pater, ad finem, ut paternitati vestræ constare possit, quod dominus Cornelius reus causæ præsentis, libello pro parte Leonardi Laurentij exhibito, respondere teneatur: non obstante exceptione pro parte dicti Domini Cornelij exhibita, placeat attendere,
1 quòd † hujusmodi exceptio, etiam si obstare posit, prout non obstat, ut infrà clarè deducetur: tamen non impediret litiscontestationem, cùm non sit de exceptionibus privilegiatis, de quibus fit mentio *in cap.* 1. *de litiscontest. lib.* 6. Non enim est exceptio rei judicatæ, cùm nulla sit sententia lata contra ipsum Leonardum, ex quo sententia per Decanum & Capitulum lata est, per paternitatem vestram declarata nulla, nec est de re fienda, ut de se patet, nec de re transacta. Quare sequitur, quòd hujusmodi exceptio, de jure litiscontestationem impedire non potest.

Quòd autem hujusmodi exceptio non obstat, patet, quia si hujusmodi exceptio obstaret, hoc esset propter *c. ut quis duas, de elect. lib.* 6. sed hujusmodi c. non habet locum in duabus † præsentationibus à di-
2 versis patronis factis: quod patet, quia ratio *d. c.* est, quia non potest quis habere jus de duabus electionibus, ut ibidem dicitur, & sic secundum *gloss. ibidem*, si una valet, altera valere non potest: sed hujusmodi ratio cessat in duabus præsentationibus à diversis patronis factis: quod patet, nam ponamus, quòd jus patronatus spectat ad A. B. C. sicut spectare potest, quando sunt plures heredes, *Cle. fi. de jur. patro.* A. præsentat Titium, & B. præsentat Seium, uterque eorum ante præsentationem ipsius C habet jus ad rem, quia jus patronatus est in solidum apud plures hæredes seu patronos, secundum *gl.* & *communiter Doct. in cap.* 1. *de jure patro.* Si modò C. præsentat dictum Titium, jam dictus Titius acquirit jus novum ex ipsius C. præsentatione, unde ipse Titius debet præfato Seio præferri, ex quo habet duas præsentationes, & Sejus nisi unã, *de jure patr. c.* 3. & non solùm per hujusmodi presentationem per ipsum C. factã, acquirit ipse Titius jus prælationis, sed etiam aufert ipsi Seio jus gratificationis: quia si ipse C. non præsentasset præfatum Titium, locus fuisset gratificationi, quæ cessat ex præsentatione ipsius C. potest ergo quis habere jus ex duabus præsentationibus à diversis patronis factis licet nõ
3 ex diversis electionibus: & sic † cessat ratio *dict. cap. ut quis duas*, ergo debet cessare ejusdem cap. dispositio. *l quod dictum. ff. de pactis.* Nec obstat illud, quod dicit Lapus allegatione sua octava, quia loquitur in alio casu omnino diverso, ponit enim casum in eo, qui est præsentatus ab uno, & ad ejus præsentationem institutus, & sic est ei jus plenum & acquisitum, & sic aliud jus eidem acquiri non potest ex nova præsentatione per eundẽ facta. Etiam si ipse ponit casum in præsentato bis ab eodem, in effectu, quod non est in casu nostro: Etiam ipse ponit casum, quando adversarius voluit, quòd ipse eligeret, quod etiam in casu nostro non est factum: & quanquam hoc pars adversa alleget fuisse factum, tamen hoc nun-

nunquam in veritate comperietur, quòd pars hoc ipsi Leonardo opposuit, & sic videtur, quod *d.cap.ut quis duas*, & prætacta allegatio Lapi, non obstant, quin ipse reus deberet & teneretur respondere libello pro parte dicti Leonardi exhibito. Nec obstat quod dici posit, quòd articuli jam dati pro parte Leonardi, in causa contra Martinum, fuerunt per Decanum & Capitulum rejecti, quæ sententia transivit in rem judicatam: quia licet hoc verum foret, tamen in hac causa jam inter dictum Leonardum, & quendam Dominum Cornelium, coram paternitate vestra pendente, non potest obj-
4 ici: quia ad hoc † ut obstet exceptio rei judicatæ, requiritur, quòd sint eædem personæ, *l.cum quæritur.cum duab. ll.seq. ff.de excep.rei jud.* sed hic sunt diversæ personæ, quia in prima causa fuit Martinus, & in ista causa est Dominus Cornelius. Nec etiam obstat, si dicatur, quod ipse Dominus Cornelius habet causam à dicto Martino, quia in beneficialibus non est hæres, nec ab eo habuit causam, nec habere potuit, quia tempore resignationis factæ per dictum Martinum, & tempore collationis factæ dicto domino Cornelio lis pendebat adhuc inter dictum Leonardum & præfatum Martinum, quæ
5 non fuit extincta: quia extinctio † litis non fit, nisi per sententiam diffinitivam, quæ in rem transivit judicatam, secundum *dominos de Rota decisione 415. in novis*, quæ in causa præsenti non intervenit: sed collatio, electio seu præsentatio facta lite pendente, est ipso jure nulla, *cap. 1.& 2.ut lite penden. lib. 6*. quare sequitur, quòd dictus dominus Cornelius non potuit habere causam à præfato Martino, & sic res judicata inter Martinum & Leonardum dicto domino Cornelio suffragari non potest. *dict. leg. cum quæritur*, & *C.res inter alios acta, in rubro & nigro*. Nec obstat, quod dicit *Panormita.*
6 *in cap. ecclesia. ut lite penden.* quòd res † non efficitur litigiosa, nisi quando agitur ne dominio, quia hoc non obstat in casu nostro: quia non dico, collationem factã domino Cornelio, ex eo capite non valere, quia facta de re litigiosa: sed ex eo, quia lite pendente: dicta enim duo. cc. videlicet, primum & secundum, ut lite penden. non attendunt beneficium esse litigiosum, vel non: sed solum attendunt litispendentiam, quæ potest esse etiam si non contendatur de dominio, ut est *text.*
7 *apertus in d. cap. 1.* ubi duo † litigabant super jure ad rem, & non supet jure in re: & tamen ibibem dicitur, quòd non valet electio facta lite pendente, & sic potest lis pendere, licet non sit res litigiosa: etiam *d.cap.2.* non fundatur super eo, quòd res est litigiosa. Sed super eo, quod non licet novum adversarium surrogari, quod æquè potest fieri, quando litigatur inter duos super duabus pręsentationibus factis diversis, licet neuter sit in possessione beneficij, prout est casus expressus *in d.cap. 1.* ubi duo erant electi tantùm, & sic non habebant jus in re: & tamen ibidem deciditur, quod si alter moriatur vel renunciet juri suo, quod non potest fieri electio nova: non enim est dubium, quod potest lis pendere, licet res super qua pendet lis non efficiatur litigiosa: quia
8 litispendentia inducitur per solam citationem, *Clementina, fina, ut lite pendente:* sed res non efficitur litigiosa, nisi per litiscontestationem, secundum *Ioan. And.* & *Panormitan. in dicto cap. ecclesia.* Cùm igitur, cap. primum & secundum ponderent litispendentiam, & ne novus adversarius surrogetur, quæ duo in casu nostro concurrebant: & sic collatio domino Cornelio tanquam facta lite pendente sit nulla, non potest juvare ipsum dominum Cornelium, nec obstaret in causa præsenti, *juribus pręallegatis.* Nec
9 obstat † *l.sæpe ff. de re judi.* quia illa magis fa-

gis facit pro, quàm contra, si benè inspiciatur: quia tempore quo pependit quæstio inter Leonardum & Martinum, nulla competebat actio dicto Domino Cornelio, & sic illo tempore non erat prioritas vel posterioritas juris, imò poterat dictus Martinus agere invito domino Cornelio, & sic sibi domino Cornelio res judicata non nocet nec prodest. *d. l. sepe.*

CONSILIUM CXI.

SUMMARIA.

1 *Clericus in minoribus existens ordinibus si contrahit matrimonium, privatur beneficijs prius obtentis, & num. 4. & 8.*

2 *Per adeptionem secundi beneficij curati vacat primum.*

3 *Clericus contrahens matrimonium cum consanguinea, perdit ipso jure beneficia.*

5 *Opinio glossæ habens post se unum saltem famosum Doctorem, in judicando retinenda est.*

6 *In pœnalibus mitior interpretatio assumenda est.*

7 *Privatio ipso jure nunquam inducitur, nisi in casibus expressis in jure, & num. 10.*

9 *Delinquens non debet esse melioris conditionis, quàm non delinquens.*

11 *Verbum careat in rescriptis non inducit privationem ipso jure, maximè quando subjecta materia illud non patitur.*

12 *A separatis non fit bona illatio.*

13 *Authoritas Doctorum probabilis est, non necessaria.*

14 *Clericus contrahendo matrimonium an plus peccet quàm adulter,*

15 *Episcopus dispensare potest super his, quibus Deus offenditur.*

16 *Dispensare non potest episcopus in criminibus adulterio majoribus, &c.*

Titius in subdiaconatus ordine constitutus, & diversa habens beneficia quandam fœminam defloravit, cui post prætactam deflorationem fidem dedit, per verba de præsenti, & post prætactam fidei dationem, eandem frequenter & diversis vicibus carnaliter cognovit. Quæritur, utrum aliquod sit remedium, ut idem Titius beneficia sua retineat, & ut ad ulteriores ordines possit promoveri: vel utrum ipse beneficijs suis sit privatus ipso facto: & si non, utrum cum eo episcopus suus, post peractam pœnitentiam, possit dispensare.

Et videtur prima facie quoad primum, quòd dictus Titius est privatus ipso facto suis beneficijs, medijs & autoritatibus infrà scriptis. Primò, quia † si clericus in
1 minoribus ordinibus existens contrahit matrimonium, privatur ipso facto beneficijs prius obtentis, ut concludit *gl.* & *omnes Doct. in cap. de cleric. conjugatis*: ergo fortius clericus in sacris constitutus matrimonium contrahens. Secundò, quia non debet esse melioris conditionis delinquens, quàm non delinquens, *c. eum qui, de præbend. lib. 6.* & *l. Servius, ff. quod vi aut clam.* Sed manifestum est, clericum in sacris constitutum delinquere contrahendo matrimonium, *qui cleric. vel vo. c. 1.* & *per totum*, ergo, &c. Tertiò,
2 per adeptionem † secundi beneficij curati, vacat primum ipso facto, quia redditur impotens ad serviendum utrique, *c. de multa, de præben. cum similib.* quòd

quod locum habet etiam, si quis adipiscatur secundum de facto, *d.c.eum qui:* ergo etiam in proposito contrahens matrimonium carnale, cùm non posset ipso facto, debet censeri privatus. Quartò, quia causa perditionis beneficiorum est tacita renunciatio seu habitus pro derelicto, qui causatur ex contractu matrimonij per Titium de facto contracti, cùm elegerit actum omnino contrarium clericatui, & sic, quantum in se fuit, habuit beneficium pro derelicto, *argu. c. ex transmissa, de renuncia.* Quinto, dicit textus, quòd hi, qui in ordine subdiaconatus & suprà, uxores duxerint, aut cõcubinas habuerint, officio atque beneficio ecclesiastico careant, *c. decernimus, 28. dist.* Sexto, istud confirmatur authoritate *Barth. Brixen. in quæstio. sua,* quæ incipit, *clericus quidam,* ubi vult,
3 quòd si † clericus etiam in minoribus existens, contraxit matrimonium cum consanguinea, perdit ipso jure beneficia, licet matrimonium non teneat, quia quantum in eo fuit, matrimonium contraxit, *argum. cap. nuper. de biga.* Ergo iste Titius, qui matrimonium de facto contraxit, quamvis illud non teneat, suis beneficijs privatus censeri debet. Septimò & ultimò, istud apertè tenet *Panor. in d. cap. 1. de cleric. conjuga. & ante eum Pet. de Anchor. & Cardin. Florentinus, ut ibi refert Ioan. de Imola.*

Quantum verò ad secundum etiam videtur, quòd episcopus dispensare non potest, cùm istud delictum gravius adulterio videatur: & per consequens episcopus dispensare non potest, juxta *cap. at si clerici, §. de adulterijs, de judi.*

In contrarium tamen quoad utrumque est veritas: Nam de primo est *glossa ordinaria expressa in cap. 1. præalleg. quam ibi sequuntur Anton de Butrio, & Ioan. de Imo. & idem vult Hostien. in summa, in tit. de clericis conjugatis, §. quam pœnam, in princip. & Ioan. And. in cap. Ioannes, in penult. colum. & Henric. Boick in cap. diversis fallacijs, eo. tit. & Præposi. in c. 1. in fine, qui cleric. vel vo.* in quibus passibus omnes unanimiter te-
4 nent, quòd † Titius non est privatus ipso jure, sed est privandus beneficijs, & quod episcopus cum eo potest dispensare, pro quo ultimo est bonus *text. in c. sanè, tit. prealleg.* Causa autem inducens hanc dispensationem est, ne ad secularia negocia redeat clericus, in opprobrium ordinis clericalis, *secundum Archid. Præposi. & Doctor. in c. presbyterum, 28. distinct.* Et hæc opinio servanda est in judicando propter quatuor. Primò, quia pro hac parte est glos. ordinaria & plures Doctores, ut ex suprà dictis patet. In judican-
5 do † autem non est recedendum in dubio ab opinione glossæ, quando habet saltem unum Doctorem famosum post se, *juxta theoricam, Iacob. Butrig. in l. 1. C. qui pro sua jurisdict.* Secundò, quia hæc opinio est communis, à qua in judicando non est recedendum, *juxta notata per Ioan. And. Panorm. & Doctor. in cap. 1. & in c. ne innitaris, de constitu. & vult Bart. in l. fin. C. de pœna judi. qui malè*
6 *judi.* Tertiò, quia in † pœnalibus mitior interpretatio est assumenda, *regula, in pœnis, de reg. jur. lib. 6.* Et quod tutius sit tenere hanc opinionem, dicit expressè *Ioan. de Imo in d. c. in fi.* Quartò, quia regula
7 est, quod nunquam † inducitur privatio ipso jure, nisi in casibus expressis in jure, *ut est glos. ord. nota. & ibi Panorm. in cap. si de jure pat & text. bonus in Authen. de non eligen. secundò nuben. muli. §. igitur, colum. prima, quem adhuc ponderat Bald. in Authentico, ex testamento, in pen. coll. C. de secun. nupt.* Cùm ergo non reperitur jure cautum, quod iste sit ipso facto privatus, standum est huic opinioni tanquam mitiori. Nec obstant argumenta in contrarium adducta. Et primo non

8 † obstat primum, quia matrimonium clerici in minoribus constituti, jure subsistit, *de cler. conju. cap.* 1. & sic beneficium amplius retinere non poterit, ut ibi declarat glos & Doct. Secus in causa præsenti, ubi matrimonium non tenuit propter ordinem sacrum prius susceptum, *cap. unico de vot. lib.* 6. Similiter nec obstat secundum, quo dicitur, quod
9 non † debet esse melioris conditionis, &c. quia hoc est verum, nisi ratio diversitatis suadeat oppositum, prout facit in casu præsenti nam ratio, quare clericus conjugatus non potest tenere beneficium est: Quia non potest benè servire beneficio & uxori, cum illa ad invicem non conveniant, *d. c. diversis fallacijs*, quæ ratio cessat in clerico constituto in sacris: Quia ex quo non tenet matrimonium, *dicto cap. unico*, non obligatur uxori, & ideo potest deservire beneficio. Et pro tanto non sic repugnat ipsi beneficio contractus matrimonij, quem facit clericus constitutus in sacris, sicut repugnat contractus matrimonij, celebratus per clericum constitutum in minoribus, secundum *Antonium de Butrio*, & *Iohan. And in dict. cap. primo.* Nec obstat tertium, quia ut supra dictum est, nunquam
10 † inducitur privatio ipso jure, nisi in casibus specialiter expressis per suprà allegat. hinc videmus, quòd licet nemo potest obtinere duo beneficia simplicia etiam difformia sub eodem tecto & in eadem ecclesia sine dispensatione saltem Episcopi, *c. literas, cum ibi notatis per gloss. & Doctor, de concess. præbend.* & *in c. primo, de consuet. lib.* 6. tamen per acceptationem secundi non vacat primum ipso jure, cùm de hoc jure cautum non sit, ut expressè consuluit *Cardin. consilio tertio*, & sic de multis alijs exemplis, quæ brevitatis gratia hîc omittuntur. Nec obstat quartum, quia illud falsum præsupponit, cum illa non sit causa, ut præmissum est, sed causa præmissa, videlicet quia non posset uxori & beneficio deservire, quæ cessat in casu præsenti: & etiam posito, quòd illa esset causa, prout non est, tamen argumentum non concludit, cùm non inducatur privatio ipso jure, nisi in casibus expressis per jura
11 superius allegata. Nec obstat etiam † quintum, *d. cap. decernimus*, *suprà allega.* quia licet in eo habeatur verbum careat, tamen illud non inducit privationem ipso jure, *c. dispendia, de rescript. lib.* 6. ubi ponitur verbum careat, & additur nec processus valeat, quod non fuisset necessè addere, si hoc verbum careat, importasset nullitatem ipso jure, prout vult *Matthæus de Matessillanis in notabilibus suis, notabili* 112. & dato quod verbum careat, privationem aut nullitatem ipso jure induceret, tamen hoc fallit, quando subjecta materia non patitur, *ut est textus clarus in c. cæterum, de rescript. cum ibi notatis per Doctores*: In casu autem præsenti manifestum est, quòd subjecta materia non patitur, sicut etiam *in dicto cap. decernimus*, *sentit Archi. super eodem verbo careant*: cùm illud verbum exponit: careant, id est, separentur, &c. Non etiam obstat sextum de quæstione Bartho. Brixen. quia ipse in
12 alio † casu loquitur, videlicet cùm clericus in minoribus contraxit cum consanguinea, quo casu aperta reddi potest ratio diversitatis, quia ille clericus in minoribus constitutus omnino censetur voluisse mutare vitam, in casu autem nostro dictus Titius in sacris constitutus non potuit vitam mutare, etiam si voluisset, & sic malè ibi de uno casu ad alium arguitur, *l. neque natales, C. de probatio.* & *l. non hoc, C. unde cogn.* Ex quibus etiam patet solutio ad septimum, in quo Panormitan. Petri de Anchora. & Cardin. Florent. auctoritas inducitur.
13 Quia licet † eorum auctoritas sit probabilis,

babilis, & ipsi disputativè sic teneant: tamen eorum auctoritas non est necessaria, *ut vult glos. in l. si de interpretatione. ff. de legibus*, & *gloss., in cap. primo, de postula. prælato.* maximè cùm communis opinio & gloss. & tantorum Doctorum sit in contrarium, à quibus in judicando & maximè in pœnalibus, non est recedendum. Non obstat etiam aliud, quo dicitur, quòd Episcopus attenta gravitate delicti, cum Titio dispensare non posset. Quia respondetur primò ad
14 assumptum, quòd licet † certo respectu clericus existens in sacris dicatur magis peccare quàm adulter, quia cadit à majori bono: nam tres sunt gradus, virginum, continentium, & conjugatorum: modò existens in sacris cadit à secundo gradu: adulteri autem à tertio, & sic ab inferiori. Tamen alio respectu potest dici, quòd existens in sacris minus peccat,
15 quia per adulterium offenditur Deus & etiam proximus: Sed per † matrimonium contractum per clericum constitutum in sacris solus Deus offenditur, & ideò jus voluit, quòd Episcopus posset dispensare *d. c. sanè. 2.* Secundò respon-
16 detur ad consequens, quòd licet † regulariter episcopi non dispensent in criminibus majoribus adulterio, *d. §. de adulteriis*, tamen hoc fallit quando expressè eis hoc permittitur, sicut in casu nostro, *d. c. sanè*, & *ibi Ioan. de Imol.* & *Doctor.* & *Hostien. in dict. §. quam pœnam, circa fi. illius*, §. & *Ioan. And. in d. c. Ioannes*, & *Henric. Boick. in d. c. diversis fallacijs.* Ex quibus omnibus concluditur, dictum Titium non esse suis beneficijs ipso jure privatum, sed privari posse per sententiam episcopi sui vel officialis, nisi cum eo per episcopum suum dispensetur. Quia dispensatione præveniente sententiam, est in omni foro tutus.

CONSILIUM CXII.

SUMMARIA.

1 *Pactum de bonis viventis factum non valet, nisi de ejus consensu fiat. Et num. 4.*

2 *Renuncians omni juri sibi competituro in bonis alterius, potest illi succedere ex testamento.*

3 *Hæres sanguinis etiam dicitur hæres.*

Reverende Pater, quanquam monasterium de Arschot renunciavit successioni futuræ, tam parentum, quàm filiorum sororum Barbaræ & Elizabeth, hujusmodi tamen renunciatio, ex duabus causis, hujusmodi monasterio non obest.
1 Primò, quòd † hujusmodi pactum non valet, cùm sit factum de bonis filiorum pro tunc viventium, quod pactum de jure non valet, nisi fiat de consensu illius de cujus bonis fit pactum, *l. final. C. de pact.* Sed hujusmodi pactum est factum inter parentes dictarum sororum, & dictum monasterium, & non interfuit, nec in hoc consensit dictus Dominus Joannes de Backere, de cujus bonis ad præsens est quæstio. Quare sequitur, quòd hujusmodi renunciatio non obstat. Præterea renuncians omni † juri sibi competenti
2 in bonis alicujus in præsenti & in futurum, potest illi succedere ex testamento, *secundum Bald. consilio suo trigesimo septimo, in secundo volumine.* Item renunciatio simpliciter facta intelligitur ab intestato, non ex testamento, secundum *Bald. in d. l. final.* & *Salicet. in l. pactum quod dotali. C. de pactis*, ubi etiam dicit, quod *c. quamvis de pact. lib 6.* non habet locum, quando renuncians petit hæreditatē ex voluntate partis expressa vel

tacita: cùm igitur dictus quondam Dominus Joannes residuum bonorum suorum reliquit suis veris hæredibus, & dicta Barbara & Elizabeth sunt veri hæredes ipsius, sequitur, quod ipsum monasterium ex testamento dicti Domini Ioannis eidem succedere possunt, non obstante hujusmodi renunciatione: quia per renunciationem juris competentis vel comperiendi in bonis alicujus quis non desinit
3 esse hæres saltem sanguinis, quia † hæres sanguinis etiam dicitur hæres, *secundum Bald. in titu. qui sibi & hered. suis mascu. c. 1. & gl. in c. filijs, 16. q. 7.* de quibus testator sensisse videtur: quia ante hæreditatem aditam quis non dicitur hæres vel hæredem habere, secundum *glossam in le. sancimus, C. ad Trebellianum*, quod est verum, non habet hæredem hæreditatis, sed benè habet hæredem sanguinis, de quo testator sensisse intelligitur, quia tempore testamenti non habuit nisi hæredem sanguinis. Cùm igitur Dominus Joannes residuum bonorum suorum reliquit hæredibus suis, & isti sunt hæredes saltem sanguinis possunt succedere ex testamento dicto Domino Ioanni, etiam si pactum esset factum cum Domino Ioanne, prout non est, quia non constat ex actis, quòd Dominus Ioannes hujusmodi pactum fecit seu in illud consensit, & sic non valet, *d. l, final.* nec etiam † potest
4 hujusmodi pactum de hæreditate viventis sine ejus consensu firmari juramento, cum sit contra bonos mores. *d. l. fi.* ergo juramento firmari non potest, *c. non est obligatorum, de reg. jur. lib. 6.*

CONSILIUM CXIII.

SVMMARIA.

1 *Clericus percutiens suum decanum in loco sacro non nisi à solo Papa absolvi debet.*

2 *Fructus præbendæ tempore suspensionis ad quos pertineant, &c.*

3 *Verba injuriosa verbis repelli debent.*

4 *Præcedentia declarant posteriora & econtrà.*

5 *Excommunicatus ante declarationem an vitandus, &c.*

6 *Pœna juris sine causa augeri nequit, imò judex contra faciens infamiam incurrit*

7 *Deliberatè fieri dicitur quod sæpè & iteratò sit.*

8 *Capitulares habentes jurisdictionem in suos subditos, illam exercere non possunt cum exclusione episcopi.*

9 *Judex in propria causa nemo esse potest.*

Super casu mihi ostenso videtur in pri-
1 mis, quòd Dominus † Nicolaus Mayoel incurrit sententiam *canonis, si quis suadente diabolo, 17. quæst. 4.* propter temerariam & injuriosam injectionem manuum factam per eum in suum decanum clericum in loco sacro, adeò quòd à solo pontifice maximo possit absolvi, cùm hæc injuria tam ratione loci, quàm ratione personæ cui est illata, debet judicari atrox, *juxta §. atrox. Instit. de injur.* & ergo episcopus non potest absolvere, *juxta ea quæ habentur & notantur in c. pervenit. de senten. excommunic.* maximè cùm dictus Dominus Nicolaus non comprehendatur sub casibus quæ habentur *in c. ea noscitur, de sent. excomm.* Nec obstat, quòd ex dicta injectione manuum non est subsecuta violentia vel sanguinis effusio, quia ad incurrendum sententiam *dicti canonis, si quis suadente*, non requiritur violentia, sed sufficit injuriosa & temeraria

meraria manuum injectio in clericum, vel detentio ejusdem, ut probatur apertissimè *in c.nuper*, & *in c. contingit*. 1. *eod.tit.* & *ibi Panorm.hoc notat*: videtur
2 ergo, quòd eidem † Domino Nicolao possit & debeat interdici ingressus ecclesiæ tempore divinorum & substrahi proventus præbendæ suæ, donec & quousque absolutionem ab habente potestatem obtinere meruerit, & ostenderit Dominis de capitulo, *juxta c.pastoralis.§.fin.de appellati*. qui fructus seu proventus, si consistant in distributionibus quotidianis, vel anniversarijs quæ judicantur à pari, *c.unico,in fin.de cleric. non resid. lib.6.* accrescent alijs Dominis interessentibus divinis: si verò sint grossi fructus, pro illo tempore applicari debent ecclesiæ: *juxta notata per gl. ordinariam in clem.* 2. *super verbo suspensus*, *de vita* & *honestat.cleric.* & *in clem,ut hi qui, de ætat.* & *qualit.ordina.* Nec juvat excusatio dicti Domini Nicolai cum dicit, quòd hoc fecit timens offendi per decanum, quia ex casu non constat, quòd Decanus gestus aliquos fecerit ad percutiendum eum, sed duntaxat verba injuriosa in eum protulit, unde non debuit invadere suum
3 Decanum, sed suffecisset † injuriam verbalem verbis repellere, quia hoc suadet ratio, æquitas, & lex, volens vim vi repelli posse cum moderamine inculpatæ tutelæ, *l.1.cum ibi notatis, C.unde vi*, & *c.olim.* 1. *de restitut.spolia.* & *ibi canonistę*, & *le. ut vim.ff.de justit.* & *jure, cum similibus.* Nec potest dici manus jocosa, propter verba injuriosa præcedentia hinc inde
4 prolata, nam † præcedentia declarant posteriora, & econtra. *le. si servus plurium*, *§.fina.ff. de legat.* 1. & *le. quisquis.ff.de legat.*2. & eò magis quia omne maleficium malè præsumitur actum *cap.1.de præsumpt.cum ibi notatis per gl.* & *Doctor.* Non etiam obstat, quòd iste Dominus Nicolaus non est declaratus incidisse sententiam canonis antè tacti, vel talis denunciatus, quare non videtur vitandus:
5 quia † iste est unus casus in quo vitandus est excommunicatus ante declarationem vel denunciationem, ut vult *extravagans, ad vitandum scandala*, *ædita in consilio Constantiensi*, & *renovata in consilio Basiliensi*, *secundum unam literam approbatam per glossatorem pragmaticæ per summam Pisanam in verbo. clericus* 3. & *per Felinum in cap.Rodulphus in antepenultima columna.de rescrip.* & *per summam Angelicam in verbo, excommunicatio*, 8. Quò autem ad factum decani videtur mihi, quòd quia in loco sacro, & tempore capituli pro expediendis negotijs ejusdem, ex consuetudine observari soliti, verba injuriosa & tumultuosa per eum prolata sunt: interdicendum erit ei consortium confratrum tribus diebus, juxta tenorem *c. in loco benedictionis*, 5. *qu.4.qui text.ad hoc est singularis, secundum Ludo. de Roma in suis singularibus*,
6 *singulari* 677. posset † tamen, si subesset causa hujusmodi, pœna juris augeri, *juxta l. quid ergo. §.pœna gravior. ff. de his qui not. infa.* & *l.si severior, C. eod. tit.* & *c,nisi specialis, de offic.leg.* sed sine causa hoc non esset faciendum, imò judex incurreret infamiam, secundum *Host.Ioan. And.Panor.* & *Doct.in c.de causis, de offi. deleg.* & *vult Lud.de Ro.in singulari* 79. posset autem esse causa augendi pœnam ordinariam frequentia delicti & iteratio,
7 quia † quòd sæpè & iteratò fit, censetur deliberatè fieri, *c.si quis iratus, cum ibi notatis*, 2. *quę*.3. & quasi duci in consuetudinem, quæ interdum facit de veniali mortale. *§.criminis*, 25. *distinct.* & sæpius commissa gravius sunt punienda, quàm si semel duntaxat committantur *l. capitolium.§.si solent.ff.de pœnis*, & *l.4. in fine, ubi bonus text. C. de episco. audien.* & quantum ad partes ipsas inter se, inducendi sunt ambo ad pacem & remissio-

nem injuriæ hinc inde, quòd si non possint, vel non velint induci, reservanda erit eis & cuique eorum actio injuriarum, proponenda coram dominis dum & quãdo voluerint. Quò verò ad id quod extra casum mihi propositum est, scilicet de tractione illorum de capella sancta per eum coram domino Officiali, videtur mihi quòd ob hoc non posset dici deli-
8 ctum, quia licet † Domini de capitulo habeant jurisdictionem in suos subditos, non tamen habent eam cum exclusione Episcopi, sed accumulativè duntaxat, ita quod si episcopus primò adeatur, locus est præventioni, *juxta notata per glos. fi. Panorm.* & *Doctor. in c. si sacerdos, in fin. de offic. ordina.* Quò verò ad literas scriptas per eum sapientes diffamationem & injuriam dominorum, competit ipsis dominis contra eum actio injuriarum, sed non video quòd domini possent propriam injuriam ulcisci, licet etiam esset notoria, cum emenda debita pro injuria illata sit arbitraria non regu-
9 lata à jure quare † non possunt in propria causa esse judices, secundum *Pan. pulchrè in c. 1. de maledic.* vel saltem possent recusari, *secundum eum ibidem post Pet.* & *alios in l. unica, C. ne quis in sua causa jus sibi dicat.* Quantum verò ad quadraginta florenos Rhenenses solvi solitos per canonicos noviter receptos pro augmento panis, tutius videtur, quòd domini se fundent super consuetudine longæva ultra memoriam hominum inviolabiliter observata, quàm super statuto, propter notata *per Panorm. in c. cum M. Ferrariensis*, *in 8.* & *9. col. de constit.* & *ibi etiam hoc tangunt novissimi.*

CONSILIUM CXIV.

SUMMARIA.

1 *Beneficia quando vacare dicantur, &c.*

2 *Executor Apostolicarum literarum partes judicis necessariò assumere tenetur, &c.*

3 *Suppressionis, unionis, annexionis & incorporationis materiæ ubi tractentur.*

4 *Possessor beneficij quando ab executore apostolico vocari debet, &c.*

5 *Appellatio conditionaliter interposita valet & impedit censuras apostolicas.*

VEnerabiles & egregij domini, post salutes vidimus copiam instrumenti acceptationis, ad copiam revocationis unionum, annexionũ & incorporationum, non sortiturum effectum, necnon literas suppressionis decem capellaniarum: quibus omnibus visis apparet nobis, quòd hujusmodi acceptatione & revocatione non obstante, vos Domini justè possetis recusare admittere Danielem Regis vel procuratorem ejus ad possessionem capellaniæ per eum acceptatæ. Primò, quia
1 revera † ipsa non vacavit propter suppressionem præcedentem autoritate apostolica factam, *juxta ea quæ habentur* & *notantur in c. cùm accessissent, de constitut.* & *ibi presertim per Ioan. de Imol. Panorm.* & *Felin.* Secundò, quia supposito quòd vacasset, tamen quia vos Domini insequendo tenorem suppressionis, alteri providistis & possessionem tradidistis, non debet ipse possessor sine causæ cognitione spoliari vel possessione privari, per ipsum executorem apostolicum vigore literarum apostolicarum, aut processus etiam in quacunque forma decreti, *c. licet episcopus, de præben lib. 6.* & *vult Felin. post multos alios Doct. per eum relatos, in c. fi. in 7. colum. in versic. fallit. secundò de præsumpt.* ad quem brevitatis gratia

gratia nos remittimus: ex cujus dictis clarè habetur, quod hoc casu ipse † executor debet necessariò assumere partes judicis, & citare possessorem, & sic cum causæ cognitione procedere & audire defensiones possessoris, antequam posset fulminare censuras: quam practicam tradit etiam Cardin. *in consilio 75. incipiente, Reverende Pater, quod consilium allegat Felin licet corruptè, in dict. c. fi.* Nec obstat si dicatur, Papa ante mortem Domini Arnoldi van den poelcke ultimè rectoris, revocavit omnes uniones, annexiones, & incorporationes, non sortitas effectum ante datam hujusmodi revocationis, ergo cum suppressio quoad dictam Capellaniam non sit sortita effectum, censetur revocata, & per consequens ipsa capellania vacavit & debetur impetranti. Quia respondetur primò, quòd tenore revocationis attento non censetur in hujusmodi revocatione comprehensa ista capellania, aut alia quæcunque beneficia suppressa, cùm in bulla revocatoria solùm revocentur uniones annexiones, & incor-
3 porationes, sub † quibus non comprehenduntur nec veniunt suppressiones, inter quæ longa est differentia, ut colligitur *ex nota. Doctor. in d. c. cùm accessissent.* ubi tangitur materia suppressionis, & *ex not. per glos.* & *Doct.* & *præcipuè Innoc. in c. 1. ne se va.* ubi tractatur materia unionis, annexionis, & incorporationis: & colligitur clarè *ex decisione Rotæ 277. in novis*, quę vult, aliquid posse fieri per viam suppressionis, quòd aliàs non posset fieri per viam unionis, & sic etiam nec per viam annexionis & incorporationis, quæ sunt species unionis ut colligitur *ex notatis in d. cap. primo, ne se va.* Secundò respondetur, supposito quòd præmissa cessarent, prout non, quòd in casu præsenti ipsa suppressio sortita fuit suum effectum statim fulminato processu diu ante hujusmodi revocationem, ex quo in ipso processu hujusmodi capellaniæ, quorum possessores adhuc vivunt, jam suppressæ sunt & extinctæ, adeo & in tantum, quòd possessores ipsarum capellaniarum desierunt & titulares, & ex ipso indulto Apostolico duntaxat fructus percipiunt quàm diu vixerint quòd omnino secus esset in unione, annexione, aut incorporatione, quia ibi possessor beneficij, quamdiu vivit, manet in ipso beneficio titularis,
4 & fructus percipit ut prius. Hinc est, † quòd in istis unionibus, incorporationibus, & annexionibus non est necessè vocare possessorem, quia nullum sibi fit prejudicium, *ut est textus juncta gloss.* & *nota. Doctores in clemen. tertia, de reb. eccle. non alien.* & *in c. consultationibus, de donation.* secus autem in suppressionibus, in qua necessè est vocare possessorem, prout etiam Papa in casu præsenti jussit eos votari & citari, prout citati fuerunt & extiterunt. Ex quo etiam sequitur in cõfirmationem præmissorum clarè, differentia inter unionem, annexionem, & incorporationem ex una, & suppressionem ex altera. Ex quibus præmissis sequitur, quòd vos domini in casu præsenti in termino præfixo pro responso dicere poteritis procuratori Danielis, quòd propter præmissa, puta suppressionem & extinctionem hujusmodi capellaniæ, seu apprehensionis fructuum, illius vigore per vos diu ante acceptationem ipsius Danielis Regis factam, nec non propter assumptionem alterius presbyteri seu clerici qualificati, per vos factam quia jam diu fuit & de præsenti existit in possessione fructuum ejusdem, non potestis nec debetis eundem ad possessionem quovismodo recipere, cum acceptatio sua sit nulla, tanquam de beneficio non vacante, de qua responsione petetis confici instrumentum per notarium vestrum: quo facto ad impediendum processum executoris, si quem ipsa assumpserit, ad fulminandum

minandum censuras capituli, coram eodem executore præmissa exponi facietis in forma exceptionis debita, offerendo vos præmissa coram eo probaturos, & cum exceptione habetis paratam appellationem, ex præmissis facilè conficiendam, & illam interponetis in eventum rejectionis, salvando vos à censuris, quia
5 appellatio † hoc modo, ut conditionaliter interposita, valet, & censetur prævenire censuras: *juxta nota.* Panorm. & *Doctores in cap. præterea requisiti, de appellat.* Confecissemus appellationem, sed ignoramus processum ipsius Danielis Regis, an judex elegit, & quem, & quomodo estis requisiti: etiam tempus non patiebatur, & facilè confici poterit ex præmissis per aliquem practicum, si opus fuerit, his benè & fœliciter valeatis.

CONSILIUM CXV.

SVMMARIA.

1 *Supervacuis laborat impendijs, qui solem facibus adjuvare conatur.*

2 *Vestium appellatione veniunt etiam panni nondum incisi vel in formam vestium redacti: Idem de pellibus & foderaturis vestibus nondum insutis.*

3 *Voluntas testatoris ex verbis ejus colligitur.*

4 *A significatione verborum recedi non aliter oportet quàm cùm manifestum est, aliud testatorem sensisse.*

5 *In testamentis larga debet fieri interpretatio in favorem legatarij.*

6 *Legatum continere debet utilitatem.*

7 *Dignitas, charitas, necessitudo, conjunctioque sanguinis quid in legatis operentur, &c.*

8 *Remissio debiti præsumitur de facili propter conjunctionem personarum.*

9 *Illud habetur pro disposito, quod verisimiliter dispositum fuisset, si testator de hoc fuisset interrogatus.*

10 *Jurisperitorum verba intelliguntur secundum intepretationem legalem.*

11 *Contextum & detextum quomodo differant, &c.*

12 *Vestis appellatione non venit pannus nondum completus in textura.*

13 *Ornamentorum appellatione quæ veniant, &c.*

14 *Ex separatis non fit bona illatio.*

15 *Usus loquendi communis præferendus est propriæ verborum significationi. Fallit, &c.*

16 *Caligæ etiam veniunt appellatione vestis.*

17 *Verba intelliguntur secundum qualitatem personarum, à quibus proferuntur, & ad quas referuntur.*

18 *Verba in latino vel literali sermone prolata quomodo intelligenda, &c.*

19 *Judicare tota lege non perspecta, incivile est.*

VIso casu mihi ad manus tradito, & dubijs ex eo elicitis, visis etiam & maturè

maturè ponderatis consilijs præclarissimorum dominorum jurisperitorum, qui super hoc casu subtiliter scripserunt, quia hujusmodi consilia sunt copiosa, & quia materia circa quam versantur præmissa puncta, est in jure multum trita, paucis allegationibus contentus ero & succinctè scribam. Et in primis, quia omnes Domini in hac materia consulentes conveniunt in hoc, quod vestis aurea, baculus pastoralis, crux archiepiscopalis, & fimbriæ aureæ, debentur domino legatario ex vi legati, ipsis simpliciter assentio, quia in hoc verum dicunt, ut lucidè patet ex juribus per eos allegatis: nec amplius circa hoc insistere vel quicquam addere
1 decrevi, non ignarus, quòd † supervacuis laborat impendijs, qui solem facibus certat adjuvare, *c. si omnia*, 6. *q.* 1. Sed in quantum venerandus magister noster Adrianus de Trajecto discrepat ab alijs Dominis jurisperitis consulentibus super hoc casu, in hoc quod dicit, in legato ve-
2 stium † non venire pannos nondum incisos vel in formam vestium redactos, quos habuit felicis recordationis Dominus testator, non causa vendendi vel mercandi, sed causa faciendi de his vestes: nec etiam pelles vel foderaturas nondum vestibus insutas, salva ejus reverentia, teneo contrarium cum alijs Dominis consulentibus, & moveor cum eis *per text. clarum in l. vestimentum, cum sua gl. & in l. vestis, post principium. ff. de aur. & argen. lega. & hoc quo ad annos apertissimè vult Dom. Bart. lucerna juris in d. l. vestimentum, & quo ad pelles & foderaturas, non insutas, est text. apertus in d. l. vestis, in fi. & in l. argum. in vers. item pelles, eod. tit.* Secundò pro confirmatione præmissorũ, ultra adducta per præfatos dominos consulentes, adduco in primis *Vivianum*, qui hoc apertè vult *in d. l. vestimentum*: secundò adduco *Bald. idem sentientem in l. in legatis, C. de legat.* Tertiò adduco *Barthacinum idem expressè volentem in verbo, vestis in versiculo* 24. Quartò adduco *Alex. de Imol. in d. le. vestimentum.* qui in apostillis ad Bartho. transit cum Bart. quem verisimiliter reprehendisset, si in hoc malè locutus fuisset. Quintò adduco *Cardin. istud expressè tenentem in clem. secunda, in quinta quæstio. de vita & honest. cler.* Præterea adduco talem ratio-
3 nem. In dubio † testator præsumitur velle, quod verbis expressit, & quod verborũ significatio importat: verba enim & voces sunt notæ earum quæ in animo sunt passionum, *l. Labeo. §. idem Tubero. ff. de supp. lega*: Et hinc dicit *Bald. in Rub. de testibus, & in c. super literis, in* 3. *col. de rescript.* quòd nullum est majus mentis nostræ testimonium, quàm qualitas inspecta verborum, & idem *Bald. in le. voluntatis, C. de fideicommiss.* dicit, quòd non credimus hominem velle, nisi id quod dicit, & idem *Bald. in c. primò, in tertia col. de constitutio.* dicit, quòd ubi habemus verborum sonum, non egemus interprete, & *idem Baldus in le. ea quæ, circa principium, C. quomodo & quando jud.* dicit, quòd vox est mentis evidentissimum argumentum: & ut paucis omnia claudam, lingua est nuncius & organum intellectus, & tuba & preco, & verbum voce prolatum est nuncius elicitus ab intellectu. Ita dicit *idem Baldus in suo divino consilio schismatis, posito in lectura Bald. super Rub. C. si quis ali. testa. prohip. in* 6. *col. in vers. hoc itaque promisso*: & hinc rectè dicit *tex. in l. non aliter, in principio,*
4 *ff. de legat. tertio*, quòd non † aliter à significatione verborum recedi oportet, quàm cùm manifestum est, aliud sensisse testatorem. Cùm ergo significatio verbi vestis, ex sua amplitudine comprehendat præmissa, puta pannos nondum incisos, & pelles nondum insutas, quos vel quas testator habuit non causa vendendi, juribus præallegatis, nec manifestè constat aliud

ſenſiſſe teſtatorem, ſtandum erit propriæ ſignificationi verborum. Præterea non debet legatum ex alio reſtringi: quia
5 † in teſtamentis debet fieri larga interpretatio in favorem legatarij, *c. cum dilecti de don,* & *l. in teſta. ff. de reg. jur. cum ſi* maximè quando ex præcedentibus vel ſequentibus apparet: teſtatorem voluiſſe exercere liberalitatem, prout in caſu præſenti apparet: ex præcedentibus enim & ſequentibus fit interpretatio voluntatis defuncti, *le. ſi ſervus plurium. §. fin. ff. de legat. primo,* & *l. penul. ff. de alim.* & *cib. lega.* legatum † enim debet continere u-
6 tilitatem. *§. econtrario, Inſtit. de leg.* & in neceſſitatibus nemo eſt liberalis, *l. rem legatam. ff. de adimen. lega. cum ſim.* Et tanto magis debet fieri larga interpretatio, quando legatarius eſt conjuncta perſona valde dilecta teſtatori & digna tanto legato, prout concurrit in caſu præſenti, dignitas enim † legatarij, charitas, & neceſ-
7 ſitudo facit ampliari legatum, *d. le. ſi ſervus plurium, §. fi.* Imò quod fortius eſt legatarij charitas & neceſſitudo facit intelligi legatum cõtra conſuetum modum amplè & extraordinariè, *ut eſt bonus tex.* & *ibi expreſſa gl. in le. Aurelius, in §. Titius teſtamento. ff. de liber. leg.* & *ſingularis textus in le. in fideicommiſſi, in §. cum Pollidius. ff. de uſur.* & hinc etiam eſt, quòd conjunctio ſanguinis & licita affectio in perſona valde dilecta teſtatori, habet vim clauſulæ codicillaris, & tantum operatur, ac ſi in teſtamento eſſet appoſita clauſula codicillaris, *ut dicit gl. ordinaria approbata per omnes Doct. in le. eam quam in* 10. *fallentia, C. de fideicomm.* & *idem vult gl. in l. in teſtamento, in ſecunda ſolutione. ff. de fideicommiſ. libert.* & *vult Bal. in l. ſi jure, C. de ma. teſta.* Hinc etiã
8 eſt, quod propter † conjunctionem perſonarum de facili præſumitur remiſſio debiti, *l. Procula, ff. de prob.* Sequitur ergo, quòd in caſu præſenti ubi concurrit legatarij dignitas, charitas, & neceſſitudo ſumma dilectio, animus teſtatoris rependere ſeu recompenſare volentis, & propria ſignificatio vocabuli, legatum debeat largè interpretari. Prętерea videmus,
9 quòd † illud habetur pro diſpoſito, quod veriſimiliter fuiſſet diſpoſitum, ſi de hoc teſtator fuiſſet interrogatus, etiam ſi prima fronte aliud videatur voluiſſe ex verbis, *text. eſt valde notabilis in l. tale pactum. §. ſi* & *ibi hoc vult gl. ordinaria notabilis,* & *Doct. ff. de pac.* & *tex. pulcher in l. ſi.* & *ibi Paul. de Caſt.* & *Doct. C. de poſthu. hære. inſtit.* & *notabilis tex. in l. Titius, in §. Lucius,* & *ibi ſimiliter Paul. de Caſtr. Alex.* & *Doct. ff. de liber.* & *poſthu.* ergo fortius hoc erit dicendum, quando verba ex proprio ſignificato hoc important, ut in caſu præſenti, & præcipuè hoc eſt dicendum in caſu præſenti, quia teſtator fuit juriſperitus, decretorum Doctor, & orator conſummatiſſimus: Nam
10 verba † prolata à juriſperitis intelliguntur ſecundum interpretationem legalem, licet ſi proferantur ab ideotis, intelligantur ſecundum quod in ideotam cadunt, ſecundum *Alexan. de Imo. in conſ. ſuo* 44. *incipiente, Alfonſius in ſecunda col. quinti voluminis,* & *Bald. in c.* 1. *in* 3. *col. de ſucceſſ. feu. in uſib. feud.* Ex quibus omnibus ſimul junctis evidendentiſſimè apparet de voluntate domini teſtatoris. Reſtat modò reſpondere ad motiva venerandi magiſtri noſtri, quibus modus eſt ad tenendum contrarium, quæ licet videantur apparentia, tamen revera ſunt ſophiſtica, ut infrà patebit, quibus ſolutis niteſcit veritas. Et primò non obſtat primum, quo venerandus magiſter noſter dicit, quod ſi pannus non inciſus appellatione veſtis vel teſtamenti veniat, tunc pannus contextus, qui detextus non eſt, pari ratione appellatione veſtimenti comprehenderetur, ſed hoc eſt falſum ſecundum eum, & contra *l. librorum, in §. quod tamen*

men *Cassius.ff. de legatis tertio*, ubi libri non conscripti & vestis non detexta æquiparantur in hoc, quòd sicut appellatione librorum non veniunt libri non præscripti, ita nec appellatione vestis, venit vestis non detexta. Quia respondeo, quòd dictum argumentum præsupponit falsum. Præsupponit enim, quòd aliqua sit vestis contexta quæ non sit detexta, quod est falsum: omnis enim vestis contexta est detexta, sed non
11 econtrà. Contextum † enim habet in se plus, quàm detextum: nam detextum dicitur, quod est remotum à textura, licet non sit remotum à tela vel globo: sed contextum dicitur, quod est perfectum in textura & etiam remotum à tela seu globo, ut clarè patet *in d.l. vestimentum, juncta gl.* & *ibi hoc vult Vivianus* & *Doctor.* & *probatur clarè in l.si cui lana, circa medium.ff.de leg.tertio*, ubi in text. præmittitur detextum, & sequitur contextum, ut aliquid addat, & *ibi hoc sentit gl.nec d.l.librorum. §.quod tamen Cassius*, vult contrarium, sed solùm vult, quòd
12 appellatione † vestis non venit pannus, qui nondum est completus in textura, quia ille pannus non potest dici detextus vel vestis detexta: & hoc utique verum est, sed non facit ad propositum, quia in casu præsenti pãni, de quibus est quæstio, sunt nedum detexti, hoc est, completi in textura, sed etiam contexti, hoc est, à tela & globo remoti, separati, seu incisi licet non sint incisi in formam vestis, quod ultimum faciebat dubium: sed deciditur expressè *per d.l. vestimentum, juncta gl.* & *per præall. l.vestis, post princ.* quare non obstat. Non obstat etiam aliud, quo movetur dictus Venerandus Magister noster,
13 dicit enim quod appellatione † ornamentorum non veniunt rudes lapilli, margaritæ, vel gemmę, nisi testator aliud expresserit, *l.argumento, circa finem, ff. de aur.* & *argen.lega.* ergo secundum eum appellatione vestimentorum non debent venire panni, qui ut sint vestimenta, egent formæ superinductione. Nam ad hoc respondeo, negando consequentiam, quia quòd lapilli rudes, gemmæ & margaritæ non veniant appellatione ornamentorum, hoc non est ideo, quia formam certam non sumpserunt, ut præsupponit argumentum, sed ideò est, quia rudes sunt, non cum alio conjuncti, cujus ornandi gratia poni haberent, si appellatione ornamentorum venire deberent, *secundum Vivianum, ibidem*, & sic malè concludi-
14 tur: quia † ex separatis non fit bona illatio, *l.neque natales, C.de proba.* & *l.non hoc C. unde cogn. non sim.* quare etiam non obstat. Non etiam obstat aliud, quo dicit venerandus magister noster, communem usum loquendi præferendum esse propriæ significationi verborum, per tex. & theoricas, de quibus in suo consilio fit mentio, quia respondeo & dico, quòd licet istud argumentum prima facie sit multum apparens, tamen si benè inspiciantur theoricæ doctorum in diversis locis, decipitur venerandus magister noster per syllogismum falsigraphum ex principijs malè intellectis: nam theorica
15 quæ habet, quòd communis † usus loquẽdi præferendus est propriæ significationi verborum, recipit multas declarationes & fallentias. Et inter alias quæ serviunt proposito una est, quod illa theorica procedit in materia pœnali & exorbitanti, sed in materia favorabili, in qua debet fieri larga interpretatio, ut in legatis, non est recedendum à propria significatione vocabuli propter communem usum loquendi militantem in contrarium, ita dicit expressè *Dom. Cardin.in d. Clem. secunda, in quinta quæstione*, quæ fallentia servit proposito nostro, ut ipse idem Card. ibidem affirmat, dicens quòd appellatione
16 † vestis legatæ veniunt caligæ, non obstante communi usu loquendi militan-

re in contrarium. Alia fallentia similiter serviens proposito, est quod theorica prædicta procedit, quando communis usus loquendi contrarius propriæ significationi vocabuli, esset tam apud peritos, quàm apud imperitos, ita dicit *Bald. in d. cap. 1. in 3. col. de success. feud.* quod non est in casu præsenti. Nimis enim absurdum esset dicere, quòd propter abusivum modum loquendi personarum illiteratarum deberet recedi à propria significatione vocabuli vel quòd communis usus loquendi causari posset ab insensata vulgi assertione, ut inquit *Bald. in l. 1. C. de succes. edict.* Tertia fallentia similiter serviens proposito est, quòd illa theorica
17 procedit, quando † verba sunt prolata ab ideota, secus si à jurisperito, ut in casu præsenti, tunc enim intelligenda sunt secundum interpretationem legalem, secundum *Bald. in d. c. 1. de succes. feud.* & *Alexan. in cons. 44.* Sicut enim verba intelliguntur secundum qualitatem personarum, ad quas referuntur, *leg. stipulatio ista. §. hi qui sunt. ff. de verbor. obligat. le. plenum. §. equitij. ff. de usu & habi. & cap. solitæ, de major. & obedi.* Ita etiam debent intelligi secundum qualitatem personarum à quibus proferuntur, secundũ *gl. notabilem in d. le. stipulatio ista, in § hęc quoque, & sentit ibi Bartho. in finalibus verbis, & idem Bart. & alij Doct. in pluribus alijs locis inferius allegandis.* Quarta fallentia etiam serviens proposito per quam radicitus evellitur & perimitur argumentum prætactum, est, quòd dicta theorica procedit, quando verba sunt prolata seu scripta in vulgari sermone, tunc enim indistinctè intelliguntur secundum vulgarem & communem u-
18 sum loquendi, secus † si sint prolata vel scripta in latino vel literali sermone, ut in casu præsenti, tunc enim sunt intelligenda secundum interpretationem legalem, & non secundum communem modum loquendi, ita singulariter decidit *Bald. in l. lege 12. tabularum, circa finem, C. de legit. hæred. & sentit gl. ordinaria in §. cùm igitur. super verbo, filios, in Auth. de non elige. secundo nub. col. prima, & Bart. in d. § hoc quoque, & idem Bart. in l. liberorum, in penul. col. ff. de verbor. signif. & est de mente ejusdem Bart. in l. si quis filiabus. ff. de testa. tute. per id quod notat glos. in le. quidsi nepotes. eodem tit. secundum quod ipse dictam glos. intelligit, & in hoc Paul. de Cast. sequitur Bart. in preall. l. stipulatio ista, in § hoc quoque, in fin. & ibi istud expressissimè vult Dominus Alexan. de Imol. in fina. verbis, & est de mente Domini Io. de Imol. in c. cum tibi, in fi. de testam.* & sic non obstat. Non obstat etiam theorica *Bart. in d. le. non aliter,* quia illa præsupposita pro vera, non obstat in casu præsenti, cùm ex præmissis constet testatorem hoc sensisse per verba per eum prolata, hoc ex propria significatione importantia: & etiam est verisimile, eum hoc sensisse, quia fuit jurisperitus & decretorum Doctor & Orator magnus, qui verbis in propria significatione uti consuevit, & etiam propter affectionem magnam quam habuit ad legatarium, & quia liberalitatem exercere & rependere voluit, & propter dignitatem legatarij, charitatem, & necessitudinem, ut suprà dictum est. Ex quibus omnibus concludo cum alijs Dominis consulentibus, quòd in hac materia favorabili appellatione vestium, venient panni in textura consummati, licet nondum formam vestium receperint, nec etiam ad illum finem incisi fuerint, & similiter pelles seu foderaturæ nondum vestibus insutæ, ex quo hujusmodi pannos & pelles dominus testator habuit, non causa vendendi sed ad usum vestium, ut in themate præsupponitur. Et ita meo exiguo judicio debet judicari, non obstante opinione venerandi magistri nostri, cujus authoritas li-

tas ſcilicet ſit magna in ſacra pagina, tamen in materia legali quæ non eſt de foro ſuo, & in qua, cùm conſulit, dicitur temerè contra profeſſionem ſuam mittere falcem in meſſem alienam, potius ſtandum erit ſcriptis Bart. & aliorum, tam illuſtrium virorum in ſcientia legali expertorum, maximè cum ejus ſint ſoluta motiva, ita quòd conſtat, eum nedum ſine lege, imò contra legem loqui: & credo † eum ſic non fuiſſe locutum, ſi ſingula præmiſſa vidiſſet & totam legem perſpexiſſet, qua non tota perſpecta incivile eſt judicare. *l. incivile ff. de leg.*

19

CONSILIUM CXVI.

SVMMARIA.

1 *Inſtrumentum publicum reprobatur, quando duo teſtes integerrimi inſcripti clarè deponunt contrarium ejus quod habetur in inſtrumento.*

2 *Probatio plena non eliditur vel debilitatur per ſemiplenam vel non concludentem probationem.*

3 *Legata debentur, etiamſi teſtibus teſtamentarÿs teſtator ea nominatim non expreſſerit.*

4 *Notarÿ de falſo accuſati vel convicti inſtrumenta an valeant.*

5 *Teſtamenta tot ſunt quot perſonæ, etiamſi ſimul & conjunctim teſtentur.*

6 *Hæres factum defuncti reprobare non poteſt.*

7 *Mobilium bonorum appellatione veniunt omnia blada, frumenta ac pecuniæ numeratæ.*

8 *Uſus loquendi communis omni præfertur conſtitutioni.*

9 *Bona mulieris ex bonis mariti acquiſita præſumuntur.*

10 *Mens & intentio teſtatoris omnino attendenda eſt.*

11 *Inſtrumentum nòn reprobatur, etiamſi unus teſtium inſcriptorum non eſſet fide dignus.*

12 *Impugnans teſtamentum nullum omnino ex eo lucrum conſequitur.*

PRo juſtificatione intentionis providi viri Arnoldi de Beringhe mariti legigitimi domicellæ Elizabeth van Herentals, ac corroboratione & confirmatione pro parte ejuſdem deductorum & exhibitorum in cauſa ſive proceſſu coram magnifico & ſpectabili viro domino & magiſtro Iohanne van der Vorſt Cancellario Brabantiæ, tanquam arbitrio arbitratore ſive amicabili compoſitore, à partibus infrà ſcriptis electo pendente indeciſè, per & inter præfatum Arnoldum nomine, quo procedit ex una, & honorabilem virum magiſtrum Martinum de Cuyct, tam ſuo quàm Petri van Cuyct ſui patris nominibus ex altera partibus: Sub correctione cujuſcunque melius ſentientis deciſiones infrà ſcriptarum quæſtionum ſunt ponderandæ & attendendæ. Primò namque revocatur in dubium, an inſtrumentum teſtamenti quondam Matthiæ van Rode, & domicellæ Johannæ Spapen, corruat & reprobetur, ſi teſtes inſcripti in eodem inſtrumento atteſtentur, quod certa ſchedula continens in ſe diverſa legata, in ipſorum præſentia non fuit lecta, neque etiam recordentur de illius ſchedulæ exhibitione vel demonſtratione, cùm tamen idem teſtes fateantur ſe fuiſſe præſentes, & habere me-

moriam multarum diſpoſitionum in eo-
dem inſtrumento contentorum & an le-
gata in eadem ſchedula contenta debean-
tur. Secundò poſito, quòd conſtaret, no-
tarium prætacti teſtamenti aliter vel plus
quàm dictum fuerit ſcripſiſſe, ac quòd di-
ctum teſtamenti inſtrumentum tanquam
falſum reprobari poſſet: An propterea po-
ſterius teſtamentum per ſolum præfa-
tum quondam Matthiam coram eodem
notario & alijs teſtibus factum, & in ea-
dem charta ſive pergameno inſertum, de
alia & poſteriori data, corruere de-
beat & reprobetur. Tertiò, an blada &
pecuniæ numeratæ, de quibus non eſt
ſpecialiter, ſed duntaxat generaliter de
mobilibus ſub vulgari vocabulo, **van den
havelijcke goeden** / diſpoſitum, ſicut
cætera bona mobilia inter dictas partes
ſint communicandæ & æqualiter dividē-
dæ, non obſtante quòd dicta domicella
Johanna ſuo præfato marito teſtatori per
16. vel 18. menſes ſupervixerit. Quartò,
an inſtrumentum codicilli ſive ultimæ
voluntatis dictæ domicellæ Iohannæ eſ-
ſet minoris efficaciæ, ſi unus ex teſtibus
neceſſarijs probaretur idoneus. Quintò,
an dictus Magiſter Martinus impugnan-
do dictas teſtamentarias diſpoſitiones
privari debeat omni emolumento ſibi ex
parte dictorum teſtatorum, ac alterius
eorundem proveniente. Et breviter o-
miſſis diverſorum jurium & Doctorum
allegationibus, indubia omnium eſt o-
1 pinio, quòd inſtrumentum † publicum
non reprobatur, neque fides illius tollitur
per hoc quòd teſtes inſcripti etiam ne-
ceſſarij deponunt ſe non recordare vel
habere memoriam contentorum in ali-
quo inſtrumento, vel illorum quæ ibi
aſſeruntur eſſe acta in ipſorum præſen-
tia, ſed ad omne minus debent eſſe duo
teſtes integerrimi, qui clarè deponant ſi-
ne aliqua hæſitatione directè contrarium
illius, quod habetur in inſtrumento, ſic
quòd dictum teſtium non poſſit ſimul
ſtare cum inſtrumento, *juxta plenè no-
nè nota. Panormita.* & *canoniſtas in cap.
cùm Iohannes, de fide inſtru. per legiſtas
in l. in exercendis. C. de fide inſtr.* & *Bart.
in l. 2. ff. quemadmo. teſta. aper.* Et eſt ra-
2 tio evidens, quia plena † probatio, quæ in-
ſurgit ex publico inſtrumento, non poteſt
elidi vel debilitari per ſemiplenam pro-
bationem, & multò minus per non con-
cludentem. Et cùm non ſequitur, ſche-
dula prætacta non fuit lecta coram teſti-
bus, aut ipſi non recordantur de illius o-
ſtenſione: ergo notarius falſum ſcripſit,
cùm poſſit ſimul ſtare, quod teſtatores te-
ſtari voluiſſent, prout in ſchedula exhibi-
ta continebatur, & quòd illa tunc realiter.
ipſis teſtibus fuiſſet demonſtrata, & u-
trumque oblivioni tradidiſſent, *ut l. pere-
grè. ff. de acquir. poſſeſſ.* maximè cum ho-
mines, ubi ut teſtes duntaxat adhibentur,
tanquam in rebus ipſos parum concer-
nentibus, ſæpe non multum attendunt,
3 ergo, &c. Quòd autem † valeant & de-
beantur legata in dicta ſchedula conten-
ta, licet illa non fuerint lecta vel coram
teſtibus declarata, patet per caſum *l. ſi ita
ſcripſero, cum ibi no. per Bart.* & *clarius
per Paul. de Caſt. ff. de condit.* & *demon.*
ubi decîdunt, quòd valet ſaltem quoad le-
gata, licet forſan ſecus, quoad inſtitutio-
nem hæredis, qui debet palàm & expreſ-
sè nominari, ſi dicat teſtator diſpono, pro-
ut in ſchedula habetur, quæ eſt apud fra-
trem minorum, dummodo ex præſum-
ptione & conjecturis poſſet conſtare de
ſchedula quam teſtator ſentjit. Et cùm
de dicta ſchedula nedum conſtat per no-
tarium teſtamenti & ejus inſtrumentum:
verùm etiam per hoc, quòd legata inibi
contenta ſunt in poſterioribus diſpoſitio-
nibus teſtamentarijs dictæ domicellæ Io-
hannæ repetita & inſerta, & tempore vi-
tæ ejuſdem teſtatricis poſt mortem ſui
mariti exoluta, & ex alijs diverſis indi-
cijs

cijs ex processu colligibilibus, ergo, &c. Nec obstant præmissis notata per *Bart. in le.si is qui ff. de testa.* & *in l.fideicommissa.§.1.ff.de lega.tertio*, ubi in effectu videtur velle, quod si reperiatur schedula testamenti in libro notarij, si non appareat illam schedulam esse lectam, quòd ex eo testamento nihil debeatur, quia hoc verum secundum *Bart.* & *Paul. de Cast. in d.le.si ita scripsero*, nisi constet per conjecturas vel indicia, hujusmodi schedulam esse traditam notario per testatorem. Ad secundò quæsitum breviter respondendum est negativè, ex quo de jure
4 instrumentis † publicis per notarium cōfectis & per testes inscriptos, aut alios non reprobatos, est standum & fides adhibenda, non obstante quòd ante datam hujusmodi instrumentorum, aliud instrumentū confecisse dicatur quod postea possit reprobari, & per testes inscriptos vel alios de falso convinci, dummodo fuerit in officio toleratus, prout notat *Innoc.in c.fraternitatis, de here.* & *Bald. in l.1.C. de testam.* imò quòd magis est, accusatus de falso pendente processu potest conficere instrumenta: & quod fortius est, etiam condemnatus, licet non possit nova instrumenta facere, potest tamen post condemnationem vetera instrumenta ex ex suo prothocollo tradere & perficere, secundum *Bald.in l.secunda.C. de sent.* & *interlo.omnium judic.* & *Bart.plenè in repetitione l.Barbarius.ff.de offic. prætor. versic. quid de notario, cum sequentibus.* Sed cum notarius dictorum instrumentorum nunquam fuit condemnatus vel accusatus de falso, quinimò toleratus, & quod magis est tempore datæ hujusmodi instrumentorum, & adhuc de præsenti pro bono & legali notario tentus & reputatus, ergo, &c. Nec obstaret etiam si primum testamentum posset in aliquo reprobari, quod secundum dicti Matthiæ testamētum sit scriptum in eadem charta vel pergameno, quia nihilominus censentur esse duo diversa testamenta, ac quodlibet per se subsistens,
5 imò & quod fortius est, tot † sunt testamenta, quot sunt personæ, etiam si simul & conjunctim testentur, prout clarè determinat *Oldrad. consilio suo 174. incipiente, vir & uxor.* Et si aliquis quovismodo prætactum instrumentum posset impugnare, tamen hoc est prohibitum dicto magistro Martino, qui non po-
6 test † reprobare factum & approbatum per dictam domicellam Iohannam, pro cujus hærede se gerit, *ut l. cum à matre,* & *alijs vulgaribus, C. de rei vendi.* maximè cùm eandem personam cum defuncto hæres repræsentet, *ut in Auth.de jurejuran.à mo.præst.* Tertiæ autem quæstioni facile est respondere, cùm indubiè tam de jure communi, quàm etiam de communi usu loquentium appellatione
7 mobilium † sive havelijcke goeden/veniant omnia blada ac cætera grana ac pecuniæ numeratæ. Imò etiam si pecunia esset redacta ex re immobili, nihilominus comprehenderetur sub re mobili, prout est casus *in l. si in fundo.§.si fundus.ff.de jure dot.* & eo cessante, prout non, tamen communis usus loquentium, quo appellatione mobilium omnia blada & pecuniæ comprehenduntur, in casu subjecto venire deberent, *ut l. librorum, § quod tamen Cassius.ff. de lega. tertio, cum concord. tum secundum Bart.in leg. talis scriptura,*
8 *ff.de lega.primo*, communis † usus loloquendi præfertur omni constitutioni. Nec obstat quòd dicitur, dicta domicella Iohanna suum maritum supervixisse, & quòd propterea non constaret, hujusmodi bona & pecunias esse relicta dicto Arnoldo: Quia ex quo dicta domicella Iohanna, parvo tempore supervixit, & sic quicquid, sive in vita dicti quondam Matthiæ sui mariti, sive ex post habuit, præsumitur ex bonis mariti, vel saltem

tem ex communibus habuisse: sic omnia juxta tenorem dictorum testamentorum pro medietate ad dictum Arnoldum sunt devoluta. Quicquid enim † mulier
9 habet, præsumptione juris acquirit ex bonis mariti, *ut leg. quintus. ff. de donatio. inter virum* & *uxorem*, & *l. etiam C. eo. cum utrobique notatis*, & *præcipuè per Alberic. post Vber. de Bo.* qui dicit *in dict. l. etiam* quòd ex quo *lex quintus*, loquitur generaliter, præsumptio est, quòd etiam quæsita post mortem viri, mulier ex bonis mariti habuit, & quòd propterea sibi incumbit onus probandi, maximè quando maritus parvo tempore prædecessit. Sed cùm dicta domicella Iohanna pauco tempore supervixit, nec constet eandem ex mercantijs, successione, aut aliàs, quicquam habuisse, quinimò impossibile foret eandem tot pecunias & blada, quot in domo mortuaria reperta sunt, post mortem sui mariti acquisivisse, ergo, &c. Et tantò minus, quia ipsa domicella
10 Johanna intentionem & mentem † suam, quæ maximè attendenda est, *ut le. inter vestem. ff. de auro* & *argento lega.* & *l. in conditionibus. ff. de conditio.* & *demonstratio.* interpretando & declarando in suo testamento voluit atque expressè desideravit, quòd nedum bona mobilia sub quibus blada & pecuniæ, juxta prius dicta, comprehenduntur: verùm etiam actiones & credita inter præfatum Arnoldum & ipsius hæredes dividerentur, prout ex tenore testamenti sive codicilli ipsius clarè apparet. Ad quartum dubium brevissimè dicitur, quòd testamentum dictæ domicellæ Johannæ omnino viribus subsistere debet, etiam dato, quòd
11 unus † ex testibus inscriptis, non esset fide dignus, prout determinat *glossa super verbo*, & *supplicijs, in Authen. de testibus.* §. & *licet, col. 7.* Imò secundum *Innocen. in cap. pia, de exceptio. lib. 6.* non vitiatur instrumentum etiam si unus testium sit excommunicatus: & *idem tenet* & *sequitur Speculator in tit. de instrum. editi.* §. *postremo, versic. quòd si testes*, & *Ioan. And. in cap. decernimus, de sententia excommunicationis, libro sexto, in novella.* Et ratio est, quia ex quo ipsum ut testem adhibuerunt, videntur ejus personam approbasse. Ad quintum & ultimum respondetur, quòd ex quo † dictus Magister Martinus, contra voluntatem utriusque testatoris, sine justa causa molestavit dictum Arnoldum impugnando prædicta testamenta, sic de jure privatus est & incurrere debet pœnam à testatoribus impositam, prout est casus *in l. Lucius.* §. *tres hæredes, juncta glossa verbi, moverit. ff. ad Trebellianum*, & *ibi per Doctores*, & *in le. 1. C. de his, quæ pœn. no.*

CONSILIUM CXVIII.

SVMMARIA.

1 *Judex semel electus, postea reprobari non potest.*

2 *Exceptio declinatoria qualiter proponenda.*

3 *Populi vel communitatis appellatione non venit clerus vel persona ecclesiastica.*

4 *Non potest hoc esse, quod ab eo contingit abesse.*

Visa forma obligationis, transportus, & acceptationis, cum scripturis hinc inde exhibitis, videtur mihi subscripto, quod benè est interlocutum per officialem, & quòd non est illatum gravamen opponentibus, attento quòd si vera essent quæ in replicis impetrantis continentur, corruerent omnia quæ pro parte opponentium, tam in exceptione, quàm in duplica objecta sunt, benè ergo sunt admissa contenta in replica ad respondendum.

1 dum. Si enim † Officialis habet jurisdictionem universalem in omnibus causis etiam prophanis in incolas diocœsis & patriæ Leodiensis, ut articulatur in replicis, non est locus pœnitentiæ, *ut notant omnes DD. in c. 1, de judi.* & *in l. si convenerit. ff. de jurisd. om. ju.* quia virtute submissionis aditus est suus judex. Nec obstat quod potest declinari & peti ut remittatur causa ad Officialem residentem in civitate Leodiensi, quia satis est, quod habet universalem jurisdictioné, & quod fit judex eorum licet declinabilis, *ut volunt omnes in locis sup. alleg.* Et eodem modo tolluntur omnia alia, quæ habentur in exceptione & duplica: Debet ergo,
2 meo exiguo judicio responderi † hujusmodi replicis cum protestatione de non consentiendo in jurisdictionem ejus, nisi quatenus de jure ad hoc teneantur, & cum protestatione de non recedendo ab exceptione declinatoria proposita, cujus contenta elisiva contentorum in replica offert se legitimê probaturum, quæ protestatio præservabit opponentes, ut non videantur consentire *juxta notata per Doct. in c. cùm M. Ferrarien. de constit.* Et si postea non probentur contenta in replica, debebunt rei absolvi ab instantia. Si verò condemnentur, tunc habent gravamen, & poterunt appellare ad Metropolitanum. Sed quantum ad Dominum Reynerum, qui non est de obligatis, videtur mihi, quòd ille est indebitè vocatus. Obligati enim sunt duntaxat jurati consules & communitas villæ & castellaniæ de Huyo, inter quos ipse non potest comprehendi: non enim est juratus oppidi, nec consul oppidi, nec de communitate vel castellania oppidi. Appellatione
3 † enim populi vel communitatis non venit clerus vel personæ ecclesiasticæ, *cap. si sententia, de senten. excommun. lib. 6.* Nec obstat quod ipse habet regimen ex parte domini reverendissimi Leodiensis, quia in casu præsenti non agitur de obligatione dicti domini reverendissimi, sed de obligatione juratorum consulum & communitatis villæ & castellaniæ de Huyo, unde impertinens est hæc allega-
4 tio, nec probat hoc esse quod ab hoc contingit abesse, *l. neque natales C. de probat.* & *l. non hoc, C. unde cog. cum simi.* unde videtur mihi, quòd ipse Dominus Reynerus debet ab instantia judicij domini Officialis licentiari & absolvi: Et ad illum finem debet advocatus ejus se ponere in altercatione, & si aliter pronuncietur, justè tunc poterit ab hujusmodi gravamine in scriptis ex præmissis causis appellare.

CONSILIUM CXVIII.

SUMMARIA.

1 *Quod ex sua persona quis consequi nequit, illud interdum ex persona tertij consequitur, & num. 5.*

2 *Injuria personalis tertio obesse non debet.*

3 *Res inter alios acta non præjudicat tertio etiamsi in contradictorio judicio negocium fuerit terminatum.*

4 *Mutanda non sunt quæ certam semper habuerunt observationē.*

6 *Si vinco te vincentem, te quoque vinco. Fallit, &c.*

7 *Jus quæsitum alicui sine facto ipsius auferri non potest.*

VEnerabilis Domine Licentiate, fautor & amice syncere dilecte. Hodie recepi literas vestras mihi per servitorem vestrum delatas, quibus petitis super casu eisdem literis incluso de jure respon-

deri, ut secundum responsionem meam juridicam vos regulare possitis. Super quo vestris desiderijs satisfaciendo, licet casus obscurè satis formatus fuerit, taliter quòd prima facie non viderim rationem dubitandi, hæc scribo, cùm sæpius relegendo literas vestras, & familiarem vestrum de nonnullis circumstantijs interrogando, credam me casum benè & perfectè intellexisse. Et ut paucis me absolvam, videtur in hoc consistere dubitatio vestra, an dominus Petrus Duwez debeat in præsentatione beneficij nunc vacantis ante vos præferri, nec ne. Et videtur prima facie quòd sic, tum, quia dominus Nicolaus Mayoel senior, qui est causa turbationis, præsentavit antedictum dominum Petrum Duwez, depost autem vos præsentastis, & post vos dict. dominus Duwez. Cùm ergo ex post facto compertum sit dictum dominum Nicolaum malè & extra turnum suum præsentasse, & præfatum dominum Petrum Duwez injustè fuisse supplantatum, videtur quòd jus integrum sit reservatum dicto domino Petro Duwez pro hac parte, maximè cùm in concordia novissimè inita adjecta sit illa clausula consueta, sine præjudicio juris cujuscunque, &c. & tãtò magis, quia
1 † ex persona tertij, puta dicti domini Nicolai, dictus dominus Petrus videtur posse consequi, quod ex persona sua non posset. *l. Aristo. ff. quæ res pig. ob. poss.* imò hìc videtur habere locum, regula: Si vinco vincentem te, ergo vinco te, *l. de accessionibus. ff. de diver. & tempor. præscrip.* cùm ergo dictus Dominus Petrus vicerit per concordiam dictum dominum Nicolaum, & dictus dominus Nicolaus præsentaverit ante vos, & sic vicerit quoad hoc personam vestram, videtur quòd dictus Dominus Petrus debeat pro hac vice vincere vos & præferri, ac poni in locum præsentationis factæ per dictum Dominum Nicolaum, quoad tempus turni, per antetactam regulam, si vinco vincentem te, &c. Sed licet hæc videantur apparentia, tamen revera sunt sophi-
2 stica, quia injuria † facta domino Petro Duwez per dominum Nicolaum fuit personalis, concernens duntaxat ejus personam, & sic debet sibi soli nocere, *le. si per imprudentiam. ff. de evictio. cum similibus.* nec vos habuistis pro illa vice interesse, vel causam opponendi vos, cùm nondum turnus vester advenisset, & quanquam ex post sit facta concordia inter Dominum Petrum Duwez & Dominum Nicolaum, illa non potest vobis obesse, quia
3 res † inter alios acta per concordiam vel submissionem alijs non præjudicat, imò nocet concordiam ineunti, *textus est notabilis in le. si dictum. §. si cum promissero. ff. de evictio.* Imò quod fortius est, res inter alios acta non præjudicat tertio, etiam si in contradictorio judicio per sententiam negocium fuerit diffinitum, *le. denunciasse. paragr. ff. de adulter.* & *capit. dilecto, cum ibi notatis, de præbend.* & *le. Claudius Felix. ff. qui pot. in pign. habe.* maximè cum virtute concordiæ dictus Dominus Petrus verè præsentaverit, saltem semel, quo stante ipse debet quiescere & supersedere à præsentatione, donec & quousque viderit omnes alios præsentare ante se, quia aliàs in-
4 fringeretur turnus & observantia † antiqua, quæ minimè est mutanda *l. minimè ff. de legi.* Nec obstat quòd hujusmodi concordia facta est salvo jure cujuscunque, quia dicta clausula est pro vobis, cũ ex hoc convincatur, quòd salvum remanserit jus vestrum, vobis ex patientia dicti domini Petri quæsitum, & hìc verifica-
5 tur illa regula suprà allegata, quòd † quis consequitur ex persona alterius, quod ex propria persona non consequeretur, *d. l. Aristo.* quod procedit, quando ille tertius non est submissus ad faciendum actum per illum qui ex ejus persona a-

na aliquid vult consequi, secundum *Dyn. in regula, quod alicui, de regul. jur. lib. 6.* prout punctaliter accidit in casu præsenti: nam Dominus Nicolaus non fuit per vos submissus ad faciendum præsentationem ante dominum Petrum, ut verisimiliter credo: unde licet ex propria persona vos non potuissetis præsentare ante dominum Petrum Duwez, tamen ex persona domini Nicolai, qui dominum Petrum vicit & superavit, hunc turnum de cætero ante eum estis consecuti, *d. l. Aristo.* &c. autoritate Martini, *de conces. preb. ubi bonus text.*

Restat autem solum respondere ad
6 regulam si † vinco vincentem te, &c. Quia dico primò, quod dicta regula non procedit in victoria, quæ fieret in diversis casibus: unde non sequitur, vinco Titium in ludo pilæ, & Titius vincit in hastiludij, ergo vinco te in ludo hastiludij, *Auth. licet patri, C. de natura. lib. ubi casus cum concor. ibi in gl. allegat.* Secundò dico, quòd dicta regula non procedit, quando non est eadem ratio vincendi, *tex. est notabilis valde in præalleg. l. Claudius Felix,* & *vult Cyn. in d. Auth. licet patri,* & *Io. And. in novella:* & *Domini in d. c.* autoritate Martini, & ita propriè est in casu prætensi: nam quòd dominus Petrus vicit dominum Nicolaum post jus acquisitum vobis, hoc contigit ex concordia inita, quæ concordia vobis præjudicare non potuit in jure vobis quæsito, etiam si non fuisset adjecta illa clausula, sine præjudicio juris cujuscunque: quibus medijs puto vos debere præferri præfato domino Petro in præsentatione beneficij nunc va-
7 cantis, quia jus † vobis quæsitum sine facto vestro vobis auferri non potuit: & jus competens præfato domino Petro ablatum per præfatum dominum Nicolaum in præjudicium vestrum recuperari non potuit per concordiam, *d. § si compromisero.* imò nec per sententiam *d. l. Claudius Felix.* Domine his benè & feliciter valeatis: ex Mechlinia die octava Januarij, 1506.

CONSILIUM CXIX.

SUMMARIA.

1 *Contractus antenuptiales mutuo consensu cõjugum revocari possunt, licet tertio sit ex eo jus quæsitum.*

2 *Jus alicui irrevocabiliter quæsitum sine ipsius facto auferri non potest.*

3 *Consuetudo posterior prævalet anteriori.*

4 *Hæres defuncti factum, etiam aliàs invalidum, impugnare non potest.*

5 *Mulier de dote in præjudicium extranei testari non potest.*

6 *Dispositio de re hæredis æquè valet sicut de re propria testatoris.*

7 *Dictum Doctoris intelligitur secundum legem quam allegat.*

8 *Cui competit actio, ei multò magis datur exceptio.*

9 *Jus accrescendi locum habet in contractibus ultrò citroque obligatorijs. Secus in alijs, ut, stipulatione & similibus.*

10 *Ad communionem nemo invitus cogitur.*

11 *Jus accrescendi inter socios etiam locum habet.*

12 *Domo legata quid debeatur, &c.*

13 *Minus sequitur majus.*

14 *Possidere insolidum & pro indiviso differunt.*

15 *Possessionis amissio non præsumitur.*

16 *Legatarius propria authoritate legatum apprehendere non debet, nisi à testatore data sit ipsi facultas apprehendendi tacitè vel expresse, & num. 17. & 18.*

19 *Argumentum à contrario sensu statuti ad correctionem juris communis non valet.*

20 *Læsus propter damnum casualiter contingens, non restituitur.*

21 *Donatio reciproca vel remuneratoria inter conjuges prohibita non censetur.*

22 *Statuta & consuetudines recipiunt interpretationem à jure communi.*

23 *Ex titulo etiam invalido transfertur possessio.*

24 *Ubi possessio est apud alium, non transfertur per actus fictos, nisi interveniat consensus vel factum possidentis.*

25 *Fictio non cadit super impossibili.*

26 *Aspectu vel verbis non transfertur possessio, si alius est in possessione.*

27 *Ingrediens fundum alterius jure familiaritatis, possidere non dicitur.*

28 *Agenti interdicto retinendæ si objiciatur defectus proprietatis, probatioque incontinenti offeratur, necessariò succumbit.*

29 *Mulier quantum secundo marito, existentibus ex primo matrimonio liberis, relinquere possit.*

30 *Dubitatio nulla esse censetur, ubi casus legis haberi potest.*

PRæclarissime domine Cancellarie, pro notitia clari juris Ioannis van der Heyden, in materia recredentiæ coram vobis pendente, difficultas totius materiæ videtur consistere in punctis infrà scriptis. Primò, utrum contractus antenuptialis conclusus inter eundem Ioannem & domicellam Gertrudem suam dum vixit uxorem, ante matrimonium, revocari potuit validè per eosdem, post matrimonium inter eos consummatum, nec ne: attenta prætensa consuetudine per ipsos impetrantes allegata, qua caveri dicunt, contractus antenuptiales per ipsos conjuges, constante matrimonio, revocari non posse. Secundò, utrum D. Ioannes, quoad unam medietatem domus, quam medietatem, ipse & sua uxor, simul conduxerunt erga impetrantes hujus causæ ad certos annos nondum effluxos, sit benè fundatus contra impetrantes, ut sinant eum uti, frui, & gaudere dicta medietate, juxta tenorem arendæ. Tertiò, utrum dictus Ioannes, quoad aliam medietatem domus, & alia sibi in testamento per suam uxorem relicta, cum clausula, quod posset ilicò post ejus mortem illa propria authoritate apprehendere, similiter sit benè fundatus, non obstante prætensa consuetudine, statuto, usu, vel observantia, allegata per impetrantes: qua caveri prætendunt, quòd possessio transfertur in hæredem, ilicò post mortem defuncti, sine apprehensione, & quòd maritus potest relinquere uxori, & econtrà, domum quam inhabitant ad vitam cum una marcha argenti & non quan-

plus, & quòd hoc habet locum, quan-
do non eſt facta conventio antenuptialis
in contrarium, & non aliàs, &c. Et quan-
tum ad primum, certum eſt de jure, con-
tractus † antenuptiales initos inter fu-
1 turos conjuges, mutuo conſenſu poſſe re-
vocari, licet ex hoc tertio ſit quæſitum
jus, *argum. l. 1. C. ſi mancip. ita fue. alien.
ne manu.* quæ loquitur etiam in actu
multum favorabili puta libertatis, &
*per notata per Bar. Ioan. de Imol. & Doct.
in l. qui Romæ, in §. Flavius Hermes. ff. de
verbor. oblig.* ubi volunt, quòd ſi dono Ti-
tio fundum cum pacto, quod poſt mor-
tem Titij ille veniat ad Eccleſiam, non
obſtante hujuſmodi pacto appoſito in fa-
vore Eccleſiæ, Titius & ego poſſumus a-
liter diſponere, & illud pactum revocare
realiter, quòd Eccleſia poſt mortem Ti-
tij agendo ex illo pacto nihil conſequi
poſſet, ergo idem in propoſito: & ad i-
dem eſt textus *in le. Seja. ff. de dote præ-
leg.* ubi mulier quæ dedit dotem animo
donandi adhibuit tertium ad ſtipulandum
dotem ſibi reddi ſoluto matrimonio mor-
te mulieris, & ſic ex ſtipulatione & do-
natione fuit illo tertio jus quæſitum, &
tamen dicit ibi textus juncta gloſſ. quod
non obſtante hujuſmodi donatione & ſti-
pulatione, mulier poteſt de dote diſpone-
re & voluntatem mutare, quo ſervit pro-
2 poſito. Nec obſtat ſi dicatur, quòd jus †
quæſitum, ex hujuſmodi pacto non po-
teſt auferri ſine facto eorum quibus eſt
jus quæſitum, *le id quod noſtrum. ff. de
reg. jur. juncta l. quotiens C. de donat.
quæ ſub modo.* Quia reſpondetur, prout
reſpondet *Ioan. de Imol. in d. §. Flavius,*
quod hoc eſt verum, quando quæſitum
eſt jus alicui irrevocabiliter: In caſu au-
tem præſenti quæſitum eſt jus revocabi-
liter, quo caſu non procedit contrarium,
ſecundum eum, & alios ibidem *per l. ſed
& ſi quis. in princip. & § primo, juncta
gloſſ. ff. de uſufruct.* Et poſito quòd eſſet
quæſitum jus irrevocabiliter impetranti-
tibus: tamen ex quo fuerunt & ſunt hæ-
redes dictæ domicellæ Gertrudis, certum
eſt & de jure indubitatum, quòd ipſi con-
tra factum defunctæ venire non poſſunt,
per jura ſtatim alleganda. Non obſtat
etiam prætenſa conſuetudo articulata per
impetrantes, quia illa non creditur pro-
3 bata: imò clariſſimè † creditur probata
contraria obſervantia vel conſuetudo po-
ſterior, quæ magis eſt attendenda, *juxta
notata per Bald. in cap. primo, de feud.
cogn. in uſibus feudorum, & probatur in l.
Mela, poſt principium, ff. de alimen. & ci-
bar. legat.* Poſito tamen ſine præjudicio,
quòd conſuetudo eſſet probata, & quòd
4 jura hoc vellent tamen adhuc id non ſuf-
fragaretur impetrantibus, cùm † ipſi im-
petrantes ſint hæredes dictæ domicellæ
Gertrudis, cujus hæreditatem adierunt &
agnoverunt, & ergo contra factum de-
functi venire non poſſunt, etiam licet il-
lud factum aliàs de jure non ſubſiſteret
eis non conſentientibus, textus eſt ad lite-
ram *in l. cum à matre, C. de rei vendic.*
Ex qua perſona enim quis lucrum captat
ut hæres, ejus factum præſtare debet,
l. ex qua perſona. ff. de regul. jur. & quan-
tum ad propoſitum noſtrum, de iſto eſt
caſus in terminis *in l. cum maritus. §. fi-
na. in fi. & ibi Bald ff. de pact. dot. & vult
expreſſè gl. ordinaria in dicta l. Seja, &
Bart. Bal. Paulus de Caſtro, Ioannes de
Imo. Alexan. & Doctores, in l. quæ dotis. ff.
ſoluto matrimonio*, qui omnes intelligunt
dict. l. cum maritus. §. fina. quòd ibi con-
ſtabat, fratrem eſſe adhibitum ad ſti-
pulandum dotem animo donandi inter
vivos, *prout gloſſa ibidem etiam intelligit,
& Baldus, Salicetus & Doctores in l. ſe-
cunda. C. de jure dot.* Quod enim ibi
frater agit ex ſtipulatu contra maritum
eſt ex eo, quia non fuit hæres ſororis, &
ſic ſoror in præjudicium ejus non potuit
de ea diſponere. Quòd ſi frater fuiſſet ejus

 hæres,

hæres, utique potuisset soror in præjudicium ejus disponere, ut ibi vult clarè textus in fine, & expressissimè ibi Bald. qui
5 dicit hæc verba. nota. quòd mulier † non potest testari de dote in præjudicium extranei, cui erat jus quæsitum, sed solùm in præjudicium suorum hæredum, & iste
6 casus noster. Nemo enim ambigit, quin † valeat dispositio de re hæredis sicut de re propria testatoris, *l. unum ex familia. §. si rem, ubi textus clarissimus, ff. de legat.* 2. & *l. cum filius §. dominus, illo eodem titu.* & ita etiam debet intelligi dictum *Bald. in l. pro hereditarijs, in fine, C. de hæredit. ac.* qui etiam in eadem lege, in quinta columna, allegat *dictam l. cum maritus.*
7 *§. fina.* dictum † autem Doctoris debet intelligi secundum legem quam allegat, secundum *Bartolum, in l. non solùm. §. si deliberationis verba. ff. de libera. legat.* dato etiam quod dictum Bald. esset verum, de quo tamen multum dubitat dominus Alexander (& non immeritò) *in dicta l. quæ dotis, in 3. colum. in versic. tertio prædicta limitabat Bald.* Quò autem ad secundum, certum est, dictum Iohannem non possidere duas quartas partes domus, quæ faciunt medietatem ejusdem per eum & uxorem suam conductas, sic quòd ei illius occasione interdictum uti possidetis, non competit. Non autem est dubium, quin quoad unam quartam ei ex sua persona competit actio civilis ex conducto contra impetrantes, ut sinant & permittant eum uti & frui sua conductione, *tot. tit. ff.* & *C. de loca. & conduct.* & *vult in specie Io. Fab. in §. retinendæ, in prima colum. Institut. de in-*
8 *terdict.* & sic † si sibi competat actio, multo fortius exceptio, *l. invitus. §. cui damus. ff. de regulis juris, cum sim.* quo autem ad reliquam quartam, utrum illa prædictæ quartæ accrescere debeat ad utilitatem dicti Ioannis alterius ex conducentibus adhuc superstitis, magis videtur

9 dubium, quia † in contractibus regulariter non habet locum jus accrescendi, *l. si mihi & Titio, ff. de verb. oblig.* Sed illo non obstante, in casu præsenti inconvincibilitet deducitur, contrarium esse verum, medijs infrà scriptis. Primò, quia licet in contractibus non ultro cirroque obligatorijs, ut in stipulatione & similibus non habeat locum jus accrescendi, ut probat *d. l. si mihi & Titio*, tamen in contractibus, ultro citroque obligatorijs, ut est contractus emptionis & venditionis, & quantum ad propositum cõtractus locationis & conductionis, locum habet jus accrescendi, *ut est tex. clarus in l. fundus ille. ff. de contrah. empt.* & *ven.* & *ibi Bald.* & *vult expressè Cyn. in l. fina. C. de inuti. stipu.* Et suadet triplex ratio. Prima, ne resoluta conductione per mortem
10 alterius, ex conducentibus, quis invitus † ad communionem cogatur, contra *l. fina. C. com. divid.* Secunda quia contractus redderetur inutilis, contra *l. quotiens. ff. de verbor. oblig.* quia ut notabiliter dicit *Bald. in l. fina. in* 1. *colum. ff. de constit. in princi.* jus accrescendi habet locum in contractibus, quotiens contractus aliàs redderetur inutilis: in casu autem præsenti contractus conductionis redderetur inutilis, si dictus Ioannes, qui est mercator, non posset exerceri suam præstantiam in domo conducta ad libitum suum,
11 ut de se patet. Tertia est, quia inter † socios locum habet jus accrescendi, *l.* 1. *C. si libera. impe. sol. lib.* 10. & *vult Bald. in d. l. fin.* vir autem & uxor sunt socij, *l. prima, cum ibi notatis, ff. rer. amo* & *l. alimẽta, §. fi. ff. de alimen.* & *cib. leg cum sim.* & tales sunt in hac patria notoriè reputati, quare, &c. Secundò deducitur illud ex alio, posito etiam quòd primum cessaret, qui in instrumento revocationis apud a-
12 cta exhibito præfati conjuges † partem domus, de qua est quæstio, sibi invicem legaverunt & reliquerunt, & sic sibi

sibi invicem nedùm jus conductionis, imò totum jus quod in eadem domo habuerunt, legasse censentur, *l. si domum. §. fina. ff. de legatis primo*, & *l. quod in rerum, §. illo eod. tit. cum utrobique not. per Doctor.* adeò quòd ipse impetrantes, qui sunt dictæ domicellæ hæredes, non solùm tenentur sinere & permittere dictum Joannem uti & frui dicta quarta parte domus, verùm etiam mercedem conductionis pro rata quitare. *l. qui concubinam. § qui hortos* & *ibi casus. ff. de lega. 3.* Præterea posito sine præjudicio, quod ad præfatam quartam dicto Johanni nullum competeret jus, tamen quia habet jus conductionis in una quarta ex sua persona, ut probatum est suprà, ut etiam veram possessionem cum legitimo titulo, in alia medietate totius domus, & infrà deducetur, sequitur ergo quòd dicta quarta pars, etiam si verè esset contentiosa (prout non) per præallegata, tamen reliquas tres quartas sequi deberet, quia
13 † minus sequitur majus, *l. sancimus. §. ne autem, C. de donatio.* maximè ubi res non patitur commodam divisionem, *argum. l. non amplius, § fin. ff. de legat. primo cum similibus.* Quò autem ad tertium præsupponitur primo, tanquam indubitatum, quòd conjuges juxta notoriam consuetudinem oppidi Antverpiensis possident pro indiviso, licet non insolidum, omnia & singula bona mobilia, ac etiam domum quam inhabitant, cùm domus ibidem de cõsuetudine notoria inter mobilia reputentur. Quæ autem sit dif-
14 ferentia † inter insolidum possidere & possidere pro indiviso clarè habetur *in l. si ut certo. §. si duobus vehiculis. ff. commo.* & ita præsupposito quòd consuetudo per impetrantem allegata esset probata, tamen non posset impetrans aliam vel ampliorem habere possessionem, quam habuit defuncta domicella Gertrudis, & ita quamvis nullum esset testamentum,

15 conditum, tamen dictus † Iohannes cum impetrante, jam pro indiviso præfata bona mobilia omnia & singula, & domum antetactam possideret, prout vivente dicta domicella Gertrude corpore & animo possedit, quia ipsa possidere non desijt, neque à possessione unquam prohibitus fuit vel expulsus, quare eandem retinuit, *l. clàm possidere. §. qui ad nundinas, ff. de acqui. poss.* & maximè dicta revocatione attenta, quam ipsi impetrantes tanquam dictæ domicellæ hæredes observare debent *per jura suprà in prime puncto allegata.* Præterea dictus Iohannes non solùm est possessor dictorum bonorum mobilium & medietatis domus non conductæ pro indiviso, sed etiam verus & insolidus possessor omnium sibi in hujusmodi testamento relictorum, quorum possessionem insolidum illicò post mortem dictæ domicellæ apprehendit, prout sibi illa apprehendere licuit tenore testamenti attento. Nec obstat si dicatur, quòd dictus Iohannes est nu-
16 dus legatarius, legatarius † autem non potest propria auctoritate apprehendere legatum, sed debet illud capere de manu hæredis, aliàs perdit legatum, *l. non est dubium, C. de legat,* videtur ergo quòd ipse Iohannes non est adeptus possessionem hujusmodi legatorum, & si aliquam esset adeptus, illam cum vitio esset adeptus, ac jus sibi competens ex legato perdidisset, & per consequens non potest intentare interdictum uti possidetis. Quia respondetur, quòd regula *d. l. non est dubium,* patitur multas fallentias, & inter aliàs patitur illam, quòd hoc
17 † non est verum quando data est legatario facultas apprehendendi suum legatum propria auctoritate, vel à se ipso uti factum est in casu præsenti, ut ex tenore testamenti liquidè constat *textus est in l. Titia cum testamento, in § . 1. secundum tertiam lecturam gl. approbatam ibidem*

dem Bart. Bald. Paul. de *Caſt. Alexan. in*
apoſtolis, & *Doct. ff. de leg. ſecundo,* & *per*
Bald. in l. 1. in 3. col. ſuper prima. gloſ. C.
communi. de legatis, & *vult Bart. in l. ter-*
tia, C. de pigno. & *Ludovicus de Roma, in*
ſingularibus ſuis, ſingulari 89. incipiente,
adverte ad me, & *voluit Bald. Ang. Salic.*
Paul. de Caſt. Alexan. de Imo. & *Dom.*
Iaſon in prȩallegata lege non eſt dubium,
& *idem Bald. in l. legis Iuliæ, C. qui bo.*
ce. poſſunt, & *Bart. in l. legitimos. in princ.*
ff. de legit. tutor. imò plus notabiliter vo-
luit Angel. in l. hoc ſi res, ff. de rei vendi-
ca. & *idem Ang. Paul de Caſtro, Salicet,*
18 & *Iaſon in dict. l. non eſt dubium,* videli-
cet, quòd † etiam tacita licentia ſufficit,
unde, ſi teſtator legaverit domum, & inhi-
beat hæredibus, ne impediant legatarium
in poſſeſſione, per hæc verba videtur data
licentia occupandi auctoritate propria, ſe-
cundum *Ang. in dicta l. hoc ſi res,* & *alios*
in præalleg. l. non eſt dubium. Nec ob-
ſtat etiam prætenſum ſtatutum, quo im-
petrantes caveri dicunt, quòd conjuges
poſſunt ſibi invicem legare domum ad
vitam & Marcham argenti, & non plus.
Quia reſpondetur per interemptionem,
negando quòd in hujuſmodi prætenſo
19 ſtatuto habeatur dicta clauſula, & non
plus, vel æquipollens: nec poteſt † argui
à contrario ſenſu illius ſtatuti ad corre-
ctionem juris communis, quod permittit
conjuges ſibi mutuo legata relinquere,
d. l. cum maritus, § fina. & *l. fina. C. de*
infir. pœ. & *præalleg l. Seja. ita notabiliter*
vult Bart. & *Doct. in l. omnes populi, ff.*
de juſti. & *jure:* & poſito quod clauſu-
la illa, & non amplius, haberetur in præ-
tenſo ſtatuto (prout non) & poſito,
quòd argumentum à contrario ſenſu ha-
beret locum in ſtatutis ad correctionem
juris communis, tamen adhuc non obeſ-
ſet in caſu præſenti, tum quia illud ſta-
tutum non eſt in obſervantia, ut ſperatur
clarè probatum apud acta, tum etiam &

ſi eſſet in obſervantia, tamen duntaxat
procederet in donatione, vel legato ſim-
plici, quæ vel quod fieret ab una parte
tantùm, & non quando eſſet donatio vel
legatum reciprocum, *argum. l. ſi pater*
puellȩ, & *ibi hoc voluit Cyn. Bald. Salicet.*
Paul. de Caſt. Iaſ. & *Doct. C. de inoffic.*
20 *teſtamen.* & eſt ratio, quia † quandocun-
que aliquid ſe habet ad lucrum, & ad
damnum, licet caſualiter contingat da-
mnum, non per hoc dicitur quis lædi:
& ſi talis eſſet minor, non deberet tan-
quam læſus ob hoc reſtitui, *text. eſt ſin-*
gularis in l. de fideicommiſſo, & *ibi hoc*
volunt Pau. de Caſtro, & *Iaſon, C. de*
tranſact. & *Bald. in l. cum Archimedo-*
ram, C. ut in poſ. legat. & *probatur in d. l.*
21 *cum pater puellæ.* Item non † procede-
ret quando eſſet donatio remuneratoria,
text. eſt notabilis in l. quòd autem. §. ſi
vir. ff. de donat. inter vir. & *uxor.* & *hoc*
per illum text. volunt Panorm. Præpoſit.
& *Doctor. cano. in cap.. fin. circa princ.*
de donat. inter vir. & *uxor.* In caſu au-
tem præſenti eſt donatio ſeu legatum
reciprocum & remuneratorium, ut ex
tenore teſtamenti liquidè conſtat, ergo,
&c. Nemo enim ignorat, quin ſtatuta
22 † & conſuetudines recipiant interpreta-
tionem à jure communi, quia eſt *text.*
clarus in l. 2. C. de noxa. act. & *in cap. cum*
dilectus, de conſuet. & *cap. cum dilectus,* &
in cap. ad audientiam, de cleric, non reſid.
& *utrobique Doct.* Item ex alio non ob-
23 ſtat dictum ſtatutum, quia licet † forſi-
tan per hujuſmodi ſtatutum prohibeatur
donatio vel legatum, tamen ex hujuſ-
modi donatione vel legato, etiam ſi eſſet
inutile, benè transfertur poſſeſſio appre-
henſa per legatarium vel donatarium,
l. 1. §. ſi vir, ubi caſus, ff. de acquir. poſſeſ-
ſione, quod ſufficit propoſito: quia in ca-
ſu præſenti duntaxat agitur poſſeſſorio.
Non obſtat etiam prætenſa conſuetudo,
qua poſſeſſione abſque apprehenſione in
proxi-

proximiorem hæredem defunctæ continuari dicunt, quia illa prætensa consuetudo non creditur esse probata, nec creditur esse in observantia, maximè quando contrarium dispositum est per testatorem, prout in illo casu, qui servit proposito in oppido Antverpiensi frequenter, & etiam in hac curia præcipuè de anno Domini 1502. 24. Decembris, inter quondam Iohannem Vosselman impetrantem & Wilhelmum Houtakere defensorem. Similiter in anno Domini 1497. 21. Iulij, inter executores testamenti quondam Balthazaris Wouters, & Petrum ac Laurentium Dijck, hæredes ipsius Balthazaris ex altera, judicatum fuit. Et dato sine præjudicio: quòd hujusmodi consuetudo esset approbata, tamen non haberet locum, quando possessio est apud alium, quia
24 † ubi possessio est apud alium per actus fictos non transfertur in alium non interveniente consensu vel facto illius penes quem est, quia illa actualis apprehensio impedit illam continuationem fictam introductam à consuetudine vel statuto, ut notabiliter vult *Alexan. de Im. in consilio* 83. 2. *voluminis, incipiente*, *Redemptoris nostri invocato suffragio visa facti narratione*, &c & *idem Alex. in l. cum heredes, in princ. ff. de acquir. poss.* & *Rapha. Cuma. in l. Pomponius. §. quæsitum, ff. de acqui, poss.* & *Do. Iason. in l. si sorori, C. de jur. delib.* & *est de mente gl. ordin. in l. cum miles, super verbo, quasi conjunctim, ff. ex quib. cau. ma. quam gl. Ias. in d. l. si sorori, valdè commendat*, & est ratio, quia
25 fictio † non cadit super impossibili, nec habet locum fictio, ubi non potest habere locum veritas, secundum *Bart. in l. si is, qui pro emptore. ff. de usuca.* sed impossibile secundum veritatem, duos in solidum eandem rem possidere. *d. l. si ut certo. §. si duobus*, ergo non potest habere locum fictio, unde dicunt *Compost. Panorm.* & *Doct. in cap. 2. de consuet.* quòd licet aspe-
26 ctu † & verbis transferatur possessio, ubi quis est in conspectu rei. *l. quomodo meo de acquiren. possess.* tamen hoc fallit, quando alius erat in possessione: cùm ergo dictus Iohannes ante mortem suæ uxoris omnia & singula bona mobilia & medietatem domus possederit cum eadem pro indiviso, sibique omnia & singula legata realiter & de facto apprehenderit, prout potuit per suprà dicta, ac in possessione eorundem semper remanserit: de jure indubitatum est eundem in casu præsenti, quò ad recredentiam obtinere debere, non obstante hujusmodi prætensa consuetudine, quæ in hoc casu locum habere non potest per suprà dicta, & non obstante dictorum impetrantium familiari conversatione, quam in prætacta domo habuerunt & habent, cùm ille † qui
27 jure familiaritatis vicini fundum ingreditur, non videatur possidere, *l. qui jure familiaritatis. ff. de acquir. possess. cum sim.* Cùm ergo ad obtinendum in interdicto uti possidetis, requiratur, quòd illud intentans possideat tempore litis contestatæ, non vi, non clàm, non precariò ab adversario. *§. retinendæ, in fin.* sequitur, quòd dicti impetrantes obtinere non possunt, in hac materia non recredentiæ, sed dictus Iohannes qui ante mortem suæ uxoris, & in morte & post mortem semper fuit & permansit in possessione domus & aliorum bonorum mobilium ad se spectantium, & quorumcunque aliorum sibi testamentaliter relictorum, præter id, & absque eo, quòd inter dictum Iohannem & quondam suam uxorem, aut etiam inter impetrantes, qui personam dictæ domicellæ Gertrudis, tanquam ejus hæredes nunc repræsentant, & eundem Iohannem aliqua unquam facta fuerit divisio, & maximè debent dicti impetrantes succumbere, quia eis obstat notorius defectus proprietatis, qui ex actis & præcipuè ex instrumento testamenti

& revocationis, ac alijs pro parte dicti Ioannis exhibitis liquidè constat: nam quan-
28 docunque † agenti interdicto retinendæ objicitur defectus proprietatis, & offertur incontinenti probatio, tunc etiamsi de sua possessione constet, ipse succumbit, juxta ea, quæ notabiliter vult *Dyn. in regula qui ad agendum, de reg. jur. libro 6.* & *Cyn. post eum multum latè in l. secunda, C. de edict. Divi Adria. toll.* Nec aliquid facit contra prædictam *l. hac edictali, circa princip. C. de secund. nupt.*
29 qua cavetur, quòd † mulier habens proles ex primo marito, si nubat secundo, non potest illi secundo in testamento, vel aliàs plus relinquere, quàm uni filiorum reliquit, quia in casu præsenti dicta domicella de suo non reliquit plus dicto Iohanni suo marito, quàm alicui filiorum, imò quælibet prolium, quasi in duplo plus habebit hæreditariè, quàm dicto Iohanni per eam sit relictum ad vitam suam duntaxat. Præterea dato, quòd ei plus esset relictum, prout non, tamen ex hoc non vitiaretur tota dispositio, sed solùm eatenus, quatenus plus ei esset relictum, quàm alicui filiorum, ut ibi aper-
30 tissimè dicit text. Cùm † ergo ibi sit casus l. pro dicto Iohanne, quod ei relinqui potest tantum, quantum alicui filiorum relinquitur: sequitur ergo, quòd de hoc nulla est dubitatio, *l. ancillæ, cum gl.* & *ibi Bald. Paulus de Cast.* & *Doct. C. de furtis.*

CONSILIUM CXX.

SUMMARIA.

1 *Papa vel Princeps non præsumitur voluisse alicui præjudicare in jure competente, nisi illud exprimat.*

2 *Verba impropriè accipienda sunt, ne præjudicetur tertio in jure quæsito.*

3 *Clausula: Motu proprio in rescriptis, quid operetur. &c.*

4 *Clausula: Non obstantibus quibuscunque, &c. cujus effectus.*

5 *Verba generalia semper intelligenda sunt sine alterius præjudicio.*

6 *Claus. Non obstante collatione alteri facta, intelligi debet de collatione invalida.*

7 *Collatio facta de beneficio non vacante, nullius est momenti.*

Viso processu, pendente coram Reverendo in Christo patre domino Conservatore privilegiorum præclaræ universitatis Lovaniensis inter Jasparem de Langroede actorem ex una, & Dom. Iohannem Garrot reum, ex altera, visa etiam consultatione in hac materia confecta per clarissimum jurisperitum magistrum Nicolaum de Amsterdammis, videtur mihi Nicolao Everhardi de Middelburgo utriusque Juris Doctori omnium minimò, actis attentis, de jure esse dicendum, sententiandum & pronunciandum, prout & quemadmodum eleganter & subtiliter per dictum dominum præconsulentem est conclusum. Pro quo ultra subtiliter allegata per eundem, adduco
1 quòd † Papa vel princeps non intendit alicui præjudicare in jure sibi competente in re vel ad rem, nisi hoc exprimat, etiam si rescribat in materia, in qua per solam voluntatem posset alteri jus auferre, ut in beneficialibus, *text. est clarissimus loquens de jure ad rem. in c. quamvis, de rescript. lib. 6.* & *ibi omnes scribentes*, imò verba
2 † improprientur, ut non præjudicetur tertio in jure quæsito, *tex. est notabilis in c. super eo, de offic. de leg.* imò quod fortius est, si Papa in literis de providendo † ap-
3 ponat illam clausulam, motu proprio, non tamen

tamen per hoc intelligitur derogare juri tertij quæsito eidem tertio in re vel ad rē, sed solùm tollitur surreptio, *ut gl. notabilis in Clem. per literas, super verbo directas,* & *in Clem. si Romanus pontifex, super verbo validam. de preben.* & *voluit Lap. Dominic.* & *Phil. Franc. in d. cap. quamvis,* & *in cap. si postquam,* & *in cap. si tibi absenti, de preben. lib. 6. imò secundum Domin.* &
4 *Philip. in d. cap. quamvis.* licet † Papa in gratia de providēdo apposuerit clausulam illam generalem, non obstantibus quibuscunque, per quæ effectus nostræ gratiæ posset quomodolibet impediri vel differri, adhuc non fieret præjudicium tertio, cui esset quæsitum jus in re, vel ad rem,
5 quia talia † verba generalia debent strictè intelligi, scilicet sine alterius præjudicio, *per prealleg. c. super eo,* ut ibi latius per eos, imo si dicatur in literis Papæ, quod vult eum omnibus alijs anteferri, adhuc non præfertur alteri, cui jus est quæsitum in re vel ad rem ex electione, præsentatione, vel collatione sibi absenti facta, ut voluit originaliter *Compost. in c. causam, de rescript.* ubi dicit, se de mandato Papæ ita pronunciasse in quadam causa Mediolanensi, & ibi optimè *per Felin. maximè in secunda col. post Egidium de Bellemere, decisione 167.* imò quòd fortius est, etiam si Papa mandaverit, alicui certum beneficium conferri cum clausula illa, non obstante collatione alteri facta, adhuc non fit prejudicium illi, qui habet collationem
6 justam. Nam dicta clausula † non obstante collatione alteri facta, debet intelligi de collatione invalida, ita singulariter dicit *Compost. in d. cap. causam, de rescript.* & *sequuntur ibi Ioan. And. Ant. de Butrio, Ioan. de Imo. Dominic. Felin.* & *alij.* & *Phil. Francus in prealleg. c. si postquam, in fine,* cùm ergo de collatione facta dicto domino Iohanni Garrot defensori hujus causæ non fiat mentio in literis Papæ de providendo, sequitur quòd Papa non voluit eidem Domino Iohanni in jure sibi quæsito præjudicare, *per jura præallegata,* imò quod fortius est, quando absenti confertur beneficium, licet eidem absenti ex hujusmodi collatione non acquiratur jus in hujusmodi beneficio, sed solùm jus ad rem ante acceptationem per eum factam, licet etiam hujusmodi beneficium sit collatum absenti ante accepta-
7 tionem dicatur vacare, tamen † ex quo hujusmodi beneficium per collationem factam absenti non est liberum etiam ante acceptationem, non valet collatio facta alteri de hujusmodi beneficio, sic ut præmittitur absenti collato, sive talis collatio fiat per illum qui primò contulit absenti, sive per legatum, sive etiam per Papam, nisi absens, cui facta fuit collatio, requisitus recusaverit acceptare vel consentire, *ut est textus singularis,* & *ibi hoc volunt Lap. Phil. Francus,* & *alij in præalleg. c. si tibi absenti, de præben. lib. 6.* nisi Papa de hujusmodi collatione mentionem faceret, secundum eos ibidem.

CONSILIUM CXXI.

SUMMARIA.

1 *Religiosus ante professionem contrahens matrimonium, censuras potius sustinere debet & uxori adhærere, quam econtrà manere in monasterio.*

2 *Adulterium separat matrimonium consummatum.*

3 *Ab excommunicatione inflicta per sententiam legis simplex etiam sacerdos absolvere potest.*

4 *Excommunicatio non impedit ingressum religionis nec professionē.*

5 *Ratio legis facit ipsam generaliter vel strictè intelligi.*

6 *Dispensatio cum irregulari ad solum Papam pertinet.*
7 *Bigamus & irregularis efficitur qui uxorem post commissum adulterium cognoscit: licet ignoret eum commisisse illud.*
8 *Divinare nemo tenetur.*
9 *Crimina paria tolluntur mutua compensatione.*

VEnerabilis domine Præposite, post salutem & commendationem, visis literis vestris, & casu illis incluso, statui incontinenti respondere, sed propter alias occupationes necessarias tunc emergentes non potui propositum adimplere: nunc autem opportunitate captata statui singulis dubijs vestris succinctè per ordinem respondere. Et primò, quoad primum breviter dico, quòd licet prima facie vi-
1 deatur dicendum, quòd † dictus religiosus, qui scit se matrimonium contraxisse, cum illa muliere ante professionem, debeat potius sustinere censuras & adhærere uxori, quàm econtrà manendo in monasterio damnare animam suam, *per text. pulchrum in cap. inquisitioni. in princ. de sent. excomm.* & *per nota. per omnes canoni. in c. ii qui fidem, de sponsa.* Tamen isto non obstante, dico contrarium esse verum in casu præsenti, quia ex
2 quo † dicta mulier commisit ex post adulterium adhærendo alteri, licuit dicto juveni ingredi religionem, non obstante matrimonio prius per eum contracto & consummato, ut est *tex. planus in c. Agatosa, 27. quæst. 2.* & *volunt Innoc. Panor.* & *Doct. in c. cùm sis, de conver. conjug.* nec obstat hic *d. c. inquisitioni.* quia hic alia ratio conformat pactum, puta adulterium & ingressus religionis subsecutus, *ut dicit l. interpositas, in fi. C. de transact.* nec obstat etiam *c. ex publico, in fi. de conversa. conjuga.* Quia illud recepit limitationem à *præall. c. Agatosa*, ut jam dixi, & tantùm de primo. Quo autem ad secundum, credo firmiter eum incurrisse sententiam excommunicationis virtute statuti synodalis excommunicantis clandestinè contrahentes matrimonium. Quò autem ad tertium, credo eum potuisse
3 † absolvi à suo curato, cum illa excommunicatione inflicta per statutum synodale non sit sententia hominis, sed legis, à qua simplex sacerdos potest absolvere, *secundum Pan.* & *Felin.* & *alios per eum latè relatos in c. nuper. de sen. excom.* & hoc quando absolutio non est per statutum reservata episcopo, secundum eum, prout in casu præsenti non credo absolutionem esse reservatam per statutum: & quanquam esset reservata, tamen adhuc idem videtur de jure dicendum favore religionis: & ne detur religiosis materia evagandi, *c. cum illorum, de sent. e xcomm.*
4 ubi habetur, quòd † excommunicatio non impedit ingressum religionis, nec professionem: & quòd Abbas potest absolvere monachum qui incurrit excommunicationem ante ingressum religionis. Et licet Panor. ibi restringat illum tex. ad ex-
5 communicationem pro violenta manuum injectione, tamen † ego credo illum tex. generaliter esse intelligendum, propter amplitudinem rationis positæ in tex. *arg. l. regula, in fin. cum ibi notat. per Bart. ff. de jur.* & *fact. igno.* sicut econtrà generalis dispositio restringitur propter rationem *l. cum pater. §. dulcissimis. de legat. secundo.* Quò autem ad quartum certum
6 est, quòd dispensare cum † irregulari regulariter spectat ad solum Papam, *cap. cum æterni, in fi. de sent.* & *re judic. lib. 6.* & *ca. primo. in fi. de sent. excomm. eodem lib.* Sed fallit in religioso irregulari, cum quo abbas dispensat, quando delictum non est grave, solùm enim iste deliquit clandestinè contrahendo. Præterea hoc non est verisimile, aliquam incursam esse irregu-

irregularitatem, cùm credatur pœnituisse & absolutionem recepisse diu ante receptionem ordinum, vel antequam celebraverit. Quò autem ad quintum dico
7 breviter, quod licet ita sit quòd † maritus efficitur irregularis & bigamus, quando uxor sua fornicatur, & ipse eam posteà cognoscit, licet ignoret eam adulteriũ commisisse, ut est *text. cum gl. in c. si cujus. 34. distinct.* tamen non video, quòd in casu præsenti ipse debebat aliquid for-
8 midare, cùm nemo † teneatur divinare, *c. unico, ut ecc. ben.* & *l. si putator. ff. ad l. aquil.* & si habeat fatuam conscientiem, illam debet deponere cum consilio confessoris, *d. c. inquisitioni*, ne ædificet ad Iehennam. *c. per tuam, secundo. de simo.* Quò autem ad sextum & ultimum du-
9 bium, dico breviter, quòd licet paria † crimina mutua compensatione tollantur, *c. penul. & fi. de adult.* tamen in casu presenti aliud est, quia propter delictum mulieris ipse potuit licitè intrare religionem, ut dixi, & religionem ingressus profitendo tria vota substantialia, unde res jam non est integra, & sic si post emissum votum ipse peccavit, per hoc non potest liberare à voto & religione, sed debet de hoc pœnitere, sicut dicitur in simili, *in c. meminimus, qui cler vel vo.* His benè & feliciter valete.

CONSILIUM CXXII.

SVMMARIA.

1 *Permutatio facta per aliquem de re non sua, non valet.*

2 *Beneficiatus censetur subditus episcopi in cujus diocœsi beneficium habet.*

3 *Clericus residere tenetur in loco beneficij ibique principale domicilium habere censetur.*

4 *Beneficiatus non residens in loco beneficij latitare dicitur.*

5 *Ejus est privare vel destituere, cujus est instituere.*

6 *Contra clericum malitiosè latitantem potest per edictum procedi.*

7 *Citatio facta per edictum in territorio citantis, existentem extra territorium constituit contumacem.*

VEnerabilis Domine Præposite, ad finem, ut liquidè constet in causa pendente coram vobis inter honestum juvenem Henricum clerici appellantem, ex una, & magistrum Iohannem in lima appellatum, ex altera, dictum appellantem fovere justam causam, placeat attendere ad infrà scripta. Primò, quòd capellania beati Ioannis Euangelistæ, de qua est questio, est situata in diocœsi Cameracensi, sub jurisdictione domini Officialis Cameracensis, ut ex actis primæ instantiæ clarè constat. Secundò, placeat attendere, quòd dominus Felix Boots suis delictis, criminibus & excessibus exigentibus fuit 6. Maij, anno 502. per sententiam diffinitivam dicti Officialis Cameracensis, quæ transivit in rem judicatam, ad instantiam procuratoris fiscalis reverendissimi domini Cameracensis legitimè & canonicè dicta capellania privatus, de qua privatione constat per sententiam dicti domini Officialis in actis primæ instantiæ exhibitam. Item tertiò placebit attendere, quòd post hujusmodi privationem sic ut præmittitur legitimè factam cum dicta capellania verè vacasset, fuit de ea provisum dicto Henrico clerici appellanti per illum, ad quem tempore vacationis spectabat collatio seu præsentatio, ut etiam constat per acta. Ex qui-

bus omnibus sequitur, quòd permutatio † posteà facta per dictum dominum Fe-
1 licem sententialiter privatum de dicta capellania, non valuit de jure, cùm non valeat permutatio facta per aliquem de beneficio non suo, *cap. unico cum verba sua, de re permuta. lib. 6. cum similibus*, & quod mala lata est sententia per Dom. Abbatem S. Gertrudis Lovaniensis, contra dictum appellantem, & quòd illa talis qualis sententia debet per vos judicem appellationis infirmari & retractari. Et licet hæc sufficiant, tamen pro majori elucidatione boni juris dicti appellantis, Respondendum est aliquibus objectis ex actis primæ instantiæ colligibilibus, propter quæ dicta privatio non videtur legitimè facta, quæ in effectu sunt tria. Primum est, quia dictus dominus Felix tempore privationis, & diu ante non habuit domicilium in diocœsi Cameracensi, nec in ea resedit, nec in ea deliquit, ergo videtur quòd non fuit subditus dicti Officialis Cameracensis, & per consequens non potuit per eum privari. Secundum fundatur *in c. postulasti, de for. compet.* ubi episcopus domicilij vel delicti privat quē beneficio propter delictum, & non episcopus in cujus diocœsi beneficium est situm. Tertium est, quia dictus dominus Felix, nunquam fuit in persona citatus, sed solùm per edictum, quæ citatio per edictum, non videtur sufficiens, ubi agitur de privatione beneficij, cùm agatur de gravi præjudicio. Sed istis non obstantibus contrarium, est verum. Nec obstat primùm, quia præsupponit falsum,
2 præsupponit enim, quòd † beneficiatus in aliqua diocœsi, non est subditus illius episcopi, nisi in ea resideat vel delinquat, quod est falsum, nam tex. est clarus in contrarium, *in c. cum nullus, de tempor. or. lib. 6.* Et patet ex alio, quia † principale
3 domicilium clerici est in loco beneficij, in quo tenetur residere de jure, *c. ad hæc, de præbend.* & *c. conquerente, de cler. non resi. cum similib.* Adeo, quòd citatus in loco beneficij, si ibi non reperiatur, præsumitur in dubio malitiosè latitare, & potest contra eum procedi per edictum, *ut vult singulariter Innoc.* & *post eum Io. And.* & *alij in cap. fi. de eo qui mitti, in possess. causa reservan. refert* & *sequitur Card. in Clemen. prima, in secunda quæstione de jud.* & *Ioan. de Im. in Clem. causam, de elect.* & *Panor. in c. prolatum, qui fi. sunt legit.* tenetur enim quilibet beneficiatus, ut dixi, de jure residere in beneficio suo, *d. c. adhæc, cum sim.* Non constat au-
4 tem ex processu, quod † dictus dominus Felix fuerit dispensatus de non residendo in dicta capellania, ergo se absentando ab ea videtur latitasse, & sic potuit contra eum procedi per edictum, per suprà dicta, & per ea quæ habentur & notantur *in Clem. 1. de jud.* & *in c. quoniam frequenter, in §. porrò, ut lite non contest.* & *est tex. expressus ad propositum in c. ex tuæ, in princip. de cleric. non resi.* & *ibi hoc vult Ioan. de Imo. in primo notab.* Præter-
6 ea ex actis patet, quòd † ad episcopum Cameracensem spectat institutio dictæ capellaniæ: ergo etiam ad eundem vel ad suum Officialem spectat destitutio & privatio, *per tex. in cap. ex injuncto, in fine, de heret.* maximè quando constat, quod Officialis ex commissione habet potestatem destituendi vel privandi, *cap. secundo, de offic. vicariorum, lib. sexto*, prout constat in casu præsenti ex actis primæ instantiæ. Non obstat etiam secundum, quia *in dicto cap. postulasti*, non negatur, quin Episcopus in cujus diocœsi est situm beneficium, posset privare, imò hoc ibidem præsupponitur, & pro indubitato habetur per Doctores, scribentes, sed deciditur quòd etiam Episcopus domicilij vel delicti hoc potest, de quo magis dubitabatur. Et sic non obstat.
6 Non obstat etiam tertium, quia † ut suprà

prà

prà dixi, clericus non residens in beneficio suo præsumitur fraudulenter latitare, & ergo contra eum potest procedi per edictum, *dicto capit. ex tuę*, ubi est casus, & *dicto §, porrò, cum alijs suprà al-*
6 *legatis*, & talis citatio † facta per edictum in territorio citantis constituit existentem extra territorium in contumacia, *ut est textus in Authen. si verò criminis, in principio, C. de adulter.* & apertior textus *in dicto cap. ex tuæ, in principio*, qui text. loquitur in casu nostro, quando fit citatio per edicta ad finem, ut feratur sententia abjudicativa rei à persona, ut quando vocatur beneficiatus ad videndum & audiendum se privari beneficio, qui est casus noster: & istud vult apertè *Philip. Francus in cap. Romana, in §. contrahentes, in quarta colum. in versic. si verò fiat citatio intra territorium, de foro competen. libro sexto*, quare non obstat. Concludo ergo ex præmissis, quòd partes vestræ paternitatis erunt, declarare malè judicatum & bené appellatum, judicio vestro, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM CXXIII.

SVMMARIA.

1 *Ex persona actoris jus metimur.*
2 *Jus retractus, ut locum habeat, quæ requirantur, &c.*
3 *Consensus & ratihabitio præsumitur ex lapsu temporis à Jure præscript. &c.*
4 *Remittens debitum distrahere, non contrahere dicitur.*
5 *Consuetudo juri contraria est stricti juris, nec ad alias res vel personas extenditur.*
6 *Casus in statuto omissus remanet in dispositione juris communis.*
7 *Accessorium sequitur naturam sui principalis.*
8 *Satuta de contractibus loquentia non habent locum in renunciationibus vel liberationibus.*
9 *Agens ex cessione propinquioris consanguinei ad retractum, succumbit.*
10 *Contractus appellatione propria venit solum contractus ultrò citròque obligatorius.*

VIsis scripturis & alijs munimentis, in causa pendente, in curia feudali coram locum tenente reverendi patris domini Thesaurij Cameracensis inter Arnoldum vanHeremis, aliàs Degavere impetran. ex una, & dominum Iohannem de Mol, militem defensorem ex altera, hincinde productis & exhibitis. Omissis superfluis, videtur mihi subscripto breviter absque hæsitatione dicendum, præfatũ Arnoldum impetrantem malè agere & debere succumbere, medijs infrà scriptis.
1 Primò, nam † certum est, quod ex persona actoris jus metimur. *l. in princ. ff. si pars hęr. pet.* & quòd sine actione nemo experitur, *l. pupilli. §. videamus. ff. de nego. gest. cum si.* Sed dicto impetranti non competit actio, quod patet, quia si ei competeret actio, hoc esset vigore consuetudinis, quæ admittit, quod proximior retrahat contractum initum per suum consanguineum cum extraneo vel cum consanguineo remotiori in gradu, sed virtute dictæ consuetudinis, prȩfatus impetrans non potest admitti, quod patet, quia ad hoc, ut dicta consuetudo habeat locum, requiruntur
2 duæ copulativæ. Primò, quòd talis retractus fiat infra annum. Secundò, quòd velit retrahere contractum initum per consanguineum, sed in casu præsenti hæc

hæc duo copulativè non concurrunt, quia vel dictus impetrans vult retrahere contractum initum anno 98. & tunc venit nimis tardè, quia diu post annum, quod
3 quidem † annale silentium operatur consensum & confirmat contractum, *cap. Titius, in fin. si de feu. fue. controver. in usibus feu.* & *in c. constitutus, de in integ. resti.* Aut dictus impetrans vult retrahere jus reluendi reservatum tempore venditionis per dominum Ioannem de Gavere militem, & tunc infra annum per eundem remissum ad utilitatem dicti domini Ioannis de Mol militis hujus causæ defensoris, & tunc certum est etiam, quòd
4 non debet admitti, quia hujusmodi † remissio non potest dici contractus, sed potius distractus, *arg. §. is quoque in fi. Insti. quib. mod. re contrah. obl.* consuetudo autem loquitur in contractu retrahendo. Modò ita est, quòd dicta consuetudo admittens retractum, est contra jus commune. *l. dudum, cum ibi not. per Doct. C. de contrahen. empt.* & *vend.* & *d. c. constitutus, cum ibi not. per Panorm. in septimo notabili*, & sic debet strictè interpretari,
5 quia omnis † consuetudo juri contraria, est stricti juris, & non extenditur ad alias res vel personas, *ut vult Bald. in c. 1. in fi. princ. de feu. cog. in usi. feu.* & *idem Bald. in Auth. si quas ruinas, in prima col. C. de sacrosanct. eccle.* & *Inno. in c. delecto, in secunda col. de off. archid.* Contractus autem & distractus sunt diversa. *l. fin.* & *ibi Bald. in primo notabili. C. si tuto. vel cur. inter.* & *d. §. is quoque, in fin.* unde consuetudo vel statutum maximè contra jus loquens de uno, non debet extendi ad aliud, per suprà dicta. Casus enim
6 † omissus in statuto vel consuetudine, remanet in dispositione juris communis, *l. si cùm dotem, in prin. ff. solut. matrim.* & *c. susceptum, de rescript. lib. 6. cum simil.* Sed de jure communi certum est, impetrantem malè agere, ergo, &c. Præterea dicta consuetudo debet intelligi, ut habeat locum, quando translatum est dominium alicujus rei, ut scilicet tunc consanguineus proximus infra annum posset retrahere & offerre precium solutum per emptorem, quia hoc importat verbum retractus, sed in casu præsenti per remissionem hujusmodi reservationis de reluendo non est translatum dominium alicujus rei, sed duntaxat abdicatum jus personale inhærens personæ venditoris: dominium autem fuit plenè translatum dicto anno 98. patet ergo, quòd dicta consuetudo non potest habere locum in casu præsenti.
7 Præterea pactum † de reluendo vel revendendo est accessorium, & dependens à contractu venditionis, *l. 2.* & *ibi Bald. in fine. C. de pact. inter empt.* & *vend.* cùm ergo contractus principalis non potest retrahi propter lapsum anni, ut suprà dixi: ergo nec remissio hujusmodi pacti de reluendo, quia accessorium sequitur naturam principalis, ut in quo non potest habere locum principale, nec accessorium, *regula accessorium, cum ibi not. de reg. jur. lib. 6. cum sim.* Præterea certum est, quòd
8 statuta † vel consuetudines loquentia vel loquentes de contractibus, non habent locum in renunciationibus vel liberationibus, *ita dicit notabiliter Bald. in l. sive apud acta, in prima col. in vers. ulterius nota. C. de transact.* ubi dicit, se consuluisse, quòd statuta disponentia, quòd contractus mulierum non valeant sine insinuatione, non habent locum in liberatione, & *idem Bald. in l. pen. C. de dolo*, ergo in casu præsenti dicta prætensa cōsuetudo non potest sibi vendicare locum, cùm dicta remissio pacti de revendendo vel reluendo non sit contractus, sed liberatio ab onere annexo rei venditæ, *ut volunt Panorm.* & *Doct. in c. ad nostram, de empt.* & *vend.* Concluditur ergo, quòd dictus impetrans malè agit fundando se super consuetudine non loquente in casu suo,

suo, & sic debet succumbere, quemadmodum† succumberet ille, qui exceptione propinquioris consanguinei ageret ad retractum. *ut volunt Pet. Cyn. Bald.* & *Doct. in l. ad officium. C. commun. divid.* Præterea hoc est dicendum ex alio, quia verba statutorum & consuetudinum debent intelligi propriè, *l. 3. §. hæc verba. ff. de neg. gest.* & *ibi Doct. in cap. nostra, de injur.* & *ibi similiter Doct.* Modò ita est,
9
10 quòd appellatione †contractus in proprio significato non venit, nisi ille contractus, qui est ultrò citròque obligatorius, *text. est cum gl. in leg. Labeo. ff. de verbor. signif.* & *ibi Bart.* & *Alex. in apostill.* cùm ergo per remissionem dictæ reservationis de reluendo non nascatur ultrò citròque obligatio, sequitur quòd dicta consuetudo permittens retractum non habet locum in casu præsenti: *ad quod etiam faciunt notata per Bald. in l. contractus, in 2, col. C. de fide instrum.*

CONSILIUM CXXIV.

SUMMARIA.

1 *Villa vel castro in feudum dato, jus quoque patronatus existens in illo transit in feudatarium: nec non honor, districtus & jurisdictio, imò merum imperium, nisi specialiter excipiatur.*

2 *Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis.*

3 *Retentio unius operatur cæterorum non exceptorum concessionem.*

4 *In possessorio obtinere debet, habens priorem & magis coloratam possessionem justificatam meliori titulo, &c.*

5 *Jus patronatus, non specialiter exceptum, transit cum universitate villæ seu castri in feudum dati.*

6 *Jus patronatus non à jurisdictione, sed à dominio utili dependet.*

7 *Collatio vel præsentatio computatur inter fructus.*

8 *Contractus, etiam juramento firmati recipiunt interpretationem à jure communi.*

9 *Non probat hoc esse quod ab hoc contingit abesse.*

10 *Collatio beneficiorum non requirit de substantia confectionem literarum.*

PRæclarissime Domine Cancellarie pro notitia & evidentia boni & clari juris Domini Johannis Borchman, capellani capellaniæ nostræ dominæ de Gangendonck rei hujus causæ, placeat attendere ad infrà scripta. Primò, quòd indubitati juris est, quòd cùm villa† vel castrũ
1 b datur in feudum, jus patronatus existens in villa vel castro, transit in feudatarium, qui habet utile dominium, & non remanet apud dominum directum, nisi specialiter excipiatur, *tex est not. secundum verum intellectum gl. Innoc. Host. Io. And. Henr. Boick. Panor.* & *omnium Doct. in c. ex literis, de jure patron.* & *in c. cum seculum, eo. tit.* & *notata per gl.* & *Doct. in c. cùm Bertoldus, de re jud* & *per gl. Bart.* & *Doct. in l. in modicis. ff. de contrah. empt.* & *in l quędam. ff. de acquir. rer. dom.* & *in l. si mercedem. § 1. ff. de act. empt.* & *vult Paul. de Cast. in cons. 57. incipiente, Venerabilis vir* & *clarissime domine:* imò quod fortius est, cùm villa vel castrũ datur in feudum, nedum transit jus patronatus, ut dixi, sed etiam honor, distri-

ctus, & jurisdictio: imò etiam merum
imperium, nisi reservetur, secundum
*Specu. in tit. de jurisdict. omn. jud. in
versic.* & *dicunt quidam*, & *vult Henric.
Boick in d cap. ex literis, in* 1. & 2 *colum.*
Secundò placeat attendere, quòd in in-
feudatione facta per dominum de Nassou
& Breda, in personam quondam Wilhel-
mi de Bye, de villa, castro, seu domo de
Gangendonck & Hambrouck, cũ omni-
bus suis pertinẽtijs, ipse dominus de Nas-
sou & de Breda non reservavit sibi spe-
cialiter & expressè jus patronatus: sequi-
tur ergo, quòd illud transivit in dictum
quondam Wilhelmum & suos successores
feudatarios & utiles dominos dictorũ do-
miniorũ de Gangendonck & Hambrouck.
per jura sup. alleg. Tertiò placeat attende-
re, quòd in infeudatione, de qua suprà, i-
pse dominus de Nassou & de Breda, re-
servavit sibi duntaxat jurisdictionem su-
premã seu merum imperium, ut patet ex
verbis illis teutonicalibus, **Wtghescheyp-
den alleene dat hy geenrehande be-
drijf van heerlicheden / van gerech-
ten / van manscappen / oft laetscappẽ
en sal hebben / &c.** id est, excepto eo solo
quòd nullum omnino actum dominij, aut
exercitij justitię, aut hominum feodalium
seu parium habiturus sit. Modò ita est,
2 quòd † exceptio firmat regulam in casibus
non exceptis, *c. dominus*, 22. *quęst.* 1. & *c.*
2. *de conjug. lepro.* & *l. quęsitum.* §. *deni-
que. ff. de fundo instructo*, & *l. nam quod
liquidè.* § *fina. ff. de penu. lega. cum simil.*
3 Unius † enim retentio, reservatio, vel ex-
ceptio, operatur cæterorum non exce-
ptorum concessionem. *l. cùm pretor. ff.
de judic. l.* 1. *in principio. ff. de offic. præ-
fect. urb.* & *cap. nonne*, *de præsumpt. cum
similibus.* Ex quibus omnibus liquidè
constat, & per bonam consequentiam in-
fertur, quòd cùm dictus dominus Ioan-
nes Borchman habeat præsentationem
suam à Ghysberto de Bye feudatario &
utili domino, ratione cujus præsentatio-
nis ipse adeptus est legitimè possessio-
nem capellaniæ contentiosæ, diu ante Ra-
phaelem van Bruwersem hujus causæ
4 impetrantem, ipse debet † obtinere, ma-
ximè in recredentia, cum priorem & ma-
gis coloratam habeat possessionem justi-
ficatam meliori & clariori titulo, quod
requiritur ad obtinendum in possessorio
in istis beneficialibus: *juxta notata per
Doctores, canonistas in cap. in literis, de
restit. spolia.* & *in Clemen. unic. de cau.
pos.* & *pro.* Restat nunc respondere ad
nonnulla frivola media per dictum Ra-
phaelem pro justificatione sui prætensi
juris adducta. Et primò non obstat il-
lud, cùm dicit, quod in literis infeudatio-
nis non fit mentio de jure patronatus, quia
istud facit pro dicto domino Ioanne: nam
5 ex quo † non excipitur specialiter, transit
cum universitate villæ seu castri dati in
feudum, ut suprà probavi, imò longè me-
lius est, non fuisse factam mentionem,
quàm si mentio facta fuisset de eo, quia
isto secundo casu probabiliter dubitare-
tur, an transiret jus patronatus, ut latè ha-
betur *per Ioan. And. in novella, Dominic.*
& *Philip. Franc. in c. unico. de jure patro-
na. libro* 6. ubi primo casu nulla est dubi-
tatio, quin transeat cum universitate vil-
læ vel castri dati in feudum *secundum eos
ibidem.* Et tantò fortius constat, jus pa-
tronatus transivisse, quia excipitur juris-
dictio seu merum imperium, cùm ergo
exceptio firmat regulam, necesse est di-
cere, jus patronatus contentum in villa
vel in castro datum in feudum fuisse trãs-
latum cum universitate, per suprà dicta.
Nec obstat aliud, cũ dicit, quod dominus
de Breda reservavit sibi jurisdictionem,
sed jus patronatus dependet à jurisdictio-
ne, ergo etiam videtur sibi reservasse
jus patronatus, quia subsumptio est falsa,
6 quia non est verum, quòd jus † patrona-
tus dependet à jurisdictione, nec hoc est
aliquo

aliquo jure cautum, imò dependet à domino utili, *secundum Doct. in d. cap. ex*
7 *literis*, unde quia collatio † vel præsentatio est in fructu, & computatur inter fructus, ut est *glos. ordinaria in c. cùm olim, de ma.* & *obed.* sequitur quòd feudatarius ad quem spectant fructus dictæ villæ de Gangendonck, debent præsentare, & non dominus directus. Non obstat etiam aliud, quo dicit, quòd in literis fundationis & augmentationis habetur, quòd collatio spectabit ad dominum temporalem de Gangendonck, cùm ergo dominus de Breda sit dominus temporalis de Gangendonck: ergo ad eum spectat collatio seu præsentatio. Quia respondetur, quod dicta clausula fundationis & augmentationis recipit interpretationem suam à jure communi, intelligendo de domino temporali simpliciter, quando non esset facta infeudatio, & intelligendo de domino utili, quando facta esset infeudatio, ut in casu præsenti *per jura*
8 *suprà allegata*. Contractus † enim etiam juramento firmati recipiunt interpretationem à jure communi, *c. ad nostram, 3. de jurejuran.* sicuti rescripta, *cap. ad causam quę de rescript.* & statuta, *l. 2. C. de noxal. act.* & consuetudines, *c. cum dilectus, cum simil.* & sic non obstat. Non obstat etiam aliud quo dicit, quòd dictus dominus Iohannes tempore captæ possessionis nondum habuit apud se suas literas collationis vel præsentationis, sed illæ adhuc erant apud notarium, quia dato fine præjudicio, quod hoc verum esset,
9 tamen nihil ad rombum: quia † non probat hoc esse quod ab hoc contingit abesse *.l. neque natales. C. de probat. cum similibus*. Nullo enim jure cautum reperi-
10 tur, quòd literæ sint de substantia † collationis, ita quòd collatio non valeat literis non confectis, imò contrarium tenent omnes in prooemio decret. *Archid. Ioan. And.* & *Doct. in prooem. 6.* & *Cardin. in prooem. Clem. in vers. nec sane*, quare non obstat.

CONSILIUM CXXV.

SVMMARIA.

1 *Hæres ab intestato si se hæredem & proximiorem probat, obtinere debet contra institutum hæredem etiam possessorem, suam intentionem legitimè non probantem.*

2 *Omissio formæ substantialis actum vitiat.*

3 *Integritas testis instrumento contradicentis non inscripti principaliter attenditur.*

4 *Instrumenti fides à tabellione & testibus connexè procedit.*

5 *Testamentorum & ultimarum voluntatum materia plenam, perfectam & legitimam requirunt probationem.*

VEnerabilis domine Officialis, ultra ea quæ aliàs scripsi in favorem venerabilis viri magistri Arnoldi de Tuldel, & suorum litisconsortum, circa materiam processus coram vobis indecisi pendentis, cogitavi pro elucidatione veritatis respondere quibusdam frivolis motivis, quibus pars adversa se fundare videtur. Et primò non obstat, si dicatur, quòd ex quo dictus magister Arnoldus & sui litisconsortes sui impetrantes & actores, ipsi debuerunt plenè probare falsitatem contentorum in instrumento testamenti, aliàs reus debet absolvi, quia licet unus testis contradicens instrumento, faciat vacillare instrumentum, ipsum tamen manet stans & tantum

valens, quantum unus testis, & sic cùm stat æqualitas probationis, agens debet succumbere & reus absolvi, *juxta. nota. per Bald. in l. in exercendis. C. de fide instr.* quia dico, salva pace allegantium, quòd Bal. id non dicit *in præall. l. in exercendis*, in terminis nostris, si ponderentur singula ejus verba, imò si benè videatur, vult expressè contrarium in pluribus locis, si benè ponderentur ejus verba & distinctionum membra, & si videatur *Bald. in l. secunda, in secunda colum. in vers. modò adverte ad caudam glos. C. de bon. posses. secundum tab.* palpari poterit,
1 quòd hærede † ab intestato probante se hæredem & proximiorem, ac talem qui de lege loci debeat ab intestato succedere, ut factum est in casu præsenti, ipse debet obtinere contra hæredē institutum etiam possessorem & reum, qui non legitimè probat id quod est causa intentionis suæ: imò secundum eum dubia probatio hoc casu non facit indicium, nisi inter liberos, & ergo talis institutus debet succumbere, licet possideat: quia debet plenè constare de voluntate defuncti, nec est hoc casu deferendum juramentum reo in defectum probationis, secundum eum,
2 quia † ubi certus numerus testium est de substantia actus, & de forma probationis, ut in testamētis & codicillis, omissio substantialis formæ vitiat, *l. si unus. C. de test.* & quando numerus testium requisitus in testamentis vel codicillis deficit, judex est certus non deberi: ergo non est deferendum juramentum *secundum eundem Bald. in præall. l. 2. circa fi. quem sequuntur in præmis. Paul. de Cast. Salicet. Fulg. Lud. de Roma. Alex. Ias.* & *alij Moderni ibidem*, & sic dictum motivum, tanquam falsum præsupponens, non obstat. Non obstat etiam si dicatur, quòd testis contradicens instrumento non est integer, quia id negatur, & plenè circa hoc scriptum est per dominum Licentiatum de Amsterdamis in principali motivo, & illo
3 supposito adhuc non obstat, quia † quando testis contradicens instrumento est de inscriptis & de necessarijs, non refert qualis sit, quia fides ejus videtur approbata, sed benè quæritur de integritate testis contradicentis instrumento, quando ipse non est de inscriptis, ut vult idem *Bald. in dicta l. in exercendis, in 3. colum.* si benè ponderentur ejus verba. Non obstat etiam, quòd de legalitate notarij ad-
4 ducitur, quia dico, quod fides † instrumenti non procedit à tabellione duntaxat, etiam si esset legalissimus: sed procedit connexè à tabellione & testibus inscriptis, *ut dicit idem Bald. in præalleg. l. in exercendis, in 1. & 3. col. & est tex. in Auth. de instru. cau. & fide, in §. si vero tale aliquid, coll. 6.* Nec obstat eiam si dicatur, quod depositio dicti testis non est de recenti, unde potest excidisse de memoria: quia hæc & similes considerationes possent habere locum, quando testis inscriptus contradicens instrumento non est de necessarijs, & ubi essemus extra materiam testamenti. Sed quando testis contradicens instrumento est de inscriptis & de necessarijs, & quando sumus in materia testamenti & ultimæ voluntatis, hæc & similes considerationes cessant, quia deficit solennitas requisita, & probatio remanet dubia, non relevans, imò suspecta, & non faciens indicium, ut suprà
5 dixi: ubi tamen † lex requirit eam esse plenam, perfectam, & legitimam, *dicta l. si unus*, ne quid falsitatis incurrat. *l. fin. C. de fideicommiss. cum vulgaribus.*

CONSILIUM CXXVI.

SUMMARIA.

1 *Ex conclusione libelli colligitur, quæ actio intentetur, & num. 8.*

2 Nun-

2 *Novatione tollitur actio prius competens.*

3 *Actio semel extincta amplius non reviviscit.*

4 *Chirographum debitori reddens, debitum postea petere non potest.*

5 *Actio per novationem extincta reviviscit, quando id quod datum est sine facto ejus qui accepit, evincitur,*

6 *Permutatione transfertur dominium.*

7 *Venditor ad tradendum non ad dandum obligatur*

9 *Libellum non concludentem judex, parte etiam non petente, rejicere tenetur.*

10 *Bona habentes omnino discreta & distincta non conveniri possunt, nisi quilibet ipsorum pro rata.*

11 *Consuetudo optima legum interpres.*

12 *Debitum privatum cum conventione publica nihil commune habet.*

13 *Compromissum unius reorum debendi non porrigitur ad alium, nisi sint socij.*

14 *Commisso uno videntur etiam commissa ea, sine quibus commissum explicari non potest.*

15 *Ex principio causa finalis colligitur.*

16 *Generalis restringi debet ut evitetur captiosus intellectus & non verisimilis.*

17 *Accessorium naturam pincipalis non sequitur, quando in accessorio specialis provisio vel dispositio reperitur.*

18 *Forma substantiali non servata corruit actus.*

19 *Decretum vel sententia interposita ex falsa causa nullius est momenti.*

20 *Judex postquam semel sententiam dixit, judex esse desinit,*

21 *Interpretatio est congrua verbi vel orationis expositio.*

Viso processu inter dominum Ioannem de Busco dominum Desquerdes, impetrantem ex una, & tria membra Flandriæ defensores ex altera, videtur breviter, omissis superfluis, absque aliqua hæsitatione dicendum, præfatum dominum impetrantem non receptibilem eo modo quo procedit, tanquam experientem sine actione. Pro cujus articuli lucida & clara decisione, excludendi sunt primò casus minus dubitabiles, juxta doctrinam *Ioannis And. super regula, cùm sint partium jura obscura, de regulis juris,*
1 *libro 6. in mercurialibus.* Et in † primis certum est, dictum dominum impetrantem non agere ex primitiva actione competente ex mutuo, quia non concludit, ut in illa actione concludi debet, de quo *in l. 2. ff. si certum petatur.* & *Institut. quibus mod. re contrah. oblig. in princip.* Ex conclusione autem decernitur, quæ actio intendatur, *ut notatur per Doctores canonistas in cap. dilecti de judi.* & *per legistas in l. 1. ff. de eden.* & *in l. edita actio. C. eodem tit.* Principaliter enim est attendenda conclusio libelli, non autem facti narratio, *cap. ex parte B.* & *ibi Pano. Ioan. de Imo.* & *Doct. de foro competen.*
2 Præterea cùm illa actio † primitiva sit

ſublata per novationem ſecutam. *§. præ-
terea. Inſtitu. quib. mod. toll. oblig.* & *l.
fina C. de nova.* ſequitur, quòd etiam ſi
aptè in illa actione primitiva conclude-
ret, quòd non eſſet audiendus, cùm nemo
ſine actione experiatur. *l. ſi pupilli. §. vi-
deamus. ff. de nego. geſt.* & remittentibus
actiones ſuas non eſt amplius dandus re-
greſſus ad eas. *l. item quæritur. § ſi vendi-
tor. ff. de ædili. edicto,* & *cap. quàm pericu-
3 loſum. 7. quæſt. 1.* & actio † ſemel ex-
tincta amplius nõ reviviſcit, *l. qui rem, §.
aream. ff. de ſolution.* & *l. inter ſtipulan-
tem. § ſacram. ff. de verborum obligat. cum
ſimilibus.* Conſtat autem in caſu præſen-
4 ti, redditum † eſſe chirographum de vo-
luntate domini Deſquerdes creditoris:
ergo actio ex eo competens fuit & eſt
extincta, *l. 2. cum ibi not. ff. de pact. cum
ſim.* Nec obſtat, ſi fortè dicatur, quòd imò
5 † actio extincta per novationem, revivi-
ſcit, quando illud quod datum eſt in ſo-
lutum ſine facto ejus, cui datum eſt e-
vincitur, *l. ſi quis aliam. ff. de ſolutio.* Cùm
ergo perſonæ datæ in ſolutum fuerint e-
victæ per ſuperviventem pacem, ut poni-
tur in themate, videtur quod actio pri-
ma reviviſcat, maximè cùm illud factum
regis Franciæ cenſeatur caſus fortuitus.
l. Lucius. ff. de evict. ſicut ſententia injuſta.
*l. ſi per imprudentiam, in princip. ff. eodem
tit. juncta l. fina. cum ibi nota. per Paul.
de Caſt. & Doct. C. de act. empt.* Nam
reſpondetur, quòd *dicta l. ſi quis aliam,*
procedit, quando fuit data in ſolutum
ſpecies pro ſpecie, quo caſu cenſetur quæ-
6 dam † permutatio in qua venit tranſlatio
dominij, & niſi transferatur non perfici-
tur permutatio. Si ergo ſpecies in ſolu-
tum data eſt evicta, apparet quòd domi-
nium non fuit tranſlatum, vel non perfe-
ctè. *l. 1. ff. de rerum permu.* Ideò nimirum
ſi non eſt receſſum ab actione prima, *ſe-
cundum gloſſ. Bart. Paul. de Caſt. & Doct.
in dicta l. ſi quis aliam:* ſed in caſu præſen-
ti perſonæ fuerunt datæ in ſolutum pro
pecunia ſeu quantitate debita. Nam trãſ-
latum fuit dominium rerum mutuata-
rum in accipientes, & etiam recipientes
mutuum obligati ad aliud ejuſdem gene-
ris & bonitatis, ſeu ad quantitatem illi
correſpondentem. Unde in caſu præſenti,
cùm datæ ſunt hujuſmodi perſonæ in ſo-
lutum mutui contracti, cenſetur contra-
cta quædam emptio, in qua venditores
non promiſerunt transferre dominium,
7 ſed ſolum perſonas tradere: unde † ſi tra-
diderunt, licet poſtea evincantur, ex hoc
non apparet venditionem non eſſe perfe-
ctam, imò fuit perfecta, & per conſequẽs
fuit receſſum ab actione prima: & debi-
tum primum fuit converſum in cauſam
ſecundam, & in precium perſonarum li-
beratarum, meritò re evicta non eſt red-
eundum ad actionem primam, à qua fuit
receſſum. *l. eleganter, in princip. & ibi gl.
& Doct. ff. de pigno. act.* & *volunt Bart.
Paul. de Caſt. & Doct. in præalleg. l. ſi quis
aliam.* Nec obſtat *præalleg. l. Lucius,* imò
multum facit pro dictis defenſoribus,
quia ibi evictio, quæ fit facto principis,
non præjudicat venditori, ſed emptori,
quod ſervit propoſito. Circa hoc tamen
non eſt inſiſtendum, ex quo illa actione
8 non agitur, ut ſuprà dixi. Item certum
† eſt etiam, dictum dominum impetran-
tem non agere actione negociorum ge-
ſtorum, nec actione in factum generali,
cùm non concludat, prout in illis actioni-
bus concludendum venit, de quo. *ff. & C.
de negoc. geſt. in l. 1. ff. de præſcript. verb.
cum ſimilibus.* Concluſio autem eſt atten-
dere, quando volumus ſcire, quæ actio eſt
intentata, ut prædixi. Reſtat ergo vi-
dere, qua actione ipſe dominus impetrans
agit: Et certè ex modo concludendi cla-
rè colligitur, quòd ipſe agit actione in
factum ex ſententia arbitrali vel laudo,
ſeu verius ex prætenſa interpretatione
facta ex intervallo per dictum Regem
Fran-

Franciæ, cùm præcisè concludat & agat ad summam in hujusmodi prætensa interpretatione tactam, vel assignationem redditus, juxta tenorem dictæ prætensæ interpretationis. Item visa qua actione agit, restat nunc videre, an benè agat: & quia factum suprà plenè est recitatum in themate seu casu ex processu collecto, brevissimè me expediam adducendo duntaxat aliqua jura ad materiam facientia: Unde præmittendum est, quòd
9 ex † persona actoris jus metimur, *l. prima, in principio. ff. si pars hæred. peta.* & quòd sine actione nemo experitur, *dicta leg. si pupilli*, adeò quòd etiam parte non opponente judex debet rejicere libellum non concludentem, quando constat, agenti actionem non competere, *ut est glossa ordinaria, l. si unus, in §. pactus ne peteret*, & *ibi Bartolus, Paulus de Castro, Iason* & *Doctores, ff. de pactis*, & *glossa in l. ubi pactum, C. de transact.* & *ibi similiter Doctores.* Quo pro vero præsupposito dico, quòd in casu præsenti dicto impetranti non competit actio, & sic declarari debet non receptibilis, modo & forma quibus procedit, quod deducitur ex multis. Primò, quia † pro
10 debito comitatus Flandriæ non possunt conveniri dicta tria oppida pro totali summa, etiam si aliqua summa esset debita, prout non, propter novationem, de qua suprà, sed esset quodlibet oppidum comitatus Flandriæ, pro sua quota & rata duntaxat, & non aliàs, conveniendum, cum singula oppida habeant sua bona distincta, per ea quæ habentur & notantur *in capit. edoceri, de rescript.* Non enim debet alteri per alterum iniqua conditio afferri, *regula, non debet, de*
11 *regulis juris, libro 6.* & ita † habet consuetudo ab ævo observata, quæ est optima legum interpres, *l. si de interpretatione. ff. de legibus*, & *cap. cùm dilectus, de consuetu.* Secundò hoc deducitur ex alio, etiam si dicta tria oppida solùm convenirentur pro eorum quota sive rata, quia ipse dominus impetrans agit ex prætensa interpretatione Regis Franciæ, ut præmittitur, sed illa est nulla ex multis capitibus. Primò, quia arbiter non potest pronunciare super his, super quibus non est in eum compromissum, *capit. cùm dilectus, de arbit.* & *l. non distinguemus. §. de officio. ff. eodem tit.* Sed de credito prætenso per dominum Desquerdes patruum dicti domini impetrantis, non fuit in procuratorio dato ad compromittendum, vel etiam in compromisso facta mentio, ergo, &c. Non obstat, si dicatur, quòd istud fuit de dependentijs pacis factæ in Tours, quia
12 certè † nihil commune habeat debitum privatum cum conventione publica. *l. conventionum, cum ibi nota. ff. de pact.* sicut nec habet possessio cum proprietate, *l. naturaliter. §. nihi commune. ff. de acqu. poss.* Nec dici potest de dependentijs, cùm concernat duntaxat Flandren. & minimè regem Romanorum. Compromissum autem factum fuit ad sopiendum & terminandum lites existentes inter regem Romanorum & Flamingos, & sic inter alias partes: quare factum Domini Desquerdes non potest dici dependens à compromisso per alias partes in regem Franciæ facto, imò quod fortius est, com-
13 promissum † unius reorum debendi non porrigitur ad alium, nisi sint socij, *ut est text. expressus in l. si duo, in princ. ff. de arbit.* Præterea ex dicto tractatu pacis nulli competijt actio, nisi captivis qui hîc non agunt, nec ipse dominus impetrans habet causam vel cessionem ab eis, ergo, &c. Præterea dato, quòd relaxatio personarum liberatarum domino Desquerdes fuisset de dependentibus & annexis, tamen quantum ipse dominus Desquerdes esset habiturus pro relaxatione dictarum personarum non erat de dependen-

pendentijs, quia hoc erat omnino crudum, nec de hoc unquam habitum fuit verbum: debuisset ergo cognitio illius articuli requirẽtis altiorem indaginem reservari judicio ordinario reorum. Præterea dato, quòd esset de dependentijs, prout non est, tamen adhuc id non militaret in
14 casu præsenti, quia licet † uno commisso videantur commissa ea, sine quibus explicari non potest commissum, *l. secunda. ff. de jurisdictio. omnium jud.* & *c. præterea, de offic. deleg. cum simil.* hoc tamen est verum, quando commissum principaliter nullo modo posset explicari vel expediri sine illo, sed ubi principale potest expediri, sed non ita commodè, certè illud non videtur commissum vel venire in mandato, ita expresè volunt *Dominic.* & *Philip. Francus in c. solet, de sent. excom. lib. 6. post glos. ordinariam, Innoc. Host. Ioan. And. in novella ibidem*, qui omnes volunt, quòd judex delegatus non potest absolvere ad cautelam, licet sine illa absolutione ad cautelam, negocium sibi commissum commodè expediri non posset, & hoc ex eo quòd id non est sibi specialiter commissum, & limitant hoc modo *d. l. 2.* & *prææalleg. cap. præterea,* & *istud etiam firmat Feli. in d. c. præterea*: non relaxatis autem dictis duobus captivis, æquè benè pax habuisset suum progressum, licet captivi ad relaxationem agere potuissent ex vigore dictæ pacis, ergo, &c. Nec obstat si dicatur, quòd in procuratorio habetur clausula generalis, videlicet quòd facere potuerunt omnia, quia fieri expediet pro bono pacis, &c. Quia dico, quòd dicta clausula generalis debet intelligi de pace tractanda inter Regem
15 Romanorum & Flamingos, de † qua loquitur proœmium procuratorij, quod est inspiciendum, cùm ex eo colligatur causa finalis, *l. fina. ff. de hęred. instit.* & *ibi Bal,* & *Doctor.* & *idem Bald. in l. 1. ff. de reg. jur.* & non de persona extranea, *præall. l. si duo*: actus enim agentium non operantur ultra eorum intentionem, *l. non o-*
16 *mnes. ff. si certum pet.* ergo † debet restringi dicta generalitas, ut evitetur captiosus intellectus & non verisimilis, *le. penult. ff. ad exhibendum, c. secundo de pœn.* & *remiss. lib. 6.* & *regula in generali, de regul. jur. eod. lib.* & *ibi Dyn. Ioan. And. in novel. Phil. Francus* & *alij*. Non autem est verisimile, quòd constituentes voluerunt vigore dictæ clausulæ generalis dare potestatem ad resuscitandum obligationem concernentem tertium jam extinctam. Præterea quãquam relaxatio dictorum captivorum esset de accessorijs pacis, & procuratorij dati ad eam tractandum, tamen quia jam de hujusmodi personis fuit dispositum, ut puta quod manerent periculo Domini Desquerdes, non potest argumentari validè de princi-
17 pali ad accessorium, quia † accessorium non sequitur naturam principalis, quando in accessorio reperitur dispositio vel provisio specialis, *le. centum Capuæ.* & *l. fi. ff. de eo quod cer. lo.* & *l. si cui fundum. ff. de fun. instr.* Præterea dicta prætensa interpretatio est nulla, quia, aut est facta virtute submissionis factæ in regem Frãciæ per deputatos dictorum trium oppidorum, & certum est quòd non valet, quia ad hoc mandatum non habuerunt, neque mandatum ad hoc se extendebat, ut suprà dixi, neque etiam aliquid de hoc in submissione, vel in sententia pacis dictum fuit: aut est facta, virtute ejusdem novæ prætensæ submissionis emanatæ post promulgationem pacis: & tunc etiam certum est quod non valet, quia revera nunquam nova submissio intervenit, & dato quod intervenisset, non valuit, quia duo de principalioribus ambasiatoribus recesserunt: & quod fortius est, forma procuratorij ad submittendum non fuit servata: habet enim procuratorium, quod ex 12. omnes debent consen-

consentire & interesse, vel ad minus octo, quorum sex erant de statibus. Sed ex illis sex qui erant deputati pro statibus, ad minus unus defuit, ut patet clarè ex actis & depositionibus testium. Sequitur ergo, quòd hujusmodi prætensa interpretatio ex isto capite est nulla: quia forma
18 † est quæ dat esse rei, qua non servata corruit actus, *c. quia propter, cum ibi notatis, de elect. l. Iulianus. §. sed & si quis, ff. ad exhib.* & *le. diligenter. ff. mand. cum sim.* Præterea hujusmodi prætensa interpretatio est nulla ex alio capite, quia interposita ex falsa causa: Præsupponit enim præcessisse obligationem 60. millium florenorum vel circiter, cùm tamen ex actis constet, summam nunquam ascendisse ad 9. millia. Modò ita est, quòd de-
19 cretum † vel sententia interpositum vel interposita ex falsa causa, nullius est momenti, *text. est clarus in l. Sejæ egisse. ff. de tutor.* & *curat. da. ab his.* Præterea hujusmodi prætensa interpretatio est nulla
20 ex alio capite, quia dictus rex † pronunciando suum laudum & recipiendo procuratoria ad se, fuit functus officio suo, *l. judex, ff. de re jud.* non potuit posteà aliquid ei addere vel detrahere, nisi hoc fecisset eodem die, quo casu duntaxat valeret, & non aliàs, etiam in accessorijs, ita dicit *glos. ordinaria in l. qui arbiter. ff. de arbi. per l. Paulus. 1. ff. de re judi.* & *facit c. cum appellationibus frivolis, de appell. lib. 6.* & *sequitur Bald.* & *Doct. in præall. l. qui arbiter.* Et sic supposito etiam quod istud esset de accessorijs pacis de Tours inter alias partes, ut præmittitur, factæ: adhuc hujusmodi interpretatio esset nulla, quia non fuit facta eodem die. Præterea illa, non est propriè interpretatio vel declaratio, sed est potius quædam
21 nova dispositio, quia † interpretatio, est congrua verbi vel orationis expositio, *secundum Bartol.* & *Ioan. de Imo. in l. ab executore. ff. de appellat.* & *Paul. de Castro in le. hæredes palam, §. si quid. ff. de testam.* In dicta autem pace de Tours, nullum fuit verbum dubium, de quo inter partes submittentes dubitabatur, ergo hujusmodi extraneæ, novæ, & voluntariæ dispositioni nullo modo est standum, etiam si fuisset facta eodem die, prout non, *secundum Bart.* & *Io. de Imo. in præalleg. l. ab executore,* & *Paul. de Cast. in præall. l. hæredes palàm. § si quid,* nec ex illa est aliquod jus quæsitum præfato domino impetranti, & sic tanquam experiens sine actione, debet succumbere. Circa alia autem quæ concernunt merita causæ & finem absolutionis, nihil curavi scribere, tum quia sunt de se omnino clara, tum etiam ne arguar de prolixitate nimia & superfluitate. Cùm hic finis non admissibilitatis, considerato modo, quo procedit dictus Dom. impetrans, sit omnino securus & tutus, ut ex suprà dict. patet.

CONSILIUM CXXVII.

SUMMARIA.

1 *Testes suspecti non solùm de tempore, sed & de temporis & vestium qualitate sunt interrogãdi.*

2 *Judex omnibus modis laborare debet ad veritatem & falsitatem investigandum.*

3 *Discrepantia etiam minima in testibus est signum contrarietatis, ita quòd illis fides nulla adhibeatur nec delationi jurisjurandi locus sit.*

4 *Testis dicens se non recordari de tempore redditur suspectus.*

5 *Verbis formalibus articulatis non probatis, ipsum factum non censetur probatum.*

6 *Instigator, sollicitator, proxeneta & mediator à testimonio ferendo repelluntur.*

7 *Simoniæ crimen etiam per mediatorem probari potest.*

8 *Perjurus quantumcunque emendatus ad testimonium amplius non recipitur.*

9 *Jurans solvere die certa & non solvens, etiam judice temporali vetante, est perjurus.*

10 *Testes in causa matrimoniali debent esse omni exceptione majores.*

11 *Dictio, præcipuè, est implicativa denotans idem in casu contrario.*

12 *Quando lex requirit testes omni exceptione majores necesse est articulari & probari, quòd testes sint tales.*

13 *Testes in causa matrimoniali debent esse rogati.*

14 *Fides est duplex, pactionis & consensus, &c.*

15 *Pactio omnis quantumcunq; simplex potest appellari fides.*

16 *Matrimonium quibus verbis contrahatur, &c.*

17 *Infinitivus ducere, contrahere vel accipere, non importat dispositionem de præsenti.*

18 *Sponsalia quibus verbis contrahi dicantur, &c.*

19 *Verba stipulantis & testis semper contra stipulantem & producentem interpretanda sunt.*

20 *Per osculum vel annuli dationem matrimonium non probatur, nisi verba matrimonialia præcesserint.*

Visis & diligenter prælectis propositionibus domicelli Jasparis de Mol, & responsione domicellæ Elizabeth Baw ad eandem propositionem, ac testium hincinde productorum depositionibus. Omissis superfluis videtur mihi subscripto de jure in hac causa dicendum, præfatam domicellam Elizabeth ab impetitione, tam promotoris officij curiæ Cameracẽsis, quã etiã ipsius domicelli Jasparis absolvi debere, quia duo testes, videlicet Petrus van Kestergate, & Martinus van Osy, quia aliquid deponere nititur contra præfatam domicellam, sunt in suis depositionibus varij, & in principalibus verbis, per quæ contractus initus esse astruitur, discordes & discrepantes: nam Petrus dicit dictum Jasparẽ dixisse hæc formalia verba, **Alsoe verre als ghy my van den gelijcken doen wilt/ zoe gheve ick u mijn kerstelijcke trouwe/ ende ghelove nemmermeer ander wijf te trouwen dan u**/ id est, Eo casu quo tu mihi paria facere velis, ego do tibi meam christianam fidem, & promitto nunquam aliam uxorem ducere quàm te. Et se ipsum tunc dixisse hæc formalia verba, **Nichte geloest hem ooc u kerstelijcke trouwe/** id est, Neptis promittas illi etiã christianam fidem tuam, & dictam domicellam tunc respondisse per hæc formalia verba, **Ja ic/ ick gelove hem mijn trouwe/** id est, Ita, ego promitto illi fidem meam: & tunc iterũ se dixisse hæc formalia verba, **ende gy geloest oock nemmermeer ander man te trouwen / doe dy niet /** id est, Et tu quoque promittis, nunquam alium virum accipere, nonne? & ipsam respondisse per hęc formalia verba, **Ja ick/** id est, Ita: Martinus verò non illo ordine, sed alio modo incipit verba, & dicit, dictũ Jaspa-

Iaſparem hoc modo incepiſſe, **Ick gheve**
u hier mĳn wettigige trouwe/ nem-
mermeer ander Wĳf te trouwen dan
u/alzoe verre als ghy my van den
gelĳcken doen wilt/id eſt, Ego do tibi
hîc meam legitimam fidem, quòd nunquã
aliam ducam uxorem quàm te, ita tamen,
ſi tu quoque mihi paria facere voles. Et
Petrũ dixiſſe hęc formalia verba, **Nichte**
gheefdy oec hem u wettige trouwe/
& eam reſpondiſſe per hæc formalia ver-
ba, **Ja ick/ick ghewe u mĳn trouwe/**
id eſt, Ita, ergo do tibi fidem meam. Quæ
verba non ſolùm à propoſitis per dictum
Iaſparem, ſed etiam ab invicem in ordine,
& aliàs multum diſcrepant, de ordine cõ-
ſtat, ſimiliter & de verbis & de ſubſtantia
in illis verbis, **hier kerſtelĳcke wetti-**
ge/id eſt, hîc chriſtianam, legitimam, Pe-
trus dicit, **ende gelove**/id eſt: Et promit-
to, quæ verba nequaquam dicit Martinus:
Item Petrus dicit, **Nichte geloeft hem**
oec/id eſt, Neptis promittas illi etiam, &
Martinus dicit, **gheeft oick**/id eſt, da et-
iam. Similiter in principali reſponſione i-
pſius reæ, ex qua pendet lex & prophetæ.
Petrus dicit ream reſpondiſſe, **Ja ic/ick**
geve hem mĳn trouwe/id eſt, Ita, ego
do illi meam fidem, & etiam plura verba
dicit Petrus quã Martinus, per ream pro-
lata, ut ſuprà patet, & non ſolùm plura
quàm Martinus ſed uterque eorum plura
quàm ipſa proponens, quia ille ſolùm dicit
eam dixiſſe, **Ja ick**/hoc eſt, Ita. Ideò i-
pſis nulla penitus venit in hac tam ardua
cauſa, in qua de hominis ſtatu agitur, (*ut*
dicit gloſſa ordinaria in capit. mulieri, de
jurejurando) fides adhibenda: nam teſtes:
1 maximè † quando ſuſpecti ſunt, non ſo-
lùm de tempore, ſed etiam de temporis
& veſtium qualitate ſunt interrogandi. *ff.*
de teſtibus, l. tertia. §. ideoque 4. *quæſt.* 3.
§. in teſtibus ſecundo: nam & tunc poteſt
quæri de formis & circumſtantijs & de
modo loquendi, & quæ verba dicta fue-
runt, & an ſimul vel ſeparatim ad locum
pervenerũt, & quis prius & quis poſterius
receſſit, & an contrahentes ſtarent, an ſe-
derent, ut ſic in ſermone capiantur, &
ore proprio convincantur, 5. *quæſt.* 5,
ſed aliud, in quibus omnibus præfati teſtes
ſunt diſcrepantes & varij, ſicut manifeſtè
2 patere poteſt judici, qui † omnibus modis
laborare debet ad veritatem & falſitatem
inveſtigandum, 30. *quęſtione ultima, ju-*
dicantem, C. de edend. le. is apud quem 36.
quęſtione 9. *gravem.* 20. *quæſtione* 2. *prę-*
ſentes, de fide inſtrumen. cùm Iohannes:
non ſolùm enim in modo, ordine loquen-
di, & verbis diſcrepant & varij ſunt, ut
prius patuit, ſed etiam in adventu & re-
ceſſu, ut unus dicit proponentem ſtetiſſe,
& alter dicit eundem geniculaſſe, & ergo
non ſolùm eorum dictis credi non debet,
ut vult Speculat. in titul. de teſtibus. §.
primo verſicul. item quòd teſtes diſcor-
dant: verùm etiam per judicem ſunt pu-
niendi, *per eundem Specul. tit.* & *§ prœal-*
leg. verſic. item opponitur teſti quod re-
cipit. & *§ ſequent.* & quod plus eſt, mini-
3 ma † diſcrepantia in teſtibus ſignum eſt
contrarietatis, *ut vult Bald. in l. de qui-*
bus. ff. de legibus. ita quòd illis neque fides
adhibetur neque tunc delationi jurisju-
randi locus eſt, *ut vult idem Baldus in*
dicta l. de quibus, in decima ſeptima co-
lumna & *Lanfr. in repetitione cap. quo-*
niam contra falſam, de probationibus, in
tertia columna, & *idem Lanfr. in repeti-*
tione l. admonendi, in decima quinta co-
lumna, in verſic. ſecunda concluſio, de
jurejuran. & *Bartholomæus Cœpola in*
ſuis cautelis, cautela 202. Quòd au-
tem præfati teſtes ſunt ſuſpecti, & ita
ſuper præmiſſis interrogatorijs, & juxta
illa examinari debuerunt liquidè con-
4 ſtat: quia † ut magis dicta ſua colorent,
& ne facilè videatur in eorum dictis
diſcrepantia de tempore ſe non recordari
dicunt, & ita vehemens eſt præſum-

ptio contra eos, ut scribit Ioannes Andreas de testibus, *cap. ex parte, in gl. quærendum*, & *in additione Specul. tit. de testibus. §. jam de interrogatorijs, vers.* & *notat.* & eo magis, quia unus, videlicet Martinus dicit illa, quæ sine dubio non sunt verisimilia ipsum scire, sicut domino judici manifestè ex visitatione loci constare poterit 22. *quæst. 2. § fi.* Sed ut adhuc uberius constet de bono jure ipsius reæ, ex actis manifestè cõstat, proponentem quædam verba formalia, non addendo illam clausulam vel de his similia, contra ream hujus causę proposuisse, quę verba formalia per proponentem, sicut ex superius deductis patet, minimè in illa forma sunt probata, sed certum est & de jure indubitatum, quandocunque † alia verba formalia
5 articulantur, & illa verba formalia non probantur, matrimonium non censetur esse probatum, *juxta notat. per Anton. de Butrio, Panor.* & *Doct. in c. nihil obstat, de verb. signi.* & *Iason in l. secunda. C. de bon. poss. secundum tab.* in quibus locis dicunt, quòd illud generale sufficit, testes concordare in substantia & in effectu, de quo *in d. c. nihil obstat, cum simil.* est verum, nisi testes producerentur ad probandum aliquid formaliter, & exemplificant de eo quod evenit in facto, in eo qui prætendebat se esse hæredem, & articulavit qualiter testator usus esset istis formalibus verbis, videlicet te Titium hæredem instituo: & ad istud probandum produxit duos testes quorum alius deponit qualiter testator dixit, te hæredem facio: alius testis deponit, quod dicit, te hæredem instituo, & dicunt, quòd fuit judicatum, quòd tales testes essent varij & non probarent, & idem vult *Bald. in mutuo, in c. bonæ, primo, in quarta col. in vers. sed quid dices de electio.* quando testes fuerunt interrogati quibus verbis fuit usus, ut latius per eum. Præterea præfati testes non solùm sunt suspecti, varij, singulares, discrepantes, & extra formalia verba proposita deponentes, sed uterque eorum est talis, quòd dictum suum nullius credulitatis aut fidei esse debeat: nam Petrus van Kerstergate, prout ipsemet in sua depositione fatetur, & ex re-
6 liquis deductis constat, fuit in † hac causa primus instigator, sollicitator, proxeneta, & mediator: & ita de jure, suo dicto non statur, & à testimonio repelli debet, *ut vult Alexander de Imola, in quarta parte Consiliorum suorum, consilio 19. incipiente, Redemptoris nostri invocato suffragio: in his quæ in Themate narrata sunt*, & probatur *in authen. de testib. §. antepe.* & *est decis. Rotę 157. in novis. in-*
7 *cipiente, sollicitator.* In simonia † enim est speciale, quòd mediator ibidem admittitur ad testificandum, *de testi. c. 1. lib. 6.* ergo in contrarium est jus commune: Martinus verò van Oly, aliàs van Santberghe, alter testium, non solùm hoc negotio, sed duplici perjurio, sicuti ex actis constat, est notatus: cui ea de causa etiam fides non adhibetur, ac à testimonio ferendo repelli debet, non obstantibus quibusdam frivolis pro eodem Martino & pro sua excusatione allegatis: nam
8 perjurus † quantumcunque pœnitentiam agat, & quantumcunque fuerit emendatus, ad testimonium amplius non recipitur, *de testibus, cap. ex parte primo*, & *ibi glos. super verbo, de perjurio*, & *c. testimonium*, & *ibi gl.* & *Doct. eo. ti. 6. q. 1. c. quicunque, 22. q. 5. c. parvuli*, & *ca. si quis, arg. 2. q. 7. non potest*, & *de præsum. cap.*
9 *literas*: & † jurans solvere die certa, & non solvens etiam judice temporali vetante, est perjurus, *ut notant Pan.* & *Doct.*
10 *in c. significavit de testibus.* Præterea † testes in causa matrimoniali non solùm debent esse non mediatores sive proxenetæ, non perjuri, non varij, &c. sed etiam debent esse omni exceptione majores, *ut est tex,* & *ibi Pan.* & *Doct. de consang.* & *affi-*

& affinit. c. primo, ibi , omni exceptione majores, qui matrim. accuſa. poſſ. c. inſuper, & ibi veriſimiliter Doct. & voluit expreßè Fel. in rubr. de ſponſal. in quarto privilegio matrimonij , quod etiam locum habet in matrimonio contrahendo, *ut vult gloſſ in c. in literis, de teſt.* cùm u-
11 titur † dictione præcipuè , quæ eſt implicativa , denotans idem in caſu contrario, *ut eſt gl. notabilis , & ibi Panor. in c. per tuas primò, de ſimo. & idem vult Andreas Siculus in conſ. ſuo 54.* Et adhuc non ſufficit, quòd ſint omni exceptione majores, ſed etiam requiritur quòd hoc ſit articu-
12 latum & probatum : quia licet † quis præſumatur bonus , *c. fi. de pręſumptio. cum ſimibus*, non tamen præſumitur omni exceptione major vel optimus , & ergo quandocunque canon vel lex requirit teſtes omni exceptione majores , ut in caſu præſenti, tunc debet articulari & probari, quòd teſtes ſint tales ita punctaliter dicit Angelus *in l. ſecunda . §. diem, & ibi dominus Ioan. de Imol. ff. quemadmodum teſt. aper. & voluit Bart. in l. 1. §. ſi quis neget, circa fin. illo eod. tit.* Et non ſolùm
13 hoc, ut præmiſſum eſt , requiritur , ſed † etiam quòd tales teſtes ſint rogati , *ut vult Spec. in tit. de teſt. §. 1. verſ. item non fuit*, quod procedit, non ſolùm quando agitur de diſſolutione matrimonij , de quo eſt text. expreſſus *in l. nullum, ibi, 7. puberibus adhibitis : & ibi gl. notat. ff. de repud.* ſed etiam in matrimonio contrahendo, de hoc eſt *gloſ ordin. in c. de his, 3. q. 9,* & hanc opinionem ſentiunt veriorem *Archid in c. noſtrates, 30. q. 5. & Ioan. And. in c. ex parte de ſponſa. remittendo ad gl. d. c. de his, & Cardin. in d. c ex parte, qui dicit, hoc communiter teneri, & Ludo. de Roma ſingulari 713. & Andreas Siculus conſilio 54. præall.* Cùm igitur præfati teſtes ſint , alter eorum mediator & perjurus, alter mediator & proxeneta, & ambo in ſuis dictis , tam quoad ſubſtantialia & formalia verba, quàm etiam quoad circumſtantias varij, & non ſolùm varij, ſed etiam in aliquibus contrarij, & ita minimè omni exceptione majores , neque rogati ad actum contra ream propoſitum, neque etiam hoc articulatum ſit, eos ſcilicet omni exceptione majores, neque eſſe in hac cauſa tam ardua , in qua de perpetuo hominis ſtatu agitur , ut ſuprà dixi , ipſis & eorum dictis nulla penitus venit aut eſt ſides adhibenda, *per jura pręalleg.* Pro majore tamen enucleatione hujus materiæ reſtat videre præſuppoſito, quòd præfatus proponens plenè probaſſet verba formalia per eum contra ream propoſita , aut per ream eſſent confeſſata , utrum per illa verba cenſeretur verum matrimonium inter præfatas partes eſſe contractum. Pro cujus notitia præſuppoſito caſu , & habendo illa verba pro repetitis, præmitto quòd dicta verba videntur ſic in linguam latinã poſſe transferri: Domicella, ego do ſive præſto tibi hîc meam Chriſtianam fidem , nunquam aliam uxorem ducere quàm te, vel niſi te, in quantum aut ſi tu mihi de ſimili facere velis, quæ ſunt verba proponentis , & verba Petri tunc ſubſequentis ſunt: Neptis ? tu das ei etiam tuam Chriſtianam fidem, & promittis ei etiam nunquam alium virum ducere ? ad quæ ipſa rea videtur reſpondiſſe : Ita , qua tranſlatione habita tanquam vera, hîc ſunt quatuor præmittenda. Primum eſt, quòd
14 duplex eſt † fides, ſcilicet fides pactionis, & fides conſenſus : & quòd fides pactionis eſt, quando aliquis promittit alicui fidem quòd eam ducet , ſi permiſerit eum ſecum rem habere , vel etiam pro conſenſu, *de ſponſal. duo. cap. primo , & exponunt ibi Ala. Innoc. & Ioan. And.* hoc verbum ſcilicer opponendo , 1. ſi in me conſenſeris, ego conſentiam in te, ut punctaliter accidiſſe prætenditur in caſu propoſito, & ita per utrumque in expoſitione

fidei pactionis notatur conditio, *ut vult gl. in d. c. 1. præall. super verbo si permiserit, quam ibi sequitur Pan.* Secundò, quod fides pactionis, est tantùm de futuro, *d. c. 1. præall.* Tertiò, quòd omnis † pactio
15 quantumcunque simplex potest appellari fides, ita quòd veniens contra promissionem, dicitur venire contra fidem per eum præstitam, quemadmodum capitur *in l. 1. ff. de const. pecu.* & *in l. prim. ff. de pac.* & *vult Panor. in d. c. primo præall.* Et ita dicere, præsto vel do tibi fidem quod tecum ibo ad S. Iacobum, vel ad Urbem, nil aliud est, quàm promitto tibi, quòd tecum ibo, &c. Et do tibi fidẽ meam Christianam tecum ire, vel quod tecum ibo, &c. nihil aliud est, quàm promitto tanquam bonus Christianus tecum ire: Et quòd dare seu prĕstare fidem, nil aliud sit quàm promittere, sunt *text. expressi in c. veniens. 2.* & *in c. ij qui fidem, de sponsa.* Quartò, quòd infinitivus de se sonat in futurum, ut promitto tecum ire, tecum contrahere, te ducere, nil aliud est, quàm quòd tecum ibo, tecum contraham, te ducam. Quibus præsuppositis, & verbis, ut præmittitur, in linguam latinam translatis, diligenterque masticatis singulis, quæ Doct. diversi circa verba matrimonialia scripserunt, dicendum videtur, & tanquã indubitatum haberi debet, per præmissa verba, matrimonium minimè censeri de-
16 bere esse contractum, quia verba † proposita per dictum Iasparem proponentem nihil aliud sonant, quàm istud videlicet domicella, ego do sive præsto tibi meam Christianam fidem, id est, promitto per fidem meam Christianam, sive tanquam bonus Christianus, quòd nunquam aliam mulierem ducam quàm te, vel nisi te, si & in quantum tu mihi simile, sive de simili facere velis, quæ sicuti manifestè patet *ex nota. per Spec. in tit. de sponsa.* & *per Io. And. Dom. Anton. de Butrio, Præpos.* & *DD. in c. ex literis. 1.* & *in c. ex parte, de spon.* nullo modo ma-
17 trimonium important, quia † iste infinitivus ducere, contrahere, vel accipere, est talis naturæ, ita quòd executio ejus pendet de futuro, & non importat dispositionem de præsenti, *ut vult Prĕpos.* & *Doct. in d. c. ex literis,* licet aliud sit secundum præfatos Doctor. in verbo habere, tenere, vel tractare, quæ verba important
18 executionem actus præteriti, nec † plus important hæc verba, non ducam, vel non accipiam aliam nisi te, quàm hæc, ducam vel accipiam te, quæ clarum est solùm importare sponsalia. *c. penul., de sponsa. cum simili.* Nec obstant nota. per aliquos Doct. *in d. c. ex parte*, in quantum volunt, quòd per hæc verba, non habebo aliam nisi te, contrahatur matrimonium, sicuti per hæc verba, habebo te: quia dato quòd hujusmodi opinio esset vera, de qua tamen ibi dubitat Anton. & plures alij, tamen nihil facit ad propositum: quia in casu præsenti non prætenditur, quòd sunt prolata dicta verba, non habebo aliam nisi te, nec quòd sint prolata illa verba, non ducam vel non accipiam, seu promitto non ducere vel non accipere aliam nisi te, quæ non important nisi sponsalia, ut suprà dixi. Et ita dictus Iaspar proponens etiam si sua narrata probata essent vel confessata, in casu præsenti
19 obtinere non posset, maximè cum verba † stipulantis & verba testis semper contra stipulantes & producentes sunt interpretanda, *le. veteribus, ff. de pactis, le. stipulatio ista. §. in stipulationibus, ff. de verborum obligatio.* & *c. in præsentia, de probatio.* & *vult Alexand. in consilio suo, 20.* & *43. quarti voluminis.* Nec obest prætensum osculum, neque prætensa annuli
20 datio cum neque † per osculum matrimonium probatur contractum, *per text. notabilem, in l. si à sponso,* & *ibi Bald. C. de dona antenup.* & *Præpo. in d. cap. 1. de sponsa duo.* neque per annuli dationem, *ut vult*

vult Archid. 3 0.*q.*5.*c.fœmine*, dummodo verba matrimonialia non præcesserunt, *ut per Panor. in c.fi.de despon.impu.*

CONSILIUM CXXVIII.

SUMMARIA.

1 *Ultimæ voluntatis naturam habet dispositio, cujus effectus post mortem confertur.*

2 *Ultimæ voluntatis dispositio mutari, alterari & revocari potest: licet juramento vallata sit.*

3 *Actus gestus contra juramentum regulariter valet.*

4 *Pactum vel stipulatio non impediunt revocationem ultimæ voluntatis.*

VIso contractu antenuptiali, anno millesimo quadringentesimo 84. inter A. & B. tunc futuros conjuges concepto & concluso, & alteratione ejusdem facta, anno 87. ex post subsequenti de consensu & assensu prolium primi matrimonij dictorum A. & B. interpositione fidei vallata, & stipulatione solenni interveniente firmata, videtur mihi subscripto omissis superfluis breviter & absque hæsitatione dicendum, quòd alteratio seu mutatio nũc novissimè facta per dictum A. ad sollicitationem præfatæ B. suæ uxoris, in absentiam sine consensu prolium dicti A. valet, & tenet non obstante dicto contractu antenuptiali anno 84. ut præmittitur concluso & prætacto alteratione anno 87. ex post subsequente fidei interpositione, ut præmittitur vallata & stipulatione solẽni firmata. Et ratio quæ me movet est, quia
1 dispositio † seu divisio bonorum facta per dictos A. & B. in dicto contractu antenuptiali, anno 84. & in dicta alteratione anno 87. non potest dici dispositio inter vivos, sed ultima voluntas, quia in ea disponitur de eo, cujus effectus confertur post mortem, ergo habet naturam ultimæ volũtatis, *l. Seja, ff. de donatio, causa mort.* & *l. Seja. ff. de dote præleg. juncta leg. legatum. ff. de legatis secundo,* & *volunt expressè Iac. de Are. Cyn. Bart. Bald.* & *alij in auth. si qua mulier, C. de sacrosan. eccles.* & *est de mente glos. in l. quotiens,* & *ibi Paul. de Castro* & *Doctor. C. famil. hercis.*
2 sequitur ergo, quod † poterit mutari, alterari, & revocari, *in l. si quis in princ. testamenti, cum ibi not. per Doct. ff. de lega. tertio, juncta l. 3.* & *4. ff. de adimen. legat.* & *c. cum Matthæ. de cele. miss.* & *l. prima C. de sacrosan. eccles.* Nec obstat, quòd de fidei interpositione & stipulatione interveniente objici posset, quia etiam si dicti A. & B. conjuges expressè jurassent hujusmodi dispositionem non revocare, tamen illo non obstante, si revocarent, teneret revocatio, licet revocando incurrerent perjurium, secundum aliquos, ut notatur plenè per *Bar. in d. l. si quis in princip. testamenti,* & *per Ioan. And. in regula, quod semel, de reg. jur. lib. 6. in mercuria-*
3 *libus:* † regulariter enim valet actus gestus contra juramentum, etiam si sit actus spiritualis, *c. l. sicut,* & *c. si inter, de sponsa.* & *notat. per Panor.* & *Doct. canonistas in c. dilecto, de preben.* licet de actu spirituali magis dubitetur, & fiat distinctio per *Rotam decisione 104. incipiente, nota quòd ubi aliquis facit procuratorem,* &c. *in anti-*
4 *quis:* & certum est, pactum † vel stipulationem non impedire revocationem ultimæ voluntatis vel dispositionis factæ de hereditate alicujus, certo modo post mortem ejus dividenda, *d. le si quis in principio testamenti, cum ibi notatis,* & *l. stipulatio hoc modo concepta. ff. de verborum obligatio. juncta l. fina. in vers nisi fortè, ubi casus, C. de pac.* & *l. ex eo, C. de inutil. stipula. cum alijs vulgaribus.*

CON-

CONSILIUM CXXIX.

SUMMARIA.

1 *Hæreditas parentum inter liberos æqua lance dividi debet.*

2 *Renuncians juri nondum delato, nihil agit.*

3 *Pactum auferens liberam testandi facultatem, si morte paciscentis confirmatur, valet inter liberos.*

4 *Pactum de futura successione conservanda, valet.*

5 *Hæreditas pactis dari potest solùm liberis, non autem extraneis,*

6 *Filius feudum habens, suis cohæredibus recompensam dare tenetur.*

7 *In omni dispositione quæ fit inter liberos semper subintelligitur clausula, quod eo modo valeat, quo valere potest.*

8 *Feudo legato debetur æstimatio.*

VEnerabilis Dom. Officialis, viso processu pendente coram vobis, per & inter Jacobum Couthals nomine domicellæ Katharinæ suæ uxoris, & Adria. Verbeeken actores ex una, & Ioh. Verbeeken reum ex altera. Videtur mihi subscripto pro dictis impetrantibus & contra præfatum reum pronunciandum: nam ex actis clarè constat, intentionem dictorum actorum esse fundatam, cùm constet dictos Catharinam & Adria. esse proles naturales & legitimas quondam Iohan. Verbeeken, de cujus successione ac ejusdem hæreditatis divisione agitur, constat etiam de contractibus antenuptialibus libellatis, tam agentium quam rei, constat etiam, dictum quondam Iohannem Verbeeken decessisse nec constat de aliqua mutatione hujusmodi pactorum vel contraria dispositione. Cùm ergo ex conventionibus antenuptialibus ipsius Iohannis rei libellatis & confessatis, constet eundem centum Leones debere conferre, quos etiam conferre obtulit, ut patet in processu, folio 37. prout etiam de jure conferre debet, *toto titulo, de collat. ff.* & *C.* Sequitur, quòd ipse reus illos centum Leones importare seu conferre debet, & etiam ipsos agentes ad æqualem divisionem admittere, ac inventarium dare, nec non computum, calculum, & rationem de administratis reddere. Restat duntaxat respondere ad aliqua quæ prima facie videntur facere pro dicto Iohanne reo, quibus solutis patebit nitida hujus articuli contentiosi veritas: Et primò non obstat, quòd reus in sua peremptoria videtur allegare, videlicet quòd ipsi etiam agentes bonis dicti quondam Iohannis Verbeeken se immiscuerunt, & pro hæredibus se gesserunt quare videtur eorum actionem per confusionem esse extinctam. Quia respondetur, quòd hoc non constat ex actis, & dato quòd de hoc constaret, non tamen militaret in casu præsenti, cùm actio competens ex hujusmodi pacto antenuptiali tēdat ad hoc, ut actores æqualem habeant cum reo & alijs prolibus divisionem & portionem, & sic deducta per eundem reum potius faciunt contra reum: nam
1 fatendo † ipsos hæredes, & quòd pro hæredibus se gesserunt, necessariò de jure fateri debet eosdem agentes ad æqualem, cum eo & alijs prolibus divisionem esse admittendos, *l. maximum vitium, C. de liber. preter. juncta auth. in successione, C. de suis & legit. hæredibus.* Non obstat etiam aliud, per quod reus finaliter allegat, videlicet quòd agentes recognovissent sibi esse

bi esse satisfactum de addictis & promissis in contractibus eorum antenuptialibus: Quia hoc similiter nullo modo constat ex actis, & dato quòd de hoc
2 constaret, per † hoc tamen, jure nondum delato, sed adhuc futuro, non censerentur renunciasse, imò & si renunciassent non valeret renunciatio, *l. qui superstitis, de acquir. hær. cum simi l.* Non obstat etiam
3 *l. pactum* † *quod dotali, C. de pact.* in qua videtur dici, quod hujusmodi pactum nõ valet. Quia respõdetur, quòd *d. l. pactum*, nihil aliud vult, quàm quòd hujusmodi pactum non valet, ut auferat liberam testandi facultatem, ita quòd pater dictarum partium aliter disponere non potuisset, imò si contrarium disposuisset, valeret dispositio, ut ibi vult text. Sed quia dictus quondam Iohan. Verbeeken paciscens aliter non disposuit, sed in pacto perseveravit, hujusmodi pactum hobet vim ultimi judicij seu extremæ volũtatis, & valet inter liberos, ut est in casu præsenti, *tex. est in l. finali. C. famil. herciscun.* & volunt expresè & in specie in longè fortioribus terminis *Alexan. de Imol.* & *Iason in præalleg. l. pactum quod dotali,* & *idem Alex. in l. licet. C. de pact.* & *Iason in l. fin. in sexta & septima col. C. tod. tit.* & *Ludo. Roma. in repetitione auct. similiter. C. ad l. falcid.* Nec obstat etiam si dicatur, quòd istud est pactum futuræ successionis, quod regulariter non valet, *d. l. fi.* & *l. ex eo, C. de inutil. stipul. cum sim.* quia dicta jura loquuntur, aut de pacto de succedendo affirmativo, vel de hæreditate obvenienda certo modo dividenda, & neutrum eorum regulariter valet, ut benè declarat *Bartol.* & *Doctor. in*
4 *præalleg. l. fin.* sed nos sumus in † casu futuræ successionis conservandæ, quod pactum valet, *ut est tex. in §. fi. Instit. de leg. agn. succe.* & *volunt in specie Bart.* & *Ang.* Ias. & *Doct. in prealleg. l. fi.* & *Doct. legistæ in l. stipulatio hoc modo concepta, ff. de verbor. obl.* & *Panor. Io. de Imol.* & *canonistę in c. secundo de concess. præb.* quare non obstat. Non obstat etiam,
5 quòd † hæreditas non potest dari pacto, *l. hereditas, C. de pactis conven.* Quia id fallit inter liberos, *secundum Alexand. in dicta l. pactum,* & *in prealleg. l. licet,* & *vult Ias. in d. l. fin. C. de pactis,* cujus ratio est, quia quæcunque dispositio inter liberos valet & habet vim extremæ voluntatis, *præalleg. l. fi. C. famil. herciscun.* & hoc patet etiam ex *dict. l. hereditas,* in contrarium allegata, dum dicitur ibi, hæreditas extraneis testamento datur, quasi sentiat secus in filijs, & per illa verba quæ sequuntur vice testamenti. Non obstat etiam si dicatur, quòd dictus Iohannes Verbeeken pater non potuit disponere de feudo sine consensu domini. *l. e. hac edictali, C. de probib. feud. ali. per Feder. in usib. feu. cum sim.* quia in casu præsenti in contractu Iacobi alterius agentis, dictus Iohannes Verbeeken non disposuit de feudo, sed duntaxat de recompensa, quòd
6 ei licuit: cùm etiam † de jure communi cessante dispositione paterna, filius habens feudum teneatur alijs recompensam dare, *juxta notat per Io. And. Panorm.* & *Doct. in c. licet, de voto.* Et licet in alio tractatu nihil dixit expresè de recompensa, tamen in effectu etiam voluit recompensam fieri, cùm dixit bona omnia & singula æqualiter esse dividenda, & ita videtur voluisse, quòd habens feudalia faciat recompensam alijs, sive tanto minus in alijs bonis non feudalibus percipiat,
7 quod etiam confirmatur: quia in † omni dispositione, quæ fit inter liberos, semper subintelligitur clausula, quòd eo modo valeat talis dispositio, quo melius valere potest, *ut est glos. ordina. relata ad tex. in l. cohæredi. § cum filię, ff. de vulg.* & *pupill.* & *ibi eam notant,* & *valdè exclamant Io. de Im.* & *Alex.* & *Ias. in autten. novissima, in 6. col. C. de inoffic. testam.*

Præterea hoc confirmatur ex alio capite, quia dispositio prædicta seu pactum hujusmodi vim habet extremæ voluntatis, quando aliter non est per patrem disposi-
8 tum, ut est dictum suprà, sed † extrema voluntate legato feudo debetur æstimatio, ut vult notabiliter *Ioan. Fab. in § non solùm, in fine, Institut. de legatis*, ergo, &c,

CONSILIUM CXXX.

SVMMARIA.

1 *Ex persona actoris jus metimur.*

2 *Paria sunt non esse, vel esse & non adparere.*

3 *Qualitas contentiosa liquidè probanda est, nec sufficit vulgaris reputatio.*

4 *Agens possessorio si non possideat, vel possessio sit recens habeátve præsumptionem contra se, titulum & non communem solùm reputationem probare tenetur.*

5 *Decanatum plebaniam & capellaniam in una ecclesia quis simul habere non potest.*

6 *Collatio beneficiorum incompatibilium est nulla.*

7 *Decretum irritans inficit titulum & possessionem.*

8 *Beneficia plura incompatibilia detinens efficitur inhabilis ad quæcunque postea obtinenda.*

9 *Pœnalis constitutio favorem animarum continens extenditur ad alium casum similem rationem habentem, largoque modo interpretatur.*

10 *Idem si contineat favorem ecclesiarum.*

11 *Dispensatio in dubio præsumitur minus sufficiens.*

12 *Possessio & residentia in beneficialibus absque canonico titulo haberi non potest.*

13 *Actor contraria allegans non est audiendus.*

14 *Variatio in personis ecclesiasticis, maximè vitanda est. Fallit, &c. ut num.* 15. 16. *& seq.*

17 *Turpitudinē propriam excipiendo, vel contra participem turpitudinis agendo allegare licet: quādo allegans certat de damno vitando, & adversarius de lucro captando. & num.* 18.

19 *Exceptio elidens jus actoris, licet turpitudinem contineat opponentis, omnino admittenda est.*

20 *Scripturæ ex archivo publico extractæ plenam faciunt fidem absque alia comparatione, approbatione vel sub significatione, &c. & num.* 21.

22 *Scriptura etiam non publica, continens factum antiquissimum plenam facit fidem quando de modico agitur prajudicio.*

23 *Beneficia duo curata quis in eadem ecclesia simul habere non potest: multò minus duas præbendas.*

24 *In ordinationibus antiquis non requiritur propriorum nominum expressio.*

25 *So-*

25 *Solennitates extrinsecæ, cùm sint facti, nec præsumuntur, nisi in factis valde antiquis.*
26 *A communi opinione in judicando non est recedendum.*
27 *Plenitudo adjectione non eget.*
28 *Pactum vel compromissum prædecessorum in spiritualibus futuro successori non nocet. Fallit, ut num. 29. 30.*
31 *Reprobare non possum semel probatum.*

VEnerabilis domine Officialis, in causa coram vobis pendente indecisa, per & inter venerabilem & providum virum Dominum Marcum de Steenberch, decanum insignis ecclesiæ collegiatæ sanctæ Gudulæ Bruxellensis actorem ex una, & spectabiles ac circumspectos dominos canonicos dictæ insignis ecclesiæ capitulum ejusdem repræsentantes reos ac defensores ex altera partibus, ad finem, ut vobis liqueat de justa oppositione dictorum Dominorum reorum, & de non jure dicti domini Marci impetrantis, quodque sibi sua conclusio non debeat adjudicari, placeat attendere ad infrà scripta. Quibus consideratis, videbitis luce clarius (nisi fallor) dictum dominum Marcum actorem, nedum malè agere & sine actione experiri, sed etiam temerariè & cavillosè præfatos dominos
1 reos molestare. Ex persona † enim actoris jus metimur, adeo quòd debet constare actori jus competere, ut ipse triumphet, nec satis est constare reo jus non competere, *l. prima, circa principium. ff. si pars hæred. pet. juncta l. fin. C. de rei vendi.* Actore autem non probante de jure suo, locus est regulæ, actore non probante reus absolvitur *l. qui accusare. C. de eden. cum similib.* Quòd autem dicto Domino actori nec jus nec actio competit ad canonicatum & præbendam, de quibus in actis, & quòd sibi prima pars suæ conclusionis adjudicari non debet, in qua petit literas monitorias declarari validas, &c. & collationem, & provisionem, possessionem, & residentiam canonicatus & præbendæ, per obitum quondam Magistri Hieronymi de Burgundia vacantes eidem, ut prætendit factas esse legitimas, validas efficaces, patet multipliciter. Primò, quia ex processu non constat, aliquam sibi unquam collationem aut provisionem dictorum canonicatus & præbendæ esse
2 aut fuisse factam: Cùm † ergò paria sint, non esse, vel esse & non apparere, *l. in lege. ff. de contrah. emp.* & *l. duo sunt Titij. ff. de testa. tut.* patet quod collatio seu provisio non potest declarari valida, de qua non apparet, & ita ad literam dicit *decisio Rotæ 15. in novis incipiens, si in causa beneficiali*, quæ plus vult, videlicet quòd hoc procedit, etiam si actor possessor petat titulum suum pronunciari canonicum, & sibi adjudicari beneficium, de quo latè ibidem. Nec obstat si dicatur, quòd ex actis & ex confessione dictorum dominorum reorum constat, præfatum dominum actorem fuisse & esse reputatum pro canonico. Quia dico, quòd
3 hoc non sufficit, nam quando † alicui movetur quæstio de qualitate extrinseca inhærente personæ, ut puta, quia dicitur, quòd non est notarius, presbyter, vel canonicus, & desuper contenditur cum eo, & factum est recens non excedens memoriam hominum, vel annos 40. tunc non sufficit illi qui contendit personæ suæ inhærere qualitatem contentiosam probare, quòd ipse habitus & reputatus est, vel quòd habetur & reputatur pro tali, sed debet liquidè docere se esse talem: Nam reputatio hoc casu non sufficit: Ita specificè dicit *Pano.* & *Doct. in c. innotuit, de eo qui fur. ord. rece.* & *vult decisio*

Rotę 4. in novis, incipiens possessor benefi-
cij, quę fortius dicit, videlicet, quòd actor
4 † non possidens, etiam si agat possesso-
rio *ex decre. quęrelam, de electio.* debet
plenè probare titulum, nec sufficit com-
munis reputatio, & idem si possideat,
sed possessio est recens: imò adhuc plus
dicit, quòd si longo tempore possedit, sed
habet præsumptionem contra se, ut quia
habet competitorem, vel patitur litem
super beneficio, debet probare titulum,
nec sufficit probare communem reputa-
tionem. Cùm ergo in casu præsenti di-
ctus dominus actor agat principaliter ad
hoc, quòd collatio sua declaretur va-
lida & efficax, & negatur esse canoni-
cus, debet de collatione constare, maxi-
mè cùm factum sit recens, & cùm præ-
sumptio sit contra eum, tum, quia patitur
litem super dicto beneficio, & tum etiam
quia ipse est incapax & inhabilis illius
beneficij, ut statim deducetur. Secun-
dò, posito quòd ex actis constaret de col-
latione & provisione, deducitur ex alio,
quòd non debet dicto domino actori ad-
judicari sua conclusio: quia ex actis ma-
nifestè constat dictum Dominum acto-
rem, tempore decessus dicti quondam
Magistri Hieronymi, & semper depost
fuisse & esse inhabilem & incapacem,
non solùm ad dictos canonicatum & prę-
bendam, verùm etiam ad quodcunque a-
liud beneficium obtinendum, ita quòd
dictæ collatio & provisio, si factæ forent,
fuissent & essent ipso jure nullæ & inva-
lidæ propter pluralitatem & incompati-
bilitatem beneficiorum, quæ tunc tem-
poris dictus Dominus actor in dicta Ec-
clesia collegiata & alibi habuit, tenuit, &
occupavit. Nam ex actis & confessatis
ipsius Domini actoris constat, quòd ipse
tunc temporis habuit & possedit in dicta
5 Ecclesia † collegiata decanatum, pleba-
niam & capellaniam, quæ sunt incom-
patibilia maximè sub eodem tecto, *cap.*
de multa. de prębendis, & *cap. dudum, se-*
cundo, de electio. imò non valet consuetu-
do in contrarium, *cap. 1. de consuetudi.*
libro 6. & per consequens, si aliqua sibi
6 esset † facta collatio vel provisio de di-
ctis canonicatu & præbenda existentes
in eadem ecclesia, ex quo prius habuit
plura incompatibilia, illa collatio est
nulla, *per textum expressum in cap. ordi-*
narij, in §. in conferendis, de offic. ordi-
7 *nar. lib. 6.* ubi ponitur decretum † irri-
tans, quod nedum inficit titulum sed et-
iam possessionem, ut est *decisio Rotę 16.*
in novis, incipiens, si contra agentem pos-
sessorio, & tantò magis talis collatio vel
8 provisio esset nulla: quia detinens † plu-
ra beneficia incompatibilia efficitur in-
habilis ad quæcunque postea obtinenda,
ut habetur *in extravaganti Ioan. 22. exe-*
crabilis, articulata in actis, in §. qui verò,
de qua facit mentionem glossa ordinaria
in clementina, si plures, in fine, de præ-
bendis. Nec obstat si dicatur, quòd di-
ctum *cap. ordinarij. §. in conferendis*, est
pœnale, ergo non debet extendi extra
suos terminos: Quia dico, quòd consti-
9 tutio † quantumcunque pœnalis conti-
nens favorem animarum, ut quia emana-
vit, ut vitarentur animarum pericula,
qualis est dicta constitutio *cap. ordinarij*,
ut patet ex præallegato *cap. de multa*, &
cap. dudum, extenditur ad casum alium,
similem rationem habentem, & debet
largo modo interpretari: ita singulariter
dicit *Ioan. And. in cap. ex tenore*, & *ibi*
hoc sequuntur Panormitanus, Prępositus, & *Doctores, qui filij sunt legiti.* &
vult Bartol. in Authent. sacramenta pube-
rum, circa finem, C. si adver. vendi. & *Fe-*
lin. in cap. translato, circa finem, de con-
stitut. & *Ioannes Baptista in repetitio-*
ne l. omnes populi, in octava fallentia. ff.
de justitia & *jure*: sicut videmus in si-
10 mili, quòd constitutio † pœnalis conti-
nens favorem ecclesiarum, extenditur ad
alium

alium casum ex identitate rationis, *ut est glossa ordinaria notabilis in cap. sciant cuncti, de electio. lib. 6.* & *ibi hoc firmant Dominicus* & *Philippus Francus*, & *idem volunt Dominus* & *Philippus in cap. 1. de tempor. ordin. lib. 6.* nec valet si objiciatur de dispensatione, quia de illa ex actis non constat, nec præsumitur, quia
11 facta † non præsumuntur. *l. quæcunque. §. fina. ff. de publici.* & si de illo constaret, tamen in dubio præsumeretur minus sufficiens, *ut est textus singularis in d. §. in conferendis*, & *ibi expreßè hoc notat Philippus Francus in 3. notabili.* Præterea malè petit dictus Dominus actor, possessionem & residentiam declarari validas, quia possessio † & residentia
12 in beneficialibus absque canonico titulo haberi non potest, *c. primo, de reg. jur. lib. 6.* & *volunt DD. in c. literis, de restit. spol.* quem titulum allegare & probare debuisset, cùm ei resistat jus commune, *c. ad decimas, de resti. spo. lib. 6.* & propter decretum irritans positum *in d. c. ordinarij. §. in conferendis*, & *in d. extravagante, execrabilis*, quod nedum inficit titulum, sed etiam possessionem, ut suprà dixi. Cùm ergo ipse non probaverit titulum, vel docuerit de collatione vel provisione, ut suprà dixi, cessat possessio, & malè petit possessionem & residentiam declarari validam, maximè quia ex actis non constat de possessione fructuum, de quibus est quæstio: imò quod magis est, ipse Dominus actor in eadem conclusione petit illos sibi tradi contrarius sibi ipsi.
13 Actor † autem contraria allegans, non est audiendus *l. 1. C. de furt.* & *c. sollicitudinem. de appellat.* Et ex alio ineptè petit fructus, cùm per sententiam in possessorio latam, quæ in rem transivit judicatam, illos perdiderit, sicut ex actis & confessatis dicti Domini actoris constat. Nec obstat si dicatur, quòd domini canonici admiserunt præfatum Dominum Marcum ad possessionem & introduxerunt in eandem, ergo contra factum proprium
14 venire non possunt: cùm illusio † & variatio in personis ecclesiasticis, maximè sunt vitãdæ, *cl. unica, de renun.* Turpius enim ejicitur, quàm non admittitur hospes *c. quemadmodum, de jurejur.* & quem semel approbaverim, non possum postea reprobare. *l. Pomponius primo. ff. de neg. gest. cum sim.* Quia ad hoc potest multipliciter
15 ter responderi. Primò, quòd † dicta regula fallit, & licita est variatio, quando in non variatione vertitur periculum animæ, sicut in casu præsenti, quia dictus dominus actor possideret beneficium sine titulo, & cum periculo animæ suæ & prętactorum dominorum sibi non resistentium, de hoc est *tex. in cap. lator*, & *in c. consanguinei, de re jud.* & *est gl. ordinar in c. inter dilectos, de don.* & *ibi Panor.* & *Io. de Imol.* & *pulchrè per Felin. in d. c. lator.*
16 Secundò potest † responderi, quod dicta regula fallit, & licita est variatio favore ecclesiæ, ut est *tex. in c. si quis presbyterorum, de reb. eccl. non alien.* & *in cap. quod quis commisit 35. q. 9.* & *vult gl. in d. c. inter dilectos*, & *Ioan. de Imol. in le. qui superstitis. ff. de acquir. hæred.* in proposito autem, nomine ecclesiæ fit hæc variatio,
17 & in favorem ejusdem. Tertiò potest † responderi, quòd etiam ubi non vertitur periculum animæ, nec subest favor ecclesiæ, adhuc potest quis venire contra factũ suum, & allegare propriam turpitudinem, excipiendo, secundum *Bald. in le. post mortem, circa fi. ff. de adopt.* potest etiam quis venire contra factum suum, & allegare propriam turpitudinem, replicando, aut intentionem suam aliter juvando contra participem turpitudinis, quando allegans propriam turpitudinem certat de damno vitando, & adversarius de lucro captando: de hoc est *textus notabilis* & *singularis in l. de tutela C. de in integrum restit. mili.* ubi est casus, quòd

si per collusionem probavi me majorem ad instantiam tutoris, ut ipse absolveretur à tutela, possum postea variare & allegare hanc turpitudinem contra tutorem, qui fuit particeps turpitudinis, ex quo ego certo de damno vitando, & ipse de lucro captando, cùm injustè sit absolutus, & fuit particeps hujus turpitudinis: quem textum ad hoc ponderat *Panormitanus in cap. cùm super quæstione, de concess. præbend.* & *Ioannes de Imol. in dicto cap. inter dilectos*, & *Bart. in l. jusjurandum quod ex conventione. §. procurator. ff. de jurejurando*, ubi per hoc dicit,
18 † quòd si ego ago rei vendicatione, dicens rem esse meam: tu autem opponis, quòd fuit tibi vendita, & ego replico quod illa venditio fuit simulata & imaginaria, facta in fraudem fisci, quòd ego debeo audiri, licet allegem turpitudinem meam, & velim' venire cōtra factum proprium. Nam ego allego dictam turpitudinem ad coadjuvandum intentionem meam. Item allego eam contra te, qui fuisti particeps. Item ego certo de damno vitando, & tu de lucro captando, *d. l. de tutela*, & *idem vult Feli. in d. c. lator, in princ.* & ita punctaliter accidit in casu præsenti, quia ad importunam sollicitationem dicti domini actoris scientis & ignorare non valentis, sed non sufficienter dispensatum & inhabilem, præfati domini canonici ex inadvertentia decepti per d. dominum actorem, admiserunt eundem ad possessionem sub certis tamen protestationibus, de quibus in actis: nunc autem certiorati excipiendo veniunt contra factum proprium, & allegant turpitudinem propriam contra præfatum dominum actorem participem turpitudinis ad vitandum damnum, & ne ipse actor indebitè lucretur, quod eis licet per prædicta. Præterea quartò
19 potest responderi, quod ubicunque † exceptio vel turpitudo est talis, quod ex toto elidit jus actoris, tunc admittitur variatio, & potest quis venire contra factum proprium, quia ubi exceptio elidit jus agentis non debet judex audire actorem, ex quo notoriè fovet injustitiam, ita singulariter dicit *Ioan. And, quem sequuntur Card.* & *Panor. in d. c. inter dilectos*, & *Felin. in d. c. lator, in 2. col.* In casu autem præsenti hæc exceptio, tu es inhabilis ad obtinendum præbendam in ista ecclesia in qua habes decanatum, capellaniam, & plebaniam, & ratione plebaniæ præbendam unam, elidit penitus jus agentis, ut suprà dixi, & patebit ex infrà dicendis: ergo non obstante, quòd dicti domini canonici præfatum actorem semel admiserunt, etiam si eum admisissent simpliciter sine protestatione, possunt nunc opponere exceptionem elidentem jus ipsius actoris, per suprà dicta, & sic non obstat. Præterea quamvis præmissa cessarent & constaret de vero & canonico titulo ipsius domini actoris, licet etiam de possessione ejus constaret, possessioque ejus recens non esset, nec obstaret suo titulo jus commune, tamen adhuc sine dubio quoad fructus contentiosos obtinere non posset, propter ordinationem ex parte dominorum reorum ex archivis publicis eorundem solenniter & legitimè extractam, & actis hujus causæ insertam: qua inter alia cavetur, quòd si contingat plebanum canonicum fieri, quòd talis quoad fructus canonicales foraneus censeri debet, &c.
20 quæ † ordinatio licet non sit subscripta, nec habeat sigillum appensum, tamen fidem plenam facit absque alia comparatione vel approbatione, ex quo extracta est ex archivis publicis dictorū dominorum, id est, ex loco deputato à communi & ab antiquissimo tempore, in quo reponuntur & reponi ab ævo consueverunt scripturæ authenticæ, & ex quo ibidem inter scripturas authenticas est reperta: ita expressè decidunt *Panor. Ioannes de Imola*, & *Doctores, in cap. 2. de fide instrumen.* &c

men. & *idem Panorm.in c.1.in 1.col. illo*
eod.tit. & *Ioan.de Imol.in c.1. de procur.*
& *Iason tam in repetitione, quàm in le-*
ctura in le.admonendi.ff.de jurejuran. &
est textus in cap.ad audientiam, & *ibi si-*
militer Ioan. de Imo Panor. & *Doct. de*
præscript. & *bonus text.in Auth ad hęc in*
fin. & *ibi Paul.de Cast. C.de fide instrum.*
& *volunt Bald.* & *Salic. in l.comparatio-*
nes, C.eod.tit. & *bonus textus cum glos.* &
ibi Archid. in cap. pervenit 30. q. 1. &
vult gl.ordinaria, & *ibi etiam Pano. Fel.*
& *Doct. in c. cum causam, de probat.* &
Card.in consilio suo 72. in tertio dubio,
ubi pulchrè loquitur : & *Io. And.in addi-*
tio.ad Specu.ad tit. de instrum. edi. in §.
nunc dicendum in additione magna, in
vers.quintum supplementum, & *Bald. in*
Rubrica, de fide instrumen. in penult. &
21 *ul.col.* imò † plus notabiliter dixit *Bart.*
in Auth. & *si contractus, C.de fide instru.*
videlicet, quòd creditur tali scripturæ re-
pertæ in archivo publico, propter authori-
tatem Officialis qui præest armario seu
archivo, etiam si extractio vel publicatio
non fiat per notarium: Creditur enim il-
lis scripturis, secundum eum, licet non
sunt publicæ: imò plus dixit *Bart.in prę-*
allegato Auth. & *si contractus*, videlicet,
quòd si in scripturis armarij, vel repertis
in archivo publico, non sint anni domini,
indictio, & similia, tamen probant, quia
tales scripturæ sunt scripturę Authenticę,
licet privatę, in quibus dictæ solennitates
non requiruntur, secundum eum. Præ-
terea ex alio capite, dicta ordinatio facit
22 fidem, quia quandocunque † scriptura a-
liqua continet factum antiquissimum &
agitur de modico præjudicio, tunc facit
plenam fidem: *ita notabiliter dicit domi-*
nus Panor. in præalleg. c. cum causam, in
2.col. sed dicta ordinatio continet factum
antiquissimum, ut patet ex ejus data, &
agitur de modico vel nullo præjudicio
domini actoris: quod patet, quia ex dictis
hujus causæ constat, quòd dictus plebanus
ratione plebaniæ, habet cum canonicis
dictæ ecclesiæ decimam tertiam præben-
dam sive portionem, unde non potest vi-
gore canonicatus habere aliam præben-
dam contentiosam, quia sic habeaet duas
præbendas in eadem ecclesia, quod esse
23 non potest: imò jura † magis abhorrent,
quòd quis habeat in eadem ecclesia duas
præbendas, quam quòd quis habeat duo
beneficia curata, *ut est text. cum sua sin-*
gulari gl. in Clem. fin. de pręben. & *vult*
Panorm. & *Doct. in c. literas, in princ. de*
conces. præben. Cùm ergo de modico
vel nullo præjudicio dicti domini actoris
agatur, cùm non possit ambas habere, &
parum refert an hanc vel illam habeat,
sequitur, quòd dicta ordinatio facit ple-
24 nam fidem. Nec obstat si dicatur, quòd †
in dicta ordinatione non habentur nomi-
na propria arbitrorum, sed solùm desi-
gnantur per A. & B. quod non sufficit.
Quia dico, quòd imò hoc sufficit, per ea
quæ habentur & notantur *per Doct.in ca.*
G.perpetuus, de fide instrum. & *in ca.cùm*
P, Manconella, de accusatio. & *in cap. P.*
& *G.de offic. deleg.*

Non obstat etiam si dicatur, quòd di-
cta ordinatio videtur processisse ex com-
promisso & submissione ipsius plebani,
sed de hujusmodi submissione vel com-
25 promisso non constat, & cùm † sit facti,
non præsumitur, ut suprà dixi: ergo hu-
jusmodi ordinatio non potest facere fi-
dem, ex quo non constat de potestate at-
tributa ipsis prætensis arbitris, *arg.eo-*
rum quę habentur per gl. & *Doct. in cap.*
cùm in jure peritus, de offic. deleg. & *l.*
sciendum, de verb.oblig.cum sim. Quia di-
co, quòd jura quæ dicunt solennitatem
extrinsecam non præsumi patiuntur fal-
lentiam in factis valde antiquis, quia in
illis præsumuntur solennitates extrinse-
cæ intervenisse propter difficultatem
probationum: *ita apertè dicunt Host. Io.*
And.

And. Bald, Anton. de Butrio, Io. de Imol, & *DD, in c. Albericus, de testi.* & *bene facit l. si filius. C. de peti. hæred. ubi est casus singularis de hoc secundum Bart. ibidem,* & *vult Ang. in d. l. sciendum:* quod maximè procedit quando solennitates extrinsecæ sunt enunciatæ in instrumento: ut in casu præsenti, ubi narratur compromissum factum: imò quod fortius est, illud procedit, etiam si in instrumento non sint enunciatæ solennitates extrinsecæ, secundum *d. Felin. in d. c. Albericus*, ubi dicit
26 hanc esse communem † opinionem, & ergo in judicando non est recedendum ab ea: *secundum theoricam Ioan. And.* & *Doct. in ca. 1.* & *in c. ne innitaris, de constit.* & *Bar. in l. fi. C. de pœ. judi. qui ma. judica.* Et quia de ista materia plenissimè habetur *per Felin.* & *DD. canonistas in d. c. Albericus,* & *per Bal. Paul. de Cast. Sal. Alexan. Ias.* & *alios DD. legistas in l. cùm aliquis. C. de jure deliber.* idcirco decrevi amplius circa hoc non instare, cùm pleni-
27 tudo † adjectione non egeat, & supervacuis laboret impendijs qui solem facibus certat adjuvare, *c. si omnia. 6. quæst. 1.* & *l. 1. in fi. ff. de dote præleg. cum si.* Nec obstat si dicatur, posito quod dicta scriptura esset omnino authentica, & quod ei plena fides adhiberi deberet, tamen nullum præjudicium potest afferre actori causæ
28 præsentis, quia in † spiritualibus pactum vel compromissum prædecessorum futuro successori non nocet *c. veniens, de trãsact. cum sim.* Quia respõdetur dupliciter.
29 Primò, quod hoc est verum, quando † nõ intervenit consensus Papæ vel episcopi: hìc autem intervenit consensus episcopi diocœsani loci immediati superioris dominorum de capitu. sanctæ Gudulæ, ut patet ex inspectione dictæ ordinationis, quod sufficit: *ut est tex. in c. de cætero. de transact.* & *vult expreßè Io de Imol. in d. c. veniens, in 3. notabili dicens tex. præallega. c. veniens, debere suppleri per d. c. de cætero.* Secundò respondetur, quod di-
30 ctum † contrarium procedit, nisi per pactum vel renunciationem fiat reductio ad jus commune: tunc enim pactum vel tacita renunciatio prælati, præjudicat ecclesiæ sive præjudicium sit leve, sive grave, quamvis non intervenerit consensus superioris, *ut est text. in c. 1.* & *in c. fi. de pact. lib. 6. quos ad hoc ponderat Panor. in c. veniens, in 7. col. de præscrip.* & *Felin, in c. cùm accessissent, in 3. colum de constitu:* quòd autem fiat hæc reductio ad jus commune, patet, quia de jure communi nemo potest habere duas præbendas in eadem ecclesia, ut suprà dixi, ad quod duntaxat tendat dicta ordinatio, & tantò
31 † magis dictus dominus actor debet hujusmodi ordinationem servare, quia ipse & sui prædecessores semper decimam tertiam portionem sive præbendam, vigore dictæ ordinationis, consecuti sunt, ut ex actis patet, quantum personam dicti domini actoris concernit: ergo non debet eam impugnare, *d. l. Pomponius, cum alijs juribus suprà allegatis.* Et per eadem media probatur, dictum dominum actorem etiam malè fundatum in secunda parte suæ conclusionis. Concludendo ergo dico, quòd dicti domini Canonici debent ab impetitione præfati Domini Marci actoris absolvi: & ipse Dominus Marcus in expensis condemnari: Iudicio vestro venerabilis Domine, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM CXXXI.

SUMMARIA.

1 *Confeßio extrajudicialis in præsentia partis adversæ emissa, etiam sola plenè probat.*

2 *Confeßio extrajudicialis geminata non solùm probat, sed etiam inducit obligationem.*

3 Pro-

3 *Probationes duæ semiplenæ debent conjungi ad faciendum plenam probationem.*

4 *Schedula continens ultimam alicujus voluntatem quatenus fidem faciat, &c.*

5 *Instrumentum ab eo, qui pro notario legali communiter reputatur, confectum valet.*

6 *Articulatis in libello quando credendum sit, &c.*

7 *Hæreditati paternæ se immiscens debita paterna solvere obligatur.*

8 *Feudum apprehendere & alia bona repudiare, causa evitandi solutionem debitorum paternorum filius non potest: Secus est in agnato.*

9 *Non probat hoc esse quod ab eo contingit abesse.*

10 *Bona per nos ex manibus injustè eam occupantium, recuperata, non dicuntur amplius patrimonialia: licet in eis jus habeamus, sed acquisita.*

11 *Filius, etiam modicum de hæreditate patris apprehendens vel de vino patris bibens, censetur hæres nec amplius abstinere potest.*

VEnerabilis domine Officialis, quanquam inspecto laborioso & intricato processu domicellæ Corneliæ van den Werve, relictæ quondam Henrici van Kets actricis, contra Henricum van Kets, dicti quondam Henrici filium naturalem & legitimum, coram vobis agitato & pendente indeciso, nullum in eo dubium esse videatur, tamen ut facilius pateat totius processus recollectio, de duobus præcipuè est videndum. Primò, an actrix tractatum antenuptialem quem allegat, & ultimam voluntatem, super qua se fundat, plenè probavit. Secundò, an plenè probavit, præfatum Henricum reum, fuisse & esse hæredem quondam sui patris, & ipsius bona apprehendisse. Et quoad primum, indubitatum est, quòd sic. Constat enim de hoc per duos testes, quorum unus clarè deponit, etiam usque ad summam petitam, & præterea liquet
1 hoc per † confessionem extrajudicialem in præsentia partis emissam, quæ quidam confessio etiam sola plenè probat ex quadruplici capite. Primò, quia emissa est in præsentia partis expressa causa, ut est *glos. ordinaria in c. si cautio, de fide instru.* & *gl. in c. fi. de confes.* & *utrobique Doct.* & *vult Pau. de Cast. in l. publia. §. Titius. ff. depo.* Secundò, quia est declaratoria duntaxat, quo casu confessio extrajudicialis etiam emissa absente parte, plenè probat, secundum *Pet,* & *Cyn. in l generaliter, C. de non num. pecun.* maximè de jure canonico, secundum quod non requiritur præsentia partis, *ut est gl. ordinaria in c. quotiens cordis oculus.* 1. *q* 7. & *volunt Ioan. And. Anton. de Butrio, Card. Io. de Imo.* & *Felin, in d. c. si cautio.* Hic autem fuit emissa in præsentia partis, ut dixi, & sic nemini dubium est, quin plenè probet. Tertiò, quia intervenit scriptura confitentis, quo casu confessio extrajudicialis probat etiam facta in absentia partis per epistolam, *ut est tex. notab. in præalle. l. publia.* § *Titius,* & *ibi Pau. de Cast.* & *Doct.* & *vult Panor.* & *Doct. in præall.*
2 *c. fin.* & *omnes in d. c. si cautio.* Quartò, quia est † geminata, & sæpius iterata, quo casu confessio extrajudicialis nedum probat, sed etiam inducit obligationem, *ut singulariter dicit Bart. in l. cùm scimus, in fi. C. de agri.* & *censi. lib.* 11. & *sequuntur Pa-*

tur Panor. & *Felin. in præall. c. si cautio.* & *Paul. de Cast. in prællegata l. publia. §. Titius.* Patet ergo, quòd hujusmodi confessio sola plenè probat. Et dato, quòd nõ plenè probaret, sed solùm semiplenè, sicut facit regulariter quęlibet confessio extrajudicialis emissa absente parte, *ut vult Ioan. de Imol.* & *alij Doct. in præall. c. si cautio,* & *omnes Doct. in d. c. fin. de confess.* tamen adhuc hoc sufficeret in casu isto, attento, quòd cum ista confessione concurrit ad minus unus testis clarè de-
3 ponens. Et sic istæ duæ † semiplenæ probationes debent conjungi ad faciendum plenam probationem, *ut vult Bart.* & *Doct. in l. admonendi. ff. de jurejur.* & *habetur pulchrè per Felin. in cap. cum causam, de proba.* & tantò fortius, quia cum dicto teste clarè deponente concurrit alius clarè deponens, contractum antenuptialem articulatum fuisse initum, licet dicat se de summa præcisè non recordari. Præterea nemini dubium est, quin posset actrici deferri juramentum in supplemẽtum probationis, licet hoc non sit necessarium meo judicio, propter præallegata, & quia de hujusmdi contractu antenuptiali ultra præmissa constat, præsumptivè per exhibitionem prothocolli. Item de
4 † ultima voluntate dicti quondam Henrici constat per schedulam manu sua propria scriptam, & subscriptam, in qua tres testes sunt inscripti, cujus tenor & manus est probata apud acta, & probatum etiam est, quòd illa est eadem schedula per plures testes: ergo ei est standum per illud, quod singulariter vult *Bart.* & *Doct. in l. si ita scripsero, ff. de condit.* & *demonstr.* & *Iason in l. captatorias, C. de*
5 *testa. milit.* & ultra † hoc exhibitum est instrumentum publicum confectum in remotis, quod etiam præsumptionem inducit, licet notariatus sit negatus, ex quo apud acta probatum est, illum qui confecit instrumentum fuisse reputatum in loco pro notario publico & legali, *juxta not. per Innoc. Panor.* & *DD. in c. innotuit, de eo qui fur. ord. re.* & *facit l. Barbarius Philippus, ff. de offi præto.* & unus testis dicit, illud esse idem instrumentum,
6 quod per eum fuit confectum, quæ † omnia simul juncta confirmant motum animi circumspecti judicis ad firmiter credendum ita esse, ut articulatur *ar. c. præterea, de testi. cum similibus.* Et tantum de primo.

Quo autem ad secundum etiam clarum est, plenè & sufficienter esse probatũ in actis, quòd dictus Henricus fuit & est filius ac hæres universalis dicti quondam Henrici sui patris, & talis habitus, tentus & reputatus, quodque dicti quondam sui patris bona, non solùm feudalia, & immobilia non feudalia, verùm etiam mobilia quædam, ut instrumenta braxatoria & lapidem moralem apprehendit, sicut ex depositionibus plurium testium lucidissimè apparet: patet ergo, quòd intentio dictæ domicellæ Corneliæ actricis est
7 fundata: nam filius † qui se immiscet hęreditati paternæ, obligatur solvere debita paterna, *l. necessarijs, cum ibi not. per gl.* & *Doct. ff. de acquir. hęred. cum alijs vulgaribus.* Restat nunc respondere ad nonnulla objecta, quę ex scripturis dicti Henrici rei colligi possunt, quæ in effectu sunt duo. Et primò non obstat, cùm ipse reus dicit patrem suum constante suo primo matrimonio acquisivisse usumfructum bonorum per eum apprehensorum à domicella Ysabella matre patris sui & avia ipsius rei. Cùm ergo ipse pater fuerit plenus dominus, ergo per decessum suæ primæ uxoris matris rei factus est usufructuarius, & per consequens dictus reus factus est proprietarius, ita quòd illa bona proprio jure apprehendere potuit, præter id & absque eo quòd teneatur solvere debita paterna, juxta legem & consuetudinem loci situationis hujusmodi bonorum,

norum,&c. Quia ad hoc respondetur per interemptionem, negando quòd pater dicti defensoris acquisivit hujusmodi usumfructum à præfata domicella Ysabella matre sua & avia rei, ita quòd factus fuerit illorum bonorum plenus Dominus constante suo primo matrimonio. Imò,ut plures testes dicunt, dicta domicella Ysabella vixit pluribus annis post decessum domicellæ Elizabeth van der Eyken primæ uxoris dicti quondamHenrici van Kets patris rei, & ipse duntaxat habuit regimen seu administrationem illius usufructus. Et dato, quòd ita esset,ut ex adverso articulatur, tamen non relevaret, & esset impertinens, quia satis est domicellæ Corneliæ actrici, quòd ipse reus apprehendit plura bona mobilia ipsius patris,ut suprà dixi. Item satis est sibi, quòd ipse apprehendit bona feuda-
8 lia patris: quia † filius non potest apprehendere feudum & repudiare alia bona, ut evitet solutionem debitorum patris, licet aliud sit in agnato, *ut est tex.planus in tit. an agna. vel filius agna.* & *in c. filius,in tit.de capi.qui cur. vend. in usibus feud.* Item satis est sibi,quòd bona mobilia non sufficiunt ad solutionem creditorum: nam hoc casu, ut dicunt plures testes,itur ad immobilia,& sic data veritate dictorum propositorum illa sunt impertinentia & non relevantia, & locus est re-
9 gulæ, non probat † hoc esse quod ab hoc contingitabesse, *l.neque natales.C. de proba l.non hoc. C. unde cog* & *c. in præsentia,de proba, cum sim.* Secundò non obstat si dicatur, quòd domus sive hospitium ad intersignium galli cum braxatorio & pertinentijs suis sita sive situm in parochia de Noyvoert, spectavit & pertinere consuevit patri,avo,abavo, & attavis dicti rei, & quod non fuit acquisita, vel acquisitum à patre dicti rei,& sic non potest dicto reo nocere apprehensio facta de hujusmodi bonis,&c.

Quia respondetur similiter per interemptionem negando assumptum. Et dato quòd ita esset, tamen quia à 40 50. 60. & 70 annis,& ultra,hujusmodi bona fuerunt occupata & possessa per alios, ut patet ex actis,hujusmodi bona dicuntur ac-
10 quisita per patrem dicti rei, ut † probatur *in Rubr.Institutionum*, ubi Iustinianus nominat se Alamanicum,Atticum,& Germanicum, quia illos devicit, & suæ ditioni subjecit, dictæque provinciæ dicuntur per eum acquisitæ, ut ibi dicunt omnes scribentes, & tamen imperator est dominus totius mundi. *l.de precario. ff.ad leg. Rod.de jac.*ibi ergo est tex.quòd bona acquisita per nos, ex manibus injustè ea occupantium, licet habeamus jus in eis, dicuntur bona acquisita & talia censentur, non autem censentur bona patrimonialia, licet sint recuperata per nos, quando longissimo tempore fuerunt occupata & possessa per alios, quod servit proposito. Præterea quamvis hoc cessaret, adhuc tamen dict. contrarium non obstat, quia ut suprà dixi, satis est, quòd ipse reus apprehendit aliqua bona mobilia ipsius patris, vel quòd apprehendit bona feudalia, vel quòd bona mobilia non sufficiant ad solutionem creditorum, quæ omnia concurrunt in casu præsenti, ut patet ex actis, quare non obstat: imò plus † voluit *Ang. in l. si servum. §.prætor.ff.de acquir. hære.*& *sequitur Cepolla in cautela 209.* quòd filius qui quantumcunque modicum apprehendit de hæreditate patris, vel bibit de vino patris,si hoc negat & probetur,cēsetur amovisse de hæreditate patris,& poterit conveniri tanquam hæres sublato sibi beneficio abstinendi,unde habet filius solum unum remedium secundum *Ang. in d. §. prætor,* scilicet, quòd antequam aliquid hæreditatis contingat, declarat per publicum instrumentum & coram testibus, quòd renunciat hereditati,quod non con-

ſtat eſſe factum in caſu præſenti, ergo, &c. Concludendo ergo dico, quòd cùm ex actis conſtet de contractu antenuptiali, & de ultima voluntate dicti quondam Henrici van Kets, ac de apprehenſione & immixtione facta per dictum reum, ſequitur quod dictus reus debet ſuccumbere, omnibus frivolis per eum allegatis non obſtantibus, judicio veſtro, cui Deus adſit, ſemper ſalvo.

CONSILIUM CXXXII.

SVMMARIA.

1 *Ex unico actu præſentationis acquiritur poſſeſſio in futurum.*

2 *Poſſeſſio lite pendente nemini auferenda eſt.*

3 *Ad validitatem præſentationis vel electionis ſufficit præſentantem vel eligentem eſſe in poſſeſſione juris præſentandi vel eligendi.*

4 *Poſſeſſio & ejus beneficium tranſit ad ſucceſſores.*

5 *Conventio inter aliquos de præſentãdo alternis vicibus facta valet.*

6 *Miniſterium in eccleſia habere non poteſt, niſi attigerit annum 25. &c.*

7 *Zeelandiæ aër de ſe corrumpit ferrum.*

8 *Actus contrarius derogat concordiæ prius factæ.*

9 *Res judicata jus facit & pro veritate habetur.*

10 *Exceptio rei judicatæ competens authori competit etiam ſingulari ſucceſſori.*

11 *Exceptio rei judicatæ competens contra authorem, tranſit contra ſingularem poſſeſſorem.*

12 *Reſoluto jure datoris, reſolvitur jus acceptoris.*

13 *Vaſallus feudum, in præjudicium domini directi vel ſimulaneè inveſtiti deteriorare non poteſt.*

14 *Solem facibus adjuvare ſupervacuum eſt.*

VEnerabilis domine Officialis: Pro juſtificatione clari & indubitati juris Domini Egidij Wilhelmi præſentati ad eccleſiam parochialem de Scoudee, per Nobilem & generoſum virum domicellum Ioan. Zilli dominum temporalem, dominij de Scoudee, placeat attendere, quòd ex proceſſu pridem intentato coram vobis, per & inter dominum Nicolaum Laurentij, aliàs Amici, ex una, & quendam dominum Nicolaum Philippi de Remmerſwalis, ex ſecunda, & ſyndicum venerabilium dominorum Decani & Capituli Eccleſiæ ſancti Salvatoris Trajectenſis, & Berwoldum Gerardi præſentatum per eos, ex tertia partibus, & in iſta inſtantia repetito clarè conſtat, tàm ex confeſſionibus dictarũ partium, quàm ex probationibus, quod vacante dicta Eccleſia parochiali de Scoudee, per mortem ſeu liberam reſignationem quondam domini Wilhelmi filij Iacobi, nobiles & generoſi viri Iodocus de Haelwijn, & Iodocus de Huele, ut & tanquam domini temporales de Scoudee, præſentarunt domino Archidiacono Trajectenſi, venerabilem virum dominum Cornelium Wyten-Broeke, & quòd eorum præſentatio fuit ſortita debitum effectum, quia ipſe dominus Cornelius fuit ad præſentationem eorundem in illa Eccleſia de Scoudee inſtitutus, ac in poſſeſſionem corporalem, realem

realem & actualem inductus, ac ut talis eam pacificè possedit usque ad diem obitus sui. Patet ergo ex illo actu, quòd domini temporales prefati dominij de Scoudee, sunt in possessione præsentandi ad dictam ecclesiam, tempore vacationis,
1 quia † ex unico actu præsentandi acquiritur possessio in futurum, ut vult *Innoc. in cap. secundo, in secunda columna, de integr. restit.* & *sequitur Panor. in cap. consulta-*
2 *tion. de jure patro.* qua possessione † privari non debet præfatus domicellus Iohannes Zilli lite pendente, nisi eo prius per sententiam convicto, ut est casus *in cap. primo, ut lite pendente*, & *in d. cap. consultationibus*, & *in cap. querelam, de elect. cum sim.* Maximè, quia domicellus Egidius Butoir post mortem dicti domini Cornelij, ut & tanquam Dom. temporalis de Scoudee, & verus patronus dictæ Ecclesiæ præsentavit ad eam præfatum magistrum Nicolaum Laurentij, aliàs Amici, cujus præsentatio etiam sortita est suum plenum & debitum effectum, ut per sententiam diffinitivam in contradictorio judicio latam, quæ in rem transivit judicatam decreta erat, ut infrà latius dicetur: datur ergo sine præjudicio, quòd
3 jus † præsentandi vere spectaret ad præfatos dominos Decanum & Capitulum Ecclesiæ sancti Salvatoris, tamen præsentatio facta per dictum domicellum Iohannem Zilli de persona præfati domini Egidij Wilhelmi debet sortiri suum effectum, *per tex. expressum in dicto cap. consultationibus*, & *in præall. cap. querelam*, in quibus juribus clarè habetur, quòd ad validitatem præsentationis vel electionis sufficit, quòd præsentans vel eligens sit in possessione juris præsentandi vel eligendi. Nec obstat, si dicatur, quòd licet Egidius Butoir & sui prædecessores fuerint in possessione præsentandi, tamen præfatus dominus Iohannes Zilli non fuit in possessione præsentandi. Quia dico, quòd
4 probata † possessione prædecessoris in dominio & jure præsentandi, concluditur possessio illius, qui nunc est dominus, quia possessio & ejus beneficium transit ad successores, *ut est tex. in dict. cap. primo, ut lite penden.* & *ibi hoc notat Bald.* & *Doct.* Nec obstat quædam prætensa concordia allegata per præfatos Dominos Decanum & Capitulum Ecclesiæ sancti Salvatoris, vigore cujus dicunt, conven-
5 tum † fuisse anno Domini Millesimo tricentesimo quinquagesimo quinto, inter dominos temporales dominij de Scoudee ex una, & præfatos dominos Decanum & Capitulum ex altera, de præsentando alternitatis vicibus, quæ conventio valet, *Clem. 2. circa fin. de jure patron.* Quia ad hoc respondetur multipliciter, dato etiam, quòd de illa legitimè constaret, prout nō: Primò, quòd dictæ prætensæ concordiæ, in quantum aliqua unquam facta fuisset, derogatum est per contrarios actus, quia ex dicto processu in hac instantia repetito, ex productis per ipsosmet Decanum & Capitulum, apparet, quòd ultimus actus gestus per eos fuit anno Domini 1373. dempta novissima prætensa præsentatione, quam ipsi facere attentârunt anno Domini 1470. in Februario, de persona cujusdam Thielmanni, & in Iulio, de persona præfati Berwoldi. Certùm autem est, quòd à dicto anno 1373. effluxerunt nonaginta septem anni, infrà quod medium tempus non est dubium, sæpè vacasse dictam ecclesiam de Scoudee,
6 quia † præsentatus tunc per eos, si aliquis unquam præsentatus fuit, debuit ad minus attingere 25. annum, *cap. cùm in cunctis §. inferiora de elect.* & *c. licet canon. eod. tit. lib. 6.* Nec est verisimile, quòd
7 in patria † Zeelandiæ, ubi aër de se corrumpit ferrum, vixerunt aliqui centum & viginti duo annis, imò de mille vix unus, ibi continuè moram trahens, attingit quinquagesimum annum, curatus autem

debet residere in cura sua, *juribus vulgar.*
8 Et sic licet illa aliqua concordia † fuisset inita, illi esset derogatum, ut prædixi, per contrarios actus, *argum. cap. cùm accessisset, in fi. de constit. cum similibus.* Et domini temporales de Scoudee acquisissent possessionem præsentandi, quæ sola inspicitur, ad validitatem præsentationis, *cap. consultationibus* & *cap. querelam, suprà alleg.* Secundò respondetur aliter, quia dato quòd aliqua fuisset inita concordia, illi esset derogatum per sententiam diffinitivam in judicio contradictorio latam, quæ in rem transivit judicatam: nam cùm dudum erat quæstio inter dictum dominum Nicolaum Amici, aliàs Laurentij, ex una, & dominum Nicolaum Philippi, ex secunda, & præfatos dominos Decanum & Capitulum, & Berwoldum Gerardi præsentatum per eos, ex tertia, coram vobis, domine Officialis, vel vestro prædecessore: & cùm dictus dominus Nicolaus Philippi in medio litis cessisset juri, liti & causæ, materia super jure præsentandi, de quo nunc est quæstio, plenè & studiosissimè disputata, præfatis domino Decano & Capitulo sustinentibus præsentationem ad eos spectare pro illa vice ex vi dictæ prætensæ concordiæ, & præfato domino Nicolao Amici, aliàs Laurentij, sustinente contrarium, processu plenè instructo cum maxima causæ cognitione, & deliberatione per sententiam diffinitivam, quæ nulla provocatione suspensa, in rem transivit judicatam: dictum fuit & declaratum, præsentationem de persona dicti domini Nicolai Amici, aliàs Laurentij, fuisse & esse canonicam, & effectum sortiri debere, eumque esse instituendum, & in corporalem possessionem mittendum oppositionesque & impedimenta per præfatos dominum Nicolaum Philippi, Berwoldum, & dominos Decanum & Capitulum, adversarios præstitas & præstita, fuisse & esse illicitas & temerarias, illicita & temeraria, & propter hujusmodi temerariam oppositionem præfati adversarij, fuerunt eidem domino Nicolao Amici, condemnati in expensis: dominus videlicet Nicolaus Philippi, usque ad diem cessionis juris, litis, & causæ, & alij præfati in omnibus expensis in illa causa factis. Cùm ergo, dicta prætensa concordia non obstante, lata sit sententia diffinitiva in judicio contradictorio, contra præfatos dominos Decanum & Capitulum, quæ nulla provocatione suspensa, in rem trãsivit judicatam, non debent modo audiri proponentes dictam prætensam concordiam, cùm † res judicata
9 faciat jus & pro veritate accipiatur, *l. ingenuum. ff. de statu hom.* & *l. res judicata. ff. de reg. jur.* & *tot. tit. ff.* & *C. de except. rei judic.* Nec obstat, si fortè dicatur, quòd exceptio rei judicatę non potest obstare, quia quæstio jam est inter alias personas, & res inter alios acta alijs non nocet neque prodest, *l. cum quæritur, cum duabus sequentibus. ff. de except. rei jud.* & *to. tit. C. res inter ali. acta.* Quia
10 dico, quòd † exceptio rei judicatæ competens auctori, competit etiam singulari successori: *text. est notabilis in l. si mater, §. item Iulianus. ff. de except. rei jud.* Cùm ergo dictus dominus Egidius Wilhelmi sit singularis successor quondam domini Nicolai Amici, aliàs Laurentij, in dicta ecclesia de Scoudee, exceptio rei judicatæ, quæ competijt præfato domino Nicolao Amici, aliàs Laurentij, contra præfatos dominos Decanum & Capitulũ: competit etiam præfato Egidio Wilhelmi singulari successori, contra præfatos dominos Decanum & Capitulum, *per d. l. si mater. §. item Iulianus*, & etiam contra præsentatum per eos, qui causam habet ab eis, quia exceptio † rei judicatæ competens contra auctorem, transit contra singularem successorem: *ut est textus in l. si à te.*

si à te. §. Iulianus. ff. de exceptio. rei judic. & sic non obstat.

Item tertiò respondetur aliter, quia ex dicto processu in hac instantia repetito constat, ut dixi, quòd præfatus dominus Cornelius van den Broeck fuit præsentatus per patronos laicos suprà nominatos: ergo stante dicta prætensa concordia, turnus dictorum dominorum Decani & Capituli, secundum eorum propriam confessionem fuisset tempore, quo hujusmodi Ecclesia de Scoudee vacavit per mortem dicti domini Cornelij, pro qua vice præsentarunt primo dictum Thielmannum in Februario, & illo defuncto in Iulio expost præsentarunt dictum Berwoldum, & sic dato etiam quòd concordia valeret & subsisteret, non potuissent nunc præsentare, sed deberet expectare quousque iteratò vacaret dicta ecclesia de Scoudee, & sic pro præsenti nulla est dubitatio, quin malè præsentaverint, & se opposuerint præsentationi factæ per dictum domicellum Iohannem Zilli, de persona dicti domini Wilhelmi. Quartò respondetur aliter, & di-
12 citur, quòd resoluto † jure datoris resolvitur jus acceptoris. *l. ex vectigali, ff. de pign. cum sim.* Modò ex dicto processu, in hac instantia repetito, deductum & probatum est, quòd feudum dicti dominij de Scoudee, cui adhæret jus patronatus reversum est ad dominum directum, puta ad bonæ memoriæ ducem Philippum, & ab eo datum dicto domicello Egidio Butoir, & ab eo venit ad prætatum domicellum Ioannem Zilli. Certum autem
13 est, quod † vasalli cum quibus dicitur facta dicta prætensa concordia, non potuerunt conditionem feudi facere deteriorẽ in præjudicium domini directi, vel ejus cui postea dominus directus illud concessit in feudum, licet benè in præjudicium proprium, quamdiu ipsi tenuerunt feudũ, *ut est text. expressus in c. unico. §. quid ergo, in tit. de invest. de re ali. facta, in usib. feudor.* Et sic dato, quòd aliqua concordia fuisset facta, ut ex adverso prætenditur, illa evanuisset feudo reverso ad dominũ. *præalleg. l. lex vectigali, cum vulgarib.*
14 circa quod amplius non est insisto, quia † supervacuum mihi visum est, rem clarissimam conari elucidare, sicuti supervacuum est solem facibus adjuvare, *cap. si omnia, 6. q. 1.* & *l. fina. ff. de dote prǽleg.* Concludendo ergo dico, quòd pro præfato domino Egidio Wilhelmi, & contra præfatos dominos Decanum & Capitulum, & præsentatum per eos, est pronunciandum: Judicio vestro venerabilis D. Officialis, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM CXXXIII.

SVMMARIA.

1 *De patrum variantium sententijs judicare non minus arduum & difficile, quàm periculosum.*

2 *Substitutio compendiosa dicitur, quæ facta est sub hac forma, si sine liberis, decesserit, &c.*

3 *Sine liberis decessisse dicitur, qui tempore mortis nullos relinquit descendentes: licet ante decessum quosdam habuerit.*

4 *Claus. Cùm liberos habuerit, & claus. Si sine liberis decesserit, multum differunt.*

5 *Substitutus vel conjunctus, legatario ante obitum testatoris mortuo, facit valere dispositionem in persona ipsius substituti vel conjuncti. Et num. 29.*

6 *Substitutio compendiosa cõplectitur tacitam vulgarem, & tacitã pupillarem, & num. 30. Fallit.*

7 Testa-

7 *Testamentum potest sumere vires à substitutione tacita vulgari inclusa in expressa pupillari,*

8 *Substitutio pupillaris tacita in compendiosa comprehensa excludit matrem.*

9 *Compendiosa substitutio facta à pagano per verbum commune, ut substituo puberi vel impuberi, &c. semper est fideicommissaria, & num. 21.*

10 *Legata & fideicommissa debentur, etiam irrito existente vel rupto testamento. & num. 15.*

11 *Hæreditas descendentium debetur ascendentibus adeò quod ipsis etiam legitimam relinquere teneantur, & econtrà.*

12 *Præteritio de matre in testamento filij facta cum causæ expressione, habetur pro exhæredatione: sine causa reddit testamentum nullum.*

13 *Legitima ascendentium hodie est tertia, licet olim fuerit quarta.*

14 *Legitima jure institutionis relinquenda est, ali às testamentum est nullum.*

16 *Substitutiones directæ per quas testatori succeditur, testamento rupto vel irrito facto infringuntur: sicut & ipsa institutio.*

17 *Ad veritatem copulativæ requiritur utramque partem esse veram.*

18 *Nullum & inutile æquiparantur.*

19 *Mater in testamento filij præterita, illud evertit.*

20 *Substitutio pupillaris, ut valeat, quæ requirantur. &c.*

22 *Substitutio debet in dubio interpretari & censeri directa, dummodo conveniat verbis & personis.*

23 *Clausula codicillaris operatur fideicommissum universale. & num. seq.*

25 *Trebellianica quando detrahatur, &c.*

26 *Substitutio compendiosa quando dicatur fideicommissaria.*

27 *Hæres ab intestato veniens tenetur substitutis ex fideicommisso universali restituere hæreditatem retenta legitima, & quarta Trebellianica.*

28 *Præteritus in testamento quando teneatur hæreditatem fideicommissario restituere, &c.*

31 *Mater impugnans testamentum filij ex causa præteritionis, perdit omnia legata sibi in testamento filij relicta, & nu. seq.*

33 *Dotem aliasque res paraphernales mulier ante omnia habere debet.*

34 *Donatio propter nuptias adeo privilegiata non est sicuti dos.*

35 *Legari non possunt res restitutioni subjectæ.*

36 *In legato ususfructus continetur effectualiter legatum duariæ, sicut pars in toto.*

37 *Le-*

37 *Legato generali habitationis vel usufructus non derogatur per legatum proprietatis alteri relictum.*

38 *Usufructu morte usufructuarij extincto, res ad hæredes pleno jure transit.*

VIsis & benè ponderatis clausulis testamenti conditi per nobilem virum dominum Ioachimum de Brion, nec non clausulis contractus antenuptialis initi & conclusi inter nobilem virum dominum Petrum de Brion ejus patrem, & nobilem dominam Iohannam de Pompet matrem dicti domini Ioachimi, ac clausulis testamenti & codicilli per eundem dominum Petrum conditorum, visa etiam clausula contractus antenuptialis initi & conclusi inter dictum dominum Ioachimum & dominam Katharinam de Lens ejus uxorem, cum dubijs ex his elicitis, viso etiam per me quodam consilio super hac materia edito mihi ad manus tradito, licet
1 † periculosum sit, teste Hieronymo, judicare de sententijs patrum variantium, nec minus arduum & difficile, ut ego existimo & ipsa ratio dictat: sub correctione tamen cujuslibet melius & rectius sentientis, videtur mihi subscripto in hac materia substitutionis difficili, subtili & pulchra, in qua Doctores & Patres nostri fuerunt multùm varij, & quod amplius est, sæpè contrarij, omissis superfluis & ambagibus, prima facie dicendum, quòd locus est substitutioni, de qua est quæstio, medijs & rationibus infrà scriptis. Primò, quia ex testamento dicti domini Petri constat, dictum dominum Ioachimum ejus filium fuisse institutum hæredem inutilem, & ei factam esse † substitutio-
2 nem sub hac forma, si sine liberis decesserit, quæ est compendiosa, *ut patet ex notat. per gloss. & Doct. in l. precibus. C. de impub. & ali. subst. & ex notat. per Bart. & Doct. in l. centurio. ff. de vulg. & pupil. & per canonistas, in c. Raynutius. de testam. & in cap. si pater, eodem tit. libro 6.* cùm ergo dictus dominus Ioachimus decesserit sine liberis, locus est dictæ substitutioni, *juribus preallegat.* quòd autem sine liberis decessit patet, quia tempore decessus nullum reliquit filium vel descen-
3 dentem, licet † aliquando ante decessum filios habuerit, quod non prodest ad expirationem substitutionis, nisi liberi supervivant tempore decessus instituti, *ut est text. planus in l. ex facto. §. si quis autem susceperit. ff. ad Trebellia. & facit text. in c. nam & ego. ff. de verbor. signif.*
4 licet secus esset † quando verba concepta essent hoc modo, cùm liberos habuerit, *ut est casus in l. cum uxori, & in l. ex his, C. quando di. leg. ced.* ergo si inspiciatur testamentum dicti domini Petri locus est substitutioni. Si autem inspiciatur testamentum dicti domini Ioachimi confirmatorium testamenti paterni, in quo eosdem substituit, quos pater, si filij ex sua uxore nascituri sine liberis decederent, etiam est locus dictæ substitutioni, cùm etiam liberi præfati Ioachimi decesserint sine liberis, & quod plus est ante dictum
5 Ioachimum eorum patrem. Præterea † licet olim institutiones, vel legata factæ vel facta ei, vel de persona ejus, qui post testamentum conditum ante mortem testatoris decessit, efficiebantur quasi caducæ, vel quasi caduca, hodie tamen quãdo est datus substitutus vel conjunctus, subsistit dispositio in persona substituti vel conjuncti, ut est textus planus *in leg. unica, §. & cum triplici, cum sequentibus. C. de cad. tollen.* Cùm ergo in casu præsenti per dictum dominum Ioachimum in testamento suo fuerint instituti filij nascituri ex dicta domina Katharina sua uxore, & substituti illi, quos dictus dominus Petrus ejus Pater substituerat in

eventum, in quem hujusmodi filij nasci-turi decederent sine liberis, locus est substitutioni, ex quo dicti filij tunc nascituri, & posteà nati ante dictum Ioachimum testatorem sine liberis decesserunt, ut suprà dixi *per dictum §.& cum triplici, cum*
6 *sequentib.* Præterea in dicta † substitutione compendiosa comprehenditur tacita vulgaris & tacita pupillaris, sed nemini dubium est, quin ex tacita vulgari comprehensa in compendiosa possent venire dicti substituti, *dicta l precibus, cum ibi notat.per gl.& Doct. C. de impub.* & *al. subst.* & *præalleg l centurio. ff. de vulg.* & *pupil.* & *dicto cap. Raynutius, de testam.* & *cap. si pater, eodem tit. lib.6.* imò quod
7 plus est, testamentum † potest sumere vires à tacita vulgari inclusa in expressa pupillari, pupillo decedente in vita testatoris indistinctè, sive testator post mortem filij potuit sibi providere, sive non: *ita determinat Ioan. de Imola, & Alexan. de Imola. in l. prima, ff. de vulg.* & *pup.* & *est gl. ordinaria nota.* & *ibi hoc volunt expreßè Ange. Ioan. de Imola, Alexand.* & *Doct. in l. lex Cornelia, super verbo, non existimo. ff. eo. tit. idem vult gl. ordinaria in pluribus alijs locis ibi commemoratis per eos,* & *idem vult Io. de Imo. in d. cap. Raynutius, in materia substitutionis vulgaris,* & *Augelus* & *Pau. de Castro in dicta l. unica. §. pro secundo, C. de cad. tollen.* & *est communis opinio secundum Ioan. de Imo. in dicta l. lex Cornelia*, de expressa autem vulgari non est dubium, quin ab ea testamentum posset exordium capere, *ut est text. expressus in l. Titia §. fi. ff. de libe.* & *posthu.* & *in l. Thais. §. Splendophorus. ff. de fideicom. libert.* sequitur ergo, quòd ex vi tacitæ vulgaris comprehensæ in hac compendiosa, locus est dictæ substitutioni, quia verum est dicere, dictos filios nascituros institutos, non fuisse hæredes dicti domini Ioachimi eorum patris, cùm ante eum, ut dixi, decesserint, quo stante locus est substitutioni vulgari, *juribus vulgaribus.* Præterea e-
8 nim nemini dubium est, quin tacita † pupillaris comprehensa in compendiosa excludat matrẽ, quia tacita pupillaris comprehensa in compendiosa & expressa pupillaris æquiparantur, *ut est text. in d. l. precibus*, sed expressa pupillaris excludit matrem, *d. l. precibus,* & *præall. cap. si pater, in fi.* ergo & tacita pupillaris comprehensa in compendiosa, & *ita expreßè decidit gl. ordinaria in dicta l. precibus, circa fi.* & *sequitur ibi Bart.* & *omnes alij posteriores,* & *Io. de Imo. in d. c. Raynutius,* & *Philip. Fran. in d. c. si pater,* sequitur ergo, quòd dictæ substitutioni potest esse locus ex alio capite, puta ex vi tacitæ pupillaris comprehensæ in compendiosa, non obstante, quòd mater sit in medio, per
9 suprà dicta. Præterea † substitutio compendiosa facta à pagano, hoc est, non milite, per verbum commune, ut est verbum substituo puberi vel impuberi, est omni tempore fideicommissaria, *ut dicit glos. in præalleg. l. precibus,* & *est communis opinio.* & *communiter observatur secundum Bal. in l. jam hoc jure, ff. de vulg.* & *pupil.*
10 sed † fideicommissa & legata firma permanent, etiam testamento irrito existente quoad institutionem propter præteritionem vel exhæredationem descendentium, vel ascendentium minus legitimè factam, *ut est text. in Auth. ex causa, in fi.* & *ibi Bart.* & *Doct. C. de liber. præter.* & *clarior text. in § sin autem hęc non fuerint observata, in Auth. ut cum de appell. cog. col. 8.* Sequitur ego, quòd in omnem eventum locus est substitutioni.

Istis tamen non obstantibus, veritas est in contrarium, quoad tacitam vulgarem & tacitam pupillarem, quæ comprehenduntur sub compendiosa. Pro cujus intelligentia, aliqua sunt præmittenda.
11 Primò, quòd sicut † hæreditas ascendentium de jure naturali debetur descendenti, *l.*

ti, l. cum ratio, ff. de bon. dam. & l. ſcripto.
ff. unde liberi, adeo quòd teneatur ſibi re-
linquere legitimam abſque gravamine,
l. quoniam in prioribus, l. omnino, & l ſi
quando. §. primo & ſecundo, C. de inoffic.
teſtam. cum ſimil lib. Ita econversò, ratio-
ne pietatis turbato ordine mortalitatis,
non minus hæreditas deſcendentium de-
betur ipſi aſcendenti, to. tit. ff. C. & Inſti.
ad Tertull. Ec ſic tenetur ſibi relinquere
legitimam l. nam & ſi parentibus. ff. de
inoffic. teſta. ubi gloſ. ponit illum vulgarem
verſum. Ordine turbato ſuccedit Bulgare
nato. Secundò eſt præmittendum, quod
ſicut præteritio facta de filio in teſtamen-
to matris, habetur pro exhæredatione &
ſubjicit teſtamentum querelæ hodie, ſi
eſt inſerta legitima cauſa, & ſi non eſt
inſerta, teſtamentum eſt nullum, ita e-
12 converſò, præteritio † facta de matre in
teſtamento filij cum cauſa habetur pro
exhæredatione, & ſine cauſa reddit teſta-
mentum nullum, ita punctaliter decîdit
Bart. Bal. Ang. Sal. & DD. in d. Auth. ex
cauſa. Tertiò eſt præmittendũ, quod ſicut
legitima deſcendentium eſt aucta hodie,
quia olim erat quarta, hodie tertia vel di-
midia, ſecũdum numerum liberorũ Auth.
noviſſima, cum ibi nota. C. de inoffic. teſta.
13 Ita etiam † hodie aucta eſt legitima aſcẽ-
dentium, ut hodie ſit tertia licet olim fue-
rit quarta, ſecundum Bar. quem omnes ſe-
quuntur in d. l. nam & ſi parentibus, in
fine quam legit. ſub l. pater filium, & vult
Pau. de Caſtro, & Doct. in d Auth. ex cau-
ſa, & Ioan. de Imo. in d. c. Raynutius, &
Phil. Francus & DD. in pręal. ca. ſi pater.
14 Quartò eſt præmittendum, quòd ſicut †
legitima eſt relinquenda deſcendenti jure
inſtitutionis, alias dicitur præteritus, ut eſt
tex. cum gl. & ibi Bart. in §. aliud quoque
capitulum, in Auth. ut cum de appel. cog.
col 8. & volunt Cyn. Bart. & communiter
omnes DD. in d. Authent. noviſſima, &
habetur latè per Io. de Imo. in præalleg. c.

Raynutius, & per Phili. in d. c. ſi pater,
ita & aſcendenti relinquenda eſt legitima
jure inſtitutionis, aliás teſtamentum eſt
nullum, ſecundum Bart. in §. & hęc qui-
dem, quem legit ſub §. ſive igitur, per illum
text. & ibi etiam vult Iacob. de Belviſ. in
Auth. ut cùm de appell. cog. coll. 8. & idem
vult ipſe Bart. in l. filio prætersto, & ibi
etiam Io. de Imo ff. de injuſt. rupt. irri. te-
ſtam. & volũt Ang. Pau. de Caſt. & Doct.
in d. Auth. ex cauſa, & Bald. in d, l. omni-
no, poſt princ. C. de inoffic. teſtam. & idem
Bald. l. 1. C. de bono. poſſeſ. contra tab. li-
berti. & Ang. in l. ſi à milite, §. patri, ff. de
teſtam. mili. & Ioan. de Imo. latè in d. c.
Raynutius, & idem Ioan. de Imo. in l. his
verbis, ff. de hęred. inſtit. & idem Ioan. de
Imo. latè in repetitione l. primę. §. ſi ex
fundo. in 32. col. in verſic. juxta prædicta
reſtat dubium. ff. de hæred. inſtitu. & Phi-
lip. Francus plenè in præalleg. c. ſi pater, &
eſt communis opin. ſecundum Sal. in d.
Auth ex cauſa, & Iaſ. in d. Auth. noviſſi-
ma, à qua in judicando non eſt recedendũ,
ſecundum theoricam Innoc. Ioan. An. Pa-
norm. Felin. & Doct. in c. 1. de conſtitu. &
Bar. in l. fina. C. de pœn. jud. qui malè jud.
15 Quintò eſt præmittendum, quòd licet †
rupto vel irrito facto teſtamento, ex prę-
teritione vel exhæredatione filij vel pa-
rentis, legata & fideicommiſſa, nedum
particularia, ſed etiam fideicommiſſum u-
niverſale conſerventur per d. Authen. ex
cauſa, & ibi Bart. Sal. Alex. Iaſ. & Doct.
& clarior text. in corpore, unde ſumitur:
16 tamen ſubſtitutiones directæ, † per quas
ſucceditur teſtatori, ut eſt ſubſtitutio
vulgaris, infringuntur, ſicut ipſa inſtitutio:
ita determinat Bart. quem omnes ſequun-
tur in d. Auth ex cauſa, & idem Bart. Io.
de Imol, & Doct. in dicta l. filio pręterito.
Et ratio eſt in promptu, quia ſi quis benè
advertat ad text. & literam d. Auth. ex
cauſa, & corporis unde ſumitur, intentio
imperatoris eſt irritare omnem actum,

per quem prohibetur successio ab intestato, sed substitutio vulgaris impedit successionem ab intestato, ergo meritò non sustinetur, per substitutionem autem fideicommissariam non impeditur successio ab intestato, quia filius vel ascendens præteritus vel exhæredatus hæres ab intestato succedit, licet cogatur restituere, ergo & illa sustinetur sicut & alia legata vel fideicommissa particularia. Quibus præsuppositis pro veris, dico, quòd substitutio compendiosa, de qua est quæstio, non potest habere locum quoad tacitam vulgarem, nec etiam quoad tacitam pupillarem in ea comprehensam. Et primò ostendo, quòd non potest habere locum ex testamento dicti quondam domini Petri, quia ut ex casu mihi transmisso percipio, substitutio, de qua in testamento dicti domini Petri, facta est sub duabus conditionibus copulativè positis, puta si dictus Joachimus ejus filius decederet sine liberis, & si de bonis per patrem suum sibi
17 relictis non disponeret. Modo † ad veritatem copulativè requiritur, utramque partem esse veram, §. *penult. Instit. de hæred. institu.* & *l. si hæredi plures, ff. de condi. instit. cum similib.* In casu autem præsenti, utraque non est vera, quia licet verum sit dictum Ioachimum decessisse sine liberis, ut suprà declaravi, tamen non est verum dicere, eum de bonis suis non disposuisse, & sic patet, quod non potest esse locus substitutioni ex testamento dicti domini Petri. Nec obstat, si fortè dicatur, nullum † & inutile æquiparantur,
18 *cap. 2. de translat. præla.* & §. *fina. Institu. de satis. tuto. cum similibus.* Sed dispositio dicti domini Ioachimi est nulla propter præteritionem matris, *d. Auth. ex causa cum ibi notat. per Doct.* ergo perinde censeri debet, ac si non disposuisset. Quia dico, quòd licet fortè dicta dispositio testamentaria sit nulla, quoad institutionem & substitutionem vulgarem, ut suprà dixi, tamen clausula codicillaris in ea posita operatur, ut institutio directa convertatur in fideicommissum universale, ut latius declarabo infrà. Et quanquam in dicta dispositione testamentaria non fuisset apposita clausula codicillaris, tamen ex illa dispositione testamentaria deberentur legata, ut volunt omnes *Doct. in prealleg. Auth. ex causa*, & sic non obstat. Secundò ostendo, quòd dicta substitutio non potest habere locum ex testamento dicti domini Ioachimi, quia ipse dominus Ioachimus tempore conditi testamenti, non habuit filios, ut in facto præsupponitur, nec scivit, an habiturus esset nec ne: cùm
19 ergo erat in dubio, & cùm † scivit se habere matrem, debuit prævidere, & non prævidendo, injuriam fecit matri præteritæ, unde mater quæ reperitur præterita tempore mortis filij, evertit testamentũ, *secundum Ang. in d. Auth. ex causa, in* 1. *col. arg. l. Gallus, ff. de lib.* & *posthu.* & §. *posthumorum, Instit. de exhæ. liber.* & *l. posthumorum, ff. de injust. rupt. irrit. testa.* unde patet, quòd testamentum dicti domini Ioachimi ex hoc capite corruit *d. Auth ex causa*, & ex consequenti tacita vulgaris comprehensa in substitutione compendiosa per suprà dicta. Nec pos-
20 sent † substituti per eum venire ex tacita pupillari comprehensa in compendiosa, quia illa nunquam locum habuit, ex quo instituti tempore mortis dicti domini Ioachimi testatoris non fuerint in potestate ejus, sed jam de medio sublati, *juxta not. per Ang. in d.* §. *pro secundo.* Item, quia non fuit adita hæreditas dicti domini Ioachimi, & quia plura alia requisita ad subsistentiam substitutionis pupillaris posita *in l. secunda*, & *ibi declarat Bart. in prima, secunda & tertia col. ff. de vulg.* & *pupil.* defuerunt in hoc casu. Restat ergo solùm videre, an dicti substituti possent venire ex causa fideicommissi. Et licet iste articulus videtur dependere ab illo, an †

21 an † substitutio compendiosa facta à pagano per verbum commune, ut est verbum, substituo, censeatur omni tempore, & post pubertatem, & ante, fideicommissaria, vel pro tempore pupillaris ætatis directa, & posteà fideicommissaria, in quo articulo sunt plures diversæ & contrariæ opiones, quas recitat *Bart.* & *Doct.* *in dicta l.precibus*, & *in dicta.l.centurio*, tamen in proposito nostro, meo judicio non est curandum de his opinionibus, quia in casu nostro dicta substitutio compendiosa nunquam potuit valere jure directo ex vi tacitæ vulgaris propter præteritionem matris, quæ præteritio annullat testamentum quoad institutionem & quoad substitutionem vulgarem, per quam impeditur successio ab inteſtato, ut dixi suprà: nec potuit etiam unquam valere jure directo, ex vi tacitæ pupillaris, quia in ea non concurrerunt ea, quæ requiruntur ad substantiam pupillaris substitutionis ut etiam dixi suprà. Et sic relinquitur, quòd in casu præsenti dicta substitutio fuit omni tempore fideicommissaria, & ista etiam est communis opinio, *ut dicit Baldus in dicta l.jam hoc jure, licet Iason in præalleg. l.precibus, dicat aliam esse communiorem* : & pro isto facit *præalleg. cap.si pater, in fine*, à contrario, ubi dici-
22 tur, quòd substitutio † debet in dubio interpretari & censeri directa, dummodo conveniat verbis & personis. Cùm ergo interpretatio quæ caderet in directam pupillarem, non potest convenire personis propter defectum eorum, quæ ad ejus subsistentiam requiruntur, ut suprà dixi. Et cum præteritio matris operetur extinctionem seu annullationem vulgaris, ergo judicanda est fideicommissaria. Hoc etiam est dicendum ex alio, quia in
23 hujusmodi † instrumento testamenti habetur clausula codicillaris, quæ operatur fideicommissum universale, *ut est text. nota.in l.generalter, in §. testamento.ff.de fideicom. lib.* & *bonus text. in l.si patroni. §.fina. secundum unum intellectum glos. quam sequuntur Doct. ff. ad Trebell.* & *bonus text.in l.posthumus, in fi. de injust. rup.irrit. test.* & *melior text. in l.ex ea. §.1.ff. de testa.* Nec obstat, si in contrarium allegetur *gl. ordi. singularis in d. Auth.ex causa, circa fi.quā sequitur Cyn. in d.l.ex ea*, quæ vult, quòd clausula codicillaris tunc operatur fideicommissum, quando testamentum est nullum ex defectu solennitatis omissæ, secus si propter præteritionem vel exhæredationem ascēdentium vel descendentium sit nullum: quia sicut tunc testamentum rumpitur quoad institutionem, ex quo præsumitur factum à demente: ita etiam debet rumpi clausula codicillaris, ut non operetur fideicommissum, eadem ratione. Nam ad hoc respondetur, quod *dicta gl.* non dicit verum: imò communis opinio est in contrarium, quæ habet, quòd quomodo-
24 cunque † irritatur testamentum, sive ratione solennitatis omissæ, sive ratione exhæredationis vel præteritionis, semper clausula codicillaris habet vim fideicommissi universalis, *per d.l.generaliter. §.ex testamento, cum alijs jurib. suprà allegatis*, & *ita expressè tenent Dyn. Bald. Ang.* & *Io.de Imo.in d.l.ex ea*, dicentes se secundum hanc opinionem sæpe consuluisse, & ita communiter teneri: hoc etiam firmat *Bart.in l.1.in 5.quæst.ff. de jure codicil.* & *volunt Cyn. Bart. Bald. Ang. Sal. Pau. de Cast. Fulg. Alex. de Imo. Ias.* & *commu. omnes Doct. in d. Auth. ex causa*, reprobantes *glos. ibid.* quæ contrarium sentit & malè. Ex quo sequitur, quòd dicta domina Iohanna mater dicti domini Ioachimi, detrahet pro sua legitima tertiam de hęreditate dicti domini Ioach. sui filij, & ultra hoc detrahet quartam
25 † Trebellianicam, juxta ea quæ habentur & notantur *per glossam* & *Doctores in præallegato cap. Raynutius, de testam.*

& *in l.quanquam, C.ad leg. Falcid.* circa quod amplius non insisto, ne videar solem facibus velle adjuvare, contra *cap. si omnia.6.quest.1.*& *l.1.in fin.ff.de dot.*
26 *præleg.* Dicta autem † substitutio compendiosa, circa quam laboramus, non potest dici fideicommissaria, ex eo quod mater est in medio, ut voluerunt singulariter *Bart.* & *Bald. in d. l. precibus,* & *Francis. de Aretio in consilio suo* 155. ubi circa finem dicit, quòd ista est communis opinio, pro qua est authoritas Bart. patris juris: quia si benè consideremus casum, quem habemus præ manibus, mater hic non fuit in medio, quia in casu nostro primo decesserunt filij nasciturі dicti domini Ioachimi per eum instituti, deinde decessit dictus dominus Ioachimus testator, superstitibus dicta domina Iohanna matre dicti domini Ioachimi, & præfata domina Katharina uxore dicti domini Ioachimi & substitutis, & sic clarè patet, quòd mater institutoris non fuit in medio inter institutos & substitutos, quia ex quo filij instituti decesserunt ante testatorem, non potest hìc quæri de bonis fi-
27 liorum institutorum, sed est † quæstio de bonis Ioachimi testatoris, cujus testamentum prætenditur nullum, quia dicta domina Iohanna ejus mater, quam nemo tempore mortis in gradu præcessit, reperitur præterita, & sic *per d. Authent. ex causa*, ipsa venit ab intestato, sed tenetur ex dispositione ejusdem Authen. restituere substitutis ex fideicommisso universali hæreditatem dicti Ioachimi sui filij retenta tertia jure naturæ & quarta Trebellianica *per d. cap. Raynutius, cum ibi notatis* & *alijs suprà allegatis.* Et tantò fortius, quia in hujusmodi testamento est posita clausula codicillaris, quæ operatur fideicommissum universale, ut dixi, unde sicut ipsa mater cogeretur restituere hæreditatem dicti domini Ioachimi instituto, si dictus Ioachimus ea præterita instituisset extraneum hæredem, *per d. Authen. ex causa, cum ibi not.* Ita etiam cogeretur mater restituere institutis, tam ex vi substitutionis, quàm dictæ clausulæ codicillaris, *secundum Bart. Salic.* & *communiter omnes Doct. in d. Auth. ex causa:*
28 unum tamen est sciendum, quòd † quando ascendente vel descendente præterito & extraneo hærede instituto, ipse hæres institutus cogatur restituere hæreditatem tertio, si sine liberis decesserit, hoc casu testamento rupto per præteritum, non expectatur in restitutione fideicommissi, quòd præteritus decedat sine liberis, sed quòd hæres extraneus institutus decedat sine liberis: tunc enim & non prius præteritus restituet hæreditatem illi tertio, *ita singulariter volunt Bart. Salic. Alex. Ias.* & *Doct. in dicta Auth. ex causa,* & *idem Bart. Ioan. de Imo.* & *Doctores, in prealleg. l. filio præterito,* & *idem Bartolus in l. peculium. §. fina. per illum text. ff. de lega. secundo,* & *idem Bartolus in l. fundum. ff. de act. empt.* & *sequitur Baldus in l. multum interest, in quinta colum. C. si quis al. vel sibi.* Et sic patet, quòd non sumus in casu *dictæ l. precibus,* nec in casu, *d. cap. si pater.* in quibus juribus primò decessit testator, postea filij matre filiorum & substitutis superstitibus, qui non est casus noster. Et sic patet ad oculum, quòd mater institutorum in casu nostro non est in medio, quod erat probandum.

Restat nunc respondere ad allegata in oppositum, quæ si benè considerentur, non obstant. Et primò non obstat primum, quia fateor, quod locus est dictæ substitutioni compendiosæ, non quidem ex testamento dicti domini Petri, per suprà deducta, sed ex testamento dicti domini Ioachimi, non tamen ex vi tacitæ vulgaris, nec etiam ex vi tacitę pupillaris comprehensæ in dicta compendiosa per suprà allegata; sed ex eo, quòd dicta compendiosa

pendiosa fuit omni tempore fideicommissaria ut suprà latius declaravi, & sic detractis duabus quartis per dictam dominam Iohannam matrem dicti domini Ioachimi testatoris, substituti obtinebunt residuum hereditatis dicti domini Ioachimi cum onere suo, ut suprà dixi. Non
29 obstat † etiam secundum, quia id comprobat & corroborat conclusionem suprà captam, hoc salvo, quòd *dicta l. unica. §. & cum triplici, cum sequentibus* recipit declarationem *à dicta Authentica ex causa*, juxta suprà dicta. Non obstat etiam tertium, quia licet verum sit, quòd in compendiosa comprehendatur tacita vulgaris, & quod ex illa vulgari tacita regulariter possint venire substituti, ut
30 probat contrarium, tamen † hoc fallit, quando mater testatoris est per eum præterita, quo casu & institutio & substitutio vulgaris expressa, vel tacita annullatur, *per dict. Authent. ex causa*, ut suprà latè declaravi, & ita punctaliter accidit in casu præsenti. Et quod subjicitur de tacita vulgari comprehensa in expressa pupillari non est ad propositum, quia in casu præsenti substitutio non fuit pupillaris, sed compendiosa, ut suprà dixi. Non obstat etiam quartum, quia tacita pupillaris comprehensa in compendiosa in casu præsenti nunquam habuit nec habere potuit locum, propter multa quæ defuerunt in casu præsenti, quæ tamen debuissent concurrere, ut substitutio pupillaris subsisteret, de quibus *in prealleg. l. secunda*, & *ibi plenè per Bartolum* & *Doct. ff. de vulga.* & *pupilla.* & declaravi latius suprà. Non obstat etiam quintum, imò illud probat & corroborat conclusionem suprà captam, ut ad oculum videri potest, Unum tamen sci-
31 re oportet, quòd † si in casu præsenti dicta domina Iohanna mater dicti domini Ioachimi impugnet testamentum præfati Ioachimi sui filij ex causa præteritionis, quòd in illum eventum ipsa perdet omnia legata sibi per dictum dominum Ioachimum ejus filium in suo testamento relicta: nec illa conservabuntur per *dictam Authenticam ex causa*: Ita ad literam dicunt *Bart. Bald. Ang. Salic. Iason in dicta Authen. ex causa*, & *idem Bart. in l. filium. §. omnibus, per illum textum, ubi dicit esse casum, ff. de lega. præsta.* & *Angelus, Fulgo.* & *Alexand. in l. maximum vitium, C. de libe. præter.* & *Bartolus in dicta l. filio præterito*, & *ibi etiam Ioannes de Imola in 32. colum.* & *Ludo. de Rom. in consilio 516. incipiente in casu propositæ consultationis, in secundo dubio, ubi dicit, hanc esse communem opinionem*, & *idem dicunt Salicet.* & *Iason in dicta Authen. ex causa*, & *Alexand. in d. l. maximum vitium, circa finem*. Et sic licet plures Doctores in hoc articulo teneant contrarium, tamen ab hac opinione communi non est in judicando recedendum,
32 ut suprà dixi. Est † enim in potestate dictæ dominę Iohannæ matris dicti Ioachimi, approbare ejus testamentum, & illud non impugnare, *d. l. filio præterito.* quo casu consequetur legata sibi relicta, *d. l filium. §. omnibus*, ubi est textus pulcherrimus instruens præteritum, quomodo debeat deliberare, an contra tabulas bonorum possessionem petere velit, an vero legatum persequi malit: & subdit, quòd si elegerit contra tabulas, non habebit legatum: si verò legatum elegerit, eo jure utimur, ne petat bonorum possessionem contra tabulas. Et ex his facilè solvuuntur omnia alia dubia. Nam in
33 † primis nemini dubium est, quin dicta domina Iohanna debeat ante omnia habere suam dotem unà cum alijs rebus paraphernalibus, *toto titul. ff.* & *Cod. soluto matrimonio.* & *cap. plerunque*, & *cap. fina. cum utrobique notatis, de donatio. inter virum* & *uxorem*, & *l. fina. C. de pactis conven.* Item, nemini dubium

bium.

34 bium est, quin † etiam debeat consequi & habere suam duariam, licet illa duaria non sit adeo privilegiata sicut dos. *l. assiduis, circa finem, cum ibi notatis per glos. Salicet. & Doct. C. qui potior. in pigno. habe.* Item, nemini dubium est, quin debeat habere medietatem bonorum mobilium, & aliorum bonorum, constante matrimonio inter eam & dictum dominum Petrum acquisitorum, ex vi contractus sui antenuptialis. Præterea nemini dubium est, quin ex testamento dicti domini Ioachimi sui filij confirmatorio, quoad quid testamenti paterni, in quantum ipsa illud non impugnaverit, consequi & habere debeat castrum de Sarras cum suis pertinentijs pleno jure, & præterea usumfructum omnium bonorum dicti domini
35 Ioachimi sui filij. Nec obstat, si † dicatur, dictum castrum de Sarras subjacuit restitutioni ex testamento dicto domini Petri propter substitutiones per eum factas: Ergo non potuit per præfatum dominum Ioachimum legari præfatæ dominæ Iohannæ suæ matri, *per l. fin. §. fina. C. communia de legat.* & *l. Marcellus. §. res quæ. ff. ad Trebellianum, cum utrobique notatis per glos.* & *Doctores.* Quia respondeo per interemptionem, negando quòd dictum castrum subjacuit restitutioni in casu, in quo dictus dominus Ioachimus de bonis suis aliter disponeret, prout disposuit, imò testamentum dicti domini Petri expresse habet, quòd ipse dominus Ioachimus posset de hujusmodi bonis ad libitum disponere, quare non obstat. Non obstat etiam si dicatur, quòd dicta domina Iohanna habet duariam: ergo videtur, quòd non possit habere usumfructum: quia dico, quòd non sequitur: nam oppositum consequentis, stat cum veritate antecedentis: Nullo enim jure prohibetur mulier habere duariam ex contractu antenuptiali, & cum hoc usumfructum omnium bonorum ex testamento, vel etiam utrumque ex testamento, li-
36 cet hoc ultimo casu in legato † ususfructus contineatur effectualiter legatum duariæ sicut pars in toto. Cũ ergo ex separatis non fiat illatio, nec probat hoc esse quod ab hoc contingit abesse. *l. neque natales. C. de probatio.* & *l. non hoc. C. unde cogna.* patet dictum contrarium non ob-
37 stare. Imò quod fortius est legato † generali habitationis vel usufructus non derogatur per legatum proprietatis alteri relictum, *ut est textus notabilis in l. Sẽpronio in principio, & ibi Bartolus ff. de usufructu lega.* Et per hoc superflua redditur alia quæstio, qua quæritur, an dicta domina Iohanna posset petere à substitutis pleniorem assignationem duariæ: quia frustra extra quæreret, quòd intus habet. Cùm enim habeat usumfructum omnium bonorum, potest sibi ipsi abundè satis prospicere. Per præmissa etiam redditur superflua alia quæstio, qua quæritur, an dicta domina Iohanna posset habere & duariam & usumfructum: quia ex præ-
38 dictis patet, quòd sic. Nec obstat, † si dicatur, quòd tunc substituti erunt hæredes in vanum, quia id negatur, nam post mortem dictæ dominæ Iohannæ extinguetur usufructus, & etiam cessabit duaria, unde tunc substituti plenè gaudebunt effectu substitutionis, nec erunt hæredes in vanum, sicut in fortioribus terminis decidit Imperator *in l. antiquas, C. de usu & habita.* & *facit §. ne tamen. Institut. de usufructu. cum similibus.*

CONSILIUM CXXXIV.

SVMMARIA.

1 *Æqualitas in oneribus imponendis servanda est.*

2 *Inæqualiter factum in melius est reformandum.*

3 *Lex*

3 *Lex debet esse justa, rationabilis, possibilis, communis, proque utilitate communi inducta, loco & tempori conveniens.*

4 *Totum qui vult, totum sæpe perdit.*

5 *Magistratus publicam utilitatem privato commodo præferre tenetur.*

6 *In novis rebus constituendis evidens debet esse utilitas.*

7 *Consuetudo, privilegium vel statutum repugnans utilitati communi non valet, & num. 10.*

8 *In generali concessione non venit potestas disponendi contra publicam utilitatem.*

9 *Officium suum nemini debet esse damnosum.*

11 *Positioni criminosæ nemo nisi diffamatus, convictus, confessus vel in crimine deprehensus, respondere tenetur.*

12 *Occulta non sunt publicanda.*

13 *Princeps fons Justitiæ & lex animata dicitur.*

14 *Monachi agentes contra suum abbatem, vel uxor contra maritum, ubi habeant expensas.*

PRæstantissimi ac præclarissimi Domini, ad finem, ut de bono jure incolarum oppidi Lovaniensis teutonicè Wytsnijders nũcupatorum, in hac causa impetrantium lucidè constet, placeat advertere ad infrà scripta: ex quibus evidentissimè, nisi fallor, constabit, dictos impetrantes benè & justè vestras literas impetrasse, ac Burgimagistros & Scabinos Lovanienses ac Decanos ministeriorum opponentes, malè ac perperam se hujusmodi literis opposuisse: In pluribus enim summè gravantur dicti impetrantes. Primò in hoc, quòd de qualibet ulna panni exteri, quæ venditur ultra quatuordecim stuferis, solvere habent, ut informor, pro assisia dicti oppidi duos stuferos, & amplius. Secundò in hoc, quòd non possunt vendere pannos exteros, nisi certi & magni valoris. Tertiò in hoc, quòd pannos albos exteros, quibus utimur pro foderatura, vendere non possunt ultra sex cum medio stuferis, cùm tamen eosdem plures vel tantundem emant. Quartò in hoc, quod illos pannos albos non possunt facere colorari alio colore quã glauco. Quintò in hoc, quòd dicti Decani, Burgimagistri, & Legislatores eosdem impetrantes compellere nituntur, & nedum eos, sed eorum familiares, domesticos, & consanguineos, ad præstandum juramentum, de & super eo, quòd statutis noviter per eos editis, præmissa gravamina & alia insolita continentia, in aliquo non contravenerunt, & sic ad prodendum & accusandum seipsos ad finem pœnæ temporalis incurrendæ, & ab eis exigendæ, quæ omnia tendere in præjudicium Reipublicæ Lovaniensis, & esse gravamina non tollerabilia, sigillatim & per ordinem, breviter & succinctè omissis superfluis deduco medijs infrà scriptis. Et primò pro deductione primi gravaminis oportet
1 præsupponere, quòd in † oneribus imponendis debet servari æqualitas, ita & taliter, quòd unus non magis gravetur, quàm alius, *textus est notabilis in l fina. C. quemadmod. civil. muner. indi. lib. 10. & in l. 1. C. de mune. patri. eodem lib,* & *in l. in fraudem, in fine, C. de anno.* & *tribu. lib. 10. cum similibus.* Et hoc totum spectat ad præsidem provinciæ providere & servari facere, *l. 3. §. præses, ff. de muneribus* & *honoribus*, ut ex eo gravati le-

vamen accipiant, quòd per difformia & criminosa commercia impositum sibi esse deplorant, ut dicit textus notabilis *in leg. qui gravatos. C. de censib.* & *censitor. lib.* II.
2 Inæqualiter † enim factum, in melius est reformandum, *l. majoribus. C. communia utriusque judic.* unde dicit imperator *in Authent. de non eligen. secundo nuben. § fin. collatio* I. quòd æqualitatis & justitiæ ipse est amator. Et ratio, quare debeat servari æqualitas in oneribus imponendis, ponitur multum singulariter *in dicta lege tertia, §. præses*, ne scilicet Respub. destituantur simul viris & viribus, eis sine discrimine & frequenter oppressis: ex hoc enim sequitur depopulatio oppidorum, quæ ex consequenti facit oppida destitui viris & viribus. Cùm ergo alij incolæ de alijs ministerijs, ut pelliparij, & similes comprehensi sub assisia nuncupata de pontassise, solvant duntaxat pro assisia quadragesimum denarium, non est æquum, quòd dicti venditores pannorum impetrantes, pro qualibet ulna quam vendunt ultra quatuordecim stuferos, solvant duos
3 stuferos & plus: Lex † enim vel ordinatio debet esse justa, rationabilis, possibilis, communis, & pro communi utilitate inducta, loco temporique conveniens *capitu. erit autem lex, 4. distinctio.* Ex hoc autem, quòd de qualibet ulna talis panni debent solvi duo stuferi pro assisia, incolæ & studentes dicti oppidi, & cæteri qui ibi essent venturi, aliunde ubi non tantum solvitur, emunt suos pannos, quod redundat in perniciem dictorum impetrantium, & etiam in destitutionem dicti oppidi, quòd cessante dicta magna & excessiva assisia imposita super qualibet ulna panni, lucraretur aliunde in assisijs vini & cerevisiæ longè plus quàm nunc lucraretur, ut in scripturis dictorum impetrantium longè la-
4 teque deductū est: & † sic incidit in scyllam volens vitare charybdim, & qui totum vult, totum perdit, *cap. super quæstionum. §. si verò, de officio delegati, cum similibus.* Sed istud ex eo provenit, ut in-
5 formor, quia regentes & principales † dicti oppidi, quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi, & postposita utilitate reipublicæ privatam sectantur, conta salutem suarum animarum, juramentum præstitum, & dispositionem juris, tàm civilis quàm canonici, *cap. bone, primo, cum ibi notatis, pulchrè per gl. Panor.* & *Doct. de postul. præla.* & *l. unica, circa fin. C. de caduc. tollen. cum similibus.* Et tantum de primo.

Quò autem ad secundum, deduco illud omnino esse contra communem utilitatem dicti oppidi, nam sunt valde multi, tàm intranei quàm extranei, qui contentarentur cum pannis minoris precij, & sic ex consequenti, si dicti impetrantes juxta antiquam ordinationem cogerentur facere totidem pannos intraneos, quot extraneos vendiderunt, omnes tàm ab extra, quàm ab intra, illic venirent pro pannis emendis, quia illic quilibet reperiret quod desideraret, & omnes intranei in conficiendis pannis intraneis lucrarentur eorum panem, ubi nunc vel mendicant, vel alibi pro lucrando victu se
6 transferunt: cùm ergo † in rebus novis constituendis evidens debeat esse utilitas. *l. secunda, ff. de constit. princip.* patet, quòd dicta ordinatio, quæ omnino repugnat communi utilitati, debet revocari, sic-
7 ut † revocatur privilegium tendens ad noxam, *capit. suggestum, de decimis*, & consuetudo irrationabilis, *cap. pen. de consuetu.* & lex vel statutum existens contra communem utilitatem, *l. fin. cum ibi not. per Cyn.* & *Doct. C. si contra jus vel utilita publi.* & *cap. quæ in ecclesiarum, cum ibi nota. per Panorm.* & *canonistas, de constit.* Nulla enim lex, consuetudo, privilegium vel statutum valet repugnans communi

muni utilitati, *d.l.fina.* & *l.jubemus nullam navem.* C.*de sacrosanct.eccles.cùm alijs juribus suprà allegatis.* Nec juvat, quòd hujusmodi statutum dicitur esse cõfectum per dictos reos ex concessione cujusdam indulti principis. Quia dico,
8 quòd † in generali mandato non venit illicitum vel delictum.*l.si procurator, in fi. ff.de condi.indeb.* & generali concessione non venit potestas disponendi contra publicam utilitatem, *text.est not.in præall.l. in fraudem, in princip.* & *facit tex. pulcher in l si quando, in princ.* C.*de inoffic. testam.* Et tantum de secundo.

Quò autem ad tertium, deduco illud etiam esse contra communem utilitatem dicti oppidi, cùm tales panni albi non possent impetrantes vendi, sine eorum grandi prejudicio pro sex stuferis, vel sex stuferis cum dimidio per dictos reos seu opponentes taxatis, cùm ipsimet eosdem plures emant. Et sic sequitur alterum duorum inconvenientium, scilicet, quod vel ipsi impetrantes coguntur perdere de
9 suo, quòd est irrationabile: cùm † officium suum nemini debeat esse damnosum, *cap.cùm non deceat, de electio. lib.6. cum similibus.* vel quod illi, qui hujusmodi pannos albos habere desiderant, cogantur eos alibi emere, cùm in oppido Lovaniensi tales panni non fiant, nec fieri possent pro tam vili precio, ut in facto præsupponitur, quod etiam est inconveniens, & cedit in præjudicium Reipublicæ dicti oppidi: melius enim esset, quòd dicti impetrantes lucrarentur & manerent cum mora in dicto oppido, quàm quòd alij de alijs oppidis lucrentur, & dicti impetrantes cogantur oppidum dimittere: quia primo casu oppidum lucraretur assisias, tàm à dictis impetrantibus, quàm ab alijs qui illic venirent pro hujusmodi pannis emendis: secundo verò casu perderet utrobique, & sic dictum statutum tanquam irrationabile, & contra communem utilitatem dicti oppidi inductum, tanquam penitus nullum, & per vos revocandum, & quatenus de facto processit annullandum, *per jura suprà allegata.*

Quò autem ad quartum, deduco etiam illud omnino esse contra communem utilitatem dicti oppidi, quia per hoc, quòd dicti impetrantes prohibentur illos pannos albos facere colorari alio colore quàm glauco, retrahuntur plures ab emendo dictos pannos, quia pluribus non placet color glaucus vel albus. Et quòd amplius est, plures incolæ dicti oppidi, qui nunc vacant & præ penuria mendicant, lucrarentur victum & amictum laboran-
10 do in hujusmodi negocio, quare † evidenter constat, id esse contra communem utilitatem, & per consequens statutum id disponens non valet, *dicta l.fina.* & *præall. l jubemus,* & *præalleg. l. in fraudem cum pluribus alijs suprà allegatis.* Et tantum de quarto.

Quò autem ad quintum breviter & resolutivè loquendo, omissis superfluis, vera & indubitata conclusio est, quòd quis
11 † non potest per judicem medio juramento interrogari vel cogi ad respondendum positioni criminosæ, quando non est diffamatus, ita quòd fama publica laborat contra eum, nec est convictus, nec confessus, nec deprehensus in crimine, hoc probatur clarè *in cap. qualiter & quando.* 1. *in fin. de accus.* Nemo enim tenetur seipsum prodere vel accusare de crimine occulto, *tex.est expressus in c. non tibi dico,* & *in* §. *his authoritatibus, de pœnit. dist.* 1. & *in cap. si peccaverit,* 2.*q.*1. Oc-
12 culta † enim publicanda non sunt, *c. si omnia.c.oves,* & *cap.ex merito. 6.quest.*1. & *ca.sicut tuis in fi.de simo.* & ratio istius est, quia interrogatio judicialis fundata est super æquitate, ut colligitur *ex l.ubicunque.ff.de interrog.ac.* sed in occultis nulla æquitas movere potest judicem

ad interrogandum. Nulla enim æquitas suggerit, ut quis debeat prodere crimen suum, maxime quando agitur ad aliam pœnam, quàm spiritualem, sicut in casu præsenti, tunc enim cessat æquitas & imminet odium, quod debet restringi, *regula odia*, & *regula in pœnis, de reg. jur. lib. 6.* Et ita in terminis istis specificè decidunt, *Innoc. Host. Ioan. And.* & *post eos Panor. qui cęteris clarius loquitur in c. 2. de confes.* & *idem Innoc. Ioan. And.* & *Doct. canonistæ in c. dudum secundo, de elect.* & *est de mente Bart. in l. Marcellus. §. 1 ff. rer. amo.* & *de mente ejusdem Bar. in l. transactione secunda, per illum text. C. de transactio.* & *de mente Specu. in tit. deposit. in §. 7. in versi. 19.* qui plus dicit, videlicet, quòd si ponatur vel articuletur, quòd aliquis crimen commisit: item quòd illud est notorium, item quòd est fama, licet teneatur respondere super notorio posito seu articulato & fama, non tamen tenetur respondere super hoc, an crimen commisit, cùm non teneatur se publicare vel prodere, ut suprà dixi. Si autem confessus fuerit se diffamatum, vel aliâs probatum fuerit, tunc demum tenetur respondere super crimine sibi imposito & non prius, secundum ibidem. Et quia superiores naturaliter inclinantur
13 ad suppeditandum subditis, debet † princeps fons justitię & lex animata in terris. *§. fina. in Authen. de consulib. colum. 4.* patulas adhibere aures subditis se opponentibus in justitia contra suos superiores, & eos patienter audire, & remedio competenti succurrere. *arg. l. 2. ff. de his, qui sunt sui vel alie. jur.* & *Instit. eo. tit. §. fi.*
14 *cum similib.* Et hinc est, quòd † jura monachorum agentium contra suum Abbatem, & uxori agentem contra maritum, provident de expensis loco provisionis, *cap. ex parte*, & *ibi Panorm.* & *Doct. de accusa.* & *notat Prępositus in c. ex parte, de sponsali.*

CONSILIUM CXXXV.

SUMMARIA.

1 *Soluto matrimonio dos ad mulierem & donatio propter nuptias ad virum revertitur: nisi consuetudo vel pactum sit in contrarium.*

2 *Vir uxori non succedit, nisi omni parentela cessante.*

3 *Provisio hominis facit cessare provisionem legis.*

4 *Bonis acquisitis non adnumeratur hæreditas constante matrimonio alteri conjugum delata.*

5 *Acquisita bona quæ dicantur, &c.*

6 *Pacta & conventiones, maximè antenuptiales servari debent.*

7 *Casus omissus quis dicatur, vel quando dispositioni juris relictus censeatur.*

8 *Voluntas contrahentium dicitur evidens, quæ expresśe vel ex conjectura aliqua colligitur.*

9 *Argumentum à contrario sensu in contractibus quoque locum obtinet.*

10 *Quod ex mente legis vel paciscentium venit, ex ipsa lege vel pacto venire dicitur.*

11 *Pro expresso vel disposito habetur, quod verisimiliter fuisset expressum vel dispositum, si contrahentes de hoc fuissent interrogati.*

12 *Filios suos extraneis præferri voluisse quilibet præsumitur.*

13 *Li-*

13 *Limitata causa limitatum producit effectum.*

14 *Frustra fit quicquid rei per se claræ demonstrandi gratia adjicitur.*

VIso contractu antenuptiali inito & concluso inter Hugonem Iacobi, ex una, & quondam Margaretam Hugonis ex altera, videtur mihi subscripto sine aliqua hæsitatione dicendum, quòd dictus Hugo in bonis immobilibus constante matrimonio, ad dictam quondam Margaretam Hugonis ejus uxorem, per decessum domicellæ Katharinæ ejus materteræ ab intestato decedentis devolutis, nullum jus habet, vel prætendere potest:
1 de jure † enim communi certum est, eum jus non habere, quia soluto matrimonio dos ad mulierem, & donatio propter nuptias ad virum reverti debet. Nisi consuetudo vel pactum sit in contrarium, *cap. fina. de dona. inter virum & uxorem*, & *toto tit. ff.* & *C. soluto matrimonio,*
2 *quemad. dos pet. cum similib.* & vir † non succedit uxori de jure in aliquo, nisi omni parentela cessante. *l. 1. C. unde vir & ux. cum similib.* In casu autem præsenti, dicta quondam Margareta reliquit plures filios ex alio matrimonio, ergo dictus Hugo non potest aliquod jus prætendere de jure communi in hæreditate dictæ quondam Margaretæ suæ uxoris, vel in bonis immobilibus ad eam, constante matrimonio ex successione devolutis. Non potest etiam prætendere jus in dictis bonis immobilibus ad eam constante matrimonio ex successione, ut præmittitur, devolutis: ex consuetudine patriæ Zeelandiæ, quæ habet, quòd soluto matrimonio omnia bona quæ non reperiuntur in domo mortuaria, sunt dividenda æqualiter inter superstitem pro una vel dimidia, & hæredes defuncti pro alia dimidia, quia ab illa consuetudine recessum est per contractum antenuptialem initum & conclusum inter dictos Hugonem Iacobi & quondam Margaretam, quo cavetur, quòd soluto matrimonio per mortem alterius eorundem quisque recipiet & præcapiet omnia immobilia, quæ ipse in subsidium matrimonij importavit, & ultra hoc vestes & alia ad suum corpus spectantia, & hoc facto omnia bona mobilia & bona acquisita constante matrimonio, dividentur æqualiter inter superstitem & hæredes defuncti, & his superstes erit contentus, nec amplius petere vel consequi poterit ab hæredibus defuncti, ut expressè habent verba dicti contractus antenuptia-
3 lis. Provisio † autem hominis facit cessare provisionem legis, *tex. est no. in l. fin.* & *ibi nota. per glos.* & *Bald. C. de pact. conven.* & *bonus text. in l, si fundum per fideicommissum. § Stichum,* & *ibi Pau. de Cast. ff. de lega. 1.* Modò sic est, quòd di-
4 cta † bona immobilia, quæ obvenerunt d. quondam Margaretæ constante matrimonio ex successione per decessum dictæ domicellæ Catharinæ suæ materteræ non possunt dici bona acquisita seu conquæsta, quod deducitur multipliciter. Primò *per text. in l. 1. circa principium. C. de impo. lucra. descript. libro 10.* & *ibi nota. per Ioan. de Platea* & *alios,* & *bonus textus in l. 1. versic. quòd autem,* & *versic. sed si libertus. ff. si quid in fraudem pat.* & *est bonus textus in cap. unico, de vasal. decrep. ætatis, in usibus feud.* & *voluit notabiliter Ioan. Fab. in princip. Institutio. super verbo, Iustinianus, in fi.* Secundò hoc de-
5 ducitur, quia acquisita † propriè dicuntur, quæ ex opera, industria, solertia & diligentia obveniunt, qualis non est hæreditas, *text. est clarissimus in l. quæstus, cum quinque legibus sequentib. ff. pro socio,* & *in l. duo, §. fina. illo eodem tit.* & *bonus text. in l. adijcio, in versic.* & *cùm quæstus. ff. de acquir. her.* Cùm ergo ex con-

conventione seu pacto antenuptiali, solùm veniant dividenda bona mobilia & bona constante matrimonio acquisita, de quorum numero non est hæreditas, de qua est quæstio, ut suprà ostendi, sequitur, quòd dictus Hugo nullum jus prætendere potest in dicta hæreditate obventa, sed illa sola debetur filijs dictæ quondam Margaretæ. Pacta enim † & con-
6 ventiones maximè antenuptiales debent servari, *l. 1. ff. de pact. in l. 1.* & *per totum, C. de pact. conven.* Nec obstat, si dicatur de hæreditate quæ posset obvenire, in pacto non fit mentio, & per consequens relinquitur dispositioni juris consuetudinarij. *l. si cum dotem. in princip. ff. solut. matrimonio*, & *c. susceptum, de rescript. lib. 6.* quo jure consuetudinario maritus superstes debet habere medietatem omnium bonorum. Quia dico, quòd imò iste casus non est omissus in pacto, quia pactum habet, ut prædixi, quòd superstes debet stare contentus, præcipiendo bona per eum importata, & ea quæ ad suum corpus spectant, cum medietate bonorum mobilium & acquisitorum constante matrimonio: à contrario ergo immobilia non acquisita constante matrimonio, sed obvenientia ex successione, qualia sunt illa de quibus est quæstio, ex vi pacti non sunt divisibilia. Tunc † autem casus o-
7 missus habetur pro omisso, & relinquitur dispositioni juris communis vel consuetudinarij, quando non potest haberi pro expresso ex aliqua conjectura, sed ubi potest pro expresso haberi ex aliqua conjectura, puta à contrario sensu pacti, tunc non dicitur omissus, sed habetur pro ex-
8 presso: voluntas † enim contrahentium dicitur evidens, quæ expressè vel ex conjectura colligitur, *text. est nota. in l. licet imperator. ff. de lega. primo*, & *in l. si ita scriptum, in principio. ff. de libe.* & *posthu.* & *in l. clemens patronus, ff. de hæred. instit.* & *ita in fortioribus terminis decidit Bald. in l. conventiculam, in 2. colum. C. de episcop.* & *cler.* & *Panorm. in cap. cùm apostolica, de his, qui fi. à præla.* & *Ioan. de Imo. in d. l. si cum dotem.* Quòd
9 autem in † contractibns habeat locum, argumentum à contrario sensu, *est text. ad literam in l. inter socerum. §. cùm inter. ff. de pact. dota.* Casus enim veniens à contrario, seu sensus contrarius in contractibus, dicitur venire ex mente contrahentium seu paciscĕtium, *dicta l. inter socerum. §. cùm inter.* ubi casus & probatur, *in l. his solis, ante fin. in verbo, tacitè cautum putamus, C. de revo. dona.* Sicut
10 enim id † quod venit ex mente legis, dicitur venire ex ipsa lege, *l. nominis* & *rei. §. verbum ex legib. ff. de verbor. signif.* & *vult Bart. in l. omnes populi. ff. de justitia* & *jure.* Ita etiam id quod venit ex mente paciscentium, dicitur venire ex pacto, & hoc apertissimè vult *Petrus de Anchor. in consilio suo 213. incipiente, in Christi nomine amen, pro patre*, & c. ubi formaliter dicit, quòd ex argumento à contrario sensu resultat evidens conjectura dispo-
11 nentium. Præterea † illud haberi debet pro expresso & disposito, quòd verisimiliter fuisset expressum & dispositum, si contrahentes de hoc fuissent interrogati. *text. est not. cum sua singulari gl. in l. tale pactum. §. fina.* & *ibi Bal. Paul. de Castr. Alex. Iason* & *Doct. ff. de pact.* sed si dicta Margareta tempore initi pacti fuisset interrogata, quid fieri voluisset de bonis, quæ constante matrimonio ratione successionis ad eam devenirent, verisimiliter respondisset, ea velle reservari & manere apud filios suos, & non communicari dicto Hugoni suo futuro marito, sicut ipsa expressit de bonis suis immobilibus: qui-
12 libet † enim præsumitur præsumptione juris velle præferri filios suos extraneis, textus est apertus *in l. cum acutissimi. C. de fideicommis.* & *in l. cùm avus. ff. de condit.* & *demonst.* Et quicquid sit, clarè patet, i-

tet, istam fuisse intentionem ipsorum contrahentium per hoc quod voluerunt, superstitem stare contentum cum medietate bonorum mobilium & acquisitorum, de quorum numero non est hęreditas obventa, de qua est quæstio, ut suprà latè deduxi. Cùm ergo dictus Hugo debeat manere contentus cum medietate bonorum mobilium & acquisitorum, nihil
13 amplius petere poterit: limitata † enim causa limitatum producit effectum. *l. in agris. ff. de acqu. rer. dom.* & §. *quòd autem, Instit. de legit. ag. tu, cum sim.* & inducta ad exclusionem seu diminutionem non debent operari augmentum. *l. legata inutiliter. ff. de adi. lega.* Et quia verba dicti contractus antenuptialis sunt clara & aperta, excludentia dictum Hugonem ab ulteriori, quàm dictum est petitione, amplius non insisto, ne videar so-
14 lem adjuvare velle: quicquid enim † rei de se claræ adjicitur ad magis demonstrandum, frustra est, *l. 1. in fi. ff. de dot. præleg.* & *c. si omnia, 6 q. 1. cum similibus.*

CONSILIUM CXXXVI.

SUMMARIA.

1 *Consuetudinem notoriam allegare vel probare non oportet.*

2 *Notorium relevat ab onere probandi.*

3 *Acta in una instantia quando faciant fidem in alia, &c.*

4 *Socij sunt maritus & uxor, possidentque bona pro communi & indiviso, nulla etiam interveniente traditione.*

5 *Bona constante matrimonio acquisita censentur ex bonis mariti quæsita, esseque ipsius mariti propria.*

6 *Injuriam facit senatui vel principi, qui rectè per eum disposita revolvere vel in dubium revocare conatur.*

7 *Sententia lata à principe partibus præsentibus & causa cognita, vim legis generalis habet.*

8 *Facta pro infectis haberi nequeunt. Et num. 31.*

9 *Contractus antenuptialis mutuo consensu conjugum revocari potest: etiamsi tertio sit ex illo jus quæsitum.*

10 *Jus alicui ex pacto quæsitum, sine facto ipsius auferri nequit: nisi sit revocabiliter quæsitum.*

11 *Contractus voluntate duorum initus, eorundem contrario sensu tollitur.*

12 *Consuetudo posterior attendi solet*

13 *Hæres factum defuncti impugnare non potest.*

14 *Dispositio de re hæredis æquè valet ac de re testatoris propria.*

15 *Statuta & consuetudines interpretationem à jure communi recipiunt.*

16 *Argumentum à contrario sensu ad correctionem juris communis non valet.*

17 *Minor propter damnum casualiter contingens non restituitur.*

18 *Donatio reciproca vel remuneratoria in quibus sint privilegiata.*

19 *Possessio ex contractu, donatione vel legato etiam inutili transfertur, & num. 34. & 40.*

20 *Sta-*

20 *Statutum vires sumit à potestate statuentis & secundum illum mensuratur.*
21 *Statutum quando sublatum censeatur, &c.*
22 *Testis de eo quod judicio rationis & non immediatè per sensum corporis, perspicit, sine assignatione causæ deponens, nihil probat.*
23 *Consuetudo qualiter per testes probetur, &c.*
24 *Confiteri videtur qui ponit.*
25 *Consuetudine plus introductum non est, quàm usitatum.*
26 *Revocatione res ad pristinam suam redit naturam.*
27 *Fictio requirit duo extrema habilia, scilicet extremum à quo & extremum ad quod.*
28 *Testibus in proprio dicto contrariis & impossibile vel inimaginabile deponentibus credendum non est.*
29 *Possessio per actus fictos non transfertur nisi interveniente consensu vel facto possidentis.*
30 *Fictio non cadit super impossibili.*
31 *Possessio transfertur etiam aspectu & verbis, ubi quis est in conspectu rei.*
32 *Possidere non dicitur qui jure familiaritatis fundum vicini ingreditur, & nu. 36.*
33 *Agenti interdicto retinendæ si defectus proprietatis objiciatur, ejusque probatio incontinenti offeratur, succumbit.*
34 *Rei suæ quilibet est moderator & arbiter.*
38 *Possessionis causam nemo sibi mutare potest: nisi nova causa à domino interveniat.*
39 *Donatio inter conjuges reciproca vel morte confirmata valet.*
41 *Agens interdicto uti possidetis, nisi possideat, succumbit.*
42 *Colonus non admittendo dominum ad possessionem, statim possidere incipit.*

PRæclarissime Domine Cancellarie, licet quæstio pendens indecisa inter prætensos mamburnos prolium & hæredum quondam domicellæ Gertrudis Ysebrants impetrantis ex una, & Ioannem van der Heyden defensorem ex altera, partibus, magis sit facti quàm juris: pro modica tamen informatione vestra, licet meum non sit instruere Minervam, difficultas totius processus, qui multis superfluis deductus est, meo exiguo judicio consistere videtur in hoc. An dictus Ioan. van der Heyden constante matrimonio inter eum & præfatam domicellam Gertrudem suam uxorem, tanquam socius omnium bonorum mobilium & acquisitorum immobilium, illa eadem bona cum eadem sua uxore communiter & pro indiviso constante hujusmodi matrimonio, & etiam eo soluto possederit, nec ne. Et licet sub cujusdam prætensæ consuetudinis fucato colore, proposita dictorum impetrantium aliquid apparentiæ habere videantur, tamen apud peritos de hac re non potest dubitari, sicut nec communes cives Antverpienses de hac re hæsitant, attenta notoria consuetudine, non solùm oppidi Antverpiensis, verùm etiam totius Ducatus & patriæ Brabantiæ, juxta quam bona mobilia ab ipsis conjugibus hinc

hinc inde importata, incontinenti consummato matrimonio ad invicem confunduntur & possidentur ab ipsis conjugibus, & inter ipsos conjuges communiter & pro indiviso, & idem est de mobilibus ac immobilibus, quæ constante matrimonio ab ipsis conjugibus acquiruntur: quæ consuetudo adeo notoria est, ut nulla egeat probatione: consuetu-
1 dinem † enim notoriam non oportet nec allegare nec probare, ut expresse dicit *Bart. in repetitione le. secundæ, in 25. questione, C. quæ sit long. consuet.* per jura, de quibus ibi per eum. Et dato, quòd notorium deberet allegari, non tamen est necesse, quòd illud probetur, quia notorium
2 † relevat ab onere probandi, *ut est gl. ordin. approbata, per omnes in cle. appellanti, de appella. & vult Panor. & alij canonistæ in c. 2. ut lite non contest. & facit text. in l. si adulterium cum incestu, in §. idem Pollioni, cum ibi notatis per Bart. ff. ad l. Iul. de adulter.* ista tamen consuetudo speratur per defensionem in materia recredentiæ plenè probata, cujus processus
3 & ejus acta sunt in hac instantia repetita & juncta, & sic faciunt fidem, *juxta notat. per Iacob. Butrigar. in l. ab hostibus. §. sed quod simpliciter. ff. ex quibus causis major. quem refert & sequitur Alex. de Imo. in l. apud Iulianum. §. utrum circa fi.*
4 *ff. ad Trebell.* Præterea † maritus & uxor sunt socij, *l. 1. ff. rer. amo. & l. alimenta. §. fi. & ibi. gl. ff. de ali. & cibar. lega.* & tales ac pro talibus in hac patria Brabantiæ notoriè reputantur, saltem quoad bona prætacta: socij autem possident in communi & pro indiviso, etiam non interveniente traditione, *l. prima in fine, & l. secunda, & ibi gl. & Doct. ff. pro soc.* Estque dicta consuetudo multum favorabilis mu-
5 lieribus, quia aliàs omnia † acquisita censerentur esse ipsius mariti, & ex bonis ipsius mariti acquisita, *l. quintus. ff. de dona. inter vir. & uxo. & l. etiam, C. eo. tit.* & *probatur in c. significavit, junctis not. ibid. per Panorm. & Doct. de donat. inter vir. & uxor.* Cùm igitur dictus Iohannes van der Heyden communiter & pro indiviso possederit bona prætacta cum præfata domicella Gertrude sua uxore constante matrimonio, illaque possidere non desijt, nec unquam à possessione prohibitus fuit vel expulsus: sequitur quòd conclusio per eundem capta in materia uti possidetis, sibi debeat adjudicari, *l. clàm possidere. §. qui ad nundinas. ff. de acquir. poss. cum sim.* Et quòd ita sit faciendum, inconvincibiliter probatur ex infrà dicendis. Et per hoc, quòd recredentia quoad prætacta bona per vestram interlocutoriam dicto Iohanni fuit adjudicata, quæ cum maxima maturitate & solennitate fuit pronunciata, prævijs informationibus & inquæstis hinc inde factis, & causæ cognitione præcedente, quod au-
6 tem † tam solenniter factum est per principem, vel senatum principem repræsentantem, retractari non debet, quia injuriam facit senatui & principi, si quis semel judicata & rectè disposita revolvere, vel in dubium revocare contendit, *l. 3. C. de summa trinita. & fide cathol. l. humanum, C. de legi. l. dubium non est, C. de repud. & l. prima. ff. de constit. princ. cum simili.* hinc singulariter dixit *Alexan. de Imo. in d. l. apud Iulianum. §. utrum,* quòd
7 quando † sententia aliqua etiam interlocutoria lata est à principe, partibus præsentibus, & causa cognita, habet vim legis generalis, & idem vult *Felin. post Host. & Ioan. Andr. in c. in causis, de re judic.* Non obstat contractus antenuptialis per impetrantem allegatus, quia in eo de possessione, de qua nunc est quæstio, nihil disponitur, & sic non facit ad propositum. Et posito etiam, quòd aliquid esset dispositum in eo de possessione, tamen cum possessio sit facti, *l. 1. §. si vir. ff. de ac. possess.* facto & usu contrario

derogaretur illi contractui, facta † enim pro infectis haberi non possunt, *l. in bello. §. captæ. ff. de cap. cum sim.* & res facti infirmari jure civili non potest, *dicta l. 1.*
9 *§. si vir.* Præterea contractus † antenuptialis initus inter dictos conjuges, mutuo consensu eorundem fuit revocatus, quod fieri potuit, etiam licet ex tractatu jus fuisset quæsitum tertio, *arg. l. 1. C. si mā. ci. ita fuer. alien. ne manu.* quæ loquitur etiam in actu multum favorabili, puta in actu libertatis: & *faciunt nota. pulchrè per Bart. Ioan. de Imo. & Doct. in l. qui Romę, in §. Flavius Hermes. ff. de verbor. oblig.* ubi volunt, quòd si dono Titio fundum cum pacto, quòd post mortem Titij ille veniat ad Ecclesiam non obstante hujusmodi pacto apposito in favorem Ecclesiæ, Titius & ego possumus aliter disponere, & illud pactum revocare taliter, quòd ecclesia post mortē Titij agendo ex illo pacto, nihil consequi posset: ergo idem in proposito, & pro isto est *text. notabilis in l. Seja ff. de dot. prælega.* ubi mulier quæ dedit dotem, adhibuit animo donandi tertium ad stipulandum, dotem sibi reddi soluto matrimonio morte mulieris, & sic ex stipulatione & donatione fuit illi tertio jus acquisitum, & tamen dicit ibi *text. junct gl.* quòd non obstante hujusmodi donatione & stipulatione, mulier potest de dote disponere & voluntatem mutare, quod servit proposito. Nec obstat
10 si dicatur, quòd jus quæsitum tertio ex pacto, non potest auferri sine facto ejus, cui est jus quæsitum, *l. id quod nostrum, ff. de regulis jur. junct l. quotiens, C. de donati. quæ sub mo.* cùm ergo in casu præsenti jus fuerit quæsitum dictis impetrantibus ex dicto contractu antenuptiali: ergo sine consensu dictorum impetrantium illud jus non potuit eis auferri, & per consequens, nec revocatio fieri. Quia respondetur, prout respondet *Ioan. Imol. in d. §. Flavius Hermes*, & idem *Ioan. de Imol. in c. potuit, in pen. & ulti. colum. de locat.* quòd hoc est verum, quando quæsitum est alicui jus irrevocabiliter, secus si revocabiliter duntaxat: In casu autem præsenti dictis impetrantibus fuit duntaxat quæsitum jus revocabiliter, quo casu non procedit contrarium, secundum eum & alios in locis pręallegatis *per l. sed & si quis in principio. & §. 1. juncta gloss. de usufruct.* cum pluribus alijs per eundem ibidem latè addu-
11 ctis, contractus † enim qui voluntate duorum initus est, contrario consensu eorundem tollitur, ut est casus expressus *in l. prima & secunda, C. quando lic. ab empt. disc. cum alijs vulgaribus.* Nihil enim tam naturale est, quàm aliquid eo genere dissolvi, quo colligatum est, *l. nihil, ff. de regul. jur. & cap. primo, eo tit. in antiquis,* & pacta novissima sunt spectanda, *l. pacta novissima, C. de pact. cum vulg.* Nec obstat regula, quod semel placuit, *de reg. jur. li. 6.* quia illa procedit, quando interveniret pœnitentia ex parte unius contrahentium duntaxat: In casu autem præsenti ambo contrahentes pœnituerunt, ut patet ex instrumento revocationis, quod facere potuerunt per jura suprà allegata. Præterea posito, quod esset quæsitum jus irrevocabiliter dictis impetrantibus, tamen ex quo fuerunt & sunt hæredes dictæ domicellæ Gertrudis certum est & de jure indubitatum, quòd ipsi contra factum matris defunctæ venire non possunt per jura statim alleganda. Non obstat etiam prætensa consuetudo articulata per impetrantes, qua prætendunt, contractum antenuptialem revocari non posse, quia illa non creditur probata, imò clarissimè creditur probata cō-
12 traria observantia vel † consuetudo posterior, quæ magis est attendenda, *juxta notat. per Bald. in c. primo, de feud. cog. & probatur in l. Mela, in princ. ff. de alim. & cibar. legat.* Posito tamen sine præju-

præjudicio, quòd hujuſmodi prætenſa
conſuetudo eſſet probata, tamen id adhuc
non ſuffragaretur dictis impetrantibus,
cùm ipſi impetrantes ſint hæredes dictæ
domicellæ Gertrudis, cujus hæreditatem
adierunt & agnoverunt: & ergo contra
factum matris defunctæ venire non poſ-
ſunt, etiam licet illud factum aliàs de ju-
re non ſubſiſteret, eis non conſentientibus,
text. eſt ad literam in l. cùm matre C. de
13 *rei vendicati.* Ex qua † perſona enim
quis lucrum capit, ut hæres ejus factum
præſtare debet, *l. ex qua perſona, ff. de*
regu. jur. cum ſim. Et quantum ad pro-
poſitum noſtrum de iſto eſt caſus in ter-
minis *in l. cum maritus. §. fi. in fin. & ibi*
Bald. ff. de pac. dotal. & *vult expreßè gl.*
ordinaria in d. le. Seja, & Bart. Bald. Pau.
de Caſt. Io. de Imo. Alex. & DD. in l. quæ
dotis, ff. ſolut. matrimonio, qui omnes in-
telligunt *d. l. cum maritus. §. fi.* quòd ibi
conſtabat fratrem eſſe adhibitum ad ſti-
pulandum dotem animo donandi inter
vivos, prout *gl.* ibidem etiam intelligit, &
Bald. Salic. & Doct. in l. 2. C. de jur. dot.
& quòd frater non fuit hæres ſororis, &
ſic ſoror in præjudicium ejus non potuit
de ea diſponere: quòd ſi frater fuiſſet e-
jus hæres, utique potuiſſet ſoror in præ-
judicium ejus diſponere, ut ibi clarè vult
tex. in fin. & expreſſiſſimè ibi Bal. qui di-
14 cit hæc formalia verba. Nota quod †
mulier non poteſt teſtari de dote in præ-
judicium extranei, cum erat jus quæſitū,
ſed ſolum in præjudicium ſuorum hære-
dum & iſte eſt caſus noſter. Nemo enim
ambigit, quin valeat diſpoſitio de re hæ-
redis, ſicuti de re propria teſtatoris, *l. u-*
num ex familia. §. ſi rem ubi eſt tex. cla-
riſſimus. ff. de legatis, 2 & l. cū filius. §. do-
minus, illo eodem tit. Præterea dato, quòd
præmiſſa ceſſarent, prout non, & quòd di-
cta conſuetudo eſſet probata, quæ tamen
in ſe eſſet negativa, & ſic difficillimæ
probationis, tamen adhuc dicta conſue-
tudo reciperet interpretationem à jure
communi, ut tunc demum locum habeat,
quando alter conjugum duntaxat revo-
caret contractum antenuptialem, non
quando ambo ſimul, qui & contrahendi
& diſtrahendi facultatem habuerunt, ut
in caſu præſenti per ſuprà dicta. Nam
15 ſtatuta † & conſuetudines, quæ paribus
paſſibus ambulant, interpretationem re-
cipiunt à jure communi, *l. ſecunda, C.*
de noxal. act. & *c. cum dilectus, de con-*
ſue. & c. ad audientiam, & c. cum dilectus,
& *ibi Docto. canoniſtæ de cler. non reſid.*
Non obſtat prætenſum ſtatutum, quo
impetrantes caveri dicunt quòd conjuges
poſſunt ſibi invicem legare domum &
marcham argenti & non plus. Quia re-
ſpondetur per interemptionem negando
quòd in hujuſmodi prætenſo ſtatuto ha-
beatur dicta clauſula, & non plus, vel æ-
16 quipollens. Nec † poteſt argui à contra-
rio ſenſu illius ſtatuti, ad correctionem
juris communis, quod permittit conjuges
ſibi mutuo legata relinquere *d. l. cum ma-*
ritus. §. fin. & l fin. C. de infir. pœn. &
præall. l. Seja. ita notabiliter vult Bart. &
Doct. in l. omnes populi ff. de juſti. & jur.
Et poſito, quod clauſula illa, & non am-
plius, haberetur in dicto prætenſo ſtatu-
to, prout non. Et poſito etiam, quòd argu-
mentum à contrario ſenſu haberet locum
in ſtatutis ad correctionem juris commu-
nis, tamen adhuc non obeſſet in caſu præ-
ſenti. Tum quia dictus Iohannes in hac
materia poſſeſſionis non concludit ad o-
mnia legata ſibi relicta, ſed ad poſſeſſio-
nem duntaxat eorum, quæ de jure muni-
cipali ſive de conſuetudine præallega. ſi-
bi competunt. Tum etiam quia illud ſta-
tutum non eſt in obſervantia, ut ſpera-
tur clarè probatum apud acta. Tum et-
iam ſi eſſet in obſervantia, tamen dun-
taxat procederet in donatione vel legato
ſimplici, quæ vel quod fieret ab una parte
tantū, & non quando eſſet donatio vel le-

gatum reciprocum, *argumen. l. ſi pater puellæ*, & *ibi hoc volunt Cyn. Bald. Salic. Pau. de Caſt. Iaſon.* & *Doct. C. de inoffic.*
17 *teſtam.* & eſt ratio, quia † quandocunque aliquid ſe habet ad lucrum & ad damnũ: licet caſualiter contingat damnum, non per hoc dicitur quis lædi: & ſi talis eſſet minor, non deberet tanquam lęſus ob hoc reſtitui. *tex. eſt ſing. in l. de fideicommiſſo*, & *ibi hoc volunt Pau. de Caſt.* & *Iaſon, C. de tranſact.* & *Bald. in l. cum Archimedoram. C. ut in poſſeſ. lega.* & *probatur in d.*
18 *l. ſi pater puellę.* Item non † procederet dictum ſtatutum, quando eſſet donatio remuneratoria *tex eſt notabilis in le. quod autem. § ſi vir. ff. de donation. inter vir.* & *uxo.* & *hoc per illum tex. volunt Panorm. Præpoſ.* & *Doct. canoniſtę in c. fin. circa prin. de dona. inter vir.* & *ux.* In caſu autem præſenti legatum confirmatorium juris municipalis ſeu conſuetudinarij, ſuper quo jure municipali dictus Iohannes van der Heyden defenſor ſe fundat, eſt reciprocum & remuneratorium, ut ex tenore teſtamenti liquidè conſtat, ergo, &c. Nemo autem ambigit, quin ſtatuta & cõſuetudines recipiant interpretationem à jure communi, *per jura ſupra allegata.* Item ex alio non obſtat dictum ſtatutum, quia licet forſan per hujuſmodi ſtatutum prohibeatur donatio vel legatum, tamen
19 † ex hujuſmodi donatione vel legato, etiã ſi eſſet inutile, benè transfertur poſſeſſio apprehenſa per legatariũ vel donatarium, *d. l. 1, § ſi vir, ubi caſus, ff. de acquir. poſſeſſ.* quod ſufficit propoſito, quia in caſu præſenti duntaxat agitur poſſeſſorio. Præterea poſito, quòd dicti legiſlatores ita ſtatuiſſent, tamen quia juxta conſuetudinem notoriam hujus diocœſis Cameracenſis allegatam & probatam, cognitio & deciſio cauſarum teſtamẽtariarum & dotium nõ ſpectat ad illos legiſlatores, ſed ad dominum Cameracenſem aut ejus Officialem, ſequitur quod illud ſtatutum eſſet ſimpliciter nullum & invalidum: nam
20 ſtatuere † quis non poteſt de ea re, de qua non poteſt cognoſcere: ſtatutumque ſumit vires à poteſtate ſtatuentis, & ſecundum illam menſuratur, *de ſenten. excommunic. c. à nobis primò. l. fina. ff. de juriſd. omnium judic.* & *ita apertiſſimè vult. Bal. in le. nulli, C. de ſentent.* & *interl. omnium judic.* & *fa. nota. per eundem Bald. in l, 2. C. quę ſit lon. conſuet.* & *notat. per Bart. in l. edicimus, C. de murileg. li. 11. cum vulg.* Poſito tamen ſine præjudicio, quod ha-
21 buiſſent facultatem ſtatuendi, tamen † quia ipſi frequenter eidem prætenſo ſtatuto collegialiter, & per diverſas ſententias contravenerunt, & in judicio contradictorio judicârunt ut apud acta clarè probatum ſperatur, illud ſtatutum cenſetur penitus ſublatum, *text. not. in c. cùm acceſſiſſent, in fin.* & *ibi hoc notat Panor. in ult. notabili de conſtitu.* & *eſt bonus text. in c. cum M. Ferrarien. eod. tit.* & *volunt Hoſtien. Io. And.* & *Doct. in d. c. ad audientiam, de cleri. non reſiden.* Non obſtat etiam prætenſa conſuetudo, qua dicti impetrantes poſſeſſionem ſive apprehenſionem in proximiorem hæredem defuncti continuari dicunt, etiam juxta tenorem tractatus ſeu contractus antenuptialis, quam clauſulam tanquam ſomniatam nunc adjicere conati ſunt, quia illa prætenſa conſuetudo non creditur eſſe probata aliter, quàm his teutonicalibus verbis:

Op derde article ſeggen ende deponeren / die voirſz depoſanten / in turba, als voeren / dat nader ſelver ſtadt recht ghewoente ende coſtume / die doode aldaer ſapſeert den leven / alſoo dat binnen der ſelver ſtadt d'erfgenamen vanden eerſten aflivigen van manne ofte van wijfve terſtont ende ſonder eenich interval van tijde / comen ende ſuccederen in recht van den ſelven aflivigen / onn van

van zijnen goeden hem competeren/
naer wtwijsen van der houwelijcke
gemaect. En dat alsoo wel aengaen=
de der continuatie van der possessie
bijden aflivigen gehadt / als anders=
sins/ sonder dat van noode zy / ofte
behoevelijck eenighe nieuwe actuelle
possessie te nemen ofte apprehensie
te doene / id est: Super tertio articulo
dicunt & deponunt prædicti deponentes,
in turba, ut suprà, quod secundum civita-
tis jus, usum & consuetudinem, mor-
tuus ibi saysit, quod est possessorem facit,
vivum, ita in eadem civitate hæredes pri-
mi defuncti, vir sit ille aut mulier, statim
& absque ullo temporis intervallo, ve-
niunt & succedunt in jus ipsius defuncti,
& bonorum ei competentium, secundum
contenta contractus antenuptialis ante
bannum matrimoniale facti. Idque tam
quò ad continuationem possessionis à de-
functo habitæ, quam aliter, ut non sit ne-
cesse aut utile novam aliquam possessio-
nem capere aut apprehensionem facere,
sine pluri: & ita manifestè patet, con-
suetudinem articulatam in casu præsenti
non esse probatam, quod ostenditur mul-
tis modis. Primò, quia consuetudo est
jus non scriptum, & ita res quædam, quæ
absque magno discursu rationis percipi
22 non potest, & ergo quia † testes producti
in turba ad probandum dictam consuetu-
dinem, qui se magis judices quam testes
cõstituisse videntur, nullam causam scien-
tiæ reddunt, eorum dictum non probat,
c.cum causam juncta glos. de test. & *l. so-
lam, C. de testi.* etiam posito, quòd de
causa scientiæ interrogati non fuissent in
isto casu. Nam quando testis deponit su-
per his quæ ipse perspicit judicio rationis,
& non immediatè per sensum corporis,
tunc non valet dictum ejus, si causam
non assignat, etiam si non fuerit interro-
gatus, ut ad literam volunt *Inno. Io. And.
Io. de Imo. Panor.* & *Doct. in d. cap. cum
causam*, & *Bar. Bald. in d. l solam*, & ergo
Doct. in d. l. 2. C. quæ sit longa consuet. &
23 *in l. de quibus, ff. de legi.* dicunt † in ma-
teria consuetudinis, testes debere depo-
nere de tanta frequentia actuum & diu-
turnitate temporis, ex quibus colligi po-
test & concludi consuetudinem intro-
ductam de consensu populi vel majoris
partis. Non comperietur autem apud a-
cta probatum de præmissis necessariò ad
introductionem consuetudinis requisitis,
imò ultra paucos annos in oppido Ant-
verpiensi dictus terminus, sayseert, in
turba positus, fuit omnino incognitus &
inauditus, & ab idiomate nostro vulgari
fuit & est de præsenti penitus alienus.
Tum secundò, quia ipsimet impetrantes
in principio exceptionũ suarum ex eo ca-
pite excipere nituntur contra informatio-
nem pro parte dicti Iohannis van der
Heyden factam, quia testes per eum au-
diti fuerunt in turba & non sigillatim,
24 ponentes & confitentes, quòd † dictum
testium productorum in turba non va-
let, qui enim aliquid ponit, illud confite-
tur *per l. precum, juncta gl. C. de libera.
causa*, & *notatur in c. 1. de confess. lib. 6.*
& *in c. fi. de jurejur. eod. li.* sequitur ergo
ex eorum proprio fundamẽto, quod testes
per eos producti & auditi in turba non
probant. Tum tertiò, quia in casu præ-
senti nedum intervenit contractus ante-
nuptialis, sed etiam revocatio ejusdem, in
quo casu testes producti in turba nihil
deponunt. Cùm ergo firma regula ha-
beat: non plus præscriptum quàm pos-
25 sessum, nec plus † consuetudine introdu-
ctum, quam visitatum, *c. cum olim, de præ-
scriptio.* & *c. dilecto de offi. Arch.* & *l. 1. §.
si quis hoc interdicto*, & *ibi Bart. ff. de iti.
26 actuque priva.* & cum res per † revoca-
tionem redeat ad suam pristinam naturã,
perindeque habeatur, ac si in rerum na-
tura non fuisset, *c. ab exordio, 35, dist.* & *l.
si unus. §. pactus ne peteret. in fin. ff. de*

pac. sequitur, quòd dicta turba præfato Iohanni obesse non potest; Et quòd dictus contractus antenuptialis revocari potuit, patet per suprà latè deducta. Tum quartò, quia perspicaciter intuenti dictam turbam, in ea patebit aperta contrarietas & impossibilitas secundum naturam, quia præsupposito tractatu antenuptiali articulato, prout articulatur, & ut prætendunt dicti impetrantes per eorum scripturam, & stante consuetudine quam ipsi videntur affirmare, possessio quam habuit dictus Iohannes van der Heyden, tempore vitæ suæ uxoris, & quam adhuc habet, quia eam habere non desijt, neque animo neque corpore continuata fuisset in ipsos impetrantes per mortem dictæ domicellæ Gertrudis defunctæ, quæ illam nunquam habuit, quod non est imaginabile: cùm si illa continuatio fieret, hoc esset per fictionem, sed fictio †
27 requirit duo extrema habilia, scilicet extremum à quo, & extremum ad quod, *ut notat Bart. in l. si is qui pro emptore, ff. de usucapio,* nec cadit super impossibili, ut infrà dicam. In casu autem præsenti deficit extremum à quo fieret continuatio, ut suprà dixi, patet ergo quòd dictis
28 † testibus auditis in turba, tanquam in eorum proprio dicto contrarijs, & impossibile & inimaginabile deponentibus non est standum, *c. pura. 3. q. 9.* & *c. si ad sacras, 11. dist* & *l. qui varie. ff. de prob. cum simil.* Tum quintò, cessante contrarietate & alijs, de quibus suprà, in nullo facit dicta turba contra præfatum Iohannem, nam ex turba duntaxat habetur, quòd possessio quæ erat apud defunctum, continuatur in hæredem per illa verba posita in turba **possessie bijden aflivigen gehadt:** cùm ergo, ut suprà latè deductum est, dicta domicella Gertrudis non habuit in vita nisi possessionem medietatis bonorum, de quibus est quæstio pro indiviso, sequitur quòd dicta turba nihil penitus facit contra præfatum Iohannem, qui semper confessus est præfatos impetrantes habuisse & habere possessionem in una medietate bonorum, de quibus est quæstio. Tum sextò, quia dato sine præjudicio, quòd dicta consuetudo esset probata in casu præsenti, prout non. Tamē ex quo dicti impetrantes sunt hæredes dictæ quondam domicellæ Gertrudis non possunt factum matris impugnare, ut suprà latè deduxi. Tum septimò, quia dicta consuetudo non creditur esse in observantia, quando contrarium dispositum est per testatorem, ut in casu præsenti. Nam in illo casu, qui servit proposito in oppido Antverpiensi frequenter, & etiam in hac curia, præcipuè de Anno Domini millesimo quingentesimo secundo, 24. Decembris, inter quondam Iohannem Bosselmann impetrantem, & Wilhelmum Houtackere defensorem. Similiter in anno Domini millesimo quadringentesimo, 97. 21. Iulij, inter executores testamenti quondam Balthazaris Wouters, & Petrum & Laurentium Dijck† hæredes ipsius Balthazaris Wouters ex altera, contra dictam prætensam consuetudinem judicatum fuit. Tum octavò, dicta prætensa consuetudo non potest suffragari dictis impetrantibus, quia etiam si esset probata, prout non, tamen non haberet locum, quando possessio est apud alium:
29 quia † quando possessio est apud alium, per actus fictos non transfertur in alterum non interveniente consensu vel facto illius, penes quem est, quia illa actualis apprehensio impedit illam continuationem fictam introductam à consuetudine vel statuto, *ut notabiliter vult Alexander de Imola. in consilio 83. secundi voluminis incipiente, Redemptoris nostri invocato suffragio, visa facti narratione, &c.* & *idem Alexander in l. cum heredes, in principio, ff. de acquiren. possess.* & *Rapha. Cuman. in l. Pomponius. § quæsitum, ff. de ac-*

de acquiren. possess. & *dominus Iason in l. si sorori, C. de jure deliber.* & *est de mente gl. ordinariæ in l. cum miles, super verbo quasi conjunctim, ff. ex quib. causis major. quam glossam Iason in dicta si sorori, valdè commendat :* & *idem vult apertissimè Signorollus de Homodeis in consilio* 190. *incipiente, in nomine,* & *c. casus continens,* &c. Et est ratio, quia
30 † fictio non cadit super impossibili : nec habet locum fictio, ubi non potest habere locum veritas, *secundum Bart. in prealleg. l. si is qui pro emptore. ff. de usucapi.* & *dixi suprà*, sed impossibile est secundum veritatem duos insolidum eandem rem possidere, *l. si ut certo. §. si duobus vehiculum, ff. commod.* ergo non potest habere locum fictio, unde dicunt *Compost. Pan.* & *Doct. in c. 2. de consuet.*
31 quod licet † aspectu & verbis transferatur possessio, ubi quis est in conspectu rei, *l. quod meo, ff. de acquir. possess.* tamen hoc fallit, quando alius erat in possessione. Cùm ergo dictus Ioannes ante mortem suæ uxoris, omnia & singula bona mobilia & acquisita immobilia, redditus, & census, & medietatem domus possederit cum eadem sua uxore pro indiviso, ac in possessione eorundem semper remanserit: de jure indubitatum est, eundem in casu præsenti, quò ad possessionem in sua medietate, ad quam contendit obtinere debere, non obstante hujusmodi prætensa consuetudine, quæ in hoc casu non est probata : nec etiam si probata foret, locum habere posset hoc casu, per suprà dicta. Et non obstante dictorum impetrantium familiari conversatione, quàm in prætacta domo habuerunt ac habent,
32 cum ille † qui jure familiaritatis vicini fundum ingreditur, non videatur possidere. *le. qui jure familiaritatis, ff. de acquiren. possess. cum similibus.* Cùm ergo ad obtinendum in interdicto uti possidetis requiritur, quòd illud intentans possideat tempore litis contestatæ, non vi, non clàm, non precariò ab adversario. §. *retinendæ, in fi. Inst. de interdic.* sequitur, quòd dicti impetrantes obtinere non possunt in hac materia possessoria, sed dictus Ioannes qui ante mortem suæ uxoris, & in morte, & post mortem semper fuit & permansit in possessione domus & aliorum bonorum mobilium, & quorumcunque aliorum acquisitorum contentiosorum pro indiviso præter & absque eo, quod aliqua unquam facta fuerit divisio inter dictum Ioannem & quondam suam uxorem, & etiam inter impetrantes qui personam dictę domicellæ Gertrudis tanquam ejus hæredes nunc repræsentãt, & eundem Ioannem præterquam novissimè virtute sententiæ latæ in materia recredentiæ. Cùm ergo ipsi impetrantes non possint plus juris habere, quàm dicta quondam domicella Gertrudis tempore mortis habuit, sequitur quod dictus Ioa. in possessorio obtinere debeat, *d. l. clam possidere. §. qui ad nundinas. ff. de acq. pos.* & maximè debent dicti impetrãtes succumbere, tum quia actores intentionem eorum non probantes, tum etiam quia eis obstat notorius defectus proprietatis, qui ex actis & præcipuè ex instrumento testamenti & revocationis cõtractus antenuptialis, ac alijs pro parte dicti
33 Ioannis exhibiti, liquidè constat. Nam † quandocunque agenti interdicto retinendæ, objicitur defectus proprietatis, & offertur incontinenti probatio, tunc etiam si de sua possessione constet, prout hìc non constat, ipse succumbit, *juxta ea quę notabiliter vult Dy. in regula qui ad agendum, de reg. jur, li. 6.* & *Cy. post eum multũ latè in l. 2. C. de edi. divi Adria. toll.* Nec aliquid facit contra prædicta, *l. hac edictali, circa principium, C. de secun. nup.* quâ cavetur, quòd mulier habens proles ex primo marito, si nubat secundo, nõ potest illi secundo marito in testamẽto, vel aliàs plus relin-

relinquere, quàm uni filiorum reliquit. Quia respondetur multipliciter. Primò, quod in casu præsenti dictus Iohannes non fundat se super legato vel relicto, neque petit id quod petit per modum relicti, sed fundat se principaliter super jure & super possessione sua, juxta consuetudinem suam notoriam præallegatam. Secūdò respondetur per interemptionem, negando, quòd dicta domicella Gertrudis de suo reliquit plus dicto Iohanni suo marito, quàm alicui filiorum, imò quælibet prolium quasi in duplo plus habebit hæreditariè quàm dicto Iohanni per eam sit relictum ad vitam suam duntaxat. Et quicquid sit, hæc objectio concernit petitorium, de quo nunc non est quæstio, nō autem possessorium de quo contenditur,
34 in quo certum est, quòd † ex inutili contractu transfertur possessio, *præalleg. l. 1. §. si vir, ubi casus expressus. ff. de acqu. poss.* cùm ergo ibi sit casus legis pro dicto Iohanne, sequitur quòd de hoc nulla est dubitatio, *l. ancillæ, cum gl.* & *ibi Paul. de Castr.* & *Doct. C. de furtis.* Et tanto minus de isto debet aliquis dubitare, quia dicta domicella Gertrudis post divisionem inter eam & proles ex primo thoro, seu mamburnos earundem prolium factam, fuit & remansit vera domina & proprietaria bonorum ei ex divisione obventorū & remanentium, juxta consuetudinem notoriam dicti oppidi Antverpiensis inviolabiliter ab ævo observatam, & sic de
35 eis disponere potuit, cùm † quisque in re sua sit moderator & arbiter, *l. in re mandata, C. mand. cum sim.* Secus autem dici posset, si proprietas in vita dictæ domicellæ Gertrudis fuisset devoluta ad proles primi thori, ut de consuetudine servatur Lovanij & Bruxellæ. Non obstat si dica-
36 tur, quando res † pertinet ad aliquem, & alius simul cum eo est in ea re, ut patet & filius, maritus & uxor, vel duo fratres, tunc ille cujus est res dicitur possidere, & alter detinere ac uti jure quodam familiaritatis, *l. qui jure familiaritatis, cum ibi notat. per Doctores. ff. de acquir. possess.* ergo in casu præsenti dictus Iohannes maritus non potest censeri possedisse, sed potius detinuisse jure quodam familiaritatis, & dicta domicella Gertrudis sua uxor possedisse per eum, & per consequens non potest obtinere in possessorio: Quia respondeo & dico, quòd *dicta l. qui jure familiaritatis*, cum sua materia procedit in terminis juris communis cessante omni statuto & consuetudine contrarijs. Sed nos sumus omnino extra terminos juris communis, quia de notoria consuetudine oppidi Anverpiensis articulata & probata, statim consummato matrimonio omnia bona mobilia conjugum hinc inde apportata & acquisita, confunduntur & communicantur, qua consuetudine stante, prout notoriè stat in dicto oppido Antverpiensi, cessat *dicta l. qui jure familiaritatis*, imò vir & uxor bona mobilia hinc inde apportata & acquisita possident cōmuniter pro indiviso secundum eandem consuetudinem notoriam allegatam articulatam, & ut speratur benè probatam. Nam ex quo quilibet est dominus medietatis hujusmodi bonorum pro indiviso & non jure familiaritatis argumentando à ratione intrinseca *dictæ l. qui jure familiaritatis*, de qua suprà, & sic dictum argumentum retorquetur contra impetrantes. Nec obstat etiam, si fortè replicetur & dicatur, quòd dicta consuetudo Antverpiensis solum locum habet, quando non est initus contractus antenuptialis ante contractum matrimonij, in quo disponatur, quomodo & qualiter bona soluto matrimonio per mortem alterius conjugum, dividi debeant: quia in illo casu videtur perinde debere censeri, ac si essemus in terminis juris communis, & per consequens habebit adhuc locum *di. l. qui jure familiaritatis*, ex quo in casu præsenti initus

ti initus fuit prætensus contractus antenuptialis, & sic quilibet ex conjugibus censetur possedisse juxta dispositionem hujusmodi prætensi contractus antenuptialis, & detentio facta per alium, censebitur nō possessio, sed detentio jure quodam familiaritatis. Quia ad istud respondeo multipliciter. Primò, quòd prætensus cōtractus antenuptialis de possessione nihil disponit, ut suprà dixi. Secundò, dato quòd de possessione disponeret, non potest immutare effectum consuetudinis
37 quoad jus possessionis: quia quòd † factum est, infectum esse impossibile est: *ut dicit textus in Auth, de æqual, dot. in principio. col. 7.* Tertio respondeo aliter, & dico, quòd dato, quòd dictus prætensus contractus antenuptialis posset immutare effectum cōsuetudinis, quoad jus possessionis, tamen quia illius prætensi contractus antenuptialis facta est revocatio mutuo consensu dictorum Iohannis & dictæ quondam domicellæ Gertrudis suæ uxoris, quòd fieri potuit, ut suprà dixi, reditū est ad terminos antetactæ consuetudinis: quia ergo dictus Iohannes post hujusmodi revocationem possedit bona, de quibus est quæstio, cum dicta quondam domicella Gertrude sua uxore pro indiviso, juxta dictam consuetudinem: liquet eum suo jure & suo nomine possedisse, & non jure familiaritatis: nam idem oculus qui respicit ad prætensum contractum antenuptialem, debet etiam respicere ad revocationem ejusdem. Nec obstat, si iterum fortè replicetur & dicatur, quòd † ex quo
38 dictus Iohannes van der Heyden semel possedit nomine suæ uxoris, & jure quodam familiaritatis bona pertinentia ad suam uxorem propter prætensum contractum antenuptialem præcedentem nō potuit sibi postea mutare causam possessionis, *per textū in l. cùm nemo, C. de acquirend. possess.* Quia respondeo, quòd benè verum est regulariter, quòd nemo potest sibi mutare causam possessionis, ut dicit textus *in d. l. nemo.* sed hoc fallit, quando intervenit nova causa à domino, ut est casus in terminis serviens proposito nostro. *in le. 3. § si rem, in fin. ff. de acquirend. possess.* ubi dicit text. quòd si depositarius emit rem apud se depositam à deponenti, vel si deponens sibi donaverit eam, licet prius non possederit eam sed detinuerit, à tempore tamen emptionis vel donationis incipit eam possidere, nec requiritur traditio ad translationem possessionis, cùm venditur vel donatur res existens apud emptorem vel donatarium, *l. qua ratione, §. interdum, ff. de acquirendo rerum dom.* & *§. interdum. Insti. de rerum divis.* quod servit proposito, qui in casu præsenti dicta quondam domicella Gertrudis post consummatum matrimonium, & dictus Iohannes cum ea, & ambo simul conjuncta manu revocarunt hujusmodi contractum antenuptialem, & in eadem revocatione voluerunt redire ad terminos dictæ consuetudinis, ut lucidissimè apparet ex instrumento revocationis apud acta exhibito, & sic ex nova causa superveniente à Domino, etiam si præmissa cessarent, dictus Iohannes van der Heyden potuit sibi mutare causam possessionis, quam possessionem continuavit, usque in præsentem diem. Nec valet, si dicatur, quòd hujusmodi revocatio, si debet sortiri effectum, censeretur inducere
39 donationem, † quæ inter virum & uxorem cadere non potest, *tot. tit. ff.* & *C. de donat. inter virum & uxorem.* Quia dico, ut dixi latè suprà, quòd in isto casu donatio valuit, ex quo fuit reciproca & morte confirmata, reducens eas ad terminos juris municipalis loci domicilij, quod facilè fit, *c. ab exordio, 35. distin.* & *l. si unus. §. pactus ne peteret, in fin. ff. de pact.* Et dato, quòd non valeret, tamen ut
40 suprà dixi, ex † inutili contractu transfertur possessio, ut est casus in terminis

nostris de viro & uxore *in l. prima*, *§. si vir. ff. de acquiren. possess. suprà allegata*,
quod sufficit proposito. Et posito, quòd
præmissa omnia cessarent prout non, &
quòd dictus Iohannes usque ad mortem
dictæ quondam domicellæ Gertrudis bona, de quibus est quæstio, detinuisset
jure quodam familiaritatis, tanquam socius familiaris ipsius: tamen clarum est,
quòd ipse non detinuit bona, de quibus
est quæstio, cum impetrantibus, tanquam
socius eorum vel jure familiaritatis cum
eis, sed ea possedit animo & corpore, cum
ipsis pro indiviso ipsis scientibus & permittentibus. Et sic constat manifestè dictos impetrantes non possedisse insolidum bona de quibus est quæstio. Ad hoc
autem quòd quis † obtineat in interdicto uti possidetis, ut actor, prout sunt impetrantes, requiritur quòd ipse possideat,
imò succumbit, quamvis alius vi ab eo
possideat, *ut est textus*, & *ibi hoc firmat apertissimè Iohannes Fab. in §. retinendę.*
42 *Instit. de interdic.* Hinc est, quòd si †
colonus intervertat domino possessionem
eum non admittendo, statim colonus incipit possidere, & potest dominus agere contra colonum interdicto undi vi,
sed non interdicto uti possidetis, ut est
casus in terminis *in d. le. tertia*, *§. si rem, in princip.* plus autem est in casu nostro,
quia dictus Iohannes habet titulum legitimum, ut ex suprà dictis patet. Et sic
non potest dici vi possidere. Concludendo ergo dico, quòd in casu præsenti ex
multiplici respectu dicto Iohanni van der
Heyden reo, cui in dubio magis favent
jura, sua conclusio debet adjudicari: vestro judicio, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM CXXXVII.

SUMMARIA.

1 *Sententia contra principalem lata, contra fidejubentem solvi judicatum, potest mandari executioni sine novo processu.* & *nu.* 6.

2 *Usufructuarij hæres vel fidejussor ab obligatione usufructuarij, per mortem ipsius non liberatur.* & *num.* 5.

3 *Ex separatis non fit bona illatio.*

4 *Fidejussor accipitur, ut per eum magis sit cautum creditori.*

MAgnifice ac præclarissime Domine
Cancellarie, licet meum non sit instruere Minervam, tamen pro declaratione boni & clari juris Egidij Musche,
quòd habet in causa quam instituit contra
Egidium Reviers reum, paucis illud corroborabo. Constat enim ex processu,
quòd dictus reus est fidejussor judicij, qui
pro Nicolao Reviers suo patre fidejussit
judicatum solvi. Constat etiam ex processu, præfatum Nicolaum condemnatum
ad reintegrandum domum mortuariam
quondam Siberti van Roode & domicellæ Catharinæ van den Driesche ad finem
faciendi novam divisionem, sed clarum
est de jure, quòd fidejussor † judicij qui
1 fidejussit judicatum solvi, potest conveniri & excuti, imò quod amplius est, sententia lata contra principalem, potest
contra eum mandari executioni sine novo processu seu libello, *ut est text. juncta gl. in l. fi.* & *ibi expreßè hoc vult Cyn.* & *DD. C. de usur. rei jud.* & *ita pulchrè determinat Bart. in l. 1. ff. jud. solvi*, & *post eum Bald. multum eleganter in §. fi. Inst. de satisda.* Restat ergo duntaxat respondere ad nonnulla pro parte dicti rei objecta. Et primò nō obstat inquantū dicit,
quòd dictus Nicolaus suus pater fuit dūtaxat usufructuarius, sed ususfructus finitur morte *§. finitur insti. de usufruct. cum vulg.* ergo extincta est obligatio,
qua

qua ipse Nicolaus tenebatur ex vi sententiæ reintegrare domum mortuariam dictorum quondam Siberti van Roode, & domicellæ Catharinæ van den Driesche. Et si sic, ergo ipse reus non potest conve-
2 niri. Quia non † valet consequentia, usufructus est finitus per mortem usufructuarij, ergo usufructuarius fuit liberatus ab obligatione, vel ergo hæres aut fidejussor ipsius, est liberatus ab obligatione, qua tenebatur usufructuarius: oppositum enim consequentis stat cum ve-
3 ritate antecedentis, nec † probat hoc esse quod ab hoc contingit abesse. *l. neque natales junctis notatis ibidem per Sal. C. de proba. cum sim.* ex separatis non fit illatio, *l. non hoc. Cod. unde cog. cum simil.* Et sic stat, quòd dictus reus fidejussor tenetur reintegrare dictã domum mortuarium, quemadmodum ejus pater obligabatur.
4 Ad hoc enim capitur † fidejussor, ut per eum sit magis cautum creditori, *Institut. de fidejuss. in principio, cum vulgar.* Non obstat etiam secundò, inquantum ipse reus dicit, quòd per dictam domicellam Catharinam fuerunt plura legata relicta ad pios usus, & quòd hæredes ejusdem domicellæ Catharinæ reliqua bona inter se diviserunt, quia per hoc non infertur per bonam consequentiam, quòd ipse reus non tenetur reintegrare domum mortuarium, de quo est quæstio, ad quod faciendum suus pater fuit sententialiter condemnatus, imò oppositum consequentis, ut dixi, stat cum veritate antecedentis, & sic committitur fallacia consequentis, dicunt philosophi naturales, & habet locum dicta regula, non probat hoc esse, &c. *præalleg. l. neque natales cum similibus.* Et eodem modo solvitur aliud, inquantum dictus reus dicit, quòd ipse non possidet aliqua bona relicta per dictam domicellam Catharinam, nec etiam suus pater unquam possedit, quia illo supposito
5 sine præjudicio, ex hoc non potest †argui, quòd ipse reus sit liberatus ab obligatione sua fidejussoria judicatum solvi, quia fidejussor qui nihil possidet de bonis debitoris, tenetur nihilominus satis facere creditori, nec potest ipse hoc prætextu excusare, *juribus vulgar.* Non obstat etiam aliud inquantum dicit, quod dictus Nicolaus suus pater semel fecit declarationem bonorum, quę habuit ex domo mortuaria, & obtulit præstare juramentum, quod non habuit alia bona ex domo mortuaria, & sibi fuit remissum juramentum, ergo reus impeti vel conveniri non potest. Quia respondetur, quod sola declaratio bonorum non sufficit, nisi fiat effectualis reintegratio domus mortuariæ, ut habet sententia condemnatoria, ad quod faciendum ipse reus nunc est in causam tractus: quia ergo ipse reus non docet, dictum Nicolaum Reviers, suum patrem paruisse dict. sententiæ cum effectu: sequitur, quòd ipse ut ejus fidejussor, judicatum solvi debeat ad hoc faciendum cõdemnari, per jura suprà in principio allegata. Non obstat etiam ultimũ, inquantum ipse dicit, quod dict. Nicolaus Riviers suus pater decessit Bruxellę & quòd reliquit relictam, quæ de consuetudine dicti oppidi tenetur solvere omnia debita, & quòd ipse non est hæres sui patris, &c. ergo ipse non potest conveniri. Quia breviter ad istud respondetur, quòd illud
6 † posset procedere, nisi dictus reus esset fidejussor judicij, qui fidejussit judicatum solvi. Nam talis potest constringi ad solvendum judicatum sine alio processu, ut suprà probavi, quare non obstat. Et quia materia ista meo exiguo judicio est clarissima, omnino disposita ad condemnationem dicti rei, decrevi amplius circa eam non instare, ne videar solem facibus adjuvare velle, contra *cap. si omnia. 6. quæstio. 1. & l. prima, in fin. ff. de dot. præleg.* Judicio vestro (cui Deus adsit) semper salvo.

Xxx 2 CON-

CONSILIUM CXXXVIII.

SUMMARIA.

1 *Argumentum à sufficienti partium enumeratione in jure validum est.*

2 *Non probat hoc esse quod ab hoc contingit abesse.*

3 *Diversitas factorum & actuum ex diversitate temporum arguitur.*

4 *Libellus, probatio & sententia debent esse conformia. & num.* 11.

5 *Sententia lata super eo, super quo lis nõ est contestata, nihil valet.*

6 *Testium numerus in testamento vel codicillis requisitus, &c. qui sit.*

7 *Præsentia presbyteri parochialis excludit præsumptionẽ fraudis.*

8 *Filius in testamento patris præteritus, rumpit illud.*

9 *Notorium non relevat ab onere proponendi, licet ab onere probandi.*

10 *Filios plus quam extraneum diligere quilibet sanæ mentis præsumitur.*

VEnerabilis domine Officialis, licet meum non sit instruere Minervam, tamen pro elucidatione clari juris Ioannis, Barbaræ, Margaretæ, & Katharinæ Elsevers prolium quondam Iohannis Elsevers in hac causa reorum, contra Petrum Vleminck maritũ Elizabetis van Vloersem impetrantem, placeat attendere, quòd toto intentio præfati Petri Vleminck impetrantis fundata est super quodam prætenso testamento per quondam Iohannem de Bijn, primum maritum dictæ Elizabetis van Vloersem condito anno nonagesimo tertio, 19. Octobris, ut ex tenore libelli pro parte dicti Petri Vleminck coram vobis exhibiti lucidè patet, sed de dicto testamento anno nonagesimo tertio, ut præmittitur condito non constat apud acta, sequitur ergo, quòd jurisdictio vestra non est fundata, & per consequens causa remitti debet ad legem loci de Putte. Quod autem de dicto prętenso testamento libellato non constat,
1 patet † per locum à sufficienti partium enumeratione, qui est validus in jure, *l. patre furioso. ff. de his qui sunt sui vel alie. juris, cum similibus*, quia si de eo constaret, hoc esset per confessionem reorum, vel per testes instrumentarios in hac causa productos & auditos, vel per instrumentum in hac causa per impetrantem exhitum & productum, sed neutro istorum modorum apud acta constat de prætenso testamento libellato, ergo, &c. De dict. enim prætenso testamento libellato non constat apud acta per confessionem reorum, ut patet inspicienti responsionem reorum ad dictum libellum, ex qua non plus habetur, quàm quòd rei credunt, quòd dictus quondam Iohannes de Bijn asseritur, fecisse quoddam prætensum & nullum testamentum tempore, libellato, ac voluisse & disposuisse ut libellatur, sed hæc consequentia non valet, credo quòd Titius asseritur id fecisse: ergo credo quod
2 Titius idfecit: oppositum † enim consequentis stat cum veritate antecedentis, & sic habet locum regula, non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse. *l. neque natales, & ibi Sal. C. de probat.* Unde patet, quòd ex confessione non constat de hujusmodi prætenso libellato testamento: de hoc etiã non constat per testes, qui notoriè deponunt de alio tempore, & interrogati de tenore testamenti, dicunt se nihil sci-

hil scire: de hoc etiam non constat per instrumentum apud acta exhibitum, quia illud est de alia longè anteriori data. Mo-
3 dò ita est, quòd ex † diversitate temporũ arguitur diversitas factorum & actuum *l.nunquam plura. ff. de priva. delic.* & *est bonus textus cum sua singulari gl. in c. nihilominus, 3. quæst. 9.* & *habetur per gl. ordinariam in c. cum igitur, in principio, 35. quæst. 1.* & *per Bart in l. denunciasse. §. quid tamen, quem legit sub l. qui uxori, ff. ad leg. Iul. de adulter.* & *per Bald. in l. prima, in 15. col. C. qui accu. non possunt,* & *per eundem Bal. in l. conventiculam, C. de Episco.* & *cler.* & *per Spec. in tit. de teste, in §. jam de interrogatorijs, in vers. quid si unus,* & *per Panor.* & *alios canonistas in c. cùm tu, de testib.* sequitur ergo, quòd non potest pronunciari super testamento libellato, quia illud non est proba-
4 tum: certum † autem est, quod hæc tria debent esse conformia, libellus, probatio, & sententia, ut dicit notabiliter *Bald. in l. fin. in 1. col. C. de fideicommiss. liber* & *idem Bal. in l. prima. C. si plures una sent. condem. fue.* & *Ias. in l vinum, in 14. col. ff. si certum. peta.* nec etiam pronunciari potest super testamento probato per instrumentum apud acta exhibitum, quia super illo non est lis contestata, sed duntaxat super testamento libellato, condito, ut prætenditur anno nonagesimo tertio, ut prædixi. Modò certum est, quòd sen-
5 tentia † lata super eo super quo non est lis contestata, nihil valet, *le. prolatam.* & *ibi Bart. C. de senten.* & *interlo. omnium jud.* & *c. unico, de litis contest. cum alijs vulg.* & istud funditus evertit intentionem impetrantis, ita quòd non est opus adducere alia. Tamen pro evidentiore intellectu & abundãti cautela deduco, quòd etiam si libellatum esset de tempore, de quo loquitur dictum instrumentum, tamen adhuc dictum instrumentum non probaret: quod deduco, quia principalis dispositio de qua contenditur, non est facta ad pias causas, sed est facta pet maritum & uxorem ad utilitatem superstitis, & in præjudicium prolis naturalis & legitimæ, & ex consequenti in prejudicium hæredum ejusdem, in hac casu reorum.
6 Certum autem est, quòd † jus civile requirens septem testes in testamento & in codicillis quinque, non est immutatum, secundum communem opinionem, à qua in judicando non ast recedendum, nisi in relictis ad pias causas, ut *in cap. relatum primo, de testa.* vel quando testamentum conditur per ecclesiasticos, vel laicos in terris ecclesiæ, servata forma *cap. cùm esses, eo. tit.* puta, quando fieret coram presbytero parochiali, & duobus vel tribus testibus fide dignis & idoneis: ita expressè volunt *Iohannes And. Card. Pet. de Anchor.* & *post eos latè dominus Ioan. de Imo. in d. c. cùm esses, in tertia, quarta, quinta* & *sexta colum.* ubi dicit, hanc esse communem opinionem, à qua in judicando non est recedendum, & se ita consuluisse, ut ibi habetur pulchrè & latissimè per eum: & idem sequitur ibi latissimè *Andreas Siculus,* & idem vult *Fred. de Senis, in consilio 217.* & *Spec. in tit. de instru. edit. in § compendiosè, in vers. item*
7 *per jus canonicum,* quia multum † præsumitur pro presbytero parochiali, quòd excludat fraudes: nec debet recedi à dispositione juris civilis, nisi quatenus reperitur immutatum, secũdum eum ibidem: & volunt *Doct. in passibus suprà proximè allegatis.* Cùm ergo in casu præsenti dictus Iohannes de Bijn testator fuerit laicus, in terris imperij moram trahens & finiens vitam, puta in parochia de Rymenam ducatus Brabantiæ, & cùm legatum per maritum uxori superstiti relictum, vel econtrà non posset dici ad pias causas, & cùm non adfuerit, presbyter parochialis, puta curatus de Rymenam, in cujus parochia dictus Iohannes de Bijn moram

 traxit,

traxit, ut patet ex verbis dicti prætensi instrumenti circa principium, certum est, quòd dictum instrumentum non probat tanquam confectum per eum, qui in casu præsenti non fuit qualificatus de jure.
8 Præterea dictus Iohannes de Bijn † prætérijt suum filium, quia eum non instituit, nec exhæredavit, *§. eadem hæc Instit. de her. quę ab intesta. defer. cum sim.* ergo etiam ex alio capite dictum prætensum instrumentum non potest suffragari dicto impetranti, quia testamentum est nullum, *per tex. expressum, juncta gl. & ibi Bart. in §. aliud quoque capitulum, in Auth. ut cùm de cap. col. 8. & est communis & vera opinio, ut vult pulchrè Io. de Imol. in c. Raynutius. de testam. & communiter omnes Doct. in Auth. novissima. C. de inoffi. testa.* Nec obstat si fortè dicatur, quòd de consuetudine, notarij possunt conficere & indies conficiunt testamenta & codicillos: quia fateor, quòd ipsi possunt hoc facere, quando adhibent solennitatem numeri testium requisitam de jure civili in testamentis vel legatis ad non pias causas, conditis vel relictis per laicos in terris imperij, cùm in hoc casu jus civile non reperiatur correctum, ut dixi, & si ampliorem potestatem dicantur habere ex consuetudine, hoc debuisset articulari & probari, quod hic factum non est, unde illud attendi non debet, quia dato
9 † quod illud esset notorium, tamen non relevaret ab onere proponendi, licet benè relevaret ab onere probandi, *ut est gl. ordinaria approba in Cle. appellanti, de appell. ut vult Panorm. & canonistæ in c. accedens, ut lite non contesta.* Præterea
10 † dictus Iohannes de Bijn non videtur fuisse compos mentis ordinando, quòd per decessum unius prolis quatuor libræ cuilibet prolium relictæ non accrescant superstiti, & sic dictum testamentum suum ex alio capite potest dici nullum, ut probat textus notabilis *in l. quidam in suo. ff. de condi. insti. juncta l. cum acutissimi, C. de fideicommiss.* præsumitur enim quilibet sanæ mentis plus diligere filios quàm extraneum, ut dicit textus *in d. le. cum acutissimi*, cujus contrarium facto ostendit dictus Iohannes de Bijn prætensus testator. Et quicquid sit,
11 aliud † est libellatum, & aliud probatum: unde constat, quòd non potest ferri sententia in favorem dicti impetrantis, quia hæc tria, libellus, probatio, & sententia debent esse conformia, ut suprà dixi, quod non est in casu præsenti, ut suprà declaravi: ergo & si omnia alia cessarent, debet dictus impetrans in hac instantia eo modo quo agit succumbere, per suprà dicta.

CONSILIUM CXXXIX.

Illud Consilium pertinet ad materiam Consilij 150. & post illud videtur ponendum.

SVMMARIA.

1 *Contractus ut rescindatur quodnam tempus inspici debeat, &c.*
2 *Obligatio extinguitur si in eum casum inciderit à quo incipere non potest, & num. 8.*
3 *Contractus in quo deceptio nulla à principio intervenit, servandus est.*
4 *Præscriptio semel ritè perfecta propter scientiam rei alienæ postea supervenientem, in foro etiam conscientiæ non retractatur.*
5 *Incerta non attendi solent.*
6 *Emptores communiter lucrum sperant.*
7 *Precium ut dicatur injustum, tempus contractus inspicitur.*

9 Com-

9 ***Communitas accedente consensu principis vendere & donare potest.***

VLtra suprà dicta per præfatos consultores adducta videtur nobis infrà scriptis idem dicendum in foro fori, de quo nullum videtur dubium per jura per
1 eos allegata: & etiam ex eo, quia † tempus contractus in hac materia attendi debet, ut est casus *in l. si voluntate, in fin. C. de rescin. vend.* contractus autem iste fuit perfectus sine aliqua circumventione, dolo vel fraude, de partium expresso consensu: ergo sine aliquo dubio licitus fuit & validus. Sed in foro poli & conscientiæ videtur majus dubium, tum propter speratum lucrum ex parte emptoris, tum etiam propter injustitiam precij, secundum communem loci æstimationem,
2 tum † etiam quia res nunc videtur venisse ad eum casum, à quo non potuit inchoari. *l. pluribus. §. & si placet. ff. de verborum obliga* & *l. si à me fuerit arrogatus,* & *l. Iulianus ait, ff. de judic. cum simil.* tum etiam, quia saltem videtur intervenisse deceptio re ipsa, quæ in foro poli non est admissa, ut dicunt domini præconsulentes: tum etiam, quia venditores non poterant donare, ex quo fuerunt nudi administratores Reipublicæ, ut dicunt præfati domini præconsulentes. Sed istis non obstantibus videtur nobis infrà scriptis idem dicendum in foro poli & conscien-
3 tiæ. Primò, quia non † intervenit deceptio aliqua in contractu perfectioneque ejusdem, & sic hujusmodi contractus est servandus, *l. 2. C. de pact. inter empt. & vendi. composs. cum sim.* neque etiam post contractum per ipsas partes, ut supponitur: nisi quis diceret, videri jam deceptionem re ipsa secundum æstimationem communem, quæ in casu isto ex post facto non videtur attendenda, *d. l. si voluntate, cum sim.* & *per ea quæ notat Ioan. And. in regula possessor, de reg. juris, lib. 6 in mercu. post Hostien. beatum Thomam,* & *alios ibidem relatos per eum,* & *Panor.* & *Io. de Imol. in c. vigilanti, de præscrip.* & *Ioan. de Imol. in c. primo, de concessione præben.* in quibus locis præfati Doctor. volunt, & est communis opinio,
4 quòd ille † qui præscripsit rem alienam bona fide & legitimo titulo, licet postea supervenit conscientia rei alienæ, nihilominus tutus est in foro conscientiæ, nec tenetur rem jam suam factam per præscriptionem restituere, & idem vult *Petrus de Anchor. in regula peccati venia, de reg. jur. lib. 6.* & *Panor. in c. quia plerique, de immu. ecc.* multò fortius ergo in casu isto, ubi emptor habuit causam à domino venditore, qui potest contractum pro similibus denarijs ad libitum redimere. Ex quibus patet, quòd nulla est deceptio reipsa, quæ sibi locum vendicat, quando ultra dimidiam justi precij tempore cõtractus venditor deceptus est, nec redimere potest, nisi ex legis subsidio, *l. 2 C. de rescinden. vend.* & *l. si quis cum aliter. ff. de verbor. oblig.* Nec obstant adducta in contrarium. Et primò non obstat primum de sperato lucro, quia illud
5 † fuit incertum, tam ex qualitate venditorum, qui notoriè effecti sunt malè solvendo, quàm etiam ex vi pacti redemptionis adjecti, & sic non attendendũ, *l. si ea pactione, C. de usur.* & *cap. in civitate, de usu.* Item illud de sperato lucro procedit in mutuo, non autem in contractu emptionis & venditionis, in quo em-
6 ptores communiter † & quotidie lucrum sperant, *prealleg. l. 2. C. de pact. inter empto.* & *vendit. compo*, nec hoc est reprobatum, quando est incertum, *d. c. in civitate Dei.* & *ibi. Doct. canonistæ, cum similibus,* quod sufficit proposito, imò etiam certum lucrum non est reprobatum in contractu emptionis & venditionis, nisi differatur solutio precii propter lucrum,

crum, quo casu est usura interpretativa, *d c.in civitate,* & *c.consuluit, eodem tit.*
7 Non obstat etiam † secundum de injustitia precij, quia tempus contractus debet inspici, ut dictũ est, *d.l.si voluntate.* Item licet etiam emptori injusto precio emere sciente venditore, nec tenetur talis emptor sibi facere scrupulum conscientię, *secundum Ioan. Calder. Panor.* & *Doct.in c.naviganti de usur.* Non obstat etiam
8 tertium, quia illud procedit, quando † actus non fuit ab initio perfectus, sed capit tractum successivum, *d.l.si à me fuerit arrogatus, cum sim.* Secus, quando actus ab initio fuit perfectus, ut in casu præsenti secundum *Dyn.in regula factum legitimè, de reg.jur.lib. 6.* & *probatur in §.econtrariò, Instit. de lega.* & *ibi habetur per Ioan. Fab.* Non obstat etiam quartum de deceptione re ipsa, quia ut dictum est suprà, illa hic non subest. Non obstat etiam quintum, quia † in casu præ-
9 senti administratores Reipublicæ non vẽdiderunt, sed communitas ipsa cum consensu principis. quæ sicuti potuit vendere, ita potuit etiam donare: & hinc est, quòd singuli insolidum obligantur, & excuti possunt, ui quotidie de facto videmus, secundum ea quæ habentur *in l.4. §.actor,* & *ibi Bar.* & *posteriores, ff.de re jud. cum sim.* Ex quibus omnibus videtur, emptorem tam in foro poli, quàm in foro fori secundum casus positionem esse tutum.

CONSILIUM CXL.

SUMMARIA.

1 *Nemo privatur jure suo sine culpa, nisi subsit causa. & num.5.*

2 *In omni dispositione principis vel pontificis subintelligitur claus. Salvo jure tertij. & nu.9.*

3 *Litis pendentia interrumpit præscriptionem.*

4 *Modicum in jure non curatur, & num.7.*

6 *Unus duorum vices sæpe repræsentat.*

9 *Non omne quod est infra districtum, est subjectum districtui.*

10 *Actor de suo jure certus esse debet, antequam ad agendum procedat.*

11 *In omni negocio tria sunt attendenda, utrum expediat, liceat, & deceat.*

Super themate subscripto, an scilicet nobiles domicellæ sanctæ Waldetrudis oppidi Montensis patriæ Hannoniæ sint juridicè fundatæ, eisque actio competat ad hoc, ut possint vicarium per capitulum sancti Germani novissimè deputatum facere constringi atque compelli ad dimittendum canonicatum vel vicariatum, nec ne: videtur prima facie, quòd sunt fundatæ, quia ecclesia sancti Germani est situata in patronatu ipsarũ, & canonici dicti capituli sancti Germani sunt vicarij dictarum nobilium domicellarum, adeo quòd certis diebus & festivitatibus anni tenentur cantare divinum officium in dicta ecclesiæ sanctæ Waldetrudis, & assistere præfatis nobilibus domicellabus, & ad idem faciendum obligatus fuit curatus dictæ ecclesiæ sancti Germani ante unionem vel incorporatio-
1 nem. Si † ergo unus & idem posset esse canonicus & curatus, fraudarentur dictæ nobiles domicellæ servitio unius personæ, quod esse non debet, *l.id quod nostrum est. ff.de reg.jur.* & *l.2. ff. de hiis qui sui vel alie.juris, cum sim.* Præterea dict. unio seu incorporatio, quæ posset allegari in contrarium, fieri non potuit sine cõsensu dicta-

dictarum nobilium domicellarum, in quarum patronatu sita est dicta ecclesia sancti Germani, *juxta nota. per Pan. & Card. in clem. ne in agro. § hæc, de sta. regul.* & *per eosdem in cle. 2. de reb. eccles. non alie.* & *per Panorm. & Doct. in cap. cùm accessissent, de constitu.* in quibus passibus præfati Doctor. volunt, quòd in unione requiritur consensus patroni, qui hic non
2 intervenit. Præterea † in omni dispositione quam facit summus pontifex vel princeps, subintelligitur clausula, salvo jure tertij, *l. 2. §. si quis à principe*, & *§. meritò, ff. ne quid in loco publi.* & *cap. quamvis, de rescrip. lib. 6. cum si.* Præterea mota est lis, cum similis casus evenit, ut patet per processum habitum coram Domino Officiali Tornacensi, quæ litispen-
3 dentia † interrupisset præscriptionem, si quæ fuisset inchoata, *c. illud, de præscrip. cum si.* Sed istis non obstantibus videtur mihi subscripto, non leviter consulendum præfatis nobilibus domicellabus, quòd ob hanc causam intentent processum, cùm non videantur fundatæ suprà firmam petram, ut ex infrà dicendis patebit, melius ergo & consultius facient, si à lite abstineant, ut in simili consuluit jurisconsultus *in l. prima. ff. de inoffic. test.* frustrari
4 † enim servitio seu interessentia unius personæ, dummodò aliud non subsit, est parvum interesse à jure non ponderatum. Idem enim eveniret, si aliqui canonici sancti Germani non residerent. Aliud autem fortè dici posset, si ferè omnes canonici se absentarent, ita quòd ecclesia fraudaretur ex toto ministris & obsequio divino, quo casu sibi prospicere possent dictæ nobiles domicellæ, secundum ea quæ habentur *in c. ex tuę, in c. pen. de cler. non resid.* & honestius est, quòd deserviatur curæ incorporatæ per canonicum, quàm per alium. Item reperio ex bulla incorporationis, quòd collatio & omnimoda dispositio dictæ curæ ante incorporationem semper pertinuit ad præfatum capitulum sancti Germani, & sic incorporatione hujusmodi non fuit necessarius consensus dictarum nobilium domicellarum, quæ non fuerunt patronæ dictæ curæ, licet in earum patronatu fundatum sit dictum capitulum sancti Germani. Restat nunc respondere ad ea quæ suprà adducta sunt in contrarium. Et primò non obstat primum, quia ut dixi, istud est parvum interesse non
5 ponderatum à jure, imò hoc regulare † est in unione, quòd quis privatur jure suo sine culpa, ex causa movente summum pontificem ad faciendum unionem, ut est *tex. in cap. unio. 10. q. 3.* & *nota. per gloss. in c. antiqua, de privileg.* & *in c. 2. de constitu.* Regulariter enim nemo privatur jure suo sine culpa, sed hoc fallit, ut dixi, quando subest causa, ut in *juribus suprà allegatis.* & *in regula sine culpa, de de regul. jur. lib. 6.* Papa autem in hujusmodi unione seu incorporatione ordinat, quòd dictum capitulum sancti Germani poterit deputari deservitorem curæ incorporatæ, unum ex Vicarijs vel Canonicis, & eundem ad nutum amovere, si ergo ipsi possunt deputare Canonicum ad deserviendum hujusmodi curæ incorporatæ, sequitur quòd ille repræsentabit vices duorum, sicut videmus sæpe in ecclesijs collegiatis, in quibus aliquando unus est Decanus non Canonicus, & interdum est Canonicus, Decanus & curatus, sicut visum est his proximis annis in Ecclesia collegiata sanctę Gudulę
6 Bruxellensis. Sæpe † enim hoc contingit, quòd quis repræsentat vices duorum, *l. si consul. ff. de adopt.* Et licet hoc casu ecclesia privetur uno ministro, illud tamen non reputatur inconveniens in
7 jure, *per suprà allega.* de † modico enim non curat prætor, *cap. & si quæstiones, de simo.* & *l. si oleum, in fin. ff. de dolo.* Non obstat etiam secundum, quia ut

dixi suprà, dictæ nobiles domicellæ ante incorporationem non fuerunt patronæ dictæ curæ, sed collatio & omnimoda dispositio pertinuit ad præfatum capitulum, quo stante, certum est quòd consensus earum non fuit necessarius. Nec absolutè valet hæc consequentia, ecclesia sancti Germani sita est intra patronatum seu districtum earum, ergo ipsæ sunt patronæ ipsius ecclesiæ, quia oppositum cõsequentis potest stare cum veritate antecedentis.
8 Nam † non omne quod est infrà districtum vel de districtu, est subjectum districtui, ut probatur *in cap. cùm episcopus, de offic. ordi. lib. 6.* Non obstat etiam tertium, quia † illud intelligitur, si
9 tertius ex hoc passurus esset magnum præjudicium, secus si leve, ut vult *gl. ordinaria notabilis, in d. §. si quis à principe,* & *probatur in juribus suprà allegatis,* & *in l. quotiens. C. de precib. impera. offeren.* ubi de hoc est casus expressus. Non obstat etiam quartum, quia dicta lis inconsultè mota videtur, & stante validitate incorporationis moveri non debuit. Et quicquid sit, nihil est in hac re judicatum in favorem dictarum nobilium domicellarum. Nec habent dicti capitulantes de sancto Germano necessario se juvare ex præscriptione, cùm usi sint jure suo, illudque continuaverint, unde cessat quod de interruptione suprà allegatum est. Cùm
10 ergo † actor debeat esse certus de jure suo, antequam procedat ad agendum, & debeat explorare, an expediat agere nec ne, ut bellissimè inquit Jurisconsultus *in leg. qui in alterius, in fine, ff. de regulis juris,* propter has difficultates non videtur mihi inconsultum, quòd intentetur istius occasione processus, cùm hoc
11 † neque expedire, neque licere, neque dicere videatur, quæ tria in omni negotio sunt attendenda, ut eleganter inquit *text. in cap. magnæ, de voto.*

CONSILIUM CXLI.

SUMMARIA.

1 *Dictio, Erben, quid importet.*

2 *Verba secundum communem intellectum accipienda sunt.*

3 *Dictio copulativa in oratione posita de sui natura conjungit diversa, ac extendit & ampliat.*

4 *Verba contrahentium non superflua esse, sed semper aliquid operari debent.*

5 *Geminatio verborum designat exuberantem mentem proferentis.*

6 *Extraneus dando dotem nec paciscendo sibi illam reddi censetur indistinctè mulieri donare, nec amplius illi pro recuperatione dotis competit actio.*

7 *Casus omissus relinquitur dispositioni juris communis.*

8 *Argumentum à contrario sensu non solum in legum, sed & contractuum verbis validum est.*

9 *Dubius ille non dicitur casus, de quo expressus juris textus habetur.*

10 *Hæredum appellatione in materia quæ sui natura est transitoria ad hæredes, veniunt hæredes in infinitum.*

11 *Stipulatio annua simpliciter facta, in dubio transit ad hæredes stipulatoris.*

12 *Mens promittentis ex præcedentibus & sequentibus facilè colligitur.*

13 *In-*

13 *Infinitas toleratur quando verba sunt apta ad infinitatem, etiam ubi de obligatione vel actione conservanda agitur.*
14 *Cõtractus quando censeantur perpetui vel temporales, &c.*
15 *Liberos habere non à voluntate hominis sed ex gratia Dei dependet.*
16 *Fructus quando in sortem absque vitio usuræ computentur, &c.*
17 *In certis non est locus conjecturis.*
18 *Hæredum appellatione in fideicommissis qui veniant, &c.*

QUidam A. in favorem & subsidium matrimonij inter B. & C. in facie sanctæ Matris Ecclesiæ contrahendi promisit, dedit & donavit centum nobilia aurea boni & justi ponderis annuè levanda & percipienda ex bonis seu redditibus bonorum dominij sui de Voorne, illo pro hujusmodi annuo redditu obligando & hypothecando ita & taliter, quòd dicti B. & C. eadẽ centum nobilia annuatim recipient, quamdiu ambo vivent, vel eorum alter vivet in humanis, cum pacto, quòd post mortem eorundem vel alterius eorum hujusmodi redditus centum nobilium ad proles eorundem B. & D. ex eorum corporibus suscitandas, in quantum aliquæ post mortem dictorum B. & C. vel alterius eorum supervixerint: Cùm adjectione tali, quòd si dictos B. & C. decedere contingat prole vel prolibus de & ex suis corporibus minimè suscitatis & superviventibus, in eum eventum hujusmodi redditus centum nobilium post mortem dicti C. devolvetur ad proles legitimas ejusdem C. inquantum eadem C. aliquas proles ex alio matrimonio per eam forsan contrahendo habere contingat, cum pacto tamen, quòd hujusmodi redditus centum nobilium redimi & dequitari possit per dictum A. vel suos successores, dum & quando voluerit vel voluerint, mediante mille similibus nobilibus aureis solvendis & deliberandis dicto B. aut dictæ C. vel hæredibus eorundem cum renunciationibus generalibus, ut hæc & alia in literis contractus dotalitij sive antenuptialis plenius continentur & habentur. Modò accidit, quòd dictus B, & C. matrimonio inter eos legitimè contracto & consummato, stante eorum conjugio procreârunt plures proles, & inter alios Adrianum van Asche & Mariam van Asche, tempore decessus dictorum B. & C. superstites, quæ siquidem proles Adrianus & Maria sic ut præmittitur post mortem dictorum B. & C. suorum parentum superstites contracto successivè matrimonio diversas proles adhuc in humanis viventes procreârunt.

Quæritur modò, an dictis prolibus contra possessorem dominij de Voorne, hujus causæ reum, actio vel jus petendi annuatim hujusmodi redditum centum nobilium competat, nec ne. Et præsupposita facultate & potestate dicti A. dotantis, de qua ut informor non dubitatur omissis superfluis, salvo judicio melius & rectius sentientis: Dico breviter, quòd dictis prolibus virtute dicti contractus antenuptialis competunt jus & actio efficaces, ad petendum hujusmodi redditus. Quod deduco ex verbis dicti contractus antenuptialis luce clarius multipliciter. Et primò sic, dicit enim textus dicti contractus antenuptialis, quòd dicti B. & C. hujusmodi cẽtum nobilia recipient quàm diu ambo vixerint vel eorum alter vixerit in humanis, & subjungit hæc verba teutonica seu vulgaria: **Ende voort te commen ende te erven op haer wettige geboerte ende kinderen die zy by malcanderen crijgen ende achterlaten**

laten sullen/ &c. Hoc est: Et deinceps
devolvi & hæreditario jure competere e-
jus legitimæ successioni ac liberis, quos
communiter generabunt & post se relin-
quent, &c. quo sic se habente, ponderãdas
dico has dictiones, **te commen ende te
erven**/ id est, devolvi & hæreditare, sive
hæreditario jure competere, quæ verba
clarè denotant & demonstrant dictum A.
dotantem, non solùm voluisse, quòd hu-
jusmodi redditus centum nobilium de-
volveretur temporaliter ad proles super-
1 stites dictorum B. & C. sed † quod pro-
libus in dicto reddítu jus & actio plenè,
perfectè, perpetuò & hæreditariè acqui-
retur, hoc enim importat hæc dictio, **te
erven**/id est, hæreditari, apud vulgares
linguam maternam, & vulgarem dicto-
rum contrahentium intelligentes, quorũ
intepretationi standum est, *l. prima, in
principio, in verbo, circumvol. ff. de flumin.*
2 Ad communem † enim intelligentiam
verborum recurrendum est, *cap. ex literis,
primo, cum ibi notatis, per Innoc. Panorm.
Præposit.* & *Doctores, de sponsalib.* & *est
bonus textus in l. Labeo, ff. de suppel legat.*
& *in, l. cum de Ianionis. §. asinam molen-
dinariam. ff. de fun. instruct.* & *optimè fa-
ciunt nota. per Bart.* & *Doctor. in l. non
dubium. C. de legib. cum similib.* quid e-
nim aliud significat hæc propositio, **te er-
ven**/hoc est, hæreditari, in vulgari, quàm
hæc propositio hęreditariè acquiri, vel te-
neri, sive possideri, in latino, certè non vi-
3 deo. Hoc † etiam probat hæc copulativa,
&, posita inter dictas rationes, **te com-
men ende te erven** / de cujus natura est
conjungere diversa, *ut est gl.* & *ibi Bart.
in rub. ff. de jur.* & *fact. ign.* & *gl. in cap.
querelam,* & *ibi Panorm. de simo.* & *vult
Bald. in l. 1. in 6. col. in vers. 6. quæst. re-
spondeo, C. quando non pet. par. pe. ac.* &
*Cyn. in Auth. iisdem pœnis. C. de secund.
nupt.* estque de natura ejusdem copulæ,
&, extendere, & ampliare, ut deducunt
Bald. & *Cyn. ubi suprà.* Cùm ergo hîc sit
copula, &, inter dicta verba, **te commen
ende te erven**/hoc est devolvi & hęredi-
tario jure succedere, patet clarè, quòd
mens dicti A. dotantis fuit, quòd dictus
redditus centum nobilium, nedum tem-
poraliter veniret ad proles dictorum B.
& C. quod satis explicatum est per verba
illa, **te commen**/hoc est, devolvi, sed et-
iam voluit, quòd perpetuò & hæredita-
riè redditus hujusmodi acquireretur &
affectarerur prolibus dictorum B. & C.
aliàs frustrà subjunxisset hæc verba, **ende
4 te erven**/ hoc est, & hæreditari, verba †
enim contrahentium debent aliquid ope-
rari, & ita intelligi, quod aliquid operen-
tur, non quòd sint superflua, ut *l. si stipula-
tus, post principium, ff. de usuris, cum infi-
nitis sim. lib.* & *vult notabiliter Bald. in
Rub. C. de contrahen. emp. & vend. in 9.
quæstio.* Et plurimùm ponderandum exi-
stimo, quòd hæc verba, **te commen ende
te erven**/ id est, devolvi & hæreditari,
sunt repetita & & geminata in dicto con-
5 tractu antenuptiali, quæ geminatio † de-
signat exuberantem mentem dicti A.
quod sic voluit, pro hoc *tex. singularis in
l. balista, cum ibi not. per Bart.* & *Doct. ff.
ad Trebell.* & *faciunt nota. pulchrè per Pa-
norm.* & *Felin. in c. si cautio, de fid. inst.* &
not. per Bart, in l. cum scimus, C. de agric.
& *cens. lib.* 11. Secundò etiam deduco
istud ex textu dicti cõtractus antenuptia-
lis, hoc modo, dicitur in dicto contractu,
quòd si, & inquantum dicti B. & C. dece-
derent sine prole, vel prolibus ex se pro-
creandis supervivẽtibus seu superstitibus,
tunc in eum eventum redditus dictorum
centum nobilium deberet redire ad dictũ
A. dotantem, vel suos successores. Modò
sic est, quod post decessum dictorum B. &
C. remanserunt ex corpore eorum proles
superstites, ut præmisi in casu, ergo defi-
cit conditio de qua ibi, & per consequens
hujusmodi redditus annuus 100. nobilium
manere

manere debet apud proles dictorum B. & C. superstites, & earundem prolium proles, cùm jam ut præmissum est, & latius patebit infrà, in persona eorundem prolium redditus hujusmodi sit efficaciter ratificatus, pro hoc *text. in l. ex facto. §. si quis autem susceperit, in versic. aut agitur filius, ff. ad Trebell.* Confirmo etiam hoc, quia ut præsupponitur in facto, & est notorium apud omnes, notitiam personarum habentes, dictus A. erat extraneus respectu dictorum B. & C. Modò sic
6 est, † quòd quando extraneus dat dotem & non paciscitur sibi illam reddi, censetur indistinctè mulieri donare, & illi soli competit actio per recuperationem dotis, & minimè dotanti, textus est expressus *in l. unica, in §. accedit, C. de rei uxor. act.* Extraneum autem intelligo illum, qui non habet dotatam in potestate, textus est *in dicta l. unica, in versic. extraneum.* Habeo etiam expressum, quòd si extraneus dans dotem, paciscitur in unum solùm casum dotem sibi reddi, in illo casu tantum agit, in alio autem agit mulier, sicut ageret, si nullo modo talis extraneus pactus fuisset dotem sibi reddi, *text. est de hoc expressus* & *familiaris in l. si cum dotem, in principio, ff. soluto matrimonio,* & *ibi inter alios hoc volunt Paulus de Castro,* & *Ioan. de Imola.* Cùm ergo in casu præsenti dictus A. solùm in uno casu pactus sit dotem sibi vel successoribus suis reddi, puta in casu quo dicti B. & C. decederent sine prolibus legitimis superviventibus: ergo cessante illo casu, prout cessat, non competit actio extra illum
7 casum. Casus enim † omissus relinquitur dispositioni juris communis, *dicta l. si cũ dotem,* & *cap. susceptum, de rescript. lib. 6. cum simil.* Ius autem commune disponit, ut dixi, quòd quando extraneus dotans non paciscitur dotem sibi reddi, actionem nullam habet, ergo, &c. Præterea demonstro illud ex eisdem verbis contractus
8 antenuptialis, arguendo à † contrario sensu verborum dictæ clausulæ, quod argumentum nedum est validum in verbis legis, *l. 1. §. hujus rei, ff. de offic. ejus, cui man. est jurisdict. cum similib.* sed etiam in verbis contractuum, text. est optimus, & ibi est casus ad literam, de hac quæstione *in l. inter socerum. §. cum inter, ff. de pact. do.* ubi text. formaliter inquit: cùm autem patrem puellæ & generum convenit, ut in matrimonio sine liberis defuncta filia, dos patri restituatur, id actum inter contrahentes intelligi debet, ut liberis superstitibus filia defuncta dos retineatut, &c. imo plus decidit ibi notabiliter tex. quod etiam augmentum vel additamentum dotis ex post interveniens retinebitur, si aliud non sit tempore facti augmenti conventum inter partes: si ergo hoc est in patre, ut ibi, fortius in extraneo, ut dicunt *Paul. de Cast. Ioan. de Imol.* & *Doct. in d. l. si cum dotem, in principio, ubi optimus*
9 *text.* cùm ergo † de isto habeamus casum legis expressum, casus iste non potest dici dubius, *l. ancillæ, cum gl. C. de furtis.* Præterea deduco conclusionem suprà captam ex eodem text. dicti contractus antenuptialis aliter, hoc modo, dicit enim textus dicti contractus in quadam clausula circa finem, quòd dictur A. dotans, vel sui successores poterunt hujusmodi redditum centum nobilium redimere seu dequitare solvendo semel dictis B. & C. vel suis hæredibus mille similia nobilia: & pondero dictionem ibi positam, **oft huer erfgenaemen**/hoc est, aut eorum successoribus, quæ etiam repetitur & geminatur, ita quòd ex hoc apertissimè & evidentissimè patet de voluntate dotantis, *per dict. l. balista, cum alijs suprà allegatis.* Præter-
10 ea † ubicunque fit mentio de hærede in materia quæ sui natura est transitoria ad hæredes, tunc appellatione hæredum veniunt hęredes in infinitum, juxta regulam hæres hæredis, testatoris est hæres, &c.

de qua *in l. fina. C. de hęred. Instit. cum vulg.* Clarum autem est, quòd stipulatio annua † simpliciter facta nulla habita
11 mentione hæredum, in dubio transit ad hæredes stipulatoris, per casum *l. si Stichum, §. 1. ff. de verbor. oblig.* & ita ibi determinant *Dyn. Pet. Bald. Raphael Cuman. Paul. de Cast. Ludo. Roma, Alexan. de Imo.* & *Doct.* & *Ioannes Fabric. in §. omnis. Institu. de verborum oblig.* ubi dicit, quòd hæc est omnium opinio: præsumitur enim paciscendo sibi & hæredibus voluisse prospicere, *l. si pactū, ff. de probatio. cum sim.* Si ergo hoc est in dubio, ergo multo fortius, ubi fit mentio de hæredibus ut in casu præsenti per dicta verba, **te commen ende te erven** / id est, devolvi & hæreditari, & per dicta verba, **oft huer erfgenamen**/ hoc est, aut ejus successores, repetita & geminata, ut præmittitur, quæ cum sint posteriora decla-
12 rant priora: ex præcedentibus enim & sequentibus colligitur mens promittentis, quòd scilicet voluit redditum hujusmodi in eventum, quo nascerentur & superessent proles in persona eorundem & successorum radicari, *l. si servus plurium. §. fi. ff. de lega. primo, cum vulgarib.* Concludo ergo ex præmissis, quòd dictis impetrantibus competit actio efficax ad dictum redditum centum nobilium pro annis cessis & cedendis, per casum *d. §. cum inter, cum alijs suprà allegatis.* Restat modò, ut paucis refutem aliqua, quæ objici possent in contrarium. Et primò
13 non obstat, si dicatur † infinitas est vitanda, *l. fina. C. de sacrosanct. ecclesia,* sed si admittantur filij filiorum in casu præsenti ad perceptionem dictorum centum nobilium, durabit obligatio in infinitum, ergo ut hoc inconveniens videtur, videtur dicti impetranti actionem non competere. Quia dico ad majorem, quòd quando verba sunt apta ad infinitatem, etiam ubi agitur de obligatione vel actione conservanda, toleranda infinitas, textus est bonus *in l. si ita stipulatus fuero à Sejo, ff. de fidejuss.* & *notat Bart. in l. qui bona. §. fina. ff. de damno infecto:* in casu autem præsenti verba apta sunt ad infinitatem, ut latius declaravi suprà, & sic non obstat. Non obstat etiam, si dicatur ex verbis dicti contractus, patet, quòd hujusmodi redditus potest dequitari, solvendo mille similia nobilia, & sic decem Denarios pro uno Denario, præsumitur ergo dicta
14 promissio temporalis, sicut dicimus † in contractibus qui judicantur perpetui vel vitales ex precio statuto seu convento in contractu, in dequitatione facienda, juxta ea quæ plenè notant *Innocent. Ioan. And. Panor.* & *Doct. in cap. in civitate Dei, de usur.* & *legistę in l. si ea pactione, C. eo. tit.* & *faciunt nota. per gl. ordinariam notabilem in l. 1. super verbo concedendo, ff. de superficiebus.* Nam dico, quòd dicti B. & C. potuissent mori sine liberis, cùm † ha-
15 bere liberos non pendeat à voluntate hominis, sed à natura & gratia Dei, *l. maximum vitium, C. de liber. præter.* & *§. fina. Institut. ad Orficia. cum similib.* accedat & illud generale Aristotelis, homo generat hominem ex materia, & sol. habito ergo ad hoc respectu, non mirum, si dictus A. reservaverit sibi facultatem redimendi dictum redditum, cum mille si-
16 milibus denarijs. Præterea † videmus, quotidiè hæc fieri per dominos in jurisdictionibus, quæ dantur in gageriam, quo casus fructus licitè non computantur in sortem absque vitio usuræ, *c. 1. de feud.* & idem videmus in fructibus pignoris dati genero favore dotis, *c. salubriter, de usur.* Unde cum clarè constet ex præmissis, redditum perpetuè & hæreditariè, ac efficaciter esse translatum in proles & prolium proles, quæ superfuerint tempore decessus A. & B. ponderandum non est, quod ex adverso tam debili fun-
17 damento objicitur, cum † in incertis

non in

non in certis locus sit conjecturis, *l. continuus. §. cum ita, ff. de verbor. oblig.* Non obstat etiam *dicta l. ex facto, in §. fina. ff.*
18 *ad Trebell.* ubi appellatione † hæredis duntaxat intelligitur de descendentibus, & minimè de hæredibus extraneis, ne fideicommissum reddatur inutile, quia respondeo, quòd in casu præsenti, postquam superfuerunt proles ex corporibus dictorum B. & C. procreatæ eisdem B. & C. defunctis superviventes, satisfactum fuit dicto contractui antenuptiali, ita quòd dos in perpetuum retineri potuit, per casum *d. §. cum inter:* & sic amplius quærere de hæredibus dictarum prolium, an sui sint vel extranei, supervacuum est: etiam impetrantes sunt de descendentibus in recta linea à dictis B. & C. & sic in nullo obstat.

CONSILIUM CXLII.

SUMMARIA.

1 *Prohibitio personalis non extenditur ad personam non prohibitam.*

2 *Limitata causa limitatum producit effectum.*

3 *Hæres defuncti personam repræsentat.*

4 *Præceptum de non alienando si non est nudum quid operetur, &c.*

5 *Dictiones* Ex *&* De, *designant causam proximam & immediatam.*

QUidam A. non habens proles legitimas condidit testamentum, & in eo reliquit B. suo nepoti ex filia bastarda seu naturali omnia bona sua, inter quæ inter alia erat dominium de Grobbendonck, prohibens expressè in eodem suo testamento, ne dictus B. nec hæres suus de suo ex corpore dicti B. descendens, hujusmodi bona alienet: Defunctus est præfatus A. & post eum dictus B. qui post se reliquit filium nomine C. & ille depost etiam decessit relicta quadam filia.

Quæritur nunc, an dicta D. filia dicti C proles non habens, posset hujusmodi dominium de Grobbendonck alienare, nec ne. Et breviter omissis superfluis videtur mihi infrà scripto dicendum, quod sic, medijs & rationibus infrà scriptis.
1 Primò, quia † hujusmodi prohibitio non est realis, sed personalis, ut patet ex verbis positis in themate: & per consequens non comprehenditur nisi persona prohibita, *l. pater filium. §. fundum. ff. de legat. 3.* & *habetur pulchrè per Pau. de Cast. in l. filiusfamiliàs. §. divi. ff. de legat. primo.* Et
2 est ratio, quia † limitata causa limitatum producit effectum, *l. in agris. ff. de acquirendo rerum domin.* & *§. quod autem. In-*
3 *stitu. de legit. agnatorum tute.* hæres† tamen prohibiti comprehenditur, ex quo est eadem persona cum defuncto, etiam si de eo non esset facta mentio, quando præceptum non est nudum *l. Lucius, in principio à contrario sensu*, & *ibi hoc notant Rayn.* & *Flor. de sancto Petro. ff. de legat. tertio* & *Pau. de Cast. in d. l. filius familiàs. §. divi.* In casu autem præsenti
4 facta est mentio hæredis, & præceptum † de non alienando non est nudum ex qualitate rei prohibitæ alienari, ut expressè in turri & castro decidit *glossa ordinaria*, & *post eam Cyn.* & *alij Doctores in l. quotiens ab omnibus, C. de fideicommiss.* & *Paulus de Castro,* & *Alexander de Imola, in d. l. filiusfamiliàs. §. divi,* & *Bald. in l. secunda, C. de usucapio. pro empt.* & *sentit idem Bald. in l. 2. C. de his qui ad lib. per non poss.* & sic certum & indubitatum est, quòd dictus B. alienare non potuit nec etiam dictus C. Sed dubitatur, an dictus D. posset

D.posset alienare: Et dico, quòd sic, quia ipse testator in casu præsenti duntaxat prohibuit dictum B. & hæredes ex suo corpore descendentes, alienare hujusmodi castrum seu dominium de Grobbendonck: Sequitur ergo, quòd dicta D. non est in hujusmodi prohibitione comprehensa, quia dicta D. non descendit ex corpore prefati B. sed ex corpore dicti C. & sic locū non habet hujusmodi ptohibitio in persona dictæ D. *preallegata l. pater filium. §. fundum.* & quia limitata causa limitatum producit effectum, juribus suprà allegatis.

Præterea hoc comprobo alia ratione
5 sic, quia dictio † Ex, designat causam proximam & immediatam, *l. eo tempore, in fine. ff. de peculio.* & *l. non dubium. C. de legibus*, & idem est de dictione De, secundum *Iac. de Butria.* & *Bald. in præallegata l. non dubium*: debet ergo dicta clausula, de corpore suo, intelligi propriè scilicet immediatè, non mediatè, sed certum & indubitatum est, quòd dicta D. non descendit immediatè à præfato C. prohibito alienare: Ergo sequitur, quòd ipsa non comprehenditur in hujusmodi prohibitione, quod erat probandum. Concludo ergo, quòd dicta D. validè potest hujusmodi Castrum de Grobbendonck alienare, dicta prohibitione testamentaria non obstante.

CONSILIUM CXLIII.

SVMMARIA.

1 *Feudum primus post mortem vasalli, ultimi possessoris agnoscens & investituram à domino accipiens, in possessione potior est. & num. 4.*

2 *Feudalis res a.: legari possit, &c.*

3 *Retentionis jus etiam in feudo locum habet.*

4 *Statuta & consuetudines sunt stricti juris & intelligenda in forma qua tacent & disponunt.*

5 *Fictio non cadit super impossibili à natura & de facto.*

6 *Fictio duo requirit extrema habilia, extremum à quo & extremum ad quod.*

7 *Actio personalis contra hæredem & non legatarium intentari debet.*

8 *Vsufructuarius de re serviente disponere non potest.*

9 *Verba, Dono ad usum, vel pro usu vel usufructu, transferunt proprietatem in donatarium.*

10 *Signans testamentum alterius, non visis vel cognitis ejus verbis, sibi non prajudicat.*

11 *Error ex enormi læsione præsumitur.*

12 *Conditio de damno vitando certantis potior est quàm lucri captantis.*

MAgnifice Domine Cancellarie, pro elucidatione clari juris Iohannis vā Ranst, placeat attendere ad infrà scripta. Primò, quòd nos sumus in materia & causa possessoria interdicti retinendæ, & in materia feudali, in qua dicta relicta est actrix, & præfatus Iohannes Reus: Unde pro dicto reo considerandum est in pri-
1 mis, quòd ipse † reus primò agnovit dominum feudi, investituramque & possessionem prior habuit post mortem quondam domini Iohannis van Ranst sui patrui ultimi possessoris, de quibus est quæstio:

stio: quare secundum statuta feudalia volentia, quòd primus feudum agnoscens à domino, & investituram capiens post mortem vasalli ultimi possessoris, sit in possessione potior & præferendus, ipse debet præferri. Secundò est considerandum, quòd dictus Iohannes reus, insequendo præmissa, legatum sibi à patruo suo relictum acceptavit, ac se pro possessore gessit & tenuit, jusque patronatus exercuit, ac capellaniam sitam in capella castri de Canticrode, infra limites parochiæ de Mortsele, ex causa permutationis, in manibus suis ut patroni, resignatam, tanquam possessor & patronus, alteri in cujus favorem designata fuerat, contulit. ac illam Archidiacono Antverpiensi, ut in facto præsupponitur, præsentaverit: quæ quidem præsentatio seu collatio sortita est, ut etiam præsupponitur, effectum, adeò quòd ille qui per eum præsentatus fuit, eandem adhuc obtinet sciente dicta relicta & alijs scire volentibus. Tertiò est consi-
2 derandum, quòd res † etiam aliena potest legari, & sic etiam feudalis cum consensu domini feudi potest legari cum maximè conjunctæ personæ, qualis est dictus dominus Iohannes van Ranst reus, etiam si legans ignorasset rem alienam esse, & fortius si scivisset, ut est casus in *l. cum alienam, C. de legatis*, & *Institut. de legatis*, §. *non solum*, & *ibi Iohannes Fabri, in fine*, expressè tenet, quòd si legetur res feudalis etiam sine consensu domini, quòd debetur æstimatio: & si sic,
3 ergo † datur retentio quousque æstimatio fuerit soluta, *per* §. *si vasallus*, hic finitur lex, deinde consuetudines regni incipiunt, in usibus feudorum, ubi textus expressè vult, quod etiam in feudis habet locum jus retentionis. Item considerandum est etiam in facto, quòd dictus dominus Iohannes van Ranst, tempore conditi testamenti seu ultimæ voluntatis fuit verus & actualis possessor bonorum feudalium de Canticrode de Mortsele, Egedem, & aliorum contentiosorum, & habuit consensum disponendi à domino feudi, tempore verò assertæ concordiæ & sententiæ subsecutæ, in quibus dicta actrix se fundare videtur, ipse non habuit licentiam disponendi vel testandi, aut similes actus faciendi: Quare si quid ab ipso domino Iohanne, vel ab ipso domino de Boxtel, de illis dispositum aut ordinatum sit, non interveniente consensu domini feudi, pro nullo est habendum, & in illius confortationem comperietur in actis, ut supponitur, quòd præfatus dominus Iohannes, hujusmodi concordia & sententia non obstantibus, tanquam nullis & inefficabilibus, semper in possessione prætactorum feudorum remansit, usque ad diem obitus sui.

Restat modò respondere ad ea quæ pro parte adversa objiciuntur. Et primò non obstat possessio ex adverso articulata & deducta: Quia respondetur, quòd illa etiam si de ea constaret, non debet attendi, propter statuta & consuetudines feudorum, quæ ut præmittitur, disponunt specificè de investitura & possessione post mortem vasalli ultimi possessoris habita, illam esse attendendam, non aliam priorem habitam in vita vasalli, ex quo illa propter repugnantiam naturalem effectus possessoris, neque de jure, neque de facto operari potest, *l. tertia*, §. *econtrario. ff. de acquirenda possessione*, & *l. si ut certo*, §. *si duobus vehiculum, ff. commoda*, cùm nec obstaret, si ex adverso fortè allegaretur, investituram per Dominum Carolum nomine suæ uxoris captam, operari potuisse, ut saltem post mortem dicti domini Iohannis illa retrotraheretur juris fictione. Quia posset responderi primò, quòd statuta † & cõsuetudines sunt stricti juris, &

sic intelligenda in forma qua jacent &
disponunt, *l. tertia*, *§. hæc verba. ff. de*
negotijs gestis, & *cap. in nostra, de injurijs,*
juncta l. quicquid astringendę. ff. de ver-
borum obligationibus, sed illa duntaxat,
disponunt post mortem vasalli ultimi
possessoris capiendam esse investituram,
ut dictum est, ergo & cætera. Secundò
5 potest dici, quod fictio † in casu præsenti
non potest habere locum propter impos-
sibilitatem naturalem & facti, ex quo a-
lius, puta dictus dominus Iohannes, tunc
erat in possessione reali & actuali, ut di-
ctum est: fictio autem non cadit super
impossibili à natura & de facto secundum
Bartolum, & *omnes in l. si is qui pro em-*
ptore. ff. de usucapionibus. & *Cardinalis*
in Clementi, quod circa, de electio. Tertiò,
6 potest dici, quòd ad † fictionem requi-
runtur duo extrema habilia, scilicet ex-
tremum à quo, & extremum ad quod, hìc
autem non concurrit extremum à quo ha-
bile, per suprà dicta, maximè, quia dictus
Iohannes reus titulo legati, post mortem
præfati domini Iohannis, in sequendo di-
cta statuta & consuetudines feudales, in-
vestituram à Domino cœpit & possessio-
nem prior nactus est, ut suprà dictum est.
Nec etiam obstat, si fortè dicatur, quòd
dictus dominus Iohannes, prætextu con-
cordiæ per eum factæ, & sententiæ sub-
secutæ, obligatus fuit ad intertentionem
earundem, quia cùm illa facta sint sine
consensu domini aut parium, non potue-
runt afficere hujusmodi bona feudalia,
quod etiam magis petitorium, quàm pos-
sessorium concernere videtur, & si † cō-
7 petat actio personalis, illa intentanda es-
set contra hæredem præfati domini Io-
hannis, qua nunc non agitur, & non contra
dictum Iohannem, qui non est hæres di-
cti domini Iohannis, nec gessit se pro hæ-
rede, sed est nudus legatarius, ut suprà di-
ctum est. Nec etiam obstat, si fortè dica-
tur, quòd dictus dominus Iohannes fuit
8 duntaxat nudus † usufructuarius, & sic
non potuit disponere, *l. uxor patrui, C. de*
legatis, & *l. quod in rerum. §. primo. ff. de*
legatis, primo. Quia respondetur negando
assumptum, imo ipse dominus Iohannes
mansit proprietarius, quia in dicta præ-
tensa concordia non habetur aliquod ver-
bum, per quod posset dici, quòd ipse do-
minus Iohannes abdicasset à se proprie-
tatem, ut patet eam intuenti, imò dicitur
in eadem, quòd post mortem ejusdem,
illa bona debebunt devenire ad Domi-
num Henricum de Boxtel & suos hære-
des titulo successionis, quæ verba deno-
tant eum mansisse proprietarium, & sic
potuit de eis validè disponere in præjudi-
cium suorum hæredum: imò quod plus
9 est, hæc † verba, dona ad usum vel pro u-
su, vel pro usufructu, non denotant, eum
cui fit donatio vel legatum essu nudum
usufructuarium, vel nudum usurarium,
imò talis consequitur proprietatem, ut est
textus cum glossa in l. Titia cum testamen-
to. §. fina. ff. de legatis, secundo, & *bonus*
textus in l. donationes, in concubinam. §.
species, ff. de donationib. & *vult Salicetus*
in l. si mulier, in fine, C. de jure dotium.
Nec obstat signatura quæ prætenditur,
dictum Iohannem consensisse prætensæ
concordiæ de qua suprà: quia de illa si-
gnatura plenè tactū est in processu rele-
vamenti, in quo dictus Iohannes reus pe-
tit se ab illa relevari ex causis illic per
10 eum allegatis. Primò, quia illa † facta est
per errorem non visis neque cognitis ver-
bis testamenti, neque cognita natura bo-
norum: unde & ex quo latere provene-
runt, quare præjudicare non potest, quin
saltem sit restituendus, *l. de his, ff. de trās-*
actionib. & *l. si per errorem. ff. de juris-*
dictione omn. judicum. & *vult apertissimè*
Bart. in l. filius. §. in hac. ff. de verborum
11 *obligatio.* Tum secundò † per enormem
læsionem, ob quam error præfatus præ-
sumitur, *juxta notata per Cynum* &
Docto-

Doctores, in *l. quisquis*, *C. de rescindenda venditione*, & alias causas in dicto processu latius allegatas Tum tertiò, quia † 12
dictus Iohannes certat de magno damno vitando, & præfata relicta de lucro captando, quare potior debet censeri conditio dicti rei, etiam si in jure errasset, *l. juris ignorantia*, *ff. de jur.* & *fac. igno. cum simil.*

Ex quibus sequitur, quòd relicta domina Caroli non est fundata contra dictum Iohannem reum, maximè in hac causa possessoria, sed posset forsan esse fundata actione personali ex promissione contra hæredem dicti quondam domini Iohannis van Ranst ad æstimationem vel interesse.

CONSILIUM CXLIV.

SVMMARIA.

1 *Mulieres facilè minis, blanditijs & pollicitationibus seducuntur.*

2 *Consuetudini rationabili non potest etiam cum juramento renunciari.*

3 *Mariti appellatione in favorabilibus venit etiam sponsus, & appellatione uxoris sponsa.*

4 *Fraudulenter facta revocari debent.*

5 *Recognitio sine causa expressione facta præsumitur simulata, nec valet.*

6 *Actio ut ex contractu simulato detur, nulla consuettudine introduci potest.*

7 *Sponsalia clandestina licet sint punibilia, tamen operantur omnẽ effectum, quem habent sponsalia in facie ecclesiæ contracta.*

8 *Contra literas scabinales utrum admittatur probatio, &c.*

9 *Contra præsumptionem juris & de jure non admittitur probatio directè contraria: indirectè verò admittitur.*

10 *Contractus ab eo qui contrahendi potestatem non habuit, celebratus, nullum sortitur effectum.*

11 *Solutionem probare potest etiam, qui antea coram scabinis debitum confessus est.*

VEnerandi ac præclari domini judices, vidi & visitavi literas scabinales de 100, libris mentionem facientes, per Mariam relictam Rogeri, & sponsam Cornelij Andreæ, 28. Iunij anno 53. in favorem prolium suarum primi matrimonij recognitas: vidi etiam literas scabinales conventionum anrenuptialium inter dictos Cornelium Andreæ & Mariam, de posteriori data expeditas: nec non scripturas hinc inde exhibitas, ac depositiones testium hinc inde productorum, cum omnibus alijs papyris, certificatione, & schedulis ad hanc causam facientibus, mihi per magistrum Ioannem Olardi Scepensem vestrum confratrem ad manus traditis, & omnibus visis videtur mihi, quòd dictæ literæ scabinales de data 28. diei mensis Iunij anno 53. cessari debent, & nõ sortiri aliquem effectum, rationibus infrà scriptis. Primò, quia ex depositionibus testium clarè constat, quòd diu ante datam dictarum literarum scabinalium, contracta fuerunt sponsalia inter dictos Cornelium Andreæ & Mariam. Consuetudo autem notoria patriæ Zeelandiæ habet, quòd mulier maritata non potest bona sua alienare sine consensu mariti, quę quidem consuetudo est laudabilis,

1 bilis, honesta & æquissima, quia † mulieres facilè seducuntur, quandoque minis, quandoque blanditijs, & quandoque pollicitationibus, *ut dicit Bald. in l. 2. in nova quæstione, C. de rescinden. vendi.* unde
2 talibus † consuetudinibus, vel statutis etiam cum juramento renunciari non potest, *secundum Bald. ubi suprà*: & est talis consuetudo favorabilis mulieribus, juxta ea quæ habentur & notantur *in l. 1. ff. soluto matrimonio, & in Authen. sive à me, C. ad Velleja.* Modò ita est, quòd in
3 statutis † favorabilibus appellatione mariti venit sponsus, & appellatione uxoris venit sponsa, licet aliud sit in odiosis, ut pulchrè determinant *Cynus, Petrus Bald. Paulus de Cast. Salicet. & Doctores, in l. non sine, per illum textum, C. de bon. quę liber. & Panormit. Pręposit. & Doctores, in Rubrica, de sponsalib.* Sequitur ergo, quod dicta consuetudo loquens in maritata, debet etiam locum habere in sponsa, per suprà dicta: & hoc habeo pro indubitato, & per consequens ex defectu potestatis non valet hujusmodi alienatio. Secundò reperio ex actis, quòd dicta re-
4 cognitio † est facta in fraudem & præjudicium dicti Cornelij sponsi & suæ prolis, ad blandam sollicitationem matris dictæ Mariæ & aliorum: quare etiam si dicta recognitio valeret, deberet revocari per actionem Paulianam, juxta ea quæ habentur & notantur *in §. item si quis in fraudem, Institut. de act. & per gl. Cyn. & Doctores in l. 1. & 2. C. si quid in fraudem pa. & in l. penultima. C. de revocandis his quæ in fraudem credi. & in l. nam postea. §. sed & si quid in fraudem, & ibi præcipuè per Iasonem & novissimos. ff. de jurejurando.* Tertiò, dicta recognitio re-
5 peritur † facta sine causa expressa, quare præsumitur simulata, & non valet, *l. per diversas, & l. ab Anastasio. & ibi Paulus de Castro, & Doctores, C. mand. & l. cum de indebito, C. de probatio.* & tantò magis, quia est facta à matre in filios. *l. qui testamentum. ff. de probatio.* & sic à conjuncta persona in conjunctam personam, ex quo præsumitur simulatio. fraus, & dolus juxta notata *per Bart. in l. post contractum. ff. de donatio.* Nec
6 juvat consuetudo contraria, quia † nulla consuetudo potest introducere, quòd ex contractu simulato detur actio, ut volunt Doctores in dictis juribus. Nec obstat si dicatur, quòd imò per literas scabinales continentes conventiones antenuptiales, quæ sunt posterioris datæ, constat, quòd tempore factæ recognitionis de centum libris, ipsa Maria non fuit maritata. Quia certè hoc negatur, imò si benè inspiciantur hujusmodi literæ nihil probant, imò referunt se ad tempus præteritum: & solum ex illis habetur, quòd antequam simul de matrimonio tractarunt, fecerunt illas conventiones, quæ sunt verba dubia, ex quibus non potest inferri, quod tunc temporis nullæ præcesserunt inter eos conventiones, & sic nihil faciunt illæ literæ: & tantò minus habendus est respectus ad dictas literas, cùm constat apertè ex dictis & depositionibus testium, quòd diu ante, simul contraxerunt sponsalia. Nec obstat, si dicatur, quòd hujusmodi sponsalia, si quæ intervenerunt, fuerunt clandestina, quæ non sunt attendenda, imò
7 punibilia. Quia licet † sponsalia clandestina sint punibilia, tamen operantur omnem effectum, quem operantur sponsalia in facie ecclesiæ contracta, ut patet *in toto titu. de clandestinis sponsalibus.* Non obstat etiam si dicatur, quòd contra literas scabinales non admittitur probatio, nisi per alias literas scabinales, quod videtur probari *in leg. generaliter. C. de non numerata pecunia.* Quia respondeo per interemptionem, negando
8 quòd † contra literas scabinales non admittitur probatio, nisi per literas scabinales:

binales: quia eſt caſus expreſſus in contrarium, *in l.optimam. C. de contra.* & *commit. ſtipul.* & *in §.item verborum, Inſtitut. de inutil.ſtipula.* ut quando quis manifeſtiſſimè probat per teſtes, ſe tempore datæ inſtrumenti, vel literarum ſcabinalium fuiſſe alibi in tam remoto loco, adeo quod non fuit poſſibile eundem fuiſſe illo die in loco ubi confectæ dicuntur literæ ſcabinales, tunc enim ſtatur dictæ probationi. Et *ad l. generaliter,* patet reſponſio ex his, quæ dicit Baldus ibidem in tertia oppoſitione: Vel poſſum dicere aliter, quod licet contra inſtrumentum, vel literas ſcabinales non admittatur probatio directè contraria, tamen benè admittitur probatio talis, per quam ſtante veritate contentorum in literis ſcabinalibus, effectus ejus impeditur & redditur nullus. Sicut dicitur in ſi-
9 mili, quòd licet contra præſumptionem juris & de jure, non admittatur probatio in contrarium, tamen hoc eſt verum de probatione directè contraria, ſed benè admittitur probatio indirectè contraria, ut eſt *gl.ordinaria in Clem. unica, de probatio.* & *vult Panorm.* & *Doct. in c. is qui fidem, de ſponſalibus,* in caſu autem præſenti teſtes deponentes de ſponſalibus præcedentibus non deponunt directè contra tenorem dictarum literarum ſcabinalium, ſed ex eorum depoſitionibus hoc duntaxat habetur, quòd tempore datæ dictarum literarum præfata Maria fuit
10 ſponſa dicti Cornelij, & ſic † non qualificata ad contrahendum ſine conſenſu ſui ſponſi, vel mamburni, quo ſtante ſequitur, quòd dictæ literæ ſcabinales, non debent ſortiri ſuum effectum tanquam paſſatæ per talem perſonam, quæ contrahere non potuit, ſicut in ſimili dicitur de contractu pupilli non interveniente conſenſu tutoris, & de contractu adulti habentis curatorem, *Inſtitut.de aut.tut.in princ.* & *l. ſi curatorem habens. C. de in integ. reſtitut.milit.* Et poteſt dari aliud ſimile in contractu prodigi, cui bonis interdictum eſt ſine authoritate judicis contrahentis, *l. is cui bonis, cum ibi nota.ff. de verbor. oblig.* Hinc etiam videmus,
11 quòd debitor † qui ſe coram ſcabinis recognovit debere certam ſummam, poteſt ad finem tollendi effectum dictarum literarum ſcabinalium probare ſolutionem per teſtes, vel per quitantias creditoris, *l. 1. C. de proba. juncta d. l. optimam, cum alijs vulgaribus.*

CONSILIUM CXLV.

SUMMARIA.

1 *Bona conſtante matrimonio quæſita qualiter dividi debeant.*
2 *Conſuetudo loci attendenda eſt.*
3 *Plus valet quod agitur, quàm quod ſimulate concipitur.*
4 *Argumentum à communiter accidentibus in materia probationum eſt utiliſſimum.*
5 *Simulatio qualiter deprehendatur, &c.*
6 *In acquiſitionibus qualitas perſonæ eſt attendenda.*
7 *Evidenter conſtare dicitur, de quo ſunt conjecturæ probabiles, vel pro quo eſt præſumptio juris.*
8 *Sententia ferri poteſt ex ſola etiam præſumptione violenta.*

CAſus ſuper quo conſilium petitur talis eſt: Marten van Parijs/ende Johanne de Hamau zijn wijf/hebben tſamen binnen hueren huwelijcke ghehadt zeſſe kinderen/daeraf

de twe waeren gheordent & geprofeſſijt / ende daeraf d'een binnen des vaders levene aflivich werdt ſonder oer. Item de voirſz Johanne is aflivich ghewozden tot Atrecht / daer zy woenden / achterlatende die voirſz kinderen / ende de voirſz Marten achtervolgende der ſtadt recht van Atrecht / is bliven ſittende in alle de goeden : Item die ſelve Marten heeft naderhant getrout een ander wijf geheeten Anne Neerincx / by de welcke hy gheen kinderen en hadde / oft emmers achter en liet / ende alle goet dat zy t'ſamen brochten te huwelijcke was gereet oft mobel goet / ghedragende wel 800. *lib.* groote vlaems. Item de voirſz Marten heeft binnen deſe leſten huwelijcke gecocht een huys metten hove ende zijnen toebehoorten geſtaen alhier Tantwerpen / ende den ſcepenen brief van der goedingen des voirſz huys heeft hy doen maken op twe van zijnen voirkinderen / ludende denſelven ſcepenen brief als oft die twee kinderen die maer 17. oft 18. jaeren out en waerē t'voirſz huys / d'welck coſte omtrent 1600. Andries gulden / ſelver ghecocht hadden. Item die voirſz kinderen en behielden naer de doot van haerder moedere / gheen goet / want hy int ghehel goet bleef zitten als voere. Item inden voirſz ſcepenen brief is gecondicioneert oft onderſproken / dat die voirſz Marten ende zijn tweeſte wijf beyde / ende die lancxſt levende van hen beyden / dat huys ſouden blijven beſittende / d'welck zy beſetten hebben omtrent 33. jaer / nadem coop des ſelfs huys. Item der ſtadt recht van Antwerpen is daer dit huys ſtaet / dat alle vercregenen goeden ten ſcheydene vanden bedde gaen ende keeren tot twee zyden / Item die voirſz voerkinderen hebben onderliuge huers vaders ende moeders goedē gedeylt / wtghenomen alleene 't voirſz huys / 't welcke huere ſtiefmoedere thueren overlidene noch beſittende was. Itē nu is de vrage / oft die erfghenaemen van den tweeſten wijve gerecht zelen / zijn paert ende deel te hebben int voirſz huys / oft niet. Item oft die andere voerkinderen niet ghenaempt inden voirſz ſcepenen brief wtgheſloten zelen zijn / ende mitten twee kinderen ghenaempt inden ſcepenen brief gheen paert oft deel hebben zelen / oft dat zy paerten ende deelen ſullen met hem hebbende virilem ſeu æqualem portionem. Id eſt, Martinus à Pariſiis & Iohanna de Hamau uxor ejus, conſtante matrimonio, ſex procrearunt liberos, quorum duo Religionem profeſſi, poſtea vivente patre ſine liberis obierunt. Item prædicta Iohanna mortua eſt Atrebati, ubi habitabant ipſi conjuges, relictis poſt ſe ſuprà nominatis liberis, & Martino marito ſuo, qui juxta ſtatuta prædictæ civitatis Atrebatenſis in omnibus bonis remanſit uſufructuarius. Idem Martinus poſtea duxit ſecundam uxorem, nomine Anna Neerincx, ex qua nullos ſuſcepit liberos, & ea bona quæ ſimul in ſecundum matrimonium apportabant, erant mobilia, valoris circiter octingentarum librarum magnarum Flandrēſium. Item prædictus Martinus in hoc ſecundo matrimonio, emit domum quandam cum curia & pertinentijs in urbe Antverpia, & procurabat, ut literæ ſcabinorum ſuper emptione illius domus conficerentur nomine duorum tantùm ex quatuor ipſius liberis: in eum tenorem, quaſi duo illi liberi (qui tamen tantummodo 17. aut 18. erant annorum) ipſi domum eam (quæ conſtabat aureis S. Andreæ, mille ſexcentis) ſua pecunia emiſſent.

missent. Item prædicti quatuor liberi à morte matris ipsorum, nihil bonorum tenebant, sed prædicti conjuges in communi ea possidebant, ita ut antea. Item in prædictis literis scabinorum continebatur expressum pactum, quòd ipse Martinus & secunda ejus uxor simul, atque etiam ultimus eorum superstes solus, dictam domum debebant possidere : id quod etiam circiter 33. annos post emptionem illius domus, factum est. Item statutum est Antverpiæ, ubi domus illa sita est, quòd omnia bona constante matrimonio acquisita, eo soluto, deferuntur æqualiter hæredibus utriusque conjugis. Item quatuor illi liberi omnia paterna & materna sua bona inter sese diviserunt, sola sæpè dicta domo excepta, quando quidem eam noverca ipsorum, utpotè ultimò superstes, adhuc possidebat. Iam oritur & movetur quæstio, utrum hæredes secundæ illius uxoris, de jure possint partem istius domus sibi vendicare, nec ne? Item, utrum cæteri liberi (ex quatuor illis) qui non sunt nominati in literis scabinorum, debeant esse exclusi, nec admitti cum alijs duobus nominatis, in divisione illius domus? vel an debeant cum illis admitti in partem virilem seu æqualem portionem? Super quibus dubijs, omissis argumentis quæ fieri possent, præsuppositis his quæ præmittuntur in themate pro veris, videtur mihi subscripto sine aliqua hæsitatio-
1 ne dicendum, quòd † dicta domus dividi debet in duas partes, quarum unam habebunt hæredes dictæ Annæ, & aliam medietatem habebunt & divident proles dicti Martini inter se pro virili portione : quia ex quo constat, dictam domum esse acquisitam, constante matrimonio inter dictos Martinum & Annam, & eam per eos tanquã propriam, 30. annis & amplius continuè fuisse pacificè possessam, ut ponunt in themate. Sequitur, quòd, debet di-
2 vidi modo præmisso juxta † consuetudinẽ prætacti oppidi Antverpiensis, quæ in hoc est observanda, *l. minimè.* & *l. de quibus. ff. de legib. cum similib.* Nec obstat, quod in literis scabinalibus continetur, quod dicta domus fuit empta per Iohannem & Robertum filios dicti Martini, quia plus
3 † valet quod agitur, quàm quod simulatè concipitur, *toto titu. C. plus valere quod agitur* : non enim est verisimile, quod dicti Iohannes & Robertus qui tempore acquisitionis dictæ domus fuerunt juvenes 17. vel 18. annorum, emerunt domum tanti pretij, hoc enim communiter non
4 accidit, & bonum † est argumentum à communiter accidentibus & utilissimum in materia probationum, *ut est glos. ordinaria notab. in l. neque natales,* & *ibi Bal.* & *Salic. C. de prob.* & *vult idem Bald. in l. cùm oportet, post princ. C. de bon. quæ. lib.* & *idem Bald. in l. conventiculam, C. de episc.* & *cler.* & *Sal. in l. non hoc, C. unde cog.* & multo minus hoc est verisimile, ex quo dictus Martinus, ut in facto præsupponitur tempore acquisitionis dictæ domus nondum fecerit divisionem cum suis prolibus, & sic dicti Iohannes & Robertus non habuerunt bona, sunt ergo di-
5 ctæ literæ scabinales simulatæ : quæ † simulatio ultra præmissa clarè colligitur ex dictis literis scabinalibus, in quibus reservatur dicto Martino & Annæ jus habitandi in ea, quamdiu ambo, vel alter eorum vixerit, quod factum non fuisset verisimiliter, si realiter dicta domus empta fuisset per dictos Iohannem & Robertum & de pecunia eorum, *arg. l. sicut. §. supervacuum, ff. quib. modis pig. vel hypo solvi.* & *l. qui sub imagine. C. de distra.*
6 *pig.* Cùm ergo † hujusmodi literæ sint simulatè confectæ, sub nomine dictorum Iohannis & Roberti in fraudem hæredum dictæ Annæ, ut lucidè ex præmissis conjecturis colligitur : & etiam ex eo, quod dicti Iohannes & Robertus nominati in dictis literis sunt conjunctæ personæ præ-

næ præfati Martini: certum est de jure, quod ad illas non est respectus habendus, *juxta not. eleganter per Bart.* & *Doct. in l. post contractum, ff. de donationi.* in acquisitionibus enim qualitas personæ est attendenda, secundum *Bald.* & *Doct. in d. l. cum oportet.* Ex quibus omnibus concludo & dico, quòd domus antetacta dividi debet modo præmisso, dictis literis scabinalibus non obstantibus, quarum fidei derogatur per conjecturas præmissas simul concurrentes, quæ sunt multum vehementes, adeo quòd ex eis lucidè & evidenter colligitur simulatio, ut prędixi.
7 Id enim † dicitur evidenter constare, de quo sunt conjecturæ probabiles, *l. licet Imperator. ff. de legat.* 1. & *c. super quæstionum de offic. deleg.* vel pro quo est præsumptio juris. *l. si tutor petitus, cum sua singulari gl. C. de peri. tut.* maximè
8 quando † talis præsumptio est violenta, quia tunc ex illa sola potest ferri sententia diffinitiva, ut est *text. nota. in c. afferte mihi gladium, de præsumpt. cum similibus.*

CONSILIUM CXLVI.

SVMMARIA.

1 *Feudum ad aliquam lineam devolutam gradatim transit ad omnes posteros ejusdem & alterius lineæ, quamdiu in prima linea aliquis superfuerit.*

2 *In generali renunciatione de successione parentum facta non comprehendũtur bona feudalia.*

3 *Feuda quo gradu & ordine ad successores transeant, &c.*

4 *Bona non agnita non transmittuntur.*

5 *Consentiens tacitè vel expreßè, alium de feudo ad se spectante investiri, perdit jus in illo feudo sibi competens.*

6 *Silentium annale præjudicat non petenti feudum, illudque agnato remotiori in gradu aperire videtur.*

7 *Feudum antiquum, licet quæratur sine investitura, non tamen conservatur, nisi investitura infrà annum petatur.*

IN causa feudali, pendente coram nobilibus viris dominis locum tenente, & vasallis curiæ feudalis Brabantiæ, per & inter domicellum Erardum de Permont actorem & impetrantem ex una, & nobilem virum N. tanquam maritum domicellæ Margaretæ van Sombrecht, ex diversis matrimonijs, prout in casu qui hîc pro præsupposito brevitatis gratia habetur, latius continetur. Licet pro parte præfati actoris aliqua facere videantur, & inter cætera quòd feudum contentiosum optimo ordine de præfato domicello Wilhelmo transivit jure successorio ad dominum Wilhelmum de Sombrecht militem, filium suum primogenitum, quo sine liberis anno 84. defuncto, transitum habuit ad domicellam Elizabeth dicti domini Wilhelmi sororem, & de ea ad Henricum de Permont ejus filium, & de defuncto ad impetrantem præfati Henrici filium, & præfatæ domicellæ Elizabeth nepotem, quare dictę domicellæ Margaretæ videtur præferendus tanquam natæ successivè ex secundo matrimonio d. domicelli Wilhelmi, quia †
1 quando feudum est devolutum ad aliquã lineam, tunc debet gradatim transire ad omnes posteros ejusdem lineæ, quàm diu aliquis de illa linea fuerit: nec facit transitũ ad aliam lineam, quàm diu aliquis fuerit de prima linea, ut est *tex. in c. unico. de natura*

natura succ. in feudum in usi. feud. Nec obstat renunciatio, quæ prætenditur facta per dictam domicellam Elizabeth, ejus aviam, tum quia illa non est facta de consuetudine feudi neque authoritate parium,
2 quod requiritur, tum etiam quia illa † renunciatio facta est duntaxat de successione parentum, in qua generali renunciatione bona feudalia non comprehenduntur, *ut est tex. in c. generali, si de feud. fue. contro. in usib. feud.*

In contrarium tamen videtur veritas,
3 quod sic deducitur, quia feuda † transeunt eo gradu & ordine, quo bona hæreditaria de jure civili Romanorum transire & succedere dinoscuntur, *ut est text. in c. unico, de gradi. succe. in feu.* & *ibi glos. Bald.* & *Doct.* Sed sic est, quòd de jure civili bona transeunt jure successorio de
4 gradu in gradum adeo, quòd bona † non agnita non transmittuntur, ut habetur *in l. prima. ff. de succes. edic.* & *in l. eam quam, C. de fideicom. cum simil.* ergo sequitur, quòd præfatum feudum, quod non fuit post mortem dicti domini Wilhelmi, per præfatam domicellam Elizabeth ejus sororem agnitum, neque recognitum à domino feudi, nec post decessum dictæ domicellæ Elizabeth per præfatum dominum Henricum de Sombrecht præfati impetrantis patrem, fuit alijs agnatis jure feudali apertum, vigore cujus aperturæ post mortem dicti domini Wilhelmi filij & filiæ præfati domini Wilhelmi ex eodem patre, à quo feudum ortum habuit, geniti seu genitæ successivè unus post alium usque ad dictam domicellam Margaretam inclusivè à domino feudi, prout juris est & consuetudinis, licitè agnoverunt & relevarunt, ac agnoscere & relevare potuerunt, & sic de gradu in gradum ad dictum feudum optimo
5 jure pervenerunt, per † ea quæ habentur *in d. c. de grad. succe. in feud.* & *per text. in cap. 1. §. preterea.*, & *ibi per glos. Bald. Prapo.* & *Doct. quibus mo. feu. amit.* ubi habetur, quòd si aliquis consentiat tacitè vel expresè, alium investiri de feudo ad se spectante, perdit jus sibi in illo feudo competens: & benè facit quod habetur *in cap. Titius, in fi. si de feu. conten. sit inter,* & *c. in usi. feud,* ubi Bald.
6 in fine dicit, quòd † silentium annalè inducit consensum, & præjudicat agnato proximiori non petenti feudum vel investituram ejus infra annum, & quod videtur aperire feudum agnato remotiori in gradu, ad quod etiam facit *cap. 1, quo tempore miles, in usibus feudo.* Concurrunt enim hîc plura. Primò culpa parentum impetrantis in non agnoscendo feudum à domino directo infra tempus debitum. Secundò concurrit investitura reæ, & aliorum de sua linea. Tertiò, cum titulo investituræ concurrit pacifica possessio reæ & illorum de sua linea per spacium 23. annorum. Quartò concurrit proximitas agnationis reæ & suorum cum impetrante. *Item* quintò concurrit hîc silentium impetrantis & suorum prædecessorum nedum unius anni, sed 23. annorum. Certum autem est, quòd feu-
7 dum antiquum, licet quæratur sine investitura, tamen non conservatur nisi infra annum petatur investitura, quia petere investituram, est quasi quidam census devotionis, & recognitionis, qui debet præstari domino: & si non præstatur, res incidit in commissum, quia census reverentialis & professio censualis est omissa. *l. quoniam, de prohib. feu. alie. per Lotharium,* & *vult ad literam Bald. in l. 1. in quarta questione, ff. de rerum divi.* Ex quibus apparet facilis solutio ad prius objecta, quia licet dictus Erardus impetrans per rectam lineam descenderit ex dicta domicella Elizabeth, tamē ob ejus Elizabeth culpam, & similiter ob culpam præfati Henrici patris dicti Erardi impetrantis, dictum feudum agnoscere non curantium,

tium, aperturam de illo præfatæ reæ & alijs suis fratribus & sororibus eam præcedentibus fecerunt, ipsumque actorem excluserunt, per jura superius allegata.

CONSILIUM CXLVII.

SUMMARIA.

1 *Actio merè personalis feudum vel singularem successorem non sequitur. & num. 9.*

2 *Actio personalis an detur contra singularem successorem, quando bona specialiter sunt obligata. & num. 13.*

3 *Fructus beneficiorum quando pro pensionibus obligati esse censeantur, &c.*

4 *Dictio,* Super, *importat hypothecam.*

5 *Actio personalis competit contra possessorem bonorum pro certa annua pensione obligatorum, pro tempore quo possedit & fructus percepit.*

6 *Hæres adeundo hæreditatem obligati, tenetur creditoribus ex quasi contractu.*

7 *Fructus percipiens onus quoque reale sustinere cogitur.*

8 *Consuetudo optima legum interpres.*

10 *Actio personalis in rem scripta, datur contra singularem successorem.*

11 *Officium judicis contra singularem successorem, quando detur, &c.*

12 *Claus. petens jus sibi dici & justitiam ministrari, &c. in libellis quid operetur, &c.*

14 *Dictiones*, De & ex fructibus, &c. *non inducunt hypothecam nisi in alimentis.*

15 *Clausula ex stylo advocatorum adjecta non vitiat.*

16 *Recepisse fructus censetur qui debuit ac potuit recipere, licet non perceperit.*

17 *Creditores hypothecarij chirographarijs præferuntur.*

18 *Solvens creditori contra prohibitionem judicis, qualiter puniatur.*

PRæclarissime Domine Decane, in causa venerabilis viri domini Theodorici Houwagen, intenta coram P. V. contra dominum Iohannem Ludovici, Prima facie plura facere videntur, contra dictum dominum Theodoricum actorem. Primò, quòd † actio personalis
1 non sequitur fundum, nec datur contra singularem successorem, *l. 1. §. si hæres percepto fundo, ff. ad Trebellia. l. fin. §. fina. ff. de contrah. empt.* & *l. fideicommissum. §. tractatum, ff. de judi.* Secundò, *theorica † Bart. in l. 2. ff. de ali. & ciba.*
2 *lega. & theorica Lud. de Rom. in consilio* 388. in quibus locis prædicti Doctores sentiunt, quòd etiam ubi bona sunt obligata, actio personalis non datur contra singularem successorem: Tertiò *theorica Paul. de Cast. in consilio* 53. *in antiquis* secundum quotas meas, ubi vult, quòd li-
3 cet † in bulla dicatur, quòd pensio solvatur de & ex fructibus certi beneficii, si fructus vendantur vel alienentur, non competit actio contra emptorem vel singularem successorem, quia fructus hoc casu non censentur esse obligati, quod proba-

probatur *in dicta l. fin.* & dato quod fuissent obligati, per alienationem desinunt esse hypothecati, & videtur sequi Felin licet aliam quotam assignet *in cap. ad audientiam, 2. de rescriptis.* Quarto videtur obstare, quòd licet etiam præmissa cessarent, tamen libellus non videtur concludere, ex quo cathegoricè non articulatur, quòd dictas reus fructus pro pensione obligatos recepit, sed articulatur duntaxat, quod illos recepit, vel per eum stetit quominus. Item quintò videtur obstare aliud, quia non articulatur, quòd reus omnes fructus percepit, unde non debet solvere de suo, secundum *Panorm. in cap. nisi essent, de preben.* Istis tamen non obstantibus, videtur mihi subscripto, sub correctione melius sentientis, quòd dictus reus debet præfatò domino actori in pensione 50. florenorum petita condemnari: Et moveor ex eo, quia ex tenore bullæ constat, fructus beneficij articulati esse obligatos pro pensione antetacta, cùm sanctissimus dominus noster Papa illam assignaverit super fructibus dicti benefi-
4 cij: dictio † autem super, importat hypothecam, *ut est text. notabilis in codicillis §. instituto. ff. de lega. 2.* quem ad hoc ponderat *Bart. in l. fundum, ff. de annu. leg.* & *Ludo. in dicto consilio* 388. & *idem in singulari* 629. Ubi autem † bona
5 aliqua sunt obligata pro certa annua præstatione, actio personalis competit contra possessorem pro tempore quo possedit & defructuavit, ita expresse vult *Paulus de Cast. in l. imperatores, in princip. ff. de publica.* & *sentiunt apertius Hostien. Ioan. And.* & *Panorm. in cap. parochianos, de decs.* & *idem Panorm. in cap. pastoralis,* & *in cap. cùm homines, in fi. eodem tit.* & *Fred. de Senis in cons. 8.* & oritur hic actio ex quasi contractu, secundum *Host. Ioan. And.* & *Panorm. in d. cap. pa-*
6 *rochianos*, sicut enim † hæres obligatur creditoribus ex quasi contractu, adeundo hæreditatem alicujus obligati, licet cum eis non contraxerit, *l. 3 in fi. cum l. seq. ff. ex quib. caus. in poss. ea.* Ita etiam obligatur ille, ex quasi cõtractu, qui defructuavit rem alteri obligatam, vel qui fructus obligatos percepit, licet sit singularis successor, ut in casu præfatorum Docto-
7 rum, qui † enim percipit fructus, debet solvere reale, *l. neque stipendium, ff. de impen. in rebus dota. fac. cum simil.* nec curatur qualis successor sit, an universalis, an singularis, ut prædixi. Nec obstat, si dicatur, quòd hoc est verum, si cõveniatur hypothecaria, secus si actione personali: Quia dico, quòd imò hoc procedit, etiam si conveniatur actione personali, per prædicta, cui consonat decisio parlamenti Delphinatus 576. & ita
8 interpretata est consuetudo † in omnibus curijs spiritualibus à tempore memoriam hominum excedente, quæ est optima legum & canonum intepres, *l. si de interpretatione, ff. de legi.* & *cap. cùm dilectus, de consuetu.* Restat modò respondere ad objecta in contrarium, quibus solutis patebit, nisi fallor, nitida veritas. Et primò non obstat primum, quia respondeo multipliciter, & dico primò,
9 quòd † quando actio est merè personalis non respectiva ad rem, tunc benè procedit contrarium, scilicet quòd actio personalis non datur contra singularem successorem: Exempli gratia, Tu es mihi obligatus ex mutuo, vel ex causa emptionis in 10. & vendis bona tua Titio, certum est, quòd ego non habeo actionem contra Titium emptorem hujusmodi bonorum & singularem successorem, & ita loquuntur contraria: sed quando actio non est merè personalis, sed respectiva ad rem, tunc benè sequitur fundum ita dicit *Iason in l. 1. in 22. colum. C. de jure em-*
10 *phyt.* Hinc etiam est, quòd † actio personalis in rem scripta, sicut est actio noxialis ad exhibendum, quod metus causa

& similes, dantur contra singularem successorem, *ut est textus in l.metum §. fi.ff. quod metus causa*, & *in l. si cum exceptione.§.aliquando*,& *l.si ipsa,eod.tit.cum si·* ubicunque enim res est affecta, actio personalis datur contra singularem successorem,ut vult notabiliter *Bald. in l. 2. in 13.q. C. de rescind. vend.* & *Alexan. in dicta l. 1. § si hæres percepto fundo*, & *Albe.*& *Ias.in Rub.ff. si certum petatur.* In casu autem præsenti fructus beneficij articulati percepti per reum sunt affecti & obligati pro pensione,ut suprà dixi,ergo,&c. Item, dico secundò, quòd dato,
11 quòd † actio personalis respectiva ad rem non daretur contra singularem successorem,prout sic,tamen in casu præsenti sufficit, quòd officium judicis detur contra singularem successorem, *l.in causæ, 1. §. fi.cum l.sequen. ff. de minorib.* maximè quando principalis non est solvendo,& quando singularis successor scivit rem affectam, ut ibi est casus, quorum utrumque concurrit in casu præsenti,ut ex actis dicitur constare. Item dico tertiò, quòd dato, quòd præmissa cessa-
12 rent,tamen † quia in libello dicti domini actoris habetur clausula, petens in & super præmissis jus dici & justitiam ministrari, potest ferri sententia contra dictũ reum, quasi intentata esset actio hypothecaria,de quo non dubitatur, quin detur contra singularem successorem, quia dicta clausula operatur, quod si ponatur in libello formato & concludente in possessorio,narratione facta de respicientibus possessorium & petitorium, probato petitorio & non possessorio, sententia ferri potest in petitorio, & generaliter reddit de inepta conclusione aptam, ut singulariter dicit *Ioan. Cald.* & *post eum Panor. in c.2.in 25.col.de ordi. cog.* & *dominus Ioan.de Imol. in c. cùm ecclesia Sutrina, circa finem,de causa poss.*& *proprie.* & *idẽ Io.de Imo.in l.si cum nulla*,& *in l.in summa,ff.de re judic.*& *Bald.in l.incerti, circa, C.de interdic.* & *Feli.in c. licet Heli, circa finem.de simo.*& *Alex. de Imo.in l. 2.§. prius, in fine,ff. de vulg.* & *pupilla.*
13 Non obstat † etiam *theorica Bart.* & *Ludo. in passibus suprà commemoratis.* quia patet solutio ex præmissis : nam plures & famosiores Doctores tenent cõtrarium, & ultra hoc alia ratio in casu præsenti reformat pactum, ut prædixi, quare non obstat, *l. interpositas*, *C. de transact.cum sim.* Non obstat etiam theorica Paul. de Castr. quia ipse in dicto consilio loquitur in casu, in quo bona non fuerunt obligata, puta, quando in bulla
14 habentur hæc † verba,de & ex fructibus, quæ non inducunt hypothecam,nisi in alimentis, secundum eum: & idem sentit *Lodo.de Roma.in singulari* 421.nimirum ergo,si contra emptorem hujusmodi fructuum non detur actio personalis, quia etiam non competit hypothecaria, ut ipsemet dicit. In casu autem præsenti fructus fuerunt obligati,quo casu ipsemet *Paul.de Cast.in d.l.imperatores*, & plures alij in passibus suprà allegatis expressè tenent, quòd competit actio nedum hypothecaria, sed etiam personalis contra singularem successorem, quare non obstat. Nec obstant etiam duo ultima, quia ex quo dicitur constare apud acta, reum recepisse fructus beneficij articulati ultra seu saltem usque ad summam pensionis & dolosè solvisse aliquibus creditoribus chirographarijs non privilegiatis, nec hypothecam habentibus, ubi tamen scivit fructus pro pensione esse obligatos,
15 debet condemnari : nam licet † fortè ex rigore consequentiæ articulus non videatur concludere, tamen ex stylo advocatorum,illa clausula,vel per eum stetit quo minus,adjecta non debet vitiare, cùm in separabilibus utile per inutile nõ vitietur, *regula utile, de regu.jur. lib.6. cum sim.* Præterea ex quo dictus reus fuit arrendator

16 dator hujusmodi fructuum, debuit † recipere hujusmodi fructus, aliàs fuit in culpa, & imputet sibi si eos non recepit, cùm potuit eos recipere, & hoc casu sufficit articulare, quod eos recepit, vel quod per eum stetit quominus, quia ille qui dolo desijt possidere, habetur pro possessore, *reg. pro possessore. de reg. jur. lib. 6.*
17 *cum simil.* Debuit etiam scire, quòd † creditores hypothecarij præferuntur alijs, & privilegiati non privilegiatis, ut plene habetur & nota. *in l. privilegia, ff. de privil. cred.* & notatur ipse reus de perfidia, ex eo quod solvit dominæ hospitalis creditrici chirographariæ præmaturè ante diem, unde sibi imputet, sicut di-
18 citur † de eo qui cum sibi per creditorem creditoris sui, vel per judicem inhibitum erat seu denunciatum, ne suo creditori solveret, quod fieri potest, *l. hæres cum debuerat, in fin.* & *ibi Ang.* & *Paul. de Cast. ff. ad Trebell.* & *habetur per Innoc. in c. sanè. 2. de offic. delega.* spreta hujusmodi denunciatione solvit, & quemadmodum etiam dicitur de colono conducente scienter ab usufructuario, & faciente impensas in re, *l. si quis domum. §. 1. ff. de loca.* & sicut dicitur de debitore, qui post denunciationem cessionarij solvit credenti, *l. 3. C. de nova.* Cùm ergo hîc concurrant multa. Primò affectio fructuum. Secundò scientia rei. Tertiò inopia principalis, contra quem non potest haberi recursus per dominum actorem. Quartò dolus rei in præferendo alios creditores chirographarios. Quinto quòd res debita actori pervenit ad alium, puta reum, & est vel censetur saltem adhuc esse apud eum sine justa causa, cùm solutio facta per eum creditoribus cyirographarijs debeat haberi pro nulla per suprà dicta, videtur sub correctione melius sententis, quòd præfatus reus debeat dicto domino actori condemnari, per prædicta, reservata sibi actione contra creditores chirographarios, quibus spontè & inconsultè solvit non compulsus: judicio vestro, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM CXLVIII.

SUMMARIA.

1 *Jus alicui irrevocabiliter quæsitum sine ipsius facto tolli non potest. Secus si revocabiliter quæsitum fuisset, ut num. 2. & 7.*

3 *Donatio causa mortis ex quibus in dubio præsumatur, &c.*

4 *Hæres factum defuncti, aliàs etiam invalidum, impugnare non potest.*

5 *Testari de dote mulier in præjudicium extranei, jus in illa habentis, an possit, &c.*

6 *Dispositio de re hæredis propria valet, & num. 8.*

9 *Donatio inter virum & uxorem morte confirmatur.*

10 *Geminatio designat animi constantiam & deliberationem plenam, redditque de actu insufficieni sufficientem.*

QUædam Heylwigis, ante solennisationem matrimonij, pepigit pro se & hæredibus suis, quòd in eventum in quem ipsa præcederet ante suum futurum maritum prout prædecessit, in eum eventum hæredes sui ex omnibus bonis ipsius Heylwigis & sui futuri mariti, præhaberent & præcaperent, antequam aliqua fieret divisio, quinquaginta libras grossorum monetæ Flandriæ, depost solennisato matrimonio, & eo constante dicta Heylwigis pœnitentia ducta, ne-

dum semel, sed pluries & diversis vicibus cum intervallo temporum revocavit, annullavit, & cessavit hujusmodi stipulationem & conventionem in favorem suorum hæredem factam. Quæritur, an hujusmodi revocatio valeat & effectum sortiri debeat in præjudicium hæredum dictæ Heylwigis, qui in hujusmodi revocatione suum consensum non præbuerunt. Et videtur prima facie, quòd non. Tum primò, quia per hujusmodi stipulationem quæsitum fuit jus hæredibus di-
1 ctæ Heylwigis, modò ita est, quòd † jus alicui quæsitum, sine facto suo tolli non potest, *l. id quod nostrum, ff. de reg. juris*, & *l. cum maritus. §. fin. ff. de pac. dot.* Tum secundò, quia si hujusmodi revocatio valeret, ipsa haberet vim donationis, quia remittere est dare, *c. veniens primo, de testibus.* & *l si mulier, ff. de condit. caus. data can. non secu.* sed donatio simplex non cadit inter virum & uxorem, imò est prohibita *toto titu. ff.* & *C. de dona. inter virum & uxorem*, ergo, &c. Sed istis non obstantibus videtur mihi subscripto, quòd hujusmodi revocatio valet & sortiri debet suum effectum: quia
2 quando † alicui quæsitum est jus revocabiliter duntaxat, ut in casu præsenti, tunc valet revocatio, *text. est in l. prima, C. si manci. ita fue. alien. ne manu.* quę loquitur etiam, in actu multùm favorabili, puta in actu libertatis, & *faciunt nota. pulchrè per Bart. Io de Imo.* & *Doct. in l. qui Romę, in §. Flavius Hermes, ff. de verb. obliga.* ubi volunt, quòd si dono Titio fundum cum pacto, quòd post mortem Titij ille veniat ad ecclesiam, non obstante hujusmodi pacto apposito in favorem ecclesiæ, Titius & ego possumus aliter disponere, & illud pactum revocare taliter, quod ecclesia post mortem Titij agendo ex illo pacto nihil consequi posset: ergo etiam dicta Heylwigis potuit pactum appositum in favorem suorum hæredum revocare, pro quo est *tex. notabilis in le. Seja. ff. de dote prælegata.* ubi mulier, quæ dedit dotē adhibuit tertium animo donandi, ad stipulandum dotem sibi reddi soluto matrimonio morte mulieris, & sic ex stipulatione & donatione fuit illi tertio jus quæsitum & tamen dicit ibi textus, juncta glos. quod non obstante hujusmodi donatione & stipulatione, mulier potest de dote disponere & voluntatem mutare, quod servit proposito: Quod autem in casu præsenti fuit acquisitum jus hæredibus dictæ Heylwigis revocabiliter tantum, patet, quia provisio facta dictis hæredibus fuit & est facta in casu mortis dictæ Heylwigis.
3 Modo ita est, quod quando † verba provisionis, stipulationis, dispositionis, vel donationis, conferuntur post mortem, tunc talis dispositio seu donatio in dubio censetur donatio causa mortis, ut est casus *in d. le. Seja, juncta glos.* & *vult Cyn.* & *Doct. in l. 2. C. de jur. dota.* Præterea
4 non † potest hæres venire contra factum defuncti, etiam licet illud factum aliàs de jure non subsisteret hærede non consentiente, *tex. est ad literam in le. cùm à matre, C. de rei vendic.* ex qua persona enim quis lucrum capit ut hæres, ejus factum præstare dabet, *le. ex qua persona, ff. de*
5 *regul. jur.* & probatur † optimè *in d le. cum maritus. §. fin.* & *ibi expreßè Bald.* qui dicit hæc formalia verba. Nota quod mulier non potest testari de dote in præjudicium extranei, cui erat jus quæsitum irrevocabiliter, sed solùm in præjudicium
6 suorum hæredum: nemo † enim ambigit, quin valet dispositio de re hæredis, sicuti de re propria testatoris, tex. est clarissimus *in l. unum ex familia. §. si rem*, & *in l. cum filius, §. dominus. ff. de legat. secundo.* Restat modo respondere ad motiva pro alia parte adducta, & ostendere quod illa non obstant. Et primo non ob-
7 stat primum, quia † ut dixi suprà, jus alicui

cui quæsitum irrevocabiliter non potest tolli sine facto suo, ut probant contraria, sed quando alicui quæsitum est jus revocabiliter duntaxat, ut in casu præsenti, tunc illud revocari potest, per supra dicta, ut latè declarat *Ioan. de Imola, in c. potuit, in ultima columna, de locat.* & *idem Ioannes de Imola, in d. §. Flavius Hermes.*
8 imo quod fortius † est, quando quis est hæres alicujus, etiam si sibi sit quæsitum jus irrevocabiter, tale jus potest sibi auferri, si hæreditatem agnoscat, ut habetur *in dict. l. unum ex famili. §. si rem*, & *in d. l. cum filius, §. dominus*, & *in d. l. cum maritus. §. fin.* & sic in casu præsenti, hæredes dictæ Heylwigis non possunt venire contra factum dictæ Heylwigis, à qua gravari potuerunt, *per jura suprà allegata.* Non obstat etiam secundum quia dico,
9 quod licet simplex † donatio inter virum & uxorem sit prohibita, tamen quando alter conjugum qui donationem fecit, in ea perseverat usque ad mortem, ita quod talis donatio morte confirmatur, tunc benè valet, *text. est expressus in l. cum hic status. §. ait oratio, ff. de donatio. inter virum & uxor.* ubi text. ponit hæc formalia verba, ait oratio fas esse eum quidem qui donavit pœnitere: hæredem vero eripere forsitan adversus voluntatem supremam ejus qui donavit durum & avarum esse: in casu præsentia autem dicta Heylwigis nedum semel, sed plures & diversis vicibus cum intetvallo temporum revocavit, annullavit, & cessavit hujusmodi conventionem & stipulationem in favorem suorum hæredum factam, & in illa revocatione perseveravit usque ad mortem, standum est ergo dictæ revocationi tam solenniter & tam constanter factæ, ac totiens cum intervallo tempo-
10 rum reiteratæ & geminatæ, quæ † geminatio designat animi constantiam & plenam deliberationem, *ut vult Bald. in tractatu schismatis, quem ponit in Rub. C. si quis al. testari prohib.* & reddit de actu insufficienti sufficientem, *ut vult Bart. in l. cum scimus, C. de agric. & censi. lib. 11.* pluresque notabiles operatur effectus quos commemorat *Feli. post Panor. in c. si cautio. de fide instrum.* Concludendo ergo dico, quod dicta revocatio valet, & sortiri debet suum effectum.

CONSILIUM CXLIX.

SVMMARIA.

1 *Facti species.*
2 *Remittendi suam actionum amplius ad illam non datur ingressus.*
3 *Agentes sine actione judex ex officio, parte non pendente repellere potest.*
4 *Durus est qui vocem matris non exaudit.*
5 *Dotem conferre tenetur volens parentem suorum hæreditatem.*
6 *Actus agentium ultra ipsorum intentionum non operantur.*
7 *Divisio bonorum simulata qualiter depredendatur, &c.*
8 *Simulatè factum pro infecto habetur.*
9 *Res de facili ad suam redit naturam.*
10 *Verbis in ultima voluntate emissis maxima fides adhibenda est.*
11 *Simulatio vitiat sententiam, juramentum, transactionem & laudem.*
12 *Simulatus contractus juramento firmari non potest.*

Anno

ANno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, 27. Aug. initus † & conclusus fuit quidam
1 contractus antenuptialis per & inter Iohannem Pels futurum maritum ex una, & Henricum van Etten ac Domicellam Corneliam van Valckenberge conjuges, nomine domicellæ Elizabeth eorum filiæ futuræ sponsæ ex altera, in quo quidem contractu antenuptiali inter alia cavetur in effectu quòd dicta domicella Elizabeth, post mortem dictorum Henrici & domicellæ Corneliæ suorum parentum, succedet æqualiter in bonis mobilibus & immobilibus cum alijs suis fratribus & sororibus, conferendo seu importando dotem, reservata dictis Henrico & domicellæ Corneliæ potestate faciendi conjuncta manu divisionem æqualem & rationabilem inter suas proles: depost anno octuagesimo octavo in profesto Marci 24. Aprilis decessit dictus Henricus van Etten, absque hoc, quòd cum dicta domicella Cornelia aliquam fecisset divisionem bonorum inter suas proles. Post hoc eodem anno octuagesimo octavo septima Maij, dicta domicella Cornelia formidans ne propter amplum patrimonium raperetur à quoquam, coram scabinis Antverpiensibus præsentibus dicta domicella Elizabeth & præfato Iohanne Pels suo marito ac Henrico Engelberto, & Nicolao suis prolibus quandam fecit divisionem bonorum assignando cuilibet dictarum prolium certa bona in literis scabinalibus desuper confectis plenius specificata, illa tamen bona ferè omnia hujusmodi divisione non obstante possedit, locavit, & defructuavit usque ad annum 96. vel 97. & plura ex eis usque ad annum quingentesimum sextum, quo decessit, & eodem anno quingentesimo sexto, decima quarta Aprilis coram duobus notarijs & testibus quandam fecit declarationem confirmatoriam in effectu dictæ divisionis, asserendo quòd illa divisio concepta fuit per eam & dictum quondam Henricum van Etten suum maritum dum vixit, & quòd eam interteneri voluit præsentibus præfatis Engelberto & Nicolao qui eandem acceptârunt & laudârunt, præsente etiam dicta domicella Elizabeth, sed contradicente ac allegante in effectu, quòd dicta divisio facta fuit ad nullum alium finem, quàm ne ipsa domicella Cornelia prætextu ampli patrimonij raperetur, & quòd si illam divisionem servare debet, ipsa esset læsa in quatuor milibus florenorum, persistens in hoc, quòd voluit stare in jure suo sibi competente ex dicto contractu antenuptiali, ut hæc ex alia in instrumento desuper confecto latius continentur, altera autem die dicta domicella Cornelia melius ut asseruit, consulta & deliberata, ac nolens propter assignationem, divisionem seu partificationem bonorum ac alia per ipsam, die præcedente instantijs & suggestionibus, ut asseruit, prædictorum Engelberti & Nicolai facta, dicta, seu allegata, animam suam in periculis damnationis ponere, coram eisdem notarijs & pluribus testibus illa revocavit, cassavit, & annullavit, ac pro cassatis, revocatis, & annullatis, haberi voluit, ponens dictam domicellam Elizabeth suam filiam in suo pristino jure sibi ex dicto contractu antenuptiali competente, & alias suas proles similiter in eorum jure: & in majorem declarationem animi sui petijt ab uno notariorum, in cujus manibus die præcedente titulos & literas scabinales Antverpienses divisionem continentes posuerat, sibi restitui instanter, instantius & instantissimè, quod ad ejus iteratas preces ita factam fuit, & his gestis infrà paucos dies ex post in præmissis perseverando decessit.

Quæritur

Quæritur modò, utrum dicta domi-
cella Elizabeth sit de jure fundata ad pe-
tendum quartam partem bonorum post
mortem suorum parentum relictorum,
ex vi dicti contractus antenuptialis. Et
videtur prima facie, quòd non, quia a-
ctio quæ competijt ex dicto contractu
antenuptiali, videtur extincta, novata &
remissa per antetactam divisionem fa-
ctam Anno octuagesimo octavo appro-
batam, laudatam, & ratificatam per di-
ctam domicellam Elizabeth & Iohan-
nem Pels suum maritum præsentes &
acceptantes, ac non contravenire promit-
tentes, ergo ad eam nunc reduci non po-
2 test, quia † remittentibus actiones suas
non datur amplius regressus ad eas, *l. i-*
tem quæritur. §. si venditor. ff. de ædil. e-
dict. cum similibus, & sic ageret seu ex-
3 periretur sine actione, quod † non licet,
l. sed & si pupilli. §. finali. ff. de negocijs
gestis, non videtur ergo talis petitio ad-
mittenda, imò etiam parte non opponen-
te, judex ex officio potest agentem sine
actione repellere, quando videt sibi a-
ctionem non competere, *ut est glossa or-*
dinaria, in l. ubi pactum, & ibi Doctores,
C. de transactio. & bona glos. in l. si unus,
§. pactus ne peteret, & ibi etiam Doctores,
ff. de pac. Præterea cum consensu præ-
stito in prætacta divisione, anno octuage-
simo octavo, per dictam domicellam Eli-
zabeth & suum maritum concurrit de-
claratio dictæ domicellæ Corneliæ ma-
tris dictæ domicellæ Elizabeth facta an-
no quingentesimo sexto, decima quarta
Aprilis, quæ videtur multum attendenda:
4 nam durus est, † qui vocem matris non
exaudit, ut dicit *gl. in c. officij, de pæni. &*
remiss. Sed istis non obstantibus credo in-
dubitanter, præfatæ domicellæ Eliza-
beth competere actionem ex vi dicti
contractus antenuptialis, ad quartam par-
tem bonorum post mortem dictorum
suorum parentum relictorum, conferen-
5 do dotem: Qui † enim vult hæredita-
tem, debet conferre dotem, *l. fi. & per to-*
tum. ff. de coll. do. & de colla. bonorum, &
c. de collat. per totum: nam ut dicitur in
themate prætacta divisio facta fuit ad fi-
nem duntaxat, ne ipsa domicella Corne-
lia propter amplas facultates reperetur,
6 sed actus † agentium non operantur ultra
eorum intentionem, *l. non omnis in prin-*
cipio. ff. si certum petatur, & le. obligatio-
num substantia. ff. de actio. & obligatio.
7 Præterea ex † hoc, quòd dicta domicel-
la Cornelia, non obstante hujusmodi di-
visione, permansit in possessione dictorum
bonorum, ut ponitur in Themate, dicta
divisio præsumitur simulata: *textus est*
notabilis in l. & qui sub imagine, C. de
distractio. pignor. & in l. sicuti. §. super-
vacuum. ff. quibus modis pignus vel hypo-
theca solvitur: & vult expreßè Specu-
lator in titulo, de donation. §. primo versi-
culo, item pone aliquis, ergo nullum
8 † debet operari effectum, quia simulatè
factum, pro infecto debet haberi, *l. si*
ex precio, & l. non singuli, C. si certum
petatur. Præterea istud clarè patet ex de-
claratione dictæ domicellæ Corneliæ, re-
ponentis dictam domicellam Elizabeth
suam filiam in suo primævo jure, sibi ex
contractu antenuptiali competente, di-
cta divisione & alijs per eam assevera-
tis & gestis non obstantibus: quæ o-
mnia dicit fecisse ad suggestionem di-
9 ctorum Engelberti & Nicolai, de † fa-
cili autem res redit ad naturam suam,
cap. ab exordio, 35. distinct. & l. si unus. §.
pactus ne peteret ff. de pact. cum simil. cu-
jus declarationi maxima fides est adhi-
10 benda, tum quia mater: tum † quia in
extremis facta est hæc declaratio: *juxta*
notata per glossam singularem in l. prima,
C. de fal. cau. adjec. lega. Nemo enim præ-
sumitur esse immemor suæ salutis, maxi-
mè cũ est in extremis, *c. sancimus, 1. qu. 6.*
& c. literas, de præsumpt. & maximè here-

des tenentur stare declarationi defuncti factæ in extremis, *Authent. quod obtinet, C. de probation. cum simil.* Nec obstant allegata in contrarium, quia ex præmissis patet solutio: nam ex quo divisio fuit simulata, nullum debet operari effectum: Nam ut suprà dixi, simulatè factum, pro
11 infecto debet haberi: simulatio enim † vitiat sententiam, juramentum, transactionem ac laudum, ex quo deest consensus qui requiritur in omnibus actibus dependentibus à voluntate: ita ad literam dicit *Bald. in le. prima, in tertia oppositione, C. plus valere quod agitur.* Hinc est,
12 quod contractus † simulatus non firmatur juramento, ut est glossa ordinaria singularis *in l. emptione, illo eodem tit.* hæc autem divisio habet vim transactionis, ergo simulatio eam vitiat, per supra dicta. Non obstat etiam declaratio matris, quia illa est postea per eam melius deliberatam, revocata, cui est standum. *l. si mihi & tibi. §. fin. ff. de lega. 1. cum simil.*

CONSILIUM CL.

SUMMARIA.

1 *Facti species.*

2 *Pactum de non redimendo infra certum tempus. an vitiet contractum, &c. & num. 21.*

3 *Simulatus vel non simulatus censetur contractus emptionis ex tractatibus & præfationibus præambulis.*

4 *Pactum de revendendo contractũ non facit usurarium, nisi originalis causa fuerit mutuum.*

5 *Conjecturæ simulationis & usuræ tolluntur per contrarias conjecturas vel partium confessionem judici factam.*

6 *Emptor rescisso propter utilitatem pretij contractu an fructus lucretur, &c.*

7 *Pactum de revendendo post certum tempus valet, similiter pactum de non solvendo nisi certo tempore elapso.*

8 *Pretium justum facit cessare præsumptionem contractus illiciti & usurarij.*

9 *Decretum judicis excludit omnem de utilitate pretij querelam.*

10 *Licentia Principis obtinet vim decreti.*

11 *Honestas personæ emptoris omnem simulationis & contractus usurarij suspicionem cessare facit.*

12 *Bonum judicatur & licitum, quod à bono viro factum est.*

13 *Utile per inutile in separabilibus non vitiatur.*

14 *Pacta illicita quæ non sunt contra substantiam contractus cui apponuntur, non vitiant sed vitiantur, ut nu. 15. 16. 17. & 18.*

19 *Speciale in uno casu ad alium non extenditur.*

20 *Intellectus c. ad nostram, de empt. & vend.*

22 *Pactum de redimendo post certũ tempus, non facit censeri contractum usurarium: nisi plures conjecturæ concurrant.*

23 *Usura est quicquid sorti accedit, & hoc verum in contractu mutui, secus in contractu emptionis.*

24 *Emptio*

24 *Emptio redditũum quando de jure sit valida.*
25 *Tempus contractus principaliter respiciendum est.*
26 *Pactum in reservationem indẽnitatis circa tempus solutionis faciendæ appositum, valet.*
27 *Pactum ne vendens ante quinquennium rem venditam redimere possit, contractui bona fide adpositum valet.*
28 *Clausulæ instrumenti non vitiosæ propter alias clausulas vitiosas non confunduntur.*
29 *Contractus emptionis quos habeat juris effectus, &c.*
30 *Pactum de retrovendendo contractui emptionis adpositum quid operetur, &c.*
31 *Redditus unde fiat redimibilis.*
32 *Redditus de sui natura sunt perpetui & immobilibus bonis annumerantur.*
33 *Contra naturam contractus aliquid fieri, quomodo cognoscatur.*
34 *Pactum contra substantiam rei in contractum deductæ adpositum, totam dispositionem reddit nullam & inutilem.*
35 *Favori pro se introducto unusquisque renunciare potest.*
36 *Fundus communis omni momento dividi potest.*
37 *Pacta contra naturalia rei in contractũ deductæ adposita valent.*
38 *Substantia redditus in quo consistat.*
39 *Naturalia & substantialia differunt.*
40 *Pactum contra substantiam contractus non vitiat sed vitiatur.*
41 *Procurator excedens fines mandati nulliter agit.*
42 *Procuratorum pacta quibus & quando prosint.*
43 *Invalida per ratificationem subsequentem validantur.*
44 *Pactum inutile dispositioni utili prius perfectæ adpositum vitiatur & non vitiat.*
45 *Idem operatur propositum in proposito quod oppositum in opposito.*
46 *Scripturam vitiare non solent quæ superabundant.*
47 *Pactum in alicujus favorem adpositum, in odium ipsius retorqueri non debet.*
48 *Contractus ab initio validus tractu temporis non infirmatur.*

1 CAsus talis in facto proponitur. Ad † supplicationem majoris partis incolarum & possessionatorum territorij de Assenedãbocht, Domini de consilio Flandriæ ad reparandos certos aggeres contra vim maris valde necessarios præmissa causæ cognitione per quendam ostiarium vice & nomine illustrissimi principis & domini nostri Archiducis comitis Flandriæ concesserunt dictis incolis & possessionatis licentiam & auctoritatem ad hoc constituto precio ad rationem 12. denariorum pro uno denario constituendi, vendendi, & super dicto territorio assignandi & hypothecandi usque ad certam summam annuos & perpetuos redditus redimibiles. Qua quidem auctoritate ut præmittitur concessa dicti incolæ

 & pos-

& possessionati, vel saltem eorundem major & sanior pars cuidam honesto ac probo viro Philippo van den Berge constituerunt, vendiderũt & super dicto territorio assignarunt & hypothecarunt juxta suprà dictum constitutum precium, ipseque dictus Philippus emit & super dicto territorio acceptavit nonnullos perpetuos redditus redimibiles, tali pacto adjecto, ut venditores prædicti, dictos perpetuos redditus quandocunque post triennium, & non ante, possint pro eodem precio redimere. Iam præfati venditores à dicto Philippo interpellati, ut annuos redditus à pluribus annis absque solutione cessos solverent, solutionem facere recusarunt dicentes se ad hujusmodi solutionem non teneri, ex eo capite, quia iste cõtractus emptionis fuisset & esset vitiosus & invalidus propter prædictum pactum de non redimendo, nisi post triennium. Quæritur quid juris. Et videtur
2 prima facie, quòd † dicta emptio est vitiosa nulla, & in fraudem contractus pignoratitij & usurarij facta & simulata, *per c. ad nostram de emp. & vend. & not. per Io. And. in novella ibidem, super verbo ad novennium,* ubi per illum tex. dicit, hìc convincuntur moderni usurarij secundum Hostien. qui quotidiè sic contrahunt ementes possessiones eo pacto, quòd post septennium & infrà novennium recuperari possunt, volunt enim lucrari septem annorum fructus. Istis tamen non obstantibus, salvo semper judicio melius de jure sentientium, videtur nobis infrà scriptis, quòd in casu nostro per appositionem prædicti pacti, non est dictus contractus emptionis simulatus, vitiosus, aut aliter invalidus, & hoc per jura & rationes sequentes. Primò patet,
3 quòd † iste contractus est verus contractus emptionis, nec potest propter appositionem dicti pacti censeri simulatus & pignoratitius, quoniam omnis sinistra suspicio simulationis contractus pignoratitij cessat, tum per literas licentiæ, consensus, & auctoritatis, ex quibus planissimè certum est, quòd ab origine seu ab initio voluerunt venditores facere cum dicto Philippo van den Berghe emptore verum contractum emptionis, unde dicit *Baldus in leg. multum, C. si quis sibi vel alteri,* quòd ex tractatibus & præfationibus præambulis præsumitur contractus emptionis simulatus, vel non simulatus, secundum diversitatem tractatuum & præfationum præcedentium, & idem tenet *Bartholus in leg. item quia §. final. ff. de pact. & facit textus in l. Titia, §. primo, ff. de verborum obligationibus, Innocent. in cap. primo, de depositio.* tum etiam ex eo, quòd quicquid gestum sit in isto contractu tendit ad verum contractum emptionis. Igitur ex præfationibus & præambulis cessat hìc suspicio simulationis, & ad istud facit quod dicit *Baldus in leg. tertia, C. plus valere quod*
4 *agitur post Odofret.* quòd ubi † originaliter fuit dictum de non mutando, tunc ex appositione pacti de revendendo post decennium, præsumitur contractus emptionis simulatus & usurarius, sed ubi originalis causa non fuit causa mutui, sicut hìc in casu nostro, tunc ex appositione pacti de revendendo post decennium, non judicaretur contractus emptionis usurarius, etiam ut inquit Baldus, si esset cum usurario factus, quoniam (ut dicit) usurarij sæpè faciunt veros contractus. Idem & fortius tenet *Salicetus in dicta leg. tertia,* dicens, quòd ubi originalis causa non fuit mutuum, tunc ex appositione pacti depost tempus redimendo non præsumitur emptio fundi simulata & pignoratitia, etiam si fundus valeat plusquam venditus est, & ad hoc facit apertissimè textus in principio, *in dicto cap. ad nostram,* ubi patet, quòd originalis causa fuit, ibidem causa mutui, & quod

quod mutuans volebat dissimulare & tegere sub titulo & colore emptionis, ut evitaret constitutiones contra usurarios factas, prout ibidem dicit text. fortissimè loquitur *Cyn. in dicta lege tertia*, dicens, quòd quamvis constaret de tribus, scilicet eptorem esse usurarium, precium modicum, & pactum de revendendo fuisse appositum, tamen cessantibus alijs conjecturis, scilicet, quòd originalis intentio non fuit mutuum, &c. tunc ex dictis tribus simul concurrentibus, non judicabitur contractus emptionis simulatus & usurarius. Igitur in casu nostro, ubi certum est, quòd originalis intentio contrahentium, non fuit mutuum contrahere, sed verum contractum emptionis facere, ut suprà dictum est, non debet emptio judicari simulata aut vitiosa propter solam appositionem pacti de non redimendo ante triennium, de quo non invenimus jure cautum, quòd ipsum sit illicitum aut vitiosum: ad i-
5 dem apertissimè facit, quòd † post multa conclusivè tenet *Dominus Pet. de Anchor. in cap. peccati, de regulis juris, libro sexto*, ubi dicit, quòd quamvis plures conjecturæ simul concurrentes sufficerent ad judicandum contractum emptionis fuisse simulatum & usurarium, *ut in cap. illo vos, de pignor.* & *in dicto capit. ad nostram*: Tamen ubi per contrarias conjecturas, vel per partium confessionem constaret judici, quòd ille contractus in veritate fuit verus contractus emptionis, tunc cessarent omnes conjecturæ simulationis & usuræ, & judicaretur ille contractus secundum veram naturam contractus emptionis: &
6 licet † propter utilitatem precij, quod forsan dimidiam justi precij non continebat, esset ille contractus rescindendus per beneficium, *leg. secund. Cod. de rescindenda venditione*: verùm tamen emptor lucraretur fructus medij temporis usque ad tempus rescissionis, quos salva conscientia in foro poli possit retinere. Hæc ille, & istud dictum maximè vendicat sibi locum in præsenti casu, ubi certissimum est, quòd ab initio factus est verus contractus emptionis inter partes absque eo, quòd unquam de mutuo habitus esset aliquis ser-
7 mo: Ad † istud etiam est *textus* & *Doctores in le. secunda, C. de pactis inter empt.* & *vendit.* ubi patet ad literam, quòd non solum valet in contractu emptionis de revendendo liberum, quandocunque scilicet placebit venditori: sed etiam valet pactum de revendendo cum limitatione temporis, ut scilicet liceat usque ad tempus redimere, ut ibi, & eadem ratione valet pactum, ut post tempus liceat redimere, sicut est casus noster: & de hoc videtur *textus satis clarus in le. si vir uxori. ff. de præscriptio. ver.* ubi valet pactum, ut res empta post tempus dissoluti matrimonij eodem precio transcribatur: & ad istud optimè facit quod notat *glossa*, & *ibi Baldus in le. final. C. de pac. pignor.* ubi patet, quòd valet pactum, ut non liceat solvere, nisi post certum tempus, & hoc idem sequitur *Bartol. in l. qui Romæ, in principio, ff. de verborum obligatio.* potest enim dies solutionis apponi favore creditoris, *ut notat. per Bartolum*, & *Bald. in l. stipulatio ista. §. inter certam ff. de verborum obligatio.* Secundò patet, quòd iste noster contractus non est vitiosus aut simulatus propter dictum pactum de non
8 redimendo nisi post triennium, & hoc † quia hic intervenit justum precium, quod facit cessare præsumptionem contractus illiciti & usurarij, *secundum gl.* & *Doct. in d. c. ad nostram.* Quòd autem in casu nostro intervenit justum precium taxatum in literis licentiæ autoritatis dominorum de consilio Flandriæ, ut dictum est suprà in positione casus. Modò sic est,

9 quòd † quandocunque decretum venditionis in rebus sine decreto non alienabilibus interpositum continet taxatum precium, tunc illud est pro justo precio servandum, & excludit omnem querelam de utilitate precij, *ut in l. 1. & ibi Bart.* & *Io. de plat. C. de prędecur. sine decr. non alie. lib. 10. & gl. sing.* super verbo, auditurum, *in l. ait prætor. ff. de minoribus*, Judicibus enim committitur de jure æstimatio rerum, *ut l. final. C. de jure domi. impe. & not. Bald. in ult. col. & ibidem etiam Ang. de Perusio in l. 2. C. de rescind. vend. & Bart. in le. si æquo precio. ff. de legat. 1.* & quod dictum est de decreto, idẽ
10 dicendum est de † licentia principis, quæ obtinet vim decreti, *l. 2. C. quando decreto opus non est.* Tertiò, quod iste contractus noster propter appositionem prædicti pacti, non est judicandus simulatus & pignoratitius, arguitur ex qualitate personarum contrahentium, quoniam non solùm venditores dictorum reddituum, sed etiam ipse Philippus emptor, fuerunt & sunt semper viri probi, honesti, & bonarum conscientiarum, ac pro talibus communiter apud omnes eorum notitiam habentes, tenti, habiti, & reputati. Igitur cõ-
11 tractus † dictorum virorum, etiam si aliàs essent suspecti propter probitatem eorum cessarent esse suspecti, & faceret honestas personæ emptoris omnem suspicionem simulationis & contractus usurarij cessare, & judicaretur & contractus licitus & recta intentione factus, *ut in cap. nisi essent viri providi de præbend.* & *ibi Panor. facit textus in c. qui de mensa, & ibi glossa 37 distincti & 7. quæst. 1.*
12 *c. omnii*, in quibus juribus aliquid † judicatur bonum & licitum, quia est à bono viro factum. Item sicut utilitas personarum fœnerari solitarum auget suspicionẽ simulationis, *ut in c. illo vos, de pign.* sic per oppositum honestas personarum diminuit suspicionem usuræ & tollit præsumptionem de contrario. Quartò, posito & non concesso, quòd hujusmodi pactum esset illicitum, tamen ipsum non vitiaret contractum emptionis cui apponitur, sed haberetur pro non adjecto. Probatur primò per communem illam juris regulam,
13 utile † per inutile non vitiatur, quæ regula habet locum in omnibus ab invicem separabilibus, *ut notat Bart. in l. grecè. §. illud commune, post Dyn. & alios, ff. de fidejuss.* Sed in casu nostro contractus emptionis est separabilis à pacto, potest enim emptio sine tali pacto consistere: igitur valet contractus noster emptionis, quamvis pactum prædictum esset illicitum & inutile, *sic tenet Bald. in l. secunda, C. de*
14 *jure emphyt.* ubi vult, quòd illicita † pacta, præsertim quæ non sunt contra substantiam contractus cui apponuntur, non vitiant contractum, sed vitiantur in se, & manet contractus validus, plus dicit *Bart. in Authen. ingressi, C. de sacrosanct. eccles.*
15 quòd ingrediens† religionem cum pacto, quòd reservabit sibi aliquod proprium, fit Monachus, tale pactum non vitiat ingressum, sed vitiatur, licet ipsum sit contra substantiam religionis, *c. cum ad monasterium, de statu Monachor.* & licet istud dictum Bartol. est dubium, propterea quòd illud pactum est contra substantiam religionis, *ut notat Panor. in c. insinuante, qui cleri. vel voven.* Tamen de pactis illicitis, quæ non sunt contra substantiam actus, cui apponuntur, sanè nemo unquam dixit, hujusmodi pacta vitiare seu annullare totum contractum. Et ut hoc amplius liqueat videamus exempla, pactum legis
16 † commissoriæ, & pactum simile pacto legis commissoriæ sunt pacta in pignoribus illicita & à jure reprobata, tamen cõtractum pignoris cui apponuntur, non vitiant, *ut in cap. significante, de pignor.* & *l. 1. & fin. C. de pac. pign.* Simile exemplum
17 habemus de † pacto pœnæ pecuniariæ solutioni quantitatis adjectæ, quod quidem

pactum

pactum præsumitur adpositum in fraudē usurarum, & tamen non vitiat stipulationem cui apponitur, sed duntaxat in se vitiatur, *l. Iulianus* & *Papinianus, ff de actio. empt.* & *l. cùm allegas, C. de usur.*

18 Simile † exemplum *in l. prima. §. si conveniatur. ff. depo.* ubi pactum de non præstando dolo in contractu depositi non valet, sed contractum depositi non vitiat, & perindè est ac si non esset appositum: facit ad istud dictum *Specul. in tit. de jure emphyt. § 1. articulo 138. versic. quod si fiat pactum,* ubi dicit, illud autem certum
19 est, quòd † pactum in uno capitulo specialiter factum non debeat ad alia extēdi, *ff. de pac. l. si unus. §. ante omnia. ff. de transactio. l. qui cum tutoribus* & *C. eodem l. si de certa,* & *C. de jure emphyt. l. prima.* Conclusio, pactum hîc de non redimendo ante triennium non est illicitum, aut quomodolibet vitiosum: & dato, quòd illicitum & usurarium esset, non vitiaret tamen hunc nostrum verum emptionis contractum, sed haberetur pro non adjecto.

20 Ad argumentum † *dicti cap. ad nostram de emptio. & vendit.* ubi ex appositione pacti de redimendo post septennium & & infrà novennium præsumitur contractus emptionis fictus & simulatus in fraudem contractus mutui & usurarij, ut ibidem vult *Iohannes Andreę in Novella post Hostiensem, & alios Doctores canonistas.* Solutio, *in dicto cap. ad nostram* non judicatur contractus emptionis fictus & simulatus propter solam appositionem pacti de redimendo post septennium, sed ibi fuerunt multæ conjecturæ, scilicet originalis causa fuit ibidem mutuum precium modicum, ita quòd vix contingebat ad dimidium justi precij, & cùm hoc pactum de redimendo post septennium non quandocunque volebat venditor, sed duntaxat infra novennium: sed in casu nostro hæc omnia cessant, præter quàm quòd hîc est
21 pactum† de non redimēdo nisi post triennium & hoc solùm per se non facit violentam præsumptionem contractus usurarij, ut tenet ibidem *gl.* & *sequitur Innocen. Panorm. in dict. c. ad nostram,* & *communiter omnes Doctores, idem tenet Bal. in Rubrica, C. de usu & usufruct. legat.* & *Ang in d. l. secunda, C. de pac. inter empt.*
22 *& vendi.* & † *facit quod tenet Archidia. in cap. quia plerique. 14. quæst. 3.* & *tenet idem Panorm. in consilio suo 77.* ubi vult, quòd præsumptio quæ oritur ex appositione pacti de redimendo post tempus, non est sufficiens & violenta ad judicandum contractum usurarium & simulatum, nisi plures conjecturæ concurrant: hîc autem in casu nostro non concurrunt aliquæ conjecturæ augentes suspicionem simulationis, sed verius contrariæ conjecturæ diminuentes, & penitus elidentes omnes malas suspiciones, ut patet per suprà dicta: nec aliter censuerent *Hostien.* & *Ioan. And. ubi suprà.*

Ego verò his quæ suprà scripta sunt plenè assentio, atque alijs præterea rationibus confirmo. Primò sic, omnis ratio omneque argumentum, quod ab adversarijs objici potest in allegatione contractus usurarij est, quòd emptores reddituum certi atque securi erant, durante triennio, de fructu vel redditu, & ultra hoc in fine
23 de sorte: unde quicquid † sorti accedit, usura est, *cap. plerique, 14. quæst. 3.* quæ ratio, licet in contractū mutui locum habere posset, tamen in contractu emptionis omnino confunditur: *per Doctores præsertim Panor. & alios in capitul. in civitate, de usu.* ubi approbatur contractus, quod quis det alteri censum, ut in perpetuum habeat redditum super rebus vel personis: unde in tali casu si quis emisset redditum perpetuum & recepisset illum per triginta annos, postea vendens alteri eundem redditum, ipse lucrifaceret sibi fructus perceptos, & nihilominus sortem seu verius precium capitale, quod ab initio,

tio, dum hujusmodi redditum emeret,
persolvit: jam iterum à secundo seu no-
vo emptore ex integro reciperet: & ta-
men hoc faciendo nequaquam commit-
teret usuram, secundum Doctores. Unde
& efficacius ad propositum dicunt *Ioan-
nes Andr.* & *Hostiensis in summa tit. de
usu. versic. quid de his*, *quod refert Paulus
de Castro in suo secũdo volumine antiquo-
rum consiliorum, consilio* 19. aliâs est *con-
silio* 12. incipiente, *præsens dubium vide-
tur determinari*, ubi dicunt, quòd valet
24 emptio † reddituum, sive emantur ad de-
terminatum tempus, sive in perpetuum,
quotienscunque precium est tantum,
quòd ex eo potuisset emi una possessio
tanti fructus annuè. Modò sic est, ut
proposuerunt actores in suis novis articu-
25 lis seu factis, quòd † tempore emptio-
nis hujusmodi sui redditus, quod quidem
tempus respiciendum est. *leg. si volunta-
te. C. de rescindenda venditione*: fun-
dus seu possessio emebatur undique in
illo territorio ad rationem 12. qui fun-
dus annuatim reddit plusquam dictus an-
nuus redditus reddere possit: igitur li-
cita fuit hujusmodi emptio. Nec obstat
pactum de non redimendo ante trien-
26 nium. Quoniam quando † circa tempus
salutionis faciendæ apponitur pactum in
præservationem indemnitatis, hoc pa-
ctum valet: puta, quia dubium est ne
moneta tempore solutionis, ut puta ante
triennium deterioraretur, si ob talem vel
similem rationabilem causam differtur
solutio, valet, secundum quod notabiliter
dicit *Paulus de Castro*, *post alios*, *in l. qui
Romæ, ff. de verborum obligatio.* Modò
sic est, prout dicitur in novis articulis,
quòd tempore emptionis reddituum de
die in diem dubitabatur, an deteriora-
retur aut augmentaretur moneta, unde
potuerunt emptores, qui sunt mercato-
res, suæ indemnitati ob eam causam pro-
videre: nec censentur hoc fecisse in frau-
27 dem usurarum: sicut † in simili dicunt
omnes Doctores, *præsertim Angelus in
summa, de usura.* §. *sexagesimo septimo*,
ubi dicit valere pactum bona fide apposi-
tum, ut vendens non possit ante quin-
quennium rem venditam redimere: quo-
niam scilicet emptor vult possessionem
emptam impinguare: quæ pinguedo non
consumetur, nisi ad tot annos, & pro-
pterea non vult, quòd inter tot annos
possessio possit retroemi sive redimi:
Sic in proposito, justè potuerunt empto-
res suæ indemnitati consulendo pacisci,
ne intra triennium redditus dequitari
possint. Et licet, quòd tamen non cre-
ditur, dicta clausula de non posse dictos
redditus redimere ad triennium, fuisset &
28 esset vitiosa: verùm tamen quando† em-
ptores non sunt usi tali clausula, ideo em-
ptores literis & instrumentis suis, in qui-
bus emptiones hujusmodi reddituum cõ-
tinentur, quoad alias clausulas non vitio-
sas utique uti possunt, & eorum debitum
à debitoribus persequi: sicut in simili, li-
cet in aliquo instrumento sint clausulæ il-
licitæ, tamen si quis non utitur illis clau-
sulis, potest utique reliquas clausulas non
vitiosas persequi, *per textum* & *Bald. in
l. nec exemplum, C. de fal.* ubi dicit, quod
si una clausula instrumenti est erronea,
nulla, seu inutilis, tamen licitum est illis
inutilibus repudiatis, cæteras utiles clau-
sulas persequi, allegat *le. quintam, ff. de
leg. secundo. l. Carmelia pia, ff. de jure pa-
tron.* in hujusmodi enim separabilibus ob-
tinet locum illa communis juris regula,
utile per inutile non vitiatur, prout per
priorem consultorem superius magis am-
plè declaratum est, cui in omnibus & per
omnia, mea opinione de jure assentien-
dum, & sicut superius continetur, judi-
candum esse videtur, salvo semper saniori
consilio.

Superioribus diebus satis amplè dispu-
tatum & declaratum fuit, quòd antetacta
clausu-

clausula de non redimẽdo ante triennium non est sufficiens præsumptio contra emptores ad judicandum contractum fuisse & esse usurarium, pignoratitium & illicitum, vel etiam simulatum alium esse quàm apparet. Jam ad omnem dubitationem tollendam restat videre, an dicta clausula possit alia via induci ad annullationem contractus emptionis redditũum, de quibus pendet magna lis & quæstio, ad quod discutiendum quæritur, ut sequitur. Quæritur, utrum contra naturam sive substantiam contractus venditionum reddituum redimibilium sit pactum de non redimendo intra triennium. Pro solutione dubij necessarium est præsupponere quod sequitur. Primò, quòd † contractus emptionis, est contractus nominatus habens nomen specificum, & nonnullos juris effectus consequentes naturam seu speciem contractus. Exemplum, quòd venditor tenetur rem venditam tradere. Item quòd emptor tenetur precium dare venditori: Isti effectus consequuntur substantiam sive specificam naturam venditionis & emptionis, *le. ex empto. ff. de actio. empt.* Secundò, quòd circa † contractum emptionis & venditionis quandoque apponuntur quædam conventiones sive pacta, ut pactum de retrovendendo, *ut l. secunda, C. de pact. inter empt.* & *vend.* ex quo pacto accedente ad contractum venditionis consequitur contractus ille tamen effectum, quòd emptor potest retroemere sive redimere rem per ipsum venditam, *ut dicta l. secunda*, sed talis effectus consequitur non ipsam speciem contractus emptionis, sed est de accidentali sive extrinseca natura contractus, consequens pactum inter contrahentes appositum, ita dicit *Baldus in le. prima, C. commod.* & probatur *in dicta l. ex empto*, & *dicta l. secunda, cum similib.* & *vide Bald. gl.* & *Doct. in l. pacta conventa, ff. de contrahenda emptione.* Tertiò, quòd † ex præmissis sequitur & est deductum, quòd vendens redditus annuos non potest ex specifica sive substantiali natura contractus venditionis tales redditus redimere: sed quòd redditus est redimibilis, hoc consequitur & dependet ex pacto de redimendo, juxta contractum venditionis reddituum inter cõtrahẽtes appositũ. Et ulterius sequitur, quòd esse redimibile, non est de natura & substantia redditus venditi, neque consequens ad speciem cõtractus, sed est duntaxat de accidentalibus redditus sive de his quæ dependent à pacto posito juxta contractum emptionis reddituum per suprà dicta. Redditus † enim sunt de essentiali natura sua perpetui, & de numero bonorum perpetuorum sive immobilium, *ut in Cle. exivi. §. cumque annui redditus, de verbor. signif.* Sed quòd possunt redimi, hoc habent ex accidenti, videlicet ex pacto apposito, & ideo si nunquam redimerentur, sine dubio durarent in æternum. Istis præsuppositis, respondetur ad quæstionem, quòd tale pactum de non redimendo ante triennium, non est contra substantiam sive specificam naturam emptionis reddituum, sed tale pactum est duntaxat una restrictio sive limitatio ad pactum redimendo, juxta contractum emptionis reddituum appositum: probatur, quia si † unum contrariorum non est secundum naturam contractus, reliquum non est contra naturam contractus, cum unum contrariorum cognoscitur per aliud, jura sunt vulgaria. Sed posse redimere redditum, non est secundum naturam contractus emptionis reddituum, ut modò dictum est: ideo non posse redimere intra triennium, non est contra naturam contractus emptionis: sed sicut posse redimere redditum, est de accidentali natura contractus, ut etiam dictum est, sic non posse redimere intra triennium, est de accidentalibus

Margin numbers: 29 (beside "nere quod sequitur. Primò"), 30 (beside "circa † contractum"), 31 (beside "ne. Tertiò"), 32 (beside "suprà dicta. Redditus"), 33 (beside "contractum emptionis reddituum appositum").

bus contractus, & venit limitativè sive restrictivè contra illam accidentalem naturam, quam habet contractus ex pacto præcedenti. Sed diceret aliquis, quòd licet per præmissa sit satis deductum, quòd pactum de non redimendo, non est contra substantiam contractus, stando in nudo contractu emptionis & venditionis: Tamen descendendo ad contractum emptionis, reddituum redimibilium videtur aliud dicendum, quia tale pactum videtur esse contra substantiam rei in contractum deductæ, scilicet contra substantiam redditus redimibilis, qui de natura sua potest omni momento redi-
34 mi. Jam † quandocunque in aliquo contractu vel dispositione apponitur aliquid, quod est contra substantiam rei in contractum deductæ, hoc reddit totum contractum seu dispositionem inutilem sive nullam, *ut in l. per servum. §.1, ff. de usu* & *habit.* & *notat Bart. in l. ubi donatur, ff. de dona. causa mor.* Sed redditus redimibilis est res quæ deducitur in contractum, igitur pactum de non redimendo ante triennium appositum in hoc contractu contra naturam & substantiam rei venditæ & in contractum deductæ, vitiat totum contractum. Solutio in casu nostro, res vendita seu res quæ in contractum deducitur, non est redditus redimibilis, ut præsupponit argumentum & malè, sed res vendita est redditus sive jus recipiendi pro singulis annis tantam pecuniarum quantitatem: emptor enim nihil emit, nec venditor aliud vendidit, quam redditum: sed quòd ille redditus est redimibilis, hoc habet ex accidenti, videlicet ex pacto juxta contractum apposito, ut su-
35 pra dictum est: & quia † illud pactum de redimendo juxta contractum emptionis reddituum apponitur in beneficium sive favorem venditoris, ideo per aliud pactum potest illud beneficium sive ille favor restringi & limitari, *ut in l. pacisci*, & *ibi gl. ff. de pact.* & *l. si quis in conscribendo. C. de pactis.* Ex isto sequitur, quòd pactum de non redimendo ante triennium, non est contra substantiam rei in contractum deductæ, sed venit restrictivè sive limitativè ad esse redimibile, quod est rei venditæ deductum in pactum juxta contractum appositum. Secundò ponatur, sine veritatis præjudicio, quòd esse redimibile non esset quid accidentale ad redditũ, prout est, sed quod redditus redimibilis esset una species redditus, de cujus natura esset, quòd possit omni momento
36 redimi sicut † de natura fundi communis est, quòd potest omni momento dividi, *ut in §. si familiæ*, & *ibi gl. Inst. de offi. jud.* Tamen valet pactum, quòd talis redditus non possit redimi ante triennium, *ut in l. in hoc judicio. §. si conveniat. ff. com-*
37 *muni dividund.* pacta † enim quæ opponuntur contra naturalia rei in contractũ deductæ, benè valent, nec vitiant, nec vitiantur, *ut in l. pacta conventa.* & *ibi nota. ff. de contrahen. empti.* & *per Bart. in l. ubi ita donatur. ff. de donat. causa mor.* & *in l. 2. C. de jure emphyt.* & *in l. in emptione. ff. de pact.* aliud enim est apponere aliquid contra substantiam rei in contractum deductæ, *ut ibidem notant Doct.*
38 Sed esse † redimibile non est de substantia redditus redimibilis, cujus scilicet substantia sive essentia consistit in jure percipiendi annuè tantam pecuniarum quantitatem, donec redimatur. Sed esse redimibile, aut est accidentale ad redditum (prout revera est) aut est naturale ad illam speciem redditus, quia ponitur præsuppositivè loquendo esse redditus redimi-
39 bilis: sicut † philosophicè loquendo, prout dicit *Bald. in dicta l. pacta conventa*, in hac materia loquendum esse, risibile non est de substantia hominis, sed est naturale homini, consequens ejus naturam specificam, secundum philosophos.

Ad

Ad istud facit, quòd sicut feræ bestiæ, ut sunt cervi, quorum natura fera est, possunt ex accidenti in suis naturalibus restringi & mansuetæ fieri. *l.naturaliter.§. cervos.ff.de acquirendo rerum domi.* sic in simili redditus redimibilis, licet secũdum naturalia sua esset omni momento redimibilis, tamen ex accidenti, ut puta per pactum fieri possit, quòd pro aliquo tempore non posset redimi. Tertiò quòd iterum præsuppositivè loquendo sine præjudicio veritatis, videlicet supposito, quòd redditus redimibilis esset una natura sive species redditus, & quòd illa esset res vendita in casu nostro, contra cujus etiam substantiam esse non posse omni momento redimi, & sic præsupposito, quod pactum esset contra naturam seu substantiam rei venditæ, & consequenter contra naturam seu substantiam contractus, quorum omnium veritas est in contrario. Tamen quoniam

40 prædictum pactum † de non redimendo ante triennium ponitur in dicto contractu per se, scilicet per unam orationem seu clausulam in se perfectam, quæ siquidem clausula, ut videri potest in literis scabinalibus, ponitur, postquam illi de Assenedambocht, qui vendiderunt redditus, pacti fuerunt de eisdem redditibus omni tempore ad eorum beneplacitum redimendis, ideo hoc pactum de non redimendo ante triennium licet esset, ut præsupponitur, contra substantiam rei venditæ in contractum deductæ, tamen ipsum vitiaretur in se & haberetur pro non adiecto, & non vitiaret præcedentem perfectum contractum, ita dicit *Bart.* & *clarius Bal. in d.l.per servum primò ff.de usu* & *habi.* Et iterum hæc prædicta clausula sive pactum de non redimendo ante triennium operabatur ad longiorem durationem, & sic ad augmentum contractus venditionis redditũum redimibilium. Ideo quamvis esset contra substantiam contractus, tamen non vitiaret contractum, sed vitiaretur: *ut in l.cum precario.ff.de prec.* & *Bald. in d.l.2.C.de ju.emphy.* & *DD. in Auth.ingressi, C.de sacrosan.eccl.Bald. in c.1.§.nulla, per quos fiat invest.in usib.feud.* Sed adhuc dubitaret aliquis, quamvis pactum sive clausula de non redimendo ante triennium nõ est contra substantiam huius emptionis redditũum: Tamen est contra intentionẽ, tam principis quam adhæritatorum de Assenedambocht, quorum voluntas & intentio fuit, vendere redditus omni momento sive omni tempore redimibiles, &

41 sic procuratores † constituti ad vendendum huiusmodi redditus excesserunt fines mandati, & sic nulliter processerunt, *per l.diligenter. ff. de manda.* & *in cap. cùm dilecta, de confir. uti vel inuti.* &c. Solutio non creditur, quòd voluntas & intentio principis & adhæritatorum fuit tam stricta & limitata, quòd voluerunt & mandaverunt procuratoribus ad vendendum constitutis in pactum deducere, quòd redditus quos venderent potuissent omni tempore ante triennium & post redimi absque eo quòd emptoribus deberet fieri de redimendo aliqua præcedens insinuatio. Sed creditur, & constat ex li-

42 teris, quòd † princeps dedit licentiam in forma consueta absque eo quòd ipse in literis licentiæ dedit adhæritatis vel eorum procuratoribus aliquam formam specialem paciscendi cum emptoribus, sed illam commisit, prout de stylo committere consuevit, discretioni eorum, nec etiam adhæritati dederunt suis procuratoribus strictam & limitatam formam paciscendi seu clausulandi cum emptoribus redditũum, sed habuerunt mandatum indeterminatum & generale cum libera potestate illa omnia faciendi, quæ ipsimet facere potuerunt. Ideo pacta per & inter ipsos procuratores & reddituum emptores in contractibus apposita prodesse & no-

cere poterant ac debebant adhæritatis, *l. rescriptum. §. plerunque, cum duabus ll. sequentibus, & ibi Bart. Alex.* & *Bald. ff. de pact.* sufficit enim, quòd antedicti procuratores adhæritatorum opposuerunt pacta de redimendo utilia, & secundum qualitatem temporis rationabilia, *ut in l. præterea, & ibi Doct. ff. mand.* pactum autem de redimendo redditus, salvo, quòd infrà triennium non redimerent, fuit rationabile pactum, propter ascensum pecuniæ, qui tunc verisimiliter timebatur futurus, prout revera futurus fuit & sequebatur. Si enim adhæritati potuissent redditus redimere in primo vel secundo anno, ipsi restituentes libras & solidos in æstimatione, qua tempore restitutionis fuerunt, redemissent redditus & solvissent decursum eorundem. Et nihilominus de speciebus nummorum quos receperunt, tenuissent aliquos nummos in eorum manibus quod fuisset irrationabile. Item præsuppositivè loquendo ponatur, quòd procuratores habuerunt mandatum restrictum & limitatum ad vendendum redditus cum clausula, quòd essent omni tempore & momento redimibiles, (quod non) Tamen ex hoc non sequeretur, quòd contractus per eos cum emptoribus reddituum factus, esset nullus propter clausulam de non redimendo ante triennium,
43 quia † scabini seu rectores officij de Assenedambocht, qui repræsentant totam communitatem sive adhæritatos, *ut in l. municipibus. ff. de cond. & demon. ut l. 1. §. fin ff. de acquir. possess.* & *in l. item magistri, ff. de pact.* videntes & scientes dictam clausulam ratificaverunt contractũ cum clausulis inibi comprehensis, apponendo sigilla sua: igitur quamvis procuratores excessissent fines & formam mandati sui, quod non creditur, tamen per ratificationem omnia essent validata, *per l. cum mandati, ubi est notabilis tex. C. mãda.* Novissime supposito iterum, quòd procuratores habuerunt mandatum restrictum, ut suprà, & quòd fines illius mandati excesserunt in & per hoc, quòd apposuerunt pactum de non redimendo ante triennium, & amplius, posito quòd contractus cum pactis sibi appositis non non esset expost ratificatus seu ratihabitus, de quibus omnibus est veritas in opposito, ut suprà dictum est. Tamen attento tenore literarum de Assenedambocht liquidò constat, quòd procuratores vendiderunt redditus omni tempore redimibiles, quia ut ibidem in literis patet, procuratores pacti sunt cum emptoribus, quòd ipsi de Assenedambocht possent quandocunque omni tempore & momento pro eorum placito dictos redditus redimere & dequitare. Quare patet, quòd contractus fuit perfectus in omnibus substantialibus suis, antequam appositum fuit pactum de non redimendo ante triennium, quod siquidem pactum præsuppositivè loquendo, si ponatur esse contra licentiam principis, & extra mandatum & intentionem adhæritatorum appositum, &
44 sic inutile. Tamen, quia † contractus cum pacto de redimendo factus fuit prius in alia oratione perfectus, secundum intentionem principis & adhæritatorum, ideo ipsum dictum pactum non vitiat contractum, nec impedit seu impedivit consensum partium volentium respectivè vendere & emere redditus redimibiles: sed stat regula, utile per inutile non vitiatur, ut superius in tertia solutione probatum est per jura & Doct. ibidem allegatos, per quæ jura & Doctores constat, quòd pactum inutile dispositioni utili prius perfectæ appositum vitiatur & non vitiat dispositionem prius perfectam, & istud tenet *Bald. in l. certi. §. quoniam. ff. si cer. pet.* ubi dicit per illum tex. quod partes per dispositionem inutilem non intelliguntur velle recedere à disposione utili prius per & inter eas perfecta. Item nulli-

45 nullitas † pacti post perfectum contractũ in favorem emptoris appositi, non potest nec debet de jure & rationis paritate plus nocere emptoribus quam idem pactum casu quo validum fuisset, potuisset eisdem emptoribus prodesse, quia idem operatur propositum in proposito, quod oppositum in opposito, *l. & si contra. in fi. & ibi Bar. & Alex. ff. de vulg. & pu.* Sed si pactum de non redimendo ante triennium, fuisset pactum utile, non potuisset emptoribus, nisi in hoc duntaxat, quod redditus debuissent ad triennium permanere & currere ad commodum ipsorum, sic quod venditores si ante triennium venissent, non potuissent redimere redditus per eos venditos. Igitur in casu contrario, in quo scilicet idem pactum tanquam contra licentiam principis vel extra mandatum adhæritatorum appositum est nullum, hujusmodi nullitas non plus potuit nocere emptoribus, & prodesse venditoribus quam quòd venditores potuissent non obstante pacto ante triennium sæpè dictos redditus redimere, quare iniquum & contra omnem rationem foret, quòd sæpè dictum inutile pactum vitiaret contractum per & inter illos de Assedenedambocht juxta formam licentiæ principis, & emptores reddituum redimibilium
46 prius perfectum: non † enim solent quæ superabundant vitiare scripturam *l. non solent. ff. de reg. jur.* Et certè omne sanum & discretum ingenium abhorret,
47 quod illud † pactum quod in favorem emptorum fuit, & quidem ex bona & justa causa appositum, deberet ita amarè retorqueri in eorum odium, quod ejus nullitas annullaret totum contractum, contra *l. quod favore, C. de leg.* & *l. ea lege. ff. loca. cum sim.* Et tantò minus debet d. clausula sive pactum retorqueri in odium emptorum ad totam annullationem contractus, quia venditores reddituum nunquam intra triennium tentaverunt dictos redditus redimere, quod si tentassent & docuissent dictum pactum fuisse appositum extra eorum mandatum & contra licentiam principis, eo casu fuit in potestate emptorum, venditoribus dictum pactum remittere, & se secundum residuum contractus regulare, *ut est tex. in l. præterea, cum l. seq. ff. man.* quilibet enim potest renunciare pacto in favorem suum apposito, *l. si quis in conscribendo. C. de pact.* Igitur si infra triennium contractus emptionis reddituum non fuit vitiatus per appositionem clausulæ prædictæ, nec hodie potest vitiari vel vitiatus esse, intellige per appositionem ejusdem
48 claus. quia † contractus ab initio validus tractu temporis non infirmatur, *l. in ambiguis. §. non est novum. ff. de re. ju.* Ex omnibus istis sequuntur conclusiones infrà scriptæ. Prima conclusio, quod pactum de non redimendo ante triennium non est contra substantiam, vel etiam naturam contractus emptionis & venditionis reddituum, de quibus vertitur quæstio. Secunda conclusio, quod idem pactum non est contra substantiam vel etiam naturam rei in contractum emptionis & venditionis deductæ. Tertia conclusio, quòd quamvis idem pactum esset contra naturam vel etiam substantiam contractus vel rei in contractum deductæ, tamen solum ipsum in se vitiaretur, & nõ vitiaret contractum eodem tempore prius in alia oratione juxta principis licentiam & intentionem adhæritatorum plenè perfectum. Quarta conclusio, quòd ipsum præfatum pactum fuit benè & nequaquã contra licentiam principis vel etiam contra vel ultra intentionem seu mandatum adhæritatorum per procuratores ipsorum juxta contractum antedictum appositum. Quinta conclusio, quòd licet id idem pactum fuisset contra licentiam principis & etiam contra vel ultra intentionem & mandatum adhæritatorum appositum, ta-

men ipsum solum vitiaretur & non vitiaret contractum emptionis reddituum prius in alia oratione, & inter contrahentes juxta licentiam principis & mandatum seu intentionem adhæritatorum plenè perfectum.

Correlarium igitur responsivum est titulus quæstionis negativè sumptus.

CONSILIUM CLI.

SVMMARIA.

1 *Emphyteota utile dominium sine consensu domini impignorare potest. & num. 5.*

2 *Resoluto jure datoris, resolvitur jus acceptoris.*

3 *Emphyteota ex quibus causis à jure suo cadat. & num. 6.*

4 *Jus percipiendi annuum redditum ex bonis emphyteuticis sine consensu domini directi obligatis an & quanto tempore præscribatur.*

7 *Emphyteota alterare naturam bonorum emphyteoticorum non potest.*

VIso casu, pro indubitato præsupponendum censeo, primo quòd † em- 1 phyteota potest sine consensu domini impignorare rem emphyteoticam, quo ad utile dominium quod in ea habet, *text. est juncta glos. in l. lex. vectigali. ff. de pign.* & *est glossa ordinaria*, & *ibi hoc sequuntur omnes Doct. in l. fi. C. de jure emphyt.* Item secundò præsupponendum censeo 2 pro indubitato, quòd emphyteota † cadēte à jure, evanescit jus pignorum, quòd in re emphyteotica tertius habet, quia resoluto jure datoris, resolvitur jus acceptoris, *ut est casus in d. lex vectigali, in fin.* & *ibi Doct.* Item tertiò præsupponendum censeo pro indubitato, quòd emphyteota 3 † ecclesiæ cadit à jure non solvendo canonem infra biennium, *c. potuit de loca.* & *Auth. qui rem, C. de sacrosan. eccl.* & emphyteota privati non solvendo canonē infrà triennium. *l. 2. C. de jure emphy.* Item alienando, vendendo, vel transferendo jus emphyteoticum in alium sine consensu domini denunciatione non præcedente, *ut habetur in preal. l. fin. C. de jure emphy.* & *in d. c. potuit.* in quo consensu non venit, quòd possit alienare in personas potentiores & alias personas prohibitas, *ut in juribus præalle. cum utrobique not. per gl.* & *Doct.* sed est difficultas inter DD. an emphyteota cadat ipso jure, vel an requiratur sententia, ut videri potest in locis præall. in casu autem præsenti non est opus intrare illam difficultatem, quia lata est sententia privativa, seu declaratoria contra emphyteotam vel ejus hæredem anno 1484. ut habet casus: restat ergo 4 duntaxat dubium, an tertius † creditor, cui res emphytheotica per emphyteotam non interveniente consensu domini, fuit obligata vel hypothecata pro certo reditu, præscripserit jus recipiendi hujusmodi redditum super dictis rebus emphyteoticis ad ecclesiam spectantibus, resoluto jure emphyteotæ hypothecantis. In quo articulo omissis superfluis, videtur mihi subscripto breviter dicendum, quòd non, quia si benè inspiciamus, à tempore latæ sententiæ effluxi sunt duntaxat 24. anni, qui non sufficiunt ad præscribendum jus percipiendi redditum ex re emphyteotica, maximè contra ecclesiam, cōtra quam non præscribitur, nisi spacio 40. annorum regulariter, *cap. de quarta, cum ibi nota. per Doct.* & *maximè per Panor. de præscriptio.* & *Auth. quas actiones, C. de sacrosan. eccles.* dictus autem creditor habet actionem suam contra emphyteotam, qui hujusmodi hypothecam constituit, & ejus

ejus hæredes, sed fundus Ecclesiæ liber remanet, nec potest dici contra eam præscripta servitus solvendi hujusmodi redditum ex cursu 24. annorum *per jura suprà alleg. cum utrobique nota.* Nec obstat
5 si dicatur, quod redditus † iste fuit constitutus anno 1410. & semper cursum habuit, factaque est solutio, quare sequitur quòd jam præscripta sit servitus solvendi hujusmodi redditum contra ecclesiam, cujus est res hypothecata, quia dico quod constitutio redditus ab initio valuit, quatenus tangebat seu concernebat utile dominium emphyteotæ, *d. l. lex vectigali, cum sim.* sed in prejudicium ecclesiæ, apud quam fuit directum dominium, non valuit nec potest ecclesię prejudicare solutio facta per emphyteotam quam diu non fuit facta declaratio super caducitate, puta, quòd decidit à jure suo, nam ut supra dixi, emphytheota potest utile suum dominium hypthecare & impignorare sine consensu domini: A tempore autem hujusmodi declarationis solum effluxerunt 24. anni, qui, non sufficiunt ad præscribendum contra Ecclesiam in isto casu, ut suprà dixi, quare non obstat. Posset etiam ex multis alijs capitibus impu-
6 gnari alienatio † facta per dictum emphyteotam, tum quia in potentiorem *juxta notata eleganter per Bart. Paul. de Cast. & Doct. in l. fin. C. ne fiscus vel rep. pub.* tum quia de re litigiosa, *juxta ea quæ habentur, C. de litigiosis, per totum*
7 tum etiam, quia † recipiendo illa bona emphyteotica in feudum à duce Brabantiæ, alteravit naturam eorundem, quod nō licet emphyteotę, ut latè habetur *per Bal. Ias. & alios in le. prima, circa finem, C. de jure emphyt.* sed quia de isto, non est quæstio, sed duntaxat de redditu cōstituto per emphyteotam, cujus jus resolutum fuit per sententiam, ut dixi, anno 1483. amplius circa ista non insisto.

CONSILIUM CLII.

SVMMARIA.

1 *Verba præcedentia declarantur per subsequentia.*

2 *Qualitas adjecta verbo intelligitur secundum tempus verbi.*

3 *Verba legis, statuti vel ordinationis dubia capiunt interpretationem à consuetudine.*

4 *Omnes mundi constitutiones interpretationem à jure communi recipiunt.*

5 *Seniores junioribus præferendi sunt.*

6 *Quod contra naturalem fit rationem, tolerandum non est.*

7 *In novis rebus constituendis evidens debet esse utilitas, ut recedatur ab eo quod diu æquum visum est.*

IN casu proposito, omissis ambagibus, videtur mihi subscripto breviter sine aliqua hæsitatione dicendum, quòd verba
1 † dictæ ordinationis debent intelligi secundum ultimum intellectum positum in casu, quia verba clausulæ incipientia, donec & quousque omnes ante ipsum residentes contulerint, &c. sunt in se clara, apertè volentia, quod noviter receptus in canonicum, non posset conferre, imò debet expectare, donec & quousque viderit omnes alios ante ipsum residentes conferre. Nec obstat si dicatur, quod verba hujusmodi clausulæ non dicunt, quod noviter receptus in canonicum debet vidisse, quòd omnes alij ante ipsum residentes contulerint, sed ex vi verborum satis est, si alij ante eum residentes aliquando contulerint, licet ipse non

non viderit, vel licet hoc tempore suæ residentiæ non acciderit, quia dico, quòd verba dictæ clausulæ necessariò debent intelligi secundum ultimum intellectum positum in casu per me approbatum ex multis respectibus. Primò per regulam
2 generalem quæ habet, quòd † qualitas adjecta verbo intelligitur secundum tempus verbi, de qua *in l. in delictis. §. si extraneus & ibi Bart. Bald. & Doct. ff. de nox. actio.* Modò ita est, quòd verbum contulerint, positum in dicta clausula est futuri temporis: ergo qualitas illa donec & quousque adjecta eidem verbo debet intelligi secundum tempus ejusdem verbi, ut sit sensus, quòd noviter receptus expectabit, donec & quousque omnes alij ante eum residentes contulerint, scilicet in futurum, per regulam *d. §. si extraneus, cum ibi no-*
3 *tatis.* Præterea dato, quòd † verba dictæ clausulæ essent dubia, prout nō sunt rectè intelligenti, tamen in dubio deberet capi intellectus approbatus per consuetudinem hactenus observatam, quia ubi verba legis, statuti vel ordinationis sunt dubia, capiunt interpretationem à consuetudine, quia consuetudo est optima legum interpres, *l. si de interpretatione, ff. de legi. cum si.* cùm ergo semper observatus dicatur ultimus intellectus in casu positus ut ex diversis ordinationibus & declarationibus apparere potest, sine aliqua hæsitatione capiendus est ille intellectus, qui est consuetudini conformis. Præterea cessante consuetudine & data dubietate in intellectu dictæ clausulæ, deberet capi interpretatio à jure communi, quia omnes
4 † constitutiones mundi capiunt interpretationem à jure communi, *l. 2 C. de noxa. acti.* & *c. cùm dilectus, de consuet.* sed de
5 jure communi seniores † in collegio præferuntur junioribus & postea receptis, in sessionibus & alijs, *l. prima, ff. de obsequijs, cum ibi nota.* & *habetur pulchrè per Feli. in Rubrica, de major.* & *obedien.* ergo, &c.

Præterea si aliter fieret interpretatio, se-
6 queretur absurdum, † quia postea receptus alijs antiquioribus ante eum receptis, qui aliquandiu ante ejus receptionem cōtulerunt, præferretur, quod esset absurdum & contra rationem naturalem, & ergo non tolerandum, *cap. solitæ, cum ibi nota. per Panor. de majo.* & *obe.* & *cap. dudum, cum gl. de preb. lib. 6. cum similibus.* Præterea interpretatio quam noviter recepti facere conantur, inducit novitatem, nam est contra antiquam & inviolabiliter observatam consuetudinem, ut suprà di-
7 xi. Modò ita est, quòd in rebus † novis constituendis, evidens debet esse utilitas, ut recedatur ab eo jure quod diu æquum visum est, ut eleganter dicit *text. in leg. rebus. ff. de const. princ.* & est ratio, quia novitates pariunt discordiam, & faciunt detrimentum maximum in republica, ut habent jura vulgaria. Ex quibus omnibus videtur mihi subscripto sine aliqua hæsitatione, quòd sanus & juridicus est secundus intellectus dictæ clausulæ, de quo in casu.

CONSILIUM CLIII.

SUMMARIA.

1 *Fideicommissum expirat conditione ejus deficiente, &c.*
2 *Sine liberis decessisse non censetur, etiamsi liberi statim post parentem mortui fuerint.*
3 *Nemo potest plus juris in alium transferre quàm ipse habet.*
4 *Alienari non possunt res restitutioni subjectæ.*
5 *Venditionem injustè impediens quâ actione teneatur, &c.*

VIsa clausula testamenti bonæ memoriæ Dom. Arnoldi van Crayenhem militis

militis conditi anno Domini Millesimo quadringentesimo vigesimo nono, mensis Februarij die quarta, in quo quidem testamento seu ultima voluntate inter alia ordinavit & disposuit, quòd post mortem suæ uxoris Wilhelmus van Roode filius Laurentij habebit & possidebit perpetuò & hæreditariè censam seu domum & domi stadium cum pertinentijs suis, situatam in villa de Duffele, cum conditione adjecta, quòd si dictus Wilhelmus decederet sine liberis legitimis ex suo corpore procreatis, quòd in eum eventum dicta censa sive domus & domi stadium redire debeat ad dicti Dom. testatoris hæredes, possessores castri seu dominij de Grobbendonck, visis etiam literis scabinalibus, quibus apparet dictum Wilhelmum van Roode vigore dicti testamenti fuisse in possessione dictæ censæ sive domus, videtur mihi subscripto, sine aliqua hæsitatione dicendum, quòd possessores dicti castri seu dominij de Grobbendonck nullo jure fundati sunt, imò nec colorem habent ad impediendum dominum Simonem van Roode filium naturalem & legitimum dicti Wilhelmi Laurentij van Roode, quo minus de dicta domo seu censa ad libitum disponere posset, illam vendendo, alienando, hypothecando, seu aliâs de ea disponendo, nam certum,
1 † notorium & indubitatum est, quòd dictus Wilhelmus van Roode filius Laurentij legatarius decessit, relictis post se liberis legitimis, puta domino Laurentio van Roode, & præfato domino Simone van Roode: ergo certi & indubitati juris est, quòd conditio dicti fideicommissi defecit etiamsi dicti filij naturales & legitimi solùm uno momento supervixissent, & hoc constaret, ut est casus in terminis *in l. ex facto. §. penult. ff. ad Trebel.* quo stante certum est & indubitatum, quòd dicti filij naturales & legitimi præfati Wilhelmi van Roode, in quibus radicatum fuit dominium & proprietas dictæ censæ post ipsius Wilhelmi van Roode decessum, superstites de eadem censa seu domo disponere possunt, ex quo non subjacet amplius restitutioni, ut dixi, *d. l. ex facto. §. penult. cum concor.* Nec obstat, si dicatur, quòd licet dictus Wilhelmus van Roode decesserat cum liberis legitimis, tamen liberi legitimi dicti Wilhelmi non sunt habituri liberos legitimos, ex quo fuerunt & sunt Sacerdotes. Quia re-
2 spondeo & dico, quod † satis est, quòd dictus Wilhelmus van Roode decessit, relictis liberis legitimis, etiam si illi non supervixissent, nisi una dimidia hora, ut est casus *in dicta l. ex facto. §. penultim. cum concor.* aliâs si dictus dominus Arnoldus testator voluisset, quòd dicta censa seu domus debeat reverti ad suos hæredes post mortem dicti domini Wilhelmi van Roode & suorum filiorum legitimorum, necesse fuisset adiicere adhuc unam aliam clausulam, videlicet & si proles legitimæ dicti Wilhelmi van Roode decedant sine prolibus legitimis, quòd tunc & in eum eventum dicta censa seu domus revertatur ad hæredes ipsius testatoris, quod factum non est, relinquitur ergo quòd sine aliquo dubio nullum jus competit hæredibus dicti domini Arnoldi in dicta censa seu domo de Duffe-
3 le. Nec obstat si dicatur, nemo † potest plus juris in alium transferre, quàm ipse habeat, *l. nemo plus. ff. de reg. jur.* & *c. nuper, de donatio. inter vir. & uxor. cum concor.* sed dictus Wilhelmus van Roode non potuisset dictam censam alienare in vita, ergo nec filij sui legitimi, quia concessa majore respondetur ad minorem, negando quòd dictus Wilhelmus van Roode
4 non potuisset alienare, imò † si alienasset dictam censam subjectam restitutioni, in eventum conditionis, si decederet sine liberis, valida fuisset alienatio: sed si contigisset eum postea decedere sine libe-

 ris le-

ris legitimis, hujuſmodi alienatio potuiſſet impugnari, annihilari & retractari per hæredes dicti quondam domini Arnoldi, ut eſt caſus in terminis *in l. fina. §. fina. C. communia de legatis*, & *ibi Doctores.* Poteſt etiam dici, quòd in hoc caſu non eſt attendenda perſona legatarij, ſed perſona teſtatoris, qui potuit plenè de ea re diſponere, & ſic conditione appoſita per eum in teſtamento, qua exiſtente, voluit eam cenſam redire ad hæredes, deficiente certum eſt, hæredes dicti domini Arnoldi nullum penitus jus habere in dicta cenſa ſeu domo, & per conſequens eos non poſſe impedire venditionem ejuſdem,
5 & ſic etiam clarum eſt, quòd † impediendo venditionem ejuſdem tenentur actione in factum, vel de dolo ad intereſſe & indemnitatem, ut eſt caſus expreſſus *in l. rem quandam. ff. de dolo*, & quia impedire volentes hujuſmodi venditionem ſunt laici & nobiles omnes, vel pro majori parte moram trahentes in ducatu Brabantiæ, conſulerem, quòd juxta formam, *l. diffamari, C. de ingenu. manu.* facta narratione de præmiſſis, contra eos procedatur in Cancellaria Brabantiæ, ut videtur inculcatio & multitudo proceſſuum.

CONSILIUM CLIV.

SUMMARIA.

1 *Matrimonium facit ſolus conſenſus.*

2 *Annuli datio inter futuros conjuges quid probet.*

3 *Conſenſus matrimonialis qualiter probetur, & num. 4.*

5 *Dixiſſe nemo præſumitur quod non mente cogitavit.*

6 *Juſjurandum contra matrimonium locum non habet.*

7 *Sententia in cauſa matrimoniali nunquam tranſit in rem judicatam.*

VIſo proceſſu inter promotorem officij actorem ex una, & Marcum Balget & Margaretam van Weyndeweke reos partibus ex altera, coram vobis venerabili viro & domino Officiali Cameracenſi, pendente indeciſo, tota difficultas in duobus punctis videtur conſiſtere, quorum primus eſt, utrum ex actis ſufficienter conſtat, intentionem promotoris eſſe fundatam, & matrimonium inter dictos Marcum & Margaretam fuiſſe & eſſe cõtractum. Secundus eſt, præſuppoſito quòd eſſet contractum, utrum ne obſtat ſententia lata per Officialem Tornacenſem in actis exhibita. Pro ſolutione primi, breviter
1 omiſſis ſuperfluis dicitur, quòd † ſolus conſenſus, dummodo conſtet de illo, facit matrimonium, *cap. cum apud, cap. cum locum, cap. tuæ, de ſponſalibus. l. fin. ff. eodem titulo, cap. ſufficiat, 27. quæſtione ſecunda*, in quo conſenſu verborum ſolennitas non requiritur, *l. conſenſu. ff. de actio.* & *obligatio.* Nec refert, an præſentes vel abſentes per literas ſive per nuncium talem conſenſum exprimant, *cap. diſtinct. cap. optatum, 63. diſtinct. cap. quanto*, & *18. diſtinct. cap. placuit*, & *volunt omnes Docto. in cap. finali, de procuratoribus, libro 6.* & *notat. per gloſſam, 30. quæſtione 5. cap. nec illud*, & *ibi Archi-*
2 *diac.* ſive † per immiſſionem annuli in digito, maximè ſi tractatus præceſſerit, *cap. ſi inter, de ſponſalib.* & *Calderinus conſilio quinto, de ſponſalib.* niſi probetur per recipientem vel immittentem, non animo contrahendi ſe hoc feciſſe, *argum. cap. fœminæ*, & *cap. noſtrates, 30. quæſt. 5.* & *expreſſè Panor. in c. tenor, de re judi.* ſive † etiam per propriam confeſſionem conjugum, dummodo alteri matrimonio non præjudicetur, *cap. ſuper eo, de eo*

de eo qui cognovit consangui. uxor. suę, & *est glos. super verbo, legitima, in c. aliter,* 30. *quæstio.* 5. & *in cap. si quis divinis, ea. cau.* & *quęst. ubi dicit Archid.* quòd etiam statur confessioni conjugum in præjudicium monasterij, si confessio præcessit ingressum: nec refert, si talis confessio absente, vel pręsente parte facta sit, cum à solo arbitrio dependeat, ut est glossa singularis *in l. Pomponius. ff. de negocijs gestis,* & *vult Bart. in l. certum,* §. *si quis ff. de confessio.* Et multò fortius hoc procedit, si fuerit geminata, secundum *Bart. in l. cum scimus, C. de agric.* & *cens. lib.* 11. & *volunt Doct. in l. in contractibus, C. de non numerata pecu.* & *Panorm.* & *Doctores in cap. si cautio, de fide instrum.* Cùm igitur dictus Marcus confiteatur & proponat verba de præsenti, ac diversas literas à rea sibi & econtrà scriptas per eum receptas, & annuli dationem & receptionem, dictaque Margareta in sua responsione fateatur, se misisse literas, de quibus in actis, in quarum una ex tribus primis habetur, **O lieff/ick ghelove u nu mijn trouwe/ ꝛc.** Id est: O dilecte, ego promitto tibi nunc meam fidē, &c. seque permansisse apud illa verba & annulum recepisse, & depost iterum scripsisse per alias literas, **Ick houwe my aen die trouwe die ghy my ghegeven hebt/** id est: Ego teneo me ad fidem quā mihi dedisti, quæ verba præsupponunt matrimonium: & iterum in tertia ex tribus primis literis exhibitis, **maer en segt huer niet dat wy deen dander trouwe geloeft hebben/** hoc est: Sed non dicas ei, quòd nos mutuam dederimus inter nos fidem, & in literis signatis per B. in ruptura dicit, **Ick ben uwe/ende ghy sijt mijne/** id est: Ego sum tuus, & tu es meus, & in literis signatis per C. **wy en mogen van malcanderen niet scheyden/want wy deen dander eenen dieren pandt geloeft hebbē/** id est, nos nō possumus ab invicē separari, quia nos invicē caro pignore devincti sumus. Et adhuc in eisdē, **want wy van deē dander niet scheyden en mogen/** id est: quia nos ab invicē separari non possumus, & in literis signatis per D. **doen ick my overgaf/** id est: cùm ego me traderem, & in eisdem, **en willet niemant seggen/ dat wy deē dander trouwe geloeft hebbē/** id est: nemini dicas, quod nos inter nos dederimus fidē, & in literis signatis per E. **dat weet ick wel / dat wy van deen dander nyet scheydē en mogen/** id est: hoc scio benè, quòd nos ab invicē separari non possumus, & in eisdē, **lief ick bid u/ dat ghy niemant seggen en wilt/dat wy deē dander trouwe geloeft hebbē/** id est, Dilecte ego te rogo, nemini dicas, quòd nos mutuam inter nos dederimus fidē, cum multis alijs recognitionibus in alijs adhuc literis apud acta recognitis cōstat manifestè matrimonium etiā de præsenti sufficienter esse probatum, per jura
4 superius allegata, & quòd etiam† consensum suum, etiam de præsenti non solū alteri, sed sibi invicē sufficienter notificarūt, quod requiritur, ut volunt *Archid. Iohan. Andreę, Dominicus* & *Philip. Franc.* & *Doct. in dicto c. fina. de procurat. lib.* 6. Nō
5 obstat, si dicat dicta Margareta, se† nō fecisse præmissa animo contrahēdi, quia hoc ipsa probare deberet, *arg. dictorum cc. fœminæ.* & *nostrates* 30. *quæst.* 5. & *per Pan. in d. ca. tenor,* nemo enim præsumitur dixisse vel scripsisse, quod mente non cogitavit, *l. Labeo. ff. de suppellect. legat. cum sim.* & tantum de primo. Veniendo nunc ad secundum punctum, dicetur breviter, quòd quia illa prætensa sententia est lata à non à judice, lite hîc coram vobis indecisa pendente, promotore vestro minimè vocato vel sciente, etiam si esset lata in alia causa, in qua sententia transierit in rem judicatam, obesse non posset, & longè minus poterit obesse contra

6 matrimonium, cum † contra matrimonium neque jusjurandum locum habeat, *l. ait prætor, in gl. super verbo, agatur,* & *ibi Bar. de jurejur.* neque præscriptio, 33.
7 *q.5. cap. quod Deo,* neque † sententia ullo unquam tempore in rem transit judicatam, *cap. lator, de sent.* & *re judic.* & *ca. fraternitatis, de frigi.* & *malefic. cum sim.*

CONSILIUM CLV.

SVMMARIA.

1 *Voluntas an æquè ex literis, sicut ex verbis colligi possit. & nu. 16.*
2 *Testamenti loco inter liberos habetur quævis scriptura manu patris propria scripta & publicata. & num. 7.*
3 *Probatio per testes & probatio per confessionem æquiparantur, quatenus concernit præjudicium confitentis.*
4 *Temporis expressio etiam in testamento inter liberos manu patris scripto de jure requiritur.*
5 *Testamentum posterius prævalet prioribus.*
6 *Liberi magis sunt privilegiati quàm pia causa.*
7 *Testamentum inter liberos quæ requirat.*
8 *Dispositio ad testandum non est testamentum, & num. 19.*
9 *Legata etiam pia ex imperfecto testamento non debentur. & num. 12.*
10 *Testamentum continens repugnãtiam vel incertitudinem non valet.*
11 *Quandocunque concurrit privilegiatus cum pariter privilegiato, tunc favorabilior est causa rei.*
13 *Libertas qualiter relinqui debeat.*
14 *Argumentum à libertate ad piam causam valet.*
15 *Ecclesia & libertas æquiparantur.*
17 *Actus non valet in quo id quod pro forma requiritur servatum non fuit.*
18 *Correctio jurium vitanda est.*
20 *Confessio testatoris de qua aliâs legitimè non constat, tertio præjudicare nequit.*

IN articulo seu puncto mihi transmisso, an scilicet standum sit schedulæ manu propria quondam Domini Ioannis Maket scriptæ, & vim testamenti seu ultimæ voluntatis habeat, nec ne. Prima fronte videtur dicendum, illi esse standũ. Tum primò, quia litera & manus est recognita, nec hoc revocatur in dubium, vo-
1 luntas † autem ita exprimitur literis, sicuti verbis, *l. consensu, ff. de act.* & *obligat. cum similibus,* & hinc est, quod per literas etiam contrahitur matrimonium, *ut notat glossa* & *Doctores in cap. nec illud, 30. quæst. 5.* & *volunt omnes Doctores in cap. fin. de procurator. lib. 6.* Tum etiam quia ferè omnia in dicta schedula disposita sunt ad pias causas, in quibus duo testes sufficiunt, *c. relatum, primò, de testam.* si ergo duo testes sufficiant, videtur multo fortius sufficere scriptura manu propria dicti domini Iohannis scripta & recogni-
2 ta. Tum etiam, quia videmus, quòd † inter liberos sufficit scriptura manu propria patris scripta, ut habeatur loco testamenti, *Authentica, quod sine, C. de testamentis, juncta l. fina. C. familiæ herciscundæ:* ergo

ergo idem videtur dicẽdum in pia causa: Tum etiam quia dicta scriptura saltem habet vim confessionis. Modò ita est,
3 quòd probatio † per testes, & probatio per confessionem æquiparantur, quatenus concernit præjudicium confitentis, *cap. at si clerici, de judic. cum similibus.* Nec obstar, si dicatur, quòd in ea non est tempus, quia in privata scriptura, qualis est ista, non est necessaria expressio temporis, diei, vel consulis, *textus est singularis in l. cuum tabernam. ff. de pignor.* Istis tamen non obstantibus, videtur mihi subscripto sine aliqua hæsitatione dicendum, quòd dictæ schedulæ non sit standum, & hoc ex multiplici capite. Primò,
4 quia † in ea non est tempus, quod de jure requiritur etiam in testamento inter liberos scripto manu patris, *dicta Authentica, quod sine, & in corpore unde sumitur, & ibi hoc expreßè volunt Baldus, Ang. Salic. & Doctores, & Alexander de Imola, in consilio suo 76. tertij voluminis, incipiente, Redemptoris,* &c. ponderatis his, de
5 quibus in themate: & est ratio, quia † testamentum pluries fieri & mutari potest, unde est necesse, quòd appareat de tempore: quia illud est ratum, quod est ultimum, *l. omnium. C. de testamentis, cum sim.* Fortius ergo hoc requiritur in testa-
6 mento ad pias causas, quia liberi † magis sunt privilegiati & favorabiles, quàm pia causa, ut probatur *in cap. quęcunque, 17.*
7 *quęst. 4.* tum etiam † quia dicta schedula non reperitur lecta, vel publicata, quod etiam requiritur in testamento inter liberos scripto manu propria patris, secundum *Salic. & Doctores in dicta Authen. tica, quod sine, & sequitur Alex. in dicto consilio 64. & est de mente Bal. in l fina. in penultima columna, C. de fideicommiß.* nisi testator asserat se complevisse, tum etiam, quia non videtur per dictam schedulam constare, quod dictus dominus Iohannes Maket testatus est, sed solùm videtur ex ea constare, quod disposuit se ad testandum. Modò ita est, quòd dispositio
8 † ad testandum, non est testamentum: sicuti scriptura quam judex concipit pro formanda sententia, non est sententia, sed quædam prævia dispositio ad sententiam, *l. secunda, de sent. ex brevi. reci. & ita pulchrè in similibus terminis cõsuluit Oldrad. in consilio 119. incipiente, Titius condidit testamentum:* ex quo ulterius sequitur, quod nihil valet quod in ea dispositum est, ex quo non fuit perfecta & consummata, *cap. 1. cum ibi notatis per Anto. de Butrio, de successio. ab intesta.*
9 ubi voluit, † quod etiam legata pia non debentur ex voluntate imperfecta: & idẽ vult *And. Siculus post alios per eum relatos in dicto cap. relatum, primo, & probatur in l. si is qui, & in l. ex ea scriptu. ff. de testamen. & vult expreßè Oldradius, ubi supra.* Præterea videtur ipse dominus Iohannes Maket vacillasse, quia in capite schedulæ habentur nomina executorum, & postea subjungitur manu sua cum deliberatione scripta & correcta, quòd executores sunt nominati in dorso, ubi tamen nihil reperiuntur scripti executores,
10 illi ergo † schedulæ tanquam repugnantiam vel incertitudinem continenti non erit standum, *l. ubi repugnantia. ff. de regul. jur.* Præterea in casu præsenti pia causa, puta ecclesia, fundata est ab intesta-
11 to, *d. cap. 1. cum vulgaribus.* unde † cessat omne privilegium, & omnis favor qui debetur dispositioni ad pias causas, textus est notabilis *in §. sed hæc presenti, in fi. in Authen. de sanc. episc. colla. 9.* quandocunque enim privilegiatus concurrit cum privilegiato pari privilegio, tunc favorabilior est causa rei, *l. verum, §. fina. cum l. sequent. ff. de mino. cum sim.* nec enim debet discooperiri unum altare ad cooperiendum aliud, *c. cum causam, de pręben. cum similib. & ita etiam vult Oldrad. in consilio suprà allegato.* Præterea dato, quòd

præmissa omnia cessarent, prout non, tamen deficit aliud ad quod non patet re-
12 sponsio, videlicet, quòd in † dicta schedula nõ sunt descripti aliqui testes, unde certum & indubitatũ est, quod ex illa schedula non debentur legata pia : ita expressè vult *D. Alex. de Imo. in d. cons. 76. ante fi.* & *sequitur Iason in præalleg. Auth. quod sine,* & *probatur optimè in Auth. de testa. imperfect. in vers. si tamen uxori. in verbo, libertates, coll.* 8. ubi est casus, quã-
13 do † testator inter liberos manu propria scripsit ultimam voluntatem, si vult in eadem voluntate relinquere servis libertatem, oportet quoad solennitatem, quòd saltem coram duobus testibus exprimat illud quod scripsit: si ergo ita est in libertate, ergo idem erit in pia causa, quia † bo-
14 num & efficax est argumentum à libertate ad piam causam. *l. proxime,* & *ibi Bart.* & *Ioan. de Imo,* & *Doct. ff. de his quæ in testam. delen.* & *vult idem Bart.* & *Doct. in l. si unus, C. de testam.* & *idem Bart. in l. Titio ususfructus, ff. de conditio.* & *demonst.* & *Bald. in l. unica. in §. in primo itaque, in ult. col. C. de caduc. tollen.* ubi expressè dicit, quòd libertas & † ecclesia
15 æquiparantur, & quòd dispositum in libertate servandum est in ecclesia & pia causa. Et per ista facilè solvi possunt omnia, quæ suprà in contrarium adducta sunt. Et primò, non obstat primum quia
16 licet † voluntas ita declaretur literis, sicut verbis, in actibus inter vivos, tamen in ultima voluntate lex statuit certam formã regularem, posteà autem excipit testamẽtum patris inter liberos, cui etiam dat certam formam *dicta Auth. quod sine,* & *in corpore unde sumitur,* puta quod ibi sit tempus, & quòd ibi sint ad minus duo testes, quatenus disposita in eo concurrunt alios quàm liberos, postea supervenit jus canonicum, quod in testamentis ad pias causas dicit sufficere duos testes *d. ca. relatum primo*, sed jus canonicum nihil immutavit in casu nostro, puta, quando testamentum conditum est & scriptum manu propria testatoris, non inter liberos, sed ad piam causam sine expressione temporis aut testium. In isto ergo casu, in quo non est facta correctio per jus canonicum, standum est dispositioni juris civilis, secundum quod clarum & indubitatum est, quòd non va-
17 let per suprà allegata: nam † ubicunque aliquid requiritur pro forma, si forma non servetur, non valet actus, *l. cum hi. §. si prætor, ff. de transactio.* & *c. cum dilecta,* & *ibi habetur plenè per Felin.* & *Doctor. de rescript.* Et eodem modo respondetur ad secundum objectum, negando consequentiam, quia hoc esset arguere à casu expresso & claro de jure canonico ad casum non expressum, & omnino dissimilem & aliter decisum per jus civile non correctum, quod non valet, quia correctio
18 † jurium est evitanda, *l. unica, C. de inoffic. dot.* & *c. cùm expediat, de elect. lib. 6.* imò à similitudine vel identitate rationis non licet arguere ad correctionem legis, ut est *glossa ordinaria notabilis,* & *ibi Bar.* & *Doctores, in Authentica, quas actiones, C. de sacrosanct. eccles.* & *volunt communiter Doctores,* & *maximè Iohan. de Imola, in cap. cùm esses, de testam.* Non obstat etiam tertium, quia ut dixi suprà, liberi sunt magis favorabiles, quàm pia causa, *dicto c. quicunque*, & tanto minus procedit argumentum, quia in pia causa expressum est, quòd requiruntur ad minus duo testes, *dicto vers. si tamen uxori, in verbo Libertates*, inducendo, ut su-
19 prà induxi, & eo † minus, quia de perfectione ejus non constat, imò magis videtur se præparasse ad testandum, quàm fecisse testamentum, ut dicit *Oldrad. ubi suprà,* & *post eum Ioan. Andr. in additio. ad Specul. in titulo, de instrum. edit. in §. compendiosè, in versiculo, quid si prius, in additione,* quæ incipit, *si primum testamentum,*

mentum, *post medium* : & *post eum Paulus de Castro in consilio 365. incipiente, in CHRISTI nomine, Amen : Visa dicta facti narratione, circa finem in antiquis.* Non obstat etiam quartum, quia hìc agitur de præjudicio tertij, puta ecclesiæ, cui debetur successio ab intesta-
20 to,ut suprà dixi,confessio † autem testatoris, de qua aliâs legitimè non constat, non præjudicat tertio, *Authent.quod obtinet, C.de probat.cum similibus.* & tanto minus standum est huic privatæ scripturæ,ex quo non habet diem, quod est requisitum in privata scriptura continente ultimam voluntatem, etiam si fiat inter liberos, *dicta Authentica*, *quod sine* & *in corpore unde sumitur* : & *ibi omnes Scribentes.* Concludendo ergo dico, quòd dictæ schedulæ imperfectæ,deletæ,interlineatæ, sine die, sine testibus variæ, incertæ & confusæ, in præjudicium ecclesiæ,& piæ causæ non est standum, nec ex ea aliquid debetur.

CONSILIUM CLVI.

SVMMARIA.

1 *Adulter adulteræ legatum relinquere non potest.*

2 *Alimenta prolibus adulterinis relicta cum ipsarum vita finiuntur, nec proprietas ipsis deberi potest.*

3 *Alimenta liberis adulterinis quãdo debeantur,&c.*

4 *Legitima liberis naturalibus & legitimis qualiter debeatur.*

5 *Obligatione principali non subsistẽte,accessorium quoq; corruit.*

VEnerabilis domine licentiate, post salutes & commendationem,intelligo, quòd dominus Præpositus Frigidi montis judex appellationis interpositæ, à sententia per me, tanquam Decanum Anderlectensem ex delegatione Apostolica in 2 instantia latæ in favorem Philippi de Grootæ & suæ uxoris tunc appellantium, ex una, & quendam Iohannem Verhulst & executores testamenti quondam Iohannis van Ghestele, tunc appellatos, ex altera assumpsit D. V. pro suo assessore, unde decrevi duo duntaxat verba pro justificatione dictæ meæ sententiæ commemorare. Primò enim certum est,legatum
1 † relictum per adulterum adulteræ de jure non esse validum, *l. Claud.ff.de his, quib.ut indi.cum vulg.* & pro tanto declaravi legatum centum coronarum relictum dictæ Iohannis Verhulst adulteræ, per præfatum quondam Iohannem van Ghestele adulterum esse nullum, & hæc est prima pars sententiæ per me latæ. Se-
2 cundò certum est, quòd licet † prolibus adulterinis relinqui possint alimẽta de benignitate juris canonici, *cap.cùm haberet, de eo qui dux.in mat.quam poll.per adult.* tamen illa alimenta cum vita finiuntur, *l. cum hi.ff.de trãsactio.* & sic proprietas eis non debetur,nec deberi potest, secundum *Bald. hoc in terminis expressè ponentem in l. eam quam, C. de fideicommissis.*
3 Item antequam † hujusmodi alimenta debeantur, deduci debet primò æs alienum juribus vulgaribus. Item deduci debet legitima debita filiæ naturali & legitimæ dicti quondam Iohannis van Ghe-
4 stele,in qua † gravari non potuit, *l.omnimodo, C.de inoffic.testam.* quia quod lex dat, homo non aufert, *l si arrogator. §.fi-da.ff.de adop. cum similibus.* Item debet etiam deduci falcidia, juxta notata *in c. Raynutius,de testa.cum sim.* & sic postquam deductum fuerit æs alienum,dimidia bonorum relictorum per dictũ quondam Iohannem van Ghestele quoad plenam proprietatem, debet manere apud

uxorem

uxorem dicti Philippi de Groote, quæ fuit & est filia naturalis & legitima præfati quondam Iohannis van Ghestele prætensi testatoris, ut apud acta constat: de residuo autem præstari poterunt alimenta, & non prius, & ista fuit secunda pars sententiæ per me latæ, ex quibus sequitur tertium scilicet, quòd executores non possunt, nec debent se intromittere amplius, quàm pro consecutione hujusmodi alimentorum taxandorum, modo præ-
5 misso: sequitur † etiam, quòd quia legatum relictum per adulterum adulteræ non valet, nec etiam legatum relictum filiis adulterinis, quatenus excedit alimenta, quòd eatenus etiam respectivè non valet hypotheca, per jura vulgatissima: & ista fuit tertia pars sententiæ per me latæ, & condemnavi appellantes duntaxat in medietate expensarum, tam primæ quàm secundæ instantiæ coram me tunc pendente, ubi fortè potuissent, quoad hoc in pluri condemnari. Precor dignetur D. V. hanc causam quantocyus expedire, quia inter pauperes versatur, & bona ut informor per appellantes dilapidantur, & dignetur D. V. in judicando ad præmissa habere respectum, in qua materia latius scripsissem, sed omisi, tum primò, quia non est meum instruere Minervam, tum etiam quia materia hæc est clara & familiaris. His benè & feliciter valeatis, mihi præcipiendo, raptim ex Mechlinia ultima Ianuarij, anno 1508.

CONSILIUM CLVII.

SVMMARIA.

1 *Testamentorum verba largè sunt interpretanda.*

2 *Usufructuarius fructus collectos, & à solo separatos facit suos.*

3 *A verbis claris recedendum non est ad conjecturas.*

Venerabilis Domine, vidi copiam testamenti seu ultimæ voluntatis quondam dominæ *Barbaræ* van Herbeys, relictæ quondam domini Henrici Bau mi-
1 litis, & licet verba † testamenti sint largè interpretanda, *l. in testamentis, ff. de reg. jur.* & *cap. cum dilecti in fine, de dona.*
2 licet † etiam usufructuarius debeat habere pensionem cessam post ejus mortem, dummodo decedat post fructus collectos & à solo separatos per colonum suum, *l. defuncta. ff. de usufruct. cum similibus.* Istis tamen non obstantibus videtur mihi, quòd domicella Gertrudis & Wilhelmus Borchachere legatarij non habent actionem ad redditus eis legatos, nisi duntaxat ad eos qui cesserunt, vel quorum termini cesserunt 24. Iulij, anni millesimi quingentesimi quarti, quò autem ad redditus cessos, postea in illo anno non competit eis actio, quia verba testamenti sunt clara, cùm dicunt: **Item noch gheeft ende maect die testatueresse voersz alle heure verballen renten van desen jaere.** hoc est: Item dat & legat testatrix prædicta omnes redditus seu pensiones, quæ hoc anno eidem com-
3 petierunt: in † incertis autem, non in certis locus est conjecturis, *l. continuus. ff. de verbor. oblig.* & ubi verba sunt clara, non est recedendum à verbis, *l. non aliter. ff. de lega. cum simil,* his benè, &c.

CONSILIUM CLVIII.

SVMMARIA.

1 *Ecclesia agere volens pro recuperatione possessionis rei ecclesiæ etiam feudalis, judicem ecclesiasticum adire tenetur.*

2 *Iudices feudales qualem habeant cognitionem, &c.*

3 Sacri-

3 *Sacrilegium committitur in spolio rei ecclesiasticæ.*

4 *Jurisdictio cujus sit, cognoscitur ex forma, & tenore vel conclusione libelli.*

5 *Judex ordinarius cognoscit de possessorio feudi, nisi agatur ex lege feudali, vel ad proprietatem ipsius concludatur.*

6 *Consuetudo auferens privilegium ecclesiæ, rationabilis dici non potest, ideoquo cassa est & irrita.*

PRæclarissime domine Doctor, pater & præceptor observandissime, post salutes, citra recessum meum cogitavi super materia illius declinatoriæ propositæ per partem domini de Overhem, contra Episcopum Trajectensem, & ex his quæ ego invenire possum, videtur mihi sub correctione vestra & aliorum res clarissima, nam quotiescunque † ecclesia agit
1 pro recuperatione possessionis rei ecclesiæ etiam feudalis, aditur judex ecclesiasticus, ut videri potest *in c. ex parte B. de foro compet.* & *in c. Pisanis,* & *ibi Io. Imo. de restit. spol.* & ratio huius est duplex: Prima, quia ecclesia agendo super spolio non innititur ex jure feudi, sed ex jure communi, quo casu omnes conveniunt,
2 quòd judices † feudales non habent cognitionem, ut videri potest *per Doct. in c. cæterùm, de judicijs,* & *per Alvar.* & *Doct. in c. 1. apud quos controver. feu. termi. de.* & *vult in specie Alex. de Imo. in cons. suo 79. 1. volum. in 1. colum.* quem omnino V. D. dignetur videre. Secunda ratio est, quia
3 † in spolio rei ecclesiasticæ committitur sacrilegium, *cap. quicunque militum, 12. q. 2.* & *c. cùm sit generale, de foro comp. cum similib.* & ergo ex alio capite judex ecclesiasticus est judex competens. Nec obstat, quòd reus in exceptione dicit, rem
4 esse feudalem, quia † quoad discernendum cujus sit jurisdictio, inspicienda est forma & tenor libelli, ut est casus *in l. cum quædam puella. § fi. ff. de jurisd. omn. jud.* & *volunt omnes Doct. in d. c. cùm sit generale:* & attendenda est conclusio libelli, non autem narratio secundum *Innoc.* & *alios in d. c. ex parte B.* & hinc dicit singulariter *Bald. in §. præterea, 2. in 1. col. ibi, quæro si de possessione feu.* & *c. de prohib. feu. alie.*
5 *per Federic.* quod † ordinarius cognoscit de possessorio feudi, etiam si in narratione fiat mentio feudi, dummodo non concludatur ad proprietatem feudi, vel aliàs agatur ex lege feudali: cùm ergo ecclesia, vel episcopus nomine ecclesiæ non innitatur ex jure feudi, nec fundet intentionem suam super feudo, sed super spolio rei ecclesiæ, & ob hoc petat fieri restitutionem, quod remedium competit de jure communi, nihil facit dicta allegatio rei. Non obstat etiam, quod reus in exceptione dicit, quòd tàm de jure, quàm de consuetudine rationabili, causa feudalis tàm in possessorio quam in petitorio debet tractari per judices feudales. Quia dicta exceptio, quatenus concernit jus commune in possessorio, est notoriè falsa, per prædicta: quatenus autem concernit consuetudinem, certum est, quòd non rele-
6 vat: quia non † potest consuetudo esse rationabilis, quæ tollit privilegium ecclesiæ competens, imò talis consuetudo, si quæ esset, illa esset cassa & irrita, tanquam contra libertatem ecclesiæ: *ita volunt omnes Doct. in c. noverit, de senten. excommun.* & *in Auth. cassa, C. de sacrosanct. eccles.*

CONSILIUM CLIX.

SUMMARIA.

1 *Onera hæreditaria qualiter in hæredes, divisione bonorum facta, transferantur, &c.*

2 *Divisio hæreditatis per communes amicos per modum transactionis facta, parem vim habet, quam in excipiendo habet res judicata.*

3 *Particio per judicium fam. hercisc. semel facta, amplius facienda non est. & num. 7.*

4 *Hæreditas ascendentium etiam nondum agnita, trasmittitur ad descendentium ipsorumque hæredes à primo ascendente descendentes.*

5 *Hæreditas collateralium non adita non transmittitur. & num. 8.*

6 *Minorennium conditio per tutores seu curatores deterior fieri non potest.*

9 *Verba dubia intelligi debent secundum qualitatem personæ ad quam diriguntur,*

10 *Re in solutum data & secuta traditione transfertur dominium.*

11 *Hypothecæ dominium penes debitorem remanet.*

12 *Repetitio sermonis plurimum est attendenda.*

13 *Verbum,* Redeat, *vel* Revertatur, *in dispositionibus quid importet.*

14 *Proprietas quando relicta vel translata censeatur. & num. 15. 16. & 17.*

18 *Cautiones hæreditarias an hæres exhibere cogatur.*

19 *Verbis narrativis de facto antiquo quadraginta annos excedente, fides adhibetur.*

20 *Monasteria habentur loco hæredum in bonis personarum adingredientium.*

21 *In successionibus consuetudo loci, in quo bona sunt sita, attenditur.*

22 *Supervacuis laborat impendiis, qui solem facibus adjuvare certat.*

VIsis literis, munimentis, & scripturis hincinde exhibitis in causa pendente coram consilio Hollandiæ per & inter Ioannem Albrecht, & suos litisconsortes impetrantes ac originales actores ex una, nec non relicta & hæredes quondam Theodorici Sonck defensores ac originales reos, ex altera, præsuppositoque casu, cum de bonis hæreditarijs quondam Wilhelmi Sonck, in una parte agatur, quantum ad Margaretam ejus filiam, quæ in beginagio vitam duxit, & ex alia parte de parte hæreditatis Iohannis Sonck filij dicti Wilhelmi, quantum ad partem hæreditatis Aleydis filiæ dicti Iohannis in monasterio sanctæ Agathæ oppidi Delfensis professę obventam per ejusdem Iohannis decessum, per quem proles ex filiabus præfati Iohannis nunc impetrantes successionem prætendunt in partibus ad dictas Margaretam & Aleydem morte prædictorum suorum parentum primò, & postea morte dictarum Margaretæ & Aleydis ad ipsos impetrantes & actores successivè devolutis, antequam ad decisionem perveniatur, videntur aliqua præmittenda. Primò, quod post mortem dicti Wilhelmi Sonck bona sua omnia fuerunt ad Iohannem filium ejus unicum, & ad duas suas filias Margaretam & Aleydem devoluta pro portionibus per ipsas filias agnitis & apprehensis de ipsarum consensu, partitione, seu divisione per arbitratores communes amicos & consan-

consanguineos facta, ita & taliter, quòd de illa divisione hactenus nulla querela in vita dictarum Margaretæ & Aleydis facta fuerit, quamvis hodie de bonis per dictam Margaretam beginam relictis, quæstio moveatur ex eo, quòd actores prætendunt dictam Margaretam beginam ex substantia hæreditatis paternæ dicti Wilhelmi nihil habuisse sed solum redditum vitalem 60. librarum Hollandiæ ad vitam recepisse. Quo supposito
1 † non tamen concesso, relinquitur saltem verum esse, quod ipsa illis 60. libris, pro parte portioneque sua in dicti Iohannis Sonck sui fratris favorem, qui vice versa onera hæreditaria pro ea acceptavit, contenta fuit: quare negare nequit, quin tali transactione portio ejus sub dictis oneribus apud dictū Iohannem suum fratrem permansit, expresso vel saltem tacito consensu divisionis, per ea quæ habentur *in l. si filia. §. familię,* & *in l. item Labeo. §. familiæ. ff. famil. hercisçun.* & *in l. 1.* & *in l. si familię, C. eod. tit.* per quam divisionem etiam translatæ fuerunt actiones & jura saltem activè, ut habetur *in l. si cum emptore. ff. de pactū.* & *est glos. in l. quotiens. ff. de nova.* potissimè,
2 quia dictæ † divisiones hæreditatis factæ fuerunt per arbitratores communes amicos & consanguineos per modum transactionis, secundum ea quæ habentur *in l. transactionem, C. de transactionib.* & *in l. prima, ff. de arbit.* quæ transactio parem vim habet, quam habet res judicata in excipiendo, *l. 1.* & *2. ff. de jurejuran.* & *l. cùm proponas.* & *l. fratrū, C. de transactio.* Secundò est præmittendum, quòd licet per decessum præfati Iohannis Sonck bona sua fuissent devolvenda ad suas proles æqualiter jure successorio, tamen quia in vita aliter disposuit de Aleyde filia sua religiosa, omnes alios suos hæredes onerando, & quotam certam annuam pro sua portione hæreditaria ei assignando, cujus dispositionem seu ordinationem mamburni aliarum prolium post mortem dicti Iohannis executi sunt, qua portione seu assignatione monasterium ad quod portio ejus hæreditaria fuisset proculdubio devoluta, si aliter non fuisset provisum, contentum stetit, sequitur quod dicti impetrantes nunc actionem prætendere non possunt per mortem dictæ Aleydis religiosæ, contra dictum Theodoricum Sonck filium præfati Iohannis, vel ejus hæredes reos
3 hujus causæ, quia † semel partitione per judicium familiæ herciscundæ facta, non est amplius facienda, *dicta l. si filia. §. familiæ, cum alijs suprà allegatis*, nisi dica-
4 mus hoc fieri posse *per l.* † *novam*, & *titulum, C. de his, qui ante apertas tab. her. transf.* per quem titulum descendentes hæreditatem ascendentium, etiam non agnitam transmittunt ad ipsorum descendentes, dummodo repudiata non fuerit, sicuti & legata non agnita transmittuntur, quia hoc verum est in hæreditate ascendentis, quæ venit ad descendentem medium, & ulterius transmittitur ad descendentem suum sequentem, ita, ut talis sit descendens ab illo primo ascendente, de cujus hæreditate agitur, *per l. si avia, C. de jure deliberan.* & *nota. in d. l. unica, C. de his, qui ante aper. tab.* sed non
5 † habet locum in hæreditate collateralium, ut est casus *in l. quoniam sororem. C. de jure deliberan.* In casu autem præsenti non agitur de hæreditate Wilhelmi Sonck, cujus dictus Iohannes & cum eo duæ suæ sorores Margareta scilicet & Aleydis successerunt, hæreditatemque & ejus bona diviserunt, unde non est amplius dividenda, neque judicio familiæ herciscundæ agendum, *juribus pręallegatis*, neque etiam agitur de hæreditate quondam Iohannis Sonck, quæ similiter semel divisa fuit, ut præmittitur, sed hîc agitur de hæreditate & bonis Margare-

tæ sororis præfati Iohannis Sonck pro una parte, ac de hæreditate Aleydis filiæ ejusdem Iohannis Sonck pro alia parte, respectu quorum dicti impetrantes sunt collaterales. Quibus pro fundamento præsuppositis, deveniendum est ad dubij decisionem, & videtur prima facie, quòd impetrantes qui sunt proles filiarum quondam Iohannis Sonck, possunt nunc venire ad petendum portionem hæreditatis, tam præfati quondam Wilhelmi, quàm etiam quondam Iohannis, ex eo, quòd dicta Margareta beg'na filia Wilhelmi & soror Iohannis, & similiter dicta Aleydis religiosa filia præfati Iohannis, nihil pro sua portione hæreditaria perceperunt, sed duntaxat redditum vitalem, Margareta redditum vitalem 60. librarum, & Aleydis redditum vitalem 70. librarum Hollandiæ, unde partes eorum hæreditariæ, quæ necessariò illis de jure communi, saltem quoad legitimam competebant, *l. pen. versic. repletionem, C. de inoffic. testamen.* aut in hæreditate communi manserunt tanquam indivisæ, aut per edictum successorium sunt ad gradus ulteriores proximioresque transmissæ, quare eandem actionem in effectu habere videntur dicti impetrantes, quàm haberent illi si viverent. Præterea quicquid allegatur de di-
6 visione vel partitione facta, præjudicare † non potest impetrantibus, ut videtur: quia id factum est per tutores seu curatores, qui non potuerunt conditionem minorennium facere deteriorem, *l. contra juris civilis. ff. de pact.* & *Institut. de autho. tuto. in princ. cum simil.* & per consequens non potuerunt adjicere, quòd Margareta & Aleyde defunctis, bona & redditus redirent ad proximiores hæredes tunc existentes. Sed istis non obstantibus, in contrarium videtur mera veritas, quod deducitur ex multis. Primò, ex eo, quia ut
7 suprà dictum est, non est † neque esse potest de jure quæstio de hæreditate sæpè dicti Wilhelmi, neque etiam de hæreditate præfati Iohannis, eorumque successione, quia illæ per divisiones & partitiones successivè, ut præmittitur factas, effectũ sortitæ fuerunt inter tunc proles & hæredes superexistentes, primò inter Iohannem Sonck & duas suas sorores, & depost inter Theodoricum Sonck, & quinque suas sorores ex ordinatione paterna, & quia nihil allegatur aut prætenditur contra dictas divisiones ex personis illarum prolium, quæ neque ipsæ in vita, neque monasterium, aut aliquis illorum nomine querimoniam fecerunt, sequitur quòd nunc dicti impetrantes contra præfatos reos ad fines intẽtatos nullam actionem prætendere possunt, *d. l. filia. §. familiæ, cum alijs juribus suprà allegatis.* Secundò ex eo, quia licet actores dicere videantur, quòd quantum ad dictas summas 60. & 70. librarum vitalium nihil realitatis portionisque hæreditariæ divisum fuerit, vel ad præfatos Margaretam & Aleydem pervenit: tamen in veritate, ea quæ eis sunt assignata per dictas divisiones amicorum, assignata fuerunt pro eorum portionibus & partibus hæreditarijs, ut in casu supponitur, ut ex literis constat: quinimò quantum ad dictam Margaretam filiam dicti Wilhelmi, certum est, quod illa partem habuit hæreditatis in bonis stabilibus & hæreditarijs, præter dictum redditum 60. librarum benè assecuratum, dicta verò Aleydis similiter suam habuit portionem, non in nudo redditu vitali constitutam, sed in portione tantæ summæ assecurationeque monasterij, in quo fuit professa, adeò, ut idem monasterium fuerit contentum secundum statuta, ordinationes, & consuetudines illius, nec de aliqua queritur in-
8 juria: minus † ergo dicti impetrantes querelare possunt, cùm neque ipsa professa neque monasterium quicquam ad impetrantes transmiserunt, neque transmittere

mittere de jure potuerunt, *d.l. quoniam*
sororem, cum similibus. Tertiò & fortius
videntur, non solùm actiones personales
hypothecatæ in prædictas Margaretam
& Aleydem translatæ, sed etiam realitas
& proprietas bonorum & reddituum in
literis specificatorum usque ad valorem
dictorum reddituum 60. & 70. librarum
Hollandiæ, prout etiam in scripturis reo-
rum allegatur. Quare patet, primò, ex
natura qualitateque personarum Marga-
retæ & Aleydis, quæ fuerunt filiæ, una
Wilhelmi, & alia Iohannis, filia autem
habere debet portionem suam ex sub-
stantia hæreditatis paternæ, *præalleg. l.*
9 *pen. versic, repletionem,* & sic † licet ver-
ba essent dubia, prout non, deberent ta-
men intelligi secundum qualitatem per-
sonæ, ad quam referuntur seu diriguntur,
& sic ut sonent in proprietatem, *l. plu-*
rium. §. equstÿ, & ibi Bart. Bal. & Doct.
ff. de usu & habi. & l. stipulatio ista. §. hi
quoque. ff. de verbor. obligat. & c. solitæ, de
majo. obed. imò si benè perpendantur li-
teræ de data tertiæ diei Mensis Maij, anni
millesimi quadringentesimi sexagesimi
quinti, clarissimè lucideque constabit,
quòd bona & redditus ibi specificati fue-
runt dati in solutum portionis hæredita-
riæ debitæ Margaretæ & Aleydi, quod-
que proprietas illorum fuit translata in
monasterium sanctæ Agathæ durante vi-
ta Margaretæ & Aleydis, & ultimi su-
perstitis ex eis pro sua rata. Quod dedu-
citur ex verbis dictarum literarum mul-
tipliciter. Primò ex illis verbis, **bewijst**
hebben/ꝛc. id est concesserunt, junctis, il-
lis verbis præcedentibus, **voer haers va-**
ders ende moeders erve/ꝛc. id est, pro
ipsorum paterna & materna hæreditate,
junctis illis verbis sequentibus, **welcke**
goeden ende renten voern. dat con-
vent voersz terstont vzp aenvatten
ende ghebzucken zullen/ꝛc. id est, quæ
bona & redditus prædictus Cõventus illi-
cò recipere & uti debent, junctis illis ver-
bis sequentibus, **in alle dese goeden en-**
de renten voirsz loven wy den con-
vente voirsz te waren der personen
voirsz leven lanck/ꝛc id est, omnia illa
bona & redditus promittimus Conven-
tui prædicto concedere quoad dies vitæ
prædictarum personarum. Modò clarum
10 est de jure, quòd re † data in solutum, se-
cuta traditione transfertur dominium,
l. si quis aliam, cum ibi not. ff. de solut. &
habet locum actio de evictione ea evicta,
11 ut ibi. dominium † autem hypothecæ est
penes debitorem & non penes credito-
rem, & ergo hypotheca seu pignus perit
debitori, non creditori. *l. pignus. C. de pig.*
act. cum similib. & hypotheca sequitur
possessorem, sicut lepra leprosum, quia res
transit cum suo onere, & cum sua causa.
l. si debitor. C. de distrac. pigno. Item istud
clarius deducitur ex illis verbis, **weder**
commen ende erven sullen/ ꝛc. id est,
redire jure hæreditario debent, bis repe-
titis: & ex illis verbis sequentibus ad i-
dem tendentibus, **weder wterven sul-**
12 **len/ꝛc.** quæ repetitio † plurimum est at-
tendenda, *juxta not. per Bart. in l. cùm*
scimus, in fine. C. de agri. & censi. lib. 11.
& habetur plenè per Felin. & canonistas
in cap. si cautio, de fide instru. & per Lu-
dovicum de Roma. in repetitione l. si verò.
§. de viro, in 31. fallentia, ff. solu. matrim.
& est gl. ordinaria singularis in Clem. uni-
ca, super verbo, *diocœsanis, de jure patron.*
13 ubicunque † enim in aliqua dispositione
habetur verbum, revertatur vel redeat,
censetur translata proprietas, etiam si de
usu vel usufructu fuit habita mentio,
tex. est notabilis in l. fi. ff. de usufruct. ea.
re. quæ usu consumuntur, & idem est,
14 quando † in dispositione apponuntur ta-
lia verba quæ soli proprietati conveniunt,
ut puta, quòd res non posset alienari,
etiam si fiat mentio usufructus, *text. est*
singularis in l. Proculus, & ibi Bald. &

Ang.ff.de usufruct. Hinc videmus quòd
15 † rei subjectæ restitutioni in certum e-
ventum proprietas medio tempore est a-
pud legatarium, *text. est in l. fi. §.fi.C.*
communia, de lega. & *in l.Marcellus.§.res*
quæ.ff.ad Trebell. Idem etiam videmus
in re vendita cum pacto de revendendo,
l 2.C.de pact. inter empt. & *vend.* imò
16 quòd plus est, quando † relinquitur vel
donatur fundus ad alimenta, vel ad usum-
fructum, vel ad usum vel pro usu, vel ad
habitationem, vel ad gaudimentum, cen-
setur data proprietas fundi, & non nudus
usus, usufructus, vel habitatio, *textus est*
notab. in l. donationis. §. species, & *ibi*
Dynus, Bartolus, & *Doct.ff. de donatio.* &
est text. cum glos. in l. Titia cum testa-
mento.§.fin.ff.de lega.2. & *text. cum gl.*
in l. cùm hi. §. si uni, & *ibi Doct. ff. de*
transactio. & *est bona gl.* & *ibi Salic.in l.*
si mulier. C. de jure dot. & *vult notabili-*
ter Bar.in l.libertis.ff.de alim. & *cib.leg.*
17 ubi dicit † hoc verum, nedum in legatis,
sed etiam in contractibus, *per d.§.species,*
ubi de hoc est casus. Itē istud etiam col-
ligitur ex illis verbis: **Ende dan sal**
'tconvent voirsz van desen voirsz rē-
ten ende goedē den erfgenamē voirsz
bewisen tot haerer somme tot van
sulcken renten als dat convēt voirsz
liefst ontberen sal/ꝛc. id est, Et debet
Conventus prædictus de supra comme-
moratis redditibus & bonis, hæredibus
pro ipsarum competente summa designa-
re, prout ipsi maximè placuerit. In qua
clausula datur monasterio sanctæ Aga-
thæ optio, decedente altera ex prædictis
Margareta & Aleyde, quæ bona vel quos
redditus monasterium velit restituere
pro rata valoris seu æstimationis redditus
ex tunc per mortem decedentis, per quod
clarè demonstratur, quòd proprietas fuit
in monasterium translata, *per d. l. fina.*
cum alijs suprà allegatis. Præterea istud
colligitur ex alio in illis verbis: **Ende**
waert dat 'tconvent eenigen brieven
behoefde van den eygendomme van-
den landen oft renten voirsz.ꝛc. id est,
Et si quidem conventus aliquibus literis
de dominio feudorum & reddituum opus
habuerit. Quæ verba præsupponunt pro-
prietatem translatam in Conventum seu
monasterium, seu literas originales re-
mansisse apud hæredes quondam Ioan-
nis Sonck, propter interesse, quod habe-
bant in illis bonis, quæ ex dispositione i-
psius Iohannis Sonck subjacebant resti-
tutioni post mortem dictarum Margare-
tæ & Aleydis, vel unius earum pro rata,
18 sed hæredes † esse obligatos ad exhiben-
dum illas literas conventui seu monaste-
rio ad effectum prosequendi & defen-
dendi jus eidem monasterio competens,
licet revocabiliter, ut præmittitur: cui
consonat, *l. si quæ sunt cautiones, ff.fa-*
mil. herciscun. cum similibus. Restat
nunc respondere ad objecta in opposi-
tum, quorum solutio patet ex præmissis,
nihilominus tamen specialiter responden-
do dicitur ad primum, quòd illud præ-
supponit falsum, quia nedum Margareta,
sed etiam Aleydis habuerunt suam por-
tionem ex substantia hæreditatis pater-
næ, de Margareta patet, quia constat
eam habuisse 24. & quinque jugera ter-
rarum, & ultra hoc redditum vitalem
60.librarum: de Aleyde etiam patet, quia
ipsa ex substantia hæreditatis paternæ ha-
buit bona usque ad valorem 70.librarum,
quorum bonorum in literis specificato-
rum proprietas translata fuit in dictum
monasterium sanctæ Agathæ, ut suprà
longè lateque declaratum est, fuerunt
tamen illa bona subjecta restitutioni in e-
ventum mortis præfatæ Aleydis pro ra-
ta, & in eventum mortis dictæ Marga-
retæ pro sua rata, ut sæpè dictum est, &
sic non obstat, quia neutrum eorum, quod
infertur aut supponitur est verum: nam
neque partes seu portiones earum manse-
runt

rent in hæreditate communi, neque sunt ad gradus ulteriores devolutæ, ut falsò præsupponit argumentum, sed portio Margaretæ fuit apud eam, quia ipsa potuit habere proprium sub sola obedientia in beginagio vivens: portio autem Aleydis fuit apud dictum monasterium sanctæ Agathæ, utraque tamen revocabiliter, quia subjacuit restitutioni, ut præmittitur. Non obstat etiam secundum, quia factum dictorum mamburnorum seu tutorum non fuit voluntarium, sed necessarium ac executivum voluntatis & ordinationis præfati quondam Iohannis, ut ipsimet fatentur, cui confessioni standum est, maximè cùm † istud sit factum
19
de antiquo excedens 40. annos, quo casu statur verbis narrativis, quibus aliàs non staretur, *juxta nota. per Baldum, Paul. de Castro, Alexand. de Imola*, & *Iason in l. cùm aliquis, C. de jure delib.* & *per Ias. in l. ex his. C. de testamen. milit.* & *per Antonium de Butrio*, & *alios in cap. veniens, primo, de testib.* & *per Felin. in cap. Albericus, eodem titu.* attento præsertim, quod cum eo concurrit verisimilitudo, quòd ita expediebat fieri ad
20 exclusionem monasterij, † quod aliàs in perpetuum retinuisset portionem dictæ Aleydis, cùm sit capax bonorum in communi, *juxta nota. in cap. in præsentia, de probat.* & *in Auth. ingressi*, & *in Authen. si qua mulier, C. de sacrosancta ecclesia.* & *in l. Deo nobis, C. de episcop.* & *cler. cum similibus*, præcipuè cum consensus monasterij intervenit, ut suprà tactum est, attento etiam quòd adjectio dictæ clausulæ, ad hæredes tunc existentes, &c. de qua in dictis literis non obstat, quia etiam ea non adjecta, & aliter non dispositio, bo-
21 na † redditus, de quibus in dictis literis post mortem dictarum Margaretæ & Aleydis devolvi debuerunt secundum cõsuetudinem loci ubi situantur, *juxta nota. per Cyn. Bart.* & *omnes in l. cunctos populos, C. de summa Trinit.* & *fide catholica*, secundum quam ut in facto præsupponitur, proximior præfertur remotiori in gradu: cùm ergo quondam Theodoricus Sonck fuerit proximior respectu dictarum Margaretæ & Aleydis, de quarum hæreditate seu successione agitur, cùm omnes supervixerit, ut in facto præsupponitur, relinquitur quòd dicti impetrantes malè fundati sunt contra reos hujus causæ, dato etiam quòd subesset causa restitutionis, de qua tamen non apparet, & quia per præmissa, materia videtur mihi omnino clara, supervacuum duxi amplius in ea insistere, cum superva-
22 cuis † laboret impendijs, qui solem facibus certat adjuvare, *ca. si omnia, 6, q. 1.* & *l. 1. in fin. ff. de dote præleg.*

CONSILIUM CLX.

SVMMARIA.

1 *Testamentum posterius derogat priori, modò in posteriori contineatur hæredis institutio.*

2 *Fratres minores non possunt institui hæredes, neque successionum sunt capaces, adeò ut ne quidem æstimatio debeatur.*

3 *Fratres minores legata in feudum hæredi facta, capere non possunt.*

4 *Quilibet præsumitur actum voluisse valere modo meliori quo posset.*

5 *Notarius in dubio rogatus censetur, ut apponat clausulas apponi solitas.*

Venerabilis domine Decane, in casu præsenti non est dubium, quin † di- 1
spositio prima sonans in ultimam voluntatem sit revocata per secundam, de qua appa-

apparet in instrumento, quia in ista prima dispositione non est clausula derogatoria, & in secundo revocantur omnia alia testamenta & ordinationes ultimæ voluntatis: & dato quòd non revocarentur expressè, tum per secundum instrumentum in quo est institutio hæredis, revocatur primum tacitè, etiam si secundum non valet, *ut est textus in §. posteriori. Institu. quib. mod. testa. infir.* sed dubium est, an secundum testamentum valeat, & vide-
2 tur quòd non, quia fratres † minores non possunt institui hæredes, nec sunt capaces successionum, *cle. exivi de paradiso. §. providè, circa finem, de verb. signif.* ubi text. plus dicit, videlicet quod etiam hoc casu non debetur æstimatio: In contrarium autem videtur, quia in instrumento est clausula codicillaris, quæ est hujus efficaciæ, ut ex ea voluntate debeantur relicta in vim legati, ipsi autem fratres sunt capaces legatorum, ergo, &c. Sed obstant duo. Primò, quod in minuta non reperitur clausula codicillaris, licet reperiatur in instrumento extenso. Secundò, quòd
3 † fratres minores non sunt capacs legatorum, quando fiunt in fraudem, *d. § providè*, ut dicuntur fieri in fraudem, quando testator reliquit plura immobilia vel redditus annuos, de quibus non disposuit, quorum fratres minores sunt incapaces, *d. Clem. exivi. §. cumque annui redditus.* Circa primum esset videndum, an testes sciant loqui, quòd testator voluit apponi illam clausulam codicillarem vel æquipollentem, quæ semper consuevit apponi per vulgares, in der bester forme ꝛc. Item est sciendum, quòd licet de hoc non
4 posset, tum præsumptio est, quòd † testator voluit actum valere meliori modo, quo valere posset, *tex. est in l. 3. ff. de te-*
5 *stamen. milit.* Præterea notarius, † in dubio censetur rogatus, ut apponat clausulas de consuetudine semper apponi solitas, *tex. est in l. fi.* & *ibi Bald. C. de fidejus.* & *habetur per eundem Bald. Alexan.* & *alios in l. hujusmodi, in princ. ff. de legat. primo.* Ista autem clausula codicillaris consuevit semper apponi, videtur ergo, quòd notarius illam apponendo non deliquit. Circa secundum autem esset videndum, an dictus testator reliquisset bona immobilia & redditus annuos, de quibus non disposuisset, quæ possent venire sub residuo, nec ne, & ex hoc præsumeretur fraus vel excluderetur, ergo citò posset categoricè responderi.

CONSILIUM CLXI.

SUMMARIA.

1 *Commissarius ante præsentationem rescripti nullam acquirit jurisdictionem, etiamsi aliunde sciat causam sibi commissam.*

2 *Transsumptum, truncatum, nec plane extensum, fidem nullam facit.*

3 *Citationi an sit inserenda copia rescripti.*

Reverende pater ac domine, viso processu pendente coram D. V. per & inter curatos ecclesiarum parochialium oppidi Gandensis appellantes ex una, nec non Priores conventuum ordinum prædicatorum, carmelitarum & augustinensium, ejusdem oppidi appellatos ex altera, videtur nobis infrà scriptis post maturam deliberationem simul habitam, malè interlocutum fuisse per Decanum sancti Petri Lovaniensis assertum judicem primæ instantiæ, & benè fuisse appellatum per dictos curatos appellantes, præfatosque appellatos in expensis utriusque instantiæ dictis appellantibus per vos debere condemnari: Ad quod inter alia movemur, quia non comperitur ex actis, quòd literæ originales rescripti Apostolici

ſtolici fuerunt præſentatæ dicto Decano ſancti Petri Lovanienſis. Sed de jure cer-
1 tum eſt, quòd ante † præſentationem reſcripti non acquiritur commiſſario juriſdictio, qualiſcunque ille ſit, etiam ſi aliunde ſciat cauſam ſibi commiſſam, ut expreſsè dicit *Bald. in l. falſus. in quinta columna, C. de furt.* & idem *Bald. in l mandatum, in penult. colum. C. manda.* & *Spec. in tit. de reſcripti præſentatione. §. 1.* & *deciſ. Rotæ 462. in novis, in tertio dubio, ubi plenè materia examinatur,* & *probatur in cap. cùm in jure peritus, de offic. delega.* & *in cap. 2. de dilat.* & *in cap. ex conqueſtione, de reſtit. ſpol.* & *ibi Innocen. cum infinitis alijs juribus in dict. deciſione Rotæ plenè commemoratis.* Item, quia dictis appellantibus excipientibus contra juriſdictionem dicti Decani, & petentibus ſpecificationem injuriarum ante omnia fieri, ut ſciri poſſit, an juriſdictio eidem Decano competat, nec ne, audientia fuit denegata, ubi tamen eorum petitio rationabilis fuit, *juxta Authen. offeratur, C. de litiſcon. juncta l. non videtur in judicem conſenſiſſe. ff. de jud.* Nec obſtant, quæ per advocatum appellatorum allegantur & deducuntur, quia licet illa videantur prima facie aliquam habere apparentiam & aures demulceant, tamen in veritate non militant, nam quod per
2 eum allegatur, tranſſumpto † fidem adhibendam eſſe, in hoc caſu non procedit, tum quia trãſſumptum reperitur truncatum & non plenè extenſum, quare fidem non facit, juxta ea quæ habentur *per Felin.* & *alios in c. fin. de fide inſtru.* tum etiam, quia in caſu præſenti non quæritur de fide tranſſumpti, an reſcriptum emanavit, nec ne, ſed quæritur, an reſcriptum originale fuit præſentatum Decano aſſerto judici, nec ne, qua præſentatione deficiente, non ſufficit ſententia vel notitia, quæ haberi poſſit aliunde per exhibitionem tranſſumpti, vel per teſtes, aut aliàs, juxta ſuprà allegata. Non obſtat etiam, quod per eum allegatur, copiam
3 † reſcripti non eſſe inſerendam in citatorio, *juxta nota. in d. c. 2.* quia hîc non quæritur, an pars citata teneatur comparere, vel non comparere, copia reſcripti non inſerta in citatorio, ſed tota difficultas ſtat in hoc, an ille cui dicitur facta commiſſio per ſedem Apoſtolicam, poſſet aliquem actum juriſdictionalem exercere ante præſentationem ſcripti originalis, etiam ſi conſtet aliunde, commiſſionem ſibi eſſe factam: & certum eſt per jura ſuprà allegata, quòd non, maximè quando tranſſumptum, per quod id conſtare poſſet, eſſet truncatum & non extenſum: in quantum ergo dictus dominus Decanus ſe judicem pronunciavit, malè interlocutus eſt, & benè appellatum eſt, & eodem modo ſolvuntur omnia alia quæ per advocatum dictorum appellantium pro ſalvatione dictæ interlocutoriæ allegantur, quia eodem morbo laborant, quo ſuprà dicta, ſi benè ponderentur, circa quam materiam latius ſcribetur, ſi fuerit neceſſarium.

CONSILIUM CLXII.

SUMMARIA.

1 *Remittenti ſuam actionem non datur amplius ad eam regreſſus.*

2 *Actiones perſonales durant 30. annos.*

3 *Præſcriptio in pupillari ætate dormire dicitur.*

4 *Præſcriptio non valenti agere non currit.*

5 *Diminutionem operari non debent verba ad augmentum prolata.*

 6 *Re-*

6 *Renunciatio etiam expressa non extenditur ad ignorata: multò minus tacita, &c.*

VIsis literis scabinalibus mentionem facientibus de duabus libris grossorum vitalibus ad vitam Adrianæ uxoris legitimæ Laurentij Cornelij, de data anni Domini millesimi quadringentesimi sexagesimi noni, in Augusto, cum transfixo de data ejusdem anni in Novembri, omissis ambagibus, videtur sine aliqua hæsitatione dicendum, quòd competit actio dicto Laurentio nomine suæ uxoris, contra proles Wivæ, ex secundo thoro pro redditibus perceptis per dictum quõdam dominum Nicolaum à tempore constitutionis redditus usque ad ejus decessum, & hoc pro duabus partibus medietatis dicti redditus, quod sic deducitur, quia dictus redditus duarum librarum vitalium, licet emptus fuerit per dictum dominum Nicolaum, tamen per eundem dominum Nicolaum translatus & transportatus est in præfatam Adrianam, anno Domini, millesimo quadringentesimo septuagesimo nono, in Novembri: relinquitur ergo, quòd dictus dominus Nicolaus nullum jus habuit recipiendi dictum redditum, quia † remit-
1 tentibus actiones suas non datur amplius regressus ad eas. *l. item quæritur. §. si venditor. ff. de edil. edic.* & *c. quàm periculosum, 7. q. 1.* negari ergo nequit, quin dictus dominus Nicolaus dum vixit, obligatus fuit, & post ipsius decessum ejus hæredes ad restitutionem indebitè perceptorum, *l. quoniam, cum ibi nota. ff. de cond. furti.* dicta autem Wiva fuit hæres præfati domini Nicolai pro una medietate, & quidam alius pro alia medietate: dictæ autem Wivæ tres fuerunt hæredes, quorum unus est dictus Laurentius nomine præfatæ Adrianæ suæ uxoris pro tertia parte, & pro alijs duabus partibus successerunt eidem proles suæ ex secundo thoro: sequitur ergo, quòd intentio dicti Laurentij contra proles dictæ Wivæ ex secundo thoro fundata est pro duabus partibus medietatis redditum duarum librarum perceptorum à præfato domino Nicolao dũ vixit. Nec potest objici præscriptio, quia nondum effluxum est tempus 30. anno-
2 rum, omnes † autem actiones personales, qualis est ista, durant 30. annis, *l. sicut. C. de præscript. 30. vel 40. annorum,* & *l. neque mutui, C. quib. non obstat long. temp.*
3 *præscript*, præterea de dicto tempore † 30. annorum deduci debet, quo præfata Adriana fuit in pupillari ætate, *l. bona fidei. §. nec. interest. ff. de acquir. rer. dominin.* nec potuit dicta Adriana ante agere, quàm sciret jus sibi competere, quod primum scivit paucis annis effluxis, cùm primum ad eum pervenerunt literæ dicti redditus cum transfixo traditę eidem per dictam Wivam, sub qua semper per prius
4 quieverunt: non † valenti autem agere non currit præscriptio, *l. prima, in fi. C. de an. ex.* nec obstat si dicatur, quòd in contractu antenuptiali dicti Laurentij conventum fuit, quòd dicta Adriana ejus uxor post mortem dicti domini Nicolai percipiet hujusmodi redditum duarum librarum, videtur ergo, quòd nihil petere possit de cessis in vita dicti domini Nicolai: Quia ad hoc respondetur, negando consequentiam: quia per dictum contractum antenuptialem nihil juris ab-
5 latum fuit præfatæ Adrianæ, imò † verba illa prolata fuerunt ad augmentum, non debent ergo operari diminutionem vel sublationem juris competentis, *l. si mancipia. in principio. ff. de fundo instruct.* maximè cum dicta Adriana tunc temporis & diu post, & similiter dictus Laurentius ignoraverũt sibi aliquod jus com-
6 petere in dicto redditu: renunciatio † autem etiam expressa non porrigitur nec extenditur ad ignorata, *l. mater decedens,*

dens, ff. de inoffi. testa. & *l. qui in tutoribus. ff. de transact. cum similib.* multo minus ergo tacita, & ad huc minus inducta ad augmentum operabuntur diminutionem, ut supra dixi, attento maximè, quòd literæ originales hujusmodi redditus & literæ transportus fuerunt per dictum dominum Nicolaum traditæ ad manus aviæ primò, & deinde ad manus matris dictæ Adrianæ ad opus ejusdem Adrianæ, ut in facto præsupponitur: & præsertim attento, quòd dictus dominus Nicolaus, recipiendo hujusmodi redditum, post datam dicti transportus quitantiam dedit nomine præfatæ Adrianæ, ut etiam in facto supponitur, recognoscendo per hoc, se in illo redditu nullum jus habere: juxta ea quæ habētur & notantur *in l. quædam mulier. ff. de rei vendi.* & *in cap. 2. de consue.* & *in l. ab emptione. ff. de pact.*

CONSILIUM CLXIII.

SUMMARIA.

1 *Legatarij in bonis sibi per testatorem relictis omnibus hæredem creditoribus præferuntur.*

2 *Legata debentur, deducto ære alieno testatoris.*

3 *Beneficium separationis adversus quos creditores competat.*

4 *Exemplum in principio legis positum non restringit aut distinguit legem aliàs generaliter loquentem.*

5 *Injuriam alteri facere non censetur qui suo jure utitur.*

6 *Saisitio ejusdem effectus & efficacia videtur, cujus est aditio. Differunt tamen ut ibi, &c.*

7 *Asserens id quod in jure cantum non reperitur probare tenetur.*

8 *Verba,* plenam potestatem, *adposita in testamento denotant potentiam omnimodam & absolutam.*

9 *Ratio ubi est eadem statuendum quoque idem jus.*

10 *Potestas alicui concessa secundum juris ordinem interpretanda est.*

11 *Culpa sua cuilibet damnosa.*

12 *Divinare nemo tenetur.*

13 *Qualitates novæ an actioni intentatæ addi possint.*

CORnelius Altonitus mercator Florentinus suum condidit testamentum, in quo Nicolaum & Frāciscum suos filios legitimos & naturales infantes hæredes instituit universales: honestæ autem domicellæ Lionoræ uxori suæ & ejus filijs naturalibus tantùm, fecit plura legata, per hæc verba. Item ordinavit plures tutores inter quos nominavit præfatam honestam domicellam Lionoram ejus uxorem, & Lactantium Altoniti ejus nepotem. Quem quidem Lactantium præposuit gubernatorem & institorem solum omnium suorum bonorum, ordinans, quod exerceret mercaturam, prout solitus erat testator exercere, per hæc verba. Atque ita condito testamento & relicta hæreditate opulentissima suprà æs alienum decessit. Adita hæreditate Lactantius institor debita ab ipso testatore exolvit, & ita mercaturam exercuit, ut sive dolo, sive fato hæredes præfati infra quadriennium decesserūt. Quo fit, ut creditores hæredum, & qui cum Lactantio eorum institore contraxerunt, sequestrare fecerunt omnia bona mobilia & immobilia dictorum hæredum, idem fecerunt & legatarij præfati, opponentes se invicem, creditores legatarijs, & legatarij

creditoribus, & quilibet de prælatione contendentes. Quæritur, quis eorum præferatur.

In nomine Domini, &c. Quoniam articulus videtur satis clarus, ideo paucis absolvendus. Firmabimus ergo unam conclusionem, postmodum pro clariori dilucidatione formabuntur & solventur quędam oppositiones. Conclusio ergo talis
1 est, quod legatarij † in bonis tam mobilibus, quam immobilibus relictis per ipsum testatorem existentibus adhuc in esse, & separabilibus ab his, quæ per cõsumptionem vel aliter conversa sunt irrevocabiliter in dominium hæredum, de jure indistinctè creditoribus hæredum præferuntur, ita quòd nullum jus efficax competat creditoribus in his bonis, donec legatarijs præfatis integra legata fuerint exoluta, & hoc tam ratione anterioris eorum hypothecæ, quàm ob beneficium separationis, *per l. 1. cum ibi not. C. commu. de lega.* & *per l. 1.* & *l. creditoribus,* & *l. quotiens,* & *per tit. ff. de sepa. bon.*
2 Oppono primò, legata † debentur deducto ære alieno, *l. fin. §. licentia, C. de jure delib.* Solutio, id verum quoad creditores hæreditarios habentes causam à defuncto, secus in creditoribus hæredum, *d. l. quotiens,* & *ibi per gl.* Secundò oppo-
3 no, & videtur quòd beneficium † separationis competat tantum adversus creditores hæredum, qui ante aditam hæreditatem contraxerunt: secus quoad eos qui post aditam hæreditatem contraxerunt, prout in casu nostro, & ita videtur loqui *text. in d. l. 1. in princ. ff. de sepa. bon.* Solutio verbalis est hæc, distinctio est contra *text. in l. 1. §. sciendum.* ubi dicitur beneficium competere adversus eum cui hæres hypothecavit seu pignori dedit rem hæreditariam, quod verificari non potest nisi in creditore post aditam hæreditatem, ad idem *§. videamus in ea lege,* & il-
4 lud † exemplum positum in principio ejusdem legis, non restringit aut distinguit, si aliter lex generaliter loquitur, *l. damni infecti, le. secunda, ff. de damno infecto.* & *l. non distinguemus, cum vulgaribus. ff. de arbitris.* Tertiò oppono, nam videtur, quòd fiat injustitia avocando hæc bona à creditoribus hæredum, qui sub spe securitatis illorum, & putantes hæreditatem opulentissimam cum hęredibus contraxerunt. Solutio, fatendum est, quòd incommodum patientur ex tali separatione, quia minus consequentur ab hæredibus, sed propter hoc non fit eis injustitia: scire enim contrahentes debuerunt, quòd legatarijs satisfieri debuit de bonis hæreditarijs, & quòd in jure præferuntur quibus-
5 libet creditoribus hæredum: nec † quòd legatarijs imputare possit, qui jus eorum & non injuriam & incommodum creditorum prosequuntur, *l. injuriarum, §. primo. ff. de injurijs, cum vulgaribus.* Quartò oppono, & videtur, quòd beneficium separationis legatarijs non competat, ob consuetudinem patriæ, ex qua mortuus saisit vivum, & per quam bona videntur irrevocabiliter hęredibus quęsita, ita quod in his non detur bonorum separatio. Ista oppositio in mercatore extraneo habente animum redeundi, & testante secundum dispositionem juris scripti, videtur omnino impertinens, præsertim cùm dicta domicella post mortem testatoris non successit in medietate bonorum secundum consuetudinem patriæ, & steterit dispositioni testatoris factæ secundum ordinem juris scripti, tamen pro clariori intelligẽtia ex hoc oppositione nõ videtur aliquid inferri. Non enim negatur, quin bona Cornelij devenerunt in dominium hæredum, imò dum proponitur beneficium separationis, præsupponitur bona devenisse in dominium hæredum aliàs non esset opus beneficio. Sive autem venerint in dominium hæredum ex saisitione, sive ex
6 aditione, non videtur vis. Cum † ejusdem effectus

effectus & efficaciæ videtur saisitio, cujus est aditio, & in hoc tantũ videtur differre, quòd in aditione necessaria est animi declaratio acquirere volentis, quod non est necessarium in saisitione, in qua dominium censetur quodammodo continuari de persona defuncti in personam hæredum absque aliquo facto. Sed quoad hoc, ut alio atque alio modo teneatur hæres ex aditione & ex saisitione, aut quod magis sint immunes creditores hęredum ex saisitione, quàm ex aditione, ita quòd beneficium separationis, quod competit contra unum, non competit contra alium non invenitur
7 jure cautum, & ideo † qui hoc asserit, probet aut incidet *in l. illam C. de colla.* Quinto oppono, quòd tale beneficium nõ vendicet sibi locum contra hos creditores, & quòd sint saltem in eodem gradu cum legatarijs: nam ratio quare legatarij habent beneficium separationis, nulla alia esse videtur, nisi quia habent causam à defuncto: quæ ratio pariter videtur habere locum in his creditoribus, quia contraxerunt cum institore, cui defunctus auctoritatem & liberam potestatem dedit contrahendi, ita quòd contractus initi cum ipso institore, debent sortiri eundem effectum, ac si fuissent initi & celebrati cum
8 ipso testatore, quia ista † verba plenam potestatem, &c. apposita in testamento, denotant potentiam omnimodam & absolutam, *ut l. in alio, & ibi per Bart. Alex. & alios, ff. de alimen. & cibar. lega.* unde
9 † cùm sit eadem ratio in uno, quæ est in alio, merito idem jus est statuendum, *l. illud, ad l. Aquiliam.* Solutio, falsa ex diversis illatio. *l. cum prætor, §. item hi, ff. de judic. cum vulgarib.* legatarij jus habent immediatè à persona & facto defuncti qui legavit, creditores cum defuncto non contraxerunt, sed cum institore habente auctoritatem à defuncto contrahendi, quàm à seipso non habebat, quæ quidem auctoritas institori concessa regulatur

& interpretatur subordinatè & secundum voluntatem testatoris & juris formam, non enim dedit testator auctoritatem Lactantio institori revocandi legata facta suæ uxori & propriis filijs & alias dispositiones per eum factas directè vel indirectè, non dixit testator, quòd beneficium separationis non competeret, aut quod legatarijs hypothecam priorem habentibus præferrentur creditores hæredis hypothecam non habentes, vel habentes posteriorem: non dixit, nec dixisse potuit, quòd leges & juris ordo non haberet locum in testamento. Sanè itaque
10 & † non extra juris ordinem interpretanda est potestas institori concessa, ita quod stantibus in suo robore dispositionibus celebratis per dictum testatorem, dictus institor de cæteris bonis disponere possit, prout ei expediens & oportunum videtur. Ad hæc faciunt quæ notat eleganter *Bald. in l. quidam elogio, in fi. versic. nunquid dicta. l. qui patri, C. de jure delib. & in l. si testamentum, in ul. notabili, C. de jur. & fac. igno. facit. l. in conditionibus, ff. de condi. & demon. & l. nemo potest, eum vulg. ff. de leg. 1.* Sextò op-
11 pono, nam † culpa sua cuilibet debet esse damnosa, cùm ergo præfata domicella potuisset per auctoritatem sibi à testatore permissam videre rationes & computa administrationis dicti Lactantij institoris, ut patet ex verbis testamenti, meritò si id non fecit & permisit rem filiorum omnino deperdi & gravari ultra vires ære alieno, talis culpa debet ei obesse & non creditoribus. Solutio, fecit quantum in ea fuit evocãdo coexecutores viros graves & providentiores, qui decepti fuerunt per dictum institorem, prout quilibet vir prudens de facili decipi potuisset: quis enim sanæ mentis scrutari possit ita brevi spacio tot bona deperdi: nullus pro-
12 fecto absque divinatione, † ad quam nemo tenetur, *ut per Spec. in tit. de excep.*

§.2.versi.quid si probatur exceptio: & si qua culpa imputanda est, imputari debet creditoribus qui sunt Mercatores viri experti, & qui statum suorum debitorum scire debuerunt. Septimò oppono, nemo debet pro eadem re diversis judicijs distrahi, sed hi legatarij primò petiverunt coram oppido Brugensi, & coram Dominis de Franco in una instantia legata eis facta: Mox coram eisdem in alia instantia petiverunt beneficium separationis, quod esse non debuit, cum absolutoria lata in uno pariat exceptionem rei judicatæ in alio. Solutio, eadem est instantia, eædem personæ, eadem causa agendi, sed
13 † addita fuit certa qualitas: petitur enim semper arresta per creditores facta declarari nulla quoad præjudicium legatariorum, & dictis legatarijs præ cæteris omnibus assignari portiones eis relictas, & additur ista qualitas, quòd ista assignatio fiat per modum & beneficium separationis bonorum, quod fieri potest usque ad sententiam, *l. in delictis. §. fi. de tracta. ff. de nox. ac. Bart.* & *alij in l. edita, C. de eden.* & *ibi de materia.* Expeditis oppositionibus remanet firma conclusio, quod legatarij hujusmodi præferri debent creditoribus hæredum, ut dictum est.

CONSILIUM CLXIV.

SUMMARIA.

1 *Confessio extrajudicialis facta parte absente, si fuerit iterata aut geminata, plenam facit probationem: maximè si quis confessus fuerit, rem esse alterius.* & *num. 2. & 3.*

4 *Confessio extrajudicialis munita alterius testimonio multum prodest.*

5 *Testimonium unius inducit probationem semiplenam.*

6 *Testes non reputantur singulares quorum dicta ad eundem finem tendunt, sicque in principali dicto concordant.*

QUæritur utrum per duos testes deponentes, prout in instrumento pergameno, & alium deponentem, prout in instrumento papyreo continetur, resultat plena, vel semiplena vel nulla probatio. Et videtur, quod non plena imò nulla, quia nec ille unus per se probat: quia vox unius, vox nullius, *c. licet universis, cap. cùm à nobis, de testib.* nec alij duo,
1 quia confessio † extrajudicialis facta absente parte etiam cum causa, non probat, *l. certum. §. si quis absente ff. de confess. gl. in l. fi. ff. de interro. ac gl. in c. fi. de confes.* ergo ista simul juncta non inducunt probationem: quia ubi quodlibet separatum per se non juvat, nec prosunt illa simul juncta, *l. Spadonem. §. quæ jura multa. ff. de excu. tuto.* nec multa imperfecta faciunt unum perfectum, *c. quorundam, juncta gl. 23. dist.* Isto tamen non obstante
2 dicitur, quòd duo † testes deponentes de confessione extrajudiciali etiam in absentia partis, faciunt semiplenam probationem: ita vult in terminis *Bart. in l. admonendi, in 9 col. in vers. his præmissis. ff. de jurejuran.* & *sequuntur ibi communiter Doct. per l. capite quinto, juncta sua gl. ff. de adult. Paul. de Castr. in l. Publio. ff. depo.* & *tenet expressè Lanfranc. in repeti. d. l. admonendi,* & *Iason etiam in repetit. sua super ea. l.* ubi dicit finaliter quicquid dicat Sali. quòd ab ista opinione in judicando & consulendo non esset recedendum, *Panor. Imo.* & *alij canonistæ in c. si cautio, de fide instru.* imò si fuerit iterata aut geminata, plenam probationem facit, *ut vult Bart. in l. scimus, C. de agric.* & cen-

& censi.lib.11. *quem sequuntur & recitant Iason.in d.l.admonendi, & Panor.in*
3 *d.c.si cautio, in fin.* & tanto † magis, si quis confessus fuerit esse rem alterius, secundum *Anton. de Butrio in dict. c. si*
4 *cautio.* Quare omissis superfluis, quia † præter istam confessionem adhuc superest probatio unius testis, qui vice & nomine absentis, donationem de qua quæstio, recepit & per absentem ratificata fuit, & sic multum prodest *l. hujusmodi. ff. de legatis primo, Imo.in cap.si cautio, præalleg. & Ioan. And.in additio.ad Spec. in tit. de confess. § nunc videndum, versic. quid si confiteor,* ita quòd ista simul collecta, vehementem præsumptionem inducunt, videtur quod ad minus juramentum in supplementum probationis, donatario erit deferendum. *l.admonendi. ff. de jurejuran.l.in bonæ fidei, C.de reb.cre.* Nec obstat argumentum supra allega. quia di-
5 citur concedendo, quòd licet † vox unius est vox nullius, quoad plenam probationem faciendam, inducit tamen probationem semiplenam, *glos.& text.in l.admonendi, præalleg.* Item similiter non obstat ubi Doctores dicunt, quòd confessio extrajudicialis non probat facta parte absente, quia intelligitur hoc quoad plenam probationem facientem, & quando non est geminata neque in reali, ut suprà deductum est. Ex istis etiam patet solutio ad hoc quod dicitur, quòd ista simul juncta non faciunt plenam probationem, &
6 ultra hoc dicitur: quòd † tendunt ad eundem finem & deponunt super una donatione, & sic in principali dicto concordare videtur, non debēt reputari singulares, *c.cum causam, & ibi Imo Panor. & Doct. probat.* maximè ad vehementem præsumptionem faciendum, ita quòd locus sit delationis juramenti, *per jura præall. & c.fin. de jurejur. & c. fin. de success. ab intesta.* Et quia de habilitate & capacitate personæ donatarij ad sufficientiam & plenè constat per literas desuper confectas: Concludendo dico, quòd dicta donatio sortiri debet suum plenum effectum.

CONSILIUM CLXV.

SUMMARIA.

1 *Commissarij limitatam in certis locis habentes potestatem, extra illa loca nihil validè facere possunt.*

2 *Limitata causa, limitatum producit effectum.*

3 *Generaliter dictum, generaliter intelligi debet.*

4 *Materiam remissionis peccatorum amarè vel strictè interpretari nec decet nec expedit.*

5 *Peregrinari omnibus competit hominibus.*

6 *Inferior de facto superioris cognoscere non debet.*

7 *Papa solus privilegia per ipsum data interpretatur.*

8 *Favor animarum nullam patitur restrictionem.*

9 *Faciens contra legem divinam vel Ecclesiæ, sequendo intellectum, qui postea reprobatur, an peccet.*

IUlius Papa secundus: Ad preces Cæsareæ majestatis, ac piæ memoriæ Philippi regis Castellæ, sacri Romani imperij electorum, aliorumque principum pro defensione patriæ Livoniæ adversus Ruthenos & Tartaros aliosque schismaticos & hæreticos concessit, in favore magistri ac militum ordinis B. Mariæ Teuthonicorū, qui assiduum cōtra illos gerunt bellū, plenissi-

pleniſſimam jubilei indulgentiam ad
triennium à die publicationis duraturam,
cum pluribus alijs facultatibus pro Chri-
ſti fidelibus in Moguntinenſi, Colonienſi,
ac Treverenſi provincijs, ac civitate &
diœceſi Meſenenſi commorantibus, & ad
illas pro indulgentijs hujuſmodi prome-
rendis confluentibus: nec non pro infir-
mis, valetudinarijs & impeditis, ecclesias
& loca ad hoc deputata accedere non va-
lentibus, prout in literis Apoſtolicis ple-
nius continetur. Modò quæritur, utrum
commiſſarij extra provincias & loca, de
quibus in bulla, poſſint deputare confeſ-
ſores pro impeditis, debilibus, vel infir-
mis, aut alijs ad provincias vel loca, de
quibus in bulla, accedere commodè non
valentibus. Et videtur quòd non, quia
1 † dictis commiſſarijs datur limitata po-
teſtas in certis provincijs & locis, ergo
extra illa loca nihil validè facere poſſunt
arg. c. ut animarum, de conſtit. lib. 6. & *l.
fin. de juriſd. omnium jud.* maximè cũ hu-
juſmodi facultas competat ex privilegio
de jure ſpeciali, *juxta not. per Hoſt. Ioan.
And.* & *Doct. in c. excommunicatis. de of-*
2 *fic. lega.* limitata † enim cauſa, limitatum
producit effectum, *l. in agris. ff. de acqui-
ren. rer. dom. cum ſi.* præſertim cum iſtud
periculum animarum concernat, ſi fortè
temere confiſi, abſolutos ſe credant, cùm
non ſint. In contrarium tamen meo ju-
dicio eſt veritas, quod patet, quia in dicta
bulla, ſi benè inſpiciantur ſingulæ ejus
clauſulæ, nedum datur facultas commiſ-
ſarijs communicandi hujuſmodi pleniſſi-
mas indulgentias hominibus provincia-
rum & locorum de quibus in bulla, ſed
etiam alijs ad dictas provincias vel loca,
pro conſequendis hujuſmodi indulgentijs,
undecunque confluentibus & accedenti-
bus, ut patet ex clauſula, Omnibus & ſin-
gulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus
verè pœnitentibus & confeſſis, Moguntinenſis, Colonienſis, & Treverenſis provinciarum, illarumque ac Meſenenſis civitatum & diocœſis, & in illis quomodolibet habitantibus ſeu commorantibus, ac ad eas ad conſeqendum gratiam & indulgentias infrà ſcriptas undecunque confluentibus, &c. & poſtea hujuſmodi facultas, quoad impeditos, extenditur, ampliatur in alia clauſula incipiente: Et nec illi qui peregrinari & aliquam ex Eccleſijs deputandis pro conſequenda indulgentia hujuſmodi commodè & honeſtè viſitare, aut aliàs contra Schiſmaticos & infideles prædictos arma ſumere, vel ut præmittitur, auxilium, conſilium, vel favorem, præſtare non poterint, utriuſque ſexus, utpote infirmi, decrepiti, valetudinarij, diviniſque aut humanis ſervitijs mancipati, effectu careant indulgentiæ memoratæ volumus, quòd ſi tales hujuſmodi aut alijs quibuſvis impedimentis Eccleſias ipſas viſitare impediti, verè pœnitentes & confeſſi ad capſas prædictas per fideles manus tranſmiſerint, quantum per unam hebdomadam integram in victualibus cum eorum familia exponere conſueverunt, ſeu aliam contributionem per commiſſarium prædictum, ſeu ab eo, pro tempore deputatos aut ſubdelegatos, moderandum ad hujuſmodi pium opus, fecerint tam ipſi, quam de ipſorum ſic impeditorum familia exiſtentes etiam non impediti, eandem prorſus indulgentiam pleniſſimam conſequantur, ac ſi loca ipſa indulgentiarum perſonaliter viſitarent liceatque præfato nuncio & commiſſario ac deputando & ſubdelegando pro talibus impeditis in ſingulis locis in quibus ſibi videbitur, confeſſores deputare idoneos, etiam quos ipſi non venientes, eligere voluerint, qui erga impeditos eoſdem ac de eorum familia exiſtentes, ut præfertur, pari qua alij confeſſores prædicti erga viſitantes dictas eccleſias, autoritate fungantur. Ex qua clauſula clarè patet, dictas indulgentias non ſolùm communicari

municari impeditis, qui sunt incolæ provinciarum & locorum, de quibus in bulla, sed impeditis in quibuscunque alijs provincijs & locis, ex quibus aliàs possent confluere ad loca in provincijs deputata pro indulgentijs consequendis: Quia sine limitatione ac indistinctè sanctissimus Dominus noster Papa ponit clausulam de impeditis in illis verbis: In singulis locis in quibus sibi videbitur, nullam faciens differentiam, quarum provinciarum incolæ fuerint seu habitato-
3 res, ergo generaliter † debet intelligi: quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, *le. de precio, ff. de publicia.* & generaliter dictum generaliter debet intelligi, *l. prima. §. generaliter, ff. de lega. præstan.* & qui omne dicit, nihil excludit, *cap. solitę, de major. & obedien.* & *l. à procuratore, juncta glos. C. manda.*
4 maximè in hac materia † favorabili remissionis peccatorum, quam amarè vel strictè impetrari, nec decet nec expedit, secundum glossam ordinariam *in clemen. unica, in fine, de reliq. & venera sancto.*
5 Item ex alio, quia peregrinari † non solùm competit hominibus provinciarum & locorum, de quibus in bulla, sed etiam indifferenter omnibus hominibus cujuscunque nationis, *Authent. habita, C. ne filius pro patre.* possunt enim & illi peregrinando ad loca, de quibus in bulla, ipsas indulgentias promereri, vel arma assumendo, vel limitibus in advectione victualium, armorum, & aliorum, quæ exercitui necessaria fuerint serviendo: sicut homines provinciarum & locorum, de quibus in bulla: quòd si tales impediti fuerint, & per manus fideles oblationes vel contributiones suas miserint, pari debent cum alijs prærogativa lætari, *l. illud, ff. ad l. Aquil. & l. à Titio, ff. de verborum obligationibus.* Nec obstat si dicatur, quòd tunc non erit differentia inter loca expressa in bulla, & loca non expressa: quia certè magna est differentia, quia in solis provincijs & locis, de quibus in bulla, commissarij possunt deputare loca & confessores ad promerendum hujusmodi indulgentias indifferenter pro omnibus qui de illis locis sunt oriundi, vel qui ad loca ista confluere, ex quacunque natione voluerint, & tam impeditis ibi, quàm alijs quibuscunque non impeditis communicare hujusmodi indulgentias: sed in provincijs & alijs locis non nominatis, vel expressatis in bulla, duntaxat communicare poterunt indulgentias impeditis, ordinando certos confessores, vel arbitrio ipsorum impeditorum, quos eligere voluerint, id committendo, ut habet bulla: & ista fuit vera mens & intentio sanctissimi domini nostri Papæ, ut lucidè pa-
6 tet ex dicta clausula, † de cujus dispositione seu facto inferior cognoscere non debet, *c. cùm venissent, de jud.* sed si bulla apparet vera & sine defectu, debent dari testimoniales: si autem manifestè apparet defectuosa potest eam non admittere:
7 sed si † dubitatur de ejus intellectu literis sanis existentibus consulendus est Papa, cujus est æstimare, quem modum sui privilegij esse velit, ut est pulcher *text. in c. ordinarij. §. si verò, de offic. ordi. lib. 6.* ejus enim est interpretari, cujus est condere, *c. inter alia. de sen. excommun. & l. fin. C. de legibus. cum similib.* Et per ista funditus ruunt omnia, quæ suprà in principio adducta sunt in contrarium. Quia primum non est verum, quòd pro impeditis, dictis commissarijs detur facultas limitata, restricta ad provincias & loca, de quibus in bulla, imò quoad impeditos, generalis & indistincta est provisio sine aliqua limitatione vel restrictione locorum, ut suprà declaravi. Secundò non est verum, quòd istud concernit pe-
8 riculum animarum, imò † concernit favorem animarum, ut suprà declaravi, & ergo non debet fieri restrictio, *juxta no-*

ta. per gloss. ordinariam notabilem in cap. sciant cuncti, de elect. lib. 6. & *nota. per Ioan. And. Panor.* & *Doctores in cap. ex tenore. qui filij sunt legiti.* imò quod plus est, nunquam potest in hoc casu esse periculum animarum, quia dato sine præjudicio, quòd intentio sanctissimi domini nostri Papæ non fuisset talis, ut suprà dixi, prout tamen firmiter & indubitanter teneo quòd sic: tamen negari non potest, quin iste intellectus sit multum probabilis & verisimilis: Impediti ergo extra provincias & loca, de quibus in bulla, oblationes vel contributiones suas conferentes pro consequendis hujusmodi indulgentijs, credentes bullam ad eos se extendere, propter fidem Sacramenti
9 non sunt decepti, ita † notabiliter vult *gloss. ordinaria Innocen. Hosti. Ioan. And. Panor. Ioan. de Imol.* & *communiter omnes Doct. in c. dudum, 2. in verbo decepte, de electi. pro quo etiam faciunt nota. per gl. Io. And. Ant. de Butr. Panormita.* & *alios in c. Capellanus, de ferijs,* & *nota. per Innoc.* & *Bald. in c. ne innitaris. de constit.* & *not. per gl. Dominic.* & *Philippum Franc. in c. unico super verbo, de cætero, de postu. prælat. lib. 6.* & *ea quæ scripsit Alex. de Imo. in consilio primo, secundi voluminis, in tertia columna* in quibus locis habetur: quòd ille qui facit contra legem præcepti divini vel Ecclesiæ, in cujus intellectu sunt variæ opiniones, sequendo unam earum non peccat, quam diu non est facta præcisa declaratio per ecclesiam, licet posteà illa opinio quam prius secutus est, reprobetur, & sic in casu præsenti nullum periculum est in admittendo dictos commissarios extra provincias & loca, de quibus in bulla ad deputandum confessores & loca pro audiendis confessionibus & recipiendis oblationibus seu contributionibus ab infirmis, debilibus, & alijs impeditis, qui loca in dicta bulla nominata accedere nequeunt, imò ex vi bullæ dictis commissarijs id competit, ut evidenter ex tenore ejusdem bullæ apparet.

CONSILIUM CLXVI.

SUMMARIA.

1 *Impediri qui in jure dicantur.*
2 *Posse illud censemur quod jure licitè & commodè possumus.*
3 *Impossibile existimatur quod à voluntate unius dependet.*
4 *Concesso principali, accessorium quoque sine quo principale effectum sortiri nequit, concessum videtur.*
5 *Verba impropriantur potius, quàm dispositio effectu careat.*
6 *Verbum* Interpretatio *in jure multipliciter capitur.*
7 *Qui declarat, nihil de novo facit.*
8 *Commissarius interpretationem commissionis extẽsivam vel correctoriam facere non potest.*

PRo ulteriori declaratione & intellectu bullæ antedictæ, quia Papa exprimit infirmos, decrepitos, valetudinarios, divinis aut humanis obsequijs mancipatos, & postea subjungit clausulam generalem, aut quovis alio impedimento, &c. Quæritur quales impediti homines debeant clausulæ illius vigore posse comprehendi. Secundò, quia in singulis locis datur facultas deputandi confessores pro impeditis, & ponendi capsam in singulis Ecclesijs, an ne extra loca in bulla designata, liceat commissario & suis deputatis pro colligendis impeditorum eleemosynis ponere aliquam capsam vel truncum. Tertiò quia interpretatio dubiorum pro

tempore occurrentium conceditur com-
miſſario & deputandis per eum, quem ef-
fectum hæc clauſula habeat, & quid illius
vigore poſſunt. Ad quæ dubia per ordi-
nem reſpondendo dico primò ad primum
1 breviter, omiſſis ſuperfluis, quod ſub † di-
cta clauſula generali veniunt captivi, car-
cerati, vel in vinculis detenti, *arg. l. ſuccur-
ritur, cum l. ſeq. ff. ex quib. cau. majo.* Item
ſub dicta clauſula generali comprehen-
duntur pauperes prolibus gravati, qui pro
quotidiano victu prolium in dies labo-
rare habẽt, nec à domibus ſuis abeſſe poſ-
ſunt, *arg. c. quod de his, & c. quamvis, de
ſen. excom.* Item ſub dicta clauſula gene-
rali comprehenduntur illi, qui propter ini-
micitias, vel bannũ aut aliàs timore mor-
tis incurrendæ loca in bulla nominata ac-
cedere non valent, vel non audent, *ar. c.
accedens. 2. ut li. nõ cont. & cle. paſtoralis.
§. Piſana, de ſent. & re jud. & c. ſtatutũ. §.
cùm verò, cum gl. de reſcript. lib. 6. cum ſi.*
& generaliter omnes qui de jure vel de
facto prohibentur, vel impediuntur pere-
grinari ad loca, de quibus in bulla, *ar. c.*
2 *ſciſcitatus de reſcrip.* Hoc† enim poſſumus
quod jure, licitè, & commodè poſſumus,
*c. faciat homo, 22. q. 2. & l. nepos Proculo.
ff. de ver. ſignif.* ex quo ſequitur, quòd
mulieres conjugatæ, quæ ſine conſenſu
mariti peregrinari, vel ſe abſentare non
debent, *cap. noluit, 33. quæſt. 5.* & clerici
ſeculares, qui ſine licentia epiſcopi pere-
grinari non debent, *c. non oportet ſecundo,
de conſecr. diſt. ult.* etiam comprehendun-
3 tur ſub dicta clauſula generali, quod † e-
nim dependet à voluntate unius, cenſetur
quaſi impoſſibile, *ut eſt gl. ord. in l. conti-
nuus. §. cum quis, & ibi DD. ff. de verb. ob-
li. & probatur in l. apud Iulianum. § ſi ff.
de leg. 1.* licet non abſurdè dici poſſet, mu-
lieres conjugatas & clericos ſeculares
comprehendi ſub dicta clauſula, divinis &
humanis obſequijs mancipatos. Quo au-
tem ad ſecundum dico breviter quòd ſic,
4 quia † ex quo favore impeditorum con-
ceditur per bullam, principale, puta facul-
tas audiendi eorum confeſſiones extra
loca, de quibus in bulla; nemini debet ve-
nire in dubium, quin etiam acceſſorium,
ſine quo principale non poſſet ſortiri effe-
ctum, videatur commiſſum, puta deputa-
tio capſarum vel truncorum, in quibus e-
leemoſynæ vel contributiones contribu-
torum in favorem fidei reponantur, *ar. l.
2. ff. de juriſd. omn. jud. & c. preterea, de*
5 *offi. deleg.* † imò potius verba improprian-
tur, quàm diſpoſito effectu careat, *c. ſi ſen-
tentia, in fi. de ſen. excomm. lib. 6. faciunt
nota. per Panor. in c. veniens, in fi. de co-
gna. ſpiritu.* imò quod fortius eſt, ſi benè
inſpiciantur verba dictæ bullæ, iſtud ex-
preſsè permittitur favore impeditorum
& fidei: ergo non opus interpretatione,
*l. ille aut ille. §. cum in verbis, ff. de lega.
tertio*: in incertis enim non autem in cer-
tis locus eſt conjecturis, *le. continuus. §.
cum ita, in fine ſupra allegata.* Quantum
ad tertium, omiſſis ſuperfluis, dicitur
6 breviter, quòd licet iſte terminus † inter-
pretatio capiatur multipliciter, ut gloſ-
ſa notabilis *in l. 1. ff. de ori. jur. & gloſ. in
l. 1. § qui operas, ff. ad Tertullianum. & gl.
in l. prima, C. de legib. & in c. 1. de poſtu.
prælat. cum ſimili.* tamen quantum propo-
ſito ſervit, interpretatio nihil aliud eſt,
quàm congrua verbi vel orationis expo-
ſitio, & talem interpretationẽ ſine decla-
ratione poterit facere commiſſarius, vel
7 deputandi ab eo: qui enim † declarat, ni-
hil de novo facit, ſed factum exponit, *l.
heredes palàm. §. ſed ſi notam. ff. de teſta.
cum ſim.* Ita enim fieri videmus in arbi-
trio, *l. quia arbiter, cum ibi nota. ff. de ar-
bit.* & in judice *l. ab executore, & ibi Bar.*
8 *& Io. de Imo. notant, ff. de appella.* non au-
tem † poſſet dictus commiſſarius facere
interpretationẽ extenſivam, vel correcto-
riam, aut verbis exiſtentibus claris aliter
interpretari, *d. l. 1. C. de legi. & preal. l. ille*

aut ille. §. cum in verbis, cum utrobique notat. per Doctores.

CONSILIUM CLXVII.

SUMMARIA.

1 *Testamenta tot sunt quot personæ testantium.*
2 *Testator legem in testamento sibi ponere nequit, à qua ei resilire non liceat.*
3 *Legata, ex ordinatione codicillari, quæ postmodum expreßè & specialiter revocata non reperitur, in solidum debentur.*
4 *Legata in fraudem alterius facta, nullius sunt momenti.*
5 *Fraus legatariorum unde cognosci possit.*
6 *Fraus ex conjecturis probatur.*
7 *Bona mobilia primò veniunt in executione sententiarum.*
8 *Legitima debetur liberis sine ullo gravamine illudque adpositum lex tollit.*
9 *Quod lex dat, homo auferre nequit.*
10 *Filiorum causa favorabilior est, quàm legatorum piorum.*
11 *Feudalia bona sine consensu domini directi, gravari non possunt etiam pro salute animæ.*
12 *Hæres legata per defunctum relicta solvere tenetur.*
13 *Clausula derogatoria seu protestatio præcedens, contraria actui sequenti quid operetur.*
14 *Codicicillis pluribus confectis quis decedere potest: non autem pluribus testamentis.*
15 *Clausula derogatoria primo testamento inserta operatur destructionem secundi testamenti.*
16 *Testator quando dicatur specialiter pœnitere primæ voluntatis.*
17 *Fratres minores ultimarum voluntatum executores etiam volentes esse non possunt: maximè si alij non religiosi simul deputati fuerint. & num. 18.*
19 *Executio ultimarum voluntatum, deputatis executoribus non exequentibus, ad quos pertineat.*

VIsis testamentis, codicillis, seu ultimis voluntatibus, per bonæ memoriæ Theobaldum Wilhelmi de Berthoen & domicellam Mariam de Beloys dum vixerunt conjuges primo simul & concorditer anno Domini 1460. & deinde per dictam domicellam Mariam separatim distinctis temporibus, primo Anno Domini 1499 & depost anno Domini millesimo quingentesimo quarto, & finaliter in extremis, conditis seu ordinatis, dubitatur de tribus. Primò de validitate dictarum dispositionum seu ultimarum voluntatum. Secundò, an una per aliam censeri debeat revocata. Tertiò, an executores deputati in testamento seu codicillo, ordinato anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo nono, aliquid possent facere in negocio executionis sine executoribus deputatis postea in codicillo ordinato anno Domini millesimo quingentesimo quarto. Ad quæ breviter omissis superfluis, videtur mihi subscripto per ordinem respondendum. Et primò ad
1 primum dico breviter, quòd codicillus † editus per præfatos conjuges simul & concor-

concorditer dicto anno quadringentesimo
sexagesimo indubitanter valet, & licet
ambo in una charta suam ordinaverint
ultimam & extremam voluntatem, ita
quòd videatur prima facie unus codicillus
& non duo, tamen in veritate sunt duo
codicilli, unus dicti Theobaldi, & alter
antetactæ domicellæ Mariæ, ita quòd
post mortem primò decedentis superstes
potuit hujusmodi testamentum vel codi-
cillum pro parte sua revocare, & aliter
disponere, ut eleganter vult *Oldradius in
consilio suo* 174. & *sequitur Ioannes And.
in additio. ad Specul. in tit. de testam. §. 1.
in principio*, ubi dicit ita de facto fuisse
judicatum, quod est verum, etiamsi in
primo testamento concorditer & simul
condito esset clausula derogatoria, prout
fuit in casu præsenti, dummodo illi specia-
2 liter derogetur, ut infrà dicam, quia † ne-
mo potest sibi legem in testamento po-
nere, à qua non liceat ei resilire, *l. si quis in
principio testamenti*, & *ibi Bart.* & *Doct.
ff. de legat.* 3. cùm ultima voluntas sit am-
bulatoria usque ad mortem, *l. 3. §. fina.
cum l. sequenti. ff. de adi. lega. juncta. l. 1.
C. de sacrosan. eccles.* cùm igitur † dicta
3 ordinatio codicillaris fuerit & sit valida,
nec reperiatur postmodum in toto, vel in
parte expressè & specialiter revocata,
quod tamen requiritur, *d. l. si quis in prin-
cipio testamenti*, & *ibi Bart.* & *habetur
per Cyn.* & *alios in l. sancimus, C. de testa.*
& *pulchrè per Paul. de Cast. in l. si mihi*
& *tibi. §. in legat. ff. de lega.* 1. & *per Dyn.
in regula, quod semel, de regul. jur. lib. 6.*
sequitur quod juxta tenorem illius omnia
bona immobilia post mortē dicti Theo-
baldi relicta, in quibus usufructus eidem
domicellæ Mariæ tantum fuit relictus,
pleno jure translata sunt in filiam unicam
præfatorum Theobaldi & præfatæ Ma-
riæ. *§. finitur, cum sequen. Instit. de usufr.
cum infinitis similibus.* De alijs autem co-
dicillis factis per dictam domicellam Ma-
riam successivè post mortem dicti Theo-
baldi Wilhelmi sui mariti idem dicendum
est, scilicet quòd valent, cum præsuppo-
natur dictam domicellam Mariam ha-
buisse testamenti factionem. Hoc salvo,
4 quòd legatum † octingentorum floreno-
rum Rhenensium aureorum, de quo in
dicto codicillo edito anno Domini mil-
lesimo nonagesimo nono, videtur suspe-
ctum & in fraudem factum, & per con-
sequens nullum *clem. exivi, circa medium*,
& *ibi Card.* & *Pet. de Anchor. de verb. sig.*
5 Quæ fraus † præsumitur ex multis, pri-
mò propter magnitudinem summæ: ma-
gnitudo enim summæ facit illicitum,
quod aliàs est licitum *d. Clemen. exivi, §.
cùm verò* & *§ providè*, & *utrobique Car-
din.* & videmus simile *in cap. statutum. §.
insuper, de rescriptis, lib. 6.* Secundò, quia
in dicto codicillo nihil alicui relinquitur,
nisi duntaxat fratribus minoribus. Ter-
tiò, quia fratres minores in eo soli depu-
tantur executores. Quartò, quia pœna
magna puta duorum millium florenorum
aureorum relinquitur episcopo Trajectē-
si, & in eventum impugnationis dicti le-
gati octingentorum florenorum aureo-
rum: quod non valet, *C. de his qui pæ.
nomine le. 1. cum sim.* Et quintò, ut omni-
nò dicti fratres minores essent securi de
hujusmodi legato octingentorum flore-
norum Rhenensium aureorum, adjicitur
clausula derogatoria, ne revocetur. Ex
quibus omnibus codicillatrix præsumitur
per eos inducta, & fraus censetur evi-
6 denter probata, quæ † ex conjecturis
probatur, *l. dolum, cum ibi nota. C. de dolo*,
& *c. 2. cum ibi nota. de renunc. lib. 6.* Sed
stante validitate, difficultas stat in hoc, de
quibus bonis satisfieri debet de hujusmo-
di legatis: & certè ex tenore codicilli e-
diti anno Domini millesimo quadringen-
tesimo nonagesimo nono patet, quòd so-
lutio fieri debet de promptioribus bonis
dictæ domicellæ Mariæ, bona autem

promptiora ſunt bona mobilia. Hinc eſt,
7 quòd † in executione ſententiarum primò
manus porriguntur ad bona mobilia, *l. à*
divo Pio. §. in venditionibus. ff. de re judic.
Sed eſt præſupponendum, quòd dicta filia
unica ante omnia debet habere ſuam le-
8 gitimam, quæ eſt triens, in qua † legi-
tima gravari non poteſt. *l. quoniam in*
prioribus C. de inoffic. teſta. & ſi gravetur,
lex tollit gravamen, ut ibi, nec valet ad-
jectio pœnæ, ut eſt *text. clarus in §. cæte-*
rùm, in Auth, ut cùm de appell. col. 8. &
volunt Bald. Salicet. Iaſon & *Doct. in l.*
omnimodo, C. de inoffic. teſtam. Legitima
autem deducta, ſi aliquid ſupereſt ex mo-
bilibus, de illa ſolvi poterunut hujuſmo-
di legata, aliàs valida: quia de bonis mo-
bilibus dicta domicella Maria potuit ad
libitum diſponere ex virtute primi teſta-
menti ſeu codicilli ſimul & concordi-
ter ordinati, ſalva ut dixi filiæ legitima,
quam habet à lege, quæ ei auferri non
9 poteſt: quia † quòd lex dat, homo non
aufert, *Authen. quod locum,* & *ibi Bald. C.*
ſi ſecun. nupt. mul. & *l. ſi arrogatores. §.*
ſed an impuberi, in fine, ff. de adop. cum
10 *ſim.* favorabilior † autem eſt cauſa filio-
rum, quam legatorum piorum: nam teſte
divo Auguſtino, quicunque vult exhære-
dato filio bona ſua eccleſijs vel monaſte-
rijs relinquere, alium quærat qui ſuſcipiat
non Auguſtinum, & Deo propitio, nemi-
nem inveniet, *c. quicunque 16. q. 4.* de bo-
11 nis † autem immobilibus feudalibus, non
eſt facienda ſolutio legatorum etiam pio-
rum, quia illa bona feudalia gravari non
poſſunt ſine conſenſu domini feudi, etiam
pro ſalute animæ, *text. eſt expreſſus,* & *i-*
bi omnes Doct. in c. 1. §. donare, qualiter o-
lim feud. pote. alie. in uſib. feud. Nec etiam
pro hujuſmodi legatis impeti poterunt
bona immobilia non feudalia poſſeſſa per
dictum quondam Theobaldum, quia
illa, ut dixi, ex vi teſtamenti ſeu codi-
cilli per dictos conjuges ſimul & con-
corditer editi, quoad proprietatem tranſ-
lata ſunt in dictam unicam filiam, niſi
12 † ipſa fuerit hæres præfatæ domicellæ
Mariæ ſuæ matris: nã tunc teneretur ſol-
vere legata per eam relicta: quia ex qua
perſona quis lucrum capit, illius factum
probare debet, *l. ex qua perſona, ff. de reg.*
jur. & *l. cùm à matre. C, de rei vend. cum*
ſimilibus, & tantum de primo.

Quo autem ad ſecundum dico brevi-
ter, quòd ordinatio teſtamentaria ſeu co-
dicillaris edita per dictos conjuges ſimul
& concorditer anno Domini milleſimo
quadringenteſimo ſexageſimo, ut præ-
mittitur, non revocatur per diſpoſitionem
codicillarem factam per dictam domi-
cellam Mariam anno Domini milleſimo
quadringenteſimo nonageſimo nono, nec
per alias ſequentes: quia in dicta prima
diſpoſitione habetur clauſula derogato-
ria voluntatis ad ſequentes: Modò ita
eſt, quòd clauſula † derogatoria ſeu pro-
teſtatio præcedens contraria actui ſe-
quenti à ſola voluntate proteſtantis de-
pendenti facit ut ſubſequens actus non
operetur revocationem actus primi, *l,*
qui in aliena. §. fin. ff. de acquiren. hæred.
& *d. l. ſi quis, in principio teſtamenti.* Et
ratio eſt, quia in ſequenti actu voluntas
præſumitur abeſſe propter proteſtatio-
nem præcedentem ſeu clauſulam dero-
gatoriam, *juribus præalleg.* & *utrobique*
Doctor. Præterea poſteriores diſpoſitio-
nes ſunt omnes codicillares, quia in eis
14 non eſt inſtitutio hæredum, certum † au-
tem eſt, quod quis poteſt decedere cum
pluribus codicillis, licet non cum pluri-
bus teſtamentis, *§. fin. Inſtitu. de codicil.*
cum ſimilibus, ergo, &c. Nec obſtat ſi di-
15 catur, quòd in † diſpoſitione codicillari
facta anno Domini milleſimo quadrin-
gẽteſimo nonageſimo nono habetur clau-
ſula iſta, teſtamentis ac ultimis voluntati-
bus omnibus prius per eandem conditis
revocatis penitus & annullatis, per quam
clauſu-

clausulam videtur, quòd testatrix seu codicillatrix pœnituit prioris volũtatis, quod videtur sufficere, *d.l.si quis in principio testamenti, cum similib.* Quia respondeo & dico, quòd quando in primo testamento seu ultima voluntate est clausula derogatoria, tunc non statur secundo, nisi testator expresse & specialiter pœniteat primæ voluntatis, ut dixi suprà. Et
16 dicitur † specialiter pœnitere, quando facit mentionem de qualitate primæ voluntatis, ut si dicat, non obstante quocunque alio testamento in contrarium facto, in quò continentur verba derogatoria hujus testamenti: ita dicit *glossa ordinaria singularis in dicta l.si mihi* & *tibi.* §. *in legatis*, & *ibi Paulus de Castro*, qui singulariter dicit, quod hoc casu generalis mentio non sufficit, qualis est illa quæ designatur per dictam clausulam, testamentis ac ultimis voluntatibus, &c. nec singularis vel individualis requiritur, sed specialis est necessaria, & declarat pulchrè per exempla, & idem est de mente *Cyn. in d.l.sancimus*, & *ibi habetur pulchrè* & *multum latè per Fran. de Aret. Ias.* & *alios*, & *per Bart. in præall. l.si quis in principio testamenti*, licet in aliquibus non benè loquatur. In casu autem nostro non est facta mentio de clausula derogatoria cõtenta in prima dispositione, ergo illa non censetur revocata, per suprà dicta: & tantum de secundo.

Ad tertium autem dicitur breviter, quòd non, imò quod fortius est, non valet deputatio executoris facta in dispositione codicillari anno domini millesimo quadringentesimo nonagesimo nono, quia fra-
17 tres † minores non possunt esse executores testamentorum vel vltimarum voluntatum, licet libenter se ingerant, ut est casus in terminis *in cle. exivi, post medium*, & *ibi expreßè hoc firmant Cardin.* & *Petr. de Anchor. de verbor. sig.* & *Bald. in Authent. ingreßi, C. de sacrosan. eccles.* & in illa despositione codicillari deputati sunt executores soli procuratores seu patres fratrum minorum monasterij extra muros oppidi Leydensis: ergo deputatio nulla, quia quod potuit codicillatrix, id noluit: & quod voluit, adimplere nequivit, *c. cùm super, de offic. delega.* & *l. multum interest, C. si quis alte. vel sibi*,
18 & dato † quòd fratres minores possent esse executores, prout non, tamen ex quo alij codicilli subsecuti, sunt confirmatorij seu approbatorij præcedentium, in quibus alij sunt deputati executores cum clausula, & quilibet insolidum, nihil possent ipsi sine illis, licet illi sine eis benè, *c. fin. §. sanè, cum ibi not. de testa. lib. 6.* Ex quibus omnibus epilogando concludo, quòd omnes hujusmodi dispositiones & ordinationes codicillares valent, salvo ut dixi, legato octingentorum florenorum Rhenensium aureorum: nec revocatur una per aliam, & debent contenta in ipsis adimpleri, inquantum ex bonis mobilibus id fieri potest, deducta ante omnia legitima pro filia unica antetactorum conjugum, aliàs autem minimè: & hæc † executio fienda erit per executores deputatos in codicillo edito anno Domini millesimo quingentesimo quarto nisi fuissent per ordinarium loci moniti ad exequendum infra certum terminum, & id minimè fecissent, quo casu devoluta esset potestas exequendi ad episcopum loci, *l. nulli*, & *le. si quis ad declinandum, C. de episc.* & *cle.* & *c. tua*, & *c. si hæredes, de testa. cum sim.*

CONSILIUM CLXVIII.

SVMMARIA.

1 *Ad consignationem pecuniæ debitæ requiritur realis oblatio cũ numeratione & ostensione totius summæ, eaque congruo loco & tempore.*

2 *Vbi-*

2 *Ubicunque duo sunt obstacula non sufficit quòd unum tollatur, nisi etiam aliud auferatur.*

3 *Nihil actum esse censetur, quandiu aliquid agendum superest.*

4 *Quæstiones præjudiciales sunt ante omnia per judicem competentem terminanda.*

5 *Contractus ex conventione legem accipiunt.*

6 *Contractus solùm propter speratum lucrum non redditur usurarius.*

7 *Lædi quis non dicitur ex eo quod se æqualiter habet ad lucrum & ad damnum, licet damnum casualiter contingat.*

8 *Creditor non præsumitur noluisse recipere pecuniam sibi à debitore congruo loco & tempore oblatam.*

IN casu mihi transmisso tres sunt articuli, de quibus succinctè est videndum, in quibus consistit tota vis causæ. Primus articulus est, an oblatio verbalis sine actuali & reali ostensione vel numeratione pecuniæ sufficiat, ut possit fieri consignatio ad finem extinctionis redditus, juxta formam *l. acceptam. C. de usu.* nec ne. Alius articulus est, an judices inferiores aditi super extinctione redditus possint eum declarare extinctum, non sublato primitus obstaculo clausulæ contentæ in eodem contractu, quo cavetur, quòd redemptio redditus seu extinctio fieri debet in ea moneta, quæ cursum habebit tempore redemptionis. Tertius articulus est, an dicta clausula jure subsistat & sit valida, an verò reddat contractum usurarium. Et breviter omissis superfluis, dici-
1 tur ad primũ, quòd † ad hoc, ut perveniri possit ad consignationem, requiritur quòd præcedat oblatio realis & effectualis cum numeratione & ostensione totius pecuniæ debitæ, ita quòd non sit incongrua re: nã si non offeratur totum quod debetur, vel si non fiat oblatio realis & effectualis, perveniri non potest ad consignationem ita clare dicunt *Bald. Salic.* & *Doct. in d. l. acceptam.* & ratio assignatur per eos. Item requiritur, quòd oblatio fiat congruo loco & tempore, quod pulchrè declarat *Salic. in d. l. acceptam, in secunda col. in fine.* Ad secundum respondetur
2 breviter negativè, quia ubicunque † duo sunt obstacula, non sufficit quòd unum tollatur, nisi etiam aliud tollatur, *textus est notabilis in l. si domus, ff. de servitu. urb. prædio.* In casu autem præsenti duo erant necessaria, ut redditus non curreret, primò quòd esset redemptus, secundò quòd esset redemptus cum tali moneta, quæ cursum habuit tempore redemptionis: cùm ergo non sit facta oblatio actualis, realis, & effectualis, imò nec consignatio in tali moneta, quæ cursum habuit tempore redemptionis, nihil prodest consignatio facta in alia moneta:
3 quia † nihil censetur esse actum, cùm aliquid superest ad agendum, *l. pen. C. ad Sillani.* & *l. fin. ff. in jus vo. ut eant*: &
4 articulus † ille, an valuit propositio dictæ clausulæ nec ne, tanquam præjudicialis, primò debuit terminari per judicem cõpetentem, *arg. c. tuam, de ordin. cog.* & *l. si quis libertatem, ff. de peti. hære. cum sim.* quo articulo non discusso, sciri non potuit, an oblatio fuit congrua & etiam cõsignatio: sicut in simili dicimus de judicio rescindente & rescissorio, *in §. cursus. Instit. de actio, cum sim.* Et quandiu non fuit declarata nullitas dictæ clausulæ,
5 standum erat eidem, cùm † contractus ex conventione legem accipiant, *l. 1. §. si convenerit, ff. depo. cum sim.* Ad tertium autẽ dico

dico breviter, quod dicta clausula justè potuit apponi, nec reddit contractum u-
6 surarium, quia si † redderet contractum usurarium, hoc esset propter speratum lucrum, sed ex hoc solo non redditur cõtractus usurarius, secundum *Innocen. Panor.* & *Doct. in c. in civitate Dei, de usu.* & *Paul. de Castr. in consilio 19. incipiente, præsens dubium videtur determinari in antiquis.* ubi volunt quòd valet emptio redditúum sive emantur ad determinatum tempus, puta ad decennium, sive ad certum tempus, puta quamdiu vixerit, sive in perpetuum, quando precium est tantum, quod ex eo potuisset emi una possessio tanti fructus annuè: imò si benè consideretur, effectus dictæ clausulæ non habet se determinatè ad lucrum, sed æquè ad commodum & incommodum, cùm non in voluntate creditoris, sed debitoris consistat quando velit redimere: nec potuit divinari tempore contractus, quem cursum haberet moneta tẽpore re-
7 demptionis. Modò ita est, quòd † quando aliquid se habet ad lucrum & ad damnũ, licet casualiter contingat damnum, non tamen per hoc dicitur quis lædi, & si esset minor non restitueretur in integrum, *text. est notabilis in l. de fideicommisso,* & *ibi Paul. de Cast. Alexan. Iason.* & *Doct. C. de transact. cum simil.* Cùm igitur in casu præsenti non intervenit oblatio realis & effectualis congrua, re, loco, & tempore, sequitur quòd nihil operata est prætensa consignatio: quia aliàs sequeretur absurdum, scilicet quòd posset fieri consignatio, non obstante, quòd creditor paratus esset recipere pecuniam oblatam: quia
8 non † est verisimile, quòd creditor sanæ mentis recusaret recipere pecuniam oblatam, quando oblatio aliàs esset congrua, quia sic præsumeretur jactare suum, quod in dubio non præsumitur, *l. cùm de indebito. ff. de probatio* & *c. super hoc, de renunc.* & hoc esset contra mentem legis, quæ vult primo fieri oblationem congruam realem & effectualem, & postea in subsidium, creditore recusante acceptare pecuniam oblatam, posse fieri consignationem, *dict. l. acceptam.* cùm etiam in casu præsenti non discusso articulo præjudiciali processum sit, sine cujus tamen articuli præjudicialis decisione constare non potuit judicibus, an oblatio fuit congrua re, nec ne, ut suprà dixi: patet malè processum esse per dictos judices: & quia de jure ista sunt clarissima, supervacuum duxi amplius insistere, cùm id nihil aliud esset, quàm solem facibus adjuvare, quod ridiculosum est, *c. si omnia. 6. q. 1.* & *l. 1. ff. de dot. præleg. cum sim.*

CONSILIUM CLXIX.

SUMMARIA.

1 *Mulier legitimæ ætatis, non conjugata de bonis suis tam in ultima voluntate quàm inter vivos maximè in remunerationem acceptorum beneficiorum, pro libitu disponere potest.*

2 *Geminatio vel iteratio facit valere actum aliàs invalidum.*

3 *Alienatio rei dotalis per maritum facta, per consensum uxoris geminatum validatur.*

4 *Seductio non præsumitur ubi plena intercessit deliberatio.*

5 *Remuneratoria donatio insinuatione non indiget.*

6 *Limitata causa limitatum producit effectum.*

7 *Concordes ut sint partes, prætor sedulò curare debet.*

8 *Verba enuciativa ad liberandum prola-*

prolata dispositionem inducunt.

9 *In confessione ad liberādum emissa non requiritur causæ expressio.*

10 *Generalia verba ad id quod rationis est, restringi debet.*

11 *Semel liberatus iterum impeti non debent.*

12 *Verba generalia restringuntur, ne quis indebitè damnum patiatur.*

13 *Statutum puniens extrahentem sanguinem in platea, restringitur ad dolosè extrahentem.*

14 *Statutum disponens quod hæres contra testamentum à defuncto factum venire non possit, intelligitur, nisi hæres fecerit inventarium.*

15 *Absurdum ut evitetur, verba generalia restringenda sunt.*

16 *Statutum puniens occidentem, qualiter intelligendum.*

17 *Sententiæ verba qualiter interpretanda sint, &c.*

18 *Iudex de qua re cognovit, de ea pronunciare debet.*

19 *Sententia interlocutoria potest & debet per iudicem revocari, quando ipsi constat partem injustè gravari.*

20 *Sententiam latam an interpretari liceat.*

21 *Ad absolvendum quàm ad condemnandum proniores esse debemus.*

VEnerabiles & circumspecti domini, licet multa sint dicta & scripta hincinde in processu pendente coram vobis, per & inter Petrum van den Kerckhove & suos consortes impetrantes ex una & Franconem van Thienen reum ex altera, tamē tota difficultas si benè videatur processus, stat in duobus punctis. Primò videlicet, an quitantia passata per domicellam Margaretam van der Linden coram notario & testibus, suum debeat sortiri effectum, nec ne. Secundò, an sententia lata per prædecessores vestros 13. Martij anni præteriti, debeat generaliter intelligi, ut verba sonant, ita videlicet, quòd dictus Franco teneatur reddere rationem de omni sua administratione, etiam pro tempore quo habet quitantiam: vel an debeat restringi, ut intelligatur, de omni sua administratione de qua computus redditus non est, & de qua quitantiam non habet. Et quantum ad primum, licet multa allegentur contra hujusmodi quitantiam per dictos impetrantes, tamen si benè singula ponderentur, non concludūt nec militant ad probandum invaliditatem dictæ quitantiæ, pro cujus notitia sciendū
1 est, quòd mulier † legitimæ ætatis non conjugata, potest de bonis suis tam inter vivos, quàm in ultima volūtate pro libito suæ voluntatis disponere, sicut masculus, *l.* & *si à muliere,* & *ibi Bald,* & *Doct. C. de exerci.* habet tamen beneficium Vellejani, quando fidejubet pro alio, *ut, ff.* & *C. ad Vellejanum, per totum:* & maximè hoc procedit, quando in remuneratione servitiorum impensorum donat vel contrahit, quo casu donatio non eget insinuatione, ut est *glos. ordinaria singularis, juncto text. in leg. Aquilius Regulus,* & *ibi expressè hoc firmat Ioan. de Imol.* & *alij Doct. ff. de donat.* & tantò fortius
2 hoc procedit, quando donatio † est geminata & iterata, quo casu præsumitur, quod præcessit plena deliberatio, & valet actus qui aliàs non valeret, si non fuisset geminatus, *ut est text. in Aut. sive à me, C. ad Vellej.* & *in l. si mulier. ultima, eod. tit.* In quibus juribus habetur, quòd alie-

3 alienatio † rei dotalis facta per maritum,
validatur per consensum mulieris gemi-
natum, & quòd mulier non juvatur be-
neficio Vellejani, quando consensus in-
tercessionis fuit iteratus & geminatus:
maximus enim est effectus geminationis
seu iterationis actus, *le. cùm scimus*, & *ibi*
Bart. C. de agri. & *censi. lib.* 11. & *l. ba-*
lista. ff. ad Trebell. & *volunt Pano. Fe-*
lin. & *alij in c. si cautio, de fide instrum.*
& *Lud. de Roma in sua aurea repetitione,*
le. si verò. §. de viro, in 31. *fallentia, ff. so-*
lut. mat. & per ista funditus tolluntur o-
mnia, quæ per dictos impetrantes objecta
sunt contra hujusmodi quitantiam: non
4 † enim præsumitur seductio, ubi plena in-
tercessit deliberatio, quæ hoc casu præsu-
mitur intercessisse propter geminationem
actus cum magno intervallo temporis,
5 per jura suprà allegata. Non fuit † et-
iam necessaria insinuatio, ex quo quitantia
seu donatio fuit remuneratoria propter
servitia impensa, *per d, l. Aquilius Regu-*
lus, cum ibi nota. Nec obstat, quod dictæ
domicellæ fuit interdicta alienatio per
6 concilium Brabantiæ, quia illa † inter-
dictio fuit limitata certo tempore, puta
pendente lite, & ergo limitatum pro-
duxit effectum, scilicet quàm diu lis pe-
pendit, *l. in agris. ff. de acquir. re. dom. cum*
si. Lite autem extincta per concordiam,
7 expiravit; quia nihil † aliud curat præ-
tor, quàm quòd partes sunt concordes.
l. 1. & *post operis. ff. de no. oper. nnnc.* post-
quam ergo in casu præsenti intervenit
concordia inter tunc impetrantes ex una,
& præfatam domicellam ex altera, per
quam ipsa transtulit in tunc impetrantes
proprietatem omninm bonorum, retento
sibi usufructu, cessavit hujusmodi inter-
dictio, & licuit dictæ domicellæ de suo
usufructu disponere, ut voluit, maximè
remunerando servitia impensa, & libe-
rando se ab obligatione, qua tenebatnr
dicto Francon. ex quibus omnibus infer-
tur, quòd hujusmodi quitantia coram no-
tario & testibus passata, & cum longo in-
tervallo temporis terminata remunera-
toria sortiri debet suum effectum: favo-
8 re † liberationis, verba enunciativa pro-
lata ad liberandum inducunt dispositio-
9 nem, & in † confessione emissa ad libe-
randum non requiritur expressio causæ,
imò valet, licet nulla causa sit expressa, ut
de isto est *text. in l. tale pactum, in prin-*
cipio, & *ibi Paul. de Cast.* & *alij Doct. ff.*
de pact. fortius ergo quando exprimitur
causa, & quando est remuneratoria, per
suprà allegata; & tantum de primo. Quò
autem ad secundum, omissis superfluis, di-
co breviter, quòd licet verba in dicta sen-
tentia posita sint generalia, tamen restringi
debent, ut intelligantur de omni admini-
stratione, de qua computus redditus non
est, & de qua dictus reus quitantiam non
habet. Quod probo multipliciter. Pri-
10 mò, quia verba † generalia debent restrin-
gi ad id quod est rationis: ita notabiliter
dicit *Bal. in Auth. ingressi. C. de sacrosan.*
ecclef. non enim debent verba judaicè in-
telligi, ut dicit *gl. ordinaria in l. non du-*
bium, C. de legi. & *gl. in l. damni infecti*
stipulatio competit. §. si is qui vicinas. ff.
11 *de dam. infect.* ratio † autem non dictat,
quòd semel liberatus iterum impetatur,
vel quòd ab uno bis idem extgitur, *l.*
bona fides, ff. de reg. jur. Secundò hoc i-
12 dem probo, quia verba † generalia debent
restringi, ne quis indebitè damnum pa-
tiatur, *textus est notabilis in l.* 2. *C. de*
noxa. act. ubi est casus, quòd statutum
simpliciter dicens, quod Dominus te-
neatur emendare damnum datum per
servum suum, restringitur & recipit li-
mitationem, nisi dominus velit eum da-
re pro noxa: & hoc ideo ne Dominus
indebitè damnum patiatur, & hinc dicit
Bart. in l. omnes populi, in 6. *quæst. prin-*
cipali. ff. de justi. & *jur.* quòd statutum
13 † generaliter puniens extrahentem san-

guinem in platea, restringitur ad dolosè extrahentem, quia aliàs barbitonsor qui fleubothomiam faceret in platea comprehenderetur in statuto, quod esset iniquum, ut idem volunt *Panor. Feli.* & *cano. in c. solitę, de majo. & obe.* Hinc etiam dicit *gl. ordinaria singularis in l. fin. §. in computatione. C. de jure delibe.* quod sta-
14 tutum † simpliciter disponens, quòd nemo possit venire contra instrumentum à se factum, neque etiam hæres ejus, restringitur, nisi hæres fecerit inventarium, & hoc ideo ne indebitè gravetur, & illam glos. approbant ibi Doctor. In casu autem præsenti dictus Franco indebitè damnum pateretur, si dicta verba generalia non restringerentur modo prædicto, ut suprà declaravi: sequitur ergo quòd debent restringi, per jura suprà allegata. Tertiò
15 istud probo, quia verba † generalia debent restringi, ne sequatur absurdum, text. est notabilis *in d. c. solitę, & in l. scire oportet. §. aliud autem. ff. de excusa. tuto. & hinc singulariter dicit Paul. de Castro, in l. 1. ff. de legi & idem Paul. de Castr. in l. prima, C. ubi senatores vel claris. & Bald. & Pau. de Cast. in l. & si severior, C. ex quibus causis infa. irrog. & idem Bal. in l. data opera. C. qui accu. non poss. & Alexan. de Imol. in consilio suo* 102. *tertij voluminis*,
16 quod si † statutũ dicat, quòd occidens occidatur, vigore tamen talis statuti non poterit comprehendi ille qui commisit homicidium absque dolo, aliàs sequeretur, quòd si quis caderet de turri, & cadendo occiderit hominem, quòd deberet occidi, quod est absurdum & contra omnem rationem. In casu autem præsenti sequeretur absurdum, si verba dictæ sententiæ nõ restringerentur modo suprà dicto, quia absolvendus deberet condemnari, quod est absurdum & contra rationem. Quar-
17 tò istud probo *per* † *gl. ordinariam notabilem in l. & puto. §. 1. ff. famil. hercis.* quæ vult, quod verba sententiæ debent intelligi sanè, ita quòd sententia adaptetur negocio, & negocium sententiæ, & ut sententia sit justa & non injusta, etiam si verba sententiæ debeant impropriari, & illam glos. reputat ad hoc singularem *Bald. in cap. cùm super, in ultima columna, de re judicata, & idem Bald. in l. cùm virum, ante finem. C. de fideicommis. & idem Bald. in c. fin. in fine. de transla. præla.* dicta autem sententia esset injusta, intelligendo eam generaliter, quia compelleretur dictus reus ad reddendum rationem de eo, de quo est liberatus, quod est iniquum & contra rationem: sequitur ergo, quòd verba dictæ sententiæ debent restringi modo suprà dicto, quo casu dicta sententia erit justa, nec dictus reus indebitè damnum patietur, nec sequetur aliquod absurdum: & maximè ita facienda est interpretatio, quia jam constat vobis ut judicibus, de hujusmodi liberatione per quitantiam geminatam in actis exhibi-
18 tam: cùm † ergo, de qua re judex cognovit, de ea pronunciare debeat, *le. de qua re, ff. de judic.* & attento, quòd super viribus dictæ sententiæ jam disputatum est in præsentia partis adversæ, partes vestræ erunt condemnare dictum reum ad reddendum rationem & reliqua, à data dictæ quitantiæ absolvendo eundem à reliquis petitis, quia ex actis clare constat eum liberatum, pro tempore præterito, per ea quæ notabiliter vult *Panor. in c. cùm contingat, de offi. delega.* & maximè attento, quòd dicta sententia non est diffinitiva,
19 seu interlocutoria, quæ † potest & debet per judicem revocari, quando sibi constat quòd partem gravavit, *cap. cum cessante, de appell. cum sim.* Nec debet judex verecundari revocare sententiam interlocutoriam injustam, quia teste divo Augustino, maximæ sapientiæ est, revocare hominem quod malè locutus est, *ca. magnę,* 22. *q.* 4. sed in casu præsenti non agitur de revocatione sententiæ, sed de interpretatione

20 tatione ipsius, quam † interpretationem potest facere judex, non solùm de sententia sua, sed etiam de sententia prædecessoris sui, ut notabiliter declarat *Bart. in l. ab executore, ff. de appell.* Et quia in ista materia latè scriptum est per advocatum dicti rei, hæc sufficiunt ultra scripta per eum, ex quibus luce clarius constat, intentionem dicti rei esse bene fundatam, cui
21 † potius favendum est, quàm impetrantibus: cùm favorabiliores sint rei, quàm actores: & proniores esse debemus ad absolvendum, quàm ad condemnandum, *l. Arrianus. ff. de actio.* & *oblig.* & *l. favorabiliores. ff. de reg. jur. cum vulgaribus.*

CONSILIUM CLXX.

SUMMARIA.

1 *Cancellatio vel redditio instrumenti contra voluntatem creditoris facta, de jure ipsius nihil diminuit.*

2 *Uxor conjuncta & domestica persona dicitur.*

3 *Instrumenti cancellatio an præsumitur de voluntate creditoris facta. & num. 4. & 8.*

5 *Domestica persona producens instrumentum cancellatum, probare tenetur illud ad se de voluntate creditoris pervenisse. & num. 9.*

6 *Donationis vel remissionis præsumptio nunquam capienda est, ubi alia locum habere potest.*

7 *Consuetudo patrisfam. & communis attendenda est.*

10 *Præsumptio una per alium fortiorem eliditur.*

11 *Nulla pestis efficaciòr ad nocendum quàm familiaris inimicus.*

12 *L. Si chirographum, de probat. limitatur, ut ibi.*

13 *Mobilium appellatione veniunt omnia quæ moveri possunt de loco ad locum.*

14 *Nomina debitorum appellatione mobilium non veniunt.*

15 *Consuetudo loci domus mortuariæ juri scripto prævalet*

16 *Consuetudines locorum servandæ sunt in quibus locis vigent.*

CAsus in terminis talis est. Int Jaer ons Heeren duijsent vierhundert ende drij en negentich/ Jan Janss vacht' sprekende ende tracterende met Margrieten Willem Wolfarts Docter om haer te trouwene ende in wettelijcke huwelijcke te nemene/ heeft de voirsz Margriete aen den selven Jan Janss begeert gehadt haer te willen consenteren by manieren van huwelicxe voirwaerde/ inden gevalle dat hy voer haer storve/ dat zy alsdan voiren uptnemen/ ende in rechten vrijen eygendomme hebben ende behouden soude alle alsulcke Landt als zy doen hadde ende aen hem te huwelijcke brengen soude/ ende in allen anderen goeden parten ende deelen halff ende halff tegens den erffgenamen van den voirscrevē Jan Janss: Int welcke die voirscreven Jan Janss omme der selver Margrieten te willen gelieven/ heeft daer inne geconsenteert gehadt/ wel verstaende dat zy oick te vreden heeft geweest om de schoenisse die hy haer dede van zijnen lande/ dat in den ghevalle dat zy voir hem storve/ dat hy alsdan voiren

uptnemen ende in rechten vrijen eijgendomme hebben soude alle alsulcke havelijcke roerende goeden al cleijn ende groot/ nit besondert noch uptgestecken / als daer wesen soude inden sterfhuyse van Margriete zijn toecomende Wijff voirsz/den overlijden van haer. Ende voirts alle andere goeden parten ende deelen jegens den erfgenamen van der voirsz Margriete halff ende halff.

Achtervolgende welcke concept enn accoort van huwelijcre voirwaerde/inder manieren voirsczeven tusschen hem buijden begrepen/hebben die zelve huwelijcre voirwaerde/ mitsgaders die conditien/ indien zy beijde kinderen by malcanderen ghecregen ende die aflijvich worden voir elcksanders doot/ in waerde blijvende/sulck als voirsczeven is in gescrifte doen stellen / ende de verleden enn gepasseert voer alle banden ende vasticheijdē van huwelijcke/by haren vrijen eijgen wille/voir scepenen der Stede van Middelborch/die welck de zelve huwelicre voirwaerde in twee brievē gesczeven van eenē inhoudene / over hemluijden bezegelt/hebben hy haren beijde consente deenen brief daer van gelaten in handen den voirsczevē Jan Janssz/ ende dander in handen vande voirsczeven Margriete / vanden date den derden Dach in Junio / anno xciij. voirsz: als breeder blijcken mach bijden inhoudene vanden selven.

Naer welcke brieven van houwelicre voirwaerde aldus gepasseert/ verleden / enn bezegelt zijnde / voirt geprocedeert ter volcomminge vanden huwelijcke/aen beijde zijden wel te vreden zijnde metten inhouden vanden selven brieven.

Nu es gebuert/dat de voirsczeven Margriete nu onlancx zieck wordē/ de / die voirsczeven Jan Janssz gescshict ende geordineert is gheweest van der stede wege van Middelborch te treckene ende te bewarene mit zijn geordineerde medegeselle/ den dachvaert generael tot Mechelē/jegenwoordich weesende/der selver zijnder huysvrouwen noch sieck latende/ ende heeft aen huer oirlef genomen enn huer gegeven zijne slutelen/ gelijck hy tot anderen tijden plach te doene/ en in zijn huys gelaten die voirsczeven huwelicre voerwaerde: ende hen te Mechelen wesende is tijdinge gecommen/ dat zijn Huysvrouwe seer cranck was / ende dat hy thuys commē soude/wilde hy haer levende begaen: 'Twelck hoorende die voirsz Jan Janssz / heeft hem thuyswaert gehaest: ende commende te huys/heeft gevonden zijnder Huysvrouwen deser werelt overleden ende begraven zijnde/ gehadt hebbende alle heure sacramenten ende vulle gerechten der heyliger kercken/ upt welcken hy zeer perplex was/eñ die voirsczeven Jan Janssz heeft zijn slutelen aenveert/ ende is bennen twee oft drije daghen daer naer in zijn contoir gegaen/ meijnēde te vindene zijne huwelicre voirwaerde/die welcke upt zijn contoir hem afhandich gemaect was.

Ende ten laesten heeft die zelve twee brievē vā hawelicre voirwarde gevonden in een tresoir staende in die Camer / daer die zelve sijne Huysvrouwe gestorven was/ die welcke 'tsamen geleijt waren in een doose gecasseert ende doersneden eñ die zegelen afgesneden/wel schijnēde bijden sneden ende afbreekinge der Zegelen dat selve niet langhe voor haer

haer doot gedaen en is gewest / ende zijn gevonden ligghende metten messe daer zij mede gesneden zijn / in alder manieren als voirſz es.

Dit ſtuck al gebuert ende gehandelt zijnde in der manieren voirſz: woord nu gevraecht/oft die ſelve brieven aldus gecaſſeert weſende / ſullen niet tegenſtaende dijen ghehouden ende gereputeert ſijn van ſulcker weerden/oft zij gave ende gans waren/ oft niet / gemerct dattet zijn Brieven van huwelicxe voirwarde verleden by beijde die partijen / die welcke zijn ende hoiren hoechelijck gepriviliegieert te zijne in den rechte/ende niet mogen gecaſſeert weſen/ dan by conſente van Man ende Wijf 'tſamen : gemerct oick dat in Middelborch geen coſtume en es / dat die Brieven die by ſcepene geſegelt worden in eenige regiſteren geſtelt worden / daer die ſelve Jan Janſſs copien auctenticken upt mochte halen.

Item woird gevraecht alſo in die huwelicxe voirwaerde bevoirwaert enn beſprooken ſtaet / dat in den gevalle die Hupſvrouwe van Jan Janſſs voirẽ ſtorve/als nu gebuert/ ſoe ſal Jan Janſſs voiren upt nemen ende in vrpen rechten eijgendomme behouden alſulcke havelicxe roerende goedt al cleijn ende groot/ als der weſen ſoude in den ſterfhupſe: Oft dan gelt/gout/ ſilvere juwelen / ende alle andere manieren van coopmanſcepen / gehouden ende geacht zijn / naeden beſcreven rechten van havelijcke roirẽde goet/eñ daer onder begrepen ſal weſen/of niet: ende wat goeden gehouden zijn voir havelijcke roerende goeden/ eñ wat goeden niet. Oft oick in ſchulden vã geleende penningen/ ende van coopmanſcepen/diemen den ſelven ſterfhupſe ſchuldick mach weſen / eñ alle andere/gereekent ſullen zijn voir havelijcke roerende goeden/of niet: overmits datmen hier uſeert alle goet havelijcke goet ter vierſcharen van Middelborch/ nptgeſteeken hups eñ landt. Hoc eſt: Anno domini milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio, Ioannes Ioannis Vacht loquens & tractans cum Margareta quondam Wolfarti filia, ut eam duceret & legitimo matrimonio copularet, eadem Margareta petijt ab eodem Ioanne Ioannis, ut conſentiret ſibi in forma antenuptialis contractus, caſu adveniente quo ipſe præcederet, quod ipſa tunc præciperet, & hæreditario jure liberè poſſideret & retineret, omnes terras quas tunc habebat & in matrimonium cum ipſo conferret, & ut in omnibus alijs bonis partiretur & divideret medietatem adverſus hæredes prædicti Ioannis Ioannis: In quo idem Ioannes Ioannis volens eidem Margaretæ gratum facere, conſenſit. Benè intelligendo, quod ipſa ſimiliter conſenſit ob benignitatem ſibi ab eo exhibitam in ſuis terris, ut quo caſu ipſa illi præcederet, quod ipſe tunc præciperet, & jure proprietario libere poſſideret, omnia inſtrumenta mobilium bonorum parva ac magna, nullo nominatim excepto, quæ inventa eſſent in domo mortuaria Margaretæ prædictæ conjugis ſuæ futuræ, cum ipſa è vivis excederet. Et præterea cætera bona omnia partiri & dividere adverſus hæredes prædictæ Margaretæ, pro medietate. Inſequendo hujuſmodi pactum & conventionem antenuptialis contractus modo præſcripto inter eos concepto, redegerunt hujuſmodi antenuptialem contractum, ſimul cum conditionibus, in eventum quo pariter liberos conciperent, hique vita excederent ante alterutrius mortem, ratis manentibus uti promiſſum eſt, in ſcripta, & eum contractum relatione fa-

ne facta, loco omnium bannorum & conventionum nuptialium, propria & libera voluntate, coram ſcabinis civitatis Middelburgenſis firmarunt & ratum habuerunt, qui eaſdem matrimoniales conventiones in duobus inſtrumentis ejuſdem tenoris deſcriptas, inter ſe ſigillarunt, de utriuſque conſenſu, altero inſtrumento relicto in manibus prædicti Ioannis Ioannis, & altero in manibus prædictę Margaretæ, ſub data tertia die Iunij, anno 93. prædicto: ut latius patet ex contentis eorundem. Poſt quas literas conventionum antenuptialium ita tranſactas, relatas & ſigillatas, ulterius procedendo ad conſummationem ejuſdem matrimonij & utraque parte benè contenta de his, quæ eiſdem literis & inſtrumentis continebantur.

Accidit, eadem Margareta jam dudum morbo langueſcente, eundem Ioannem Ioannis deſtinari à civitate Middelburgenſi ad iter & obſervantiam unà cum deputatis collegis ſuis Mechliniam verſus, ſuperſtite eadem ſua conjuge languida relicta, ab eademque petita venia dedit ei claves ſuas, uti aliàs ſolitus facere erat, relicta in domo antenuptiali conventione prædicta, ipſoque exiſtente Mechliniæ, venit nuncius uxorem ejus valdè ægram eſſe, & ut domum veniret, ſi vivam eam intueri vellet. Quo audito idem Ioannes Ioannis properavit domum, quò ut venit, reperit uxorem ſuam è vivis exceſſiſſe & ſepultam, perceptis omnibus Sacramentis & juribus ſanctæ Eccleſiæ, de quibus ipſe multùm conſternatus fuit. Prædictuſque Ioannes Ioannis claves ſuas recepit: poſtquam duos aut tres dies in camerã ſuam ſecretiorem ingreſſus eſt, putans invenire antenuptialem contractum ſuum, qui è camera ſua ablatus erat.

Et tandem eadem duo inſtrumenta antenuptialis contractus ſui, reperit in ſcrinio ſtante in camera ubi uxor ſua defuncta fuerat, ſimul repoſita in una capſula, caſſata & conſciſſa ſigillis abſciſſis, apparebatque ex ſciſſura & ruptura ſigillorum non dudum ante ejus mortem id factum eſſe, repertaque ſunt cum cultello poſita quo conſciſſa fuerant, ut præmiſſum eſt.

Qua re acta & confecta modo quo præmiſſum eſt, quæritur an inſtrumenta ea ita caſſata, eo non obſtante, reputanda & habenda ſint eodem valore, ac ſi integra & ſana forent, an non, attento quod ſint literæ conventionis antenuptialis, de partium conſenſu confectæ, quæ in jure ſunt ac eſſe debent multum privilegiatæ, nec in irritum caſſari poſſunt, niſi de conſenſu viri & uxoris. Attento etiam Middelburgi non eſſe moris, ut literæ per ſcabinos ſigillatæ in ullo regiſtro referantur, unde prædictus Ioannes Ioannis poſſit copiam Authenticam deſumere.

Item quæritur, ex quo in contractu antenuptiali expreſſum eſt, quod caſu quo uxor Ioannis Ioannis prædecederet, ut accidit modo, Ioannes prædictus præciperet & libero proprietario jure retineret, omnia inſtrumenta mobilium bonorum, parva ac magna, quæ in domo mortuaria reperta eſſent: an hic pecunia, aurum argentum, vaſa precioſa, & omne aliud genus mercantiæ, habeantur & reputentur ſecundum jus ſcriptum pro inſtrumento mobilium bonorum, & hoc nomine veniant, nec ne. Et quæ bona reputentur pro inſtrumento bonorum mobilium, & quæ non. Et an etiam credita mutuatorum nummorum & mercimoniorum eidem domui mortuariæ debitorum, & alia omnia reputentur pro inſtrumento mobilium bonorum, an non. Attento quod hìc in juriſdictione Middelburgenſi moris eſt, omnia bona pro mobilibus reputari, exceptis domibus & terris.

Super

Super quibus dubijs per ordinem breviter & clarè respondendo, omissis superfluis, videtur mihi subscripto dicendum primò ad primum, quòd in casu præsenti Cancellario dictarum literarum facta per præfatam Margaretam in absentia dicti Joannis, ut in facto supponitur, nihil officit præfato Iohanni, probanti conventiones antenuptiales fuisse passatas modo prædicto, nec suffragari potest hæredibus
1 dictæ Margaretæ, *per † text. clarum in l. pecuniæ*, & *in l. quod debitori, C. de solu.* & *in l. 1. C. de fide instru. juncta l. 1. § 1.* & *2. l. cancellaverat, de his, quę in testa. delen.* in quibus locis expressè cavetur, quòd cancellatio vel redditio instrumēti, facta contra voluntatem creditoris, nihil diminuit de jure creditoris. Præterea ne-
2 mini dubium est, quin uxor † sit conjuncta & domestica persona, *l. quæcunque*, & *ibi gl. C. de re mil. lib. 12.* & *not. per gl. in l. præsenti, §. sanè, C. de his, qui ad eccles. confu.* & *habetur per Bart. in l. sciendum, §. furta domestica. ff. de pœn.* Sed ita est,
3 quandocunque † instrumentum debiti reperitur cancellatum apud uxorem, servum, vel aliam domesticam personam, quę faciliter potuit illud substrahere, tunc non præsumitur cancellatio facta de voluntate viri vel creditoris: hoc probatur multum benè *in l. unica. §. ille autem, C. de cadu. tol.* quia aliâs daretur materia furandi, insidiandi, & delinquendi, ut ibi: & ita tenet *Iacob. de Aret. Cyn. Salic.* & *Doct. in l. si de possessione, C. de prob.* & *idem Salic. in l. si chirographum, ff. de proba.* & *Bart. Bal. Paul. de Castro, Alex, Iason,* & *omnes in l. Labeo. ff. de pact.* & *Ang. in l. postquam. ff. de pact, ubi dicit ita practicari:*
4 In dubio † enim non præsumitur instrumentum debiti cancellatum de voluntate creditoris, maximè quando cancellatio est facta in ejus absentia: ut dicit *gl. ordin. in d. l. quod debitori,* & *ibi Salic.* imò
5 quando † instrumentum reperitur apud domesticam personam, quæ se ex illo juvare vult, onus probandi incumbit illi domesticæ personæ, quòd scilicet ad eam pervenit de voluntate creditoris, ut est casus expressus *in d. l. unica. §. ille autem,* & *vult Ang. in d. l. postquam,* & *omnes in*
6 *præalleg. l. Labeo*, nunquam † enim capienda est præsumptio donationis vel remissionis, ubi capi potest alia præsumptio vel conjectura: *tex. est in l. si cum aurū. ff. de solu.* nam nemo præsumitur jactare suum, *l. cum de indebito. ff. de proba.* & *c. super hoc, de renun.* In casu autem præsenti capi potest alia conjectura, quàm donationis, puta quòd illæ literæ scabinales fuerunt dimissæ in domo propria, in qua morabatur cum uxore causa custodiæ: ergo non debet capi conjectura donationis
7 vel remissionis, attento maximè, quòd † dictus Ioannes semper ita facere consuevit, quando se absentavit, prout etiam communiter omnes mariti, confidentes uxoribus, faciunt: quæ consuetudo patrisfamilias & communis attendenda est, vel universorum, *ff. de pig. actio. cum concor. de quibus ibi in gl. juncta. l. Barbarius. ff. de offic. præto.* Concludendo ergo dico, quòd dicta cancellatio, quæ facta dicitur per uxorem dicti Ioannis, in absentia ipsius ei non præjudicat, dummodo ipse probet, quòd dictæ literæ scabinales in forma præscripta coram scabinis semel passatæ fuerunt, ad quod probandum in hoc casu credo sufficere testimonium unius ex scabinis adhuc viventis, cum fama, quòd literæ antenuptiales passatę fuerunt inter dictos conjuges, unà cum juramento dicti Ioannis: & præstabit nō modicum adminiculum, quòd dictæ literæ cancellatæ adhuc reperiuntur in rerum natura, & quòd oculariter perspici potest, quòd cancellatio est recenter facta: Nec
8 † est facienda differentia, apud quem reperiatur instrumentum cancellatum, utrū scilicet apud debitorē vel creditorem, ut

dicit *Bart.* & *communiter omnes Doct. in d. l. Labeo*, & *est glossa ordinaria communiter approbata in d. l si chirographum*, & *ibi Salic.* Sed hoc solùm inspici debet, an debitor dicat, se liberatum pacto vel solutione: primò casu debet probare, instrumentum cãcellatum sibi redditum de voluutate creditoris, quia non præsumitur solutio donatio: secundo casu præsumitur solutio facta, & propterea redditum instrumen-
9 tum, nisi † debitor sit domestica persona: ita dicunt omnes *DD. in d. l. si de possessione*, & *in d. l. Labeo*, & *in præalleg. l. si chirographum*, & *dicit Bald. in d. l. Labeo*,
10 quòd hæc præsumptio † solutionis elidi potest per aliam præsumptionem contrariam, & etiam per unum testem de veritate, & allegat *dictam l. quod debitori.* Modò ad propositũ, si hęredes dictę Margaretæ dicant se liberatos pacto remissorio, facto cum dicta Margareta, debent hoc probare, ut vult primum membrum dictæ distinctionis. Nec possunt hæredes dictæ Margaretæ se juvare cum secundo membro dictæ distinctionis, quia quamdiu ambo conjuges vixerunt, non potuit sciri, quis esset verè debitor, & quis creditor, cùm remissio fuerit vicissitudinaria & reciproca, in casum mortis primò decedentis: & quicquid sit, ex quo dicta Margareta, quæ dicitur hujusmodi literas scabinales cancellasse, fuit domestica persona, de qua dictus Ioannus confidebat, omnis præsumptio est contra eam, & propterea incumbit hæredibus suis probatio, quòd dictus Ioannes in hujusmodi cancellationem consensit, *per d. l. unicam*,
11 *§. ille autem*, ubi est casus: nulla † enim pestis efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus, *l. 1. jũcta gl. ff. ad Sillania*. Nec præmissis obstat *præall. l. si chi-*
12 *rographum*, quia† *dicta l. si chirographum*, recipit limitationem, nisi instrumentum reperiatur cancellatum apud personam domesticam, ut vult *Salic. ibidem*, & *omnes Doct. in d. l. si in possessione*, & *in præall. l. Labeo*. Et tantum de primo. Quo autem ad secundum, dico breviter, quòd
13 de jure, appellatione † mobilium veniunt omnia quæ moveri possunt de loco ad locum, ut aurum, argentum, & pecunia numerata, quæ non ad emptionem immobilium, vel cujus præsentis erogationis causa reposita est, *l. Cajus, in princip. ff. de lega. 2.* & *l. si chorus. §. primo. ff. de legatis tertio*, & generaliter omnia quæ transferri possunt de loco ad locum, ut verba in themate posita sonant, & comprehenduntur etiam sese moventia, ut equi & similia animalia, *l. moventium, ff. de verb.*
14 *signif.* Sed nomina † debitorum, teutonicè, **in schulden**, non veniunt appellatione mobilium, *l. à divo Pio. §. in venditione, ff. de re judic.* & *d. l. Cajus, in princip.* & *l. si mihi. §. fin. ff. de legat. 3.* sed quicquid sit de jure, in isto inspicienda & observanda
15 est consuetudo † loci domus mortuariæ, quæ prævalet, *l. de quibus, ff. de legib. cum vulgarib.* Cùm ergo de consuetudine loci domus mortuariæ, ut ponitur in themate, omnia dicuntur mobilia, exceptis domibus & fundis, in isto casu veniunt etiam nomina debitorum, teutonicè, **in schulden /** videbimus enim, quòd in oppido Antverpiensi domus reputatur inter mobilia, & Lovanij vasa argentea deaurata non sunt mobilia, sed habent aliam natu-
16 ram distinctam à mobilibus, & hæ † consuetudines servandæ sunt in locis in quibus vigent, *dicta l. de quibus*, magni enim faciunnt provinciales, servari sibi consuetudines & prærogativas, *l. observare §. etiam. ff. de offic. proconf.* & *legat.* abundat enim unaquæque provincia suo sensu, *cap. utinam. 76. distinct.* Et quia iste articulus de se clarus est, adeò amplius non insisto, ne videar solem facibus adjuvare velle, quod ridiculum esse nemo ambigit, *c. si omnia, 6. q. 1.* & *l. 1. ff. de dote præleg.*

CON-

CONSILIUM CLXXI.

SVMMARIA.

1 *Donatio mortis causa facta revocari potest.*

2 *Donatio causa mortis & donatio inter vivos quomodo dignoscantur, & num. 6.*

3 *In dubio ad conjecturas & mentem donantis recurrendum est.*

4 *Retentio literarum rei donatæ quid operetur.*

5 *Traditio instrumentorum vel literarum rei donatæ operatur translationem dominij.*

7 *Donatio causa mortis ut valeat, requiritur interventus quinque testium.*

8 *Consuetudine numerus testium in testamento minui potest: multò magis etiam in mortis causa donatione.*

9 *Hæres tenetur stare donationi; per defunctum etiam de re ipsius hæredis propriâ factæ.*

10 *Donatoris hæres de evictione tenetur, quando donatio à conventione vel promissione initium sumpsit.*

11 *Quem de evictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio.*

12 *In re duobus simul donata potior est; qui primò possessionem adipiscitur.*

13 *Per traditionem possessionisque adeptionem transfertur dominium.*

14 *Donatio inter vivos perfecta sit irrevocabilis.*

15 *Ad donationem perfectam quæ requirantur.*

16 *Alienatio rei donatæ ante traditionem valet.*

17 *Donatarius quando gravari possit.*

18 *Reservatio usufructus expressa in re donata operatur traditionem.*

19 *Legatarius, rem sibi legatam post mortem suam restituere gravatur, quamdiu vivit, proprietarius & non usufructuarius esse censetur.*

20 *Fictiones duæ duove specialia circa idem concurrere nequeunt.*

21 *Scientia cum taciturnitate in præjudicialibus habetur pro consensu.*

22 *Verba semper aliquid operari debent.*

CAsus, super quo consilium petitur, talis est. Quidam A. pluribus annis mortem suam præcedentibus, sanus mente & corpore, ob singularem amorem & affectionem, quos se habere dicebat erga quendam B. eidem B. certa feuda, nuncupata vulgariter Ambachte, cum suis pertinentijs, coram paribus curiæ patriæ Zeelandiæ, in personam procuratoris acceptantis nomine ejusdem B. dedit, donavit, ac rransportavit, habenti ad hoc literas consensus principis sive comitis Zeelandiæ dictas ottrope brieven/ prout & quemadmodum plenius habetur in clausula subsequente in literis desuper confectis inserta, quas literas donationis dictus A. penes se retinuit, nec memorato B. tradidit vel tradere voluit, quinimò easdem tandem laceravit sive cassavit. Wy D. ende E. ꝛc.

mannen van Zeelant/ doen cond alle den ghenen/ die deſe letteren ſullen zien of hoiren leſen / dat op den dach van huyden voir ons gecomen is in properen perſoone A. die in onſen tegenwoirdicheyt dede leſen zekere opene brieven van octroy ende conſente van onſen Genadeghen Heeren den Ertshertoge van Oiſtenrijck/ ꝛc. Grave van Zeelant / by welcken denſelven A. geconſenteert es/ dat hy gheven ende diſponeren mach by gifte/ tranſpoerte / ende anderſins/ ten profite van alzulcken perſoone alſt hem believe / van zijnen ambachten mit zijnen gevolgen ende toebehoirten/ als die zelve letterē van octroye dat breeder ende volcomelijcker inhouden: welcke letteren van ottroye wy gans ende gave bevonden in den Zegel ende Geſcrieſte. Naer 'tſien ende hoiren leſen van welcken letteren van ottroye / die voirſcreven A. om die jonſte ende minne die hy heeft ende draecht tot B. derzelver B. ende in huerde abſentie G als huer procureur ende machtich tot deſen ſtucke/ als ons duchdelijck bleeck by letteren van procuratien / ende die zelve ghifte geaccepterende heeft gegonnen/ gegeven / ende overgedraghen/ gonnet/ gevet / ende overdraecht by deſen/ zijn ambachte met zijnen ghevolge eñ toebehoirtē/ als malereye/ viſſchereye ende voglereye/ ende allen anderen partyen/ den ambacht heerlijcheyt volgende ende toebehoirende/ ende daeraf hy nu als nu ghebruyckt in der prochien/ ꝛc. om 'tſelve ambacht metten ſelven gevolgen ende toebehoirten by den voirſcrevē B. terſtont nae die doot ende overlijden van den voirſz A. te aenveerdene/ daer op te comenne ende alſdan te houdene eñ daer af te gebruyckenne nae inhoudt ende uytwijſen van den voirſcrevē brieven van octroye/ ꝛc. Begherende de voirn: A. dat wy van den voirſz es over hem kennen wilden: 'T welck wy D. ende E. ꝛc. boven genoempt/ gedaen hebben ende doen by deſen tot zijnder begheertē. In kenniſſe van welckem wy D. en E. mannen / ꝛc. oick ons zeghels hier onder ghehanghen hebben / ꝛc. hoc eſt: Nos D. & E. &c. pares curiæ Zelandiæ novum facimus omnibus præſentes literas viſuris aut legi audituris, quòd hodierno die ante nos comparuit in perſona A. qui in noſtra præſentia legi fecit quaſdam patentes literas conceſſionis, & conſenſus Domini noſtri Archiducis Auſtriæ, &c. Comitis Zelandiæ, per quas eidem A. conceſſum eſt, ut poſſit donare & diſponere in ultima voluntate per donationem, ceſſionem, & aliàs, ad utilitatem talis perſonæ, quæ ſibi videbitur, de militia ſua ſeu bonis feudalibus, cum his quæ ei adhærent & cohærent, ut ijſdem literis conſenſus latius & expreſſius continetur. Quas literas conſenſus nos integras & ſanas reperimus in ſigillo & ſcriptura. Viſis ac auditis legi eiſdem literis conſenſus, prædictus A. ob favorem & amorem, quibus proſequitur B. ejuſdem B. & in ejus abſentia G. tanquam ejus procuratori & mandatum habenti in hac cauſa, ut nobis liquidò apparuit per literas procuratorias, & eandem donationem acceptanti, donavit, dedit & ceſſit, donat dat & cedit per has præſentes, militiam ſuam ſive feuda cum cohærentijs ſuis & pertinentibus, ut molendina, piſcandi jus ac venandi, omneſque alias partes militiam ſeu feudi juriſdictionem comitantia, ac eidem pertinentia, & quorum ipſe modo in diſtrictu jus utendi habet, &c. ut eandem militiam cum comitantijs ſuis & pertinentijs, idem B. ſtatim poſt mortem & deceſſum prædicti A. poſſit apprehendere

& in-

& ingredi, & ex tunc retinere, & frui, ſecundum contenta & expreſſa in eiſdem literis conſenſus, &c. Petens idem A. ut nos præmiſſorum notitiam caperemus. Quod nos D. & E. &c. ſuprà nominati fecimus & facimus per præſentes ad ejus petitionem. In quorum fidem nos D. & E. homines, &c. etiam ſigilla noſtra his appendimus, &c.

Deinde ſucceſſu temporis mutata voluntate, dictus A. prætactum feudum coram eiſdem paribus curiæ ex præmiſſis cauſis, & cum eadem ſolennitate dedit, contulit, atque tranſtulit in quendam C. cum expreſſa & generali revocatione omnium priorum donationum, quemadmodum etiam ex clauſula ſequenti ex literis deſuper confectis extracta, latius conſtare dignoſcitur.

Naer t'ſien ende hooren leſen van welcken letteren van octroije die voirgenaemde A. om de jonſte die hy heeft ende draecht tot C. ende mits zijnder jonckheijt van jaeren / F. die ſelve gifte accepterende inden name van den voirſz C. heeft gegonnen/ gegeven/ende overgedragen/gonnet/ gevet ende draecht over by deſen zijn ambachte met zijnen ghevolge ende toebehoirten / als malerije / viſſcherije/ende voglerije/ ende allen anderen parthen des ambachts heerlicheijt volgende ende toebehoirende/ die hy heeft ende hem als nu toebehoirende/ ende daer af hy als nu gebruijct in die prochie/ ꝛc. om 'thelve ambacht metten voirgenoemden gevolghe ende toebehoorten byden voirſz C. ter ſtont nae die doot ende de overlijden vanden voirgenoemdẽ A. te aenveerdenn/daerop te commene/ende alsdan te houdene/ende daer af te gebruijckene/nae inhoudenn eñ uptwijſen vanden voirgenoemden brieven van octroye hier boven ghe incorporeert / ſonder dat hy alsdan gehoudẽ weſen ſal te betalen oft upt te reijcken den ghenen/die hemlieden erfghenamen dragen ſullen vanden ſelven A. eenighe overſaterije vanden molenen ende hofſteden binnen den voirſz ambachten / ꝛc. welcke recht van overſaterije die voirſz A. hem oick gegeven heeft ende gheeft by deſen/ revocerende ende te nijeute doende die voirn: A. by deſen 'tonſer preſentien allen anderen oft gelijcke gifte ofte tranſporte/die hy voir den datum van deſen ſelven letteren ghedaen/verleden/oft ghepaſſeert ſoude moghen hebben / ter cauſe vanden voirſz ambachte met zijnen gevolge ende toebehoirte/by gelijcke brieven onder zijnen zegel oft zeghelen der mannen der Graffelijcheijt van Zeelandt / die welcke brieven / in dien daer eenige zijn oft vidimus daer af autentijck/hy en wilt gheensins prejudiceren deſe ghifte oft tranſporte/ maer die als nu wederroepen / ghecaſſeert ende te nijete gedaen, wederroept / caſſeert / ende doet te nijeute by deſen tegenwordigen nu ende tot ewijgen daghen / begheerende die ſelve A. dat wy als dies voirſz is over hem kennen willen/ 'dwelck wy mannen boven ghenoempt/ ghedaen hebben ende doen by deſen 'tſijnder begheerde / in kenniſſe van welcke ſaeke heeft die ſelve A. zijnen zeghel hieraen doen hangen/ ende wy mannen hebben oick onſe zeghel hier aen ghehangen / hoc eſt: Viſis ac legi auditis his literis conſenſus, prædictus A. ob favorem quo proſequitur C. obque ætatis ſuæ juventutem F. eandem donationem acceptando nomine prædicti C. donavit, dedit & tranſportavit, donat, dat & tranſportat per præſentes militiam ſuam, cum ſuis concomitantijs & perti-

nentijs, ut jure molendini, piſcandi ac venandi, alijſque omnibus partibus, militiæ juriſdictionem comitantibus ac ad eam pertinentibus, quæ habet ac modò ad ipsũ pertinent, quorumque in parochia ſive juriſdictionis, ſuæ militiæ nomine, diſtrictu, jus utendi habet, ut eandem militiam cum concomitantijs ſuis & pertinentijs, idem C. ſtatim à morte & deceſſu prædicti A. poſſit apprehendere, & ingredi & extunc retinere, ac eadem perfrui, ſecundum contenta in prædictis literis conſenſus ſuperius inſertis, abſque eo, ut tunc neceſſe ſibi ſit ſolvere aut dependere futuris hæredibus ipſius A. **eenige overſaterÿe** / pro molendinis & dominijs intra militiæ ſuæ diſtrictũ ſitis, &c. Quod jus **van overſaterÿe** prædictus A. eidem quoque donavit & donat per præſentes, revocans & caſſans prædictus A. per pręſentes, in noſtra pręſentia, omnes alias vel ſimiles donationes aut ceſſiones, quas ante datam pręſentium literarum poteſt feciſſe, cõceſſiſſe, aut tranſegiſſe, de ſua militia prædicta cum ſuis comitantijs & pertinentijs, per ſimiles literas ſub ſuo ſigillo aut ſub ſigillis parium curiæ Zeelandiæ, quas literas, ſi quæ ſint, aut eorundem copia Authentica, non vult ullo modo præjudicium ferre præſenti donationi aut ceſſioni, ſed hìc ex nũc revocatis, caſſatis & irritis factis, revocat, caſſat & irritas facit per præſentes, nunc & in perpetuum, petens idem A. ut nos promiſſorũ de ſe notitiam caperemus, quod nos pares curiæ ſuprà nominati fecimus & facimus per præſentes, ad ejus petitionem, in cujus rei teſtimonium idem A. appendi præſentibus literis fecit ſuum ſigillum, & nos pares curiæ noſtrum quoque ſigillum his appendimus. Et poſt dictam revocationẽ generalem & expreſſam ac donationẽ ſecundam de eodẽ feudo factam d. C. præfatus A. volens, ut pręſumitur, ſuam revocationem confirmare, ac eidem B. gratam facere dictoq; B. pinguius ac melius providere, de novo donavit ac contulit d. B. quędam alia feuda decimas ac bona, in valore notabiliter excedentia valorem feudorum ſibi B. prius factorum, quam quidẽ ſecundam donationem ſic, ut pręmittitur, ipſi B. factam, idem B. acceptavit ac recepit, & virtute ejuſdem ipſa bona ſibi ſecũdo donata à tempore mortis dicti A. poſſedit, ac hodie poſſidet. Tenor autẽ literarum deſuper confectarum ſequitur his verbis: **Jck A. doe te weetẽne/ꝛc. dat om de goede eñ gꝛoote affectie minne ende liefde/ die ick hebbe ende dꝛaghe tot** B. **ende om zekere andere redenen ende conſideratien/ my daer toe poꝛrende / ſonderlinge om de liefde die de voirſz** B. **my altÿts gethoent heeft/ende hope dat hy noch thoenen ſal derſelver** B. **hier pꝛeſent ende tegenwoirdich weſende ende deſe gifte accepterende/ gegonnen/ gegeven eñ opgedꝛagen hebbe / by deſen** talia & talia, **om die te aenveerdene / te beſittene ende daer afte gebꝛuÿckene ter ſtont naer 'toverlÿden vandẽ voirſz** A **ende niet / ꝛc.** id eſt: Ego A. notum facio quod ob ingentẽ affectionem amorẽ & dilectionem, qua teneor & proſequor B. & ob alias certas rationes me ad hoc moventes, & maximè ob dilectionẽ ſingularẽ qua prædictus B. me ſemper proſecutus eſt, ac ulterius me proſecuturum ſpero, eidẽ B. hìc in præſentia conſtituto, & hanc donationẽ acceptanti, donavi, dedi ac tranſtuli per præſentes, talia & talia, ad ea acceptanda & poſſidenda, ac fruenda ſtatim à deceſſu prædicti A. & non ante. Tãdem abſq; aliqua revocatione ſeu immutatione dictę donationis in favorẽ pręfati C. factæ memoratus A. cõdito teſtamento, per quod prædictum B. & quendã H in reſiduo bonorum ſuorũ, legatis donationib. & alijs ſuis relictis prius exolutis, ſupercreſcentium hæredes univerſales inſtituit,

instituit, ab hoc seculo migravit. Post cujus A. mortẽ d. C. vigore suæ prætactæ donationis, prætactũ feudum à domino directo comite Zeelandię relevavit, possessionem ejusdẽ apprehendit, officiarios in illo instituit, ac cætera omnia, ut verus dominus saltẽ utilis, in & circa hujusmodi ambacht fecit, & exercuit, vidẽte, sciente, & non contredicente d. B. Quo non obstãte, idẽ *B.* prætextu cujusdã vidimus, sive copiæ prętactarum literarũ originalium suę prioris donationis, prætendit jus & actionem in & ad dictum feudum. Quæritur quid juris? Quia expositione casus prænarrati constat, quòd C. secundus donatarius immediatè post mortẽ A. donatoris sit adeptus & assecutus possessionẽ rei donatæ, & in eadẽ possessione admissus per dominũ feudi, sciente & nõ cõtradicente B. primo donatario. Pro decisione quæstionis videtur iuvestigandũ, casu quo idẽ B. vellet dictam rẽ donatam à d. C. vendicare, an aliquib. exceptionibus repelli posset, & quibus. Et videtur dicendum, quòd d. B. primus donatarius possit ab hujusmodi actione repelli multipliciter. Primò quia
1 donatio† facta prætacto B. fuit & est revocata ex clausula generali, contenta in secunda donatione facta d. C. per quã A. donator revocavit omnes donationes prędentes. Quę quidẽ revocatio potuit fieri & valet ac tenet de jure, cũ prima donatio facta eidẽ B debeat censeri donatio causa mortis, ex eo, quod in ea fit mentio mortis, *per tex. in l. Seja, & ibi Paul. de Cast. & Io. de Im. ff. de don. cau. mo. & tenet gl. in l. Seja, ff. de dot. prel. & in l. quæ dot. ff. sol. mat.* & non est dubium de jure, quin donatio causa mortis possit revocari, *l. nõ omnes. ff. si cer. pe. & Inst. de do. in prin.* Nec videtur obstare, si dicatur, quod in di-
2 cta† donatione tẽpus mortis nõ fit adjectũ verbis dispositivis, sed solũ verbis executivis, quare cẽseri deberet donatio inter vivos, non causa mortis, *per Bal. in addi. ad Spe. sub ti. de inst. edit. § porrò, quod recitat Alex. in d. l. quæ dotĩ. in 7. fal.* Quia illud *d. Bald.* loquitur in casu, quando donator in ipsa donatione expresse reservavit sibi usumfructum, quod non est in casu nostro: quia in literis donationis nulla fit mentio de expressa reservatione usufructus. Sed in casu pręsenti omnes effectus, & perfectio istius donationis, quoad donationem, dominij translationem, & possessionis adeptionem reservatur in tempus mortis, prout constat; quare meritò, censeri debet potius donatio causa mortis, juxta *d. Paul. de Cast. cons. 431. quod incipit, respondendo per ordinem cuilibet quæsito, &c. in antiquũ; secundum quotas*
3 *meas.* Etiam † in dubio recurrendum ad verisimiles conjecturas & ad mentem donantis, *arg. l. in conditionib. primum locum, ff. de cond. & demonstr. & d. l. non omnes.* Iam in casu prædicto mens donantis videtur in veritate fuisse non alia, quam providere dnnatario de re donata post mortem ipsius, & retinere sibi facultatem revocandi & aliter disponendi, & sic facere donationem causa mortis, quod constat ex multis verisimilibus conjecturis. Primò, quia sibi retinuit dominium & possessionem rei, sicuti habebat ante donationem: retinuit etiam apud se literas originales & principales ipsius donationis, quas nunquam tradidit prætacto B. quæ
4 quidem † retentio literarum nihil aliud potuit operari, quam quod per hoc donator sibi reservavit facultatem aliter, disponendi de eadem re donata, sicuti videmus
5 in casu contrario, quod traditio † instrumentorum seu literarum rei donatæ operatur trãslationem dominij, ut est casus *in l. 1. C. de do.* contrariorum enim eadẽ est disciplina, *l. 1. ff. de his, qui sui vel alie. jur. sunt, cum sim.* & quod operatur oppositum in opposito, id operatur propositum in proposito, *l. fi. in fi. ff. de lega. 3. cum sim.* Secundò ex ipsa revocatione, quia si intentio donantis fuisset facere donationem

nem inter vivos non est verisimile, quod fecisset hujusmodi revocationem contra dispositionem juris. Et tertiò, quia post hujusmodi primam donationem & ipsius revocationem facit aliam immensiam donationem prædicto B. adjiciendo hæc verba, quòd faciebat hanc donationem eidem B. ex certis causis & considerationibus eum ad hoc moventibus: quod verisimiliter debet intelligi esse factum ex eo, quia revocaverat dictam primam donationem, & in recompensam illius. Quare attento, quòd ex hujusmodi verisimilibus & pregnantibus conjecturis apparet, quòd mens dicti A. donatoris non fuerit alia, quàm facere donationem revocabilem, prætacta donatio non debet censeri donatio inter vivos, sed causa
6 mortis, pro † quo benè faciunt *nota. per Cyn. Bald.* & *alios in l. 2. C. de jure dot.* & *ea quæ habentur per Alexan. in consilio 14. primi voluminis*, & *in consilio 81. ejusdem voluminis*, in quibus locis præfati Doctor. in effectu volunt, quòd quando potest apparere, quòd donator voluit facere donationem inter viuos, ut quia hoc expressit, vel quia dixit, quòd esset irrevocabilis, vel quia retinuit sibi expressè usumfructum, vel quia fecit mentionem de hæredibus donatarij: tunc censenda est donatio inter vivos, licet etiam fiat mentio mortis: sed quando nullum horum intervenit, sed potius concurrunt plures verisimiles & vehementes conjecturæ in contrarium, ut in casu præsenti, tunc in dubio, ex quo in ea est facta mẽtio mortis, censeri debet donatio causa mortis, & non inter vivos, *per dictam l. Seja.* & *alia jura suprà allegata.* Nec etiam obstat, si dicatur, quòd in donatione
7 causa † mortis, debeant intervenire quinque testes, aliàs debet censeri donatio inter vivos, ut actus valeat, juxta ultimam limitationem *Alexan. in dicta l. quæ doti*, & quòd sic attento, quòd in casu prænarrato non intervenit talis numerus testium, debet reputari donatio inter vivos, & non causa mortis. Quia respondetur,
8 quòd ubi † consuetudo patriæ habet, quòd testamentum valeat coram duobus testibus, similiter debet & valere donatio causa mortis. Et pro hoc facit bona ratio, quia si testamentum, quod de jure non valet, nisi adhibitis septem testibus, valeat de consuetudine cum duobus testibus, multò magis debet valere donatio causa mortis, ut ita expressè tenet *Bald. in l. fina. C. de testam.* Si ergo casus prænarratus accidit in patria consuetudinaria, ubi testamentum valet coram duobus testibus, nihil restringit dictum argumentum. Secundò præsupposito, quòd dicta donatio facta præfato B. esset donatio inter vivos, adhuc videtur, quòd idem B. posset repelli à dicta actione duabus alijs exce-
9 ptionibus. Prima, quia † juxta casum prænarratum idem B. fuit & extitit hæres ipsius A. donatoris, quare de jure tenetur omnino stare donationi factæ per ipsum A. etiam si res fuisset omnino ejusdem B. per textum & casum *in l. cum à matre, C. de rei vendicatione*, & *in l. si pater, in princ. ff. de donatio.* & *in l. unum ex familia. §. si rem. ff. de lega. 2.* & *in l. cum maritus. § fina.* & *ibi Bal. ff. de pact. dota.* Quare non est dubium, quod non veniret audiendus prætactus B. volens vendicare rem donatam à dicto C. secundo donatario, imò deberet ab ista actione repelli, cùm fuerit & extiterit hæres ipsius donatoris: ex qua persona enim quis lucrum capit, ejus factum probare debet, *l. ex qua persona, ff. de reg. jur. cum sim.* Et quod
10 plus est, casu † quo tertius vellet dictam rem donatam evincere ab ipso C. & idem B. tanquam hæres dicti A. donatoris, teneretur de evictione pro portione hæreditaria, cùm hic donatio incœperit à præcedente conventione seu promissione, quo casu donator vel ejus hæres tenetur de evictio-

evictione, *juxta communem Doct. opinionem in l. 2. C. de evictio.* & *l. Aristo. §. Labeo,* & *ibi pulchrè per Paulum de Cast. ff. de donatio.* & *faciunt notata per eundem in l. fina. §. Lucius, eod. tit.* cùm †
11 dictus B. teneatur de evictione, sequitur quòd potest per exceptionem repelli, si velit agere, per regulam illam vulgarem: quem de evictione tenet actio, eundem agentem repellit exceptio, *l. vendicantem, ff. de evict.* & *l. executione, C. eo. tit.* Secunda exceptio, per quam dictus B. posset & deberet ab ipsius actione repelli, etiam dato, quòd donatio præmissa esset donatio inter vivos, est ista. Quia de jure,
12 quando † aliqua res donatur duobus, ille est potior, qui primò est adeptus possessionem, ut est *text.* & *casus in l. quotiens, C. de rei vendicatio.* Jam ex casu prænarrato constat, quòd prædictus C. secundus donatarius est primò adeptus possessionem rei donatæ, & est in eadem possessione admissus & receptus per dominum feudi, ex qua quidem possessionis adeptione, quæ traditioni æquiparatur, idem C. secundus donatarius acquisivit
13 dominium rei donatæ, cum † per traditionem & possessionis adeptionem transferatur dominium, *juxta l. traditionibus, C. de pact. cum vulgar.* Quare omni respectu dictus C. est in re donata potior, & sic veniret dictus B. omnino re-
14 pellendus. Nec obstat, si dicatur, quòd † prima donatio facta B. fuit donatio inter vivos & perfecta, & sic de jure irrevocabilis, *per l. possessionem,* & *l. fin. C. de revocan. don. cum simil.* Quia respondetur, prout dicunt *Bart.* & *Io. de Platea, in l. prima, C. de jure fis. lib. 10.* quod ve-
15 rum est, quòd † per consensum & donationem verbalem perficitur donatio, ad hoc ut donator possit compelli ad tradendum, sed donatio perficitur quoad translationem dominij per traditionem, & si sic res donatur duobus, ille est potior qui primo adipiscitur possessionē, *d. l. quoties.*
15 Et hinc est, quòd si donator ante traditionem obliget rem donatam alteri, vel vendat & tradat, tenet hypotheca vel alienatio, ut est casus *in dicta l. fi. §. Lucius,* & *ibi Pau. de Cast.* Nec obstat si dicatur,
17 quòd donatarius † cui data est res inter vivos, non potest in testamento vel in ultima voluntate gravari, ut est textus notabilis in in *in l. Lucius, 2. in principio, ff. de fideicommiss. liber.* quia respondetur, quòd hoc est verum, nisi sit hæres, vel judicium defuncti agnoscat, *ut ibi dicit textus juncta glos.* In casu autem præsenti dictus B. est hæres dicti A. donatoris, & ejus judicium agnovit. quare non obstat.
18 Nec etiam obstat, si dicatur, quòd † dictus A. donator, referendo effectum donationis, quoad apprehensionem & possessionis adeptionem, post tempus mortis, videtur sibi reservasse usumfructum, & quòd per reservationem ususfructus de jure censetur res tradita, *per l. quisquis. C. de dona.* & quòd sic donatio facta dicto E. fuit omninò perfecta, etiam quoad traditionem. Quia respondetur, quòd illa *l. quisquis*, loquitur quando fuit expressè reservatus ususfructus, quòd non est in casu præsenti, imò videtur retinuisse dominium & facultatem aliter disponendi per retentionem literarum, ut dictum est suprà, & videmus si-
19 mile † in legatario, qui gravatus est restituere rem sibi legatam post mortem suam; nam quandiu vivit, est proprietarius & non usufructuarius, *l. fin. C. communia de legat.* Etiam contrarium dicendo, hìc concurrerent duæ fictiones, seu duo spe-
20 cialia circa idem, quòd † non est possibile de jure, *l. prima, C. de dotis promissi.* & *ibi Salicet.* Propterea dictus C. secundus donatarius, in continenti post mortem præfati A. donatoris adeptus est possessionem rei donatæ, & est in hujusmodi possessione receptus & admissus, dicto

 B, pri-

B. primo donatario ſciente & non contradicente. Et non eſt dubium, quòd in hoc
21 caſu, ubi † agebatur dè præjudicio ipſius B. ſcientia cum taciturnitate habetur pro conſenſu & præjudicat, ut eſt textus clarus *in §. preterea, quibus modis feudum amitti. in uſibus feudorum* : quare adhuc ex iſto capite idem B. nullatenus videtur audiendus. Accedit etiam ad hoc, quod conſtat ex caſu prænarrato, quòd idem B. acceptavit aliam donationem ſibi factam per A. poſt revocationem primæ, & in recompenſam illius, ut ſatis elicitur ex illis verbis, *ex certis cauſis* & *conſiderationibus animum noſtrum moventibus*, quæ
22 † debent aliquid operari, *l. ſi quando, ff. de lega. 1.* & *c. ſi Papa, de privileg. lib. 6. cum ſim.* quare idem B. acceptando hujuſmodi donationem, videtur reſilijſſe à prima donatione, & gratam habuiſſe ipſius revocationem. Et ſic ex præmiſſis videtur de jure tenendum & concludendum, quòd caſu quo dictus B. vellet rem donatam à dicto C. vendicare, non eſſet audiendus, ſed veniret ab hujuſmodi actione repellendus, modis & exceptionibus ſuprà dictis.

CONSILIUM CLXXII.

SUMMARIA.

1 *Appellatione ambocht vel ambochts ghevolch, quæ bona veniant?*

2 *Interpretatio fieri debet ſecundum poſſibilitatem verborum, & ſalva recti ſermonis ratione.*

3 *In donationibus contineri non cenſetur, quicquid verbis expreſſum non reperitur.*

4 *A propria verborum ſignificatione recedendum non eſt.*

5 *Donatio an & quando in præjudicium donantis latiſſimè interpretari debeat?*

7 *Ex ſeparatis non fit illatio de uno ad alìud.*

8 *Donatio contra mentem donantis ampliari non debet.*

CAſus talis eſt. Quidam A. dedit B. quandam domum cum ſuis pertinentijs per literas deſuper confectas, ut in clauſula dictarum literarum ſequenti patet. A. doet te weetene/ dat omne die goede eñ groote affectie minne ende liefde/ die hy heeſt tot B. ende omme zekere andere redenen ende conſideratien der ſelver A. daer toe porrende/ gonnet/ gevet ende draecht/ op by deſen brief de voirſz B. een huys/ liggende binnen Telprochie/ met alle den lande/ boomgaerde/ hovinghen/ ende alle andere zijne toebehoirten/ ꝛc. Ende boven deſen die voirſz A. heeft noch ghegeven ende opgedragen/ byden ſelven brieven/ der voirſz B. huere ambochten van den voirſz Telprochie/ ende van andere vier prochien/ metten ambochte gevolge/ ꝛc.

Nu es te wetene/ om 'tverſtant vander materien te hebbene/ dat die voirſz A. heeft diverſche parceelen van lande ende erven/ ligghende binnen der voirſcreven Telprochie/ 'dwelcke lant alſoet ſchijnt byden letteren hier voeren ggheven ende ghetranſporteert ſoude weſen der voirſz *B.*

Heeſt noch dieſelve A. ander lant ende erve/ liggende binnen den voirſz anderen vier prochien/ in die welcken prochien die ſelve A. heeft ghegeven den voirſz B. huer ambocht metten ghevolghe ſonder meer/ alſoe

oick

dick hyer voiren blijct. Ende want erve ende lant gheen ambocht oft ambochts gevolch en es. Id est, A. notum facit, quod ob bonam ac ingentem affectionem amorem & dilectionem, quibus tenetur erga B. & ob certas alias rationes & considerationes, eundem A. ad hoc moventes, donat, dat & transfert per præsentes eidem B. domum sitam in Telprochie, cum omnibus terris, arbustis, hortis, cumque omnibus alijs pertinentijs. Et præter hoc prædictus A. adhuc dedit & transtulit per easdem literas prædicto B. suam militiam prædictæ Telprochiæ, aliasque quatuor parochias, cum concomitantijs militiæ, &c. Nũc pro intellectu materiæ secundum est, quòd prædictus A. habet diversas species terræ, & arva sita intra prædictam Telprochie, quos agros apparet per literas suprà scriptas donatas & translatas esse in eundem B.

Habet præterea idem A. alias terras & arva sita intra prædictas alias quatuor parochias, in quibus parochijs idem A. dedit prædicto B. militiam suam cum concomitantijs nec plus, ut etiam superius hîc patet. Et quia arvum aut ager, non est militia, nec à militia dependens aut concomitans: Quæritur, utrum illæ terræ dictæ, erve, sitæ in illis quatuor parochijs, comprehendantur in donatione facta per A. dicto B?

Et dicitur breviter, quòd non, quia no-
1 torium est, quòd ex † communi sermone, appellatione ambocht / vel ambochts gevolch / quæ sunt bona feudalia, non veniunt terrę, seu bona allodialia, cùm sint diversæ naturæ & conditionis, & ergo nõ debent verba impropriari, ut extendatur donatio ad terras vel bona, non comprehē-
2 sa sub verbis donationis, sed † debet fieri interpretatio secundum possibilitatē verborum, & salva ratione recti sermonis, *cap. porrò. de privil. juncta l. Plantius. ff. de aur. & argen. lega.* & vult *Ioan. And.*
3 *in c. dilecti, de donatio.* Præterea si † intentio donatoris fuisset, donare terras & bona allodialia in dictis quatuor parochijs situata, ita benè hoc expressisset, sicut expressit in prima donatione, quæ quidem donatio continet dispositionem, quoad terras existentes in illa parochia, de qua loquitur donatio, & secunda donatio continet dispositionem, quoad ambocht vel ambochts gevolch duntaxat, quæ non debet extendi ad terras & allodialia, existentia in dictis quatuor parochiis, de quibus testator non expressit: quia si hoc voluisset, benè expressisset, *arg. cap. ad audientiam, de decim.* Cùm ergo hoc non
4 expressit, non † debet fieri interpretatio, ut præmittitur, contra proprium significatum verborum, à quo non est recedendũ, *l. non aliter. ff. de leg. tertio, cum sim.* Nec
5 obstat, si dicatur, quòd donatio † debet latissimè interpretari in præjudicium donantis, *l. fina. ff. de constit. princip.* & *d. c. cùm dilecti, de don. cum. sim.* Quia ad hoc respondetur, primò, quòd hoc procedit in donatione principis, ut habetur in dictis juribus. Secundò hoc procedit, quando verba sunt dubia, & possunt trahi ad aliud, quod ratione consequentiæ vel adjectionis posset comprehendi sub re donata, *d. l. fina. cum ibi nota.* sed in casu præsenti verba de se sunt clara; & sic non est locus conjecturis, *l. continuũ. §. cum*
6 *ita, ff. de verb. oblig.* nec etiam † continet dicta donatio aliqua verba, ex quibus posset inferri, quòd dictæ terræ vel bona allodialia comprehendantur sub verbis illis donationis, ambocht vel ambochts gevolch / quæ nullo pacto possunt dici adjacentia vel conhærentia, cùm sint omnino separata & distincta, ac diversæ naturæ & conditionis, ut præmittitur: jam ex separatis non fit illatio de uno ad aliud, *l. neque natales. C. de probat.* & *l. non hoc, C. unde cog.* quare dicta do-
7 natio † non debet ampliari vel extendi

contra proprium significatum verborum & mentem donantis, *d. cap. cùm dilecti, cum ibi nota. per Panorm. in secundo notabili, & alios Doct. ibidem.*

CONSILIUM CLXXIII.

SUMMARIA.

1 *Ultima defunctorum judicia quæ sunt rationabilia, nec in fraudem legum facta, servari debent, & num. 26.*

2 *Collatio in testamento prohibita cessat, nisi in fraudem legis vel statuti facta appareat, & nu. 29.*

3 *Legata non conferuntur, sed manent præcipua apud legatarium, etiamsi sit hæres.*

4 *Confessioni defuncti juratæ solùm statur, quando de præjudicio hæredum agitur, nec fraus sit legi. & num. 36.*

5 *Æs alienum ante collationem deduci debet.*

6 *Collatio hodie inter descendentes ascendentibus succedentes semper locum habet.*

7 *Conferri dicitur, quod est proprium conferentis.*

8 *Bona parentum inter liberos æqualiter sunt dividenda.*

9 *Filia succedens patri, rem sibi ab ipso donatam, fratribus conferre tenetur.*

10 *Jus municipale Comitatus Zeelandiæ, &c.*

11 *Verbum*, omne, *nihil excludit.*

12 *Dispositio sive testamentum in terminis juris communis disponens, interpretari debet, ut aliquid ultra jus commune operetur: modò ex eo nemo indebitè damnum patiatur.*

13 *Correctio potius juris communis præsumitur, quàm quod dispositio nova sine operatione ultra jus commune interpretetur.*

14 *Æqualitas inter fratres & sorores parentibus succedentes, quare servanda.*

15 *Evictio rei per patrem uni ex filijs prælegatæ, an debeatur: & quid si pluribus prælegetur, &c.*

16 *Renuncians successioni paternæ, id quod sibi à parentibus donatum fuerit retinere potest.*

17 *Ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

18 *Consuetudo optima legem interpres.*

19 *Dispositionem novam quæ extendi vel restringi faciant.*

20 *Malitijs hominum non est indulgendum.*

21 *In collationem non veniunt, quæ titulo oneroso per filios acquisita sunt.*

22 *Confessio inter personas prohibitas emanans non valet, nisi veritas probetur.*

22 *Juramentum super simulato interpositum, non validat actum.*

23 *Confessus se recepisse mutuum, spe futuræ numerationis, habet exceptionem non numeratæ pecuniæ,*

nia, juramento adposito non obstante.
24 *Pro infectis habentur, quæ contra jus fiunt.*
25 *In legem committere quis dicatur.*
27 *Incapacitatis maculam tollere, spectat ad solum principem, nec in potestate testatoris consistit.*
28 *Quod una via prohibetur, ad id quis alia via admitti non debet.*
30 *Semel malus semper præsumitur malus in eodem genere mali.*
31 *Ad probandum dolum seu fraudem sufficiunt conjecturæ probabiles.*
32 *In articulo mortis constituto an credatur?*
33 *Jus municipale derogat juri scripto, & servandum est in loco quo viget.*
34 *Lex plures diversos intellectus habens, ad decisionem causarum efficaciter allegari nequit.*
35 *Quod multipliciter intelligitur, ejus veritas ignoratur.*
37 *In collationibus inspicitur tempus mortis illius, de cujus hæreditate agitur.*
38 *Valor communis, & non valor singularis, qui sæpè ex affectione procedit, inspicitur.*
39 *Remittere est dare.*

PRæsupposito brevitatis gratia casu, qui colligi potest ex diversis literis scabinalibus, per quondam Wivam relictā quondam magistri Henrici sui primi mariti, successivè ad utilitatem suarum prolium primi thori passatis. Quæritur principaliter de duobus. Primò, an dictæ proles primi thori debeant præcipuas habere centum libras grossorum, in quibus dicta Wiva se recognovit coram scabinis obligatam præfatis suis prolibus primi thori, ratione bonorum paternorum, vel, an hujusmodi recognitione non obstante, fieri debeat æqualis divisio inter omnes proles, de omnibus bonis per dictam quōdam Wivam relictis. Secundò, an in collatione seu verius divisione bonorum, haberi debeat respectus ad valorem triginti quinque jugerum terræ, de quibus est contentio, prout voluit dicta quondam Wiva, & prout valuerunt tempore emptionis per eam factæ, vel an debeat haberi respectus ad verum valorem ipsorum triginta quinque jugerum, inspecto tempore mortis ejusdem Wivæ, de quibus per ordinem est videndum. Et quantum ad primum dubium, videtur prima facie, quòd dictæ proles dictæ quondam Wivæ ex primo thoro, habere dabeant præcipuas dictas centum libras, medijs infrà scriptis. Primò, quià ita expressè voluit dicta quondam Wiva in suo testamento coram scabinis condito, cui standum
1 videtur, cùm † nihil sit quod magis debeant hominibus, quàm quòd supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stylus, & liberum quod iterum non redit arbitrium, *l. 1. C. de sacrosan. eccles. cum sim.* quilibet enim in re sua est moderator & arbiter, *in l. re mandata, C. manda.* & potest quisque de rebus suis disponere, maximè in testamento, ut vult, & dispositio sua est lex. *§. disponat, in Auth. de nupt. collatio. 4.* & per consequens non habebit locū collatio, quia
2 † illa cessat, quando prohibita est collatio in testamento, *Auth. ex testamento, C. de collat.* Secundò, quia dicta dispositio habet vim legati; sed certum est de jure,
3 quòd legata relicta in testamento vel codicillis, etiam si collatio non prohibeatur

expreſsè non conferuntur, ſed manent
præcipua apud legatarium, etiam ſi ſit hę-
res, *l. filiam fratribus, l. filiæ licet,* & *l. à*
patre, C. de collat. Tertiò, de iſto videtur
caſus in terminis *in l. filiæ licet,* & *l. à*
patre. C. de collat. Quartò, iſtud probatur
ex alio, quia dictæ centum libræ non poſ-
ſunt dici propriè donatæ dictis prolibus
primi thori; nam dicta quondam Wiva
recognovit coram ſcabinis, ſe obligatam
dictis prolibus in centum libris, ratione
4 bonorum paternorum, cui † recognitioni
ſeu confeſſioni ſtandum videtur, maximè
cùm ſit roborata juramento, vel æquipol-
lenti, *arg. Auth. quod obtinet, C. de probat.*
5 cùm ergo æs † alienum ante collationem
non debeat deduci, *l. ea demum, C. de*
colla. ſequitur, quòd dictæ centum libræ
ante omnia debeant deduci, & mane-
re præcipuæ apud dictas proles primi
thori.

Iſtis tamen non obſtantibus, in caſu
præſenti credo contrarium eſſe veriſsi-
mum, quod deducitur medijs infrà ſcri-
6 ptis. Primò, quia † hodie de jure C. inter
deſcendentes, ſuccedentes parentibus ti-
tulo univerſali, ſive agatur de ſucceſsione
lineæ maternæ ſive paternæ, habet locum
collatio. *l. ut liberi,* & *l. illam,* & *utrobi-*
que Doct. C. de colla. licet olim, de jure di-
geſtorum, aliud erat in ſucceſsione ma-
ternæ, ut vult *Bart. in l. 1. in §. ſed ne ca-*
ſtrenſe, in penul col. ff. de collat. bo. & hanc
theoricam ponunt omnes Doct. *in l. ſi do-*
natione, C. de collat. ſi ergo dictæ centum
libræ exiverint patrimonium præfatę Wi-
væ, & pervenerint in bonis dictarum pro-
7 lium primi thori, debent conferri: quia †
conferri dicitur, quod eſt proprium con-
ferentis: nam collatio eſt rei propriæ in
commune latio, ut vult *gloſ. ordinaria in*
8 *Rubrica, ff. de colla. bono.* ſi † verò dictæ
centum libræ manſerunt in patrimonio
dictæ Wivæ, tunc debent dividi inter o-
mnes proles æqualiter, *d. l. filiæ licet, jun-*
cta l. maximum vitium. C. de liber. pręter.
9 Secundò iſtud probatur † *in pręall. l. ſi*
donatione, in 2. reſpon. ubi expreſsè deci-
ditur, quòd ſi res donatur filiæ à patre, &
ipſa ſuccedat patri cum fratribus, talis res
non erit ejus præcipua, ſed debebit con-
ferri. Tertiò iſtud probatur clariſsimè
10 per jus † municipale Comitatus Zeelan-
diæ, *in nova keura, in 22. articulo, ſecun-*
dæ partis, ubi ratione æqualitatis ſervan-
dæ inter fratres & ſorores, expreſsè ca-
vetur, quòd proles volentes habere partẽ
in hæreditate parentum, debent conferre
ſeu importare omnia bona, eis à ſuis pa-
rentibus donata, ita & taliter, quòd ex il-
lis bonis donatis, & alijs bonis, quæ in hæ-
reditate defuncti parentis remanſerunt,
fiat una maſſa ſive unus acervus, & poſtea
fiat æqualis diviſio inter proles, &c. ut ibi
latius habetur, in qua diſpoſitione nova in
11 primis ponderanda eſt dictio † *omnia,* quæ
nihil excludit, *cap. ſolitę, de majo.* & *obe.*
& *l. à procuratore, juncta gloſ. C. manda.*
12 Item ſecundò ponderandum eſt, quòd †
dictum ſtatutum ſive diſpoſitio nova di-
ſponat in terminis juris communis, & ſic
debet interpretari, ut aliquid operetur ul-
tra jus commune, *l. prima. in fine, juncta*
ſua notabili gl. ff. ad municipal. l. ſi quan-
do, in principio. ff. de lega. 1. & *cap. ſi Pa-*
pa, de privileg. lib. 6. Nam vera theorica
Doctorum habet, quòd ſtatutum vel di-
ſpoſitio nova debet intelligi, ut verba ſo-
nant, & ſic ut aliquid operetur ultra jus
commune, quando ſic intelligendo nemo
indebitè damnum patitur, licet aliud di-
cant in caſu, in quo quis indebitè da-
mnum pateretur, ita *not. dicunt Paul. de*
Caſt. & *Alex. de Imol. in l. fin. §. in com-*
putatione, C. de ju. deliberan. & *dominus*
Ioannes de Imo. in l. 4 §. pretor. poſt Bart.
ibi. ff. de dam. infect. & *idem Ioan. de I-*
mola in l. ſi verò, §. de viro, ff. ſolut. matri.
& *Panorm. in c. paſtoralis, in principio, de*
appell. Imò hoc caſu potius dicendum eſt,
quòd

13 quòd † statutum novum vel dispositio nova corrigat jus commune, quàm quòd intelligatur taliter, quòd nihil operetur ultra jus commune, ita notabiliter vult *Sali. in l. 2. C. de noxa. act.* & *Lanfrancus in notabili tractatu suo interpretationis statutorum.* Tertiò ponderandum est, quòd dictum statutum seu dispositio nova vult, servari æqualitatem inter filios in
14 successione parentum: optimum † autem est servari æqualitatem inter fratres & sorores, ne ex hoc invidia, rancor, & odium generetur, quod facilè fit inter fratres. *l. cùm oportet, C. de bonis quæ liber.* & *Institu. per quas perso. no. jus acquir.*
15 *in princip.* & hinc est, quod de jure † communi, in prælegato uni ex filijs facto per patrem de re aliena non debetur evictio: secus si pluribus prælegetur, ut est *tex singularis in l. cùm pater. §. evictis. ff. de legat. secundo.* In casu autem præsenti nemo indebitè damnum patitur, intelligendo dictum statutum seu dispositionem novam generaliter, ut verba sonant, & ut aliquid operetur ultra jus commune,: imò ut corrigat jus commune, quia servatur æqualitas inter filios, & per dictum statutum novuum non cogitur conferre, nisi velit habere partem succes-
16 sionis; sed † est in facultate sua renunciare successioni, & retinere id, quod sibi donatum fuit à parentibus, prout etiam vult jus commune, ut est *text. in l. fina. ff. de colla. dota.* Cùm ergo habeamus legem municipalem claram & generaliter loquentem, debemus eam generaliter in-
17 telligere, quia † ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, *l. de precio. ff. de publici.* attento maximè, quòd consuetudo hactenus ita interpretata est dictam dispositionem novam, secundum quam unus ex filijs non plus consequi potest in bonis paternis vel maternis, quam alius, ut servetur æqualitas & amicitia:
18 quæ consuetudo est † optima legum & statutorum interpres, *l. si de intepretatione. ff. de legi.* & *cap. cùm dilectus, de con-*
19 *suetu.* & † expedit reipublicæ, dictam keuram sive dispositionem novam sic generaliter & planè intelligi, & eam non restringi secundum jus commune, tum quia tunc nihil operaretur, ut suprà dixi, tum propter fraudes quæ quotidie fierēt, & alia inconvenientia, quæ sequerentur, si fieret restrictio seu interpretatio restrictiva secundum jus commune. *arg. l. si quis in gravi. §. utrum, versic. hi quoque*
20 *ff. ad Sillan.* malitijs enim † hominum non est indulgendum, *l. in fundo, ff. de rei vendic.* & ita semper, ut informor, observatum est in dicto comitatu Zeelandiæ, nec de hoc dubitatur, quin donata à parentibus debeant conferri à filijs, qui volunt succedere; sed in casu præsenti dubitatur, an dictæ centum libræ debeant conferri, nec ne, ex eo, quia non sunt propriè donatæ, sed in recompensam debiti assignatæ, quo casu videtur, quòd dicta keura, seu dispositio nova & observantia
21 subsecuta non habet locum: quia † illud quod acquiritur filijs non ex titulo lucrativo, sed oneroso, non venit in collationē, *d l. ea demum,* & *præall. l. 1. §. nec castrense, ibi, hæc enim propter onera,* &c. Et est ratio, quia tunc nihil videtur adesse, cum tantum adsit de proprio. Restat ergo probare, quod etiam isto casu dicta keura, seu dispositio nova locum habebit,
22 & hoc deduco sic, quia † quando testator confitetur se debere non capaci, talis confessio nihil operatur, textus est notabilis *in l. cùm quis dedens, §. Titia. ff. de legat. 3.* Semper enim, quando confessio emanat inter personas prohibitas, non valet, nisi veritas probetur, textus est notabilis *in l. qui testamentum. ff. de probat.* Et ratio est, quia quandocunque confessio fit à persona prohibita, quæ non potest liberè talem actum facere, sed tunc demum, quando intervenit illud

quod

quod confitetur, tunc talis confessio est
suspecta, quia præsumitur facta in frau-
dem legis, ut ille actus posset fieri, qui a-
lias fieri non poterat: *tex. est notabilis in*
l. si fortè, & *ibi habetur pulchrè per Bar. ff.*
de castr. pec. & *sentit glossa ordinaria in*
præall. l. si donatione, & *ibi expressè hoc*
volunt Bart. Alexan. Ias. & *omnes Doct.*
23 & istud procedit, etiam † si talis confessio
sit jurata: ita notabiliter vult *Bart. in d.*
§. Titia, & *idem Bart. in l. Aurelius, §. fin.*
ff. de libera. lega. & *vult expressè Bal. in l.*
1. in 4. col. C. de inoffic. don. & *Salic. in l.*
hac edictali, in 7. quæst. C. de secund. nupt.
& *Alex. Iason* & *Doct. in d. l. si donatione:*
& *est de mente Cyn. in præall. l. 1. in fin.*
C. de sacrosanctis eccles. Hinc etiam dicit
glossa ordinaria singularis *in l. 3. C. plus*
plus valere quod agitur, quod juramentum
interpositum super simulato, non validat
24 actum. Hinc etiam † dicit textus nota-
bilis *in l. fina. C. de non num. pecun.* quòd
confessus se recepisse mutuum, spe futuræ
numerationis, etiam apposito juramento,
habet exceptionem non numeratæ pecu-
niæ, quia juramentum regulatur secundũ
subjectam materiam. Cùm ergo dicta
Wiva non potuit facere donationem in
dictas suas proles primi thori, quin illa
donatio post mortem suam debuisset cõ-
ferri, ut clarè habet dicta keura sive di-
spositio nova, & cùm non constet, nec con-
stare possit, ut in facto supponitur, de ali-
quo debito, in quo dicta quondam Wiva
fuisset obligata præfatis suis prolibus pri-
mi thori ratione successionis paternæ, re-
linquitur, quod dicta confessio seu reco-
gnitio debiti facta fuit in fraudem dictæ
legis municipalis, & ergo non debet effe-
25 ctum sortiri, *per jura suprà alleg.* quæ † e-
nim contra jus fiunt, debent pro infectis
haberi, *regula, quę contra, de reg. jur. li. 6.*
26 nec † solum is committit in legem, qui
verba legis amplectens, contra legis niti-
tur voluntatem, *l. non dubium, C. de legib.*
& *regula, certum est, de reg. jur. lib. 6. cum*
simil.

Restat nunc respondere ad motiva pro
alia parte adducta. Et primò non obstat
26 primum, quia fateor, quòd † ultimum ju-
dicium defuncti servandum est, quando
illud est rationabile, & non fit in fraudem
legis: sed quando est in fraudem legis, ut
quia relinquitur non capaci, tunc non est
servandum, nec debet sortiri effectum ad
utilitatem incapacis, *ut est textus notabilis*
in l. si Titio. ff. de lega. 2. & *probatur in*
27 *dicta l. cùm quis decedens. §. Titia:* non †
enim est in potestate testatoris, incapacem
capacem facere, sed hoc spectat ad solum
principem, qui potest contra legem dispẽ-
sare, & maculam incapacitatis tollere: nec
potest quis facere, quòd leges in suo te-
stamento locum non habeant, *l. nemo po-*
test. ff. de legat. 1. In casu autem præsenti
dictæ proles primi thori sunt incapaces
donationis, propter dictam keuram gene-
raliter loquentem, & æqualitatem deside-
rantem, & confessio debiti facta est in
fraudem legis, ut proles primi thori con-
sequantur ex causa prætensi debiti, quod
consequi non poterant ex causa donatio-
nis; quare non valet, *per jura suprà alleg.*
28 quia non † debet quis una via admitti, ad
quod alia via prohibetur, *c. tuæ, de procur.*
& *regula, cùm quid, de reg. jur. lib. 6. qua-*
re non obstat. Et eodem modo solvitur,
29 cùm dicitur, quòd † collatio cessat, quan-
do prohibita est in testamento, quia ve-
rum est, nisi appareat, quòd in fraudem
legis vel statuta facta sit prohibitio, ut in
casu præsenti: de qua fraude apparet ex
eo, quod non constat ex aliquo debito, &
ex eo quod semel facta est divisio inter
dictam Wivam, & suas proles primi tho-
ri, cum qua quidem divisione dictæ pro-
les primi thori semper, à tempore datæ
ejusdem divisionis, steterunt contentæ
absque aliqua querimononia. Nec poterit
apparere, ut in facto supponitur, quòd in
hujus-

hujusmodi divisione dictæ proles minus receperunt, quàm eis debebatur ex successione paterna, & si docere possent, fraudem vel deceptionem in hujusmodi divisione intervenisse, habent remedium juris quod possunt intentare, si volunt: sed dicta confessio matris in præjudicium prolium secundi thori, & in fraudem legis emanata, eis suffragari non potest: nec probat debitum, de quo aliàs non constat per legitimas probationes, *ut volunt jura*
30 *suprà alleg.* Fortificatur † etiam dicta suspicio fraudis ex alio, quia dicta quondam Wiva semel reperta est in simili delicto fraudis, comparendo coram scabinis, & transportando in suum filium primi thori dicta 35. jugera, asserendo mendaciter & inverecundè, quòd illa empta erant cum pecunia dicti filij, cujus contrarium clarissimè apparet per literas scabinales: cùm semel malus semper præsumatur malus, maximè in eodem genere mali, *regula,*
31 *semel malus, de reg. jur. lib. 6.* & quia † ad probandum fraudem seu dolum sufficiunt conjecturæ probabiles, *l. dolum, juncta gl. C. de dolo,* & *cap. 2. juncta glos. de renunc. lib. 6.* satis superque satis probata
32 est fraus dictæ Wivæ, *per suprà dicta.* Nec suffragatur pro † excusatione dictæ Wivæ, si fortè dicatur, quòd ipsa in articulo mortis non præsumebatur immemor suæ salutis, quia *ut dicit Baldus in tractatu de pace Constantiæ, in § vasalli nostri, in fine,* non omnis qui moritur est Iohannes Euangelista, nec creditur morienti in præjudicium tertij quid asserenti, *ut probatur in l. verba testamenti, C. de testam.* & *not. per gl. in cap. literas, de præsumpt.* & *dicam infrà.*

Nec obstat etiam secundum, quia dictæ centum libræ non relinquuntur dictis prolibus primi thori tanquam legatum, sed quasi essent debitæ ex causa præcedenti, de qua non apparet, & sic dicta jura pro contrario allegata, loquentia de legatis, non faciant ad propositum.

Non obstat etiam tertium, quia dico, quòd dicta *l. filiæ cujus,* manifestè corrigitur per dictam keuram, contrarium expressè disponentem, ac generaliter & planè dicentem, quòd omnes res donatæ filijs à suis parentibus debent conferri, si velint succedere, &c. In quo æqualitas placens legi, servatur inter fratres, ut suprà declaravi: certum autem est, quòd
33 jus † municipale derogat juri scripto: & servandum est in loco, quo viget consuetudo vel jus municipale, & non jus scriptum, *l. de quibus, ff. de legibus,* & *l. omnes populi, ff. de justit.* & *jure, cum utrobique notatis per Doctores.* Et dato, licet non
34 concesso, quòd † dicta *l. filiæ cujus,* non corrigeretur, tamen non posset efficaciter & præcisè allegari ad aliquod certum propositum, cùm habeat multas diversas lecturas seu intellectus: quando autem in aliqua lege vel canone sunt plures diversi intellectus, tunc non potest efficaciter & præcisè ad aliquod certum allegari vel adduci, *ut notabiliter dicit Batt. in l. in ambiguo. ff. de rebus dubijs,* & *sequitur Alexan. de Imola, in l. prima in secunda colum. ff. sol. matr.* & *Felinus in cap.*
35 *primo, circa finem. de constitu.* quod † enim multipliciter intelligitur, illius veritas ignoratur, *ut dicit Baldus in l. data opera, in decima columna, C. qui accusa. non possunt,* & *idem Bald. in l. nec quicquam,* & *§. ubi decretum, in princ. ff. de offi. procons.* & *lega.* Et quicquid sit, dictæ centum libræ non petuntur, nec possunt peti vel retineri ut donatæ, sed petuntur tanquam debitæ, de quo debito non apparet, nisi per dictam fraudulentam & simulatam confessionem, quæ non probat, ut suprà deductum est; quare non obstat.

Non obstat etiam quartum, quia ut dixi suprà, quando testator confitetur se debere non capaci, talis confessio nihil operatur, etiam si sit jurata, cùm præsu-

36 matur facta in fraudem legis, & † *Authen. quod obtinet*, pro contrario adducta, nihil aliud probat, quàm quòd standum est confessioni defuncti juratæ, quando solùm agitur de præjudicio hæredum, & non fit fraus legi: sed nos sumus in casu, in quo confessio tendit in præjudicium unius ex hæredibus, & fit fraus legi, quo casu confessio nihil operatur, *d. §. Titia*, etiam si sit jurata, *ut clarissimè volunt Doct. in passibus suprà allegatis.* & tantum de primo.

Quantum autem ad secundum dubium, dico breviter, quòd haberi debeat respectus ad valorem, qui est tempore
37 collationis faciendæ: tempus † autē mortis illius, de cujus hæreditate agitur, inspicitur in collationibus, *ut est textus in dicta l. ea demum, in dicta l. si donatione*, & *in l. nec emancipati, C. de collat.* & de-
38 bet inspici † valor communis, non autem valor singularis hominis, qui sæpè ex affectione procedit, *ut est tex. notabilis in l. precia rerum, ff. ad leg. Falcid.* & *not. per glossam*, & *Doct. cap. cùm causam, de testibus.* Nec obstat, quòd dicta quondam Wiva contrarium voluit, & se retulit ad valorem, qui fuit tempore emptionis per eam factæ, quia, ut suprà deduxi, ipsa non potuit immutare verum valorem, in præjudicium prolium secundi thori, quia hoc faciendo videretur donare fi-
38 lijs primi thori residuum, quia † remittere est dare, *l. si mulier, ff. de condict. ob caus.* & *cap. veniens, 1. de testibus, cum si*, sed donare non potest, quin locum habeat collatio, *ut clarissimè habetur in dicta keura, seu nova provisione*, ergo, &c. Et quia iste articulus nullam difficultatem habet, supervacuum duxi circa eum plus insistere, ne videar solem facibus adjuvare velle, quod ridiculosum esse nemo ambigit, *cap. si omnia, 6. quæst. 1.* & *l. 1. in fin. ff. de dote prælega.*

CONSILIUM CLXXIV.

SUMMARIA.

1 *Actio merè personalis, non respectiva ad rem, non sequitur fundum, nec contra singularem successorem datur, & num. 6.*

2 *Actio personalis contra possessorem bonorum, pro certa annua præstatione obligatorum, competit, pro tempore quo possedit & fructus percepit.*

3 *Successor singularis fructus obligatos percipiens, ex quasi contractu tenetur.*

4 *Fructus rei percipiens, onus reale persolvere tenetur.*

5 *Res transit cum suo onere, in præjudicium etiam singularis successoris.*

7 *Actio personalis in rem scripta contra singularem successorem datur, & num. 8.*

9 *Debitor quantitatis vel generis interitu rei non liberatur. Fallit ut num. 10.*

11 *Speciei debitor ejusdem interitu sine sua culpa facto liberatur.*

Casus est talis, P. Canonicus præbendatus collegiatæ ecclesiæ sancti N. plenus in perceptione fructuum, utpute qui in festo nativitatis Christi integros absentib. dari solitos percepisset fructus, resignavit suos canonicatum & præbendam, tertio calendas Octobris, ad manus Reverendissimi Domini Cardinalis S. Crucis legati, ex causa permutationis cum B. initæ, qui Cardinalis resignatione hujus-

hujuſmodi admiſſa providit B. de canoni-
catu & præbenda, & P. de beneficio, quòd
ipſe B. obtinebat, & ob fructuum inæ-
qualitatem aſsignavit dicto P. penſionem
annuam viginti quatuor florenorum Rhe-
nenſium, currentium ſuper fructibus
dictorum canonicatus & præbendæ, per
ipſum B. & ſucceſſores ſingulis annis in
nativitate Chriſti & ſancti Iohannis pro
medietate ſolvendam ipſi P. qui literas
& proceſſus ſolitos deſuper expediri &
fulminari, dictoque B. tanquam princi-
pali ac Decano & Capitulo dictæ eccle-
ſiæ, qui ex ſtatuto ſeu conſuetudine fru-
ctus hujuſmodi per annum ſeu amplius
percipient, inſinuari fecit. Cùm igitur
penſio ſuper fructibus canonicatus, &
præbenda, aſsignata ſit, & reſignatio
hujuſmodi cedat in commodum Decani
& Capituli: præſuppoſito, quòd cano-
nicatus & præbenda ejuſdem penſionibus
gravari poſsint: Quæritur, an decanus
& Capitulum ad ſolutionem hujuſmodi
penſionis, quamdiu fructus percipiunt,
teneantur, an ne?
1 Et videtur quod non, quia actio † per-
ſonalis non ſequitur fundum, nec datur
contra ſingularem ſucceſſorem, *l. 1. § ſi
hæres percepto. ff. ad Treb. l. fi. §. fi. ff. de
contr. emp.* & *l. fideicommiſſum. §. tracta-
tum. ff. de judic.* quod eſt verum, etiam ſi
fructus per ſingularem ſucceſſorem ap-
prehenſi, ſint alicui obligati vel hypo-
thecati: *ita dicit Bart. in l. 2. ff. de alimen.*
& *cibar. legat.* & *Ludov. de Roma in con-
ſil.* 388. In contrarium tamen videtur
mihi ſubſcripto, quòd eſt veritas præſup-
poſito pro certò, quòd dicti fructus ſint
obligati & hypothecati pro penſione an-
2 nuatim ſolvenda; quia ubicunque † bona
aliqua ſunt obligata pro certa annua præ-
ſtatione, actio perſonalis competit con-
tra poſſeſſorem, pro tempore quo poſ-
ſedit & defructuavit: *ita expreſſè vult
Paulus de Caſtro in leg. Imperatores, in
princip. ff. de publica.* & *ſentiunt apertius
Hoſtienſis, Iohannes, Andreas, Panorm. in
cap. parochianos, de decimis,* & *idem Pa-
nor. in c. paſtoralis,* & *in c homines, in fi-
ne, eodem tit.* & *Fede. de Senis in conſi-*
3 *lio* 81. Et † oritur hæc actio ex quaſi
contractu, *ſecundum Hoſtien. Ioan. And.*
& *Panor. in d. c. parochianos*: Sicut enim
hæres obligatur creditoribus ex quaſi cō-
tractu, adeundo hæreditatem alicujus ob-
ligati, licet cum eis non contraxerit, *l. 3.
in fin. cum l. ſequ. ff. ex quib. cauſ. in poſſ.
eatur.* ita etiam ille obligatur ex quaſi
contractu, qui defructuavit rem alteri
obligatam, vel qui fructus obligatos per-
cepit, licet ſit ſingularis ſucceſſor: qui
4 † enim percipit fructus, debet ſolvere o-
nus reale, *l. neque ſtipendium. ff. de impen-*
5 *ſis in re dota. fact.* res † enim tranſit cum
onere ſuo, *l. ſi debito. Cod. de diſtractio.
pignor. cum ſim.* etiam in præjudicium
ſucceſſoris ſingularis, *per prædicta.* & *ita
etiam vult deciſio parlamenti Delphina-
tus* 470. & *ita interpretata eſt conſuetu-
do in omnibus curijs ſpiritualibus, à tem-
pore memoriam hominum excedente, quę
eſt optima legum* & *canonum interpres,
l. ſi interpretatione. ff. de legib.* & *cap.
cum dilectus de conſuet.* Nec obſtant ea,
quæ ſuprà in contrarium ſunt adducta,
quia reſpondetur breviter, quòd illa pro-
6 cedunt, quando † actio eſt merè perſo-
nalis, non reſpectiva ad rem, ut in actio-
ne ex vendito, certi condictione compe-
tente pro mutuo, & in ſimilibus: tunc
enim actio perſonalis non competit con-
tra ſingularem ſucceſſorem emptoris,
vel mutuum recipientis: ſecus autem
eſt, quando actio non eſt merè perſonalis,
ſed reſpectiva ad rem, tunc enim benè
ſequitur fundum: *ita dicit Iaſon in l. 1. in
22 columna, C. de jure emphyt.* & hinc
7 eſt, quòd actio † perſonalis in rem ſcripta,
ſicut eſt actio noxalis, ad exhibendum,
quòd metus cauſa, & ſimiles, dantur

contra singularem successorem, *ut est tex. in l. metum §. fina. ff. quod metus causa*, & *in l. si cum exceptione. §. aliquando*, & *l. si ipsa, eod. tit. cum sim.* & maximè hoc procedit, quando res est obligata seu hypo-
8 thecata: ubicunque † enim res affecta, actio personalis datur contra singularem successorem, *ut vult notabiliter Bal. in l. secunda, in 13. q. C. de rescind. vendi.* & *Alex. in d. l. 1. §. si hæres percepto*, & *Alberi.* & *Iason in Rubrica, ff. si certum petatur*, quicquid dixerint *Bart.* & *Ludov. in passibus suprà allegatis, qui in hoc reprehenduntur per alios Doctores, in passibus suprà commemoratis*, & *benè*: imò credo, licet de hoc non moveatur modò quęstio, quòd dictus B. pro tempore, quo non percipit fructus, non posset conveniri per dictũ P. sed solùm perceptores fructuum: & ratio quæ movet, est, quia licet dictus B. sit personaliter obligatus, tamen quia hujusmodi obligatio personalis, est respectiva ad rem, puta fructus præbendæ, eo non percipiente fructus, non poterit con-
9 veniri, quia licet † debitor quãtitatis interitu rei non liberetur regulariter, quia debitum in genere vel quantitate perire non potest, *l. incendium, C. si certum petatur.* & *l. in ratione. §. diligenter. ff. ad legẽ Falc.*
10 tamen † hoc fallit, quando est debitum quantitatis, respectu certæ speciei, puta respectu fructuum, ut in casu nostro: vel respectu emphyteotico vel conductę, quo casu debitor quantitatis vel generis liberatur interitu speciei sine sua culpa, *leg. si ex legati causa, cum l. sequ.* & *ibi Angelus* & *Dd. novissimi. ff. de verb. oblig.* & *vult Alex. de Imola, in dicta leg. in ratione. §. diligenter*, & *Panorm. in cap. nisi essent viri providi, in penultima columna, de præbendis*, & *Doctores moderni in l. quod te. ff. si certum petatur*, & *probatur in l. Titiæ textores §. finali. ff. de leg. primo*, & *in l. quidam testamento. § si tibi. ff. eod. tit.* & *in leg. electio, §. secunda. ff. de noxal. actio.* & *in l. nave Saphei, ff. de loca.* sed quia de hoc modò non est quæstio, amplius me non extendo.

CONSILIUM CLXXV.

SUMMARIA.

1 *Fructus bona fide percepti & consumpti an debeant restitui. & num. 11.*

2 *Petitorium contra possessorem utiliter intentatur.*

3 *Possessor malæ fidei fructus perceptos restituere tenetur.*

4 *Petitorium absorbet possessorium.*

5 *Sententia contra possidentem lata quid operetur.*

6 *Renunciare juri sibi competenti nemo præsumitur.*

7 *Agens petitorio non videtur renunciare possessorio.*

8 *Possessionem animo habere & civiliter retinere possumus.*

9 *Petitorium etiam contra detentatorem intentari potest.*

10 *Exceptio non canonicæ institutionis obstat spoliato, ad constitutionem beneficiorum agenti.*

12 *Post litem contestatam possessor constituitur in mala fide, nec fructus suos facere potest: multo magis post sententiam in petitorio latam.*

13 *Lite contestata omnes possessores sunt pares.*

14 *Injusta possessio jus vel actionem non tribuit.*

15 *Sententia lata in petitorio quibus obsit.*

16 Pe-

16 *Petitorium excedit possessorium in executione: possessorium verò petitorium in cognitione.*

17 *Agenti interdicto recuperandæ obstat exceptio, defectus dominij notoria: eadem obstat in interdicto retinendæ poss.*

SEcundum casum, per Dominum consultorem aut advocatum succinctè positum, ex quo prima actrix manutenentiam super possessorio, per eam prætenso, secundum naturam interdicti uti possidetis, impetravit, contra ream, similiter se possidere, fructus quoque aliquos ex eadem re bono jure pluribus annis recepisse contendentem, quæ tamen rea cum melius se in petitorio secundum naturam dictæ rei contentiosæ, quæ feudalis erat, fundatam sentiret, ut expensis atque vexationibus inutilibus parceret, in possessorio nudo contra actricem, coram non judice, super quæstione feudi contendere noluit: sed possessioni, reservata sibi actione petitorij, renunciavit: in qua dicta actrix, mediante eadem renunciatione atque confessione, manutenta stylo curiæ fuit: Prætextu cujus reservationis, dicta rea petitorium coram paribus curiæ intentavit, atque in eo obtinuit, per quod possessio præfatæ primæ actricis invalida seu injusta declarata est, cum rem restituere, seque ab illius possessione & usu abstinere, cum causæ cognitione jussa fuit:
1 & quamvis † dictum petitorium traxerit ad se omnem effectum dicti possessorij, præter fructus bona fide percepros atque consumptos, *secundum ea quæ in habentur in l. qui petitorio, & in l. ex diverso, & l. fructus, ff. de rei vend. & ibi per glossam, Bart. & Dd. de quo inferius repetetur:* eadem actrix quæ, ut rea, in principali judicio judicialiter cum plenaria causæ cognitione succubuit per modum executivum, aut aliter prætextu dictæ confessionis, aut renunciationis possessorij, ad finem intentādi petitorium, ut suprà factæ, quòd
2 † proculdubio contra possessorem competit, *d. l. qui petitorio, cum sim.* petere nititur à dicta domina rei saltem utilis, omnes fructus per eam perceptos, his proximis novem aut decem annis præteritis. Quæritur, quid juris? Et licet dicta petitio posset quovismodo colorari ex eo,
3 quia † ante cognitionem petitorij seu juris dominij dictæ Dominæ, videbatur adversariam, rem illam possidentem, atque postea confessione dictæ Dominæ manutentam in sua possessione turbasse, ratione cujus possessorium retinendæ turbata impetravit, atque in eo obtinuit, ut suprà; ergo fructus per eandem vitiosè receptos, tanquam mala fide, restituere tenetur, cùm saltem ante decisionem petitorij, aut ante litem in eo contestatam, ipsa possessor fuit in bona fide, *l. justè possidet, qui autore prætore possidet. ff. de acq. poss.* & alia in mala fide, turbando illam in fructuum receptione, *l. 1. C. uti possid. & l. 1. & l. si duo. §. primo, ff. eo. tit. & Instit. de interdict. §. retinendę, & per nota. per Innoc. & alios in c. licet causam de probat. cum sim.* tamen hoc & similibus non obstantibus, dicēdum videtur, dictam actricem in possessorio & ream in petitorio, ut suprà nullam actionem ad dictos fructus petitos habere, quod pluribus probatur rationibus. Primò, quia, ut suprà tangitur,
4 petitorium † absorbet possessorium, *ut habetur in c. pastoralis, & in c. cum dilectus, de causa poss. & prop.* quia magis di-
5 gnum, &c. Secundò † possessorium, in quo actrix fuit vi confessionis partis adversæ manutenta, non erat justo titulo fundatū, ut postea per sententiam in petitorio cōtra eam latam compertum est, per quam effectus ejusdem possessionis contra victricem dominam sublatus aut absorptus, seu elisus est, *per not. in dicto cap. cum*

dilectus, *poſt gloſſam*: quia ſententia lata
contra poſſidentem, poſſeſſio ſequitur
dominum, tanquam juſtum poſſeſſorem,
l. bona fides ff. depo. & *dicta l. ſi duo, cum
ſim.* Tertiò probatur idem ex vi confeſ-
ſionis poſſeſſionis, tunc actricis factæ per
dictam adverſariam, tunc opponentem in
6 poſſeſſorio: quia per † expreſſam reſer-
vationem juris atque petitorij non re-
nunciavit, neque renunciaſſe cenſeri po-
tuit, niſi liti motæ & oppoſitioni per eam
factæ, *per ea quę habentur in leg. poſt-
quam liti.* & *ibi per Baldum* & *Dd. C. de
pac.* retinendo ſcilicet jus, & in petitorio,
& in poſſeſſorio, ſaltem animo & ſic ci-
viliter, quod habere potuit: quia nemo in
dubio, principaliter ſi certat de damno vi-
tando, videtur jactare ſuum, aut juri quod
ſibi pertinere poteſt, ſalva poſſeſſione aut
detentione partis, in cujus odium fit talis
confeſſio, renunciare. *l. cum indebito, ff.
7 de probat.* & *de † hoc, quia ſubtile habe-
tur poſt Bartolum in l. naturaliter. §. ni-
hil commune, ff. de acquir. poſſeſſ. ubi Bar.
poſt gloſſam contendit*: An quis agens pe-
titorio, videatur renunciare poſſeſſorio,
propter contrarietatem? & quamvis *Bar-
tholus ibi* tranſeat *cum gloſſa*, ut renun-
ciare videatur, tamen *per Imol.* & *alios
ibidem* reprehenditur: ſed illi non inſi-
ſtendo, ſufficiat caſui præſenti, quòd per
illam confeſſionem, abdicationem ſolùm
oppoſitionis per eam prius factæ, fecit, ut
patet per illa verba in ſententia manute-
nentiæ pro ſe lata, quibus dicitur, **Dat
ſy der voirſczeven materien poſſeſ-
ſorien / ende van maintenue / ende
der oppoſitien by hem daer teghens
ghedaen, affghinck / behoudelijck / &c.**
hoc eſt: *Quod præſcriptæ materiæ poſ-
ſeſſoriæ & manutenentiæ, oppoſitionique
illi viciſſim factæ renunciarit, retento;* &c.
per quæ verba, ipſa non cenſetur renun-
8 ciaſſe juri etiam poſſeſſorij, quod † animo
habuit, & retinere civiliter potuit, *ſe-
cundum ea quæ habentur in leg. clam poſ-
ſidere. §. qui ad nundinas, ff. de acq. poſſeſ.*
& *in l. quod meo. §. ſi furioſo*, & *leg. ſi
me in vacuam, ibi, quia animo deponere &
mutare poſſeſſionem nos poſſe, Celſus &
Marcellus ſcribunt, eod. tit.* & hoc ea
9 ratione, quia petitorio † agere poteſt
contra detentatorem, *ut in l. officium,
ff. de rei vendic.* atque ille qui verè ſcit
ſe poſſidere, modò conventus fateatur
ſe poſſidere, aut detentare rem conten-
tioſam, *per ea quę habentur in l. 3. §.
in amittenda*, & *in leg. ſi quis ante, ff.
de acqu. poſſ.* Cùm ergo dicta domina
tunc rea ſolùm receſſerit à lite, & oppo-
ſitione ſuper manutenentia facta, vo-
lens contendere in principali atque peti-
torio, ut ſuprà, ſequitur ipſam retinuiſ-
ſe omne jus, quod in poſſeſſorio juris
atque in animo civiliter prius habuit,
cui neque expreſsè, neque tacitè in e-
jus præjudicium renunciavit, *per ſupe-
rius allegata*, & *ea quę habentur in dicta
l. poſtquam liti*, & *etiam ex infrà dicendis
patebit.*

Quartò ad idem facit, quia ſumus in
materia beneficiali ſeu feudali, in qua non
admittitur poſſeſſio regulariter ſine ti-
tulo: cùm ergo poſſeſſio præfatæ actri-
cis in poſſeſſorio non fuit debitè atque
ritè titulata, ſed in illo ſuccubuit, igi-
10 tur, &c. Nam ſicut † in beneficialibus,
contra ſpoliatum agentem ad reſtitutio-
nem, obſtat exceptio non canonicæ inſti-
tutionis, *ut vult Ioan. Andreæ in Ad-
dit. ſpeculi ſuper Rubrica, de reſtit. ſpo-
liator. poſt Archidiaconum per eum rela-
tum*, & *in capit. literis, eod. tit.* qui ſpo-
liatus tamen privilegiatus eſt: ergo for-
tius in caſu noſtro obſtat exceptio do-
minij & canonicæ inveſtituræ, quæ dat
juſtam poſſeſſionem, *ut in cap. primo,
quid ſit inveſtitura, in uſibus feudorum.*
11 Quintò, quia licet † poſſeſſor bonæ fidei
fructus ſuos faciat, *ut in l. ex diverſo*, & *i-
bi per*

bi per gloſ. Bart. & *Dd. ff. de rei vend.*
& *in leg. fructus, eod. tit. cum multis ſi-*
12 *mil.* Tamen quia † poſt litem conteſta-
tam in petitorio effectus eſt malæfidei,
conſtat ab illo tempore ream in peti-
torio fructus ſuos facere non potuiſſe,
per regulam traditam: quinimo & poſt
ſententiam latam in petitorio contra
ream poſſeſſorem, jus ſui poſſeſſorij at-
que fructuum videtur amiſiſſe, niſi an-
tea per eam bona fide perceptos aut con-
ſumptos, *ſecundum Doct. reſolutionem*
13 *ibi ſupra,* & *etiam* † *habetur per Bal-
dum in leg. 1. C. de uſur.* & *fruct. legator,*
ubi dicit omnes poſſeſſores, quantum
ad fructuum reſtitutionem, eſſe pares
poſt litem conteſtatam, quia reſtitue-
re tenentur, etiam ſi ſint conſumpti, *per
leg. quæſitum. ff. de acq. rer. dom. ibi,*
hæres qui cum legatum eſſe ſciat, pro-
culdubio fructus eos ſuos non facit:
quod dicit intelligendum de fructibus,
etiam ante litem conteſtatam perceptis,
quia de perceptis poſt litem conteſta-
tam, omnes poſſeſſores ſunt pares *al-
lega. ff. de de petit. hæredit. illud,* & *l.
ſed ſi lege. §. ſi ante litem,* & *C. de
fructibus* & *lite expen. leg. ſecunda: be-
nè etiam facit, l. domum,* & *leg. cer-
tum, Cod. de rei vend. cum multis ſim.*
& *idem vult Paulus de Caſtro in dicta l.*
14 *illud.* In noſtro autem caſu per † decla-
rationem dicti dominij in petitorio fa-
ctam, rea ſcit ſe injuſtè contra Do-
minam declaratam poſſediſſe: igitur con-
tra eam nullum ratione ſuæ prætenſæ
poſſeſſionis poteſt habere jus neque a-
ctionem, *pro quo eſt bonus textus in leg.
pen.* & *fina. ff. de publicia.* & *in hanc
ſententiam tanquam veriſſimam conve-
niunt communiter omnes Dd. Speculator
in tit. de petitor.* & *poſſeſſo.* & *ſpo.* &
*primo verſiculo, quid ſi pro uno lata eſt
ſententia in petitorio,* & *pro alio in poſ-
ſeſſorio,* & *cætera,* ubi dicit, quòd non
poteſt petere, ſententiam pro ſe in poſ-
ſeſſorio latam, executioni mandari, *per
Regulam, dolo facis,* & *cętera.* & *ibi per
Ioh. Andreæ in Addit. ad Speculat. re-
ſtringentem poſt dictum Speculator.* in
poſſeſſorio adipiſcendæ & retinendæ, &
15 ſententia † lata in petitorio illis ſenten-
tijs in poſſeſſorijs obſit: ſecus in recu-
perandæ, *ut latius ſcripſit in dicto capit.
Paſtoralis, de cauſa poſſeſſionis* & *pro-
prietatis, poſt gloſſam ibi, ſubdens in ead.
addit.* nocebit ergo ſibi ſententia ſuper
proprietate contra eam lata, quoad poſ-
ſeſſorium omne ſibi competens ante ſen-
tentiam, ſecus ſi poſt: & *ſic refert ſe ad
latius ſcripta per eum in dicto cap. cum*
16 *dilectus, in gloſſa ultima. Item* † *in ef-
fectu ſequitur Dominus Franciſcus de Za-
barellis in d. c. paſtoralis,* & *in d. cap. cum
dilectus,* dicens quòd petitorium exce-
dit poſſeſſorium in executione, ſed poſ-
ſeſſorium excedit petitorium in cogni-
tione, quia eſt prædiſcutiendum, *ut l.
incerti, C. de interdict.* & *l. ordinarij,
C. de rei vendic.* & *habetur in d. cap. in
literis, de reſtitut. ſpolia. cum ſim.* & *vult
Cynus in d. l. incerti,* & *Iohannes Andr.
in d. cap. paſtoralis, in novella,* & *ibi
etiam Iohan. de Imola,* & *Panorm. in
præalleg. c. cum dilectus,* & *gloſſ. Bart.*
& *Dd. dicta l. naturaliter. §. nihil com-
mune, ff. de acq. poſſeſ.* aliter dicen-
do eſſet nutrire peccatum, contra *c. li-
teras, de reſtit. ſpol.* ſi obtinens in poſ-
ſeſſorio, dico retinendæ aut adipiſcendæ,
ut ſuprà, poſtquam ſuccubuit in petito-
rio, ſuper eadem re contra eum ut poſſeſ-
ſorem intentato, poſſit petere fructus, à
domino vero, conſequente declarationem
dominij, ſine vi aut vicio per eum per-
ceptos, *ut notant Dd. in paſſibus ſuprà*
17 *alleg.* Præterea in † interdicto recu-
perandæ obſtat agenti exceptio defectus
domi-

dominij notoria, contra Dominum declaratum per sententiam, quæ facit notorium, *ut voluit Innoc. in c. constitutus*, *de filijs presbyt.* & *dicto c. in literis*, & *in c. cum ecclesia Sutrina*, *de causa possess.* & *proprie.* & *vult Imol. in dicto c. pastoralis*, & *in d.* §. *nihil commune*, & *benè facit quod habetur in regula*, *peccatum*, *in 6.* multo fortius ergo obstabit in interdicto retinendæ. per quæ facilè responderi potest ad contraria, quæ debilia sunt: quoniam, ut suprà tactum est, dicta supplicans præfatos fructus recipiendo non turbavit dictam ream, sed suo jure utens illos prætextu suæ justæ possessionis recepit, licet in possessorio contendere noluerit, ut suprà deductum est in tertia ratione. quæ sub correctione melius informati de jure, puto dicenda, salvo semper judicio saniori.

CONSILIUM CLXXVII.

SVMMARIA.

1 *Procuratorem constituere, nisi Dominus non potest.*

2 *Procurator est, qui aliena negocia mandato domini administrat.*

3 *Prælati ecclesiarum qualiter constituere debeant.*

4 *Consors litis ante litem contestatam, ad agendum pro se vel alio, sine cautione de rato non admittitur.*

5 *Tutores ante litem contest. alios procuratores constituere nequeunt.*

6 *Nemo sine actione experitur.*

7 *Non esse vel non ex actis adparere, paria sunt.*

8 *Dolo quis petere censetur, quod restituere tenetur.*

9 *Fides in pactis vel conventionibus interposita, juramenti loco habetur.*

10 *Transactio inter fratres, per plures notabiles personas facta, plurimùm favoris meretur.*

11 *Scriptura qualibet à patre facta effectum testamenti inter liberos sortitur, fidemque facit.*

12 *Obligatio matris passiva transit ad ejus hæredes.*

13 *In contractibus nullum omnino verbum vel syllaba etiam, sine effectu vel virtute, aliquid operandi, esse debent.*

14 *Legibus privatam utilitatem concernentibus, pactis derogari potest.*

15 *Argumentum à contrario sensu non habet locum, nisi retentis eisdem terminis.*

16 *Exceptio confirmat regulam in casibus non exceptis.*

17 *Expressum facit silere tacitum.*

Venerabilis Domine Officialis, ad finem, ut evidenter constet V. D. quòd Iohanni van der Haghen, Iohanni van Yerghem, & Godefrido Houtappels, prætensis actoribus, conclusio per eos capta, contra Iacobum Robyns & suos litisconsortes reos, adjudicari non possit de jure, sed quòd ipsi rei debeant à propositis eorum absolvi, cum expēsarum comdemnatione, placeat attendere ad infrà scripta.
1 Primò, quòd † dictus Iohannes van der Haghen & Godefridus Houtappels dicuntur agere ad causam suarum uxorum, & tamen ipse Godefridus constituit ante litem contestatā, quod de jure non potest, nec

nec debet, *ut vult Cynus in l. exigendi, C. de procurator. in 2. quæst.* & *Bald. in Rubrica, extra, de procur. in 3. col. in verſ. verum ſit differentia* & *c. per tex.* & *gl. in l. 1. C. de bo. ma.* cum ille qui conſtituit, dominus illius rei ſuper qua conſtituit eſſe debeat, *l. 1. ff. de procur. in prin. ibi dum*
2 *dicit*, procurator † eſt qui negocia aliena mandato domini adminiſtrat; & ita conſtat, ipſum abſque actione & nulliter egiſſe. Item placeat attẽdere, quod in procuratorio dicitur, quòd præfati Iohannes van Yetghem & Godefridus Houtappels conſtituerunt pro ſe ipſis ſine pluri, ex quo mariti etiam poſt litem conteſtatam ca-
3 vere debent in hoc caſu vel ſimili, quia † etiam prælati, qui plus juris habent in rebus prælaturæ, quàm conjuncta perſona in rebus conjunctæ, benè faciant, ſi conſtituant nomine ſuo & eccleſiæ, & ſuo nomine, pro jure quod habent in bonis eccleſiæ, *ut vult Bart. in dicta l. prima, in verſic. 4. ad idem oppono*: Item dicitur, quòd comprehendunt Iohannem van der Haghen, & tamen ille præfato Godefrido nullo modo eſt conjunctus: Et poſi-
4 to, † quòd eſſet conſors ejuſdem litis, tamen ante litem conteſtatam, pro eo agere non potuerunt, *ut vult expreſsè Panorm. in c. cum M. Ferrarienſis, de conſtit.* & *Spec. in tit. de conjuncta perſona, verſic. item conſors ejuſdem litis*, & *eſt textus in l. 2. C. de conſor. ejuſdem litis*, neque etiam admittuntur ad agendum, niſi cautionem de rato obtulerint, *l. Pomponius. §. fina.* & *ibi gloſſa* & *Doct. ff. de procur.* Præterea in eodem procuratorio dicitur, quòd conſtituerunt tutorio nomine Iohannæ Velains, & tamen nuſquam conſtat eos eſſe tutores: imò in proceſſu nominantur tutores Iohannes van Yeteghem & Iohannes van der Haghen, & non Godefridus Houtappels, licet etiam de ipſorum tutela non conſtet;
5 Et poſito, quòd conſtaret, tamen † nec in illa qualitate ante litem conteſtatam conſtituere potuerunt, *l. neque tutores, C. de procurat.* & ita conſtat, ipſos aut prætenſum eorum procuratorem, nullam actionem habuiſſe aut habere, & ita obtinere in præſenti cauſa non poſſe,
6 cum ſine † actione nemo experiatur, *l. ſi pupilli. §. videamus. ff. de nego. geſt.* & *l. quotiens. §. item ſi temporali*, & *leg. tutores qui, in principio. ff. de admin. tutor.* & *l. ſi quid §. illud, ff. de petit. hæred.* Et poſito, quòd ipſi poſt litem conteſtatam conſtituiſſent, prout non, tamen etiam nullo modo conſtat, ipſos etiam ad cauſam ſuarum uxorum aut pupillæ actionem
7 aliquam habere; quia licet † articulaverint ſe hæredes Petri van den Eynde & Mariæ Robyns: tamen hoc eſt negatum, & nullo modo probatum, & ita cenſetur tanquam non allegatum, quia de eo non conſtat: cùm de his quæ non ſunt, & non apparent, idem ſit judicium, *l. in lege. ff. de contrah. emp.* & *l. duo ſunt Titij. ff. de teſtamenta. tute.* & ſic eis non competit actio. Item placeat etiam attendere, quòd quanquam conſtaret, actores eſſe hæredes Petri van Yeteghem & Mariæ Robyns, & quòd ritè inſtituiſſent judicium, prout non, ipſis tamen nulla competit efficax actio, quod deducitur
8 hoc medio; quia dolo † quis petit id quod reſtituere tenetur, *c. dolo de re jud. lib. 6. cum ſim.* ſed dicta quondam Maria fuit obligata ad reſtituendum, reportandum, importandum, ſeu conferendum in domum mortuariam, quicquid ei per tractatum antenuptialem fuerat per ſuos parentes addictum, ſicut patet ex literis & munimentis in actis exhibitis; ergo, &c.

Reſtat nunc reſpondere ad quædam frivola & ſophiſtica, pro parte agentium in eorum ſcripturis, folio 94. & ſequentibus copiatis objecta, quibus ſolutis patebit nitida & clara veritas. Et primò

Mmmm non

non obstat cùm dicitur, quòd documenta sive munimenta exhibita, dicuntur duntaxat loqui de quadam sententia arbitrali, inter Waltherum Robyns & Mariam Jan Jacobs Dochter ex una, & domicellam Catharinam Robyns ipsorum filiam relictam quondam Iohannis van den Eynde lata: & sic non potest obesse dictæ Mariæ vel actoribus, cum res inter alios acta, &c. Quia dicitur, quòd licet illa sententia arbitralis principaliter fuit lata duntaxat inter illas partes, ubi suprà nominatas, tamen ne domicella Catharina Robyns, & ejus proles nimium dispendium paterentur, non solùm inter præfatas partes, verùm etiam inter dictam Mariam Robyns, & alias proles dictorum quondam Walteri & Mariæ, fuit tractatum, conventum, & conclusum, prout in scriptura reorum continetur, videlicet unaquæque earum, excepto Paulo, teneretur & deberet importare ac conferre, quicquid ei per tractatum antenuptialem
9 datum fuit vel addictum, † quos quidem tractatum, conventionem, seu conclusionem, non solùm dicti submittentes, sed etiam omnes proles ibidem tunc præsentes, tam ante prolationem dictæ sententię arbitralis, quam post prolationem ejusdem, de ea certioratę, fide media observare, & intertenere promiserunt, quæ fides loco juramenti habetur, *c. ad aures, quod metus causa, cum sim.* Ex quo etiam patet solutio ad illud, quod dicitur per actores, in scriptura reorum non fieri mentionem de arbitrali sententia, quia propriè loquendo, quoad alias proles non fuit sen-
10 tentia arbitralis, sed quidam † tractatus, conventio & conclusio ad fines prædictos, coram legislatoribus, ipsis partibus & pluribus notabilibus personis præsentibus passata, auctorisata, & facta, ratione æqualitatis & perpetuæ amicitiæ inter fratres & sorores servandę, quæ conventio plurimum favoris meretur, & à jure commendatur, *l. cum patet. § evictis, ff. de lega. 2. cum infinitis sim.*

Non obstat etiam ubi dicitur, quòd literæ incipientes, Wy Jan/ꝛc. sunt scripturæ privatæ, & nullius testimonio fulcitæ. Quia respondēdo dicitur primò, quòd sunt fulcitæ testimonio sigillorū scabinorum oppidi Mechliniensis. Secundò, quòd
11 ex † quacunque epistola parentis, sive aliæ scripturę quibuscunque verbis vel indicijs quomodocunque inveniantur relictæ, effectum sortiuntur inter liberos, *l. fi. C. famil. hercisc.* & *l. hac consultissima. § ex imperfecto, C de testa.*

Nec etiam obstat ubi dicitur, quòd non constat de submissione, & si constaret de aliqua submissione, tamen saltem non cōstat de submissione aliarum prolium, & præcipuè Mariæ Robyns. Quia respondetur per interemptionem, negando quòd non constat, imò constat per abbatis Sancti Michaelis & aliorum arbitrorum literas, eorum sigillo & signeto sigillatas, & signatas, in quibus literis etiam expressè dicta Maria promisit, fide media, servare eorum laudum. Secundò, quia post prolationem dicti laudi præfata Maria & suus maritus comparuerunt coram magistro communitatis, scabinis, & consulibus dicti oppidi Mechliniensis, & promiserunt fide media, ut prius dictum est, servare laudum prætactum, & singula contenta ejusdem, & illi nunquam contravenire, neque verbo neque facto, per se, neque per alium quemcunque: & licet quoad dictam Mariam non intervenisset submissio, tamen fuit quædam dispositio parentum inter liberos, quæ omnino servari debet, *per suprà dicta.*

Item non obstat dum dicitur, quòd promissio facta per Mariam Robyns non comprehendit ipsius hæredes, quia personalis est, & posito quòd pro se & hæredibus promissio facta esset, tamen non comprehenderet proles, quæ in dictos arbitros

bitros se nunquam submiserunt. Quia respondetur similiter per interemptionem, quia proles dictæ Mariæ, tam majorennes, quàm minorennes cum eorum tutoribus præsentes interfuerunt, & omnia præmissa, quemadmodum Maria eorum mater, servare promiserunt, ut patet ex tenore literarum in actis exhibitarum. Item dato, quòd non interfuis-
12 sent, tamen sine † dubio obligatio matris passiva transivit ad hæredes suos, *l. prima, C. ut ac. ab hære.* & *contra hære.* & *leg. cum à matre, C. de rei vendica.* præterea si in veritate pactum non transiret ad hæredes, ut vult advocatus actorum, tunc verum esset dicere, dictis prætensis actoribus actionem non competere, cum eis nihil unquam addictum fuit in contractu antenuptiali, & fortius in casu præsenti, in quo soluto matrimonio dos redit ex pacto.

Nec etiam obstat aliud quo dicitur, quòd si quovismodo conventio matris posset præjudicare, tamen solummodo præjudicaret quoad hoc, quòd inter præfatos Walterum & Mariam ex una, & dictam Catharinam laudatum & dictum fuit. Quia respondetur ut prius: nam ver-
13 ba † debent aliquid operari, maximè ubi tam solenniter ad actum perventum est, *argum. not. per Bart.* & *Doctores, in l. 1. C. de præ. curia. lib.* 10. In contractibus enim nulla verba debent esse superflua, & sine virtute aliquid operandi, imò nec syllaba vel verbum, *secundum Bal. in rub. C. de contrah. emp. in 9. q.*

Nec etiam obstat, cùm dicitur, quòd ipsi agentes, non obstante præfato tractatu, possent manere extra domum mortuariam, & agere ex suo tractatu antenuptiali, attento quòd beneficium, quod prætor filijs & liberis, volentibus se abstinere ab hæreditate parentum pollicetur, non est agentibus illo uti volentibus denegandum. Quia respondetur, quòd hoc
14 esset verum, nisi † pactum, conventio, & dispositio fide media vallatæ obstarent, ut suprà dictum est, quibus non est dubium legibus privatam utilitatem concernentibus, ut in casu præsenti, derogari, *l. si quis in conscribendo, cum ibi nota. per gl.* & *Doctores, C. de pactis, cum sim.* Similiter non obstat aliud motivum advocati
15 agentis, cùm dicit, quòd † argumentum à contrario sensu non habet locum, nisi retentis eisdem terminis, & ideo non sequitur; Paulus non tenetur importare, ergo alij debent importare: & quod duntaxat sequitur, Paulus non tenetur importare: ergo potest venire ad divisionem absque importatione, alias contingeret tractatum illum claudicare, cum in eodem habeatur, quòd Catharina importãdo ad divisionem 8. florenos Rhenenses cum alijs admitti debebit æquali divisione; igitur si non importaverit, poterit manere extra domum mortuariam, & si ipsa posset manere extra, & non aliæ, sequitur, quòd tractatus sive laudum claudicaret. Quia respondetur, sicut prius dictum est, quod ipsa Maria & suæ proles expressè promiserunt importare & conferre, quicquid eis per tractatum antenuptialem datum fuit vel addictum, & ad hoc faciendum se obligarunt, ut patet ex literis in actis exhibitis, & non solùm ipsa Maria, sed etiam ipsa Catharina & omnes aliæ
16 proles, excepto Paulo, quæ exceptio † fortificat regulam, *l. quæsitum. §. denique. ff. de fundo instruc.* & *l. nam quod liquidè. §. fin de pen. lega. cum sim.* & sic cessat claudicatio, & argumentum à contrario sen-
17 su, de quibus in argumento, cùm † expressum faciat silere tacitum: quia omne tacitum est ex conjectura, in incertis autẽ non in certis locus est conjecturis, *l. continuus. §. cum ita. ff. de verb. oblig. cum sim.* Nec obstat si dicatur, quod præfati rei, agentes hujus causæ, quondam Mariam Robyns ex domo mortuaria excluserunt,

& ita per eos stetir, & non per Mariam Robyns. Item, quòd partem ejus non deposuerunt sub lege vel prætore, &c. Quia respondetur per interemptionem, negando quòd rei actores excluserunt, imò eos ad domum mortuariam vocari fecerunt, ut constat ex actis. Et ad aliud, cùm dicitur, quòd rei non deposuerunt partem dictæ Mariæ sub lege, satis responsum est in scripturis reorum, quare hîc non datur alia responsio, quia esset aurem judicis obtundere, & solem facibus adjuvare velle, quod ridiculosum esse nemo ambigit, *c. si omnia, 6. quæst.* 1. & *l.* 1. *in fi. ff. de dote prælegata.*

CONSILIUM CLXXVII.

SVMMARIA.

1 *Non residens in ecclesia vel præbenda, qualiter puniatur?*

2 *Officiario jurato de suo officio aliquid asserenti creditur, sicut statur relationi nuncij jurati de sua citatione: donec contrarium fuerit probatum.*

3 *Testimonium minus idoneorum admittitur in casu, qui per alios difficulter probari potest.*

4 *Illud attenditur, quod principaliter agitur.*

5 *Statuto ecclesiæ non servato, quæ incommoda sequantur?*

6 *Dictionis taxativæ natura est, restringere & excludere omne aliud. &c.*

7 *Beneficium clericis non ad peregrinandum, sed propter officium datur.*

VEnerabiles ac circumspecti domini: in causa coram vobis pendente, per & inter decanum & Capitulum ecclesiæ collegiatæ sancti Gummari Lirensis ex una, contra dominum Dionysium eorum confratrem ex altera, modica videtur esse difficultas, attentâ dispositione juris, & forma tradita per statutum juratum, quia
1 ex † dispositione juris non residens in ecclesia vel præbenda, punitur in amissione fructuum, & ultra hoc alijs pœnis à jure traditis, & per statutum potest abesse in secunda, residētia per decem & octo hebdomadas & non ultrà. Restat ergo solùm
2 videre, an ultrà abfuerit, nec ne? Et quia † per officiarium juratum, cui ex officio incumbit signare & notare absentes, constat eum fuisse absentem 86. diebus, standum est ei in hoc, sicut statur relationi nuncij jurati de sua citatione, *cap. cum parati, cum ibi notatis, de appell.* & *l. Theopompus, ff. de dote prælega.* Nec creditur dicto Domino Dionysio neganti vel contrarium asserenti, nisi ipse probet contrarium, scilicet se illis diebus fuisse præsentem, *juxta not. per gl.* & *Doct. in cap. continebatur, de desponsa. impub.* quo autem ad alios dies, quibus dicitur fuisse absens, adhuc minus ei neganti creditur, cùm in hoc, ut informor, concurrat testimonium
3 plurium canonicorum, quibus † est standum, ex quo talia & similia per alios difficulter probari possint, *cap. veniens, 2. de testi.* Nec obstat, quòd ex hoc lucrū sunt
4 habituri; quia attendi † debet id quod principaliter agitur, *l. si quis nec causam, ff. si cer. petatur*, causa autem ista est causa ecclesiæ, pro observatione statuti jurati
5 ecclesiæ instituta, quo † statuto servato servatur honor & decor ecclesiæ, & eo infracto, cultus divinus minuitur, generatur scandalum in populo, destituitur ecclesia ministris, & caret suffragijs debitis: modò in causa ecclesiæ canonici benè possunt esse testes, *cap. cùm nuncius*, & *ca. insuper, de testi.* maximè in subsidium: nec est verisimile, quòd pro modico lucro vellent

vellent dejerare, & contra confratrem falsum perhibere testimonium, nec debet deduci tempus peregrinationis, quia statutum dat 18. hebdomadas cum dictione
6 † taxativa, de cujus naturâ est restringere & excludere omne aliud, *Clem. exivi de paradiso, de verb. sig.* & illud tempus sufficit pro sollicitandis negotijs proprijs:
7 nec † clericus peregrinari potest; sine jussione episcopi petita & obtenta, *ut dicit tex. cum gl. in c. non oportet, 2. de consecrat. distin. 5.* vel saltem debuisset intervenisse consensus Decani & Capituli; quia beneficium non datur ad peregrinandum, sed propter officium, *c. fin. de rescr. lib. 6.*

CONSILIUM CLXXVIII.

SVMMARIA.

1 *Sponsalia de futuro per quæ verba contrahantur?*

2 *Dictio*, Nisi, *sequens orationem negativam quid operetur?*

3 *Matrimonium quibus verbis contrahatur?*

4 *Sponsalia nondum valida qualiter confirmentur?*

5 *Ex prolatione verborum, ad contrahendum aptorum, consensus deliberatus præsumitur: maximè si iteratio intervenit. & num. 6.*

7 *Sponsalia, etiam non jurata, ut ad solennisationem perducantur, censura ecclesiastica adhiberi potest: nisi causa urgentissima supervenerit.*

8 *Matrimonia ab omni coactione, extra consensum partium veniente, libera esse debent.*

9 *Quod ab initio est voluntatis, illud post consensum præstitum est necessitatis.*

10 *Sponsalia in quibus casibus dissolvantur, remissivè.*

VEnerabilis domine Officialis, ad finem, ut D. V. constet de bono jure promotoris curiæ Cameracensis impetrantis, & domicelli Iohannis van Rotselaer eidem promotori adhærentis, contra domicellum Margaretam van Leefdale,
1 placeat attendere, quòd † inter dictos domicellam Iohannem, & præfatam domicellam Margaretam, ante litem motam contracta fuerunt sponsalia de futuro, per hæc verba: **Ick en sal anders gheenen man trouwen dan u** / & viceversa, ut ex propositione dicti domicelli Iohannis, & responsione præfatæ domicellæ lucidè apparet: per quæ verba certum est contrahi sponsalia, cùm æquipolleant istis, ego ducam vel accipiam te in uxorem, per quæ contrahuntur sponsalia, *c. pen. de*
2 *sponsa. cum sim.* ubicunque † enim dictio, *nisi*, sequitur orationem negativam, tunc ponit, *l. actione, cum ibi not. per gl.* & *Dd. C. de transact.* & *nota. per canonistas in c. ex parte, de sponsa.* ubi communiter o-
3 mnes Doct. dicunt, quòd per hæc † verba, *non habeo aliam nisi te*, contrahitur matrimonium, ex quo per hæc verba, *habebo te, vel tractabo te ut uxorem*, contrahitur matrimonium: sed per hæc verba, *non ducam aliam nisi te*, contrahuntur solùm sponsalia, cùm non plus importent, quàm affirmativa propositio cui æquipollent, de quibus sponsalibus sic, ut præmittitur, inter eos contractis patet, nedum per verba suprà dicta hoc importantia, & per eos judicialiter confessata, sed etiam per multiplicem & iterativam confessionem dictæ domicellæ Margaretæ. Primò per hoc, quòd sæpè confessa est extrajudiciali-

dicialiter & etiam judicialiter, quòd dictus domicellus Iohannes sufficientem ab ea habuit securitatem, & quòd propterea vereri non debet, quòd ipsa alibi, vel cum alio matrimonium contrahat. Item per hoc, quòd confessa est extrajudicialiter & judicialiter, cùm sibi diceretur, quòd parentes sui verebantur, quòd se posset dicto domicello Iohanni per conventiones matrimoniales alligare, se respondisse per hæc verba, **dats al lange ghedaen/ꝛc.** Id est, *hoc diu transactum est.* Item per verba missivæ, literis dicti domicelli Iohannis responsivæ, quæ sonant hoc modo, **u betrouwen es zoe haest van my/ dat welcke sonder noot es/ want gy en sult nemmermeer anders aen my vinden / dan trouwe ende stantvastichëyt/ꝛc.** Id est, *fides tua de me tam citò defecit, quod nihil vereri necesse fuit, quia nunquam in me deprehendes aliud, quàm fidem & constantiam,* &c. & per alia verba secundæ missivæ, quibus inter alia sic cavetur, **blijft altoes alsoe ghetrouwe/ als ick sal/ ic bid u en twijfelt nerghens in**/ id est, *mane perpetuò tam fidus, quàm ego ero, rogo te ne de ullo dubites:* & per alia verba tertiæ missivæ plus prægnantia, quibus in effectu sic cavetur, **gy en dorst oick niet dencken/ al waer ick daer/ ende my eenen Coninck gebueren mochte/ dat ick ymmermeer doen sonde/ ick hebbe mijn herte te vast gheleijt / daert blijven sal/ ende ghy hebt er oick te veel Zekerheyden aff/ꝛc.** Id est, *Non debes quoque putare, quòd si ibi forem, & rex aliquis contingere mihi posset, quòd unquam facerem. Ego cor meum nimis firmiter fixi, ubi mansurum est, & tu quoque de hoc habes multam certificationem,* &c. quibus literis ipsa pollicetur, se semper mansuram fidelem, & cum alio non contracturam, & hortatur sponsum, ut idem faciat, ac confitetur inter eos esse vinculum indissolubile, per illa verba ultima, **Ich hebbe mijn herte te vast geleijt/ daert blijven sal/ꝛc.** id est, *ego cor meum nimis firmiter posui, ubi mansurum est.* Item per
4 † receptionem denarij in duas partes fracti, cùm per receptionem jocalium, per amplexus & oscula, sponsalia necdum valida confirmantur, *ut volunt Panor. Præposit. & Doct. in c. fin. de sponsa.* sed etiam sponsalia, ab initio invalida, validantur, *ut vult notabiliter Ioan. And. in c. unico, de desponsa. impub. lib. 6. in novella, in fin. verbis, & seq. Panorm. in cons. 48. primi volum.* Nec obstat, si dicatur, quòd verba per dictam domicellam Margaretam prolata, fuerunt per eam prolata jocosè, levi verbo, & sine intentione nubendi vel sponsalia contrahendi, & sic defuit consensus, qui in matrimonio est necessarius, *cap. cum locum, de sponsa. cum sim.* Quia respondetur per interemptionem,
5 negando assumptum; quia ex † quo constat de prolatione verborum, aptorum ad contrahendum sponsalia, præsumitur quòd intervenit consensus designatus per hujusmodi verba: quia nemo præsumitur dixisse, quòd mente non cogitavit, *l. Labeo. ff. de suppell. lega.* nec ei hoc dicenti creditur in foro exteriori, *ut habetur & nota. per gl. & Doct. in c. tua nos,*
6 *de sponsal.* Præterea † geminatio vel iteratio actus facit presumi plenum & deliberatum consensum, *Auth. sive à me. & l. si mulier, C. ad Velleja. & not. per Bart. in l. cùm scimus, in fine, C. de agri. & censi. lib. 11. & per Panorm. Felin. & alios canonistas in c. si cautio, de fide instrum.* Cùm ergo hoc casu non agatur de præjudicio alterius matrimonij, declarari debet, per dictos domicellum Iohannem & præfatam domicellam Margaretam spōsalia fuisse & esse contracta, & ad illorum solennisationem, intra quadraginta dies apti temporis, fuisse & esse procedendum, &c. Nam vera & communis doctri-

doctrina seu theorica Doctorum habet, quòd licet sponsalia † non sint jurata, tamen ad solennisationem & observationẽ illorum, sponsa ab initio voluntaria, & postea invita & renitens, per censuram ecclesiasticam compelli potest, nisi urgentissima causa supervenerit vel subsit, *ita dicit gl. ordinaria in c. ex literis, 2. in tertia solu. de sponsa* & *ibi Panor. Præpos.* & *communiter omnes Doct. ita etiam dicit gl. ordinaria notabilis in §. sed concedatur, 27. quæst. 2.* & *Hostien. Panorm. Præpos.* & *Doct. in c. requisivit de sponsal.* & *idem Hostien. Panor.* & *Prepósit.* & *alij, in c. de illis, prim. de sponsa. impub.* & *ibi est bonus tex. ponderatus ibidem per Panorm.* Nec obstat *d. c. requisivit*, quia debet intelligi secundum præmissa, quando urgentissima causa supervenit, vel suadet compulsionem non fieri, quæ hic non subest. Nec obstat etiam, si dicatur, quòd
8 matrimonia † debent esse libera ab omni coactione, *dicto c. cum locum*, & per consequens, invita & renitens non debet compelli ad solennisationem matrimonij. Quia respondeo & dico, quòd verum est, quòd matrimonia debent esse libera ab omni coactione extrinsecus, id est, extra consensum partium veniente, sed non debent esse libera à coactione intrinsecus, id est, de natura matrimonij veniente; quæ est, ut ex consensu obligentur partes, ad observandum quod promiserunt, quia si diceremus, quòd consensus ab initio voluntarius non astringeret invitos ad contrahendum, hoc esset enervare omnem nervum matrimonij, quia quòd
9 † ab initio est voluntatis, ex post facto, id est, post consensum præstitum, est necessitatis, *l. sicut ab initio, C. de actio.* & *oblig.* & ex hoc contractus non dicitur minus voluntarius, *l. fin. C. ad Velleja.* & *ibi Paul. de Castro*, & *sentit gl. in d. c. requiritur*, & *ibi Anton. de Butrio*, & *Doct.*
10 Cùm ergo non simus in casibus, † in quibus sponsalia possent dissolvi, ex quibus septem enumerat *glossa in d. §. sed concedatur*, & 22. *Prepositus in c. de illis, de sponsal.* sequitur, quòd declaratis sponsalibus, dicti Iohannes & Margareta debent ad solennisationem matrimonij compelli, per censuram ecclesiasticam: judicio vestro, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM CLXXIX.

SVMMARIA.

1 *Filij naturales quando patri ex testamento, vel ab intestato succedant?*

2 *Natus ex uxorato & soluta, an censeatur natus ex damnato coitu, vel adulterinus dici possit?*

3 *Natus ex uxorato & soluta non est capax successionis paternæ, nec ipsi ultra alimenta relinqui potest, dicique naturalis nequit.*

4 *Adulterium committitur solùm in nuptam.*

5 *Uxor maritum, ad solutam accedentem, ex generali capite injuriarum accusare potest.*

6 *Uxorato, ad solutam accedenti, pœna arbitrio judicis imponi debet.*

AD hoc † ut filij naturales ad effectũ succedendi patri ab intestato in duabus uncijs, non superstitibus filijs naturalibus & legitimis, vel conjuge, vel ad effectum, ut eis relinqui possit à patre ultra alimen-

alimenta, requiruntur tria copulativè. Primò, quòd tales sint nati ex soluto & soluta, ita quòd inter eos potuisset esse matrimonium. Secundò, quòd sint nati ex concubina retenta in domo, loco uxoris, ad quam pater consuetudinem habebat. Tertiò, quod illa fuit unica concubina: *ita probatur in §. si quis autem defunctus, in Auth. quibus modis natura. effici. sui collati. 7. & in Auth. licet patri, cum utrobique notatis, C. de natura. libe. & in §. fina. Instit. de nupt. & ita expreßè determinat Specul. in tit. de successio. ab intest. §. 1. versic. nunc de naturalium, & idem Spec. in tit. qui filij sunt legi. circa princ. & gl. ordin. in cap. nisi cum pridem, super verbo, manseres, de renunciatio. & expreßè Panorm. & Dd. in c. tanta, & in c. per venerabilem, qui filij sunt legitimi.* Si ergo alterum istorum deficiat, cessant jura loquentia de successione ab intestato, quæ tamen limitatè loquuntur, *ut patet in d. Auth. licet patri*, & in corpore unde sumitur, & etiam jura loquentia de capacitate obtinendi ex testamento vel ultima voluntate, *de quibus suprà.* Restat videre,
2 an natus † ex uxorato & soluta, censeatur natus ex damnato coitu, nec ne? Et videtur prima facie, quòd non sit natus ex damnato coitu, *per nota. per gl. & Salic. in l. 1. C. ad leg. Iul. de adult. & per ea quæ habentur per Socin. in cons. 148. incip. memini*, in quibus locis præfati Doctores volunt, quòd quando conjugatus vel uxoratus procreat filium ex soluta, talis filius non dicitur adulterinus: quia non committitur adulterium, nec dicitur natus ex damnato coitu, & *idem vult Salic. in Auth. ex complexu, C. de incest. nup.* & per consequens videtur, quod talis est capax hæreditatis paternæ & legati, etiam ultra alimenta: & si sic, ergo validum censeri debet testamentum, de quo est quæstio, & in vanum requireretur de virtute & efficacia substitutionis, vel de jure accrescendi. Sed sub correctione melius
3 sentientis, videtur mihi, quod natus † ex uxorato & soluta non est capax successionis paternæ, nec potest sibi relinqui ultra alimenta, nec meretur dici naturalis: & *de hoc videtur mihi tex. expressus juncta glossa ordin. quam sequit. ibi Bart. & Doct. in §. fin. Auth. quibus mo. natur. effi. sui coll. 7.* ubi gl. ordinaria expressè dicit, & sequuntur Doct. quòd omnes qui nati ex tali coitu, qui non potuit esse uxoreus tempore concubitus, censendi sunt ex damnato coitu procreati, & sic nec alendi à patre, nec nomen naturalium merentur habere, licet de benignitate canonica talibus alimenta relinqui possent. *c. cùm haberet, de eo qui dux. in ma. quam pollu. adul.* Nec obstant *not. per gl. Sali. & Doct. in d. l. 1. C. ad leg. Iul. de adul. & not. per Salic. in d. Authen. ex complexu.* Quia fateor,
4 quòd † quando uxoratus accedit ad solutam, non potest puniri pœna legis Iuliæ de adult. quia non est propriè adulterium, quod committitur in innuptam, *l. inter liberas. §. ff. ad l. Iul. de adul. & ita loquitur d. l. 1. cum ibi not. per gl. & Doct.* sed quod talis coitus non sit damnatus & punibilis per leg. civilem, hoc non probatur ibi, imò contrarium ibi vult *Bald.* qui ex-
5 pressè dicit, quod licet † uxor non posset accusare maritum, accedentem ad solutã, ad pœnam legis Iuliæ de adult. quæ est capitalis, tamẽ posset accusare eum ex generali capite injuriarum: quia verum est dicere, quod ipsa mulier injuriam patiatur, cùm matrimonium violatur: & *idem volunt ibi Butri. Salic. & alij Doct. scri-*
6 *bentes*: & licet † non reperiatur specifica pœna imposita, tamen negari non potest, quin sit delictum punibile arbitrio judicis, *arg. l. 1. ff. de ju. delib. & c. de causis, de offi. deleg. cum sim.* quia in non determinatis à jure succedit arbitrium judicum, *juribus præall. & l. hodie, cum ibi notatis, ff. de pœnis.*

CON-

CONSILIUM CLXXX.

SUMMARIA.

1 *Actus agentium non operantur ultra ipsorum intentionem.*

2 *Communis loquendi usus in omni dispositione principaliter attendendus est, propriaque verborum significationi prævalet. & num.3.*

4 *Mens contrahentium vel statuentium ex communi loquendi usu elicitur.*

5 *Intestati decedere qui dicantur?*

6 *In statutis verba ambigua juxta communem loquendi usum interpretantur.*

7 *Uxorem suam in testamento dominam omnium bonorum relinquens, an censeatur proprietatem ipsi reliquisse? &c.*

8 *Verba ab idiotis prolata intelliguntur, secundum quod in idiotam cadunt.*

9 *Verba intelliguntur secundum qualitatem personarum, à quibus & ad quas proferuntur.*

10 *Verba in vulgari sermone prolata, secundum communem loquendi usum intelliguntur.*

11 *Dispositio præcedens, an per verba subsequentia restringatur? &c.*

12 *Usufructus morte usufructuarij extinguitur.*

VIsis literis scabinalibus oppidi Middelburgensis, de data 23. diei mensis Februarij, anni 1483, donationem mutuam & reciprocam mariti & uxoris in se continentibus, quarum literarum tenor quoad clausulam proposito servientem, inferius inseritur de verbo ad verbum; visis etiam literis scabinalibus ejusdem oppidi de data 22. diei mensis Novembris, anni 1492. de quadam divisione, partificatione, seu refutatione inibi contenta mẽtionem facientibus, visis etiam literis, sigillo ad causas dicti oppidi sigillatis, de datis sextæ & septimæ dierum mensis Martij præsentis anni 1508. sententiam quãdam diffinitivam per Burgimagistros & scabinos dicti oppidi, inter partes illic mentionatas promulgatam, & processum coram eis habitum in se continentem: videtur mihi subscripto, sub correctione melius & rectius sentientium, per dictos Burgimagistros & scabinos malè fuisse & esse processum & judicatum, ad quod deducendum, oportet præmittere verba formalia dictæ donationis reciprocæ, quæ sunt talia: Jan Pieters ende Volcwijff Boudijns dochtere / sijn wettachtich getrouwe Wijff / quamen voir scepenen in Middelburch/ ende verleeden hem beijdẽ de gadere dies/ te wetene Volcwijff voirsz by consente ende wille van Jan Pieterssz haeren voiern man/dat sy ghegeven hebben/ende gheven elcx die een den anderẽ/een huys van achter tot voeren met allen zijnen toebehoirten/ genaemt den zwarten Aerne/staende tot Aernemuden opter stede dijck/ daer zy beijde te samen nu der tijt in en op woonen/in deser manierẽ/dats te wetene/ zoe wie dat lannct levet van hen beijden voirsz/ die sal dit voirsz huys vrilijcken besittten en gebruijcken/ zijn oft haer leven lanc geduerende/ sonder yemante weder seggen/ende naeder laester doot van hem beeden voirn: soe sal dit voirsz huys wederomme commen ende bli-

ven in rechten vrijen eygendomme/ op haerer tweer voirſz gerechten erſgenamen/ die dat ſchuldich zijn te hebbene met rechte / en op niemande anders in gheene wijs/ behoudelijck dies/dat de ghene die der lancxt leevet / zijnen vrijen wille mach doen mit zijnen deele / als van der helft van deſen huyſe/ oft beyde te gadere ſullen mogen vercoopen/ verſetten/ oſte belaeſten binnen huerer tweer levene lijve / waert dat hem beyden alſoe geliefde/ofte dat ſijs van noode waren/ꝛc. Hoc eſt, Ioannes Petri & Volcwijf filia Boudini, ſua legitima uxor, comparuerunt ante ſcabinos Middelburgenſes, & confeſſi ſunt ſimul, nempe Volcwijf prædicta, de conſenſu & voluntate Ioannis Petri mariti ſui prædicti, quòd donationem fecerunt ad invicem & donant ſibi mutuo, domum quandam ab anteriore parte ad poſteriorem partem uſque, cum omnibus ſuis pertinentijs, nũcupatam nigra aquila, ſitam in Aernemuda ſuper aggere urbis, quàm ipſi pariter modò inhabitãt, ſub hac forma, ut ſcilicet qui eorum ſuperviveret, hanc domũ prædictam liberè poſſideret fruereturque, ſua aut ipſius vita durante, abſque cujuſquam contradictione, & poſt mortem poſtremi ex eis morientis, redibit prædicta domus & manebit in juſta & libera proprietate, legitimorum utriuſque hæredum, quibus de jure hoc competit, nec ulli præterea ullo modo. Salvo eo, quod qui ex eis vita ſuperſtes alteri erit, liberam ſuam voluntatem facere poterit de ſua parte, ut de medietate hujus domus, vel utrique pariter poterunt vendere, transferre, aut gravare, utroque eorum in vivis manente, ſi utrique ita viſum foret, aut ſi id neceſſitas poſtularet, &c. Ex quibus verbis oritur dubitatio, an proprietas medietatis dictæ domus litigioſæ fuerit apud dictum Ioan. Petri ſuperſtitem, quam diu vixit, vel an ſolùm apud eum fuit uſufruct. Reſtat nunc examinare, an propritas medietatis dictę domus litigioſę, poſt deceſſum dictæ Volcwijf fuerit apud dictum Ioan. Petri ſuperſtitẽ, nec ne: quòd ſi proprietas medietatis dictæ domus litigioſæ fuerit apud eum, quam diu vixit, credo benè eſſe judicatum: ſi verò proprietas medietatis dictæ domus litigioſæ non fuerit apud eum, quàm diu vixit, ſed remanſerit apud dictam Volcwijf quàm diu vixit, & poſt mortem ſuam devoluta ſit ad ejus filiam Wilhelminam, & ea decedente pro una medietate ad ſuum maritum, juxta legem patriæ Zeelandiæ, & pro alia medietate ad ejus Wilhelminæ hæredes, tunc luce clarius patebit, malè fuiſſe judicatũ: operæ precium ergo eſt, inquirere veritatem hujus articuli. Et omiſſis brevitatis gratia argumentis, quæ hincinde fieri poſſent, videtur mihi ſubſcripto: quòd per hujuſmodi donationem reciprocam non fuit tranſlatum dominium, vel proprietas in dictum Ioannem Petri ſuperſtitem. Ad quod oſtendendum, oportet ſcire duo.

1 Primò, quòd actus † agentium non operantur ultra eorum intentionem, *l. non omnis, in princ. ff. ſi certum pet. cum ſim.*

2 Secundò, quòd in † omni diſpoſitione, qualiſcunque illa ſit, ſive divina ſive poſitiva, larga ſeu ſtricta, attendendus eſt communis uſus loquendi, & currendum eſt ad communem verborum intelligentiam, *c. ex literis* 1. *cum ibi not. per Innoc. Panor. Præpo.* & *DD. de ſponſa. c. majores, cum ibi not. per Panor.* & *Doct. de baptiſ.* & *c. nam* & *rex*, & *c. Ioſeph*, & *c. quamvis, cum utrobique not. per Panor.* & *Dd. de verb. ſignific. l. Labeo, cum ibi notatis, per Bart. ff. de ſupel. lega. l. cum de laniones. §. aſinam molendinariam. ff. de fun. inſtruct.* & *l. liberorum. §. quod tamen Caſſius*, & *ibi Dd. ff. de leg.* 3. *cum infinitis ſim.* in quibus juribus Doct. tam cano-
3 niſtæ quam legiſtæ volunt, quòd † communis

munis usus loquendi præfertur propriæ significationi vocabuli. & *idem volunt Bart. Bal. Paul. de Cast. & Doct. in l. non dubium, C. de legi.* & *idem Pau. de Cast. in l. scire leges. ff. de legi.* in quibus locis plus volunt præfati Doctor. videlicet,
4 quòd † quando dubitatur de mente contrahentium vel statuentium, recurrendum est ad communem usum loquendi: & *idem vult Ioan. de Imo. in cap. inter corporalia, per illum tex. de transla. præla.* ubi dicit, quòd si à contrahentibus proferuntur verba, quæ unus eorum intelligit uno modo, & alius alio modo, prævalet intellectus habens pro se communem usum loquendi, etiam contra propriam verborum naturam. hinc etiam † dicit Card.
5 *in consilio 113. incipiente, factum sic se habet*, quòd licet propriè loquendo ille dicatur intestatus decedere, qui potuit testari & non est testatus, *ut habetur in l. 1. & ibi Bart. ff. de suis & legit. here.* tamen in statutis propter communem usum loquendi, appellatione intestatorum, venit intestabilis, ut impubes, furiosus, & similes, ut in casu illo notabili, super quo ipse
6 consuluit: in statutis † enim, & alijs dispositionibus habentibus verba ambigua, attenditur communis usus loquendi, *d. cap. ex literis*, & *alijs juribus suprà alleg.* & *vult Cardin. in Clem. ne Romani. § sanè in 6. quæst. de electio.* hinc etiam † ad
7 propositum dicit singulariter *Pet. de Anchora. in consilio suo 237. incipiente, in Christi nomine, &c. quia in primo quæsito, & c. circa fin.* quòd per illa verba, quæ sæpe per testatores ponuntur in testamentis, *relinquo uxorem meam dominam omnium bonorum*, non censetur testator uxori suæ reliquisse proprietatem bonorum suorum, ut verba sonare videntur: sed, propter communem usum loquendi, videtur solum eam fecisse gubernatricem, prout erat testatore vivente: & hoc dictum refert & sequitur *Felin in proœm, compilat. Gregorianæ*, ubi plura alia benè servientia ad propositum adducit, quæ brevitatis gratia omitto: ergo idem in proposito est dicendum, attento communi usu loquendi, & communi intelligentia dictorum verborum, in præfato oppido Middelburgensi & illius districtu, ac locis circumvicinis: & istud maximè pro-
8 cedit, quia dicta † verba prolata ab idiotis & vulgaribus, quo casu verba intelliguntur, secundum quod in idiotam cadunt: ita notabiliter dicit *Alexan. de Imol. in consilio suo 44. incip. Alphonsus in 2. colum. 5. volum.* & *Bald. in c. 1. de succeß. feud. in usib. feudo.* omnis enim intellectus, qui non sonat in auribus vulgi, est extraneus, ut dicit *Bald. in extr. de*
9 *pace Constan. in versic. Opizoni:* sicut † enim verba intelliguntur, secundum qualitatem personarum ad quas diriguntur, *l. stipulatio ista. §. hi qui sunt. ff. de verb. oblig. l. plenum. § equitij*, & *ibi Bart.* & *Bald. ff. de usu.* & *habita.* & *c. solita* & *ibi Panor. de majo. & obed.* ita omnia debent intelligi secundum qualitatem personarum, à quibus proferuntur, *secundum glos. notabilem in d. l. stipulatio ista. §. hæc quoque*, & *sentiunt ibi Bart.* & *Pau. de Cast. in fina. verbis.* Et maximè istud
10 est dicendum ex alio, quia dicta † verba sunt prolata seu scripta in vulgari sermone, quo casu indistinctè intelliguntur, secundum communem usum loquendi. *ita singulariter vult Baldus in l. lege duodecim tabularum, circa finem, C. de legit. hæredi.* & *Paul. de Cast.* & *Alexan. de Imol. in d. §. hic quoque, in fina. verbis*, & *est de mente Bartol. in l. si quis filiabus. ff. de testament. tute. de mente glossę ordinarię, in l. quid si nepotes illo eodem tit.* cùm dicit, quòd hæc dicendi varietas non cadit in idiotam, &c. Et per præmissa respondetur ad omnia, quæ adduci possent in contrarium, quia licet fortè de propria significatione hæc verba,

dono domum ad usumfructum, vel *ut donatarius utatur & fruatur*, vel *ut habeat usumfructum quamdiu vixerit*, importanr, quòd censeatur donata proprietas medio tempore: & quòd † verba illa *ad u-*
11 *sumfructum*, & alia, de quibus suprà, non restringunt præcedentem dispositionem, *juxta ea quæ habentur & notantur per gl. & Dd. in l. Titia cum testamento. § fina. ff. de legat. 2. & d. l. donationes in concubinam. §. species. ff. de donatio. & in l. 4. & ibi Bart. ff. de alimen. lega. & in l. species. ff. de auro & argen. legat. cum sim.* tamen quia communis usus loquendi præfertur propriæ significationi vocabuli, & ad conjecturandum mentem contrahentium, ille est attendendus, *per jura suprà copiosè satis adducta*: probato, quod in oppido Middelburgensi & illius districtu ac locis circumvicinis, verba theutonicalia suprà scripta, communiter, & apud majorem partem populi illam habent intelligentiam, ut per ea non censeatur translata proprietas, sed duntaxat usufructus, seu usus vel commoditas rei donatæ in superstitẽ ex conjugibus, corruunt omnia in contrarium allegata: quòd facilè (ut credo) probari poterit, attento, quòd hic plura concurrunt: primò, quòd superstes duntaxat potest possidere, uti, frui, & gaudere re donata quamdiu vixerit, & non ultrà. item quòd dictus superstes non potest hujusmodi rem donatam alienare; quę
12 omnia videntur convenire usufructui, qui † cum morte finitur. *§. finitur, Inst. de usufruct. & l. corruptionem. C. eodem tit.* & contrariari proprietati, quæ potest alienari & transit ad hæredes, *juribus vulgaribus*, quæ salvo saniori judicio, ita de jure dicenda puto.

CONSILIUM CLXXXII.

SUMMARIA.

1 *Renunciatio ex quibus reddatur invalida?*

2 *Reverentia paternalis frustra allegatur, quando pater in renunciatione præsens non fuit.*

3 *Modica non curat prætor.*

4 *Frustra quis ab alio petit, quod intus habet.*

Super dubio, de quo consultus fui, visis instrumentis contractus antenuptialis, renunciationis, & testamenti, quoad clausulas proposito servientes, videtur mihi subscripto, quod de centum leonibus non est quæstio, attento quod toto tempore vitæ domini Michaelis & dominæ Mariæ, domicellus Anton. & sua uxor cum eis habitarunt: solum ergo est quæstio de centum florenis, & validitate renunciationis, & an sit habile remedium contrave-
1 niendi? Et licet † plura videantur facere contra dictam renunciationem: Primo, quòd est facta per Antonium solum, in absentia uxoris, cui jam fuit jus quæsitũ. Item quòd illa renunciatio videtur tendere in præjudicium filiorum, postea procreatorum: Item quòd est facta in absentia Domini Michaelis, principaliter obligati: Item quòd videtur facta ob reverentiam paternalem seu maternalem: Itẽ quòd videtur personalis, de non molestando dictos Michaelem & Mariam parentes, in curia spirituali vel seculari, præmissorum occasione; In contrarium tamen multa faciunt. Primò, quòd de mobilibus, vel his quæ loco mobilium habentur, maritus de consuetudine loci potest ad libitum disponere. Secundò, quòd hæc renunciatio vallata est fidei interpositione, quæ æquipollet juramento. Tertiò, approbatio subsecuta per taciturnitatem longi temporis. Quartò, quòd hæc renunciatio non est simplex, sed ob causam legitimam. Et quintò, quia dictus domicellus Antonius non videtur deceptus vel læsus, cùm pro centum florenis

vir

vir nobilis & honestus ultra expensas vix honestè interteneri posset, & sic hujusmodi renunciatio videtur, se habuisse potius ad lucrum, quàm ad damnum. Nec obstat
2 quòd dicitur † de reverentia paternali, quia illa cessat, ex quo in renunciatione pater non fuit præsens, & dato quòd fuisset præsens, ex quo non constat de læsione vel deceptione magna, non cadit resti-
3 tutio, quia† de modico non curat prætor. Non videtur ergo consultum, agere ex contractu antenuptiali, ad impletionem contractus antenuptialis, coram judice ecclesiastico, vel petere restitutionem in curia seculari, ob causas suprà allegatas. Suaderem ergo concordiam, (si non posset fieri concordia) suaderem potius, quòd ob non observantiam & adimpletionem contentorum in instrumento renunciationis, de intertenendo eum honestè, &c. in judicio familiæ herciscundæ seu dividendæ hæreditatis peteretur interesse: vel attento, quòd ipse est in possessione bonorum, excipiendo interesse suum deducat, antequam possessionem bonorum dividendorum evacuet: & hoc medio facilius intentum consequi poterit: cùm
4 frustra † quis ab alio petat, quod intus habet: favorabilioresque sunt rei, quàm actores: magnumque est commodum possidendi: debet tamen ipse semper deducere portionem, eum pro sua quota hæreditaria concernentem, cum quoad hoc actio sibi competens, sit confusa & extincta, per traditionem hæreditatis.

CONSILIUM CLXXXII.

SVMMARIA.

1 *Filia nubens sine consensu patris, an ipsi patri injuriam facere censeatur? & num. 15.*

2 *Inter patrem & filium lis nulla esse potest: Fallit num. 19.*

3 *Alimentare filiam pater non tenetur, si aliunde habet unde vivat.*

4 *Maritus uxori alimenta præstare tenetur.*

5 *Speciale in uno casu, denotat jus commune in contrarium.*

6 *Consensus parentum, de jure canonico, non est ad contrahendum matrimonium necessarius.*

7 *Quod lege permittente fit, pœnam non meretur.*

8 *Correcto vitio, pœna quoque correcta intelligitur.*

9 *Pater ad duo copulative tenetur, ad maritandum filiam, & ad dotandum eam.*

10 *Filiam pater, sine ipsius consensu nubentem, dotare tenetur.*

11 *Filiæ indigno nubenti minor dos constitui, non tamen exhæredari potest.*

12 *Dotem constitui, interest mulieris & reipublicæ.*

13 *Prohibere pater nuptias videtur, qui conditionem non quærit.*

14 *Mulieres, rebus quæ servando servari nequeunt, annumerari solent.*

16 *Injuria qualiter remittatur?*

17 *Filia meretrix, si in vita patris ante testamentum conditum pœniteat & se humiliet, exhæredari non potest. Imò ipsam dotare tenetur. & num. 18.*

20 *Ad veritatem copulæ requiritur, utramque partem esse veram.*

21 *Argumentum ab alimentis ad dotem non valet.*

22 *Legatum pro filia maritanda relictum, debetur, etiam si tempore conditi testamenti legataria nupsisset.*

23 *Exhæredare pater filiam non potest, nisi vel peccet in suum corpus, vel servo se copulet, & n. 24.*

25 *A communi Doctorum opinione judicando recedendum non est.*

SUper eo de quo quæritur, an scilicet
pater teneatur dotare filiam, quæ sine
ejus consensu matrimonium contraxit,
licet diversi diversa senserunt, aliquibus
1 dicentibus, quod non: tum † propter in-
juriam factam patri, cujus consensus re-
quiri debuit, *l. Paulus. ff. de stat. hom.* &
2 *Instit. de nupt. in princ.* tũ quia lis † nulla
esse potest inter patrẽ & filiam, *l. lis nulla. ff. de jud.* tum quia pater non est obliga-
tus dotare filiam, sed solùm officio judicis
compelli potest ad eam dotandam, ut ma-
ritum reperire posset, *l. qui liberos. ff. de
ritu nupt.* quod officium judicis cessat,
postquam reperit virum, & postquam se-
ipsum maritavit: tum etiam, quia dos &
alimenta æquiparantur, *l. ob æs, juncta gl.*
3 *C. de prędiis minor,* sed pater † nõ tenetur
alimẽtare filiam, quãdo habet aliundè, un-
de se alat, *l. si quis à liberis. §. sed si filius,*
4 *ff. de liber. agnosc.* cùm ergo filia † habeat
maritum, qui eam tenetur alimentare,
*l. si cum dotem. §. si autem in sævissimo,
juncta gl. ff. sol. matr.* sequitur, quòd à pa-
tre alimenta vel dotem petere non pote-
5 rit: tum etiam, quia speciale est † in ca-
su, quando pater distulit filiam maritare
usque ad 25. annum, quòd eam non po-
test exhæredare, neque alimenta eidem
negare, si postea peccat in suum corpus,
vel si se libero sine consensu patris copu-
laverit, *Authen. sed si post, C. de inoffic.
test.* ergo si non tam diu eam differat ma-
ritare, in contrarium erit jus commune,
l. jus singulare, & *l. quod verò contra, ff. de
legi.* & *in ista opinione fuit Bart.* & *Sa-
licet. in Auth. res quę, C. comm. de legat.*
& *idem Bart. in l. obligamur, ff. de actio.* &
obligatio. & *Salic. in dicta l. quæ liberos,*
& *Panorm. in cap. 1. de adult.* & *in cap.
accedens, de procura.* & *in cap. penult. de
rapto* & *Matth. de Matthes. in notab. suo*
106. In contrarium tamen est veritas, quę
corroboratur medijs, rationibus, & aucto-
6 ritatibus infrà scriptis. Primò, quia † de
jure canonico in contrahendo matrimo-
nium consensus patris non est necessarius,
licet honestum foret illum requirere, sed
sufficit consensus illorum, de quorum
matrimonio agitur, *cap. 1. cum ibi not. per
glossam* & *Dd. de despon. impuber.* & *cap.
sufficiat. 27. quæstio. 2.* & *c. cum locum*
7 *de sponsalib. cum sim.* ergo filia † quæ uti-
tur permissione canonica, non dicitur in-
currere vitium ingratitudinis vel inobe-
dientiæ, nec meretur pœnam: quæ enim
lege permittente fiunt, pœnam non me-
rentur, *l. Gracchus, C. de adult.* & *c. qui*
8 *peccat, 33. quęst. 4.* correcto † enim vi-
tio, intelligitur etiam correcta pœna,
c. non debet, de consang. & *affi. juncto
cap. de grad. 15. q. 8.* & quotiescunque a-
liquid desinit esse delictum, desinit &
pœna, *ut vult Bald. in l. decuriones, C. ex
quib. causis infam. irrog.* & *faciunt nota-
ta in c. penult.* & *fin. de secund nupt.* Se-
9 cundò, quia pater † tenetur ad duo copu-
lativè, scilicet ad maritandam filiam, &
ad dotandam eam, *dicta l. qui liberos, ubi
est casus:* ergo quando filia est maritata,
licet pater sit liberatus ab uno, tamen non
est liberatus ab alio, *l. Celsus, ff. de arbitr.*
& *c. cũ dilecti, de dolo* & *contum.* ad veri-
tatem enim copulativę requiritur, utram-
que partem esse veram. *§. pen. Instit. de
hęred. instit.* & *cap. 2. cum ibi not. de
rescript.*

rescript. cum vulgaribus. Tertiò, istud
10 confirmatur † auctoritatibus, & in pri-
mis hanc partem tenet glossa ordinaria
juris canonici *in c. hoc sanctum, 32. quęst.*
2. & in cap. de rapt. 36. quæst. 1. quæ glos.
expressè volunt, quod filia quæ sine con-
sensu patris jam nupta est, debet per pa-
trem dotari, maximè quando nupsit di-
gno, & idem vult *Archidiac. in dicto c.*
de rapt. idem etiam vult *Ioannes And.*
fons Juris canonici, & vir maximę aucto-
ritatis *in praall. c. accedens. in fina. verbis,*
& illud sequuntur ibi Ant. de Butrio, Io-
an. de Imola, & communiter Doct. illud
etiam vult gl. ordin. juris civilis in d. l. ob-
ligamur, quam sequuntur & reputant sin-
gularem Bald. Ioan. de Imola, Ludov. de
Rom. Alex. de Imola, & novissi. in l. 1. ff.
de solut. matr. & Bal. in l. fi. C. de sen. quę
si cer. quant. & idẽ Bal. in d. l. qui liberos,
eandem opinionem etiam tenent Bal. Ang.
Pau. de Cast. Ias. & alij in d. Auth. res.
quę, & idem Bal. in c. juravit, in 2. col. de
proba. & idem Bal. in rub. de offic. jud. in
6. col. istam opi. etiam tenuit Raphael Cu-
ma. & secundũe am consuluit in cons. 131.
incipiente, duo fratres habẽt bona commu-
ni. eandem opinionem etiam sentit Ang. in
l. nupta, in princ. sol. mat. & Pau. de Cast.
11 *in l. si socer, in princ. illo eo. tit.* imò † plus
voluit *Io. de Im. in d. c. accedens, & sequi-*
tur Alex. in d. l. 1. ff. sol. mat. videlicet,
quòd etiam si filia nubat indigno, non po-
test pater ei denegare dotem, cùm hodie
hæc non sit justa causa exhæredationis,
quamvis hoc casu minor dos cõstitui pos-
sit. Ex quibus enim causis filia potest ex-
hæredari, ex eisdem causis possunt ei ali-
menta vel dos denegari, *ut est glossa nota-*
bilis in l. si quis à liberis. §. si quis ex his, ff.
de libe. agnosc. junctis notatis per Bald. in
dicta Auth. res quæ. Cùm ergo dicta cau-
sa, quia nupsit indigno, non sit hodie justa
causa exhæredationis, *§. causas, in Auth. ut*
cum de appel. cognos. coll. 8. & volunt Host.
Panor. & communiter omnes Dd. in d. c. 1.
de despon. impu. ergo etiam non est justa
causa denegationis donis aut alimentorũ;
licet ut dixi, minor dos possit constitui:
12 interest † enim mulieris, licet sit nupta,
habere dotem, & sic melius tractetur à
viro, quia mulier indotata consuevit con-
temni à viro, *l. utrum turpem. in fi. ff. de*
verb. oblig. cum sim. & nedum interest
mulieris, sed etiam reipublicę, ad sobolem
procreandam, replendamque liberis civi-
tatem, *l. 1. sol. mat.* & maximè istud pro-
cedit in casu pręsenti, in quo pater dicitur
prohibuisse filiam nubere, oblata sæpius
oportunitate, ac instantibus pluribus ho-
nestis & dignis, pro ea habenda in uxorẽ,
quod semper facere distulit, ne aliquid
loco dotis exbursare cogeretur, ut in fa-
13 cto supponitur: prohibere † autem vide-
tur nubere pater in casu præsenti, qui cõ-
ditionem non quærit, *ut pulchrè inquit*
textus in dicta l. qui liberos, & ibi gl. com-
mendando textum, dicit eleganter & no-
tabiliter, quod malum facere videtur, qui
non studet ad bonum: quod verbum ibi-
dem multum commendat *Baldus.* Mu-
lieris enim oportet accelerari nuptias, ne
quid committat turpe, *ut dicit glossa or-*
dinar. in l. oratione, §. 1. ff. de ritu nupt.
14 sunt † enim mulieres de his rebus, quæ
servando servari non possunt, in quibus
multa sunt specialia, *ut habetur in l. lex*
quæ tutores, C. de aministr. tutor. Cùm
ergo in casu præsenti dicta filia nupsit vi-
ro digno, sagaci, diligenti, & in sua arte
experto, nulli dubium videri debet, quin
debeat à patre congruenter dotari, & ipse
pater ad hoc per censuram ecclesiasticam
compelli, *jur. rationib. & authorita. pręall.*
Nec obstant adducta in cõtrarium; & pri-
15 mò non obstat primũ; quia † licet de jure
civili requiratur consensus patris, tamẽ de
jure canonico, cui in hac materia spirituali
& canonica standum est, consensus patris
non requiritur, & tenet matrimonium,
per

per eam contractum sine consensu patris: nec filia nubendo sine consensu patris, facit injuriam patri, cùm utatur permissione canonica, *ut suprà dictum est*. Et dato
16 non tamen concesso quod aliqua † injuria patri per præmissa fuisset illata, prout nõ, tamen illa fuisset remissa per hoc, quòd de post ipse pater dictam suam filiam & ejus maritum ad cœnam cum alijs amicis invitavit, & cum eis lætum & bonum vultum fecit. Per quem actum certum est, remitti injuriam. *§ fi. Inst. de injur. cum*
17 *vulgar.* Imò quod fortius est, filia † quæ in corpus suum peccavit, si in vita patris ante testamentum conditum pœniteat, & se humiliet, exheredari non potest per patrem, *ut vult Spec. in tit. qui fil. sunt legit. versic. quid si filia*, & *Bal. in l. si filia, C. de inoff. test.* & *Ant. de Butrio in cap.*
18 *quintavallis, de jurejur.* Imò quod plus † est, pater hoc casu tenetur eam dotare, *ut vult Panorm. in d. c. quintavallis*, *pro quo benè facit c ferrum*, 50. *distin.* & *l. imperialis, C. de nupt. ad hoc etiam facit tex. Evangelij Lucę* 15. *cap. de filio prodigo*, & *tex. in c. si delior*, 50. *distin.* ubi habetur, quòd Redemptor noster, potius eligit in suum vicarium Petrum peccatorem, post pœnitentiam peractam, quàm alios qui non peccarunt: non enim despici debet in peccatore quod fuit, quia post pœnitentiam jam incipit esse, quod non fuit, *d. c. ferrum*. fortius ergo hoc dicendum est, ubi revera filia in corpus suum non peccavit, sed matrimonium in facie sanctæ Matris Ecclesiæ cum viro digno contraxit: & sic non obstat. Non obstat etiam secundũ,
19 quia † iste est casus unus specialis, in quo potest esse lis inter patrem & filiam, *d. l. qui liberos*, sicut sunt plures alij, qui notantur *per gl. in d. l. lis nulla.* Non obstat etiam tertium, quia, ut suprà dixi, pater
20 † obligatur ad duo copulativè: seu contra eum implorari potest officium judicis, ut faciat duo copulativè: eo ergo liberato ab uno, remanet alterum, *l. si domus, ff. de servit. urb. prædi.* sicut videmus in ligato duobus vinculis, quorum uno soluto alterum remanet, *ut notatur in c. ita quorundam, de Iudęis.* Non obstat etiam quartũ,
21 quia non † est bonum argumentum ab alimentis ad dotem: quia licet filia, quando habet aliundè, unde se alat, non potest petere alimenta à patre: tamen filia dives, quæ habet aliunde unde se posset dotare, est nihilominus dotanda à patre, *textus est notabilis juncta gl. in d. l. fi. C. de dotis promi.* & *ibi hoc volunt Bald.* & *Ang.* & *idem Ang. in l. filia, in prin. ff. ad Treb.* & *Ludo Io. de Im. Alex.* & *alij, in d. l.* 1. & *habetur plenè per Ias. in d. Auth. res quæ,*
22 *in* 4. & 5. *col.* hinc † etiam dicit notabiliter *Bal. in l. fi. C. de sent. quæ sine cert. quanti.* quod si testator in testamento relinquat centum Bertæ, pro ea maritanda, quæ tempore conditi testamenti jam erat maritata, quamvis causa relicti videatur cessare, tamen debet habere legatum, *per l. si jam facta. ff. de cond.* & *dem.* Nec obstat etiam quintum, quia respondetur,
23 quòd † dicta *Auth. sed si post*, si benè perpendatur, solùm permittit à contrario sensu filiam exhæredari à patre, quæ ante 25. annum peccat in suum corpus, meretricaliter vivendo, vel quando se copulat servo, nec aliquid dicit *Auth. nec tex.* unde sumitur de casu præsenti, qui est, quãdo filia ante 25. annum sine consensu patris contrahit matrimonium cum libero viro digno, an tunc pater potest eam exhæredare vel dotem denegare; & sic ille tex. non facit ad propositum: imò *gl. ordinaria in d. Auth. sed si post*, & *Io. Fabr. in breviario ibid.* declarando illum text.
24 expresè dicunt, quòd pater non † potest filiam exhæredare, nisi vel peccet in suum corpus, vel servo se copulet, quorum neutrum est in casu præsenti. Et quod filia non possit exhæredari, quando ante 25. annum contrahit matrimonium, sine consensu

sensu patris, *tenet Host. Pan.* & *commun. omnes Dd. in d. c. 1. de desp. impu.* & *Io. de Imo. in d. c. accedens* & *Ias. in d. Auth. sed si post*, & quod pater teneatur eam illo nō obstante dotare, tenet gl. ordinaria, tàm juris canonici, quàm civilis, & Doct. nedū canonistæ, sed legistæ, in passibus suprà latè commemoratis. Cùm ergo hæc † sit
25 communis opinio Doct. non est in judicando ab ea recedendum: *juxta not. per Io. And.* & *alios Dd. in c. 1.* & *in c. ne innitaris, de consti.* & *per Bart. in l. fi. C. de pœna jud, qui malè judic.* maximè cum pro ista opinione, ut dixi, sit gl. ordinar. quæ nedum habet unum famosum Doctorem post se, sed perquàm plures: *juxta doctrinam Iac. Butrig. in l. 1. C. qui pro sua jurisd.* qui eleganter dicit, quod in judicando non est recedendum ab opinione gl. quando habet unum famosum Doctorem post se.

CONSILIUM CLXXXIII.

SUMMARIA.

1 *Decima prædialis de omnibus frugibus jure divino debetur.*

2 *Frugum appellatione, omnis redditus ex terra proveniens comprehenditur.*

3 *Decima de pastu animalium, pensione domus locatæ, & proventibus molendinorum solvenda est.*

4 *Pactum de non solvendo decimā, in locatione adpositū, non valet.*

5 *Ecclesia agere potest contra dominum vel possessorem, pro quibus annis præteritis decima soluta non fuit.*

6 *Decima prædialis spontè in horrea ecclesiæ afferri debet.*

7 *In suo quis facere non potest, quod sibi non prodest & alteri nocet.*

8 *Dominus conditionem terræ suæ pro libitu alterare potest.*

9 *Remissio pensionis propter casum fortuitum facienda non est colono, qui decimam solvere non consuevit: ejus enim culpa fructus periisse præsumuntur.*

10 *Solvens decimam, quam consequatur remunerationem; & non solvens quantum delinquat?*

11 *In solutione decimarum locum non habet detractio expensarum, vel compensatio.*

12 *Theologi asserentes decimas hodie non deberi, peccant & puniuntur, ut num. 14.*

13 *In interpretatione legis divinæ potius statur diffinitionibus summorum Pontificum, quàm dictis sanctorum etiam Theologorum.*

15 *Libertas non solvendi decimas an præscriptione acquiri possit?*

16 *Decimæ quare debeantur?*

17 *Decimæ sunt tributum Dei, & egentium animarum.*

18 *Peccata tantò fiunt graviora, quantò diutius infelicem animam detinent alligatam.*

19 *Experiens de jure in petitorio, possessorem de facto turbare non censetur.*

20 *Petitorium intentans, possessorio renunciare videtur.*

21 *Usu partis retinetur jus totius.*

Licet nostrum non sit instruere Minervam, tamen ut voto vestro satisfaciamus, præclarissime domine, paucis,

Oooo quæ

quæ ad rem noſtram faciunt, explicabimus: Nemini credimus venire in dubium,
1 quin † nedum de vino, frumento, & alijs fructibus induſtria hominum è terra productis, decima prædialis jure divino debeatur, ſed etiam de omnibus frugibus, *Deuter.* 14. *Num.* 18. *de decim. cap.* 1. & ſic de omnibus redditibus, proventibus, ſeu emolumentis, ex terra obventis: nam
2 † verbum *frugum* eſt multum latum, cõprehendes omnem redditum ex terra provenientem, *l. frugem. ff. de verb. ſignif.* & *vult Panorm.* & *Dd. in dicto cap.* 1. Ex
3 quo ſequitur, quòd de paſtu † animalium, qui eſt caſus noſter, ſolvenda eſt decima, *cap. commiſſum,* & *ibi Innoc. Ioan. And. Panorm.* & *omnes de deci.* & *idem Ioan. And. in cap. cum tua, ſuper verbo, aliquos, eod. tit.* Hinc etiam videmus, quòd de penſione domus locatæ ſolvenda eſt decima, *d. cap. commiſſum,* & *ibi Io. And. Panorm.* & *alij in cap. plerique, de pact* & *de provent. molend. c. pervenit,* & *c. paſto-*
4 *ralis, eo. tit.* Nec † valet pactum appoſitum in locatione, quòd non ſolvatur decima eccleſiæ, *d. c. plerique,* & *in c. aliquibus, de decim.* imò ſi paſcua gratis concedantur, vel domus gratis inhabitanda detur, nihilominus debetur decima ab inquilino vel inhabitante domum, cùm res tranſeat cum onere ſuo: *ita ad literam volunt Innoc. Io. And.* & *alij in d. c. commiſſum, pro quo facit l. uſufructu legato, l. item ſi fundi,* & *l. uſufructuarium venari. ff. de uſufruct.* & non ſolùm debetur decima de uno ſemine, ſed etiam de pluribus, ſi pluries creſcunt fructus in anno,
5 *cap. ex parte, 2. de deci.* & eſt † in optione eccleſiæ, agere contra dominum vel poſſeſſorem, etiam pro annis præteritis, quibus decima non fuit ſoluta *ita ad literam vult Panor. poſt Io. And.* & *Feder. de Senis in conſ.* 81. *in c. paſtoralis,* & *in cap. cum homines, de deci.* & *probatur in l. imperatores. ff. de publ.* & *in c. à nobis. de decimis,*
6 & eſt adeò † debita decima prędialis, quòd ſponte in horrea eccleſiæ debeat afferri, licet hoc malè ſervetur, *c. revertimini,* & *c. decimæ,* 16. *q.* 1. & *Exo.* 22. decimas & primitias non tardabis offerre, quòd ſi ruſticus malitioſè differat colligere fructus, ne decimam ſolvat, poteſt compelli, *ſecundum Archidiac. in dicto cap. revertimini,* & ſi ſegetes deſtruat ne ſolvatur decima, tenetur de dolo, *ſecundum Innoc. Io. And. Panorm.* & *Dd. in d. c. commiſſum:*
7 non † enim poteſt quis facere in ſuo, quòd ſibi non prodeſt & alteri nocet: imò tenetur de dolo, ſi animo nocendi faciat, *l.* 1. *§. denique. ff. de aqua plu. arcen.* & *no. per gl. in l. Proculus. ff. de dam. infect.* & *in l. domum. ff. de reg. jur.* & *per Ioan. Fab. Inſt. de lege fuſ. ca. tol.* & *per Pau. de Caſt. in l. fluminum. § ſi ff. de dam. infect.* & li-
8 cet † dominus poſſet alterare conditionẽ terræ ſuæ, non obſtante contradictione eccleſiæ, cui debetur decima, tamen hoc eſt verum, dummodo ſolvatur decima de ibidem colligẽdis, *d. c. commiſſum,* & *ibi Pan. in pręal. c. cum in tua,* & *ibi Io. And.*
9 *Panor.* & *alij*: imò quod plus eſt, ſi fructus † pereant caſu fortuito, non eſt facienda remiſſio colono, qui non conſuevit ſolvere decimam, quia ex ſua culpa, & delicto præſumuntur perijſſe, *ſecundum*
10 *Hoſt.* & *Ioan. And. in c. propter ſterilitatem, de locato* & *conduc.* ex † ſolutione enim decimæ, quis quadruplicem conſequitur remunerationem: & econversò non ſolvens decimam, in undecim delinquit, *ut pulchrè declarat Hoſt. in ſumma*
11 *ſua de decim. in §.* & *quare.* & in ſolutione † decimæ nulla habet locum deductio vel detractio expenſarum, *in d. c. cum homines,* & *c. cũm non ſit in homine, eo. tit. de dec.* nec in ea locum habet compenſatio, *ut eſt gl. ordin. notabilis in pręall. c. decimæ, commendata per Ludov. de Vrbe in ſingulari* 257. & licet de decimis perſonalibus ſint opiniones, inter Dd. tamen de

decimis

decimis prædialibus non dubitatur, quin illæ sint de jure divino: *ut latè habetur per ordin. in cap. 1. de decim. lib. 6.* & *per Innoc. in Rubr. de decim.* & *per omnes in*
12 *cap. in aliquibus, præall.* & *probatur* † *in cap. tua, eodem tit. ibi, divina constitutione*, & *ibi expressè dicunt Ant. de Butrio. Panorm.* & *Dd.* quòd theologi asserentes decimas hodie non deberi, peccant, cum summi Pontifices in suis constitutionibus asserant oppositum: nam in interpretatione † legis divinæ, sive in decisionibus
13 dubiorum, potius debemus stare diffinitionibus summorum pontificum, quàm dictis theologorum, etiam si sint sancti: nā potestas condendi & interpretandi leges est summis pontificibus, & nō sanctis, *cap. per venerabilem, qui fil. sint legit.* & *cap. 1. cum sua singulari gl. 20. distinct.* & † religiosi hodie asserentes decimas non
14 deberi, incurrunt pœnam, *de qua in Clem. cupientes, de pœnis*, ubi statuitur, quòd mendicantes, certis festivitatibus anni tenentur populo publicè prædicare, quòd decimas solvant, & eis de hoc conscientiam facere, nec eos verbo vel facto à solutione decimarum retrahere, *prealleg. cap. 1. de decim. lib. 6.* & *ibi est glos. magistralis, quæ confutat argumenta illa futilia*: olim solvebantur decimæ Levitis, quia non habebant possessiones: cùm ergo clerici, qui successerunt in locum Levitarum, hodie habeant possessiones, non videtur, quòd eis sint solvendæ decimæ.

Item olim solvebatur decima Levitis, qui erant bonæ & sanctæ vitæ, cùm ergo hodie sacerdotes non sint omnes sanctæ & bonæ vitæ, videtur quòd decima eis solvi de necessitate non debeat: quæ argumenta seu verius sophismata tolluntur, *in tex. cap. tua nobis, de decim.* quare non est opus amplius circa hoc insistere, maximè cum constitutiones summorum pontificum sint confirmatæ in concilio generali, *d. c. in aliquibus*, & *seq.* ubi cavetur, quòd integrè & sine aliqua diminu-
15 tione sunt solvendæ. Nec obstat † fundamentum adversariorum nostrorum, quo dicunt se non solvisse, & per consequens præscripsisse libertatem non solvendi; Quia multiplex patet responsio. Primò, quòd laici non possunt præscribere decimas, etiam si per tantum temporis possedissent, quòd de initio seu contrario hominum memoria non existeret, cum non possunt eas possidere, & sint incapaces, *c. causam quæ, de presscript.* & *ibi Panor.* & *Io. And. in c. 2. de præben. li. 6. in novella.* Secundò, data capacitate personarum, tamen adhuc non haberet locum præscriptio ex qualitate rei, quæ est impræscriptibilis, cum contra decimam extinctivè ut non debeatur, non currat præscriptio, sicut nec contra tributum, *l. competit, C. de presscriptio 30. vel 40. ann. ita vult Bart.* & *clarius Salic. in d. l. comperit. in princ.* & *Panor. in c. cum nobis*, & *in c. si diligenti, de præscript.* nullibi enim cavetur, quòd quis possit præscribere, ne tenea-
16 tur ad † decimas, quas in tributum & recognitionem universalis dominij dominus noster Jesus Christus præcepit reddi, *c. tua nobis, de decimis*, non enim debet Deus, cujus est terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi qui habitant in eo, *Psalmo* 24. esse deterioris conditionis, quàm dominus temporalis contra cujus tributum non præscribitur, *d. l. comperit.*
17 Sunt † enim decimæ tributum Dei & egentium animarum, *d. c. decimæ, 16. q. 1.* & *preal. c. tua nobis*, & quòd decimæ non possunt præscribi, nec in parte, nec in toto, nec in tantum, ut nulli præstentur, *est gl. ordinaria notabilis in c. quæcunque, 16. q. 1.* Iuri enim naturali & divino, cujus trāsgressio periculum salutis inducit, quacunque consuetudine, quæ potius est cor-
18 ruptela, derogari non potest: † cùm tanto sunt graviora peccata, quāto diutius infeli-

cem animam detinent alligatam, *c. fi. de consuetu. ubi text. ad literam.* Præterea ad hoc solùm agit ecclesia coram judice ecclesiastico, ut de pastu pecoris seu pastura solvatur, de decima, de pratis seu pascuis, ubi retroactis annis de fœno, & alijs fructibus ibi collectis, decima solui consuevit, ad quod petendum certum est ecclesiam benè esse fundatam, *d. c. commissum,* & *c. cum in tua & alijs jurib. supr. alleg. cum utrobique notat. per gl.* & *Dd.* Nec sunt quovismodo audiendi adversarij, volentes impedire cursum justitiæ spiritualis & ecclesiasticæ in petitorio, prætextu complaintæ per eos impetratæ, cum de turbatione facti non constitit, nec constare poterit: nisi fortè dicatur, quòd † experiens de jure in petitorio, turbet de facto in possessorio, quòd non est imaginabile, tum quia nemini facit injuriam qui utitur suo jure, *l. injuriarum actio, ff. de injur.* & *c. cum ecclesia Vulterana, de elect.* Tum etiam, quia intentans petitorium † videtur renunciare possessorio, *ca. pastoralis, de caus. possess.* & *proprie.* & *l. naturaliter, §. nihil commune, cum ibi notatis, ff. de acquir. possess.* sed ut complainta locũ habeat, de jure & de stylo tria sunt necessaria, scilicet possessio ex parte impetrantis, turbatio facti, & damnificatio ex parte rei; quorum neutrum est hîc: quia† ecclesia recipiendo decimam de fœno, hordeo, avena, siligine, & aliis fructibus, qui colligi consueverunt, retinuit sibi jus in universo, *l. n. qui usumfructum, ff. quib. mod. usufruct. vel usus amit.* & *faciunt nota. per Innoc.* & *Dd. in cap. 1. de capel monach.* imò præscripsissent in alijs fructibus, *prealleg. c. cum in tua, ubi de hoc est tex. singularis*, & sic non potest baptizari revera possessio ex parte impetrantium; turbatio etiam & damnificatio cessant, ut præmittitur, ergo notoriè malè impetratum & malè executum, cum executori de præmiss, non constiterit, ut ex sua relatione si benè perpendatur, vivaciter inspicitur, & propter alia plura in scripturis nostris plenius commemorata, quæ hîc brevitatis gratia omittimus.

(Margin numbers: 19 beside "re poterit: nisi fortè dicatur, quòd † ex-"; 20 beside "† videtur renunciare possessorio"; 21 beside "parte rei; quorum neutrum est hîc: quia†".)

CONSILIUM CLXXXIV.

SVMMARIA.

1 *Pupillus, ad consequendum indemnitatem habet actionem personalem cõtra tutorem, & realem sive hypothecariam contra possessorem rei alienatæ.*

2 *Actio personalis contra tutores vel ejus heredes alijs etiam cedi potest, & quando, ut num. 3.*

4 *Vno ex fidejussorib. creditori solvente, extinguitur obligatio principalis, creditori contra debitorem competens, non tamen ipso jure, sed ope exceptionis.*

5 *Creditor fidejussori solventi, actionem contra debitorem & fidejussores, ex intervallo etiam cedere potest. Aliud autem in duobus, pariter & principaliter eadem actionis specie, & ad idem obligatis, ut num. 6.*

7 *Pupillus actione personali contra tutorem agendo succumbens, realem actionem contra possessorem intentare potest.*

8 *Bona fides non patitur, ut idem bis exigatur.*

9 *Cessionario obstat exceptio, quæ obstat cedenti. Fallit, ut num. 10.*

11 *In alternativis electio est debitoris.*

12 *Injuriam alteri facere non censetur, qui suo jure utitur.*

13 *Damnum patrimonij diminutio dicitur.*

CASUS. Deffunct messire Colart de Commines, pere de messire Philippe Seigneur d'Argenton, ypotheca la terre & seigneurie de sainct Bienn. pour la somme de 6. mille escus d'or, au proffit de sa femme, en recompense de plusieurs terres a elle appertenans, vẽdus par le dict messire

Colart,

Colart, laquelle terre de saiuct Benn. du viuant fut mise en cryees pour raison de plussieurs arierages deux, a cause de certaines rentes, dont elle estoit aussy chergie & ypothequie, sur lesquelles cryees y eult certaine appellation releuee en la court de parlament, & depuis vuidee, & la cause renuoyee pardeuaut le bailly d'Amiens, pendant lequelle renuoye le dict messire Colart alla de vie a trespas; Apres lequelle trespas messire Iehan de Cõmines, oncle dudict messire Philippe lors mineur, & pere de madamme de Halewijn, dame de Commines, fut commis par justice tuteur dudict messire Iehan, & en ce nom reprint les erremens dudict proces ainsy renuoye pardeuant le bailly d'Amiens. Sur lequel tant fut procedé, que ladicte terre de saiuct Benn. fut adiugé au Seigneur de Waurin, comme plus offrant, & dernier renchiriesseur. Sans ce que ledict tuteur se soit opposé pour la dicte somme de 6, mille escus dór, a quoy ladicte terre estoit ypothequé au proffit dudict mineur, comme heretier de sa mere. Au moyen de quoy, & par la negligence diceluy tuteur, de non soy estre opposé pour ladicte somme de 6, mille escus, ladicte terre fut vendue sans ceste cherge. Et pour ce que ledict mineur venu en eage a cognu ladicte negligence, & que pour recouvrer son indemnité, & ladicte somme il avoit deux actions, ascavoir l'une contre ledict messire Iehan son tuteur, pour faulte & negligence, & lautre contre le possesseur de la dicte terre de saiuct Benn, a cause de dite ypoteque, Icelluy messire Philippus, Seigueur d'Argenton obtint lettres patentes du Roy de France, par lesquelles il fut releué du decret de ladicte terre de sainct Benn. fait durant sa minoritê, en mandãt a premier hussier, faire commandement au possesseur dudict sainct Benn. luy payer ladicte somme de six mil escus, a quoy elle estoit ypothecqué, en vertu des quelles lettres ledict seigneur de Waurin a esté mis en cause, tellement que monss. le prince, comme possesseur dudict sainct Benn. a este condemné alternativement, de payer ladicte somme de six mil escus audict seigneur d'Argenton, & que en se faisant ledict seigneur d'Argenton, feroyt tenu ceder & transporter a mondict sieur le prince son droit & action, quel avoit contre son tuteur ou ses heritiers, ou de soy deporter de la dicte terre de sainct Benn, en luy rendant ses deniers principaulx frais & leaulx coustumes. Or est il, que mondict sieur leprince a esleu & choisy de payer ladicte somme de six mil escus dór, ce quil a fait, & au moyen de ce & dudit arrest, ledict messire Philippe de Commines Seigneur d'Argenton a cede & transporté a mondict sieur le prince, tout telle droit, cause & action contre ledict messire Iehan son tuteur, ou ses heritiers, pour raison de ladicte somme de six mil escus dor. *Quaritur*, si mondict sieur le prince a vaillable action, en vertu dudict trãsport contre madamme de Halewijn, damme de Commines, fille & herietiere de messire Iehan de Cõmines, tuteur dudict messire Philippe seigneur d'Argenton, Il semble que ouy, attendu l'arrest dela court, & aussy, que de droit le pupille venu en eage a action cõtre son tuteur pour son indemnité, a cause des negligences ou malversations de son tuteur. Il semble au contraire, par ce, que supposé que le pupille ait droit & action pour recouvrer son indemnité, comme dessus est dict, toutesfois en elisant lune des actions, il a renoncé a lautre tacitement. Or il a eslu l'action contre le possesseur de la terre de sainct Benn. par quoy il a renoncié a l'action, quel a contre son tuteur. Et ainsi si l'ya renoncié, il ne peult plus ceder ne transporter a monss. le prince, pour quoy & que consideré, que son indemnité est recouvré contre aultruy que contre son tuteur, aultre choyse seroit, sily avoit quelcun aultre possesseur daulcune terre aussy ypothequee pour ladicte somme: contre lequelle monss le prince pourroit avoir son recouvrer pour sa portion. Il y a plus, car per led' arrest, qui estoyt alternatif, monss. le prince pouvoit, si bon luy sembloit, delaisser la terre, en luy rendant tous chacuns les deniers principaulx fraix, & loyaulx cóustumes debourse z par deffunct monsigneur de Waurin, a cause dudict decret & achat de ladicte terre de sainct Benn. en quoy faisant, il n'avoit quelque interest, & avoit son indemnite garde. Mais en delaissant ladicte voye & partie, il a choisi laultre voye, ascavoir de retiner ladict terre & seigneurie de sainct Benn. & payer ladicte somme de six mil escus'dor: pour quoy & attẽdu quil n'a tenu que luy de garder son indemnité & eviter son domage, il peult sembler: *Quia certat de lucro captando, & non de damno vitando:* Pour quoy il ne fait à favoriser. Autre chose ausy seroit, si ledict messire Iehan de Commines tuteur dudict seigneur d'Argenton, ou mesmes led' seigneur d'Argenton estoyent tenus vers mondict sieur le prince au garandissement dudict decret,

Id est: Defunctus Dominus Colart de Commines, pater domini Philippi domini Dargenton, hypothecæ supposuit terram, & dominium sancti Benedicti, pro summa sex milium aureorum coronatorum, ad utilitatem uxoris suæ, in compẽsationem complurium terrarum ad eam pertinentium, venditarum per dictum dominum Colart. Quæ terra sancti Benedicti superstite eodem, fuit subhastata, sive ad cridas posita, ob complura reliqua debitorum, ex causa certorum redituum,

quibus eadem terra onerata fuit & oppignorata. Contra quas cridas sive subhastationem fuit interposita appellatio in curia parlamenti, & post terminata, causa rejecta ad Balyvum Ambianensem. Qua remissione causæ pendente, prædictus dominus Colart excessit è vivis. Post cujus obitum, dominus Iohannes de Commines avunculus prædicti Philippi tunc ætate minoris, & pater dominæ de Halewyn, & dominæ de Commines, fuit datus per justitiam tutor prædicti domini Philippi, & eo nomine successit in causam dicti processus, ita remissi [ad Balyvum Ambianensem, in quo eo usque processum est, ut terra prædicta sancti Benedicti adjudicata sit domino de Ubaurin, ut plus offerenti & ultimo precium intendenti. Tutore interim se non opponente de summâ sex millium coronatorum aureorum, pro quibus dicta terra erat hypothecata, ad utilitatem prædicti minoris, tanquam hæredis matris suæ. Quam ob causam, & ob negligentiam dicti tutoris, non opponentis se pro dicta summa sex milium coronatorum aureorum, dicta terra vendita fuit absque isto onere. Et quia dictus minor perfectæ ætatis factus cognovit dictam negligentiam, quodque pro sua indemnitate, & ad prædictam quantitatem recipiendam, habebat duas actiones, alteram nempe contra dictum dominum Ioannem tutorem suum, ob suam negligentiam, & alteram contra possessorem dictæ terræ sancti Benedicti propter dictam hypothecam. Idem dominus Philippus dominus Dargenton obtinuit literas patentes à Rege Franciæ, quibus restitutus fuit contra decretum dictæ terræ sancti Benedicti interpositi, durante sua minori ætate, mandatumque fuit primo Hostiario, ut mandaret possessori dictæ terræ sancti Benedicti, ut sibi solveret summam prædictam sex milium coronatorum, pro quibus pignori opposita erat. Quarum literarum virtute dictus dominus de Ubaurin tractus est in causam, taliter quòd dominus Princeps tanquam possessor terrę sancti Benedicti, condemnatus fuit alternativè ad solvendum prædictam summam sex milium coronatorum prædicto domino Dargenton, quodque, his solutis, dictus dominus Dargenton teneretur cedere & transferre in dictum dominum principem, jus suum & actionem, quam habebat contra tutorem suum, aut ejus hæredes, aut cederet prædictæ terræ sancti Benedicti, redditis illi denarijs suis capitalibus, expensis, & alijs legalibus consuetis. Accidit autem, ut dictus dominus princeps eligeret, & mallet solvere prædictam summam sex milium coronatorum aureorum, id quod fecit. Quam ob causam & propter decretum dictus dominus Philippus de Commines dominus Dargenton, cessit & transtulit, in dictum dominum Principem, omne jus, causam, & actionem contra dictum dominum Ioannem tutorē suum aut ejus hæredes, propter dictam summam sex milium coronatorum aureorum. Quęstio est, an dictus dominus Princeps habeat validam actionem, virtutę hujusmodi cessionis sive trāsportus, contra dominam de Halewyn dominam de Commines filiam & hæredem domini Ioannis de Commines, tutoris dicti domini Dargenton. Apparet quod sic, attento decreto curiæ, & quia de jure pupillus major annis factus, habet actionem contra suum tutorem, ut servetur indemnis, ob negligentiam & malam administrationem tutoris sui. Contrarium videtur ex eo, quòd concesso, pupillum habere jus & actionē pro sua indemnitate, ut suprà dictum est, tamen eligendo unam ex actionibus, tacitè renunciat alteri. Nunc autem elegit actionem contra possessorem terræ sancti Benedicti, per quod renunciavit actioni competenti sibi contra

contra ſuum tutorem. Atque ita ſi renun-
ciavit, non poteſt ulterius cedere aut trãſ-
ferre in dominum Principem. Quapro-
pter, & attento quod indemnitatem na-
ctus eſt contra alium, quàm ſuum tutorẽ,
aliud foret, ſi eſſet alius poſſeſſor alicujus
terræ ſimiliter hypothecatæ pro dicta
ſumma. Plus dicitur, quia per dictum de-
cretum alternativè interpoſitum, domi-
nus princeps poterat, ſi ita viſum fuiſſet,
derelinquere terram, redditis ei omnibus
denarijs capitalibus, expenſis & alijs, quæ
legitimè expoſita ſunt per defunctum do-
minum de Uſbaurin, occaſione dicti de-
creti, & emptionis dictæ terræ ſancti Be-
nedicti. Quo facto nihil ſua intererat, &
indemnis ſervabatur. Sed relicto illo me-
dio & parte illa, elegit alteram viam, de-
tinendo ſcilicet dictam terram & domi-
nium ſancti Benedicti, ſolvendoque di-
ctam ſummam ſex milium coronatorum
aureorum. Quartò, attento quod in ipſo
fuit, ſervare ſibi indemnitatem & evitare
damnum, videri poteſt, quia certat de
lucro captando & non de damno vitando,
non eſſet dignus favore. Aliud etiam fo-
ret, ſi dictus dominus Ioannes de Com-
mines, tutor dicti domini Dargenton, aut
maximè ipſe dictus dominus Dargenton
foſent obligati dicto domino Principi, ad
defenſionem dicti decreti. Super quo du-
bio pulchro & ſubtili videtur mihi ſub-
ſcripto ſine aliqua hæſitatione dicendum,
quod dominus Princeps ceſſionarius, a-
ctione ceſſa, agere validè poterit contra
d. dominam de Halewyn, hæredem quon-
dam domini Ioannis de Commines, tuto-
ris dum vixit, præfati Philippi domini tẽ-
poralis Dargenton quondam, ſui pupilli:
1 quia, † ut præmittitur, dictus Philippus
duas habuit actiones, pro conſequenda
dicta ſumma ſex milium coronarum au-
rearum & illius indemnitate, unam per-
ſonalem contra ſuum tutorem ex mala
& culpoſa adminiſtratione, *l. 1. in princ.*
ff. de tute. & ra. diſtra. & *l. 3. C. ſi tutor.*
vel cura. inter eum ſim. & actionem hy-
pothecariam, quæ eſt realis contra poſſeſ-
ſorem, puta dominum principem, & in e-
lectione ejus fuit, intentare quam voluit.
l. fin. C, de act. & oblig. imò eligendo unã
actionem, non præjudicavit ſibi in alia.
tex. eſt expr. in l. fi. C. ſi tut. vel cur. inter.
2 agendo † ergo contra dictum poſſeſſorem
hypothecaria, prout potuit, & conſequen-
do ſuum, potuit dicto poſſeſſori, condem-
nato in actione hypothecaria, non obliga-
to ſibi perſonaliter, ſed ſolventi dictam
ſummam ſex milium coronarum, pro li-
beratione rei ſuæ hypothecatæ, cedere a-
ctionem perſonalem, quam habebat con-
tra dictum ſuum tutorem, & ejus hære-
3 des: & potuit † hujuſmodi ceſſio fieri,
nedum poſt ſententiam in actione hypo-
thecaria, ut præmittitur, latam, ſed etiam
poſt ſolutionem factam, etiam ſi de cedẽ-
do actionem, non fuiſſet ante ſolutionem
factum pactum, vel de hoc proteſtatum,
tex. eſt notab. ſecundum unam lect. gl. or-
dinar. ſingul. in l. ſi res obligata, in fine, ff.
de legat. 1. & *ibi expreßè hoc volunt*
Dyn. Pet. Bart. Bal. Ang. Florian. de ſan-
cto Petro, Ioan. de Imo. Pau. de Caſt. & *a-*
lij Dd. hoc etiam expreßè volunt Bart.
Ang. Pau. de Caſt. & *Io. de Imo. in l. Mo-*
deſtinus, ff. de ſol. & ratio hujus eſt: Quia
hoc caſu dicta actio perſonalis compe-
tens contra tutorem, non erat extincta vel
ſublata ipſo jure per ſolutionem, factam
per dictum poſſeſſorem, quia illa ſolutio
ſimpliciter facta, cenſetur facta pro libe-
ratione & exornatione rei ſuæ ab hypo-
theca, & non animo liberandi ipſi debito-
rem ſeu tutorem, ideò ſolùm ope exce-
ptionis tollitur obligatio principalis, &
non ipſo jure: ſicuti videmus in ſimili,
4 quando † unus ex fidejuſſoribus ſolvit cre-
ditori: nam non extinguitur obligatio
principalis, competens creditori contra
debitorem ipſo jure, ſed ſolum ope ex-
ceptio-

ceptionis, & ideo † potest per creditorem
5 fieri cessio illi fidejussori solventi, etiam
ex intervallo, contra debitorem & confi-
dejussorem, *l. cùm is*, & *l. ut fidejussor*, & *l.*
fidejussores. §. 1. *ff. de fidejuss.* & *l. Papi-*
nianus. ff. manda. cum utrobique not. per
6 *Dd.* licet † aliud sit in duobus, pariter &
principaliter obligatis ad idem, & eadem
specie actionis, ut sunt plures tutores, cu-
ratores, correi debendi, & similes; quo ca-
su debet fieri cessio ante solutionem, vel
fieri pactum de cedendo actionem, aut
protestatio, quòd solutio fit sub conditio-
ne. vel modo, quôd postea fiat cessio, a-
liâs ex intervallo cedi non posset, *d. l. Mo-*
destinus, *ubi est casus*, & *ibi hoc volunt*
Bar. Ang. Io. de Imo. Pau. de Cast. & *omnes*
Doct. & ratio diversitatis secundum eos
est: Quia tunc solutio per unum facta,
videtur fieri pro obligatione communi,
quæ per solutionem factam per unum,
extinguitur ipso jure: ergo non est mi-
rum, si non potest cedi actio jam extincta
ex intervallo. nisi præcedat pactum vel
protestatio, quod secus est in casu nostro,
ut pręmittitur, in quo tamen, ut informor,
facta est cessio ante solutionem, quòd et-
iam sufficeret in casu antetacto: & sic
nullum remanet dubium, quin validè fa-
cta sit cessio in casu nostro. Restat nunc
respondere ad motiva, suprà in cõtrarium
7 adducta. Et primò, non obstat † primum,
quo dicitur, quòd dictus pupillus eligen-
do actionem hypothecariam contra pos-
sessorem, videtur tacitè renunciasse actio-
ni personali, quam habebat contra tutorẽ:
Quia respondetur per interemptionem
negando, imò si succubuisset contra pos-
sessorem, potuisset postea agere contra tu-
torem, *ut est tex' in preall. l. fi.* & *ibi Pau.*
de Cast. not. C. si tut. vel cu. inter. Nec
obstat, si dicatur, quod illa lex procedit,
quando succubuisset in hypothecaria, quia
tunc non præjudicasset sibi, quin agere po-
tuisset actione personali contra tutorem,
ut præmittitur: sed in casu præsenti ipse
triumphavit contra possessorem, & ab eo
8 consecutus fuit suum: ergo † non potuit
ipse agere contra tutorem, quia sic bis idẽ
consequeretur, quod bona fides non pati-
tur, *l. bona fides. ff. de reg. jur.* & *faciunt*
no. per Dd. in l. 1. C. de fur. & *not. per Pau.*
de Cast. in d. l. fi. Quia respondeo faten-
do, quòd dictus pupillus creditor, factus
adultus, postquam consequutus fuit suum
à possessore, convento hypothecaria, non
potuisset validè & efficaciter agere contra
tutorem, quia contra illam actionem per-
sonalem obstitisset exceptio, ne creditor
bis idem exigat, ut præmittitur: sed ex
hoc non sequitur, quòd actio fuit ipso ju-
re extincta, vel quòd illam cedere nõ po-
tuit, ut infrà dicam. Nec obstat, si dicatur,
ipse pupillus postquam consecutus fuit
suum à possessore, non potuit agere effi-
caciter contra tutorem, ut dictum est, er-
go etiam ipse non potuit cedere illam a-
ctionem sibi inutilem possessori, contra
tutorem vel ejus hæredem, per regulam
9 generalem quæ habet, quòd exceptio †
quæ obstat cedenti, obstat etiam cessiona-
rio, *l. quod ipsis*, & *l. in omnibus.* §. *non de-*
beo. ff. de reg. jur. Quia respondetur ne-
gando consequentiam, & ad probationem
consequentis dicitur, quòd dicta regula,
exceptio quæ obstat cedenti, obstat etiam
cessionario, patitur multas fallentias, &
10 inter alias illam, † quando non est eadem
æquitas vel ratio repellendi cessionarium,
quæ est repellendi cedentem, prout est
in casu nostro; quia ratio quare repellitur
cedens, est, ne bis idem consequatur, & ne
indebitè lucretur, cùm ipse postquam cõ-
secutus est semel suum, certat de lucro
captando: sed ista ratio cessat in cessio-
nario, quia ille certat de damno vitando,
quare justum & æquum fuit, ut sibi cede-
retur actio contra dictum tutorem per-
sonaliter obligatum, & ejus hæredes, pro-
ut etiam habet arrestum parlamenti, &
sic ces-

sic cessio fuit necessaria: quare non debet cessionario obstare exceptio illa quæ obstabat cedenti, *l.fi.in prin.cum ibi pulchrè not.per Bal.in bona lectura, qui ponit tres notabiles conclusiones, Salic. Dd. post gl. C.de jure dot.*& *præall.l.cùm ii.*& *l.fidejussores, ita ad literam vult dominus Io.de Imo. in dicta l. Modestinus*, & *ibi etiam Bart. Pau.de Cast.* & *alij Doct.*& *omnes Dd.in præall. l. si res obligata, de quo habetur latè per Bal.in l.heredi.§.nos autem, ff.de pact.* & *aliquid per Dyn. in reg.qui in jus,de reg.jur.lib.6.* Nec obstat, si re-
11 plicetur & dicatur, † quòd imò dictus possessor certat de lucro captando, quia ex virtute sententiæ condemnatoriæ, duo alternativè in se continentis, ipse potuit eligere secundam partem alternativæ, & esse in toto, ac vitare damnum: cùm ergo elegerit primam partem alternativæ, videtur voluisse lucrari, & se exponere periculo, quod cum culpa sua acciderit, sibi debet non alteri imputare, *reg.damnum,de reg.ju.lib.6.cum sim.* Quia ad hoc respondetur, quòd cùm in alternativis debitoris sit electio *l.plerunque. §.fi.cum l.seq.ff.de jur.do.cum sim.* cum ipse potuit eligere quod illorum voluit, sed nō potuit compelli ad alterum præcisè eligendum, nec illud beneficium à jure ei concessum, debuit ei auferri, *c.in adultum,de reg.jur. lib.6.* quià aliàs, introductum in ejus favorem torqueretur contra eum, quod fieri non debet. *l.quod favore, C.de legib.* nec
12 † alicui fecit injuriam, secundam partem alternativæ eligendo, & jure suo utendo, *l.injuriarum actio.ff. de inju.* & *cap.cum ecclesia Vulterana, de elect.cum sim.* Nec est verum, quòd certat de lucro captando,
13 imò † certat de damno evitando, quia nisi hanc viam elegisset, diminutionem dominij & patrimonij passus fuisset, cum res per eum justo & legitimo titulo possessa per hypothecariam avocata fuisset: ergo clarum est, quoòd certavit de damno vitando, cùm damnum sit diminutio patrimonij, *l.3.ff.de dam.infect.* Concludendo ergo ex præmissis dico, quod dictus dominus princeps cessionarius efficaciter agere potest, actione cessa contra præfatam dominam de Halwyn, heredem quondam domini Ioannis de Commines, dum vixit, tutoris dicti Philippi domini temporalis d'Argenton, omnibus in contrarium allegatis non obstantibus, judicio cujuslibet rectius sentientis semper salvo.

CONSILIUM CLXXXV.

SUMMARIA.

1 *Lucri in personam alicujus radicati privatio pro damno reputatur.*
2 *Consuetudo loci pro lege habetur.*
3 *Tutor datus extra territorium dantis nullam habet administrationem.*
4 *Consuetudo loci, ubi bona, maximè immobilia, sunt sita, semper inspicienda est.*
5 *Consuetudo loci situationis bonorum in successione ab intestato observari debet,* & *num.9.*
6 *Bona immobilia extra territorium confiscantis sita, non applicantur confiscanti, sed domino loci situationis bonorum.*
7 *Hereditas collateralium non adita non transmittitur.*
8 *Testamentum conditum secundum cōsuetudinem loci in quo conficitur, porrigitur etiam ad bona alibi sita, licet ibi alia sit consuetudo.*
10 *Substitutio fideicommissaria operatur, ut primo testatori non instituto succedi dicatur.*
11 *Casus in testamento omissus dispositioni juris relictus censetur.*
12 *Hereditas ascendentium, etiam non adita, ex vi suitatis ad descendentes transmittitur.*

13 *Substitutio eo modo, quo institutio, facta censetur.*
14 *Pro expresso habetur, quod ex conjectura colligi potest.*
15 *Provisio hominis facit cessare provisionem legis.*
16 *Filiorum appellatione non veniunt nepotes, maximè in substitutionib. Fallit, ut num. 18.*
17 *Patruo vel avo qualiter succedatur;*
19 *Sexus differentiam lex nõ admittit.*
20 *Tutores rationem litigandi probabilem non habentes, pupillis actionem tutelæ, sumptus & expensas litis resarcire tenentur.*
21 *Subveniendum non est ei, qui seipsum in necessitate posuit.*

PRæsupposita consuetudine oppidi ac territorij Mechliniensis, qua cavetur, quod in bonis venientibus ex latere non succedunt fœminæ, superstitibus masculis etiam remotioris gradus. Item quòd in linea recta filius vel nepos ex eo, admittitur cum filiâ vel nepte defuncti cum prærogativa duplicis portionis. Factum tale est. Paulus Robbyns & sua uxor in testamento per eos condito, inter alia voluerunt & ordinarunt, quod post mortẽ eorum & superstitis ex eis, omnia & singula bona per eos acquisita, post eorum amborum mortem, devolvi debeant jure successorio ad eorum proles, nulla facta differentia inter proles masculinas & fœmininas, easdẽ proles in illis bonis æqualiter instituendo, & si contingeret aliquẽ ex eis decedere sine prole legitima, portio ejus devolveretur ad superstites, inhibita alienatione quovismodo facienda, ut hæc ad alia in instrumento testamẽti plenius continentur: defunctis autem Paulo antedicto & sua uxore, ac divisis bonis inter proles, juxta tenorem dicti testamenti, decessit Walterius Robbyns unus filiorum, relictis duabus prolibus masculinis, & depost decessit Iacobus Robbyns, nullis relictis prolibus legitimis. Dubitatur modò de bonis dicti Iacobi, ad eum ex præfata dispositione testamentaria devolutis, situata in territorio Mechliniensi, quæ siquidem bona ex substitutione & provisione dicti Pauli & suæ uxoris, detractis legitima & Trebellianica, devolvi debent, ut præmittitur, ad proles superstites: an illa applicari debeant solis prolibus masculinis dicti Waltheri, exclusis amitis, quasi veniant ex latere propter dictam consuetudinem, vel an illis dictæ proles masculinæ Walteri debeant succedere cum suis amitis, cum prærogativa duplicis portionis, quasi veniant à Paulo in recta linea, propter aliam partem dictæ consuetudinis, vel an dictæ amitæ tãquam proximiores in gradu, & in quibus reperitur qualitas filiationis, debeant filiæ succedere in illis bonis, exclusis prolibus dicti Walteri, in quibus qualitas filiationis non reperitur, vel an dictæ proles Walteri debeant æqualiter in illis bonis succedere cum suis amitis in stirpem, repræsentando eorum partem. Pro cujus decisione & clara intelligentia ponenda sunt motiva ad quamlibet partem, ut sic opposita juxta se posita magis elucescant: & tandem ponenda & eligenda est conclusio, quæ veritatem pro se habere videtur. Et primò videtur, quòd † dicta
1 bona debeant applicari solis prolibus masculinis dicti Walteri, exclusis amitis; quia in hoc casu videtur agi de successione dicti Iacobi, quia bona, de quibus est quæstio, fuerunt radicata in personam dicti Iacobi, & desierunt esse bona dicti Pauli, per divisionem & possessionẽ subsecutas, & sic de eis judicandum videtur, ut de bonis Iacobi: quia, *ut eleganter dicunt Cynus* & *Bald. in l. cum te, C. de dona. ante nupt.* quando lucrum est radicatum in personam alicujus, tunc privatio lucri est damnum, propter radicationem, quæ atten-

attenditur: cùm ergo dictus Iacobus Robyns, de cujus hæreditate agitur, fuerit patruus prolium dicti Walteri, & sic attinens istis succedere volentibus in linea collaterali: sequitur quòd solis prolibus masculinis præfati Walteri dicta bona debeant applicari, exclusis amitis propter
2 dictam consuetudinem, † quæ, quoad bona in ejus territorio situata, debet observari pro lege, *l. de quibus, ff. de legib.* & *l. 1.* & *2. C. quæ sit long. cons.* in bonis autem situatis in territorio Antwerpiensi, & alibi, ubi servatur jus commune, simul concurrent, *Authent. cessante, C. de legit.*
3 *hæred. juncta* † *l. pupillo, de tuto.* & *curat. da. ab his*, ubi ratione diversarum jurisdictionum & territoriorũ, diversi judices dant tutores, & unus non intromittit se de territorio alterius: semper
4 † enim inspicienda est consuetudo loci, ubi res sunt sitæ, *d. l. pupillo,* & *l. Titium* & *Mævium, §. fi. ff. de adm. tuto.* maximè quò ad immobilia, *l. quicunque, circa medium, C. de hæreti. pro quo faciunt nota. per Pet. de bella pertica, Iacob. de Raven.* & *alios in l. cunctos populos, C. de summa Trinit.* & *fide cathol.* qui volunt,
5 quòd † hæres institutus per illum, qui habet bona in diversis locis, in quibus sunt diversæ consuetudines circa solennitatem testamenti, habebit bona illius loci, cujus servata est solennitas requisita de consuetudine: & alia bona alibi existentia, ubi viget consuetudo contraria, cujus solennitas non est observata, habebit hæres ab intestato, *per jura suprà allegata*: ergo idem videtur dicendum in proposito: *ad quod etiam faciunt nota. per Ludov. de Roma. in suis singul. singul. 576. incipiente, licet magna sit questio.* ubi vult,
6 quòd † lata sententia confiscationis vel publicationis bonorum contra aliquẽ, habentẽ bona immobilia, situata extra territorium confiscantis, non applicantur confiscanti, sed domino loci situationis bonorum, *per d. l. quicunque.* Nec obstat, quòd in personis prolium dicti Walteri qualitas filiationis videtur deficere, quia ad hoc respondebitur infrà. Sed istam opinionem non approbo, propter tria. Primò, quia in casu nostro non agitur de successione dicti Iacobi, ut præsupponit dicta opinio, sed agitur de successione dicti Pauli, ex cujus provisione & substitutione capiuntur dicta bona, *l. cohæredi. §. cum filiæ, cum ibi nota. per Ioan. de Imo. Alex.* & *alios, ff. de vulgar.* & *pupilla.* & sic non sumus in casu dictæ consuetudinis, loquentis de successione veniente ex latere: Tum etiam, quia si dicamus, dictam hæreditatem venire ex latere à præfato Iacobo, tunc non possunt filij dicti Walteri in ea jus prætendere, quia pater eorum antè decessit, &
7 † hæreditas veniens ex latere non adita non transmittitur, *l. quoniam sororem, C. de jure delib.* Tum tertiò, quia quan-
8 do † hæreditas debetur ex testamento seu provisione alicujus, si est adhibita solennitas requisita in testamento de consuetudine loci, ubi conditum est hujusmodi testamentum, tale testamentum porrigitur ad bona etiam extra territorium sita, licet ibi alia sit consuetudo, *ut volunt Wilh. de Cuneo, Cyn. Bart. Bal. Salic. Ioan. Fab.* & *communiter omnes Dd. in d. l. cunctos populos,* & *Ioan. And. in addit. ad Specu. in tit. de instru. edit. in §. compendiosè, in versi. quid si consuetudine,* & *dominus Pet. de Anchora, in repetitione c. canonum statuta, in 11. quæst. principali, de constit. arg. l. fin. C. de præscrip. long. tempo.* & *l. secunda, C. quemad.*
9 *testa. aperiant. cum plur. sim.* licet † in successione ab intestato servanda sit consuetudo loci situationis bonorum, quando sunt diversæ consuetudines, diversimodè disponentes circa divisiones bonorum & modos succedendi, *ut volunt Doct. ubi suprà*, & per hoc tolluntur omnia

quæ ſuprà adducta ſunt. Ex diverſo videtur, quòd dicta proles Walteri debeat
ſuccedere cum ſuis amitis, cum prærogativa duplicis portionis, quia † hic agitur
10 de ſucceſſione dicti Pauli, propter dictam ſubſtitutionem fideicommiſſariam, de cujus natura eſt, ut ſuccedatur primo teſtatori, non inſtituto, *d.l.cohæredi.* §.*cum filię.ut ſuprà dixi*: ergo videtur locum habere conſuetudo, quæ dat maſculis prærogativam duplicis portionis: nam † ex
11 quo teſtator in caſu iſto expreſsè non diſpoſuit, quomodo & qualiter debeant ſibi invicem ſuccedere, iſte caſus tanquam omiſſus videtur relictus diſpoſitioni juris municipalis, *l.ſi cum dotem, in princ.ff.ſol. mat.*& *c.ſuſceptum, de reſcrip.lib.6.* Nec
12 obſtat, ſi dicatur, quòd hæreditas † non adita non tranſmittitur, *d.l.quoniam ſororem*, quia hoc non habet locum, quando agitur de ſucceſſione aſcendentis, ut in caſu præſente, imò tunc ex vi ſuitatis fit tranſmiſſio ad ſuos hæredes, & quoad alios, *ex beneficio tituli*, *C.de his, qui ante apertas tab.ubi caſus*, & *habetur in l.unica.§.in noviſſimo, C. de caduc. tollen.* Sed iſta opinio etiam non placet, quia in caſu præſenti teſtator videtur clarè diſpoſuiſſe, quòd æqualiter ſuccedent, quod probo, quia † eos æqualiter inſtituit, & ipſos invicem ſubſtituit: cùm ergo in inſtitutione ſint vocati æqualiter, ſine aliqua deſignatione partium, ergo eodem modo videntur vocati in ſubſtitutione, quemadmodum enim teſtator eos dilexit in inſtitutione, ita eos videtur dilexiſſe in ſubſtitutione, *l.1. C. de impub.* & *alijs ſubſt.*
13 Nec † eſt verum, quod iſte caſus ſit omiſſus, imò cenſetur expreſſus ex conjectura æqualis inſtitutionis, *d.l.1.juncta l. licet imperator, ff. de lega.1.* Nec obſtat dicta conſuetudo, quia illa ſolum locum habet in ſucceſſione inteſtati, & minimè in ſucceſſione teſtati, quando per teſtatorem diſpoſitum & ordinatum eſt, quomodo debeat dividi ſua hæreditas, ut in caſu præſenti, & ſic locum habet regula, generi per ſpeciem derogatur, & alia re-
15 gula, proviſio † hominis facit ceſſare proviſionem legis, *l.fina.C.de pact.conven.*& *l.*& *habet.§.cùm quis.ff.de preca.cum ſi.* dictus autem Paulus teſtator de omnibus bonis acquiſitis diſpoſuit, ſed qui omne dicit, nihil excludit, *l. à procuratore, cum gl.C.manda.* ergo, &c. Præterea dictæ proles Pauli, eo defuncto omnia bona ubicunque ſituata, non obſtantibus conſuetudinibus localibus, æqualiter diviſerunt, juxta tenorem dicti teſtamenti: ergo etiam nunc portionem dicti Iacobi, eis debitam ex fideicommiſſo, & diſpoſitione dicti Pauli teſtatoris, æqualiter dividere debent, non obſtante diverſitate conſuetudinum localium ſituationis bonorum, per prædicta. Econtrà videtur, quòd dictæ amitæ debeant excludere filios dicti Walteri, ſuos nepotes, tum, quia proximiores in gradu, tum etiam quia defuncto ſine liberis ſubſtituti ſunt filij teſtatoris, ſed dicti nepotes non ſunt filij te-
16 ſtatoris, quia † appellatione filiorum non veniunt nepotes, *l.quid ſi, nepotes. ff. de teſta.tut.*& *§.fin.Inſt.qui dari tuto.teſt.poſſ.* maximè in ſubſtitutione, *l.Gallus.§.quidam rectè.ff.de libe.*& *poſth.* & ſic in eis deficit qualitas filiationis, ponderata per teſtatorem in ſubſtitutione, tum etiam quia ex quo dictus Walterus deceſſit, ante præfatum Iacobum ſuum fratrem, non tranſmiſit jus hæreditatis non aditæ in ſuos filios, cum veniat ex latere, ut videtur *d.l.quoniam ſororem.* Sed iſta
17 opinio nullo modo placet. Quia † ſi agatur de ſucceſſione præfati Iacobi, & dicamus locum eſſe ſucceſſioni ab inteſtato, dicti nepotes de jure communi debent ſuccedere eidem Iacobo eorum patruo ab inteſtato, cum ſuis amitis in ſtirpem, repræſentando perſonam patris, *ut eſt tex. in Auth. ceſſante, C. de legit. hęre.*

& ex

& ex consuetudine loci situationis bonorum deberent succedere soli, exclusis amitis, ut suprà dixi: si verò agatur de successione Pauli, adhuc dicti nepotes de jure communi debent succedere eidem Paulo, eorum avo ab intestato, cum suis amitis in stirpem, repræsentando personam patris, *Auth. in successione, C. de suis & legit. hered.* & *§. cùm filius. Inst. de her. quę ab intest. defer.* & de consuetudine, cum prærogativa duplicis portionis, *ut dictum est suprà.* Si verò dicamus, locum esse successioni testati, prout se habet veritas, tunc clarum est, quòd agitur de successione dicti Pauli, & sic de successione lineæ rectæ, in qua locum habet jus transmittendi, *ut est casus in dicta l. unica, C. de hïs, qui ante apert. tab.* & *præall. l. unica. §. in novissimo. C. de caduc. tollen.* Nec obstat *dicta l. quoniam sororem*, quia loquitur in successione, veniente ex latere: Non obstat etiam aliud quo dicitur, quòd defuncto sine liberis substituti sunt filij Pauli, & quòd appellatione filiorum non veniunt nepotes: quia omissis diversis solutionibus, quæ ad hoc dari possent *ex nota. pulchrè per Bal. in l. maximum vitium, C. de liber. præteri.* dico breviter,
18 quòd † appellatione filiorum veniunt nepotes, quando dispositio est collata in quendam futurum eventum, in quem verisimiliter erat dubium, an extarent liberi primi gradus, an verò nepotes, ut in casu præsenti: nam tunc verisimile est, quòd testator latè intellexit verbum *filiorum*, cùm verisimiliter præsumatur par fuisse affectio testatoris erga nepotes, si illi superessent filijs præmortuis, quæ erat erga filios: *ita notabiliter vult domin. Ioan. de Imo. in dicta l. Gallus, in §. instituens*, ubi per hoc decidit quæstionem, quæ fuit de facto: nam quidam instituit fratrem suum hæredem, & si decederet sine liberis, substituit filios Sempronij, postea defuncto testatore, frater ejus decessit sine liberis, & non supersunt aliqui filij Sempronij, sed benè nepotes; quæritur, an illi nepotes admittentur ex vi substitutionis? Et videbatur quòd non, quia appellatione filiorum non veniunt nepotes: contrarium tamen ipse determinat, *per leg. Lucius 2. ff. de hęred. instit. ubi de hoc est casus*, & *est de mente Ang. in dicto §. finali. Instit. qui dari tuto. testa. poss.* Concludendo ergo dico, quòd in casu præsenti filij dicti Walteri succedunt una cum amitis in stirpem, & sic æqualiter, quia videntur æqualiter vocati, & æquè dilecti in substitutione, quemadmodum in institutione. *dicta l. 1.* & nulla est facta per testatorem
19 differentia sexus, nec † lex eandem differentiam sexus admittit, *dicta l. maximum vitium, C. de liber. pręter.* & hic agitur de successione dicti Pauli ascendentis testati, & sic non obstat, quòd de transmissione objici posset, cùm sumus in linea recta, ut dictum est suprà. Nec etiam obstat dicta consuetudo Mechliniensis, quia illa solùm locum habet in successione intestati, *ut volunt Dd. in præall. l. cunctos populos*, & *dom. Petrus de Anchor. in dicto cap. canonum statuta, in 12. quæst. princ. in vers. quæro, juxta prædicta de questione tali cavetur statuti Truderti*, &c. Nec habet locum regula, casus omissus relinquitur dispositioni juris municipalis: imò habet locum regula, generi per speciem derogatur, & regula, provisio hominis facit cessare provisionem legis, ut
20 suprà declaravi. Non igitur † consulerem tutoribus dictarum prolium, litem seu processum instituere contra amitas seu earum maritos, cum se inanibus sumptibus vexarēt, amicos provocarent, & verisimiliter obstante voluntate defuncti, nihil ex hujusmodi institutione processus obtinerent, *ut in simili consulendo dicit Ictus in l. 1. ff. de inof. testam.* aliàs faciendo tutores fortè tenerentur dictis pupillis, actione tutelæ resarcire sumptus &

expensas litis, quasi ratio litigandi non
subfuerit, *l. qui solidum, §. etiam, ff. de leg.*
2. sed crederem, eos propter probabile
dubium posse excusari, *a g eorum quæ habentur*, & *notantur in c. finem litibus, de*
dolo & *con u.* & *in cap. unico, in verbo, de*
cætero, de postu. prela. lib. 6. & *in cap. capellanus, de feriis.* & *in l. properandum. §.*
sine autem alterutra, & *in l. sancimus, C.*
de juds. Tutius tamen est abstinere, & nõ
21 ponere se in periculo, quia qui † amat periculum, peribit in illo, nec est subveniendũ ei qui in necessitate se posuit, *l. 2. § si*
quis tamẽ juncta gl. ff. si quis cauti, cum si.
& pro excusatione eorum sufficiet, quòd
peritiores consuluerunt, & illi dissuaserunt, & jus pupillorum nihilominus manebit salvum & illæsum, qui adveniente
ætate legitima experiri potuerunt de jure suo, si id eis consultum videatur.

CONSILIUM CLXXXVI.

SUMMARIA.

1 *Ius alicui competens sine facti explicatione clarescere non potest.*

2 *Confessio extrajudicialis semiplenam facit probationem, nec illi per subsequentem judicialem ullum fit prejudicium.*

3 *Confessio extrajudicialis iterata plenè probat: maximè si rem alterius esse quis confessus fuit.*

4 *Donator signans rem donatam, signo donatarij, tradere censetur.*

5 *Consuetudo patrisfam. in omni dispositione multum attenditur.*

6 *Descriptio in libro rationum cujus effectus?*

7 *Quę speciali nota sunt digna, si subticeantur, neglecta videntur.*

8 *Charitas & conjunctio sanguinis dispositionem minus validam reddunt efficacem.*

9 *Fama publica, & communis viciniæ reputatio quid probent.*

10 *Obligatio etiam per nuncium contrahi potest.*

11 *Confessio extrajudicialis, in præsentia partis facta, plenè probat.*

12 *Repetita donationis recognitio, verę dispositionis vim habet.*

13 *Alimenta de jure canonico debentur maculã illegitimitatis patientibus.*

14 *Aureus legalis ultra duos communes florenos valet.*

15 *Donatio remuneratoria excedens summam quingentorum aureorum, insinuatione non eget.*

VEnerabilis domine Officialis, licet
meum non sit instruere Minervam,
tamen quia facta prudentissimos homi-
1 nes latent, & jus † alicui competens sine
facti explicatione clarescere non potest
vel discerni, ut desiderio amici satisfaciam, paucis quæ ad rem faciunt explicabo: stat enim difficultas materiæ, de qua in D. V. est compromissum, nisi fallor, in duobus. Primò, an donatio domus, utensilium, & argenteorum vasculorum, de quibus est contentio, revera facta sit, vel de eâ constare possit. Secundò, dato, quòd de ea constet, an sit valida? Et omissis superfluis videtur quoad primum, sub correctione vestra, quòd de ea ad sufficientiam constare poterit, si per D. V. examinentur testes pridem extra figuram judicij auditi, quia adhuc vivunt, &
ut speratur aliter quàm semel deposue-
2 runt, non deponent, & dato † quòd aliter
deponerent, non valeret eorum depositio in præjudicium primę depositionis, *secundum Bart. in l. eos. ff. ad leg. Corn. de falsis,* & *sequitur Ant. de But. in cap. cùm in tua, de testi.* primò enim sunt duo testes, qui extrajudicialiter auditi dixerunt, se simul fuisse præsentes, ubi dominus Iacobus Antonij dixit, & confessus est, & sæpè iteravit, quòd domum litigiosam cum utensilibus & argenteis magistro Io-
hanni

banni suo filio donavit, quæ confessio extrajudicialis probata per duos testes, facit semiplenam probationem, *ita in terminis vult Bar. in l. admonendi, in 9. col. in vers. his præmissis ff. de injur.* & *sequuntur ibi comm. Dd. per l. capite quinto, juncta sua gl. ff. de adulter. hoc vult etiam Paul. de Cast. in l. publia, ff. depo.* & *expressè Lanfrancus in repet. dictæ l. admonendi*, & *Iason etiam in repet. super eadem l.* ubi finaliter dicit, quòd ab illa opinione in judicando & consulendo non est recedendũ, & *idem volunt Panorm.* & *Ioannes de Imola*, & *alij canonistę in cap. si cautio, de fide instrum.* imò quod plus est: quando
3 † confessio extrajudicialis est iterata seu geminata (ut in casu præsenti) facit plenam probationem, *ita vult Bart. in l. cùm scimus, C. de agri. & censi. lib. 11. quem refert* & *sequitur Iason in dicta l. admonendi*, & *Panorm. in dicto cap. si cautio, in fine.* præsertim hoc procedit, quando quis confessus fuit, rem aliquam esse alterius (ut in casu præsenti) *secundum Anton. de Butrig. in dicto cap. si cautio*, quòd autem dicta confessio facta fuerit, probant duo testes suprà dicti, & tertius testis etiam extrajudicialiter auditus, & sunt plures alij, qui singulariter id audiverunt à dicto domino donatore. Item, cum ista probatione ad minus semiplena concurrunt plures conjecturæ, dictam semiplenam probationem confortantes.
4 Primò enim concurrit, quòd † dictus donator in eadem domo arma dicti donatarij, ac nomen & cognomen ejusdem in vitris ac fenestris & asseribus depingi & insculpi fecit, quæ vim traditionis habent, *l. quòd si neque. ff. de pericu.* & *comm. rei vend.* Secundò concurrit alia
5 conjectura, videlicet, quòd dominus † donator coram omnibus illic venientibus semper dicere consuevit, quòd illa erat domus magistri Iohannis, ut per testes, si opus fuerit, liquidè probabitur, & sic nominatio illa cum alijs conjecturis suprà dictis & infrà dicendis, facit censeri ita esse, *cap. illud, de præsumpt.* & *l. si pater, cum ibi notatis, per Cyn.* & *Dd. de hęred. instit.* & *cap. per tuas, cum ibi notatis, qui filij sunt legiti.* multum enim attenditur in omni dispositione consuetudo patrisfamilias, *l. vel universorum, cum*
6 *sua gl. ff. de pigno. actio.* Tertiò, concurrit † alia conjectura multum fortis, videlicet, quòd dictus dominus donator in libro suo rationum, scribendo exposita pro refectione dictæ domus, vel ob solutionem census inde exeuntis, semper notavit & signanter descripsit de anno in annum, continuando & perseverando in hujusmodi donatione, hæc vel similia verba: *pro domo magistri Iohannis tantum solvi*, &c. quæ descriptio in libro rationum summè est ponderanda, & est maximi effectus. *l. Nesennius. ff. de neg. gest.* & *notat. per Dd. in l. alimenta. C. eodem tit.* Item concurrit alia conjectura, videlicet quòd dictus donator in suo testamento non disposuit in specie & distinctè de hujusmodi domo, nec etiam de utensilibus, quod verisimiliter fecisset, si hujusmodi donationis memor non fuisset, quia
7 quæ † speciali nota sunt digna, si subticeantur, videntur neglecta, *l. idoli clausula, ff. de verb. oblig. cum sim.* & licet de aliquibus vasis argenteis in suo testamento fecerit mentionem, id non est ponderandum, cùm id per errorem, vel oblivionem, vel aliquorum forsan inductionem factum sit. nihilominus dictus donatarius est contentus, quòd hujusmodi dispositio, quatenus in specie donator disposuit de hujusmodi vasis argentes, sortiatur effectum. Item, concurrit a-
8 lia conjectura, scilicet † charitas, necessitudo, & conjunctio sanguinis, quæ dispositionem minus validam, reddit efficacem, & contenta in ea auget, *l. si servus plurium. § fina. ff. de legatis 1. juncta l. in testa-*

testamento, ff. de fideic. liber. Item, cum
9 istis concurrit † fama publica, & cōmu-
nis reputatio viciniæ, & omnium notitiam
dictæ domus habentium, quæ etiam est
multum ponderanda *d. cap. illud, cum con-*
10 *cordantijs*, & ultra prædicta dictus † do-
minus donator anno 57. coram quodam
religioso patre recognoscens se prædictā
donationem, ut præmittitur, fecisse, volēs
eam renovare, eidem religioso patri in-
junxit, ut dicto magistro Iohanni nuncia-
ret, quatenus ipse præfatam domum cum
utensilibus & argenteis de novo eidem
donavit & dedit, quam siquidem donatio-
nem manu ad pectus posita juravit ob-
servare, qui religiosus pater insequens mā-
datum sibi factum, tanquam nuncius &
minister hoc dicto magistro Iohanni si-
gnificavit, qui magister Iohannes hanc
donationem sic iteratam & geminatam,
gratam & ratam habens, eandem acce-
ptavit, prout dictus religiosus pater ex-
trajudicialiter auditus, deposuit, & re
examinandus, ut speratur, deponet, quod
est summè ponderandum, *per ea quæ ha-
bentur & notantur per glossam ordin. in l.
consensu. ff. de act. & oblig.* & *per Archi-
diac. in capit. illud, 30. quæst. 5. & per not.
per Dd. in capit. fina. de procur. lib. 6.* &
quod omnium maximum, dictus domi-
nus donator depost, in præsentia dicti do-
natarij, præfati religiosi patris, & aliorum
testium confessus est, & recognovit se
prædicta fecisse, & præfato religioso pa-
tri, ut suprà dicto magistro Iohanni re-
nunciaret & referret, injunxisse, & se au-
divisse, quòd per dictum patrem hæc o-
mnia dicto magistro Iohanni relata, &
per eundem acceptata fuerunt, de quo di-
xit se summè gaudere, & imposterum
velle perseverare, subjungens dirigendo
verba ad dictum magistrum Iohannem,
quòd ipse haberet agere gratias præfato
religioso patri illic præsenti. cùm ergo
11 confessio † extrajudicialis facta in præ-
sentia partis plenè probet, *l. certum. §. si
quis absente, cum ibi notatis, per Dd. ff. de
confess.* & *habetur in cap. fina. de confess.*
sequitur, quòd per hanc confessionem ex-
trajudicialem, in præsentia partis factam,
probandam, si necessè fuerit, per tres te-
stes, sufficienter constabit de hujusmodi
donatione, etiam si præmissa omnia cessa-
12 rent, prout non, & tanto magis, † quia di-
cta repetita recognitio aggreata & lau-
data in præsentia partis potius fuit dispo-
sitio vera, quam confessio, *per ea quæ no-
tanter volunt Host. Io. And.* & *Dd. in c.
dilectus*, & *in c. ex literis, 2. de spons.* & in
supplementum omnium præmissorum,
præfatus magister Ioan. offert, si D. V. vi-
deatur, suum præstare juramentum, licet
illud non videatur necessarium. In vim
cujus donationis præfatus magister Ioh.
domum antedictam cum utensilibus &
vasis argenteis, de quibus est contentio, a-
nimo & corpore apprehendit, illam inha-
bitavit, claves ejusdem habuit, ac eam
possedit, sciente, patiente, & collaudante
præfato domino donatore in vita ejusdē,
ac in morte, & post mortem, videntibus
& scientibus dom. Heinrico Zwavaert,
& magistro Wilhelmo Gerwe, executo-
ribus ejusdem domini donatoris, palam &
publicè, pacificè, & quietè, donec & quo-
usque placuit magistro Nicolao Nispen,
& alijs eidem sine causa saltem legitima
impedimentum præstare. Ex quibus vi-
detur, sub correctione, ad sufficientiam
constare de veritate donationis.

Restat nunc ostendere, quòd dicta do-
natio valuit, quod facilè fiet, si tollantur
objecta: videtur enim dicta donatio non
valere, propter maculam illegitimitatis
& incapacitatis, & quia est magna & ex-
cessiva excedens alimenta, & quia causa
alimentorum cessat in persona magistri
Ioannis, qui aliundè habet unde sustente-
tur, & quia non est insinuata, sed hæc o-
mnia tolluntur uno verbo legitimationis.

Constat enim per literas patentes, maculam illegitimitatis & incapacitatis, per principem, qui illam incapacitatem induxit esse sublatam, ut videri potest ex hujusmodi literis legitimationis & restitutionis natalium, in amplissima forma expeditis, per quas ipse qualificatur & redditur capax, ad quamcunque summam ex donatione vel legato factis vel fiendis capiendam, absque aliqua restrictione, & etiam ad successionem ab intestato; & sic cessat prætensa incapacitas, cessat etiã,
13 quòd de alimentis allegatur, quia † ex quo persona est capax, non oportet habere respectum ad jus canonicum, permittens tantum alimenta relinqui, *c. cum haberet, de eo qui dux. in mat. quam poll. per adult.* quia illud succurrit maculam illegitimitatis patientibus, & sic de jure civili incapacibus. *Auth. ex complexu, C. de inces. nup.* quod cessat in casu præsenti propter legitimationem, ut prædixi. Nec aliquid facit quod de insinuatione allegatur, quia supposito, quòd donatio ultra quingentos aureos non valeat absque insinuatione, per hoc nihil infertur in casu præsenti; quia ista donatio contentiosa dictam summam
14 non excedit, cùm † quilibet aureus legalis valeat plusquam duos communes florenos, & sic quingenti aurei legales ad minus faciunt mille florenos, ad quos non ascendit donatio contentiosa, & dato quòd ascenderet dictam summam, tamen †
15 quia fuit remuneratoria, ut informor, in recompensam eorum, quæ quondam dominus donator de beneficijs donatarij recepit, non eguit insinuatione, *l. Aquilius regulus, cum ibi notatis per glos. Paul, de Castro. Ioan. de Imola, & Dd. ff. de don.* & per præmissa tolluntur etiam alia, per executores contra dictam donationem allegata, quæ quia debilia sunt & frivola, non repeto, ne aures D. V. ocularissimæ & circa multa occupatæ, offendam.

CONSILIUM CLXXXVII.

SUMMARIA.

1 *Præscriptio tẽporis, cujus initij memoria non existit, omne jus & actionem aufert.*

2 *Debitor die constituta non solvens, in mora & mala fide constituitur: Ideoque præscribere nequit.*

3 *Præscriptio an & quando sine possessione procedat.*

4 *Ad præscriptionem libertatis contra servitutem prædij urbani vel rustici, quæ requirantur?*

5 *Bona fides in animo consistere censetur.*

6 *Mala fides defuncti etiam in herede durare existimatur: licet revera sit in bona fide constitutus.*

7 *Negligentia petitoris non excusat conscientiam debitorum, constituto tempore non solventium.*

8 *Bona fides non requiritur in præscriptione, quæ negligentis solùm odio & sine possessione procedit.*

9 *Intellectus* c. fin. de præscript.

10 *Tempus an sit causa inducendæ vel tollendæ obligationis?*

11 *Dies qualiter pro homine interpellare dicatur, & num. 13.*

12 *Præsumptio malæ fidei, lapsu temporis memoriam hominis excedentis, tollitur.*

14 *Mala fides prælati defuncti nocet successori.*

15 *Annuæ præstationi quanto tempore præscribatur?*

Visis actis & causæ meritis processus, pendẽtis coram insigni venerabilique domino Conservatore almæ Universitatis studij Lovaniensis, tanquam subdelegato inter syndicum seu procuratorem religiosarum dominarum abbatissæ, & conventus monasterij de Camera, ordinis

Cisterciensis Cameracensis diocœsis & eo nomine actoris ex una, & syndicum seu procuratorem venerabilium & religiosorum dominorum Abbatis & conventus de Heylichim, ordinis Præmonstratensis, Leodiensis diocœsis, & eo nomine reos ex altera partibus: Ejus principalis difficultas consistere videtur in præscriptio-
1 ne † tanti temporis, cujus initij memoria non existit, quo cessatum asseritur à solutione pensionis per actores petitæ, qua præscriptione sublatum videtur omne jus atque actio, quod vel quæ ipsis actoribus quovismodo prius competierat aut competere posset, *per ea quæ habentur in l. omnes*, & *in l sicut in rem.* & *in l. cum notissimi, C. de prescript.* 30, *vel* 40. *ann.* & *in c. de quarta.* & *in c. vigilanti*, & *in c. si diligenti, de prescrip.* & *in c. super quibusdam.* §. *preterea, de ver. sig.* & *in l. hoc jure.* §. *ductus aque. ff. de aqua quoti.* & *æsti. cum sim.* ubi habetur, quod omne jus & sic actio tanto tempore tollitur, & pro constituto habetur. In contrarium tamẽ, multum facere videtur de annua præstatione solenniter per abbatem & conventum de Heylichem promissa, certo die & termino, onere ipsorum præfatis Abbatissæ & conventui de Camera transmittendenda & exolvenda, prout in literis desuper exhibitis, dilucidè continetur, & quòd postea illius solutio ad paucos annos sub-
2 secuta est, per † quam constitutionem & promissionem post terminos effluxos in mora & mala fide, proculdubio illi de Heylichem constituti videntur, *per l. magnam, C. de contr.* & *commit. stipul.* & *l. si ex legati causa, ff. de verbor. oblig. cum simil.* & cum malæfidei possessor nullo tempore præscribat, *ut in Authen. malæ fidei, C. de præscrip. long. tempo.* & *in regula possessor, de reg. jur. lib. 6.* sequitur, quòd nullo tempore præscribere dictæ annuæ præstationi potuerunt. Quid dicẽdum maximè in via judicij? profecto materia egeret plurima discussione, propter varias Doctorum, tam juristarum quàm theologorum opiniones. Sed ex quo sumus in foro fori, non conscientiæ postponendi atque relinquendi videntur domini theologi, præcipuè, quia ipsi inter se varij sunt, ut patet intuenti in foro ipsorum, & sic causa secundum sacros canones re-
3 manebit terminanda. Et licet † præscriptio regulariter sine possessione non procedat, *ut in regula, sine possessione in 6. cum concordan.* tamen clarum est, quòd aliquando præscriptio ex solo odio negligentis absque aliqua possessione præscribentis procedit, ideo de illa, quoniam in pluribus passibus per Dd. utriusque juris abundè satis scriptum habemus, pauca admodum & resolutiva videntur tangenda. Et primò, ut superius tactum est, non sumus in præscriptione annuæ præstationis, & tãti temporis, &c. quæ in casu subjecto fundatur in sola negligentia nõ petentis. Cui negligentiæ præponi videtur mora & mala fides non solventis, per termini lapsum in mora & mala fide consti-
4 tuti, *per jura preallegata*, quoniam † præscriptio libertatis, quæ naturalem habet causam & favorabilem, in qua etiam nullum factum præscribentis seu possessio requiritur, si bonam non habeat fidẽ, non currit, *l. Attilicinus, ff. de servi. rust. pred.* & *per Bal. in l. 1. C. de servit.* & *aqua*, cũ distinctione tamen de prescribenda libertate contra servitutem prædij rustici, ut illa procedat sine bona fide ex sola negligentia adversarij, secus in præscribenda libertate contra servitutem predij urbani, *ut ff. de servi. urba. præd. l. hæc autem jura*, in qua requiritur factum & animus
5 præscribentis, & per consequens bona † fides quæ in animo consistit, *secundum Cyn. Pet.* & *Bart. alleg. per Bal. in d. l. prima*, de quibus parum ad propositum, quia sumus in personali & annuâ præstatione; videamus ergo de personali actione, postea

poſtea aliquid de annua præſtatione: per-
6 ſonali † autem actione & jure canonico,
quod redire videtur per omnia ad jus an-
tiquum ff. quo mala fides defuncti finge-
batur etiam eſſe in perſona hæredis, quã-
vis revera eſſet in bona fide, per l. cum he-
res, ff. de diverſ. & temp. præſcrip. & l. re-
gulam. §. ſi defunctus. ff. pro empt. cum ſi-
mil. ut habetur latè per Dd. poſt Bart. in
l. Pomponius. §. cum quis adminiculo, ff. de
acquir. poſſeſſ. ubi etiam habetur de intel-
lectu regulæ, & dictæ Auth malæ fidei,
clarum eſt, quòd tollitur ſpatio quadra-
ginta annorum ſola negligentia non pe-
7 tentis, de jure civili: de † jure verò cano-
nico videtur, quòd negligentia petito-
toris non excuſat conſcientiam debito-
rum, imò quantum morantur, tanto plus
delinquunt, d. c. fin. de præſcript. quod
approbat Bald. in dicta l. prima, C. de ſer-
vit. & aqua. Sed moderniores poſt Bart.
ut Panorm. & alij in dicto cap. fina. te-
8 nent abſolutè, quòd in † præſcriptione,
procedente ſine poſſeſſione & odio negli-
gentis tantum, non requiritur bona fides,
per §. viam, l. ſequitur, ff. de uſucap. & di-
9 cunt, dictum † c. fina. de præſcript. intel-
ligendum, ubi poſſeſſio præſcribentis exi-
gitur, ut poſt multas Dd. allegationes
voluit Panorm. poſt Bart. in d. §. ſi viam,
in eo. c. fi, & poſt Hoſt. & Ioan. Andr. in
d. regula poſſeſſor, quare cùm ſumus in
præſcriptione tanti temporis, atque in
præſcripiione, quæ potius imputanda eſt
negligentiæ non proſequentis jus ſuum,
quàm facto debitoris, per jura prEallega-
ta. Sequitur ergo contra, dictos actores
tanquam in eorum petitione poſt lapſum
tanti temporis malè fundatos. Nam li-
10 cet † tempus de ſe non ſit cauſa indu-
cendæ aut tollendæ obligationis, l. obli-
gationum ferè. §. placet, ff. de actio. & ob-
ligatio. tamen tempus eſt benè modus in-
ducendi oblivionem, & oblivio eſt modus
inducendi depoſitionem animi, & animi
depoſitio eſt modus perdendi poſſeſſionẽ,
ut habetur & notatur in l. furtum. §. fundi,
ff. de uſucap ſecundum Ioh. Andreæ in di-
cta regula. ſine poſſeſſione, in mercuri. &
Dyn. in dicta regula poſſeſſor. Et quan-
11 do ex adverſo dicitur, † dies interpellat
pro homine, dicta l. magnam, & c. fin. de
locat. verum eſt in foro contentioſo, cre-
ditore poſtea petente, quoad intereſſe,
ſed quoad delictum aut peccatum, nihil,
ſecundum Panorm. & alios in dicto cap.
12 fin. Item ex alio præſcripto † tanti tem-
poris, cujus initij non eſt memoria, tol-
lit malam fidem præſumptam, ut vult
Dominus Petr. de Anch. in c. 1. de preſcr.
lib. 6. cùm ergo in caſu præſenti abbas
& conventus non ſolverunt redditum,
petitum à tempore memoriam hominum
excedente: ergo præſumpta mala fides
eſt ſublata per hujuſmodi præſcriptio-
nem tanti temporis, &c. Item ex alio,
13 licet † dict. l. magnam, dicat, quòd quan-
do quis promitit certa die ſolvere, dies
illum interpellat, verum eſt in ipſo qui
promiſit, ſed non procedit in ſucceſſore,
ſive ſit ſucceſſor univerſalis ſive ſingula-
ris, ut dicit gloſſa ordin. in regula, cum
quis in jus, de reg. juris, lib. 6. & maxi-
14 mè in caſu noſtro, quia mala † fides præ-
lati defuncti, non nocet ſucceſſori, ut vo-
lunt Lapus, Petrus de Anchor. Dominicus
& Philippus Francus in dicto c. primo, &
gloſ. & Panorm. in dicto cap. de quarta, &
gloſ. in c. cura, de jure patrona. Reſtant
15 nunc duo verba de annua † præſtatione,
de qua habetur in dicta l. cum notiſſimi.
§. pen. & fin. in quo puncto variæ ſunt
Doctorum & gloſſatorum opiniones: a-
liqui enim dicunt, quòd ſive in contracti-
bus, ſive in legatis incipiat præſcriptio
quolibet anno, & ita videntur tenere ci-
tramontani, & cum illis ſtat Cyn. Rapha.
Fulg. Salic. & plures alij in d. l. cum no-
tiſſimi. ſed gl. ibi, Bart. Bald. & alij ultra-
montani contradicentes, quòd contra

annuam præstationem ex contractu debitam, præscriptio incipit ex die cessationis, etiam contra omnes præstationes futuras, ut tunc sufficiat una præscriptio, sicuti est una obligatio seu promissio, licet diversæ sunt præstationes, quamvis in ultimis voluntatibus secus sit, *& ita etiam tenet Ioh. Andr. post Goffret. in c. auditis, de præscriptio.* & est communis opinio, tam legistarum, quàm canonistarũ, à qua in judicando non est recedendum, quæ sufficere videntur, cum his quæ per judicem suppleri poterunt, sub correctione melius sentientis.

CONSILIUM CLXXXVIII.

SVMMARIA.

1 *Instrumenti fides vacillat, si alter testis, qui est de substantialibus, ipsi instrumento contradicit, & ratio habetur, num. 2.*

3 *Testis singularis & negativus; an & quando debilitet probationem affirmativam?*

4 *In ore duorum vel trium consistit omne verum.*

5 *Tabellio non productus instrumẽti contenta probare non censetur.*

6 *Legatum pium ut debeatur, duo testes sufficiunt.*

7 *Depositio per verbum*, videtur, *facta valet.*

8 *Testamentum, sine auctoritate judicis ordinarij apertum, viribus non subsistit.*

9 *Omissio formæ substantialis actum vitiat, nec actori in defectum probationis juramentum defertur.*

10 *Integritas testis instrumento contradicentis quando consideretur?*

11 *Instrumenti fides à tabellione & testibus inscriptis connexè dependet.*

12 *Depositio testis non de recenti facta, an & quando probet?*

13 *In ultimis voluntatibus lex plenam, perfectam & legitimam requirit probationem, ne facilè quid falsitatis committatur.*

14 *Actore non satis probante, reus absolvendus est.*

VEnerabilis domine Officialis, in causa pendente coram vobis, per & inter Walterum van Wakem actorem ex una; & Gerardum ac Iohannem de Breda reos ex altera, placeat attendere, quòd
1 † actor totam suam intentionem fundat super quodam prætenso instrumento, cõfecto per quendam assertum notarium, Ioannem Livini appellatum, in quo siquidem prætenso instrumento sunt descripti dũtaxat duo testes, quorum unus stat pro instrumento, alter autem contradicit instrumento, dicens se de redditu septem librarum contentioso, vel redemptione ejus nihil audivisse, nec aliquid de hoc eo præsente dispositum fuisse, quare vacillat fides dicti prætensi instrumenti, *juxta eleganter nota. per Ioan. Fabr. in §. item verborum, in quinta col. in vers. item quid si tabellio & duo testes viverent &c. Inst. de inutil. stipul. & not. per canonist. in c. cum Ioannes heremita. de fide instru.* &
2 ratio † est, quia de substantia instrumenti est, quòd adhibeantur duo testes, ad finem, quod nihil falsitatis possit committi, & quod per illos veritas posset sciri, si instrumentum revocaretur in dubium, *§. sed & si, in Auth. de inst. caute. & fide, coll. 6.* unde nimirum si fides instrumenti vacillet altero teste, qui est de substantialibus, cõtradicente instrumento. Nec obstat si di-
3 catur, ille testis † contradicens instrumẽto est singularis & negativus, ergo dictum ejus non debet debilitare probationem affirmativæ, quia *secundum Ioan. Fabr. ubi suprà*, illud posset procedere, ubi fieret proba-

probatio per teſtes vel per ſcripturam, ad
reprobandum aliquod negotium, aliud à
viribus & falſitate inſtrumenti, ſed ubi fit
probatio ad reprobandum ſcripturam per
teſtes ibi inſcriptos, illud non procedit, &
idem quando unus ex duobus inſcriptis
contradicit, quia debilitatur fides inſtru-
menti, ex qua debilitatione ita vacillat,
quòd nullam probationem facit, *ſecundum*
4 *eum ubi ſuprà*. Nec obſtat, de † facto cõ-
tento in inſtrumento conſtat per tabellio-
nem & alterum teſtem: ergo actor de-
bet obtinere, quia in ore duorũ vel trium
ſtat omne verbum. Quia reſpondeo du-
pliciter, Primo, *ſecũdum Io. Fab. ubi ſuprà*.
5 quòd licet† factum contentum in inſtru-
mento poſſet probari per tabellionem &
alterum teſtem, tamen in caſu præſenti
non ita factum eſt, quia tabellio non eſt
productus, ſed inſtrumentum exhibitum,
quod non probat, cùm careat altero de
teſtibus neceſſarijs, ut ſuprà probatũ eſt.
6 Secundò dico, quòd in † caſu præſenti nõ
ſufficeret probare per duos teſtes legatum
cum ſua qualitate, ex quo non poteſt dici
pium, in quo eſt ſpeciale, quòd duo teſtes
ſufficiant *c. relatum* 1. *de teſta*. In legato
autem non pio, quale eſt iſtud, requiritur
major ſolennitas, etiam tenendo, quòd jus
civile ſit correctum per jus canonicum, &
de hoc nemo dubitat, *ut videri poteſt in c.
cùm eſſes, de teſtam*. & tanto magis vacil-
lat fides dicti prætenſi inſtrumenti, quia
unus ex teſtibus non deſcriptis in inſtru-
mento expreſsè dicit, dictum fuiſſe per
teſtatricem, quod redditum contentioſum
dequitari non volebat ad finem, quòd a-
ctor ipſius teſtatricis memor eſſet. Nec
7 obſtat, quòd † ipſe deponit per verbum
videtur, quia tale teſtimonium valet, *ut
volunt Ang. & Paul. de Caſtr. in l.* 1. *in
princ. ff. de juſtit. & jure, & Bar. in l.* 1. *in
prin. ff. de vent. inſpicien. & Pau. de Caſt.
in conſ.* 280. *incipiente, viſo proceſſu in*
8 *antiquis*, & tanto † magis vacillat fides
inſtrumenti, quia apertũ eſt teſtamentum
in privato, ſine auctoritate judicis ordina-
rij, & ſic corruit & viribus non ſubſiſtit.
l. publicati, cum gl. & l. teſtamentũ omnia,
9 *C. de teſt*. Nec in hoc † caſu deferendum
eſt juramentum actori, in defectum pro-
bationis, *ſecundum Bal. in l.* 2. *in* 2. *col. in
verſ. modo adverte ad caudam gl. C. de bo.
poſſeſſ. ſecundum tab.* quia ubi certus nu-
merus teſtium eſt de ſubſtantia actus, &
de forma probationis, ut in teſtamentis &
codicillis, omiſſio ſubſtantialis formæ vi-
tiat, *l. ſi unus, C. de teſta*. & quando nume-
rus teſtium requiſitus in teſtamentis vel
codicillis deficit, judex eſt certus non de-
beri: ergo non eſt deferendum juramen-
tum, *ſecundum eum in præall. l.* 2. *circa fin.
quem ſequuntur in præmiſſis Pau. de Caſt.
Salic. Fulg. Ludo. de Roma. Alex. Iaſon &
alij moderni ibidem*. Nec obſtat ſi dica-
tur, quòd teſtis inſcriptus contradicens
inſtrumento, non eſt integer, quia id ne-
gatur, & illo ſuppoſito adhuc non obſtat,
10 quia † quando teſtis contradicens inſtru-
mento eſt de inſcriptis & de neceſſarijs,
non refert qualis ſit, quia fides ejus vide-
tur approbata; ſed benè quæritur de in-
tegritate teſtis, contradicentis inſtrumen-
to, quando ipſe non eſt de inſcriptis, *ut
vult Bal. in l. in exercendis, in* 3. *col. ſi be-
nè ponderentur ejus verba, C. de fide inſtr.*
Nec obſtat, quòd de legalitate notarij
11 obijci poſſet, quia † fides inſtrumenti non
procedit à tabellione duntaxat, etiam ſi
eſſet legaliſſimus, ſed procedit connexè
à tabellione & teſtibus inſcriptis, *ut dicit
idem Bald. in d. l. in exercendis. in* 1. & 3.
*col. & eſt tex. in § ſi verò tale aliquid, in
Auth. de inſtru. caut. & fide coll.* 7. Nec
12 obſtat, ſi fortè dicatur, quòd † depoſitio
dicti teſtis contradicentis inſtrumento
non eſt de recenti, unde poteſt excidiſſe
de memoria, quia hæc & ſimiles conſide-
rationes poſſent habere locum, etiam ſi
eſſent veræ, prout non, quãdo teſtis inſcri-

ptus contradicens instrumento, non est de necessarijs, & quando essemus extra materiam ultimæ voluntatis: sed quando testis contradicens instrumento est de inscriptis & de necessarijs, & quando sumus in materia ultimæ voluntatis, hæc & similes considerationes cessant, quia deficit solennitas requisita, & probatio remanet dubia non relevans, imò suspecta & non faciens indicium, *secundum Bald, in*
13 *d. l. 2.* ubi † tamen lex requirit eam esse plenam, perfectam & legitimam, ne quid falsitatis committatur, *d. l. si unus* & *l. fin. C. de fideic.* Quare cum probatio
14 actoris, fundata † super dicto prætenso instrumento, sit dubia, vacillans, debilitata & elisa per probationem reorum, sequitur, quod actor debet succumbere & rei absolvi, *per tex. in c. in præsentia, cum ibi notatis, per Dd. maximè per Panorm.* & *novissimos de probati.* cùm in dubio rei sint favorabiliores quàm actores, *leg. Arrianus ff. de act.* & *obliga.* Judicio vestro, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM CLXXXIX.

SUMMARIA.

1 *Maritus nomine uxoris sine mandato agere non potest: nisi agat pro ea ut conjuncta persona: tunc enim de rato cavens admittitur,* & *nu. 4.*

2 *Dotalis non dicitur fundus, nisi qui in dotem datus est.*

3 *Paraphernalia bona non dicuntur, nisi quorum administratio expressè vel tacitè tradendo instrumenta, per uxorem marito concessa fuit.*

5 *Mandatum ad agendum ex traditione instrumentorum concessum censetur.*

6 *Instrumentum per personam domesticam productum, ne quidem semiplenè probat: nisi etiam traditio à domino facta doceatur: Imò producens etiam de rato cavens admitti non debet, ut num. 7.*

8 *Verba qualitatem mentis indicant.*

9 *Furor seu mentis alienatio semel accidens, perdurare præsumitur, nisi contrarium probetur.*

10 *Qualitas quę olim adfuit homini, adhuc adesse existimatur, quousque contrarium doceatur.*

11 *Ad notarium non pertinet investigare, an testator sanę mentis sit, nec de eo rogari potest.*

12 *Probatio actoris, aliàs etiam qualificati, dubia & debilitata non relevat.*

VEnerabilis domine Officialis, in causa coram D. V. pendente indecisa, per & inter domicellum Ioannem van den Heetvelde, nomine suæ uxoris actorem ex una; & domicellos Philippum, Iohannem, & Wilhelmum van den Heetvelde, ac domicellos Wilhelmum & Carolum Tisclaes, & suos litisconsortes reos ex altera, placeat attendere ad infrà scripta. Primò, quòd domicellus Philippus van den Heetvelde, in nullo potest condemnari, nec etiam debet in sententia nominari, quia non constituit in hac causa, ut videri potest per acta. Secundò placeat attendere, quòd domicellus Ioannes van den Heetvelde actor, agit nomine uxoris suæ, & non constat ex actis, quòd habet mandatum ab uxore sua, nec ipsa constituit apud acta, nec ipse agendo nomine suæ uxoris promisit apud acta de rato, quòd scilicet uxor sua habebit ratum, quicquid per eum, vel procuratorem per eum constitutum, gestum fuerit, licet constituendo procuratorem, ipse promittat, se habiturum ratum & gratum, quicquid per suum procuratorem nomine suo gestum fuerit, quæ sunt multum diversa, quia ex hujusmodi promissione, uxore

uxore iteratò agente, ipse conveniri non posset, ubi tamen conveniri posset, uxore iterato agente, si promisisset uxorem ratum habituram, quicquid per eum vel procuratorem suum gestum fuerit: & sic certum est de jure, quòd ipse actor ex istis actis nihil reportare potest: quia nomine proprio non habet actionem, &
1 nomine † uxoris non potest agere, nisi habeat mandatum ab ea, vel nisi agat pro ea ut conjuncta persona, quo casu tamen admitti non debet sine cautione rati, quod scilicet uxor habebit ratum, *ut est text. in l. maritus, cum ibi notatis, maximè per Paul. de Castro, C. de procur.* & *facit l. sed* & *hæc, in princ. ff. de procur.* & *l. exigendi, C. eodem tit.* quod hic factum non est, ut videri potest ex actis.
2 non enim † potest hic redditus contentiosus dici dotalis, quia in actis non constat, quòd datus fuerit in dotem expressè, quod tamen requiritur, ut possit dici dotalis, *ut expressè tenet Bald. post gl. in l. mulier bona, ff. de jure dot.* & *Bart. in disput. sua incipiente, mulier habens magnum patrimonium*, & ratio est, quia contractus dotis est facti, & requirit conceptionem, *l. eas. ff. de cap. diminut.* facta autem non præsumuntur, *l. quæcunque. §. fi. de publica.* nec potest dictus redditus
3 computari inter bona paraphernalia †, quia ad hoc, ut bona dicantur paraphernalia requiritur, quòd administratio fuerit concessa marito per uxorem expressè, vel tacitè tradendo instrumenta, *ut volunt Bart.* & *Paul. de Cast. in d. l. maritus*, de quorum neutro apparet ex actis, nec hoc est præsumendum, cùm consistat in facto: facta autem non præsumuntur, *ut suprà dixi.* Restat ergo, quòd dictus redditus contentiosus sit de tertio genere, in quo habet locum *d. l. maritus*, volens,
4 quod † maritus agens nomine uxoris sine mandato, caveat de rato uxoris, *secundum gl. Bart. Pau. de Cast.* & *Dd. ibid.* cùm ergo de dicta cautione non appareat ex actis, patet luce clarius, actorem non receptibilem, tanquam non qualificatum ad agendum, *d. l. maritus, cum ibi notatis.*
5 Nec obstat si dicatur, ex quo dictus † actor habet in manibus suis instrumentum testamenti vel codicilli, vigore cujus dictus redditus petitur, videtur tacitè habere mandatum ab uxore ad agendum & petendum hujusmodi redditum, *per l. fin. cum ibi not. per gl.* & *Bald.* & *Dd. C. de pac. conven.* Quia respondeo, fatendo quòd si constaret, instrumentum esse traditum actori per uxorem, censeretur datum tacitum mandatum ad agendum, *ut*
6 *probat d. l. fi. cum ibi notatis*, sed in † casu præsenti non constat ex actis, instrumentum esse traditum actori per uxorem, & sic non constat de mandato tacito, sed dũtaxat resultat aliqualis præsumptio, quæ non sufficit ad admittendum actorẽ simpliciter, sed tunc demum, quando præstat cautionem rati, *ita singulariter dicit Pau. de Castro, in dicta l. maritus. Ludo. autem de Rom. in suis sing. singulari 641.* dicit, quòd hoc casu, quando instrumentum faciens ad causam producitur per personam domesticam, & non probatur traditio facta à domino, non resultat etiam se-
7 miplena probatio, & non debet † admitti hoc casu producens ad agendum, secundum eum, etiam cum cautione rati, *per tex. quem reputat singularem in l. unica. §. ille etiam. C. de lati. lib. tollen.* & sic dictum contrarium non obstat, quia dato quòd etiam cum cautione rati hoc casu posset admitti, *ut vult Paulus de Castro*, quia tamen non cavit de rato uxoris, non est qualificatus ad agendum, *per suprà dicta.* Item tertiò placeat attendere, quòd etiam si præmissa cessarent, pr[illegible] non, tamen ex alio capite actor debet succumbere, quia habito pro conf[illegible] i, quòd domina Christina testatrix decessit nocte sequente datam prætensi instrumenti, prout

prout deponit Arnoldus de Wintere, &
est satis verisimile, attentis depositionibus
testium, pro parte dictorum reorum pro-
ductorum, patet luce clarius, ipsam tem-
pore conditi testamenti seu codicilli non
fuisse compotem mentis, quia ferè omnes
testes deponunt, dictam dominam Chri-
stinam ante datam confecti instrumenti,
quæ est hora septima, vel circiter 25. diei
mensis Iunij, anni 1498. fuisse incompotē
8 mentis, & non † respondisse ad propositū,
ex quo judicatur de qualitate mētis. *jun-
cta l. quidam in suo, juncta gl. ff. de cond.
instit.* & *cap. legimus, 93. distinct.* si ergo
ante datam prætensi instrumenti, puta
ante prādium ipsa non fuit compos men-
tis: sequitur, quòd etiam depost, puta
tempore datæ prætensi instrumenti, quæ
est hora septima post vesperas ejusdem
diei, ipsa non fuit compos mentis, quia fu-
9 ror † seu alienatio mentis semel accidens
præsumitur perdurare, nisi probetur con-
trarium, *ut dicit gl. ord. notabilis in c. fin.
in verbo compotem, in fine, de success. ab
ab intesta. quam ibi approbant* & *commen-
dant Card. Panor.* & *posteriores,* & *idem
etiam volunt Card. Pet. de Anchor.* & *ca-
nonistæ in cle. unica, de homici.* & *faciunt*
10 † *not. per Bal. in l. ex persona, C. de proba.*
ubi dicit, quòd qualitas, quæ olim adfuit
homini, præsumitur hodie adesse, nisi pro-
betur contrarium, *ut ibi latè per eum.* Nec
obstat si forte dicatur; notarius vel tabel-
lio asserit dictam dominam Christinam
fuisse sanæ mentis, ergo ei standum est:
quia dico breviter, supposito etiam sine
præjudicio: quòd si notarius esset omni
exceptione major, prout non, & nihil con-
tra eum esset exceptum, prout sic, tamen
11 e[illegible] hoc casu non staretur: quia non †
pert[illegible]et ad notarium investigare de hoc,
nec p[illegible]de hoc rogari: *ita notabiliter
dicit Ang. in d. l. quidam in suo,* imò ma-
gis standum est probationi contrariæ, *se-
cundum Salic. in l. furiosum, C. qui testa.
fac. poss.* & *Bald. in l. in eo, ff. de testa.*
Concludendo ergo dico, quòd præmis-
sis attentis, & alijs vestro ex officio sup-
plendis, maximè considerato, quòd favo-
rabiliores sunt rei quàm actores, & quòd
12 probatio † actoris aliàs etiam qualificata,
dubia & debilitata non relevat. *c. in præ-
sentia, cum ibi not. per Panorm.* & *alios de
prob.* dicti rei, domicello Philippo van den
Heetvelde (qui non est in processu, &
sic nominatim exprimi non debet) ex-
cepto, ab impetitione præfati actoris sunt
absolvendi, & dictus actor in expensis
condemnandus: Iudicio vestro, cui Deus
adsit, semper salvo.

CONSILIUM CXC.

SUMMARIA.

1 *Dos soluto matrimonio integra resti-
tui debet, unde alienatio fundi do-
talis non valet.*

2 *Res ad suam naturam de facili rever-
titur.*

3 *Statuta, consuetudines,* & *pacta, vel
verba contrahentium, recipiunt in-
terpretationem à jure communi.*

4 *Verba contrahentium recipiunt inter-
pretationem ab eo, quod contrahen-
tes verisimiliter facere intēderunt,
maximè quando aliter intelligendo
absurdum resultaret.*

5 *Bona restitutioni subjecta alienari ne-
queunt.*

6 *Dotes ut mulieribus conserventur,
Reipublicæ interest.*

7 *Ad casum fortuitum, per verba gene-
ralia* & *ambigua, nemo se obligare
voluisse præsumitur.*

8 *Dictiones* aucht: *hoc amplius, Item,*
&c. *quid importent;*

9 *Idem operatur oppositum in opposito,
quod operatur propositum in pro-
posito.*

10 *Statutum oppidi Delfenſis circa conventiones antenuptiales, &c.*

11 *Inſtrumenta notariorum executionem paratam non habent.*

12 *Permiſſum cenſetur, quicquid prohibitum non reperitur.*

13 *Amicorum interventus omnem doli & metus præſumptionem excludit.*

14 *Mulier in dote pręfertur omnibus alijs creditoribus poſterioribus, & etiam anterioribus expreſſam hypothecam non habentibus.*

VIſis literis, ſigillis Burgimagiſtrorum oppidi Delfenſis, & duorum aliorum ſigillatis, de data 13. diei menſis Novembris anni 1498. nec non literis alijs de data 15. diei menſis Decembris ejuſdem anni, ſigillis Arnoldi Vrankens Sculteti, & Iohannis Nicolai burgimagiſtri Delfenſis ſigillatis, & ſigneto conſueto magiſtri Iacobi Iohannis ſignatis, cum his quæ in dorſo earundem literarum continentur, videtur prima facie dicendum, quòd hæres Iohannis Sonderdanck in dictis literis nominati, teneatur reſtituere Catharinæ, filiæ Damiani Simonis relictæ, præfati Iohannis Sonderdanck omnia bona, per dictã Catharinam in ſubſidium matrimonij apportata, in rerum natura exiſtentia, & de hoc non eſt dubium: videtur etiam, quod teneatur ultra hoc reſtituere æſtimationem omnium bonorũ, per dictum Iohannem Sonderdanck dum vixit de bonis dictæ Catharinæ venditorum, alienatorum ſeu cõſumptorum, quia ſi inſpiciamus jus ſcriptum, clarum eſt,
1 quòd † ſoluto matrimonio dos debet reſtitui integra, *toto.tit.ff.* & *C.ſol.matr.* & *c.fi.de donatio. inter virum* & *uxor.* nec valet alienatio fundi dotalis. *l.* 1. & 2. *ff.de fun.dota.* & *Inſtit.quibus alie.licet vel nõ,* & *l.unicè. §. cum lex C.de rei uxor. act. cum ſim.* Si etiam inſpiciamus tranſactionem ſeu pacta, de quibus in dictis literis, videtur idem dicendum, quia verba concordiæ & tranſlationis clarè exprimunt, omnia debere reſtitui in eventum, in quẽ dictus Iohannes prædecederet ante dictã Catharinam, prout caſus evenit, per quæ verba reditur ad jus commune, & ſic latè & favorabiliter ſunt interpretanda: quia
2 de † facili res revertitur ad naturã ſuam, *c.ab exordio 35.diſtinct.* & *l.ſi unus.§.pactus ne peteret, ff. de pac. juncto c.* 1. & *fin.de pac.lib.6.* & *gl.in clem.ſæpè, in fine, de verb.ſignif.* & *gl. in c.ſtatutum, de preben.li.6.* in quibus locis reperies multa admitti cõtra communes regulas juris, ex eo quod res revertitur ad naturam ſuam. Nec obſtat ſi fortè dicatur. quòd pręmiſſis obſtat clauſula poſita in dictis literis, incipiens, **wel verſtaende/ ghebuerdet dat binnen ſtaenden huwelijcke/ deſe voirſz goeden merckelijck verbetert ende verovert woꝛden/ 'tzy by hoere diligentie ende nerſticheijt oft by beſtoꝛſte/ oft oick verarrijt ende vermindert woꝛde/ die bate eñ ſcade ſoude commen aen beijde zijden/ ende gedꝛagen woꝛden/ elcke zijde halff ende halff/ ꝛc.** Hoc eſt, benè animadverſo eo, quòd, ſi bona iſta præſcripta, ſtante matrimonio, ſive per uxoris, ſive mariti diligentiam nec non induſtriam notabiliter aucta & amplificata, vel è contrario diminuta fuiſſent: id partim in uxoris, partim verò in mariti commodum vel incommodum cedere deberet: quia poſſet dici, quòd dicta clauſula debet intelligi de deterioratione vel diminutione, proveniente caſu fortuito, & non de deterioratione vel diminutione, proveniente ex facto dicti Iohannis, alterius contrahentium, ſapiente alienationem, quod patet
3 ex multis. Primò, quia verba † contrahentium referenda ſunt ad jus, quia ſtatutum, conſuetudo, & pactum paria judicantur, *l.impoſſibile,* & *ibi Bald.nota, ff.de pact.* unde ſicut ſtatuta & conſuetudines reci-

piunt interpretationem à jure communi,
l.2.C.de noxa.actio. & *cap. cùm dilectus.*
de conſuet. & *c. cum dilectus*, & *c.ad au-*
dientiam de cle.non reſi. ita etiam pacta,
d.l.non impoſſibile, cum ſim. Secundò ex
4 eo, quòd verba † contrahentium recipiunt
interpretationem ab eo, quòd contrahen-
tes veriſimiliter facere intenderunt, *ut eſt*
textus juncta gloſ. ſua ſingu. ab omnibus
approbata in l. tale pactum. §. fina. ff. de
pactis. & *facit.reg. inſpicimus.de reg.jur.*
lib 6. maximè quando aliter intelligen-
do reſultaret abſurdum, prout in caſu
præſenti contingeret: nam niſi prædi-
cto modo intelligatur dicta clauſula, ſe-
queretur, quòd in poteſtate dicti Iohan-
nis Sonderdanck fuiſſet, an voluiſſet ob-
ligari ad reſtituendum dotem ſoluto ma-
trimonio vel non, quod eſt abſurdum,
l. in vendentis, C. de contrah. empt. &
vend. nam ſi noluiſſet obligari, potuiſſet
alienare: & ſicut potuiſſet alienare par-
tem dotis, ita & totam dotem eadem ra-
tione, quòd eſt expreſsè contra diſpoſitio-
nem juris, vetantis dotem per maritum
alienari, *jurib. ſuprà alleg.* & contra
mentem contrahentium; quod patet ex
5 † clauſula præcedente, qua cavetur, quòd
ſi contingat dictum Iohannem prædece-
dere, quòd omnia bona dictæ Cathari-
næ revertentur ad eam, &c. per quam
clauſulam clarè patet, quòd dicto Iohan-
ni tacitè interdicta eſt alienatio, *arg. l.fin.*
§.fin.C.comm.de lega. & *l. Marcellus. §.*
res quæ, cum ibi nota. ff. ad Trebell.
quibus juribus cavetur, quòd bona ſub-
jecta reſtitutioni non poſſunt alienari, &
hoc modo intelligendo dictam clauſu-
lam, ipſa eſt clara, & res deducitur ad
naturalem juſtitiam & æquitatem, quæ
vult unicuique jus ſuum ſervari, nec
conditionem unius per alterum fieri de-
teriorem *l.juſtitia, ff.de juſti.* & *jure,* &
reg. non debet alteri per alterum, de reg.
6 *jur.lib.6.* hoc etiam † publicè utile eſt, ut
dotes mulieribus conſerventur, ut ſic a-
lium poſſint invenire maritum, & civita-
tem replere liberis hominibus, *l.1 ff.ſo-*
lut.matr. juncta Auth. ſed quamvis, C.de
rei uxor.act. Sed contra iſtum intellectum
faciunt duo. Primò, verba dictæ clauſulæ
in illis verbis, halff ende halff/ id eſt, di-
midium & dimidium: quia ſecundum
hunc intellectum damnum alienationis
non cederet pro medietate ad incommo-
dum dicti Iohannis, ut verba volunt, ſed
7 in totum. Secundò, quia † ſecundum hunc
intellectum dicti conjuges contrahentes
obligaſſent ſe ad caſum fortuitum, per
verba generalia & ambigua, quod non eſt
veriſimile, nec præſumendum, *l.opus quod*
in averſione, cum ibi notatis per gloſ. &
Dd.ff.loca. & *l. ſed & ſi.§.quæſitum, cum*
ibi notat. ff.ſi quis cautio. unde poteſt da-
ri alius intellectus ad dictam clauſulam,
ut ſenſus ejus ſit, quòd diminutio vel de-
terioratio, procedens etiam facto contra-
hentium, ex ſcilicet voluntaria alienatio-
ne, cedet pro medietate ad incommòdum
viri, & pro alia medietate] ad incommo-
dum uxoris, & ſecundum hunc intelle-
ctum qui eſt conformis literæ, & ſatis ra-
tionabilis hæres dicti Iohannis Sonder-
danck eſt obligatus reſtituere dictæ Ca-
tharinæ omnia bona, per eam in ſubſi-
dium matrimonij apportata loco dotis, in
rerum natura exiſtentia, & ultra hoc eſt
obligatus, ſatisfacere dictæ Catharinæ de
æſtimatione medietatis bonorum, per
eum alienatorum, conſumptorum, vel
diſſipatorum, ſive ſint mobilia ſive immo-
bilia. Et iſte intellectus poteſt colligi ex
multis, primo, ex illis verbis, **half ende**
8 **half/** ſecundò, ex illa † dictione, **oock/**
quæ includit *leg.* imperium, *ff.de juriſd.*
omn. judic. & eſt repetitiva qualitatum,
ſicut dictio *hoc amplius*, & dictio *item, l.*
ſi tibi purè, & *in l.repetendis, cum utrobi-*
que nota.per Dd.ff. de leg. tertio. & ter-
tio ex eo, quia in eadem clauſula, quate-
nus lo-

nus loquitur de lucro augmenti, exprimitur, hoc debere intelligi, sive augmentum proveniat ex industria ipsorum, sive ex
9 successione: quod † ergo operatur propositum in proposito, operatur oppositum in opposito, *l.fin.in fine, ff.de lega.* 3. & §. *plus autem, Instit. de actio. cum sim.* & hæc videtur mihi fuisse vera mens contrahentium. Nec præmissis obstat statu-
10 tum † oppidi Delfensis, quo in effectu cavetur, quòd matrimonium contrahere intendentes, & contractus antenuptiales facere volentes, debent comparere coram scabinis, antequam sese carnaliter cognoscant, ut ibi eorum conventiones antenuptiales registrentur, quia respondeo & dico, quòd contractus, de quo mentionem faciunt dictæ literæ, non est contractus antenuptialis, sed est contractus transactionis, per quem recessum est à lite, quæ timebatur inferri seu moveri, & per eum providetur in eventum mortis de divisione bonorum, rediturque in parte ad jus commune *ut suprà dixi*. Et sic dictum prætensum statutum non obstat, tum quia non facit ad propositum, tum etiam quia non invalidat actum aliter gestum, sed duntaxat vult, quòd contractus antenuptiales, qui fiunt in absentia scabinorum, non habeant executionem paratam, quasi scabinis de eis non fiat plena fides, sicut
11 videmus in † instrumentis notariorum, quæ de jure non habent executionem paratam, *ut est tex.in l.minor* 25. *annis cui fideicommissum. ff. de minor.* tum etiam, quia dictum statutum non prohibet fieri transactionem constante matrimonio, inter parentes & amicos conjugum, seu ipsos conjuges super bonis, de quibus est, vel posset imposterum moveri quæstio;
12 ergo † remanemus in terminis juris communis, quo hæ transactiones fieri possunt, ex quo nullibi id prohibetur, *l.si cum dotem, in princ. ff. sol. matri.* & *leg. inter socerum §. cùm inter, ff. de pact. dot. cum sim.*
13 maximè intervenientibus amicis † quo casu omnis metus & dolus præsumitur abesse, *l. transactionem*, & *ibi DD. notant, C. de transact.* Concludendo ergo dico, quòd dicta transactio valet, & vigore illius hæres dicti Iohannis obligatus est, restituere præfatæ Catharinæ omnia bona per eam importata, in rerum natura existentia, & ultra hoc æstimationem medietatis bonorum per dictum Iohannem alienatorum, consumptorum vel dissipa-
14 torum, & est † in hoc dicta Catharina creditrix, præferenda omnibus alijs creditoribus posterioribus, & etiam anterioribus, expressam hypothecam non habentibus, *ut est casus in l. assiduis, C. qui potio. in pigno. habe.* & *in §. fuerat. Instit. de actio.* circa quod, quia clarissimum est de jure, amplius non insisto.

CONSILIUM CXCI.

SUMMARIA.

1 *Socius ex delicto socij conveniri non potest.*
2 *Negligentia in officiario* & *prelato pro delicto reputatur.*
3 *Damna* & *lucra an in societate communicentur?*
4 *Causa remota non consideratur, sed tantum proxima.*
5 *Odio alterius quis prægravari non debet.*
6 *Puniendus non est, cui culpa imputari non potest.*
7 *Testator ex contutoris sui negligentia vel mala administratione conveniri potest, quando tutela à testatore vel judice divisa non est. Limita tamen, ut num.* 8.
9 *Speciale in uno casu denotat jus commune in contrarium.*
10 *Tutor non gerens, si convenitur à pupillo facto adulto, beneficium ordinis*

habet, ut primò gerens conveniatur. Item beneficium ceſſionis, &c.

11 *Actio perſonalis præſupponit obligationem.*

CAſus. Duo fuerunt griffarij, puta A.
& B. communiter exercentes officium,
& communiter recipientes lucrum,
proveniens principaliter & immediatè ex
officio, non tamen erant ſocij omnis lucri
provenientis accidentaliter, puta ratione
pecuniæ depoſitæ ſeu namptiſatæ ſub altero
eorum, vel ratione legati vel doni, alteri
eorum facti, vel ex ſimili caſu per
accidens provenientis. Modò dictus A.
recepit quendam proceſſum, habitum coram
judice à quo, delatum ad curiam judicis
ad quem, & dedit recepiſſe ſub nomine
ſuo, poſtea repetitur dictus proceſſus
qui non reperitur, ſed invenitur ſcriptum
manu dicti A. quòd proceſſus eſt reſtitutus,
ſed de hoc aliter non apparet, & præſumptio
eſt in contrarium, quia dictus
A. non recuperavit ſuum recepiſſe, & ob
non reſtitutionem dicti proceſſus, quidam
C. alius à deponente paſſus eſt damnum.
Quæritur, an dictus C. habeat actionem
contra dictum B. nec ne? Et dato quòd
habeat actionem, an aliquod remedium
competat dicto B. ad repellendum præfatum
C? In quo articulo ſub correctione
melius ſentientis, videtur breviter, omiſſis
ſuperfluis, dicendum quòd dicto C.
non competat actio contra dictum B.
1 Quia dato ſine prejudicio, quod † dicti A.
& B. fuiſſent ſocij, & præſuppoſito ſine
præjudicio, quòd dictus A. fuiſſet obligatus
dicto C. tamen ex delicto dicti A. nõ
poſſet conveniri dictus B. *per tex. in l. ſi
fratres. §. fi. ff. pro ſocio,* & *eſt gl. ordin. notab.
in d. l. ſi fratres, in princ. in verbo, redigetur.*
& *ibi hoc volunt Bart.* & *Bald.*
2 negari † autem non poteſt, quin negligẽtia
in officiario ſit delictum, *ut eleganter
notat Cy. in l. ſi ſervus C. de noxa. actio.* &
*Bald. in l. prima. §. quies, in fine ff. de offi.
præfec. urb.* ſicut in prælato, *c. ea quæ, juncta
gl. de offic. archid.* & *gl. in l. clericis, de
immun. eccleſ. lib 6.* Item iſtud probatur
3 alio medio ſic, quia damna † & lucra obvenientia,
non principaliter contemplatione
ſocietatis, ſed contemplatione perſonæ,
licet ſocietas fuit occaſio remota,
non communicantur, *ut eſt tex. in l. ſocium,
qui in eo. §. fi.* & *ibi Bart.* & *Bald.
hoc notant. ff. pro ſocio:* cùm ergo, ut ponitur
in themate, dicti griffarij non communicabant
ſibi lucrum, proveniens ex
depoſito, ex quo illud evenit accidentaliter,
ſequitur quòd etiam damnum inde
reſultans non debet communicari, quia
quod operatur propoſitum in propoſito,
operatur oppoſitum in oppoſito, *l. fin. §. fi.
4 de lega. 3.* & quia † cauſa remota non eſt
conſideranda, ſed tantum proxima, *d. l. ſocium
qui in eo. §. fi.* Item pro iſto etiam
5 facit *regula generalis,* non † debet aliquis
alterius odio prægravari, & *alia regula
juris,* damnum quod quis ſua culpa ſentit,
ſibi debet non alteri imputare, *regula,
non debet,* & *regula, damnum, de reg. jur.
lib. 6.* Item, pro iſto etiam facit, quia nul-
6 la † culpa aſſcribi poteſt dicto B. ergo alienum
eſſet à ratione, ipſum debere puniri
vel poſſe conveniri ex facto, vel negligentia
alterius, *regula, ſine culpa, de reg.
juris, lib. 6.* & *cap. 2. de conſtitu. cum ſim.*
Item ex alio hoc oſtenditur, quia ſi dictus
B. eſſet obligatus præfato C. illa obligatio
eſſet orta ex contractu vel quaſi, ex
maleficio vel quaſi, ſed neutrum horum
dici poteſt, ergo, &c. Nec obſtat, ſi dica-
7 tur, uno † ex pluribus tutoribus malè vel
negligenter adminiſtrante bona pupilli,
alter convenitur in ſolidum, quando tutela
non eſt diviſa à judice vel à teſtatore,
l. divus. ff. de admin. tutor, & *leg. 2. C. de
diviſi. tute.* ergo etiam in caſu præſenti
dictus B. poterit conveniri, ex quo adminiſtratio
eorum non fuit diſtincta, nec

diviſa

divisa per judicem. Quia respondeo & dico, quòd illud est speciale favore pupilli, ut quemlibet ex tutoribus habeat obligatum, quando administratio, ut præmittitur, non est divisa per testatorem vel
8 judicem, cum † limitatione tamen, ut primò conveniatur gerens, & cum alijs subdivisionibus, *ut not. plenè per gl.* & *Dd. in l. prima, C. de transact.* & *per gl.* & *Dd. in §. sciendum, Instit. de satisda. tut.*
9 cum † ergo hoc sit speciale favore pupilli, ergo in contrarium est jus commune, *l. jus singulare*, & *leg. quòd verò contra, ff. de legi.* & tantum de primo. Quod autem ad secundum quæsitum, dico, dato sine præjudicio, quòd dictus B. conveniri posset in solidum, prout non, *per suprà dicta*, tamen competeret sibi exceptio excussionis sive beneficium ordinis, ut scilicet primò conveniatur præfatus A. tanquam depositum recipiens, sicut in simili & for-
10 tioribus terminis dicimus, quòd tutor † non gerens, si conveniatur à pupillo facto adulto, habet beneficium ordinis, ut primò conveniatur gerens, *l. 1. §. nunc tractemus, cum ibi nota, ff. de tute.* & *ra. distra.* & *l. tres tutores. §. item in eo, ff. de adm. tuto.* & *ibi Bart.* & si ille est solvendo, iste conveniri non potest, quòd si fortè dictus A. non sit solvendo, adhuc competeret dicto B. aliud beneficium scilicet cessionis, quia posset dictus A. postea effici solvendo, ut videmus in pluribus tutoribus *d. §. nunc tractemus*, & *declarat pulchrè Pau. de Cast. in præall. l. 2.* sed tamen in casu præsenti nõ credam, nec reperiam de jure, dictum B. esse obligatum ex facto dicti A. sequitur ergo, quòd conveniri
11 non potest, quia actio † personalis præsupponit obligationem, *l. sicut. §. ea obligatio, ff. de procur.* & sine actione nemo experitur, *l. si pupilli. § fin. ff. de neg. gest.* & per consequens frustra quæritur, an dicto B. aliquod beneficium vel exceptio competit, cùm sit ipso jure tutus, *per prædicta.* Si tamen de facto conveniatur, capienda est conclusio non receptibilitatis, & ad eum finem allegari & deduci poterunt præmissa, quæ videntur sufficere pro plena instructione advocati, & etiam judicis, si necesse fuerit, judicio melius sentientis semper salvo,

CONSILIUM CXCII.

SUMMARIA.

1 *Statutum Antverpiense de lucro conjugis superviventis, &c.*
2 *Verba,* zuvor auß/ꝛc. *quid denotent?*
3 *Voluntas contrahentium ex verborum forma elicitur.*
4 *In actione ex stipulatu plus non venit, quàm est dictum.*
5 *Conventiones antenuptiales revocari possunt.*
6 *Hæres factum defuncti approbare tenetur, etiamsi de rebus proprijs ipsius hæredis disposuisset.*
7 *Argumentum à contrario sensu non habet locum in statutis, &c.*
8 *Legata remuneratoria etiam aliàs incapaci debentur.*
9 *Iteratio actus, mentis deliberationem plerumque consensum denotat.*

1 CAsus talis est. In oppido † Antverpiensi, ab antiquo semper observatum fuit de consuetudine, quòd duobus matrimonialiter conjunctis, & altero eorum cum prole vel sine prole decedente, nullis factis conventionibus antenuptialibus, superstes ex eis, ultra bona immobilia per eum importata, in subsidium matrimonij capit & habet medietatem omnium bonorum mobilium, inter quæ de consuetudine etiam computantur domus, & ultra hoc capit medietatem bonorum acquisitorum constante matrimonio, sive sint mobilia sive immobilia, & ultra hoc de eadem consuetudine superstes

habet de omnibus electionem, theutonicè, **sijn voordel.** Modò accidit, quòd in anno 98. Iohannes van der Heyden, & domicella Gertrudis Ysebrants, ambo liberam facultatem disponendi de bonis suis habentes, invicem matrimonium contrahere volentes, inierunt conventiones antenuptiales coram notario & testibus, quibus in effectu cavetur quoad casum præsentem, quòd si dicta domicella Gertrudis prædecedat, prout prædecessit, quod in eum eventum dictus Iohannes superstes, ante partem seu ante omnia capiet bona immobilia per eum importata, qualiacunque sint, & bona quæ constante matrimonio ex latere suo ad eum per successionem fuerint devoluta, & ultra hoc dictus Iohannes adhuc haberet & consequeretur, de bonis dictæ domicellæ Gertrudis, centum libras grossorum monetæ Flandriæ semel, & ultra hoc haberet ante partem omnes suas vestes & clenodia, equum & arma ad suum corpus spectantia, & medietatem omnium bonorum constante matrimonio acquisitorum, cum adjectione tali, quòd alia medietas bonorum acquisitorum devolvetur ad hæredes dictæ domicellæ Gertrudis: ut viceversa conventum est in casu contrario, & ita conclusum est, & per notarium stipulatum est nomine eorum, quorum interfuit vel interesse posset in futurum; deinde consummatum est matrimonium, & constante matrimonio simul pluribus annis vixerunt. Tandem anno millesimo quingentesimo dicti Iohannes & Gertrudis conjuges, simul condiderunt testamentum seu ultimam voluntatem, in quo seu qua sibi invicem reciprocè certa reliquerunt legata, in recompensam servitiorum & obsequiorum sibi mutuo impensorum, & deinde anno quingentesimo quinto dicta domicella Gertrudis & Iohannes simul revocarunt dictas conventiones antenuptiales, volentes expressè redire ad jus consuetudinarium, confirmantes testamentum per eos semel conditum, quatenus dictæ ultimæ voluntati non contrariatur: & deinde dicta domicella Gertrudis, sicut Deo placuit, ab hoc seculo decessit, præmissa per mortem suam confirmando, cui domicellæ Gertrudi successerunt jure hæreditario Barbara, Cornelius, & Aleydis, proles dictæ domicellæ Gertrudis ex alio marito, & depost orta est contentio inter dictum Iohannem relictum dictæ domicellæ Gertrudis ex una, & proles seu maritos prolium dictæ domicellæ Gertrudis ex altera, dicto Iohanne petente medietatem omnium bonorum mobilium, in domo mortuaria dictæ domicellæ Gertrudis relictorum, & sic inter alia, quartam partem domus nuncupatæ Tclaverblat: Item medietatem bonorum acquisitorum constante matrimonio: item legata sibi relicta cum fructibus & interesse & fundat se super dicto jure consuetudinario, testamento, & revocatione, de quibus suprà. Ex adverso dictæ proles nihil offerunt præfato Iohanni nisi vestes, & clenodia, equum, & arma ad corpus suum spectantia, & medietatem bonorum acquisitorũ constante matrimonio, & centum libras grossorum semel, salvo, quòd ipse ponat domum mortuariam in eo statu, in quo fuit tempore contracti matrimonij, quo tempore, ut dicunt, in ea fuerunt multo plura bona mobilia, pecuniæ, & alia, quàm tempore decessus dictæ domicellæ Gertrudis, & fundant se super dicta conventione antenuptiali, & super statuto Antwerpiensi, ac consuetudine ejusdem oppidi, quibus, ut prætendunt, cavetur, quòd maritus non potest uxori relinquere, vel è contrà, nisi domum quam inhabitant ad vitam, & unam marcham argenti: & quibus, ut dicunt, cavetur, quod conventiones antenuptiales non

possunt

possunt revocari per conjuges, sed debent sortiri effectum, & sic dictus Iohannes nihil potest petere de legatis sibi relictis, eo modo, quo petit tanquam incapax; nec sibi potest prodesse dicta revocatio, tanquam nulla, facta contra legem patriæ. Ex adverso dictus Iohannes replicat, & dicit, quòd dicta conventio antenuptialis, si bene perpendatur, non facit contra eum, quia solùm disponit de lucro ante partem
2 capiendo per superstitem, per illa † verba, **Vooren uupte** / id est, *præ*, & per illa verba, **Ende noch** / id est, *& adhuc*. quæ sunt implicativa & repetitiva qualitatis præcedentis, sed nihil disponit de bonis mobilibus in domo mortuaria reperiendis, qui est casus, de quo est quæstio; & sic ille casus tanquam omissus relinquitur dispositioni juris municipalis, maximè,
3 cùm † in ultima clausula specificè disponatur, qualiter bona acquirenda constante matrimonio sint dividenda, nota, verbum *Acquirenda*, & ita bene disposuissent de alijs mobilibus, si voluissent. *cap. ad audientiam, de deci.* & quia actio † ex stipulatu est stricti juris, non plus venit in ea quàm est dictum. *l. quicquid astringendæ, de verb. oblig.* &c. Nec ipse Iohannes promisit bona per dictam domicellam Gertrudem importata, tenere in eo statu, vel æquè bona, ergo ab eo hoc petere non possunt, attento jure municipali dicti oppidi: & dato, quòd dicta conventio antenuptialis faceret contra eum, prout non, tamen est revocata, &
5 † potuit revocari de jure *juxta notata per Bart. in l. qui Romæ. §. Flavius Hermes. ff. de verb. oblig.* attento, quòd ambo habuerunt plenam & liberam facultatem disponendi de bonis suis, & attento, quòd revocantes sunt illi ijdem, qui disposuerunt, *juxta regulam, nihil tam naturale*, &c. & quod plus est, ipsi hæredes dictam revocationem approbarunt, solvendo donatum causa mortis domui Dei, nuncupatæ Peeter Pots. Nec obstat, quòd notarius stipulatus est nomine omnium quorum interesset, aut interesse posset in
6 futurum, quia attento, quòd † dictæ proles sunt hæredes præfatæ domicellæ Gertrudis, de cujus revocatione & dispositione testamentaria agitur, non possunt contravenire, sed debent factum ejus approbare, etiam si de rebus proprijs ipsarum prolium disposuisset, *per l. cùm à matre, C. de rei vendica.* & *l. ex qua persona, ff. de regu. juris.* & *per l. unum ex familia, §. si rem. ff. de legat. sec.* & *per l. cùm maritus. §. fi. cum ibi notatis per Bald. ff. de pact. dotal. ubi est casus.* Nec obstat statutum, quia illud negatur, & de eo non constat, quia solum habet, quòd maritus & uxor possunt sibi invicem relinquere domum & marcham argenti, sine pluri: & sic non sequitur à contrario,
7 quòd non plus; quia argumentum † à contrario sensu non habet locum in statutis, &c. Et dato, quòd de eo constare posset, prout non, tamen non haberet locum in legato reciproco, quale est istud. Item
8 non haberet † locum in legato remuneratorio, quale etiam est istud: Et quòd sit remuneratorium, patet, quia ponitur in facto, quòd dicta domicella Gertrudis patiebatur morbum caducum seu epidimiæ, quòd dictus Iohannes tempore contracti matrimonij ignoravit, & si scivisset, etiam si mille florenos annuos habuisset, secum matrimonium non contraxisset. In quo morbo periculoso & horribili, dictus Ioannes, tam de die, quàm de nocte sibi semper fideliter astitit: quare non immeritò, ob recompensam tam eximij laboris de modico legato sibi providere potuit, prout providit: *per notata per Cynum, Pau. de Castro, & omnes in l. si pater puellæ, C. de inoffic. testam. &c.* At-
9 tento maximè, quòd † ipsa benè deliberata, in signum pleni & deliberati consensus, eandem ultimam voluntatem, hujus-

hujusmodi legatum reciprocum & remuneratorium in se continentem, sæpius iteravit: *juxta notata per Panorm. Fel. & Dd. in cap. si cautio, de fide instrum. & notata per Ludo. in repetitione. l. si verò. §. de viro, in 31. fallentia. ff. solut. matr.*

CONSILIUM CXCIII.

SUMMARIA.

1 *Pro expletione dispositionis ad pias causas, quilibet de populo agere potest.*

2 *Filius naturalis de sanguine patris sui esse dicitur.*

3 *Quod in religionem divinam committitur, id in omnium infertur injuriam.*

4 *Legatorum piorum privilegia.*

5 *Patronus seu fundator ecclesię, vergens ad inopiam, alendus est per ecclesiam, cæterisque præfertur, ad quod etiam consequendum ipsi actio competit.*

6 *Donatarius, donatorem alere nolens, rem donatam perdit.*

7 *Doctorum filij qualiter sint privilegiati?*

8 *Delegatum vel commissarium eadem ratio movere debet, quæ moveret delegantem.*

9 *Pro disposito & expresso habetur, quod verisimiliter dispositum fuisset, si testator de eo fuisset interrogatus.*

10 *Parentes plus filios diligunt, quam semetipsos.*

11 *Conservationem sui quælibet res naturaliter desiderat.*

12 *Donatio omnium bonorum, supervenientibus liberis revocatur.*

13 *Nepotes ex filio excludunt substitutum extraneum. Idem est in nepotibus, ex filio naturali procreatis, ut num. 14.*

15 *Nepotes ex filio naturali, ecclesiam vel piam causam ipsi substitutam excludunt.*

16 *Fundatori ejusque descendentibus quis honor debeatur?*

17 *Executor ad distribuendum bona inter pauperes deputatus, præferre potest consanguineos proprios extraneis.*

18 *Denegandum non est deprecanti, quod licet secundum æquitatem, decet secundum honestatem, & expedit secundum utilitatem.*

19 *Solem facibus adjuvare velle ridiculosum est.*

Venerabilis ac recolendæ memoriæ magister Carolus Viruli, in suo testamento seu ultima voluntate, inter alia voluit & ordinavit, quòd magister Nicolaus ejus filius, & magister Leo Outers de Hondiscota simul in pædagogio Lilij in futurum essent regentes, quo ad lucra & damna, honores & onera æquales, salvo, quòd dictus magister Leo pro vicarijs in artibus aliquam lectionem vel anteprandialem vel postprandialem, actualiter facturus esset per decennium, ad decorem & utilitatem Facultatis Artium & pędagogij Lilij. Voluit etiam in eodem suo testamento seu ultima voluntate, ex residuo bonorum suorum fundari bursas, dandas pauperibus pædagogij Lilij. Nunc ex isto themate quæritur de tribus. Primò, an dictus magister Leo, qui legatum Regentiæ sibi per dictum magistrum Carolum, ut præmittitur, relictum acceptavit, & qui deputatus fuit dicti testamenti executor & onus acceptavit, compelli possit ad instantiam dicti magistri Nicolai, ad exequendam ultimam voluntatem dicti quondam magistri Caroli, quo ad fundationem dictarum bursarum. Secundò, an compelli possit ad legendum in pædagogio Lilij tempore præfinito per dictum testa-

testatorem? Tertiò, an in hujusmodi bursis, filij dicti magistri Nicolai, scholares pædagogij Lilij & illic visitantes, sint alijs extraneis præferendi? Et quia materia non videtur dubia, succinctè & breviter respondebitur. Et primò quo ad duo prima dubia, certum & indubitatum est, quòd voluntas dicti testatoris fuit pia, sancta, & canonica. Certum etiam est,
1 quod † pro expletione ultimæ voluntatis piæ competit actio popularis, & quilibet de populo, quantumcunque extraneus, admittitur ad querulandum, *ut est tex. in l. nulli licere, in fi. C. de epi.* & *cleri.* fortius ergo admittitur filius testatoris etiam na-
2 turalis, qui † non potest negari esse de sanguine defuncti, & *hoc probatur in c. filijs. 16. q. 7.* & plurimum commendandus est qui hoc procurat, fidesque atque industria ejus, non caret laude, honestate, atque pietate: *ut eleganter dicit tex. in d. l. nulli licere, in fi.* Nec mirum, quia
3 quod † in religionem divinam committitur, id in omnium infertur injuriam. *l. Manicheos. C. de here.* Idque reipublicæ expedit, ne supremæ defunctorum piæ voluntates occultentur & inexpletæ remaneant: magnaque est ratio, quæ pro religione vel pia causa facit. *l. sunt perso-*
4 *næ. ff. de religio.* & *sumpt. funer.* & hinc † multa introducta sunt privilegia in legatis pijs, contra communes regulas juris, *ut videri potest per Ludo. de Roma in aurea sua repetitione, Auth. similiter, C. ad l. Falc,* & *per Bart. Bald.* & *legistas in l. 1. C. de sacrosan. eccle.* & *per canonist. in c. relatum, primo,* & *in c. cùm esses, de testa.* & *aliquid de hoc per Panor. in Rub. eo. tit.* Quo autem ad tertium, etiam nullum videtur dubium, imò mirandum est, quòd de hoc aliqua sit difficultas ex multis respectibus. Primò, quia nemini dubium
5 est, quin patronus † seu fundator ecclesiæ vel pij loci, si postea vergat ad inopiam, alendus est per ecclesiam, & cæteris præferendus, imò ad hoc sibi competit actio, *ut habetur pulchrè in c. nobis,* & *ibi Ioan. And. Pan.* & *alij canonistæ de jure patro.*
6 Secundo, quia donatarius † tenetur alere donatorem: & si hoc recusaverit, revocatur donatio propter ingratitudinem, *ut est gl. ordin. sing. in l. fin.* & *ibi Cyn.* & *Salic. eam approbant* & *commendant, C. de revocan. dona.* Præterea videmus, quòd
7 filij † Doctorum, cæteris paribus, præferuntur alijs, in lecturis ordinarijs vel extraordinarijs, nec aliquid pro sumptibus doctoratus solvere coguntur, *ut est tex. cum sua singul. glossa in l. jubemus, C. de advoca. diver. judic.* & *vult Ioh. de platea, in l. in filijs, C. de decur. lib. 10.* fortius ergo idem dicendum in casu præsenti.
8 Præterea eadem † ratio movere debet delegatum vel commissarium, quæ moveret delegantem, *cap. super literis, de rescript.* cùm ergo non sit dubium, quin delegans seu fundator si viveret, vellet illos de sanguine suo præferri: ergo etiam illi quibus commissa est distributio bursarũ, eandem considerationem habere debent.
9 Præterea omne † illud habetur pro disposito & expresso, quod verisimiliter fuisset dispositum vel expressum, si testator de hoc fuisset interrogatus, *ut est tex cum sua singulari gl. in l. tale pactum. §. fin. ff. de pactis,* sed si dominus testator de isto fuisset interrogatus, verisimiliter expressisset, se velle illos de sanguine suo præferri ex-
10 traneis, ergo, &c. Nemo † enim unquam carnem suam odio habuit, *ut dicit textus in c. non æstimemus, 13. q. 2.* & *alibi dicitur,* carnem tuam ne despexeris, *c. non satis, 86. distinct.* imò plus parentes diligunt filios & descendẽtes ex eis, quam seipsos, *ut est tex. juncta gl. in l. isti quidem in fine, ff. quod metus causa:* nec mirum, quia per filios & descendentes memoria pa-
11 rentum conservatur: quælibet autem † res naturaliter conservationem sui desiderat, *ut dicit gl. ordinaria in l. liberorum,*

ff.de verbor.signif. Ad propositum etiam bene facit, *quod eleganter dicit Augustinus in libro de serm.clericor.* & *habetur transumptivè in cap.fin. 17.q.4.ubi sic inquit*, quicunque vult exhæredato filio ecclesiam instituere hæredem, alium quærat qui suscipiat, non Augustinum, & Deo propicio, neminem inveniet. Hinc etiam
12 videmus, quòd † si aliquis non habens filios donaverit donatione inter vivos omnia bona sua alteri, retento solo usufructu, si postea tali donatori nascuntur filij, revocatur donatio ipso jure: & est ratio, quia non præsumitur quis plus diligere extraneum, quam proprium sanguinem, *ut est tex.singularis, juncta gl.in l.si unquam, C.de revoc.dona.* & *in d.c.fi. §.1.junct sua singulari glos.* Hinc etiam videmus, quòd † si quis instituat filium
13 suum hæredem, & subjungat, quòd post mortem filij velit hæreditatem pervenire ad Titium, deinde contingat filium decedere cum liberis, illi liberi excludent Titium substitutum, licet testator hoc non expresserit, quia à jure subintelligitur conditio, si sine liberis decesserit: Jus enim præsumit, quòd testator non voluit extraneas successiones suis anteponere, *ut est tex. planus in l.cùm avus, ff.de cond.* & *demon.* & *in l.cùm acutissimi. C.de fi-*
14 *deicom.* imò quòd † plus est, hoc procedit etiam, si filio naturali tantum sit relictum legatum & ordinatum, ad quem devolvatur post mortem ejus, quia si talis filius naturalis relinquat liberos legitimos, illi excludunt substitutum, *ut est tex.singul.in l.generaliter.§. cùm autem, in fine, C. de instit.* & *substit.sub condit.*
15 *fac.* etiam † si ecclesia vel pia causa sit substituta tali filio naturali, *ut volunt Bald.* & *Paulus de Castro, in dicta l.cùm acutissimi,* & *Raphael Cuman.* & *Socin. in præall.l. cùm avus*, multò fortius ergo præferendi sunt nepotes testatoris extraneis, in bursis per eum fundatis vel fundari jussis. Nec obstat si fortè dicatur, quòd bursæ debent dari commorantibus in pædagogio Lilij. Quia respondetur, quòd hoc textus testamenti non habet, sed solum habet, quòd illæ adijciantur pauperibus pædagogij Lilij, quales sunt isti pro quibus supplicatur: & dato sine præjudicio, quòd textus testamenti hoc
16 haberet, prout non, tamen quia † isti sunt nepotes fundatoris, non haberet locum in eis: quia fundatori hic honor debetur, ut sibi succurratur in domo propria, *secundum Ioan.And.in d.c. nobis,* & *bene facit tex.in l.plenum.§.pomis.ff.de usu,* & *habita.* & idem de descendentibus fundatoris est censendum, *argum.d.l.jubemus, cum ibi nota.* & *l.fin.C.de impub.* & *alijs substit.junctis notatis in d.l. liberorum in fin.* & *in Auth. jusjurandum quod præsta.ab his, in princ. cum sim.* & maximè hoc est dicendum attento, quòd domus, quam inhabitant dicti juvenes, dicatur esse pauperum bursalium dicti pædagogij Lilij, quoad proprietatem, *ad præmissa etiam facit tex.in d.c. non satis. 86. distinct.* & *nota.per gl.* & *Dd. in c. quiescamus.42.distinct.* & *not.per Panorm.* & *alios in c.1.de cohabita. clerico.* & *mulier.*
17 ubi habetur, quòd † deputatus executor ad distribuendum bona inter pauperes, potest præferre consanguineos proprios extraneis: semper autem debet præferri fundator & sui extraneis, *dicto. c.super literis,* & *præalleg.c.nobis, cum alijs jurib. suprà alleg.* si enim respicimus personam juvenum largo vocabulo, filij sunt seu verius nepotes fundatoris: si personam intercedentis pro eis, filius est fundatoris & pater juvenum; si autem ad bursas dirigamus intuitum, reperimus quòd ab avo istorum juvenum emanârunt: si ad personas à quibus petitur, comperimus eos honoratos amplis legatis à testatore, & ergo merito debent esse grati, cùm ad antidora nedum erga defun-

defunctum, sed etiam erga descendentes testatoris obligentur: cùm ergo† id quod
18 petitur sit justum in se, & liceat secundum æquitatem, deceat secundum honestatem, & expediat secundum utilitatem dicto pædagogio Lilij & reipublicæ, ut alij ad similes fundationes faciendas invitentur, & non retrahantur, nec est in hac parte dictis juvenibus, vel eorum patri justa deprecantibus denegandus assensus, *juxta ea quæ habentur* & *notantur in c. magne, de vot.* & *in l. 2. ff. de hi, qui sunt sui vel ali. juris*, de quo plura scribere attenta lucida & clara veritate hujus ma-
19 teriæ, quæ † propter ipsius notorietatem omnibus se exhibet, & nemini potest esse incognita, nihil aliud esset, quàm solem facibus adjuvare velle, quòd quàm ridiculosum est, nemo est qui ignorat, *c. si omnino, 6. q. 1.* & *l. 1. in fin. ff. de dote præleg.*

CONSILIUM CXCIV.

SUMMARIA.

1 *Feudum propter delictum vasalli in personam alterius, non domini commissum, proximis agnatis applicatur, non domino.*

2 *Indignus* & *inhabilis ad succedendum, mortuo æquiparantur.*

3 *Masculis non extantibus fœmina in feudo succedit, nisi obstet investitura.*

4 *Hereditas occisi per fiscum ab occisore, tanquam indigno, aufertur,* & *num. 14.*

5 *Exceptionem indignitatis occisori solùm fiscus opponere potest.*

6 *Fœmina semel à feudo exclusa in perpetuum exclusa remanet.*

7 *In reatu constitutus administrationem bonorum suorum retinet; unde ea ante condemnationem alienare potest, ut num. 9.*

8 *Fiscus in bonis delinquētis, ante litem contestatam vel sententiam latam, hypothecam non acquirit.*

9 *Fiscus criminoso succedens, causam lucrativam habere dicitur.*

10 *Emens à criminoso, an pretium recuperare à fisco possit?*

11 *Emens à criminoso, an* & *quando fiscum succedere volentem in re vendita excludit,* & *num. 14.*

12 *Præscriptio contra fiscum in rebus incorporandis quadriennio completur.*

13 *Delinquere non censetur, qui in dubijs quæstionibus contra fiscum respondet.*

15 *Impedimentum non præstat, quod de jure non sortitur effectum.*

16 *Nullum esse aliquid ipso jure, an ope exceptionis, multum interest.*

CAsus. Iohannes pater habens & tenens feudum sub principe, necatus est. Petrus Iohannis filius, mortuo patre accedit locum tenentem principis in curia feudorum, & ab eo præsentibus hominibus feudalibus ejusdem curiæ relevat feudum derelictum per Iohannem patrem; admittitur Petrus ad feudum, qui juramentum solitum principi præstat, & de juribus ea occasione principi, locumtenenti, & hominibus feudalibus curiæ debitis satisfacit. Idem Petrus filius, paulò post super prædicto feudo vendidit Gulielmo certum annuum redditum, cujus exhæredatio per præfatum Petrum, & hæreditatio ipsius Gulielmi judicialiter, cum observatione omnium solennitatum consuetarum, factæ sunt in curiâ feudorum principis. Iterum ipse Petrus vendidit eidem Gulielmo super feudo quo suprà, alium redditum, observatis etiam solennitatibus, ut prius. Postmodum præfatus Petrus vendidit eidem Gulielmo totum integrum feudum, cui per mortem Iohannis patris successerat.

Admissa est venditio per locum-tenentem principis, & omnibus solennitatibus observatis, cum satisfactione jurium principis, locum-tenentis, & hominum feudalium, Guilielmus emptor admissus est judicialiter per eum locum tenentem, de consilio & judicio hominum feudalium ad prædictum feudum sibi venditum, & de eodem fecit principi fidem & homagium more solito, & de juribus satisfecit. Post annum lapsum à die illius venditionis totalis venit in lucem, quòd iste Petrus venditor conspiraverat in mortem Iohannis patris sui, quod prius occultum fuerat, qua occasione captivatus Petrus capite truncatus est: & nihilominus Guilielmus emptor feudum per eum emptum ab eodem Petro, per octo & novem annos & hacusque, possedit & possidet. Venit Katharina filia Iohannis & soror ejusdem Petri, & quia ipse Petrus conspiraverat in mortem Iohannis patris sui, dicit, Petrum non debere patri successisse, & sub illo colore querelat & petit feudum per eundem Petrum susceptum & venditum, ut suprà, à Guilielmo ejusdem feudi emptore, sibi tanquam hæredi Iohannis sui patris liberè restitui. Quæritur quid juris, & cui spectabit feudum prædictum, vel emptori, vel principi seu ejus fisco, vel prædictæ Catharinæ? & si Katharinæ, an Guilielmo, inquantum fuerit emptor bonæ fidei, in illum eventum recompensaretur de denarijs emptionis suæ, vel non?

In quo articulo pulchro & subtili, pro ipsius elucidatione & clara intelligentia breviter & succinctè, omissis ambagibus, decrevi primò ponere motiva pro & cõtrà. Secundò conclusionem & resolutionem in hac materia. & tertiò ac ultimò, ut veritas elucescat & melius appareat, respondebo objectis & adductis in oppositum. Veniendo ergo ad primum videtur, quòd dicta Katharina filia Iohannis & soror Petri debeat habere dictum feudum ex multiplici capite. Primò per regulam vulgatam, quæ habet, quòd quan-
1 do † vasallus feudo privatur propter delictum vel feloniam commissum, vel commissum, non in personam domini, sed in personam alterius, tunc feudum applicatur proximis agnatis, & non domino, *ut est textus ad literam, in §. denique, quæ fuit prima causa benefic. amitten.* & *in c. unico, si vasallus feud. prive. cui defera.* & *in c. unico, an ille qui interfecit fratrem domini sui, in usib. feudor.* Cùm ergo dictus Petrus sit privandus feudo, propter parricidium & feloniam in patrem proprium commissam, & non in dominum, dictum feudum non potest applicari domino, qui in casu præsenti est princeps vel fiscus, ut patet in themate, sed debet applicari dictæ Katharinæ, quæ est proxima agnata dicti Petri parricidæ, *per jura suprà allegata.* Secundo hoc suadet
2 ratio naturalis, quia si † dictus Petrus tẽpore mortis patris sui non fuisset in rerum natura, dicta Katharina successisset suo patri in præfato feudo, ergo etiam nunc succedere debet: quia ex quo dictus Petrus reperitur indignus & inhabilis, perinde censeri ac reputari debet, ac si non fuisset: quia non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, *regula, non præstat, de reg. jur. li. 6.* & nullum & inutile æquiparantur, *l. quotiens. ff. qui satisda. cogun.* & *cap. inter corporalia, de transla. præla. cum sim.* Nec ei obstat qualitas sexus, quia licet fœmina non posset succedere in feudo, extan-
3 tibus masculis ejusdem gradus: tamen † masculis non extantibus, fœmina benè succedit in feudo, si nõ obstet investitura, *ut est tex. in c. 1. in §. filia verò, de success. feud. in usib. feudorum.* Econtrà videtur, quod dictum feudum debeat applicari
4 fisco, ex multiplici capite. Primò, † quia ille, qui occidit alium, non potest ei succedere,

dere, ut est tex. in l. cum ratio in fi. & ibi
Bart. ff. de bon. damna. nec etiam potest
succedere ejus hæredi, ut est text. notab.
in leg. Lucius, & ibi Bart. notat. ff. de ju-
re fisci, quod debet sanè intelligi, ut scili-
cet non succedat in effectu: nam revera
talis succedit occiso, sed ei tanquam indi-
gno aufertur hæreditas per fiscum, jurib.
suprà alleg. ita singulariter vult gl. ordin.
in l. his consequenter. §. 1. ff. fam. l. hercisc.
5 & declarant † magistraliter Paul. de Ca-
stro, & Iason in l. sororem, C. de his, quibus
ut indig. ubi est casus expressus contra
dictam Katharinam, quòd scilicet ipsa nõ
admittatur hoc casu: nullus enim potest
opponere hæredi exceptionem indignita-
tis, provenientem ex illo, quòd occidit il-
lũ, de cujus hæreditate agitur, nisi fiscus,
ut dicit gl. ordin. notab. in præall. l. his con-
sequenter. §. 1. in verbo, non pertinere, cir-
ca fin. & ibi expressè Bald. & vult gl. &
Dd. in d. l. sororem, & probatur in l. hære-
6 ditas eo. tit. Præterea † fœmina semel ex-
clusa à feudo, in perpetuum manet exclu-
sa, ut est tex. in §. quin etiam, in tit. epi-
scopum vel abbatem, in usib. feu. Cùm er-
go dicta Katharina fuerit semel exclusa
per hoc, quòd dictus Petrus patri suo in
feudo successit, & admissus fuit, licet
postea ab eo tanquam indigno auferatur
hæreditas per fiscum, ipsa amplius admit-
ti non debet. per d. §. quinimò, & per con-
sequens fiscus sive princeps in casu præ-
senti videtur benè fundatus. Ex diverso
autem videtur, quòd præfatus Guilelmus
emptor debeat præferri, tàm fisco, quàm
dictæ Katharinæ, ex multiplici capite.
7 Primò, quia † dictus Petrus, post parri-
cidium per eum, vel ex machinatione i-
psius commissum, retinuit administratio-
nem bonorum suorum, per regulam, l. au-
fertur, §. in reatu, ff. de jure fisc. & l. par-
ricidij, ff. ad leg. Pomp. de parri. nec fuit
ipso jure privatus, imò mero jure fuit hę-
res sui patris, & per aditionẽ & investitu-
ram dominium dicti feudi acquisivit, er-
go potuit alienare, maximè titulo onero-
so, arg. l. post contractum, cum gl. ff. de do-
na. ubi permittitur criminosa alienatio,
etiam ex causa lucrativa, ante condemna-
8 tionem. Secundò, quia fiscus † non habet
hypothecam in bonis delinquentis statim
à tempore commissi delicti, sed demum
lite contestata, vel sententia lata, ut con-
cludunt Cyn. Ang. Salic. & Dd in l. si quis
posthac, C. de bonis damna. & gl. & Bart.
in dicta l. aufertur, §. fiscus, licet aliud sit in
contractibus, dicta l. si quis posthac, & prę-
9 all. §. fiscus, cum sim. ergo alienatio † facta
per criminosum ex causa onerosa ante
litem contestatam, & fortius ante accu-
sationem vel citationem valebit: nec po-
terit hujusmodi alienatio retractari per
fiscum, quando ille in quem facta est a-
lienatio ex causa onerosa, fuit bonæ fidei
possessor, ita concludit Ang. in d. l. si quis
post hac, & Cyn. & Ang. in l. fin. C. ad leg.
Iul. majest. Et dato, quòd per fiscum pos-
set fieri retractatio alienationis, factæ per
dictum Petrum ex causa onerosa in i-
gnorantem, prout non, per suprà dicta;
10 tamen fiscus † deberet restituere precium
receptum per dictum Petrum, ex quo ha-
bet causam lucrativam, ita notabiliter di-
cit Io. de Imo. in dicta l. post contractum,
& Cyn. in præall. l. fi. in fin. C. ad leg. Iul.
majest. & idem in casu præsenti, quando
emptor non participavit fraudem, quia i-
gnoravit delictum commissum, & quan-
do alienans habuit potestatem vendendi,
quia administratio non fuit sibi interdi-
cta, ut in casu præsenti est de mente
Bart. in l. si debitor, ff. de his, qui in frau.
creditor. & est tex. optimus juncta gl. in l.
1. §. si quis in fraudem. ff. si quid in frau-
dem patron. & tantum de prima parte.
Venio nunc ad secundam partem, & po-
nendo (salvò judicio melius sentientis)
veram conclusionem & resolutionem in
hac materia, dico quòd dictus Guiliel-

mus emptor, tàm fiſco, quàm dictæ Ka-
tharinæ eſt præferendus, multiplici re-
11 ſpectu. Primò fiſco † ex eo, quia dictus
Petrus venditor habet adminiſtrationem
dicti feudi, & in veritate fuit dominus il-
lius, licet revocabiliter, *ut ſuprà dixi*, tum
etiam quia dictus Guilielmus emptor ha-
bet dictum feudum ex titulo oneroſo,
non autem ex titulo lucrativo, quo caſu
adhuc ſunt plures opiniones inter Docto-
res, an retractetur alienatio, *ut videri po-
teſt per Bart.* & *alios in dicta l. poſt con-
tractum*, & *per Cyn. Ang. Salic.* & *alios in
dicta l. ſi quis poſthac*; tum etiam, quia tē-
pore emptionis dictus Petrus venditor,
neque fuit accuſatus, neque citatus, neque
condemnatus, & ſic dictus Guilielmus
emptor fuit in bona fide; tum etiam quia
fiſcus ex delicto non habet hypothecam,
ut ſuprà dixi. & tum ultimò, quia dictus
Guilielmus emptor hujuſmodi feudum
ex dicto titulo oneroſo pacificè poſſedit,
poſt patefactionem parricidij per dictum
Petrum perpetrati, vel machinationis ad
hoc tendentis, & ſic poſt delationem in fi-
ſcum & nunciationem fiſco factam, ne-
12 dum † per quadriennium, quod de jure
ſufficit, ad præſcribendum contra fiſcum
in rebus incorporandis, *l. intra quatuor,
ff. de diver.* & *tempor. præſcriptio*, & *l. 1.
§. Divus, ff. de jure fiſci*, & *vult Bart. in l.
in omnibus. ff. de diver. & tempor. præ-
ſcriptio.* & *Ang. in §. res fiſci, Inſtit. de
uſucap*, ſed etiam per tempus duplicatum
13 & ultrà, ut ponitur in themate: cum †
ergo dictus Guilielmus emptor certet de
damno vitando, præferendus eſt meritò
fiſco, qui certat de lucro captando, & hoc
caſu credo verificari poſſe, *l. non puto, ff.
de jure fiſci*, ubi Juriſconſultus ponendo
regulam dicit, non puto delinquere eum,
qui in dubijs quæſtionibus contra fiſcum
facilè reſponderit: *pro quo faciunt nota.
per Alex.* & *Dd. in l. prima, ff. ſolut. ma-
trim.* Item dictæ Katharinæ præferri de-
bet ex eo, quia ipſa fuit ſemel excluſa per
hoc, quòd dictus Petrus ejus frater, tem-
pore mortis patris ſui extabat, & eam in-
cluſit: nec ei prodeſt indignitas fratris
poſtea detecta, ſed fiſco, ut ſuprà dixi, &
tantum de ſecunda parte. Venio nunc ad
tertiam partem, in qua reſpondendum eſt
objectis pro contraria parte: & licet ex
præmiſſis pateat ſolutio, tamen ut veritas
magis eluceſcat, reſpondendum eſt de ſin-
gulis per ordinē, paucis & brevibus ver-
bis. Et primo, non obſtat primum, quia
14 regula, † ſuper qua fundatur dictum pri-
mum motivum, inductum pro Kathari-
na, ſi bene perpendatur, loquitur, quando
vaſallus, in cujus perſona fuit radicatum
feudum, committit feloniam, ſed nos lo-
quimur, quando feudum fuit apud alium,
& non apud illū, qui committit feloniam,
& quando ille, qui committit feloniam,
ſperat ſeu prætendit ſuccedere, vel de fa-
cto ſuccedit illi, in cujus perſona ipſe cō-
miſit feloniam: quo caſu locum habent
jura ſuprà alleg. quæ dicunt, quòd talis
ſuccedit mero jure, ſed ab eo tanquam ab
indigno aufertur per fiſcum, & ſic non
obſtat, quia ex ſeparatis non fit illatio,
l. neque natales, C. de probatio. cum ſim.
15 Non obſtat etiam ſecundum, quia dicta †
regula, *non præſtat*, tunc demum proce-
dit, quando aliquid non ſortitur effectum
à principio, vel expoſt facto, *ut ibi dicit
gl. ordinaria.* In caſu autem dictæ hære-
ditatis aditio ſortitur effectum à princi-
pio & mero jure, licet ex poſt facto irri-
tetur, fiſco revocante ab eo tanquam ab
indigno. *ut ſuprà dictum eſt.* Non obſtat
etiam aliud, quia in multis † caſibus re-
peritur multum intereſſe, an aliquid ſit
nullum ipſo jure, an ope exceptionis, *ut
videri poteſt in l. ubi, C. de tranſactio.* &
*in l. ſi unus. §. pactus ne peteret, ff. de pa-
ctis*, & *in caſu præſenti hoc expreſſè volunt
gl.* & *Bald. in dicta l. his conſequenter*, &
Paul. de Caſtro, & *Iaſ. in dicta l. ſororem*,
Non

Non obstant etiam alia, quæ pro fisco allegantur, quia si benè ponderentur, fa-
17 ciunt pro hac parte: nam † quòd fiscus aufert hæreditatem ab indigno, procedit quando illam invenit apud indignum: sed quando indignus ante litem sibi motam, illam transtulit titulo oneroso in alium accipientem bona fide, fiscus non auditur contra illum tertium bonæ fidei possessorem, quando transferens non fuit ipso jure privatus illis bonis, ita quòd dominium fuit apud fiscum, ut in casu præsenti, *ut latè deductum est suprà*. Ex quibus omnibus concludo, quòd dictus Guilielmus emptor bonæ fidei in præfato feudo jus habet, & minimè fiscus vel Katharina: judicio cujuslibet, melius & rectius sentientis, semper salvo.

CONSILIUM CXCV.

SVMMARIA.

1 *Ex persona actoris jus metimur.*

2 *In omnibus causis, quando de jure actoris non constat, procedendum est ad absolutionem rei, etiamsi de suo jure non doceat.*

3 *Taciturnitas nationis inducit surreptionem.*

4 *Gratia seu provisio surreptitia ipso jure nulla est.*

5 *Fundamento destructo, quicquid superædificatum fuit, corruit.*

6 *Literæ dispensationis unde fiant de falso suspectę?*

7 *Minori 25. annis beneficium curatum conferri nequit, nisi dispensatio intervenerit.*

8 *Limitata causa limitatum producit effectum.*

9 *Dispensatio juri communi contraria, tanquam odiosa strictè interpretari debet.*

10 *Specialia præcedentia limitant, restringunt*, & *declarant sequentia generalia.*

11 *Materia impetrationis literarum pro obtinendis beneficijs, ambitiosa dicitur, ideoque est restringenda.*

12 *Voluisse quis ultra, quàm verbis expressit, nunquam præsumitur.*

13 *Promissio* amplius nil petere *quomodo intelligenda?*

14 *Generalis quitatio post computum rationis facta, restringitur ad illa tantum, de quibus facta est computatio.*

15 *Clausula*, quidam alij & res aliæ, *in scriptis quid operetur?*

16 *Qualitas speciei præcedentis in sequentibus verbis generalibus repetita censetur.*

17 *Genus subsequens ad qualitatem enunciatorum restringitur.*

18 *Vniversale adjectum uni speciei in materia restringibili, aliam non includit.*

VEnerabilis ac circumspecte Domine Officialis, in causa coram D. V. pendente indecisa, per & inter Andream de Castillo actorem ex una, & circumspectos dominos Vicedecanum & Capitulum Ecclesiæ collegiatæ sanctæ Gudilæ Bruxellensis ex altera; placeat attendere ad infrà scripta, & signanter ad hoc,
1 quòd ex † persona actoris jus metimur, *l. 1. in princ. ff. si pars hæred. petat.* non enim inspiciendum est, an reo in re contentiosa, sed an actori jus competat, *l. fi. C. de rei vend.* quia si actori jus non competat, venit reus absolvendus: nam quoad eum, liberas ædes habet, *l. loci corpus. §. competit, ff. si servi. vendice.* & *d. l. fina.* hoc enim est commodum possessionis, *ut est text. optimus in §. retinendæ, Instit. de interdi.* docto ergo & demonstrato, quòd in casu præsenti, dicto actori jus non competit, patebit evidenter, dictos dominos Vicedecanum & Capi-

Capitulum ab impetitione ipſius eſſe ab-
ſolvendos, etiam ſi de jure eorum non
2 conſtat: non ſolùm † enim in cauſis pro-
phanis, ſed etiam in beneficialibus & alijs
ſpiritualibus cauſis, quando non conſtat
de jure actoris, vel quando conſtat de non
jure ejuſdem, procedendum eſt ad abſolu-
tionem rei, etiamſi de jure ſuo nõ doceat,
ut notabiliter dicit Rota. deci. 15. in novis,
per jura, de quibus ibi. Reſtat ergo demon-
ſtrare, quòd in caſu præſenti non conſtat
de jure dicti actoris, ex actis coram vobis
habitis, imò de notorio non jure ipſius;
quod ut luce clarius appareat, oſtendo
multipliciter. Primò ſic; certum eſt ex
proceſſu conſtare, & maximè ex literis
tonſuræ dicti actoris per eum exhibitis,
dictum actorem eſſe illegitimum & fo-
renſem, non Cameracenſis ſed Tornacen-
ſis diocœſis, patet etiam ex proceſſu, quòd
dictus actor impetrando ſibi per papam
conferri prætenſum beneficium, de quo
eſt quæſtio, non narravit ſe eſſe forenſem,
& de diocœſi Tornacenſi: Modò ita eſt,
3 quòd ſi † forenſis vel oriundus de una
diocœſi, impetrat beneficium in alia dio-
cœſi, & non facit mentionem de loco ſuæ
originis, gratia eſt ſurreptitia: quia in
dubio papa intendit providere unicuique
in patria ſua, & non præſumitur ſcire na-
tionem impetrantis, unde taciturnitas na-
tionis inducit ſurreptionem: quia ſi ipſe
impetrans expreſſiſſet ſuam nationem,
papa non conceſſiſſet ſibi gratiam in par-
tibus alienis, vel ſaltem non ita de facili,
hoc probat tex. in cap. bonæ, 2. circa fin. i-
bi, nec vellemus ei preficere alienum, de
poſtbu. prela. & *textus in l. in eccleſiis,*
C. de epiſc. & *cleric.* & *eſt gloſſa ordin. no-*
tab. hoc ponens ad literam, in cap. ſi propo-
nente. de reſcriptio. & *ibi eam ſequuntur,*
approbant & *valdè commendant Panorm.*
Ioan. de Imola, & *Dd.* ſi ergo † gratia ſeu
4 proviſio dicti actoris eſt ſurreptitia, ergo
ipſo jure nulla: quia in gratijs ſurreptio

viciat ipſo jure, *cap. 1.* & *2. de filijs preſ-*
byt. lib. 6. & *cap. ad audientiam, 2. cum ibi*
notatis, de reſcript. & per conſequens, nul-
lum jus ſibi competit, quia tota ſua inten-
tio fundatur ſuper dicta gratia ſeu pro-
5 viſione: cum ergo fundamentum ſit †
nullum, ſequitur, quòd quicquid ſuper eo
ædificatum eſt, corruit tanquam non po-
ſitum ſupra firmam petram, *cap. princi-*
patus. & *cap. cum Paulus, 1. q. 1.* & *cap. 3.*
de cler. non bap. miniſtrante. Secundò,
iſtud deduco alio medio ſic; dictum Ca-
pitulum ſanctæ Gudilæ eſt per literas a-
poſtolicas privilegiatum, quòd non poſſit
nec teneatur aliquem ad prætenſum be-
neficium, de quo eſt quæſtio admittere,
niſi talis fuerit Doctor, vel Licentiatus in
altero jurium, vel ſaltẽ bacalarius forma-
tus in Theologia, & quòd ipſe juret in
eo perſonaliter continuè reſidere; quæ
qualitates non concurrũt in perſona dicti
actoris, nec aliqua earum, nec reperitur in
actis ſufficienter diſpenſatus, ſaltem quo-
6 ad ultimum, cum prætenſæ † literæ di-
ſpenſationis ad illum finem per dictum a-
ctorem in actis circa finem proceſſus ex-
hibitæ, reperiantur in pleriſque locis etiã
ſubſtantialibus raſæ, deletæ, & alio atra-
mento in loco deleto & abraſo ſcriptæ,
vel verius citra injuriam loquendo falſi-
ficatæ: quare videntur omnino de falſo
ſuſpectæ, nec eis venit fides adhibenda, ex
quo deviant nedum à communi ſtylo Cu-
riæ Romanæ, ſed etiam à dictamine rectæ
rationis. *ut eſt tex. juncta gl. in cap. cau-*
ſam, quę in fi. & *ibi Panor. in ultimo no-*
tab. id notat, de teſti. Tertiò iſtud deduco
alio medio inconvincibili, ſic, certum eſt,
7 quòd nullus † etiam de legitimo matri-
monio natus, poteſt habere beneficium
curatum, niſi tempore collationis vel pro-
viſionis, attigerit 25. annum, & proviſio
vel collatio tali facta de beneficio curato,
eſt ipſo jure nulla, *ut eſt textus in cap. li-*
cet canon. de elect. lib. 6. juncto cap. ſi eo
tempore,

tempore, de rescript. eodem lib. & *in cap. cum in cunctis. §. inferiora, eodem tit. in antiquis*, nisi secum fuerit dispensatum, ut hujusmodi defectu ætatis non obstante, posset beneficium curatum obtinere, maximè quando est curatum in alia diocœsi situatum, ut suprà dixi, sed in casu præsenti non reperitur cum dicto actore sufficienter dispensatum, & tempore collationis ipse non fuit legitimæ ætatis, ut patet ex data provisionis, juncta data suæ prætensæ dispensationis: ergo ei non cõpetit actio, & per consequens rei sunt absolvendi: quòd autem cum eo non reperiatur in casu præsenti sufficienter dispensatum, deduco: quia si benè videatur & diligenter ponderetur dispensatio per eum exhibita, hoc solùm habet, quòd quamprimum in vigesimo ætatis suæ anno constitutus fuerit, unum curatum, & cùm in ætate legitima constitutus fuerit, duo curata, in civitatibus & diocœsibus regnorũ, Castellæ & Legionis, consistens, seu consistentia obtinere possit, defectu suo natalium & ætatis non obstante, &c. Sed certum est, quòd vigore † talis dispensatio-
8 nis ipse non posset habere vel obtinere beneficium curatum ante 25. annum, extra dicta Regna, Castellæ & Legionis cõsistens, quale est istud, de quo est contentio: quia limitata causa limitatum producit effectum, *l. in agris, ff. de acquir. re-*
9 *rum dom.* & † dispensatio contra jus commune, cùm sit odiosa, debet strictè interpretari, *c. quod dilecto,* & *ibi Innoc. Panor.* & *Dd. de consang.* & *affin.* & *præall. c.* 1. & 2. *de filiis presbyt. lib. 6.* quòd autem dispensatio per eum exhibita, solùm hoc habeat, quòd possit obtinere unum beneficium curatum, quamprimum in vigesimo suæ ætatis anno constitutus, & cùm in ætate legitima constitutus fuerit, duo curata in dictis regnis Castellæ & Legionis consistens, seu consistentia, deduco multipliciter, & ad istud est benè advertendum, quia in eo pendet tota vis & effectus, & posset faciliter errari, nisi benè & subtiliter ponderentur & masticentur hujusmodi literę dispensationis. Et primò
10 istud deduco sic; quandocunque species † præcedit & genus sequitur, tunc specialia præcedentia limitant, restringunt, & declarant sequentia generalia, *tex. est nota. in l. legatorum §.* 1. & *ibi Bart. Bal. Pau. de Cast.* & *DD. ff. de lega.* 2. ubi est casus, quo si testator in testamento, in quo instituit plures hæredes gravavit quosdã ex eis, per quos voluit solvi legata per eum relicta, aliquos autem non gravavit, si posteà codicillos direxit ad omnes, jubens præstari relicta in testamento, illud verbum, *omnes*, prolatum in codicillis restringetur ad nominatos in testamento, ut sit sensus, omnes hæredes, scilicet nominatim gravati in testamento, præstent legata, ut sic scriptura codicillorum concordet cum scriptura testamenti, & genus per speciem interpretetur, ex quo ratio recti sermonis hanc interpretationem patitur. Modò sic est, quòd in literis dictæ dispensationis per actorem exhibitæ, species præcedit & genus sequitur: ergo eodem modo specialia præcedentia debent limitare, restringere, & declarare generalia sequentia. Consequentia tenet; quia si hoc fiat in materia favorabili & larga, ut est materia legatorum & ultimæ voluntatis, *l. in testamentis, ff. de reg. jur.* ergo multo fortius idem fiet in materia odiosa, qualis est dispensatio contra jus, ut suprà dixi, & in materia ambitiosa,
11 qualis † est materia impetrationis literarum pro obtinendis beneficijs, *cap. quamvis, de præbend. lib. 6. cum sim.* Minor autem probatur, quia primò, quatenus proposito servit, cum dicto actore dispensatur, ut possit obtinere quæcunque, quotcunque, & qualiacunque præstimonia, seu præstimoniales portiones, aut beneficia simplicia, etiam pontificialia aut milita-

tationes nuncupata seu nuncupatas, in civitatibus & diœcesibus dictorum regnorum Castellæ, & Legionis consistentia: ecce species limitata & restricta ad diœceses & civitates dictorum regnorum, & postea in continenti subjungitur, quòd quàm primum dictus actor in vigesimo suæ ætatis anno constitutus fuerit, obtinere poterit unum beneficium curatum, & cùm in ætate legitima constitutus fuerit, duo beneficia curata, quæcunque, seu aliàs invicem incompatibilia, &c. ecce genus, quod debet restringi per specialia præcedentia, ut sit sensus, quòd cùm in vigesimo suę ætatis anno constitutus fuerit, obtinere possit unum curatum, & cùm in ætate legitima constitutus fuerit, duo curata quæcunque, consistentia scilicet in civitatibus & diœcesibus dictorum regnorum Castellæ & Legionis, quia hoc patitur ratio recti sermonis. Et hoc habemus necessariò dicere, ex quo materia est odiosa & ambitiosa, & sic restringenda, ut suprà dixi: & quia dicta gratia seu dispensatio potest operari suum effectum in civitatibus & diœcesibus dictorum regnorum: hoc etiam suadet alia ratio,
12 quia si † papa voluisset secum dispensare, ut posset obtinere beneficia consistentia extra dicta duo regna, potuisset adjicere hæc pauca verbula, ubicunque consistentia, quod non fecit: ergo non præsumitur hoc voluisse, *c. ad audientiam, de decimis*, adjecit enim benè summus pontifex pluralia verba, per quæ vult, dictum actorem admitti, sive sint curata, quia parochialas ecclesiæ, vel quia perpetuæ vicariæ, vel quia dignitates, quibus imminet cura animarum, etiam si sint electivæ, &c. ergo eadem facilitate & longè majori potuisset adjicere dicta duo verbula, ubicunque consistentia, quod quia non fecit, debemus necessariò dicere, quod id nō voluit, *per d. l. legatorum.* §. 1. secundò i-
13 stud probo *per † tex. in l. si de certa*, *C. de transact.* ubi est casus; tenebaris mihi ad diversas quantitates ex diversis causis, egi contra te ad centum, mihi debita ex causa mutui, & lite pendente transegi tecum pro quinquaginta, & promisi à te nil amplius petere. Ista verba, *amplius nil petere*, possunt intelligi, dupliciter, uno modo, amplius nil petere, scilicet ex causa mutui deducta in libello, secundo modo amplius non petere, generaliter ex quacūque alia causa, & dicitur *in dicta l. si de certa*, quòd intelliguntur primò modo, quia cū transactio fiat super re dubia & litigiosa, dicta verba, amplius nō petere, debent restringi ad illam causam, de qua litigabatur, nō autem debēt extendi ad alias causas, de quibus nullum erat litigium, licet de proprietate verborum, etiam aliæ causæ possent comprehendi; & ratio est: quia ratio, recti sermonis patitur hanc restrictionem fieri: ergo etiam ita dicendum est in proposito, quòd verba illa generalia quæcunque, debeant restringi per præcedentia, ut sit sensus, quæcunque consistentia in civitatibus & diœcesibus dictorum regnorum Castellæ & Legionis, de quibus præmisit, *per d. l. si decreta.* Tertiò i-
14 dem probo *per † l. emptor.* §. *Lucius, ff. de pact.* ubi habetur, quòd generalis quitatio facta post computum alicujus rationis, restringetur ad illa tantum, de quibus erat facta computatio: casus enim est ibi, quòd quidam puta Lucius deposuit apud alium, puta Cajum trecenta, ut ea daret cuidam tertio, puta Sejo, quæ trecenta remanserunt apud Cajum, nec erant data Sejo, inter istos duos Lucium & Cajum, socios in mercantia, facta est computatio & conclusa, per quam Cajus reperitur debitor in 386. & cassantur omnes obligationes & cautiones, ex quacunque causa factæ, & cujuscunque summæ fuerint. Deinde, quia dictus Cajus prædicta trecenta apud eum deposita Sejo non dederat, ipse Lucius egit ad hoc, ut illa trecēta

Sejo

Sejo darentur, vel sibi restituerentur, Cajus autem se opponendo dicit, quòd ipse solùm mansit debitor in trecētis 86. quibus per eum solutis, nihil ab eo poterit peti, propter quitationem sive liberationem generalem, per verba multum generalia, scilicet ex quacunque causa & cujuscunque summæ, & cætera. Lucius autem replicando dicit, quòd dicta quitatio seu liberatio generalis facta post cōputum, debet restringi ad illa, de quibus erat facta computatio; sed de istis trecentis non erat facta computatio, quia in computo non erat facta aliqua mentio de ista summa, nec fuit cogitatum de ista summa, quia credebatur, quòd Sejus recepit illa trecenta. Fuit dubitatum, quid juris, & decidit ibi Iurisconsultus, quòd dicta generalis quitatio debet restringi ad illa, de quibus erat facta computatio, non obstante generalitate verborum, ex quo talis restrictio fieri potest salva ratione recti sermonis: ergo etiam illa fieri debet in casu pręsenti, *per d. §. Lucius*, & tanto magis, quia sumus in materia odiosa, ambitiosa & restringibili, *ut suprà*
15 *dixi.* Quartò idem probo *per † c. sedes, de rescript.* ubi habetur, quòd per clausulam, *quidam alij & res aliȩ*, quæ frequenter ponitur in rescriptis, non potest conveniri multitudo, nec personæ, vel res majores expressis, sed solùm pares vel minores, & sic generalitas subsequens ex juris interpretatione restringitur per præcedentia: & hinc notabiliter dixit *Innocen. in cap. ex literis, de jure patron.* quòd si episcopus donet alicui villam, & omnia jura quæ in ea habet, sub illa generalitate non veniunt jura spiritualia, quia non sunt æqualia expressis, sed illa generalitas debet restringi ad temporalia, propter speciem temporalitatis præcedentem, & *idem volunt Panor. & Dd. in dicto cap. sedes:* ergo etiam in casu præsenti dicta generalitas restringetur per præceden-
16 tia. Quintò idem probo *per † l. fin. §. cui dulcia, ff. de vi. trit. oleoque lega.* ubi est casus: quidam legavit alicui vinum suum malvaticum, & omnia dulcia: iste habebat ficus, dactylos, racemos, & alia dulcia non potabilia: quærebatur, an omnia illa venirent in legato? & videbatur quòd sic, propter illa verba generalia, & omnia dulcia: illo tamen non obstante deciditur ibi contrarium, & dicitur, quòd solùm veniunt dulcia potabilia, propter qualitatem speciei præcedentis: si ergo illa restrictio fiat in materia favorabili, ergo multo fortius idem erit dicendum in casu præsenti, *regula odia, & regula in pœnis, de reg. jur. lib. 6.* Sextò idem probo,
17 *per text. † juncta glos. in Clem. 1. §. 1. de pręben.* ubi est casus, quòd si mandetur, alicui provideri de dignitate, ad cujuscunque vel quorumcunque collationem, provisionem, seu quamvis aliam dispositionem in certa ecclesia pertinente, non poterit tali provideri de dignitate electiva, licet verba prima facie videantur multum generalia, & apta ad hoc importandum: & ratio est duplex *secundum glos. & Dd. ibi.* Prima, quia genus subsequens restringitur ad qualitatem enunciatorum.
18 Secunda, quia in † materia restringibili, qualis est ista, universale adjectum uni speciei non includit aliam: ergo etiam punctaliter ita erit dicendum in casu proposito, *jurib. suprà alleg.* Pręterea pro parte dictorum dominorum Vicedecani & Capituli, ex abundanti allegatur aliud medium de incorporatione, & extinctione tituli beneficij contentiosi, de quo quia in actis satis habetur, gratia prolixitatis evitandæ nihil scribere statui, quia id supervacuum putavi, præmissis attentis, ex quibus lucidè & evidenter constat, etiam dicto fundamento incorporationis cessante, præfato actori nullum jus competere, & per consequens præfatos dominos Vicedecanum & Capitulum ab im-

ab impetitione ipsius fuisse & esse absolvendos, ipsumque actorem, ob ejus frivolam & temerariam vexationem, eisdem dominis Vicedecano & Capitulo, in omnibus expensis hujus litis fuisse & esse condemnandum: Judicio vestro, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM CXCVI.

SVMMARIA.

1 *Spolium ut probetur, duo requiruntur copulativè, possessio & dejectio.*
2 *Ex decennali pensionis solutione titulus presumitur.*
3 *Frustra amplius demonstratur, sufficienter demonstratum.*

LIcet meum non sit instruere Minervam, tamen ut desiderio amici satisfaciam, paucis ostendam, venerabilem virum magistrum Bartholomæum Boeyen, scholarem præclaræ universitatis Lovaniensis, non posse triumphare in processu, quem intentavit contra discretum virum Nicolaum Carbon Scabinum Hagensem. Nam ut ex tertio articulo libelli præfati actoris colligitur, ipse se fundat super tribus. Primò, super promissione facta per dictum Nicolaum reum, qui, ut prætenditur, vitales pensiones articulatas solvere promisit. Secundò, super possessione recipiendi easdem vitales pensiones ab eodem Nicolao, vel alijs, ejus nomine: Et tertiò super recusatione solutionis dicti Nicolai: modò licet ultimum, scilicet recusatio solutionis, confessatum sit apud acta, duo tamen prima non sunt confessata, nec probata. Sunt enim per actorem producti duntaxat tres testes, quorum primus nihil dicit. Secundus autem de constitutione redditus, vel promissione facta per dictum reum nihil dicit. Item de solutione facta per reum nihil certi deponit per veram scientiam, sed duntaxat dicit, se dici audivisse, ab aliquibus per eum nominatis, quòd reus aliquando exolvit pensiones articulatas, sicut alij possessores domus hypothecaræ, pro tempore, quo eandem domum possederunt, exolverunt, præter id & absque eo quòd taliter specificet tēpus, quod dictus reus eandem domum possedit: dicit etiam, quòd ultra plures annos hujusmodi domus fuit per dictum Nicolaum reum, & quendam Thomam vendita, & quòd hujusmodi vitales pensiones solvebantur per possessores domus, antequam domus ad eundem Nicolaum pervenit, quæ non mediocriter faciunt contra actorem, & pro reo. Tertius autem testis nihil deponit de primo, neque de secundo, puta, de promissione facta per reum, neque de solutione facta per eundem: sed duntaxat dicit, quod dictus reus hujusmodi domum vendidit cum onere, quòd emptor hujusmodi pensiones articulatas solveret, & quòd ipsemet testis hujusmodi pensiones pro quinque annis continuis, annos articulatos præcedentibus, quibus domū hypothecatam possedit, exolvit: ex quibus clarè constat, dictum actorem non esse fundatum contra præfatum reum, nam non probat promissionem vel constitutionem redditùum, neque solutionem factam per reum, & per consequens, nec spolium, quod tamen intentare videtur, ut patet ex ipsius libelli conclusione: ad
1 quod † probandum requiruntur duo copulativè, scilicet possessio & dejectio. *c. consultationibus, cum ibi notatis, de offic. deleg. cum vulg.* In casu autem præsenti, de possessione recipiendi à dicto reo non constat, *ut suprà deduxi*, ergo, &c. In petitorio autem, si illud intentasset, certissimum est, ipsum debere succumbere; quia
2 non † præsumitur titulus allegatus ex probatione solutionis, nisi illa fuerit ad minus decennalis, *ut est textus juncta gl.*

& *ibi*

& ibi Bart. & *Dd. in l. cùm de in rem verso. ff. de usucap.* & *habetur pulchrè per Paulum de Cast.* & *Dd. in l. si certis annis. C. de pactis* & *pulchrè per Panor.* & *alios canonist. in cap. pervenit, de cens.* & *in c. querelam, de electio.* Quare concludo, dictum reum ab impetitione actoris fuisse & esse absolvendum, *per vulgatam juris regulam*, actore non probante, &c. circa quod amplius non insisto, propter ipsius
3 evidentem claritatem; supervacuis † enim laborat impendijs, qui solem facibus certat adjuvare, *cap. si omnia. 6. quęst. 1.* & sufficienter demonstratum frustra amplius demonstratur, *l. 1. in fine. ff. de dote pręleg.* maximè ubi causa coram oculatissimo judice vertitur, ut in casu præsenti.

CONSILIUM CXCVII.

Advertissement.

SUMMARIA.

1 *Impensas in rebus dotalibus ad perpetuam utilitatem factas, maritus soluto matrimonio ab hęredib. uxoris jure repetit, sine ulla fructuum compensatione vel deductione, ut num. 2.*

3 *Quod de lucro inter conjuges exprimitur, in damno quoque sibi locum vendicat.*

4 *Ferendus non est, qui solùm lucrum amplectitur, onus autem subire recusat.*

5 *Clausula sequens præcedentem declarat.*

6 *Debitor delicatus* & *creditor onerosus audiendi non sunt.*

OM u mijn Heeren te verclaren t'goede recht van Henrick van Roode teghen de voirkinderen van Katline Musſche / zijnder laester huijsfrouwe/ soo es te presuppone-re/dat nae gescreve̅ rechte/ wanneer een man doet noettelijcke oft orborlijcke costen in die goeden van zijnder huijsfrouwen / bijden welcken 'tgoedt van zijnder huijsfrouwe merckelijcke ghebetert wordt / ende als alsulcke beteringe duert niet alleen staende den huwelijck/maer ooк na den huwelijck: soe mach die man/ 'thuwelijck ghescheijden zijnde/ alsulcke beteringhe repeteren vanden erfgename̅ van zijnder huysfrouwe̅/
1 *ut est † tex. in l. 1. 2. 3. 4. 5.* & *6. ff. de impens. in reb. do. fac.* ende die redene es claer/ want niemant en behoort rijck te worden met schade ende achterdeel van eenen andern. *l. nam hoc natura. ff. de condit. indeb.* & *reg. loeupletari,*
2 *de reg. jur. lib. 6.* ende dat meer † es/ alsulcke nootelijcke oft orbelijcke costen behooren gerestituert te worden bijden erfgenamen van der frouwen / sonder eenige compensatie oft deductie te doen van den vruchten/ die de man van alsulcke goede̅ mach ontfanghen hebben / ende de redene es / want alle profijt/hencommende vander frouwe goeden / staende den huwelijck/hoore̅ toe de man 'propter onera matrimonij. *l. pro onerib. C. de jure doti.* ende alsoe en valt daer gheen recompensatie oft deductie. Ita expressè determinat *Pau. de Cast. in l. domus hæredi. ff. de leg. 1.* & *vult gl. ordinaria in l. emptor, in fine magnę glossæ. ff. de rei vendi.* Item es ooc te presuppone̅re/
3 dat † wanneer man ende wijf, oft andere persoonen int tracteeren vande̅ huwelijcke ofte societeyt bevoorwaerden ende bespreecken / dat alle winninge / comende staende den huwelijcke / sullen ghedeylt worden/ halff ende halff/ gelijck hier geschiet es: In sulcken ghevalle/indyen daer verlies oft schade coemt / soo be-

hoort alſulcke verlies oock halff ende halff ghedragen te worden / al en is oock vandē verlieſe niet geſproecken. Id eſt, Ut vobis dominis declaretur æquum jus Henrici de Roode, contra prioris thori liberos Katharinæ Muſſchæ poſtremæ uxoris ſuæ, præſupponitur, quòd jure ſcripto, cùm vir expenſas facit neceſſarias aut utiles, in bonis uxoris ſuæ, quibus bona uxoris notabiliter emendantur, & talis melioratio durat non ſolùm manente matrimonio, ſed etiam eo ſoluto, tunc poteſt vir, matrimonio ſoluto, tales meliorationes repetere ab hæredibus uxoris ſuæ, *ut eſt tex. in l.* 1.2. 3.4.5.&6. *ff. de impenſ. in reb. do. fac.* & ratio eſt evidens, quia nullus debet ditari cum alieno damno, *l. nam hoc jure. ff. de cond. in debit. & regula locupletari, de reg. jur. lib. 6.* Et quod plus eſt, tales neceſſariæ aut utiles impenſæ, debent reſtitui ab hæredibus uxoris, abſque ulla compenſatione aut deductione facienda de fructibus, quos vir de talibus bonis poteſt percepiſſe, & ratio eſt, quia omnes fructus procedentes de bonis uxoris matrimonio durante, pertinent ad virum, propter onera matrimonij. *l. pro oneribus. C. de jure dot.* atque ita nulla ibi cadit compenſatio aut deductio. *ita expreſſè determinat Pau. de Caſt. in l. domus hæred. ff. de lega.* 1. & *vult gl. ordinaria in l. emptor in fine magnę gl. ff. de rei vend.* Item præſupponendum eſt, quod quoties maritus & uxor aut aliæ perſonæ in contractu matrimonij aut ſocietatis, cavent, & promittunt, quòd omnia lucra percepta matrimonio ſtante, dividentur pro medietate, uti hîc accidit, hoc caſu, ſi jactura aut damnum incidit, debet hujuſmodi damnum ſimiliter pro medietate ſuſtineri, licet de damno nihil ſit expreſſum, *ut eſt tex. in §. illud, Inſtitu. de ſociet.* dictum enim & determinatum in uno de contrarijs, cenſetur
4 determinatum in reliquo, nec eſt † ferendus qui lucrum amplectitur, onus autem ſubire recuſat. *l. unica. §. pro ſecundo, C. de caduc. tollen. & regula, qui ſentit. de reg. juris, lib. 6.*

Comende nu tē propoeſt / ſo ſchijnt ontwijffelijck / dat die erfghenamen vande voirſz Katline moeten helpen dragen die coſten / ſchaden / ende laſtē / die int ſelve ſterffhuys zijn / te weten die penninghen die onder den voirſz Henrick gebleven zijn / ſijnder voorkinderen toebehoorende / ende die nu int ſterffhuys niet en zijn. Item die affghequeten renten / byden voirſz Henrick inghebrocht / waer aff oock die penningen nu int ſterffhuys niet en zijn / ghemerct ſonderlinghe / dat die voorſz Katline een coopwijf was / ende die adminiſtratie alleen hadde / ende indijen daer winninghe gheweeſt hadde / ſy ſoude die halff ghehadt hebben / ende en ſoude niet redelijck zijn / dat die erfghenamen ſouden huerer moeder goet gheheel hebben / welck met by inventaires overghegheven was / ende dat Henrick zijn goede / die by inventaires overghegheven waren / grootelijck verlieſen ſoude / ende oock ſoo ſoude dat zijn teghen die houwelijcx voorwaerde / die welcke wilt / dat een yeghelijck zijn goeden / nae ſcheyden vanden huwelijck / nae hem trecken ſal / 'dwelcke te verſtaen es / in dyen die in weſen zijn / ende in dyen die in weſen niet en zijn / maer datter verlies es / ſoo ſullen ſy dat ghelijck draghen / ghelijck ſy ſouden die winninghe ghelijck ghehadt hebben. Id eſt, Veniendo nunc ad propoſitum, apparet indubitanter, quòd hæredes dictæ Catharinæ debent ex parte ſufferre expenſas, damna & onera, ejuſdem domus mortuariæ, videlicet de nummis

qui remanserunt prædicto Henrico, pertinentes ad liberos prioris thori, nec modò in domo mortuaria sunt. Item dequitatos redditus, quos prædictus Henricus intulit, quorum similiter denarij modò in domo mortuaria non sunt. Attento maximè, quòd prædicta Catharina fuerit mercatrix, & sola habuit administrationem, & si lucrum ibi fuisset, habitura fuit medietatem, nec ratione congruum sit, hæredes bona matris suæ solida obtinere, cùm non essent in inventarium redacta, & quòd Henricus sua bona quæ per inventarium tradita erant, cum gravi jactura amitteret. Id quod etiam esset contra pacta nuptialia, quibus placuit ut quisque bona sua matrimonio soluto ad se traheret, quod intelligendum venit, si ea integra manent. Et si ea non manent salva sed diminuta sunt, quod pariter damnum sustinebunt, quemadmodum lucrum communiter participassent, *jurib. suprà*
5 *alleg.* Clausula † enim sequens declarat clausulam præcedentem. *l. si servus plurium. §. fina. ff. de legat.* 1. *cum similib.* hoc modo enim interpretando cessat absurditas, & vitatur inæqualitas. Item hoc modo interpretando, neque audietur
6 † delicatus debitor, neque onerosus creditor, quod semper à judice respiciendum est. *l. si servos, in fine. ff. de pig. actio. cum sim.* **Ende boven desen soo behooren die voorsz erffghenamen den voorsz Henrick te vernueghen van alsulcke beternisse / als hy ghedaen heeft in die huysen ende goedinghen vander voorsz Katline sijnder huysvrouwe / nae rate vanden prouffyte ende beternisse nu wesende/alsoo alsmen dat by taxatie ende existimatie vinden sal.** Id est, & præter hoc debent prædicti hæredes satisfacere dicto Henrico, de meliorationibus in domibus & bonis prædictæ Katharinæ uxoris suæ, pro rata commodorum & meliorationis modò existentis, sicuti per taxationem & æstimationem repertum erit, *ut est tex. in d. l. domus, in illis verbis, ædificiorum quantitatibus extantibus existimatis, cum ibi notatis per Iacobum de Aretin. Bart. Paul. de Castro, & alios.* **Ende dat sonder eenighe compensatie oft deductie / om de redenen boven verhaelt/** id est, Idque absque ulla compensatione aut deductione, ob rationes suprà expressas.

CONSILIUM CXCVIII.

SUMMARIA.

1 *Communis loquendi usus propriæ vocabuli significationi præfertur.*

2 *Dispositio dubia interpretanda est, ne quis indebitè damnum patiatur, vel jure suo privetur.*

3 *Renuncians omni juri sibi in bonis in domo mortuaria repertis competenti, an fructibus etiam perceptis renunciasse censeatur, &c.*

4 *Rem restitutioni obnoxiam restituere obligatus, fructus etiam post inchoatum judicium perceptos restituere tenetur.*

5 *Fructus collecti cedunt ei, qui tempore collectionis usumfructum habuit.*

6 *Renunciatio ad ignorata, incogitata, vel non expressa nunquam extenditur.*

7 *Actus agentium ultra ipsorum intentionem nunquam operantur.*

8 *Bonæ fidei possessor fructus perceptos facit suos.*

9 *Fructus dotis soluto matrimonio quomodo dividantur.*

10 *Actiones sive nomina debitorum, non veniunt in legato bonorum mobilium & immobilium.*

11 *Clericus filium suum spurium de bonis ecclesiæ alere tenetur: aliàs ipsum necare velle existimatur.*

12 Ba-

12 *Bastardi conjugum de communibus bonis ali debent.*
13 *In societate lucrum & damnum commune est.*
14 *Parentes tum demum liberos nutrire tenentur, quando aliunde sustentari non possunt.*
15 *Spurij in his quæ juris sunt naturalis, æqualis sunt conditionis cum alijs legitimè natis.*
16 *Aestimatio rei à tempore moræ crescere incipit: Si verò in mora debitor non fuit, inspicitur æstimatio quę tempore contractus fuit.*
17 *Iustè possidet, qui judicis authoritate possidet.*
18 *Alienans res quæ servando servari nequeunt, non peccat, modò alienatio pro precio tunc currente fiat.*
19 *Superstes ex conjugibus vestem lugubrem impensis domus mortuariæ habere debet.*
20 *Verba narrativa nullam inducunt obligationem, maximè quando cederent in magnum alicujus tertij prejudicium, ut num. 24.*
21 *Iudicati authoritatem non omnis vox judicis inducit.*
22 *Clausula enunciativa sive narrativa, & dispositiva quomodo dignoscatur? &c.*
23 *Papæ literis solùm etiam narrativis credendum est.*
25 *Veritatis substantia, falsa demonstratione vel assertione mutari nequit.*
26 *Supervacuis laborat impendijs, qui solem facibus adjuvare certat.*

VIsis hinc inde propositis, & adductis in causa differentiæ, super quodam laudo, lato inter Iohannem van der Heyden ex una; & Cornelium Henrici cum suis consortibus, ex altera partibus; videtur tota ejus difficultas consistere in his dubijs. Primò, an vigore primæ particulæ præfati laudi, qua dicto Iohanni sunt adjudicata omnia jocalia ad suum corpus spectantia, debeat ipse habere quendam equum contentiosum? Secundò, utrum vigore renunciationis, qua dictus Iohannes renunciavit omni juri, sibi, sive ex testamento, sive ex donatione, aut aliàs, in bonis in domo mortuaria repertis competenti, dicatur etiam renunciasse fructibus per eum perceptis, aut arreragijs tēpore pronunciationis laudi solvi restantibus? Tertiò, utrum computandæ sunt impensæ alimentorum bastardi, sive spurij ipsius Iohannis? Quartò, isti Iohanni fuerunt adjudicata vigore recredentię blada, cineres & aliæ mercantiæ, quæ servando servari non potuerunt, quæ postmodum alienavit, modò cedunt ei in defalcationem. Quæritur utrum inspiciendus est valor, quo jam communiter æstimantur, aut quo æstimabantur tempore alienationis? Et idem quæritur de centum fertellis filiginis, quas dictus Iohannes in subsidium matrimonij adduxit, & postmodum vendidit quamlibet fertellam pro duodecim stuferis, ubi nunc est vilioris precij, quale tempus inspici debet? Quintò, iste Iohannes, tempore decessus suæ uxoris, fecit aut destinavit fieri unam tunicam, quæ tamen nondum erat perfecta: Quæritur, utrum continebitur appellatione vestium, aut jocalium ad corpus suum spectantium, nec ne? Sextò, sunt duæ medietates cujusdam domus rusticanæ, quarum unam acquisivit ipse Iohannes via permutationis de bonis proprijs, aliam via emptionis de bonis communibus, & cessit idem Iohannes juri ultimæ medietatis, in favorem cujusdam Petri Kant: & in laudo præsupponitur, unam medietatē pertinere præfato Cornelio & suis consortibus, qui pro certa quota sunt hęredes præfati quondam Petri Kant. Quæritur, an ex illis verbis sit præjudicatum isti Iohanni in medietate, quàm acquisivit via permutationis?

Ad quæ dubia per ordinem respondendo, omissis superfluis, dicitur breviter ad
1 primum, quòd in hoc inspiciendus † est communis modus loquendi, & sunt illa verba intelligenda, prout communiter in tali loco intelliguntur, ubi prolata sunt, *l. quodsi nolit. § quia assidua. ff. de ædil. edicto, l. cum de lanionis, §. asinam molendinariam. ff. de fund. instruct.* & *cap. ex literis, primo, de sponsal. l. librorum, §. quod tamen Cassius. ff. de legat. tertio,* & *l. Labeo,* & *ibi Bart. de suppell. lega.* In quibus juribus habetur, quòd communis usus loquendi præfertur propriæ significationi vocabuli, *de quo latissimè per Fel.* & *alios canonist. in princ. compilat. Gregor.* & *per Bart. in d. l. Labeo.* Cùm ergo partes hinc inde allegent consuetudinem, & vulgarē modum loquendi, ad illum recurrendum est. Illud tamen attendendum est, quòd
2 ex † quo in contractu antenuptiali istius Iohannis & suæ conjugis cavetur, quòd iste Iohannes debet ante omnia habere suum equum: & sic constet de intentione & bono jure ipsius Iohannis, debent ista verba laudi, quæ sunt dubia, ita intelligi, ut claro juri ipsius Iohannis non derogetur, quia in dubio semper facienda est interpretatio dispositionis, ne quis indebitè damnum patiatur, vel suo jure privetur, *l. 2. C. de noxal. actio.* & *ibi Salic.* & *Dd.* & *habetur latè per Bart. in repetitione l. omnes populi, in sexta quæst. principali. ff. de just.* & *jure:* & *per D. Petr. de Anchor. in repetitione, c. canonum statuta, de constit.* & *probatur in c. ad audientiam,* & *in c. dilectus, de clericis non resident. in eccles. vel prebend.* In casu autem præsenti, dictus Iohannes indebitè & sine causa privaretur jure, sibi in equo contentioso ex contractu antenuptiali competenti, si aliter quàm prædictum est fieret interpretatio, ergo, &c. Et quod de equo suprà dictum est, idem de signeto contentioso censeo, cum minor in eo sit dubitatio.

Ad secundum dicitur breviter, quòd
3 vigore † dictæ renunciationis, non veniunt fructus percepti vel etiā arreragia solvi restan. *quod ultra jura per alios dominos in hac materia consulentes allegata*
4 *probatur, Primò per tex.* † *in l. fin. §. non solum. ff. quæ in fraud. credit.* ubi textus dicit, quod qui rem restitutioni obnoxiam restituere tenetur, debet etiam fructus restituere perceptos post inchoatum judicium, antea autem percepti in restitutionem non veniunt: ergo similiter non tenebitur hic in proposito Iohannes, vigore dictæ renunciationis, restituere fructus quos percepit. Secundò sic; fructus
5 † immediatè postquàm sunt collecti, cedunt ei qui fuit usufructuarius tempore collationis: *per tex. in l. defuncta. ff. de usufruct.* non obstante, quòd tempore perceptionis, proprietas ad alium pertineat: Ergo minus erit dubium de fructibus, per Iohannem ante renunciationem perceptis ex bonis sibi, jure donationis reciprocæ vel legati, competentibus & pertinētibus.
6 Præterea renunciatio † nunquam extenditur ad ignorata, incogitata, vel non expressa, imò debet strictissimè interpretari. *l. mater decedens. ff. de inoffic. testam. l. qui cum tutoribus. ff. de transact,* & *l. qui Romæ, §. duo fratres,* & *ibi Dd. ff. de ver-*
7 *bo. obliga.* quia actus † agentium non operantur ultra eorum intentionem. *l. non omnis, in princip. ff. si cert. pet. cum sim.* & semper taliter debet fieri interpretatio, ne quis indebitè damnum patiatur, vel suo jure privetur: *præall. l. 2.* & *alijs jur. suprà alleg.*

Quartò hoc idem probatur, nam iste
8 Iohannes fuit bonæ † fidei possessor, cum titulo; ergo fructus, quos percepit, fecit suos; ut clarè deduxerunt domini præconsulentes, si sui sunt, ergo non cadunt sub clausula renunciationis, quæ solùm habet de bonis in domo mortuaria repertis.

9 Præterea habenda eſt conſideratio, †
quòd fructus ultimi anni, quo duravit
matrimonium, debent de jure ſpectare ad
Iohannem pro decem menſibus, quia con-
tractum fuit matrimonium ipſo die An-
dreæ, & ipſa deceſſit in Octobri. *l. de di-
viſione*, & *l. divortio. ff. ſol. matr.* & ea de-
functa, titulo donationis reciprocæ & le-
gati, fructus percepit, ad quos renuncia-
tio vel laudum, loquens de abdicatione
bonorum, ſe extendere non poteſt: *ju-
rib. alleg.*

Sextò probo hoc idem de arreragijs
ſolvi reſtantibus, quæ nihil aliud ſunt,
10 quàm nomina debitorum: nam quando †
aliquis dat ſpecificè, vel legat omnia bona
ſua mobilia vel immobilia, non veniunt
actiones ſive nomina debitorum, quæ cō-
ſtituunt tertiam ſpeciem, *textus eſt in l.
Cajus. ff. de lega. 2.* & *in l. ſi mihi Me-
via, §, finali, ubi tex. ſingul.* probans hoc
procedere etiam, quando diſponens uti-
tur verbis multum generalibus, nullo o-
mnino excepto. *ff. de legat. 3.* & *in l. à di-
vo Pio. §. in venditionibus. ff. de re judica.*
& *in l. moventium*, & *ibi gl. Bart.* & *Dd.
ff. de verb. ſignif.* & *not per Panor. in cap.
nulli, de reb. eccleſ. non alienan.* Sed hic
liquet ex verbis renunciationis, fuiſſe re-
nunciatum omnibus bonis mobilibus &
immobilibus ſpecificè: Ergo eorum ap-
pellatione non veniunt arreragia ſive a-
ctiones.

Ad tertium dicitur, prout etiam ſatis
deduxerunt præconſulentes, quòd hic ba-
ſtardus ſive ſpurius debuit nutriri com-
munibus expenſis, tàm mariti, quàm uxo-
11 ris: quod probatur; nam ſpurius † po-
teſt & debet ali à patre clerico, etiam de
bonis eccleſiæ; *per ea quę habentur* &
notantur per Panorm. & *Dd. in c. cùm
haberet, de eo qui duxit in matrim. quam
polluit per adul.* & *in c. pervenit. de arbi-
tris*, ſi non habeat aliunde unde ſuſtentari
poſſit, ne videatur filium proprium ne-
care, *contra l. necare. ff. de alend. liberis.* &
12 *facit c. paſce. 86. diſt.* ergo † etiam iſte
baſtardus debuit ali de bonis communi-
bus mariti & uxoris, quorum bonorum
fructus maritus de jure lucratur, & eo-
rundem adminiſtrationem habet, *l. fru-
ctus ff. de jur. do. cum vulg.*

Secundò patet hoc idem à ſimili, nam
13 ſocij, † qui contraxerunt ſocietatem o-
mnium bonorum, ubi expreſſum non fue-
rit, debent æquales eſſe in lucro & in da-
mno. *l. ſi non fuerit. ff. pro ſocio*, & *Inſt. de
ſocieta. in princ. cum ſim.* Sed non fuit hic
de excluſione baſtardi facta mentio, ergo,
&c.

Nec obſtat quod alij dicant, quòd ergo
etiam pari modo duæ filiæ ipſius uxoris
fuiſſent nutriendæ communibus impenſis,
cujus contrarium tamen factum. Et con-
firmatur, quia ſpurius non debet eſſe me-
lioris conditionis, quam proles legitimæ.
Nam dico, quòd non eſt ſimile, quia filiæ
ipſius uxoris habuerunt unde viverent,
ſcilicet bona paterna: ſecus in iſto ſpurio,
14 & in hoc eſt differentia, nam tunc † ſo-
lùm parentes obligantur nutrire filios,
dum aliunde ſuſtentari non poſſunt, *ut
dicit Bart. in Auth. res quę. C. comm, de
legat.* & *facit tex. in l. Neſennius. ff. de
nego. geſt.* aliàs ſecus: & ad id quod di-
ctum eſt, quòd ſpurij non debent eſſe
15 melioris conditionis, &c. dico, quòd †
ſpurij tunc demum dicuntur pejoris con-
ditionis, vel à jure damnati, in his quæ
ſunt juris civilis, ſicut in ſucceſſionibus
ſecus autem eſt in his quæ ſunt juris na-
turalis, ſicut in educatione, quæ eſt de jure
naturali, *Inſtit. de jur. natur. gent.* & *ci-
vil. in princ. ubi textus loquens de educa-
tione prolium, non diſtinguit*, & *facit. l. ſi
quis à liberis. ff. de lib. agnoſc.* & ſic ibi
ſunt æqualis conditionis cum alijs: nec
obſtat *Auth. ex complexu, C. de inceſt.
nupt.* quæ dicere videtur contrarium, quia
ipſa eſt correcta per dictum *cap. cùm ha-
beret,*

beret, nec etiam in foro civili secundum eam judicandum est, *secundum Dd. in illo* §. *cùm haberet.*

Ad quartum dicitur, quòd cùm æsti-
16 matio † alicujus rei crescit à tẽpore moræ *l. quod te*, & *l. vinum, ff. si cert. pet.* & si debitor non fuerit in mora, inspicitur æstimatio, quæ fuit tempore contractus, *l. si voluntate, C. de resc. vendit.* & *l. cùm quis. ff. de action.* & *oblig.* sequitur, hunc Iohannem qui possedit authoritate recredentiæ pro eo latæ, non posse dici in
17 mora, nam qui † authoritate judicis possidet, justè possidet, *l. justè. ff. de acquir. poss.* & per consequens debet habere valorem rerum, prout æstimabatur tem-
18 pore alienationis: nec potest ipse † Iohannes aliquo modo culpari in eo, quòd dictas mercantias alienavit, quia periculum erat res diu servare, unde ipse teneretur tanquam de mala administratione: licitè ergo eas alienavit pro precio tunc currente, *ut in simili vult Bart. in l. fina. §. fina. C. comm. de legat.* & *est bonus textus in l. fina. circa fin. C. de admin. tutor.* circa quod amplius non insisto, ex quo per unum ex præconsulentibus circa hoc plenè scriptum est.

Ad quintum, clara est solutio per jura, per præconsulentes allegata, attento
19 maximè, quòd superstes † ex conjugibus debeat impensis domus mortuariæ habere vestem lugubrem, *sicut notant Paul de Castro, Ang.* & *alij in l. decreto. C. ex quibus causis infa. irroga.*

Ad sextum dicitur, quod per verba in laudo posita, non est præjudicatum isti Iohanni in sua medietate, via permuta-
20 tionis acquisita: nam illa † verba sunt solum narrativa, & non dispositiva: ergo nullam obligationem inducunt, *per tex. in cap. si papa, de privileg. lib. 6.* & *in l. nuda ratio, cum ibi notatis. ff. de donat.* non † enim omnis vox judicis inducit judicati authoritatem, *ut dicit text. in l. ex stipulatione, C. de sentent.* & *interloc.* Considerandum enim est, quid agatur, & ad quem finem judex dixerit, utrum definiendo, nec ne, *cap. hæc quippe, juncta glos. 3. quæstio. 6.* & quòd
21 † clausula in laudo posita sit enunciativa, sive narrativa, & non dispositiva patet: quia ex hac clausula unà cum præcedentibus infertur dispositio ipsius laudi, ut clarissimè patet ipsum intuenti, quare aliud repræsentat, quàm principalis dispositio laudi, si aliud repræsentet à fine vel principali dispositione laudi, sequitur, quod erit clausula solùm enunciativa, & non dispositiva, per bonam & singularem theoricam, *Baldus in l. si cum voluntate, C. de fideicom. libert.* & *facit optimè text. in dicto cap. si papa,* & *in dicta leg. nuda,* & *etiam tex. in l. non epistolis. C. de probat.* & *sentit Panorm. in cap. fin. de success. ab intestat.* non ob-
22 stat, si quis arguat † de *Clemen. unica, de probat.* in qua dicitur, quòd literis Papæ etiam solum narrativis credendum est: nam ipsa loquitur in literis summi pontificis, in quibus est speciale, quod non est in alijs trahendum in consequentiam. Est etiam secundum aliquos ipsa *Clemen.* correcta in concilio Basiliensi, ut patet in pragmatica sanctione,
23 *in titu. de sublat. cle. literis,* unde in † alijs verba narrativa nunquam inducunt aliquam obligationem, maximè ubi cederent in maximum præjudicium alicujus tertij, *l. rationes, C. de probat,* sicut in casu nostro, præsertim cùm iste
24 Iohannes † offerat, se per literas scabinales probaturum, quòd res aliter se haberet; quare hæc verba per arbitratores prolata fidem veri non restringunt, *ut dicit text. in l. verba, C. de testamen.* Non enim potest substantia veritatis falsa demonstratione mutari, affirmando id quod paternum erat, ex maternis esse, vel quod tuum erat, meum esse. *l. cùm falsa.*

C. de juris & fact. ignor. & *ibi Bald.us,* & *facit l. falsa demonstratio. ff. de condit. & demon.* quare attenta etiam protestatione ipsius Iohannis, qua protestatus fuit, se nullo modo in hac parte via permutationis acquisita, velle lædi: attento etiam, quòd se offert liquidè de suo bono jure probaturum, non poterunt hæc verba ei in aliquo præjudicare, circa quod amplius non insisto, tum quia sufficienter & ad plenum de hac materia per dominos præ-
26 consulentes scriptum est, unde † frustratorium, supervacuum, & ridiculosum esset, sufficienter demonstratum, amplius demonstrare velle. *l. 1. in fi. ff. de dote prelega.* supervacuis enim laborat impendijs, qui solem facibus certat adjuvare, *cap. si omnia, 6. q. 1.* tum etiam, quia hæc causa coram oculatissimis vertitur judicibus, quorum sublime ingenium non est multiloquio obtundendum.

CONSILIUM CXCIX.

SVMMARIA.

1 *Hereditate adita omnia defuncti jura in hæredem transeunt.*
2 *Actionem habens, rem ipsam habere censetur.*
3 *Heres hæredis, est quoque heres testatoris.*
4 *Donatio inter conjuges prohibita est. Limita ut num. 7.*
5 *Legatarius propria authoritate occupans legatum, illud totum perdit.*
6 *Instrumentum super pacto, quod post mortem uxoris, bona ejus ad maritum perveniant, de jure non valet.*
8 *Donatio causa mortis qualiter cognoscatur.*
9 *Donatio inter conjuges reciproca tenet, & effectum sortitur.*
10 *Pactum ad jus commune reducens, favorabile dicitur.*
11 *In re propria quilibet pro libitu disponere potest.*
12 *Ex conditionali pacto, prius quàm conditio extet, nulla nascitur obligatio.*
13 *In donatione causa mortis, donatarius hæredi præfertur.*
14 *Aditio hæreditatis in donatione causa mortis non requiritur.*
15 *Interdictum quorum legatorum, cessat in possidente causa mortis.*
16 *Pactum de futura successione qualiter fiat licitum.*

CAsus est talis: M. & E. conjuges talem inter se fecerunt donationem, quòd quicunque ex eis remaneret superstes, haberet usumfructum omnium bonorum mobilium, tunc eis communium, quousque eorum proles ad legitimã pervenerit ætatem: eo tamen salvo, quòd superstes teneatur de bonis illis, pupillari ætate currente, honestè & debitè pupillum nutrire, &c. postquam autem dicta proles ad annos pubertatis pervenerit, fiet æqualis divisio inter eam & superstitem, quibusdam rebus exceptis, ut patet in literis scabinalibus desuper confectis. Casu autem quo dicta proles ante annos pubertatis decederet, omnia bona mobilia devenire voluerunt ab superstitem: modò dicta E. una conjugum prior decessit, relicta unica prole, quæ similiter decessit in sexto anno suæ ætatis, & sic remansit dictus M. superstes; vertitur jam quæstio de bonis mobilibus inter dictum M ex una, & hæredes ipsius prolis ex altera partibus, hæredibus dictæ prolis, sustinentibus, hujusmodi bona mobilia ad se pertinere; dicto autem M. contrarium sustinente virtute dictæ donationis reciprocæ, & testamenti præfatæ E. quæritur quid juris? Et videtur primò pro hæredibus, quòd sint potiores; nam ista proles defuncta tempore vitæ suæ fuit verus

domi-

dominus bonorum, super quibus vertitur
1 quæstio, nam ex † quo per matrem fuit
hæres instituta, & hæreditas nomine ejus
adita, videntur omnia jura matris in eam
transiisse. *l. cùm hæredes. ff. de acquir. poss.*
unde pro istis bonis acquirendis compe-
tiisset ei actio. *ff. de petit. hered. quasi per*
2 *totum*: ergo † quasi ei propria reputari
debent. *l. rem in bonis. ff. de acquir. rer.*
dom. nam qui actionem habet ad aliquam
rem, ipsam rem habere dicitur. *l. qui a-*
ctionem, ff. de reg. jur. ergo isti hæredes
sunt potiores in his bonis assequendis,
nam ex quo ipsi sunt veri & indubitati
hæredes ipsius prolis, sine dubio videntur
etiam ipsius matris hæredes jure posse di-
ci, per illam antiquam juris regulam,
3 quòd hæres † hæredis, est testatoris hæres,
quę habetur in l. fi. C. de hæred. instit.

Et confirmatur; quia dictus M. post
mortem præfatæ E. posuit & abdicavit à
se ista bona in & sub manibus mambur-
norum mensæ pupillaris, oppidi Middel-
burgensis, quasi non sua sed pupilli essent
bona; ergo, &c.

Secundò pro hæredibus videtur; nam
iste superstes solùm vult, & prætendit
hæc bona litigiosa, super quibus est quæ-
stio, aliquo titulo singulari, puta, donatio-
nis per uxorem factæ, sed posita donatio-
4 nis validitate, quæ † tamen inter conju-
ges ipso jure dicitur non valere. *l. 1. ff. de*
donati. inter vir. & uxor. adhuc tamen nō
potest propria authoritate rem sibi taliter
5 donatam retinere. Æquissimum enim †
Prætori visum est, unumquemque non
sibi ipsi jus dicere, occupatis legatis, sed
hæc ab hærede petere, *ut dicit tex. in l. 1.*
in princ. ff. quor. legat. nam etiam si ipsi
ex hac donatione aliquod jus competeret,
illud ex hac occupatione amitteret ad in-
star legatarij, *l. non dubium, C. de legat.*
nam mortis causa donationes ad exem-
plum legatorum per omnia sunt redactæ,
ut dicit tex. Inst. de donatio. §. primo facit
l. omnibus juncta l. Marcellus, in fi. ff. de
mor. cau. donat. ergo, &c.

Tertiò videtur contra patrem: nam ista
6 † donatio per uxorem facta, videtur ex-
pressè reprobari *in l. hæreditas. C. de pac.*
conven. ubi expressè non prodest viro in-
strumentum super pacto, quo post mor-
tem uxoris bona ad eum deveniant; quin-
imò jus ejus declaratur per illum text.
nullum: nec potest tale pactum habere
efficaciam, & vigorem donationis causa
mortis, *ut est tex. ad literam in l. licet, C.*
de pac. ubi dicitur, quòd scriptum, quo
comprehenditur, ut is qui supervixerit,
alterius rebus potiatur, donationis causa
mortis gestæ speciem non ostendit; ergo
hic pater nullo jure videtur fundatus, at-
tento maximè, quòd de consuetudine pa-
triæ notoria, pater non succedat filio in a-
liquo.

Istis tamen non obstantibus, pro nunc
videtur dicendum contrarium, quòd hæc
bona, de quibus est quæstio, spectabunt ad
7 patrem, non ad hæredes; quia licet † sim-
plex donatio inter vivos sit ipso jure in-
ter maritum & uxorem prohibita, ne
mutuo amore se spolient, &c. *d. l. 1. & 3.*
ff. de donati. inter vir. & uxor. tamen si
talis donatio fuerit facta causa mortis, vel
morte confirmetur, nec expressè vel taci-
tè revocetur, sine dubio erit valida, *ut est*
text. in l. donatio. & in l. maritus, C. eod.
tit. & est text. in cap. fin. extra, eod.
tit. & tenet Paul. de Castro in cons. 99.
Sed in casu nostro liquet de duobus; Pri-
mò quòd hæc donatio non fuerit per al-
terum eorum revocata, imò per testamen-
8 tum ipsius E. confirmata, ut patet ipsum
intuenti. Secundò liquet, quòd hæc † do-
natio sit donatio causa mortis, *quod patet*
per text. in l. 1. ff. de don. circa princ. nam
voluit hic donator, rem fieri ipsius dona-
tarij, nisi aliquid secutum fuerit, videlicet
quòd alter eorum uno defuncto fuerit
superstes.

Prȩterea omnis donatio, in qua habetur
vel fit mentio de morte, aut cogitatur de
morte, etiam si fieret à sano, aut extra su-
spicionem ullius periculi in bona valetu-
dine posito, est donatio causa mortis, *ut
dicit text. in l. senatus. §. mortis cau-
sa.* & *in l. Seja. ff. de mort. causa don.*
& *hoc idem tenet Alexan. de Imola in l.
qui dotis, ff. solut. matr. per l. Seja. juncta
gl. ff. de dote præleg.* Sed in hac donatione
habitus fuit respectus ad mortem, nam
conditio habet hanc clausulam, *si quis no-
strûm fuerit superstes*; ergo erit causa
mortis, & per consequens valida. Secundò
9 deducitur principale sic; nam donatio †
inter conjuges facta tali modo, si contin-
gat alterum præmori, superstes habeat
bona, talis donatio tenet & sortitur effe-
ctum propter ejus reciprocationem, *ut te-
nent Cyn. Bal. & Sal. & com. moderni in l.
si pater puellȩ. ff. de inof. test.* & *videtur es-
se tex. quem ad hoc allegat Ludo. de Roma
in suis singular. in singul. incip. Nota quod
prohibiti inter se donare, in l. quod autem.
§. si vir. & uxor. ff. de don. inter vir. & ux.*
Sed clarum est, hanc donationem in casu
nostro esse omnino similem, ergo erit va-
10 lida maximè cùm † reducat nos ad jus
commune quo parentes succedunt proli-
bus. *§. fi. Instit. de legit. agna success.* &
Auth. defuncto. C. ad Tertull. quòd facile
fit, & favorabilius est, pluresque notabiles
juris effectus ex hoc insurgunt, *c. ab exor-
dio 35. dist.* & *l. si unus §. pactus ne pete-
ret,* & *ibi Ias.* & *Dd. novissimi hoc notant.
ff. de pact.* & *habetur per Felin. in c. cùm
accessissent de constit.* & *per Alex. de Imo.
in l. si constante. ff. solut. matr. &c.*

Restat jam solvere argumenta; & ad
primum satis clara patet solutio, deducta
validitate donationis, quæ istos hæredes
11 excludit: nam habuit † mulier sicut qui-
libet alius in re propria liberam disposi-
tionem. *l. in re. C. mandati,* & *l. dudum. C.
de contrah. empt.* ubi non esset manifestè
contra jura vel in præjudicium filiorum,
sicut nec hîc, nec etiam sunt propter ista
bona fraudati hæredes, nam æquè habe-
bunt æqualem divisionem in bonis immo-
bilibus, juxta consuetudinem loci: & ad
confirmationem dicitur, quòd hæc bona
erant sub manibus mamburnorum, & ab
isto superstite abdicata, non simpliciter,
12 sed sub conditione, unde † conditione ex-
tante res est deventa in obligationem. *§.
ex conditionali, Instit. de verb. oblig. & ff.
de cond.* & *demonst. per totum.*

Ad secundum dicitur, quòd argumen-
tum optimè procederet in legatario, qui
non potest occupare legatum, sine hȩredis
licentia & autoritate, *jurib. in argumento
13 alleg.* secus tamen † est in donatione cau-
sa mortis; nam ibi donatarius præferre-
tur hæredi; nam donans mavult donata-
rium rem habere, quàm hæredem, *l. sena-
tus. §. 1. ff. de don. inter vir.* & *uxor.* &
maximè hîc, ubi in donatarium fuit trans-
lata possessio, per apprehensionem hære-
ditatis. *d. l. cum hæredes*, etiam fortè ubi
donatio fuisset invalida. *l. 1. §. si vir uxori.
14 ff. de acquir. poss.* nec † etiam requiritur in
donatione causa mortis aditio hæredita-
tis, sicut requiritur in legato, *ut vult gl. in
l. filiæ. C. fam. hercis.* & *Ang. in l. circa. §.
sicuti. ff. ad l. Falcid.* & *Bart. in l. mortis
causa. ff. de don. causa mortis,* & *Bald. in l.
1. C. de donatio. causa mortis, &c.*

15 Præterea interdictum, † quorum lega-
torum, quod competit hæredi contra le-
gatarium occupantem legatum sine licen-
tia, &c. cessat in possidente eausa mortis,
*per tex. in leg. 1. §. si quis ex mortis causa.
ff. quor. legato.* & *est satis de mente Io. Fab.
Instit. de dona. in prin.*

16 Ad tertium dicitur, quòd illa † jura
loquuntur in pacto, quod scilicet conceptũ
est sub forma pacti, puta, quia unus pro-
mittit alteri, & ex inde alter alteri, quia
tunc non valet, nam induceret votum ca-
ptandæ mortis, *contra l. pactũ quod dotali,*
& *l.*

& *l. fina. C. de pactis*, secus ubi esset conventio concepta, non in forma pacti, sed cujusdam donationis liberæ & reciprocæ, nam tunc posset: *ita singulariter dicunt Ang. Bald. in d. l licet, qui dicit se hoc habuisse in practica*, & *est de mente Dd. in d. l. si pater puellæ.* In casu autem nostro expresse patet ex literis scabinalibus, dum dicitur, **Dat sy gegonnen ende ghegeven hebben/ gonnen ende geven elck d'een den anderen / ꝛc.** quòd ibi sunt concepta sub forma liberæ & reciprocæ donationis.

CONSILIUM CC.

SVMMARIA.

1 *Veritas sæpius exagitata magis splendescit in lucem.*

2 *Eligens unum ex contrarijs, alteri contrario renunciasse censetur.*

3 *Mens contrahentium, ex conjecturis etiam collecta, diligenter inspicienda est.*

4 *Ad diminutionem inducta, augmentum non operantur.*

5 *Testatorē alienas successiones proprijs anteponere voluisse, nō præsumitur.*

6 *Pactum vel scriptura ambigua & obscura interpretatur contra eum, qui se super ea fundat.*

7 *Paria sunt aliquid esse certum per se, vel per relationem ad aliud.*

8 *Contenta in scriptura ad quam fit relatio, censentur contineri in scriptura, se ad illam referente.*

9 *Clausula sequens indefinite loquēs, per præcedentia declaratur, & econtrà.*

10 *Clausula in fine posita ad omnia mēbra & capitula præcedentia refertur: nisi assignari possit ratio, quare ad unum magis quàm ad aliud referri debeat.*

11 *Quæ locum habent in lege interpretante, locum etiam habent in lege interpretata.*

12 *Verba ut aliquid operentur, semper sunt intelligenda.*

13 *Indefinita oratio universali æquipollet.*

14 *Suum jactare vel juri renunciare nemo præsumitur.*

15 *Actus agentium ultra ipsorum intentionem non operantur.*

16 *Liberalitas in uno casu, non arguit liberalitatem vel renunciationem in alio.*

17 *Pactum quo res ad suam naturam reducitur, favorabile reputatur.*

18 *Lex nova correctoria reducens ad jus commune, tanquam favorabilis extenditur.*

19 *Successio viri & uxoris in Lovanio, Hollandia, Zeelandia, &c.*

CAsus, super quo consilium petitur, talis est: A. & B. futuri conjuges, ante contractum matrimonij, quasdam inierunt & concluserunt conventiones antenuptiales, in quibus post multa, verbis Teutonicis, inter alia sic cavetur:

Item dat A **sijndertoecomender huysfrouwe B. duarien ende versekeren sal op sekere goede onderpanden tot vierhondert rinsguld. tsiaers theuren lijve te hebbene / te heffene/ eñ te buerene / in der manieren nochtans eñ na den onderscheyden hier onder gescreven/ behoudelijck nochtans / dat die selve jouffrouwe die duarie latende/ op dat heur ghelieft/ sal mogen kiesen ende aennemē heur lantrecht.** Id est, Item quòd A. futuræ suæ conjugi B. constituet doarium super bonis hypothecis ad quadringentos Rhenenses annuos, ad vitam suam habendos, levandos & fruendos. Modo tamen & secundum distinctionē infrà scriptam, ut eadem domina, relicto doario, si ita visum erit, poterit eligere & apprehendere jus patriæ: deinde insertis multis de bonis quę danda erant in dotem B. sponsæ, ponitur subsequens clausula: **Item**

Item es voerwaerden en onder-
sprzoken/ oft byden wille goids ghe-
buerde/dat A. aflijvich werde / voer
eñ eer dan B. gheen wettige gebuer-
de alsdan 'tsamen in leven, hebben.
Dat dan dieselve B. hueren duarien
hebben ende behouden sal op alle
des voirsz A. goeden vierhondert
rinsgulden sulcke als voeren / jaer-
lijckx heur leven duerende. Ende oft
er alsdan wettige gebuerte waer le-
vende/ soo sal zy hebben ende behou-
den heur leefdage die helft vanden
voirsz vierhondett guldene/ eñ heur
ghebuerte dander helft. Id est, Item
convenit & cautum est, si volente Deo
A. moreretur ante B. nullis legitimis li-
beris communiter relictis, quod tunc ea-
dem B. eadem doaria habebit & tenebit
in omnibus prædictis A. bonis, 400. flo-
renorum, ut suprà, quotannis durante vi-
ta sua. Quod si vero tunc legitimi liberi
superstites forent, tunc habebit illa & re-
tinebit ad vitam suam, medietatem præ-
dictorum quadringentorum florenorum,
& proles sua aliam medietatem. Evênit
nunc casus, quòd dictus A. ante B decés-
sit, relictis prolibus legitimis. Quæritur
modò, an B debeat stare contenta duaria
ducentorum florenorum Rhenensium, vel
an possit eligere jus municipale patriæ?
1 Et quia † veritas sæpius exag tata magis
splendescit in lucem, *ut pulchrè inquit
tex. in cap. grave* 35. *quæst.* 9. Idcirco pro
indaganda veritate hujus articuli, arguam
ad partes, & deinde eligam alteram, quæ
mihi videbitur verior & probabilior, &
respõdebo objectis in oppositum. Et pri-
mò videtur, quòd dicta B. debeat esse cô-
tenta duaria ducentorum Rhenensium;
2 quod deducitur primò sic; quia † clausula
dans facultatem eligendi jus municipale,
non additur casui extantiæ prolium. Sed
de hujusmodi electione juris municipalis
providetur duntaxat in casu, quo duaria
ascenderet ad quadringentos Rhenenses,
qui est casus non extantiæ prolium: Ergo
in casu extantiæ prolium, dicta B. videtur
juri municipali tacitè renunciasse, *argum.
l. commissoriæ, C. de pactis, inter empto.* &
vendito. ubi per electionem unius ex cõ-
trarijs, censetur quis alteri juri contrario
renunciasse. Et per consequens, dicta B.
adempta sibi facultate eligendi jus muni-
cipale, debet stare contenta duaria ducen-
torum Rhenensium. Præterea hoc vide-
3 tur clarè sic demonstrari, mens † contra-
hentium in conventionibus antenuptiali-
bus fuit, minus dare superstiti in casu ex-
tantiæ prolium, quàm in casu quo nullæ
extarent proles; quod patet, quia in casu
extantiæ prolium, voluerunt superstitem
duntaxat habere ducentos Rhenenses: &
in casu quo nullæ extarent proles, volue-
runt superstitem habere quadringentos
Rhenenses; sed si in casu extantiæ pro-
lium adhuc pateret superstiti optio eli-
gendi duariam vel jus patriæ, veniretur
directè contra mentem contrahentium,
quia superstes tantum haberet vel plus
extantibus prolibus, eligendo jus patriæ,
quantum haberet, si nullæ extarent pro-
les. Ergo non est dicendum, quòd in casu
extantiæ prolium superstes posset eligere
jus municipale patriæ. *arg. l. licet Impe-
rator. ff. de legat.* 1. ubi statur menti, quæ
4 ex conjecturis colligitur, & *arg.* † *l. lega-
ta inutiliter. ff. de adimen. legat.* ubi in-
ducta ad diminutionem non operantur
augmentum. Pręterea probatur tertiò sic;
Dictus A. condidit testamentum de con-
sensu dictæ B. suæ uxoris, legando filiæ
suæ quingentos Rhenenses annui reddi-
tus, sed dictum testamentum non posset
sortiri effectum suum, si dicta B. posset
eligere jus patriæ, nisi filio testatoris ve-
ro & principali hæredi, ferè totum patri-
5 monium esset ademptum, quod non †
præsumitur fuisse de mẽtę testatoris, *arg.
l. acutissimi, C. de fideic.* Ergo videtur,
quod

quod de mente testatoris fuit, quòd dictæ B. jus patriæ esset ademptum in hoc casu extantiæ. Præterea istud probatur quartò sic; non potest negari, quin dictæ convẽtiones, super quibus se fundat dicta B, sint obscuræ & ambiguæ; sed sic est, quòd
6 quandocunque † quis se fundat super pactione vel scriptura ambigua, vel obscura, tunc facienda est interpretatio cõtra eum, ex quo potuit ab initio legem apertius dicere, *ut est tex. in l. veteribus. ff. de pact.* & *facit l. quicquid astringendæ, in princ. ff. de verb. oblig.* cùm ergo apertè non cõstet ex dictis conventionibus antenuptialibus, quòd in casu extantiæ prolium possit eligi jus municipale patriæ, omissum esse intelligendum est.

In contrarium autem videtur, quòd facultas eligendi jus patriæ sit utroque casu, tam extantiæ, quàm non extantiæ prolium dictæ B. reservata, quod deduci-
7 tur primò sic; paria † sunt, aliquid esse certum per se, vel per relationem ad aliud, *l. in summa, in princ. ff. de re judica*, & *l. certum, ff. si cert. petat.* Sed sic est, quòd in casu præsenti, postquàm dicti A. & B. contrahentes convenerunt, quod dictus A. teneretur providere præfatæ B. ad bona & sufficientia pignora de duaria usque ad summam quadringentorum Rhenensium, levanda secundum modum & distinctionem infrà scriptos, immediatè subjungitur clausula illa, **behoudelijck nochtans dat die selve jouffrouwe die duarie latende / op dat haer believe / sal mogen kiesen ende aennemẽ heur lantrecht.** Id est, Salvo tamen quòd eadem domina relinquens doarium, si ita ei videbitur, poterit eligere & apprehendere jus municipale. Et deinde aliquibus interpositis subsequitur distinctio, de qua suprà facta fuit mentio, videlicet quod in casu non extantiæ prolium habebit quadringentos rhenenses, & in casu extantiæ prolium ducentos, quæ
8 clausula † etsi realiter sequatur dictam clausulã, **behoudelijck nochtans**/id est, *Salvo tamen*, virtualiter tamen & implicitè censetur illam clausulam præcedere, ex quo de ea suprà facta est mentio, & ad eam facta relatio, *arg. eorum quæ habentur* & *notantur in c. causam quæ, de rescript.* & *probatur melius in l. asse toto. ff. de hæred. institu.* & *in l. si ita scripsero. ff. de condi.* & *demonst. in l. institutio talis. ff. de condit. instit.* In quibus juribus eleganter habetur, quòd contenta in scriptura, ad quam fit relatio, censentur contineri in scriptura, se referente ad illam. Patet ergo, quòd facultas eligendi jus municipale censetur reservata in utroque casu, ex quo de utroque casu ante clausulam reservationis tacitè facta fuit mentio.
9 Et confirmatur, quia clausula † sequẽs indiffinitè loquens declaratur per præcedentia, sicut præcedens per sequentia, *l. si servus plurium. §. fin. ff. de legat. 1.* & *l. quisquis. ff. de leg. 3. cum utrobique notatis*
10 *per gl.* & *Dd.* Et clausula in † fine posita refertur ad omnia membra & capitula præcedentia, quando non potest assignari ratio, quare magis referatur ad unum, quàm ad aliud, etiam si materia sit odiosa: *ut est tex. in l. 1. C. de liber. præt.* & *habetur pulchrè per Iasonem* & *est bonus text. in cap. secundo requiris, & ibi canonistæ, de appellatio.* Sed sic est hìc, ergo, &c.

Præterea ad istud faciunt leges dicentes, quòd ea † quæ habent locum in lege interpretante, habent etiam locum in leg. interpretata, *de quo est tex. in Auth. de filijs ante dotal. instru. na.* & *ibi Bart. not. coll. 3.* & *tex. in l. nihil. ff. de conjungen. cum emancip. libe. ejus.* Præterea istud de-
11 ducitur sic; verba † sic sunt intelligenda, ut aliquid operentur, *l. si quando, in princ. ff. de lega. 1.* & *cap si papa, de privil. lib. 6*, imò, *ut eleganter dicit Bald. in Rubr. C. de contrah. empt. in 9. quæst.* nedum

 clau-

clausula, sed etiam minimum verbum non debet esse sine virtute aliquid operandi, si potest, sed si dicta clausula, **behoudelijck nochtans/ꝛc.** id est: *Salvo tamen, &c.* non esset referẽda ad utrumq; membrum distinctionis, dicta verba, **in der maniere nochtans/eñ nae den onderscheyden hier onder gescreven/ꝛc.** hoc est: *Sub modo tamen* & *secundum distinctionem infrà scriptam*, &c. nihil operarentur & in vanum posita fuissent, nec debuisset de hujusmodi distinctione mentio fieri: Ergo ut dicta verba operentur id quod sonant, necessè est intelligere, quòd dicta clausula, **behoudelijck nochtans/ꝛc.** id est, *Salvo tamen*, &c, referatur ad utrumq; membrum distinctionis, ut censeatur reservata facultas eligendi jus municipale, tam in casu existentię liberorum, quam in casu non existentiæ liberorum. Præterea istud deducitur alia ratione; nam contrahentes in dicta clausula, **behoudelijck nochtans/ꝛc.** id est: *Salvo tamen*, &c. usi sunt verbis indiffinitivis, his videlicet, **dat sy die duarie latende/ sal mogen kiesen 'tlantrecht/** id est, *quod ipsa relinquẽs duarium, poterit eligere jus municipale.* & non verbis singularib. **Dat zy die** 400. **rinsgulden latende/ꝛc.** id est: *Quod ipsa* 400. *illos florenos relinquens, &c.* Modò
13 sic est, quòd † indefinita æquipollet universali. *l. si pluribus. in princ.* & *ibi habetur per gl. Bar.* & *Dd. ff. de leg. 2.* & *notatur per gl. in c. ut circa, de elect. li. 6.* & *per Dynum in Rubr. de reg. jur. lib.* Patet ergo, quòd de mente contrahentium fuit, quòd in utroque casu censeatur reservata facultas, eligendi jus municipale patriæ. Præterea istud deducitur alia ratione sic;
14 nemo † præsumitur jactare suum, vel velle juri sibi ex contractu de quo agitur quærendo renunciare. *l. cum de indebito. ff. de proba.* & *c. super hoc, de renun.* imò potius præsumitur stultitia, quàm liberalitas in donando vel renunciando. *ut eleganter dicit Bal. in l. generaliter, C. de non num. pecu.* Cùm ergo dictæ B. ex futuro matrimonio quærendum erat jus patriæ, non debet præsumi illi renũciasse, ex quo de hoc apertè non constat. Præterea dato, quòd apertè non constaret, superstiti reservatam esse facultatem eligendi jus patriæ, in casu existentiæ prolium, prout tamen lucidè constat per præmissa: Tamen satis est, quòd apertè nõ constet illi facul-
15 tati in hoc casu renunciatum; quia † actus agentium non operantur ultra eorum intentionem. *l. non omnĩ, in princ. ff. si cert.*
16 *pet.* & liberalitas † in uno casu non arguit liberalitatem vel renunciationem in alio, *l. fi. C. ne uxor pro mar.* & *l. voluntariè. C. de excus. tut.* & *cura.* imò casus omissus in renunciatione habetur pro omisso, & censetur studiosè omissus, quia nemo præsumitur jactare suum, *jurib. suprà allega. cum alijs vulgar.*

Ex quibus omnibus concludo, quòd in casu præsenti facultas eligendi jus municipale patriæ, est dictæ B, in utroque casu tam existentiæ, quam non existentiæ prolium reservata. Nec obstant adducta in contrarium. Et primò non obstat primũ; quia negatur, quod clausula dans facultatẽ eligendi jus patriæ, non additur casui extantiæ prolium, sed duntaxat casui nõ extantiæ prolium, quia ex quo utrumque membrum duariæ est implicitè & tacitè comprehensum in prima clausula propter relationem, quę fit ad distinctionem infrà scriptam, *d. l. asse toto, & alijs jurib. suprà alleg.* perinde haberi debet, ac si utrumque fuisset plenè positum & expressum in prima clausula, *ut in dictis jurib. evidenter probatur*, maximè attentis illis verbis, **Die duarie latende**/id est: *Duarium relinquens*, illic indiffinitè & absolutè positis, ut suprà dixi.

Non obstat etiam secundum, quia præsupponit falsum: præsupponit enim, quòd eligendo jus patriæ, in casu extantiæ

prolium

prolium dicta B. haberet tantum vel plus extantibus prolibus, quantum haberet, si nullæ extarent proles: cùm tamen jus patriæ, ut informor, solùm det usumfructum in medietate bonorum, excepto uno parvo feudo, & sic ubi bona valerēt 400. Rhenenses, solùm haberet ex jure patriæ ducentos Rhenenses, vel circiter: & dato quòd dicta B. ex jure patriæ plus consequeretur, in casu extantiæ prolium, quàm ducentos Rhenenses, hoc non est contra mentem contrahentium, qui voluerunt facultatem eligendi jus patriæ in utroque casu superstiti esse reservatam, ut supra probavi, nec voluerunt servari illam distinctionem, nisi in casu, quo recederetur à jure patriæ; quare non obstat.

Non obstat etiam tertium, imò facit pro hac parte, si benè consideretur. Nam dictus A. maritus requisivit suæ conthoralis consensum, ut testari posset, quæ requisitio consensus non fuisset necessaria, si dicta B. in casu extantiæ prolium debuisset stare contenta duaria ducentorum Rhenensium: nam hoc posito, sua nullatenus interfuisset, testamentum condi vel non condi, unde ex hujusmodi requisitione consensus evidenter colligitur, quòd dictus A. pro constanti habuit, præfatam B in casu extantiæ prolium, non debere stare contentam duaria ducentorum florenorum, sed posse eligere jus patriæ, & dicta B. etiam sibi prospicere volens, solùm consentijt, salvis sibi duaria & conventionibus antenuptialibus in suo robore manentibus; dans per hoc tacitè intelligere, quòd consensus absolutè præstitus sibi præjudicasset in jure patriæ, quòd ex conventionibus antenuptialibus eligere potuit. Nec est verum, quòd hoc casu filio parum vel nihil esset relictum, quia plus quàm legitimam illi reliquit, nec legatum filiæ plenum habet effectum, quia de trecentis 40. florenis solum perceptura est in vita dictæ B. ducentos Rhenenses, ut testamentum cavit, & in legato filiæ computatur feudum quoddam æstimatum ad centum florenos Rhenenses, quod vix deducto onere valet 60. Rhenenses, ut informor, & sic adhuc satis multa relinquuntur filio.

Nec obstat si dicatur, quod hujusmodi reservatio juris municipalis, in casu extantiæ liberorum, arguitur de injustitia: quia hoc negatur, nulla enim ex hoc sur-
17 git injustitia; tum quia per † hujusmodi reservationem res redit ad naturā suam, quòd facilè fit, & favorabile judicatur. *l. si unus. §. pactus ne peteret, in fi. ff. de pact.* & *c. exordio, 35. dist.* & *c. 1. de pact.*
18 *lib. 6.* & *notatur per † glossam ordin. sing. in c. statutum de præbend. lib. 6.* quæ singulariter vult, quòd lex nova correctoria reducens nos ad jus commune, tanquam favorabilis extenditur, licet sit correctoria; *quam gl. reputat ad hoc singularem Alexan. de Imo. in l. si constante. in princ. ff. solut. matr.* & *Ias. in Auth. quas actiones. C. de sacr. eccles.* & *idem Ias. in d. §. pactus ne peteret,* & *Felin. in c. accessissent,*
19 *in 2. col. de const.* tum etiam, † quia videmus in fortioribus terminis, in quibusdā locis jus patriæ conjugi ultimo superstiti reservare usumfructum omnium immobilium, ut in Lovanio & in quibusdam locis videmus, jus patriæ conjugi ultimo superstiti reservare dominium, & proprietatem plenam medietatis omnium bonorum, tam mobilium quàm immobilium, ut in Hollandia, Zeelandia, & in pluribus alijs locis; nec de injustitia culpatur, imò indies secundum hoc jus patriæ in judicio contradictorio judicatur; quare non obstat.

Nec obstat etiam quartum, quia negatur, quod dictæ conventiones sunt obscuræ vel ambiguæ, imò sunt clarissimæ, si benè perpendantur, ut ex prædictis patet; quare non obstat; & sic persisto in conclusione suprà capta.

CONSILIUM CCI.

SUMMARIA.

1 *Liberatio alicui ad vitam ipſius conceſſa, ejus heredi nō prodeſt. Sic delatio ad certum tempus data remiſſionem non inducit.*

2 *Quod ad certum tempus prohibetur, poſt illud tēpus permiſſum cenſetur.*

3 *Proviſio hominis facit ceſſare proviſionem legis extraordinariam, & num. 6.*

4 *A verbis claris recedendum non eſt.*

5 *Ex qualitate perſonarum ac naturali affectione contrahentium, remiſſio præſumi ſolet.*

7 *Proviſio hominis non facit ceſſare proviſionem legis in alio caſu.*

8 *Contra diſpoſitionem juris non prohibitivam contrahentes, paciſcentes, teſtantes, &c. diſponere poſſunt.*

9 *Nemo facere poteſt, ut jura certam formam vel ſolennitatem in actu requirentia, in ſuo actu locum non habeant.*

ALius articulus, ſuper quo conſilium petitur, talis eſt: A. & B. futuri conjuges ante contractum matrimonij quaſdā inierunt & concluſerunt conventiones antenuptiales, in quibus poſt multa verbis teutonicalibus inter alia ſic cavetur.

Item es voort bevoerwaert / in deſen / dat die laeſt levende van den voorſz toecomende man ende wijve / ſoo langhe die ongheboudt blijft / op datter nae des ierſt offlivichs doot wettich kindt oft kinderen bleven warē / dat kindt oft die kinderē houden ende regeren ſal / ende die vruchten / baten / proffijten / ende verballen van den voorſz goeden ende renten int gheheelen hebben / heffen ende bueren / ſonder rekeninge oft reſtitutie te dorven doene / totter tijt toe / dat 'tſelve kindt oft kinderen 'tzijnen oft heuren mondighen jaren comen ſullen zijn / te wetē / die zoon oft e zoonen tot 15. jaren / ende die dochter oft dochteren tot 12. jaren volcomelijck: hoc eſt: Item præterea cautum eſt, in his quòd ſuperſtes ex dictis futuris conjugibus, quàmdiu manet in viduitate, ſi quæ poſt mortem primi decedentis legitima proles, una aut plures relicta erit, tenebit & gubernabit eandem vel eaſdem proles, & fructus, commoda, lucra & obventiones bonorum prædictorum & reddituum, totaliter habebit, auferet & fruetur, abſque eo ut neceſsè ſit rationē reddere vel reſtitutionem facere, donec eadem proles una aut plures, ad legitimam ætatem pervenient, filius nempe aut filij ad annos quindecim, & filia aut filiæ ad completum duodecimum annum.

Dubitatur modo, an ſuperſtes de levatis, ac perceptis ante 15. annum, ſibi teneatur poſt illum 15. annum reddere rationem & calculum, aut reliqua conſignare, nec ne? Pro cujus articuli veritate indaganda arguam ad partes.

1 Et videtur primò quòd ſic; quia † dicta clauſula ſolùm diſponit & cavet, quòd de illis non teneatur ad calculum, vel reliquorum conſignationem, uſque in certum tempus, puta, quoad filius fuerit ætatis 15. annorum ergo videtur, quòd ſola dilatio videtur conceſſa, & non remiſſio, vel liberatio, *per l. Aurelio. in prin. ff. de liber. lega.* ubi liberatio conceſſa alicui quàm diu vivet, non prodeſt ejus hæredi: ergo ſimiliter in propoſito videtur conceſſa ſola dilatio uſque ad decimum quintum annum filij, nec videtur prodeſſe vel

2 extendi poſſe ultra illud tempus: *item † pro iſto etiam facit l. imperator. ff. de poſtul.* ubi ad tempus prohibitum, videtur poſt tempus permiſſum.

Præterea pro iſto facit, quòd de conſuetu-

ſuetudine Brabantiæ conjunx ſuperſtes non poteſt habere jus patriæ & jus ſpeciale, competens ex conventionibus antenuptialibus; cui videtur conſonare jus cōmune, dicens, quod proviſio hominis † facit ceſſare proviſionem legis *l. fi. C. de pac. conv.* & *l.* & *habet. §. cum quis, cum ibi, not. ff. de preca.* Cùm ergo dicta B. velit eligere jus patriæ, non poterit aliquid conſequi ex conventionibus antenuptialibus. In contrarium autem videtur, quòd percepta ante annum 15 ætatis filij ſimpliciter ſint remiſſa & donata, tum quia
3
4 † verba ſunt clara, à quibus non eſt recedendum, *l. non aliter,* & *l. ille aut ille. §. cùm in verbis. ff. de leg.* 3. In incertis autē non in certis locus eſt conjecturis, *l. continuus. §. cùm ita. ff. de verb. oblig.* tum etiam quia verba debent aliquid operari: *jurib. ſuprà alleg.* Sed dicta verba, **Noch dorven reſtitueren/** nihil operarentur, ſi poſt decimum quintum ætatis annum dicta B. cogeretur facere reſtitutionē: quod deduco; quia etiam ſine conventione vel pacto parentum, non teneretur ante ætatem legitimam, reſtitutionem ſeu reliquorum conſignationem facere. *l. niſi finita, in prin. ff. de tut.* & *rat. diſt. cum ſim.* videtur ergo mens conjugum fuiſſe, quod invicem volebant excreſcentiam donare, ut nullo tempore reſtitutionem ſeu conſignationem facere teneantur: & confir-
5 matur iſtud † ex qualitate perſonarum contrahentium, inter quas naturalis affectio facit præſumi omnia videri remiſſa, *ut eſt tex. pulcher & nota. valdè in l. Aurelius. §. Titius teſt. cum ſua notabili gl. ff. de liber. legat.* Ex quibus omnibus concludo, quòd ſuperſtes in hoc caſu non teneatur de levatis & perceptis ante annum decimum quintum filij, poſt illum 15. annum reddere rationem & calculum, vel reliqua conſignare.

Nec obſtant adducta in contrarium, & primò non obſtant duo prima; quia dicta clauſula, **tot der tijt toe/** limitat regimē & adminiſtrationem ſuperſtitis, ut ſit ſenſus; quòd adminiſtratio durabit uſque ad decimum quintum annum ætatis filij, & non poſt: ſed non limitat tempus habendi reliqua ſeu excreſcentia præteritorum annorum, quia ſic illa verba eſſent ſuperflua, & affectio naturalis nil operaretur, quòd eſſet contra jura ſuprà allegata.

6 Nec obſtat etiam tertium; quia † licet proviſio hominis faciat ceſſare proviſionē legis, hoc verū quando proviſio legis eſſet extraordinaria, & *ita procedit d. l. fi. C. de pac. cōv.* ſecus quādo eſſet ordinaria, *ut eſt gl. ord. notabilis in l.* 2. *ſuper verbo repellere, in verſ. item quid ſi. C. de jure emphyt.*

7 Item licet † proviſio hominis faciat ceſſare proviſionem legis, in eo caſu in quo eſt facta proviſio per hominem, & providebatur per legem tacitè aliter, *ut l. fin. C. de pactis convent.* tamen non tollit proviſionem legis in alio caſu: *ita notabiliter dicit Dom. Ioan. de Imo. in l. ſi cùm dotem, in 4. col. ff. ſol. matr.* Modò ad propoſitum in caſu præſenti. Si dicta B. peteret duariam ex proviſione hominis, facta in conventionibus antenuptialibus, nō poſſet conſequi jus patriæ, & è converſò, eligendo jus patriæ non poſſet conſequi duariam: ſed per hoc non ſequitur, quòd eligendo jus patriæ non poſſet conſequi lucrum ſuperſtiti pollicitum, ex adminiſtratione tutelæ infrà annos pubertatis filij, imò ob hoc factæ fuerunt hujuſmodi conventiones, ut in ea parte juri communi derogaretur, quod fieri poſſe indubita-
8 tum eſt: poſſunt enim † contrahentes, paciſcentes, & teſtantes, aliàs habiles, & facultatem diſponendi de bonis ſuis habentes diſponere contra diſpoſitionem juris; & valebit eorum diſpoſitio, dummodo ſolennitas vel forma à jure requiſi-
9 ta, in tali actu obſervetur: licet nemo † facere poſſit, ut jura certam formam

vel solennitatem in actu requirentia, in suo actu locum non habeant *l. nemo potest*, & *ibi nota. per Dd. ff. de legat. 1.* & *l. pacisci*, & *ibi etiam nota. ff. de pact. cum vulg.* & sic non obstat dicta prætensa cõsuetudo, etiam si de ea constare posset, quia deberet limitari, & intelligi, ut procedat, quando quis vellet habere jus patriæ, & lucrum competens ex conventionibus antenuptialibus in uno & eodem casu, secus in diversis casibus, *per suprà dicta.*

CONSILIUM CCII.

SVMMARIA.

1 *Iudex laicus an mulierem laicam cum clerico in adulterio vel fornicatione publicè viventem, corrigere & punire possit?*
2 *Concubinę clericorum sunt de foro ecclesiæ.*
3 *Statuere aliquid contra statum ecclesiasticum laicis nullo modo licet.*
4 *Infamia clericorum periculosa est, &c.*
5 *Clerici quare venerandi?*
6 *Fornicatio clericorum utroque jure damnata est.*
7 *Papa de adulterio accusari non potest, in muliere adulterium cum ipso committente aliud observatur.*
8 *Delictum immunitatem non tribuit, imò reatus omnem excludit honorē.*
9 *Focarias habere clericis permissum censetur.*
10 *Concubinatus an sit crimen ecclesiasticum?*
11 *Concubinæ clericorum occultę per judicem laicum puniri nequeunt.*
12 *Clerici concubinarij Iudę proditori æquiparantur.*
13 *Concubinę clericorum delictum commune perpetrantes, per judicem laicum jure puniuntur.*

1 SUper dubio quo quæritur, † an judex laicus possit corrigere & punire mulierem laicam, domum & domicilium publicè foventem cum presbytero, à quo prolem vel proles habuit, de delicto per eam perpetrato in personas aliorum, & de adulterio seu fornicatione cum dicto presbytero commisso, videtur prima fa-
2 cie dicendum, quod non, quia † concubinæ clericorum sunt de foro Ecclesiæ, *pro hoc gl. in c. eos, 32. dist. quam commendant Lud. Rom. in suis sing.* & *Panorm. in c. 2. de foro comp.* ergo judex laicus se de hoc intromittere non debet. *Auth. statuimus, C. de episc.* & *cle.* Et confirmatur, quia
3 † contra statum ecclesiasticum non licet laicis, directè vel indirectè aliquid statuere. *c. 1. de immun. eccles. lib. 6.* Sed si liceret judici laico procedere contra concubinam clerici, & eam punire, infamaretur ex hoc clericus de facto propter criminis ineptitatem. *c. tantis Daniel. 81. distinct.* periculosa autem est clericis ta-
4 lis † infamia, quia per hoc vituperatur ministerium ecclesiasticum, in mentibus fidelium scandalum generatur, & percutiuntur corda infirmorum. *cap. presbyter.* & *c. mala fama. 2. qu. 5.* sed cùm laici sint clericis oppidò infesti. *c. nullus laicus,* & *c. laicus. 2. q. 7.* non videtur, quod possunt per hanc viam indirectè eorum crimina in populo publicare & detegere, fungun-
5 tur † enim clerici Dei legatione, & habendi sunt, ut patres: & ideo damnantur sententia Cham filij Noe, qui suorum præpositorum culpam deridendo ostendunt. *c. quales.* & *c. oves 8. quæ. 1.* in con-
6 trarium tamen facit, quòd talis † fornicatio est damnata utroque jure, *ut patet extra, de cohabit. cler. & mul. in l. eum qui probabilem. C. de episc. & cle. cum sim.* ergo statutum contra ipsas concubinas clericorum, non videtur contra canones, sed canonibus deservire, exaggerando pœnam canonis contra tales; sic enim una potestas

potestas per aliam adjuvatur. *c. si in adjutorium. 10. distinct.* & *c. 1. de novi operis nunciat. l. omni*, & *l. privilegia, C. de sacros. eccles.* & *cap. meretrices. 32. q. 3.* Præterea pro hac parte facit decisio quæstionis,
7 disputatæ per N. qui tenuit, quòd † possunt accusare mulierem de adulterio cōmisso cum Papa, licet Papa accusari non possit, *arg. l. adulter. ff. de adult.* nec ex eo quòd delinquit cum personis exemptis, ut sunt clerici, debent esse melioris conditionis, vel juvari privilegio clericorum; quia
8 dictum † non tribuit immunitatem *l. relegatorum. §. fina. ff. de inter.* & *releg.* imò reatus excludit omnem honorem. *l. 1. C. de hæret.* Item videtur hoc esse de mente omnium canonum, qui clericis retinentibus concubinas, pœnas imponunt,
9 de focarijs † autem seu concubinis earum nihil dicunt, quasi punitionem relinquant judici seculari, *dict. tit. de cohabit. cleric.* & *mulier. per totum.* Quid dicendū in hoc puncto, reperio Doctores variè sentire, nam aliqui, *ut Freder. de Sen. cons. 162. Goffre.* & *quidam alij dicebant*, quòd con-
10 cubinatus † est crimen ecclesiasticum, quia secundum ll. non est crimen, *l. in concubinatu. ff. de concub.* & quòd de hoc tantùm cognoscit ecclesia, maximè quando mulier tale delictum fornicationis cōmisit cum clerico; nam tunc ratione illius delicti efficitur de foro ecclesiæ & à solo ecclesiastico puniri potest. Alij autem, *ut Host. in c. lator, qui filij sunt legit.* & *Anton. de Bút. in c. cùm sit generale, de for. compe.* & *glossat. pragmat. in tit. de concubinar. circa fin.* dicunt concubinatum esse mixtum crimen, & sic uterque potest cognoscere, & præventio habet locum, & hæc ultima opinio videtur verior de jure, maximè quando concubinatus committitur per mulierem laicam cum presbytero, qui specificè utroque jure reprobatur, *jurib. suprà alleg.* & quādo id esset notorium; tunc enim judex laicus, procedendo contra hujusmodi concubinas notorias sive manifestas, non offendit ecclesiam, quia honestas ecclesiæ tunc non maculatur, sed potius defensatur, & sacri canones melius custodiun-
11 tur, *ut dictum est suprà.* Contra † verò occultas concubinas clericorum non credo judicem laicum posse procedere, ex officio inquirendo, & sic detegere clericorum crimen; & sic procedunt allegata in contrarium, pro hoc *c. in scripturis. 96. distin.* ubi dicitur, Constantinum dixisse, si videret clericum cum muliere peccantem, clamyde sua eum cooperiret, ne ab alio videretur: hinc etiam dicitur, quòd peccata occulta non habent vindictam.
12 *c. Christiana. 30. q. 6. c.* cum † talibus enim in hoc mundo vivere oportet, & eos tolerare, sicut Christus Iudam toleravit *c. si sacerdos, de of. ord.* & *ita specificè determinat Dom. Pet. de Anch. in repetit. reg. ea quæ, in 24. quæst. de reg. jur. lib. 6.* ubi refert se ita consuluisse, & per hæc patet responsio ad omnia allegata in contrarium. Nam licet judex ecclesiasticus cognoscere possit, per hoc tamen non prohibetur etiam judex secularis cognoscere, ex quo est mixti fori; & id quod dicitur, quod judex laicus non potest cognoscere de delicto clerici, directè vel indirectè, procedit, quando contra clericum ipsum haberetur illa cognitio, sed quando contra mulierem laicam proceditur, de delicto per clericum perpetrato, id licitè fieri potest: nec alibi reperitur prohibitum, quando delictum est notorium, *ut*
13 *suprà.* Si autem † concubina clerici committat delictum commune, ut homicidium, furtum, vel simile, longè magis credo, judicem laicum contra eam posse procedere, & punire, ex illo capite, quia laica est, & de foro suo, & crimen non est ecclesiasticum, *per notata in d. cap. cùm sit generale.*

CON-

CONSILIUM CCIII.

SVMMARIA.

1 *Substitutio sub conditione facta locũ sibi non vendicat, nisi conditio in forma specifica fuerit impleta.*

2 *Substitutio duabus impuberibus filijs facta locum habet, quando uterque decessit,* & *num.* 4.

3 *Verbum* ambæ *quid importet?*

5 *Substitutio locum non habet, quamdiu superest persona, quam testator substituto verisimiliter prætulisset. Declaratur hoc num.* 17.

6 *Testator alienas successiones proprijs anteponere voluisse, non præsumitur.*

7 *Filiæ ex una sororum illegitimarum, succedit suæ matertere illegitime.*

8 *In fideicommissis non verba, sed voluntatem disponentis spectari convenit.*

9 *Pluralitas resolvitur in singularitates, quoties ad diversos effectus ordinatur. Fallit; ut num.* 16.

10 *Nemo principem in bonis suis successorem constituere voluisse præsumitur.*

11 *Conditio dubia interpretatur secundum id, quod est verisimilius.*

12 *Claus.* Si uterque sine liberis decesserit, *qualiter intelligenda.*

13 *Intellectus l. pen. C. de impub.* & *alijs substit.*

14 *In fideicõmissaria substitutione, propter electam fidem, quilibet separatim rogatus videtur.*

15 *Substitutio duobus fratribus institutis facta, sub conditione, si uterque sine liberis decesserit,* &c. *quando locum habeat?*

18 *Descendentes in linea recta instituti excludunt substitutum.*

19 *Ius fideicommissi vel successionis non transmittitur ad filias substituti sub conditione, que in ipsius vita non extitit.*

20 *Proles legitima testatoris, an* & *quando excludat conditionaliter substitutum?*

21 *Ius correctorium strictè,* & *non extra casum expressum interpretandum est.*

22 *Feuda iuris dispositione naturalibus solùm liberis relinqui non possunt.*

23 *Portio substitutione gravata, titulo empt.* & *vend. efficaciter, in præjudicium substituti, trãsferri nequit.*

QUidam A. legavit duabus prolibus suis naturalibus fœminei sexus, decimam suam de Papendorp, substituens eas sibi invicem, si absque prole legitima altera earum prædecederet, ac eisdẽ substituit patrẽ suum, vel ejus verum in feudalibus successorem, sub hac conditione si ambæ dictæ filiæ sine prole legitima decederent, Quod verbis Teutonicis ita fuit expressum.

Maecktẽ sijn twee bastardt dochteren die naehant van der thienden van Papendorp / alzoeverre als hy aflijvich worde / sonder blijckende voert. Ende waert / dat eenich van desen tween dochteren storve sonder voerte van haren getrouweten man / die zoude op die ander erven / die dan in levenden lijve waere. Ende waert dat sy beyde afflijvich worden / ende gheen geboerten by haren getrouwten man en lieten / zoe soude die voirsz thienden erven op Andries / zijn vader voerghenoempt / oft op zijnen rechten leen volgen.

Deinde ponitur in facto, quòd A. testator decessit sine legitima prole, & dictæ filiæ suæ naturales æquis portionibus assequutæ sunt prædictam decimam de Papendorp, una illarum filiarum decedens

dens reliquit legitimam prolem, altera expost decessit, non relinquens post se prolem; sed priusquam moreretur, transtulit ac dedit suam portionem illius decimæ sorori suæ, dum adhuc viveret, & post hoc prædecessit, relicta legitima prole.

Ex his oritur quæstio, an portio decimæ, quam reliquit filia decedens sine prole, vero iure spectet ad prolem sororis præcedentis, ex vi prætactæ ordinationis ipsius A. vel donationis inter vivos, per filiam secundo decedentem, suæ sorori prędecedenti factæ, vel sit illa portio seu medietas devoluta ad verum in feudalibus successorem patris ipsius, à quo ante ultimam ex dictis filiabus decesserat: & ut clarius veritas eluceat, depulsis nebulis rationum, quæ illam non parum offuscant, inducam primum motiva, quibus nō modò probari, sed demonstrari videtur evidenter, quòd pertineat ad prolem superstitem sororis naturalis prædecedentis, & nullatenus ad successorem in feudalibus patris ipsius A. hanc decimam legantis.

Et primò, quòd nullum ius competat dicto successori in feudalibus, deducitur
1 sic, quia substitutio † facta sub conditione, non potest sibi vendicare locum, nisi extet conditio, aliàs nihil referret, conditionaliter vel absolutè substituere, imò debet conditio in forma specifica impleri, *ut de hoc est tex. in l. Męvius. ff. de condit.* & *demonstr.* sed in casu præsenti deficit conditio, quia non ambæ mortuæ sunt sine prole legitima: sed prima decedens prolem legitimam in humanis post se reliquit.

2 Præterea secundò ad istud est text. † ad literam *in l. pen. C. de impub. & aliis subst.* ubi est casus. Quidam duobus filiis institutis hæredibus, tertium quendam sub conditione hæredem substituit, si uterque impubes decederet: alter eorum impubes decessit, dubitatum fuit, an ad portionem hæreditariam, seu partem illius, substitutus venire debuit? Et deciditur, quòd non: sed solum, si & quandò, juxta conditionis exigentiam, uterque impubes decessisset: ergo multò fortius in proposito, cùm conditio habeat, *si am-*
3 *bæ sine, &c.* quod verbum † *ambæ*, & ratione numeri & collectionis quam importat, nullatenus pro una verificari potest. Cùm enim significatio sumitur ex universo, si aliquid falsum est, totam orationem falsam efficit. *l. si ii qui ducenta. § utrum, ff. de reb. dub.*

4 Et confirmatur. Ponamus, multis, † puta quatuor, relictam esse habitationem aliquarum domorum, cum conditione, *quòd si & cùm morerentur, respublicę spectabunt, ac pertinebunt*: hoc casu licet tres mortui fuerint, nulla adhuc domorum reipublicæ debetur, *ut de hoc est clarus tex. in l. codicillis, in princ. ff. de usu & usufr. lega.* Ergo non sufficit, conditionem partim impletam esse, ut fideicommissum pro parte debeatur: sed debet juxta formam verborum in totum esse impleta.

5 Præterea tertiò, substitutio † non vendicat sibi locum, etiam impleta ad literam conditione, sub qua est facta substitutio, quando superest persona, quam verisimiliter testator substituto prætulisset. Verbi gratia; quidam instituit filium suum & nepotem hæredes, adjiciens, quòd portio hæreditaria nepotis ad patruum illius, puta testatoris filium, devolveretur, si nepos ille intra annum tricesimum moreretur: decessit nepos intra annum tricesimum, relictis liberis, & decernit jus conjectura pietatis, portionem hæreditatis, quàm nepos ex avo acceperat, penes liberos nepotis debere manere, & non ad patruum filium testatoris devolvi, *ut de hoc est tex. in l. cùm avus. ff. de condit* & *demonst.* Et si quis fortè limitandum putet, ad filios vel nepotes legitimos non

naturales, induco contra hoc *tex. expressum in l. generaliter, in fine, C. de instit. & substit.* ubi manifestè deciditur, illum etiam obtinere, in naturalibus non legiti-
6 mis, & confirmatur † ex ratione *l. cum acutissimi, C. de fideic.* quæ est, ne videatur testator alienas successiones proprijs anteponere, sed successio testatoris in proposito est in filiabus & earum prolibus: Ergo conjectura pietatis interpretanda erit pro nepote ex filia testatoris, & non pro his, qui lateraliter solum attinent ipsi testatori: facit ad hoc, quod jure
7 communi, filius ex † una sororũ illegitimarum, habet succedere suæ materteræ quamvis illegitimæ, tanquam sorori suæ matris: *per l, hac parte. ff. unde cognati.*

Præterea quartò deducitur jus istius prolis; quia soror ultimò decedens sine prole, donatione inter vivos transtulit jus partis suæ in aliam sororem, tunc adhuc in humanis agentem, quæ ante mortem fuit in illius possessione. Ergo cùm hic filius sit legitimus hæres matris suæ, sequitur, quòd de jure ei debetur tota decima.

Istis non obstantibus videtur incunctanter de jure dicendum, quòd portio decimæ, quam filia decedens sine prole reliquit, debetur patri ipsius testatoris, seu ejus in feudalibus vero successori. Pro-
8 batur primò, quia † de hoc est textus ad literam, *in l. heredes. §. cùm ita. ff. ad Trebell.* ubi est casus; Quidam instituit ad universam hæreditatem suam duos filios suos, cum conditione, si alter eorum sine liberis prædecederet, pars illius ad superstitem fratrem devolveretur: & si uterque sine liberis decederet, omnis hæreditas ad neptem ejus Claudiam perveniret. Defunctus est alter fratrum superstite filio, novissimus decessit sine liberis: dubitatum fuit, an pars hæreditatis, quam frater novissimè decedens à patre acceperat, insolidum devoluta esset ad Claudiam, vel aliquid deberetur etiam filio fratris prædecedẽtis, vel forte hæredi, per fratrem ultimo decedentem instituto, vel ejus legatario? Et videbatur Claudia jure substitutionis non debere admitti, propter verba conditionis nondum impleta: quia scilicet non uterque, sed eorum alter tantum decesserat sine prole: Hoc non obstante decidit Jctus, quia in fideicommissis, voluntatem disponentis spectari convenit, non verba, absurdum esset negare ipsi Claudiæ eam partem hæreditatis, quàm frater novissimè decedens habuit, quia avus voluit, quòd totam hæreditatem haberet, si novissimus fratrum, etiam prędecedentis fratris portionem suscepisset: & eo modo penitus est in casu nostro; voluit testator, si filia ultimò decedens etiam portionem decimæ habuisset sororis prædecedentis, quòd in eum eventum tota decima ad patrem testatoris, vel ejus in feudalibus legitimum successorem perveniret: Ergo absurdum est, nunc illi negare partem, quam soror ultimò decedens sine prole reliquit. Probatur idem per theoricam, in qua omnes Doctores conveniunt, quòd plura-
9 litas † resolvitur in singularitates, quoties ordinatur ad diversos effectus, *per l. falsa demonstratio. § fina. ff. de conditio. & demon.* ubi est casus. Quidam legavit Titio Stichum & Pamphilum, sub conditione, si in morte sui essent, testator unum in vita alienavit, & sic in forma non evenit conditio, sed pro altera parte, puta pro una singularitate: & dicitur, quod legatarius illum, qui mansit testatoris, potuit vendicare. Ergo similiter, quamvis altera sororum tantum decesserit sine prole, portio illius, vigore secundæ substitutionis, ad patrem testatoris, seu ejus in feudalibus successorem ab intestato est jure devoluta.

Præterea tertiò persuadetur idem, quia
† vir

10 † vir ſagax & prudens, qualis fuiſſe dicitur noſter teſtator, cùm aliquid relinquit ſanguine ſibi attinentibus, cum clauſula devolutionis ad ſucceſſionem patrimonij, præſumitur ſic voluiſſe diſponere, quòd nunquam principi cederet, tanquam aliquid ex bonis vacantibus. Sed notorij juris municipalis eſt in oppido Traject enſi, in quo teſtator natus ad decrepitam uſque ætatem moram traxit, quòd naturales ſeu illegitimi, de ſuis bonis teſtari non poſſent, nec invicem ſuccedere, indubitatum ergo videtur, quòd per illam clauſulam, *ſi ambę deceſſerint*, &c. etiam tacitè voluit, quòd ſi ultimò decedens obierit ſine prole, ac in caſu quo ejus portio vigore ſubſtitutionis reciprocæ inter ſorores, ad nullum de ſanguine ſuo devolvi poſſet, quòd in illum eventum ad patrem ſuum devolveretur, ſeu ejus in feudalibus verum ac legitimum ſucceſſorem, aliàs enim per mortem filiæ ultimò viventis, ac decedentis ſine prole, ejus portio, tanquam de bonis vacantibus, ad principem, ſeu illum qui jura principis quoad hoc præſcripſit, in loco decimę devolveretur. patet ergo ex conjecturata mente teſtatoris ultra legalem interpretationem, quòd voluit portionem filiæ decedentis ſine prole, in caſu quo ad aliam filiam devolvi non poſſit, ad ſuum patrem, vel ejus in feudalibus ſucceſſorem devolvi. Et confirmatur; quia cùm ſumus
11 † in dubio intellectus cõditionis adjectæ, *Si ambæ ſine prole*, &c. an teſtator voluerit pluralitatem in ſingularitates reſolvi, vel ſiſtere in ſignificatione rigoroſa verborum, debemus in dubio interpretari, quod eſt veriſimilius, *per c. inſpicimus, de reg. jur. lib. 6.* & *not. gl. & Dd. in l. ſemper in ſtipulationibus. ff. de reg. jur.* & *per leg. voluntas, cum ibi notat. per gl.* & *Dd. C. de fideic.* & *maximè per l. ſi ſeruus plurium. ff. de legat.* 1. Sed veriſimile eſt, teſtatorem voluiſſe, quòd quandocunque inter duos ſubſtitutio prima locum vendicare non poſſet, quòd ſecunda tunc haberet locum: ergo voluit, quòd illa pluralitas reſolvi deberet in ſingularitates, *ſicut ſuprà induxi ex §. fi. in d. l. falſa demonſt.*

Ad motiva partis adverſæ reſpondetur. Ad primum reſpondetur: quòd licet conditio ſecundum rigorem & proprietatem verborum non extiterit, ſeu non ſit purificata, nihilominus id quod tacitè voluit teſtator per conditionẽ ſignificare,
12 illud abſque dubio evenit: nam † dicẽs, *Si uterque ſine liberũ deceſſerit, tota hæreditas perveniat ad Claudiam*, innuit, quod ſi ultimus deceſſerit ſine liberis, ejus portio ad illam perveniat: quæ enim ratio eſt totius ad totum, illa & partis ad partem. *ff. de rei vend. l quæ tota,* & *hanc ſolutionem in effectu dicit tex. in §. cùm ita d. l. hęredes.*

13 Ad ſecundam rationem *de † l. penult. C. de impub.* & *alijs ſubſtit. de hac l. dicit Bart.* quòd habet difficilia contraria, magis quàm aliqua lex de corpore juris, & ergo non mirum, ſi eget ſano intellectu, & multa reſtrictione, unde quidam dicũt, quòd *d. l. penul.* procedit in ſubſtitutione directa, non autem in fideicommiſſaria, de qua loquitur *d. §. cùm ita* & *hanc ſolutionem dat ibi gloſſa, primò ad illam l. pen.* & *hanc tenet Cynus*, dicens hoc ideo
14 eſſe, quia † in fideicommiſſaria, propter electam fidem, quilibet videtur ſeparatim rogatus, etiam ſi inter filios fiat, & *not. per Dyn. ff. ad leg. Falc. l. pater. §. fina.* Nihilominus, quia *Bart. Ang.* & *quidam alij Dd.* ab illa ſolutione recedunt, do aliam ſolutionem communiter approbatam, & in qua *glòſſa dicti §. cùm ita*, ultimò eam dans reſidere videtur, quòd *in dicta l. pen.* deficit conditio in perſona ſecundi; quia deceſſit ſine liberis, & tunc locus eſt ſubſtitutioni, quam ſolutionem dicit *Angel.* tenendum pro Euangelio, dans rationem diverſitatis in effectu,

quia cùm primus decedit, ſupereſt frater, qui ex præſumpta voluntate teſtatoris ſubſtitutum excludit; quia non eſt veriſimile, teſtatorem alienam ſucceſſionem ſuæ voluiſſe præponere *l.cùm acutiſſimi. C.de fideic.* Sed quando in ultimo decedente completa conditione, nullus ſupereſt, qui ex præſumpta voluntate teſtatoris
15 ſubſtitutum excludat. Ad illius † tamen reſtrictionem dicit *Pau. de Caſt. in d.l. pen.* quod ſi duo fratres ſint instituti, & eis extraneus ſubſtitutus ſub conditione, ſi uterque ſine liberis deceſſerit, ſi frater primò decedens inſtituat extraneum hæredem, ita quod ſua portio non perveniret ad fratrem inſtitutum ſuperſtitem, quod eo caſu de æquitate, quamvis non de rigore, veniet ſubſtitutus à patre; quia excluſio illius ſubſtituti non prodeſſet fratri ſuperſtiti, ſed alteri extraneo inſtituto; quod non fuit de mente defuncti; & *ita tenet Nicol.de Ma.* & *Bald.* quorum dictum dicit *Paul.* perpetuò menti tenendum, quia vidit in multis conſiliis allegari, & multum declarat *d §. cùm ita.* Sed in propoſito noſtro juxta jus municipale oppidi Trajectenſis, ſoror una naturalis non ſuccedit alteri ab inteſtato, & ſic nec proles unius ſuæ materteræ; ergo non debet de præſumpta mente ac voluntate teſtatoris, proles primò decedentis excludere ſubſtitutum; cùm nec ex conditionibus teſtantis, nec ex jure municipali poſſit venire ad portionem ſuæ materteræ, & ſic excluſio ſubſtituti eſſet penitus inutilis ad ordinationem teſtantis, unde *text. l.pen.* ſolùm loquitur, quando alter inſtitutorum alteri ſuccedit ab inteſtato, ut manifeſtè vult text. cùm dicit, cogitaſſe patrem, primo decedente, fratrem ſuum in ejus portionem ſuccedere, & ſic non tangit caſum præſentem: & quamvis nepos prædecedentis poneretur ſuæ materteræ ab inteſtato ſucceſſurus; ex alia tamen cauſa, ut poſtea dicetur, non excluderet ſubſtitutum ex diſpoſitione avi, & quod tangitur in eodem argumento, conditionem purificatam non eſſe, ſeu non extitiſſe, ſolutum eſt prius.

Ad primum argumentum, ad confir-
16 mationem reſpondeo; quòd † in his, ubi jus accreſcendi locum ſibi vendicat, non reſolvitur pluralitas in ſingularitates, & ergo ibi non ſufficit, conditionem in parte eſſe impletam.

Ad tertium principale, concedo maxi-
17 mam Doctor. quòd videlicet † excluditur ſubſtitutus, quando ſupereſt perſona, quam conjectura pietatis teſtator videtur prætuliſſe: ſed nego, quod ſemper proximior gradu ſanguinis præſumitur ſubſtituto prælatus, unde ſi pater, inſtitutis duobus nepotibus cum filio, ſubſtituit nepotes ſibi invicem, cùm deceſſerint ſine prole; filius teſtatoris gradu vicinior non excludet nepotem ſubſtitutum: econtrà præſumpta voluntate teſtatoris, omnis deſcendens recta linea ab aliquo per eum conſtituto, excludit illum qui fuit ſimpliciter ſubſtitutus, quamvis vicinior gradu ſanguinis attineat teſtatori; ut ſi duos filios ſuos inſtituens, eos ſibi invicem ſubſtituerit, deſcendens quarto vel quinto gradu à fratre præmortuo, excludit alium quem pater ſubſtituit, & *hoc probat d. l. cum avus*, & longè aliud eſt in portione delata alicui, & in deferenda ſub conditio-
18 ne, quæ non extitit eo vivente. Nam in † portione delata alicui, omnes ejus deſcendentes in recta linea excludunt ſubſtitutum: quod etiam procedit in naturalibus filiis, cum limitatione quam dicam. Sed in
19 portione † deferentis ſub conditione, quæ non extitit in vita ejus, non tranſmittitur jus fideicommiſſi, aut alterius ſucceſſionis ad ſuos filios, *ut tenent Bart.* & *alij*
20 *Dd. in d. §. cum ita.* Sed eſto, quod † proles legitima filij teſtatoris ſemper præſumitur voluntate teſtatoris excludere ſubſtitutum ſub conditione, ſi ſit remotior

tior in gradu à testatore, decedente si-
ne liberis. Dico quod hoc solum procedit
in descendentibus à legitimis, & non à
naturalibus unde de jure veteri, quòd in
portione delata alicui, substitutus exclu-
ditur absolutè & simpliciter, per prolem
illius, seu quemlibet in recta linea descen-
dentem, solum vendicabat sibi locum in
legitimis, quibus aliquid delatum est, &
humanitas Iustiniani hoc extendit etiam
ad naturales, *d.l.generalitatis*, corrigens
in hoc jus vetus: in speciali tamen casu,
cum eis pater partem aliquam reliquerit,
vel dederit usque ad modum, quem ipse
21 imperator statuit, ergo cũ † sit correcto-
rium juris veteris, strictè est interpretan-
dum, *ut vult Cyn.* & non extra casum ex-
pressum; ergo non debet extendi ad por-
tionem, quærendam per exclusionem sub-
stituti: & sic præsumptio juris de mente
testatoris, quod proles instituti exclu-
dunt substitutum, si est remotiore gradu
sanguinis, jus attendit, & ex illis præsu-
mit de mente patris, cui attinent.

Præterea *d.l.generaliter* solum proce-
dit, cùm pater aliquid relinquat proli, u-
tens beneficio Imperatoris, quoad modũ
& qualitatem bonorum, ut concessit na-
turalibus posse relinqui. Sed in casu præ-
senti non utitur illo beneficio Imperato-
22 ris, ex quo reliquit eis feudalia, † quæ
juris dispositione naturalibus relinqui non
possunt: imò probabile est, quod etiam
ex gratia & speciali privilegio Impera-
toris, relinquens naturali filio totam hæ-
reditatem, & substituens illi alium, qui
non reliquit juxta modum, de quo Im-
perator *in d.l.generaliter*, non excluderet
proles illius naturalis substituti alium
substitutum. Et in proposito, si proles pri-
mæ sororis totam decimam, cum alijs
bonis matri suæ per avum relictis, longè
excederet modum, quem Imperator pre-
fixit. Item præsumptio juris de conje-
cturata mente testatoris, quòd persona
prædilecta à testatore excludat substitu-
tum, quamvis est juris, non tamen est de
jure, ut nequeat contraria probatio ad-
mitti; imò præsumptionibus eliditur con-
jectura debilior in proposito. At hanc
decimam feudalem testator acceperat à
patre suo, præter illam filiabus suis relin-
quit & multa alia bona: ergo verisimile
est, quòd in conditione secundæ substitu-
tionis, si ambæ sine liberis decederent,
voluit pluralitatem in singularitates re-
solvi; ita quòd altera decedente sine pro-
le, cùm ejus portio ex prima substitutio-
ne ad alium volveretur, quòd eo casu a-
gnosci deberet pater, à quo decimam ac-
ceperat, vel suis in feudalibus legitimus
successor.

Ad quartum, illud indignum est re-
23 sponsione, quia in † præjudicium substi-
tuti non potuit portionem substitutionis
gravatam, in quemcunque etiam titulo
emptionis & venditionis efficaciter trans-
ferre, in præjudicium substituti.

CONSILIUM CCIV.

SVMMARIA.

1 *Creditor primus generalem habens hy-
pothecam secundo specialem haben-
ti præfertur: nisi secundus singula-
re prelationis privilegium habeat.*

2 *Casus in jure expressus dubitationem
non admittit.*

QUidam Iohannes van den Zande ha-
buit generaliter obligata omnia bo-
na cujusdam Theodorici de Clerck in de
Zonne, deinde idem Theodoricus de
Clerck debitor obligavit certa ex bonis
suis cuidam alteri: nunc concurrunt pri-
mus creditor habens hypothecam gene-
ralem, & secundus habens hypothecam
specialem. Quæritur, quis sit potior, &
præferendus? Et omissis argumentis,

quæ hinc inde fieri possent, breviter sine aliqua hæsitatione dicendum est, quòd 1 primus † creditor habens hypothecam generalem est præferendus secundo creditori habenti hypothecam etiam specialem, & de hoc non est aliquo modo dubitandum: *quia est textus expressus in leg. si generaliter. C. qui potio. in pign. habean*, & *in l. qui generaliter. ff. eod. tit.* & *ibi hoc comprobat glossa*, & *pulchrè habetur ibid. per Ang.* & *Salic. in eorum eleganti distinct. ut ibi latissimè per eos*, nec potest secundus creditor quovis modo contendere, ut præferatur; nisi doceat, quòd hypotheca sua habet singulare privilegium prælationis, *juxta ea quę habentur* & *notantur in l. licet*, & *in Auth. sua, item possessor.* & *in l. diversis. C. qui potio. in pignor. hab.* De quo speciali privilegio prælationis, ut mihi asseritur, dictus secundus creditor non docuit, nec docere potest, ex quo res, de qua nunc est contentio, fuit in bonis debitoris, & generaliter obligata, antequam cum secundo creditore contractum est, nec intervenit aliquid, de quibus in dictis juribus, ergo, &c. circa quod amplius non 2 insisto, ex quo † de isto est *text. expres. in passib. suprà alleg.* & per consequens nulla dubitatio, *juxta l. ancillæ. C. de furt.* essetque supervacuum solem facibus adjuvare, vel sufficienter demonstratum amplius demonstrare velle. *c. si omnia 6. quæst. 1.* & *l. 1. in fine. ff. de suppel. legat.* judicio cujuslibet rectius sentientis semper salvo, cui Deus adsit.

CONSILIUM CCV.

SVMMARIA.

1 *Factum per alium in meo, per me possesso fundo, propria authoritate destruere licet.*

2 *Fixum in janua domus meæ authoritate mea demoliri possum.*

3 *Remedium nunciationis novi operis, vel destructionis jus, competit ei, in cujus solo aliquid extruitur.*

4 *Nemo sibi jus dicere potest. Fallit, &c.*

5 *Possessionem suam defendere quis dicatur?*

6 *Rationem quærere, ubi sensus est perspicuus, est intellectus infirmitas.*

7 *Contra mandatum domini nondum publicatum facientes, propter justam ignorantiam excusantur.*

8 *Defensio juris naturalis est, nec per principem tolli potest.*

9 *Rescripto irrationabili* & *injusto impunè non paretur.*

10 *Iudices non admittentes, literas principum de falsitate vel surreptione argui, puniuntur, &c.*

11 *Omnia principum mandata intelliguntur cum clausul. Salvo jure tertij.*

Casus talis est. Quædam communitas habens proprium fundum, quem isto titulo ultra centum annos pacificè possedit, fossas, per quendam alium in eodem fundo immissas, amovit. Quæritur, an talis communitas, quæ propria authoritate hujusmodi fossas in eorum fundo immissas, irrequisito domino temporali amovit, hoc jure facere potuit, vel an hoc faciendo deliquit? Super quo dubio pulchro & subtili, omissis argumentis, videtur mihi subscripto, sine aliqua hæsitatione, dictam communitatem, ab impetitione Domini temporalis loci, vel sui officiarij, fuisse & esse absolvendam, & absolvi debere, juribus & rationibus infrà scriptis. Nam certum & indubitatum est de jure, quòd † factum vel immissum per alium in fundo meo per me possesso, ego possum propria authoritate, irrequisito judice, tollere & destruere.

textus

textus est ad literam in l. quemadmodum. §. 1. ff. ad leg. Aquil. & *ibi hoc notat Baldus* dicens, quòd possessio affert commodum resistendi propria authoritate, nec hoc casu dicor vim inferre, sed vim repellere, & possessionem meam defendere, *ut est tex. in l. si servus in fine,* & *ibi Bald.* & *Paul. de Castro notant. C. quod cum eo*, ubi plus probatur, videlicet, quòd hoc casu, postquam propria authoritate destruxi factum, vel immissum per alium in fundo meo per me possesso, si timeam, quòd adversarius meus velit aliquid facere in contrarium, possum implorare officium judicis, ut me in possessione mea tueatur, & adversario meo inhibeat sub pœna, ne mihi vim faciat, & *hoc expressè volunt Iacob. de Aret. Bald.* & *Paul. de Castro, in prealleg. l. si servus, per illum textum.* Istud etiam
2 † probatur *in l. fina. §. si ad januam. ff. quod vi aut clàm*, & *ibi est bona glossa*, quæ dicit, quòd fixum in janua mea, à me possessa, possum authoritate mea demoliri, & *allegat d. l. quemadmodum. §. 1.* Istud etiam probatur *in l. 1.* & *2. C. ut nemini lic. sine judicis authorit. signa imprim. reb. quas alius tenet,* & *ibi Paul. de Cast. dicit*, se hunc casum habuisse de facto Senis, cùm quædam fraternitas, in qua erant multi cives potentes, litigarent cum uno notario, super una possessione per illum possessa, statim lata una sententia pro confraternitate, antequam transivisset in rem judicatam, quia fuit appellatum, confraternitas fecit depingi arma ipsius fraternitatis super ostium dictæ possessionis; dictus autem notarius cum pluribus alijs venit armatus, & propria authoritate arma illa destruxit; unde accusabatur de vi, & concludebatur contra eum ad magnam reparationem, ipse autem notarius, se defendendo allegavit, & dixit, hoc sibi licuisse, & quòd vim nullam commisit, sed vim sibi illatam per fraternitatem, repulit: quod sibi licuit, *per dicta.* Quærebatur, quid juris? & dicit ibi *Paul. de Castro*, quòd dictus notarius non merebatur accusari, sed potius ipsa fraternitas: ergo etiam ita erit dicendum in proposito, & maximè istud procedit; quia incolæ dictæ communitatis, ante destructionem operis, obtulerunt & præsentarunt illi tertio, qui opus in fundo eorum fecit, quòd si vellet desistere à perfectione ipsius, usque ad adventum Domini temporalis, ipsi erant contenti expectare judicium ejus, quod dictus tertius facere noluit, imò expressè renuit, & sic dicti timentes, & verisimiliter formidantes possessione sua privari, & in suo bono jure præjudicari, dictum opus destruxerunt, prout eis licuit, *per premissa.*

Restat nunc respõdere ad ea quæ obiici possent in contrarium, & primò non
3 obstat, si dicatur: Incolæ † dictæ communitatis potuissent nunciare novum opus, ergo non licuit eis propria authoritate fossas immissas amovere, vel opus destruere; quia dico, quod incolæ dictæ communitatis habuerunt duo remedia, scilicet remedium nunciationis novi operis, & remedium destructionis autoritate propria, *ut volunt DD. maximè Alexan. de Imo. in l. 1. §. nunciatio. ff. de novi ope. nun.* Si ergo sunt usi posteriori remedio, nihil est quod eis imputetur, quia jure suo usi sunt, *jurib. præallegat.* Non obstant et-
4 iam jura vulgaria, dicentia, neminem † sibi posse jus dicere. *l. nullus. C. de Iudęis.* & *l. unic. C. ne quis in sua causa*, quia dicta regula fallit in multis casibus, inter quos iste est unus, *ut patet in jurib. suprà alleg. Ita notabiliter volunt Iacobus de Aret. Bart.* & *alij Dd. in præalleg. l. 1. §. nunciatio. ubi magistraliter loquuntur, ff. de novio per nun.* & *Innoc. Pet. de Anch. Panor.* & *canonistę, in cap. 1. de immunit. eccles.*

Non

5 Non obstat † etiam *l. si quis in tantã, C. unde vi.* quia illa loquitur in expellente aliquem de possessione; nos autem loquimur in defendente possessionem suam, ut suprà declaravi, & quòd iste dicatur defendere possessionem suam, *vult expressissimè Bart. in d. §. nunciatio.* & *est text. in dicta l. si servus.* & *ibi Bart.* & *Paul. de Castro*, qui dicunt, quòd ei succurrendum est contra adversarium, officio judicis, ut suprà dixi, ei autem non esset succurrendum officio judicis, si destruendo factum vel immissum per alium in fundo suo, per eum possesso, deliquisset, ut patet ad sensum, quare circa hoc amplius non insisto, quia quærere † ra-
6 tionem, ubi habemus sensum, est infirmitas intellectus, *teste Bal. in l. 1. ff. de rer. divis.*

Non obstant etiam literæ missivæ domini temporalis, quibus inhibitum dicitur incolis dictæ communitatis, ne facerent contra collationem ipsius sub magna pœ-
7 na, quia † dictæ literæ missivæ, ut informor, non fuerunt publicatæ, & sic incolæ dictæ communitatis habuerunt justam ignorantiam, *c. ab excommunicato, de rescript.* & *l. fi. ff. pro suo.* Item dato, quòd fuissent publicatæ, prout non: tamen adhuc contravenientes illis non possent ob hoc argui, vel puniri: quia fuerunt inciviles & irrationabiles, non habentes clausulam justitiæ, & per consequens tollentes absentibus inauditis & non convictis
8 defensionem, † quæ est de jure naturali, & tolli non potest etiam à principe, *Clem. pastoralis, in fi. de re judic.* & si præcisè eis paritum fuisset, jam incolæ dictæ communitatis fuissent privati eorum possessione, quòd fieri non debet, etiam si immineat periculum animæ, *cap. laudabilem,* & *ibi Ioan. de Imo. notat. ut lite penden.* Nec aliquid dicitur per incolas dictæ communitatis innovatum, qui defenderunt suam possessionem: sed eis facta fuit violentia per tertium, eis non auditis nec convictis: quod fieri non debet, etiam per principem. *c. 1. de cau. poss.* & *propriet.* & *l. 2. C. comminat. vel epist. &c.* & *notat gl. ordin. in c. non solùm, de*
9 *appell. lib. 6.* Imò † æquo animo ferre debet dominus temporalis, quòd literis suis incivilibus paritum non est, ut in simili dicit summus Pontifex, *in cap. si quando, de rescript.* sic inquiens: Si quando aliqua tuæ fraternitati dirigimus, quæ animum tuum exasperare videntur, turbari non debes: & subditur: qualitatem negotij, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas: quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum, quæ sunt verba aurea principem decentia. Hinc etiam est,
10 quòd † puniuntur judices, qui non admittunt literas principum argui de falsitate vel surreptione, *ut est tex. in l. puniri, C. si contra jus vel util. publ.* & *ibi dicit glos.* quòd miseri prælati, non debent timere per hoc incurrere indignationem principis, quia Deo & principi per hoc placent: & *idem vult Bal in l. 1 ff. de constit. prin.*
11 quia † omnes literæ, & omnia mandata principis debent intelligi, salvo jure tertij; quia princeps non vult tertium lædere, vel eum possessione sua privare. *l. 2. §. si quis à principe, &* § *meritò. ff. ne quid in loc. public.* & *l. autoritatem,* & *l. meminerint, C. unde vi:* & si princeps hoc vult, jam injustum & iniquum petit, quod non est præsumendum: quia non debet inde nasci injuria, unde jura oriuntur. *d. l. meminerint,* & ergo si non obtemperetur, non est vituperandum, imò commendandum, *d. c. si quando,* quia literæ præsumũtur vel falsæ, vel per importunitatem extortæ, & sic eis non est obtemperandum, *c. causam quæ, cum gl. ibi* & *Panor. not. de testib.*

testib. Concludendum ergo dico, incolas dictæ communitatis ab impetitione domini temporalis loci, vel sui officiarij, fuisse & esse absolvendos, & absolvi debere: *jurib.* & *rationib. præalleg.*

CONSILIUM CCVI.

SUMMARIA.

1 *Consuetudo loci in quo bona sita sunt, in successionibus ac divisionibus bonorum observari solet.*

2 *Quæstio de jure ex re ipsa descendente, secundum consuetudinem loci ubi res est, terminari debet.*

3 *Casus omissus dispositioni juris municipalis relictus existimatur.*

4 *Ius repræsentationis in linea recta locum habet.*

5 *Tacitum plus non operatur, quàm expressum.*

6 *Limitata causa, limitatum producit effectum.*

7 *Iuri nondum competenti renuncians non obligatur.*

Visis & diligenter ponderatis testamento quondam Andreæ van Steelandt: Item promissione facta per quondam Simonem van Steelandt, in favorem Heylwigis van Tichelt, suæ futuræ conjugis, ac laudo seu sententia arbitrali, super differentijs inter quondam Petrum Hoot, nomine suæ uxoris, & dictum Simonem van Steelant, subortis, lato seu pronunciato, latáve seu pronunciata: Visis etiam petitione, responsione, replica, duplica, triplica, & quadruplica, cæterisque actis & actitatis, scripturis & munimentis, coram venerabilibus & circumspectis viris, dominis Amptmanno, Burgimagistris, & scabinis insignis oppidi Antwerpiensis, per & inter Iohannem van Roye, nomine suæ uxoris, actorem ex una, & Iohannem van Steelant & suos litisconsortes, reos, ex altera, habitis & exhibitis: Videtur mihi subscripto sine aliqua hæsitatione dicendum, quòd dicto Ioanni van Roye nomine quo procedit, in primis adjudicãda est medietas omnium bonorum, jacentium in Stabroeck, per dictam quondam Heylwigem & præfatũ Simonem van Steelant, tempore mortis & decessus præfatæ quondam Heylwigis communiter possessorum, unà cũ medietate fructuum & proventuum, ex præfatis bonis per dictum quondam Simonẽ expost perceptorum & levatorum. Et ultrà hoc, quarta pars alterius medietatis præfatorum bonorum, unà cum quarta parte fructuum & proventuum, ex illa quarta parte medietatis per dictos reos perceptorum seu levatorum, & quòd dicti rei à residuo sunt absolvendi, per rationes & motiva in hujusmodi actis latius tactas & tacta. Et moveor præcipuè,
1 quia in † materia successionis ab intestato, & divisionis bonorum, servanda est consuetudo loci situationis bonorum, de quibus contenditur, & non consuetudo loci, ubi ille, de cujus successione agitur, moritur vel decedit: *pro hoc l. an in totum, C. de æd. privat.* & *l. venditor. §. si constat, ff. commu. prædio.* & *l. pupillo, ff. de tuto. curat. dan. ab his:* & *l. quæcunque. C. de*
2 *hæretic. cum sim.* Ubicunque † enim est quæstio de aliquo jure, descendente ex re ipsa, servari debet statutum vel consuetudo loci, ubi est res, *jurib. præalleg. Et ita determinat Cyn. Bald.* & *alij in l. cunctos populos. C. de summa Trinit.* & *fide catho.* & *Dom. Pet. de Anch. in repetit. c. canonum statuta, de constit.* Cùm ergo in Stabroeck, loco siquidem situationis bonorum contentiosorum, sit consuetudo notoria, quòd per contractum matrimonij omnia bona viri & mulieris cõmunicantur, ita & taliter, quòd altero decedẽte relictis prolibus, medietas devolvitur

ad proles, & cum hic sit quæstio de jure succedendi in bonis illic sitis, nemini debet videri dubium, quin medietas bonorum per dictos Heylwigem & Simonem cõjuges possessorum, unà cum medietate fructuum, ex illis perceptorum, per mortem dictæ Heylwigis spectaverit ad proles dictæ Heylwigis, de cujus successione agitur in hac parte: & per consequens, nunc ad dictum Ioannem, nomine suæ uxoris: & similiter nemini debet dubium videri, quin quarta pars alterius medietatis præfatorum bonorum, unà cum quarta parte fructuum, ex illa quarta parte medietatis perceptorum, per mortem dicti Simonis, spectet ad dictum Ioannem, nomine suæ uxoris; quia tempore mortis dicti Simonis, de cujus hæreditate agitur, in hac parte, superfuerant tres proles ex secundo thoro, & filia filiæ ex primo thoro, quæ suam matrem defunctam repræsentat, ad successionem venientes.

Nec præmissis obstat testamentum dicti quondam Andreæ, quia illud in casu subjecto est impertinens, cùm in casu isto non disponat, ut patet intuenti. Non obstat etiam promissio facta per dictum Simonem, quia in illa non disponitur de casu præsenti, puta quid fieret, si contingeret dictam Heylwigem prædecedere, prout prædecessit, & † sic ille casus omissus
3 relictus est dispositioni juris municipalis. *l. si cum dotem. in prin. ff. sol. mat.* & *cap. susceptum, de rescript. lib. 6. cum sim.* Non obstat etiam laudum, de quo suprà, imò facit pro hac parte, cum in eo expressè dicto Petro Hoot reservatum sit jus in bonis nunc contentiosis. Non obstat etiam, quòd dicti rei præcedunt uxorem a-
4 ctoris in uno gradu; quia dicitur, quòd † uxor actoris repræsentat suam matrem, quæ erat in eodem gradu cum reis, & sic ipse actor, nomine suæ uxoris, in bonis dicti Simonis admittitur jure repræsentationis, quod locũ habet in linea recta, *ut est tex. in §. cùm filius, Inst. de her. quę ab intest. defe.* Non obstat etiam, si dicatur, quòd dictus Simon prohibitus fuerit alienare bona, quæ ad eum devenerunt ex testamento præfati quondam Andreæ sui patris, & per consequens nõ potest habere locum consuetudo, loquens de communicatione bonorum per contractum matri-
5 monij: quia tacitũ † non potest plus operari quã expressum *l. cum quid, cùm ibi not, ff. si cert. pet.* quia dico, quod dicto Simoni prohibita fuit omnis alienatio voluntaria, præter alienationem, quæ fit per contractum matrimonij, quod patet, quia dictus Andreas voluit bona sua pervenire ad dictum Simonem, & ejus fratrem, & ad eorum filios, & in defectum filiorum, ad ecclesiam: ergo cogitavit de matrimonio,
6 ex quo proveniunt filij. Cùm † ergo dicta prohibitio alienationis fuit limitata, limitatum debet producere effectum. *l. in agrũ. ff. de acq. rer. dom.* & *§. quid autem, Inst. de legi. agna. tute. cum sim.* A residuo autem absolvendi sunt dicti rei, quia tẽpore transportus facti per domicellam Mariam nunc religiosam, in quondam domicellam Elizabeth suam sororem, adhuc
7 vixit dictus Simon ejus pater, & sic † nõdum competijt ei jus in bonis ipsius Simonis viventis, quare hujusmodi trãsportus renunciatio, sive repudiatio, nõ valuit, *l. qui superstitũ, cum ibi nota. ff. de acquir. hæred.* Neque reperio in actis, quòd post mortem dicti Simonis, licet benè in bonis dictæ quondam Heylwigis, & per consequens dictus actor in bonis præfati Simonis non potest habere ultra quartam, cum quo ad bona dicti Simonis omnes proles ipsius & prolium proles, parentes suos repræsentantes, debeant esse pares, *d. §. cùm filius,* & *l. maximum vicium, C. de liber. pręteri. cum sim.* Et quia hæc quæstio, meo exiguo judicio, nullam habet difficultatem, idcirco nõ curo amplius instare circa eam, ne videar facibus solem adju-

adjuvare velle, quod supervacuum esse, nemo ambigit, *c. si omnia, 6. q. 1. & l. 1. in fine. ff. de dote præleg.*

CONSILIUM CCVII.

SUMMARIA.

1 *Expensarum taxatio præsupponit sententiam, sicut privatio habitum.*
2 *Iudex fatuus est, qui super non petitis pronunciat.* & *num. 14.*
3 *Ea quæ concomitantur sententiam, expediri debent eodem die, quo expeditur principale.*
4 *Actis publicis per scribam juratum scriptis, major adhibetur fides, quàm ipsis judicibus, contrarium testificari volentibus.*
5 *Ex separatis non fit illatio.*
6 *Aliud est petere, aliud petere velle.*
7 *Expensæ propter justam litigandi causam compensari solent.*
8 *Non esse* & *non apparere ex actis, paria sunt.*
9 *Consuetudinem alleganti incumbit probatio.*
10 *Consuetudo nisi sit rationabilis* & *præscripta non valet.*
11 *Victus victori in expensis condemnatur, nisi justa litigādi causa subsit.*
12 *Ius sive statutum generale alicui damnum indebitè inferens, restringi debet.*
13 *Tacitum plus operari non potest, quàm expressum.*
15 *Ea quæ facti sunt, vel in facto consistunt, non præsumuntur.*
16 *Condemnatio expensarum solùm intelligitur de ijs, quæ tempore latæ sententiæ factæ erant.*
17 *Modicitas temporis præjudicium quoque modicum præsumi facit.*
18 *Frustratorium est, benè demonstratum amplius demonstrare velle.*

VIsis petitione, responsione, replica, duplica, & triplica, alijsque actis & actitatis coram magnificis & spectabilibus dominis Burgimagistris & scabinis insignis oppidi Antwerpiensis, inter Nicolaum Henrici appellantem, & Ioannem Dymack intimatum, nec non decanum & juratos seu oudermans ministerij pannorum oppidi, appellatos ex tertia, videtur mihi subscripto de jure dicendū, quod dicti decanus & jurati seu oudermans malè, perperàm, ac nulliter processerunt ad taxationem expensarum, damnorum, & interesse in favorem dicti Ioannis Dymack, & quòd propterea eorum sententia damnorum & interesse taxativa 4. Aprilis, an. Domini M.D.VIII. more Gallicano lata, debet retractari, & & quòd dictus Nicolaus Henrici ab impetitione præfati Iohannis Dymack omni jure debet absolvi; & moveor juribus, rationibus, & autoritatibus infrà scriptis. Primò, quia ex actis coram dictis Decano, & juratis, seu oudermans habitis, constat, quòd dictus Iohannes Dymack ab impetitione dicti Nicolai Henrici, facta coram ipsis 5. Februarij, anno Domini 1507. die 13. ejusdem mēsis Februarij, absolutus fuit, præter id & absque eo, quòd in eadem sententia facta est aliqua mentio expensarum, damnorum, & interesse: modò sic est, quòd ta-
1 xatio † expensarum præsupponit sententiam, sicut privatio habitum, *l. decem, ff. de verb. oblig. §. servus. Instit. de cap. dimin.* & *ibi Ang.* & *Dd.* nec potest esse in privatione, quod nunquam fuit in habitu. *l. Titio usufructus, in prin. ff. de cond. & demonst.* sequitur ergo, quòd per dictos Decanum, & juratos seu oudermans, non potuit fieri aliqua taxatio, quia non entis nullæ sunt qualitates. *l. ejus qui in provincia. ff. si certum pet.* Secundò mo-
2 veor, quia ex actis † coram dictis Decano, & juratis, seu oudermans habitis,

non comperitur, quòd expensæ, damna & interesse fuerunt petita: ergo dicti Decanus & jurati non tenebantur de illis in sententia facere mentionem, *ut notat gl. ordin. Panor.* & *Dd. in cap. fin. de rescript.* & *Spec. in tit. de offic judic. in §. impedit, post prin.* Iudex enim non tenetur impartiri officium suum, non requisitus ad utilitatem privatam, *ut est tex in l 4. §. hoc autem judicium,* & *ibi Bart.* & *Dd. ff. de damno inf.* Imò fatuus est judex, qui pronunciat super non petitis, *ut est tex. in l. fin. C. de fideicom. liber.* & sententia debet esse conformis petitioni, nec in aliquo excedere. *l. ut fundus, ff. comm. divid.* & *cap. licet Heli, de simon.* nec etiam dicti Decanus & jurati fecerũt aliquam condemnationem expensarum, damnorum, & interesse, ut suprà dixi: sequitur ergo, quod ad taxationem per eos procedi nõ potuit. Tertiò moveor ex alio, quia d. Decanus & jurati, etiamsi voluissent procedere ad condemnationem expensarum, damnorum & interesse, post expirationem 13. diei Februarij, in qua per eos lata fuit sententia absolutoria, non potuissent, ex quo functi fuerunt eorum officio, sed hoc solùm facere potuissent illo eodem die quo tulerunt sententiam absolutoriam, quia
3 † ea quæ concomitantur sententiam, debent expediri eodem die quo expeditur principale, *ut est tex. in l. Paulus, ff. de re judic.* & *in c. cum appellationib. frivolis,* & *ibi notatur per gl. de appell. lib. 6.* & *notatur in l. quia arbiter, ff. de arb.* Si ergo post expirationem dictæ diei non potuerunt facere condemnationem expensarum, damnorum & interesse, & prius nulla facta fuit; Sequitur ergo, quòd postea taxationem facere non potuerunt.
4 Nec præmissis obstat, certificatio † dictorum Decani, & juratorum, seu oudermans, in actis exhibita, qua caveri videtur, quòd dictus Iohannes Dymack fuit ab impetitione præfati Nicolai absolutus, **costeloos ende schadeloos** / & per consequens, dictus Nicolaus Henrici fuit, condemnatus in expensis, damnis, & interesse: quia dico, quòd dictæ certificationi non est standum, contra acta publica conscripta per eorum scribam, *ut est tex. in cap quoniam contra falsam,* & *ibi Panorm in 20. col. notat. de probat.* ipsorum enim judicium est judicare, non de gestis coram se testificari, nec ipsis creditur in præjudicium tertij, maximè, quando ex facto vel non facto laus vel vituperium eis asscriberetur, ut in proposito; quia sic essent judices & testes in causa propria, quod esse non potest, *cap. forus, de verb. signif.* & *c. 1.4 q. 4.*

Nec aliquid facit, quòd dictus Ioannes Dymack tempore arresti protestatus fuit de expensis, damnis & interesse,
5 † quia non sequitur, protestatus fuit, ergo formaliter petivit expensas, damna & interesse; cùm ex separatis non fiat illatio, *l. neque natales, C. de probati.* & *l. non*
6 *hoc, C. unde cogn.* aliud † enim est protestari de agendo, & aliud est agere, sicut aliud est petere, & aliud petere velle. *l. amplius non peti. ff. rem rat. hab.* Item iterũ non sequitur, expensæ, damna & interesse fuerunt petita, ergo in illis debuit fieri condemnatio, quia negatur assumptum, & illo supposito pro vero, non valet con-
7 sequentia, quia † propter justam causam litigandi potuit fieri compensatio, prout quotidiè fit, *ut habetur* & *notatur in c. finem litibus, de dolo* & *contum.* & *in c. calumniam, de pœnis, cum sim.*

Non obstat etiam prætensa consuetudo, allegata per dictum Ioannem Dymack, vigore cujus victus victori censetur tacitè in expensis, damnis, & interesse condemnatus, quando de hoc non fit mẽtio in sententia, quia de dicta consuetudine non constat, nec ut informor constare
8 poterit; modò † paria sunt non esse, & esse & non apparere, *l. in lege, ff. de contrah.*

trab.empt. & *l.duo sunt Titij.ff.de testa-*
9 *tute.* & cùm consuetudo † sit facti, & in
facto consistat, debet probari per alle-
gantem, *c.* 1. *de const. lib.* 6.
Præterea dato, quòd de hujusmodi
prætensa consuetudine constare posset,
prout non, tamen de validitate illius mul-
10 tum esset dubitandum, ex quo † consue-
tudo debet esse rationabilis & legitimè
præscripta, *ut est tex. in cap. fina. de con-
suet. & habetur in l. de quibus, cum plurib.
ll. sequent. ff. de legib.* & *in l.* 1. & 2. *C.
quę sit longa consuet.* Sed neutrum isto-
rum videtur hic concurrere, non primũ,
quia subsistente legitima causa litigandi
ex parte actoris, ut in proposito, iniquum
& irrationabile esset, victum victori ta-
citè censeri in expensis condemnatum;
imò potius præsumi debet, quod expen-
sæ sunt compensatæ: dicta † enim vul-
11 gata regula, *victus victori in expensis de-
bet condemnari*, recipit limitationem &
restrictionem, nisi subsit justa causa liti-
gandi, *ut notatur in d. cap. finem litibus*,
& *in præalleg. cap. calumniam.* Si ergo †
12 unum jus declaratur per aliud. *l. non est
novum*, & *l. sed* & *posteriores. ff. de leg.*
ergo etiam cõsuetudo & statuta loquẽtia
per verba generalia, recipient restrictionẽ,
vel interpretationem restrictivam à jure
communi, maximè, quando quis indebitè
damnum pateretur, nisi fieret restrictio,
ut in casu præsenti, *tex. est notabilis in l.
2. C. de noxa. act. & in cap. cùm dilectus,
de consuet.* & *in cap. cùm dilectus*, & *in
cap. ad audientiam, de cleric. non resid.*
Et ergo nimirum, si in casu pręsenti dicta
prætensa consuetudo recipiat hanc eandẽ
restrictionem, videlicet, nisi litigans ha-
13 beat justam causam litigandi: quia si † id
de quo minus videtur inesse, inest, & id,
de quo magis *in Auth. multò magis. C. de
sacrosan. eccles.* & *cap. cùm in cunctis, in
princ. de electio. cum sim.* lex enim & sta-
tutum veniunt ex consensu expresso;
consuetudo autem ex tacito, *d. l. de quibus
in fine*: tacitum autem regulariter non
potest plus operari, quàm expressum, imò
econtrà, *ut notatur in regula scienti, de re-
gul. jur. lib.* 6. *in mercur.* & *in l. cùm quid.
ff. si cer. petat.* Non etiam constat de se-
cundo ex actis, nec etiam constare pote-
rit, ut informor, quod tamen est substan-
tiale, ut prædixi. Præterea dato, quòd de
14 † hujusmodi prætensa consuetudine con-
stare posset, prout non, tamen deberet ad-
huc recipere aliam restrictionem videli-
cet, si fuerint petitæ, per ea quæ suprà di-
xi, aliàs præsumeretur fatuitas judicis, &
quòd ipse voluerit officium suum impar-
tiri non requisitus, ad utilitatem privatã;
15 quæ omnia † cùm sint facti & in facto
cõsistant, non præsumuntur, *l. quęcunque.
§. fina. ff. de publicia.* Præterea dato sine
præjudicio, quòd de hujusmodi prætensa
consuetudine constaret, tamen ne sequa-
tur absurdum, deberet recipere aliam re-
strictionem, videlicet, quòd tunc tacitè
veniat condemnatio expensarum, & cæ-
tera, quando ex actis constat, illam debere
venire, hoc est, quando constat ex actis,
eum debuisse in illis condemnari, & tunc
16 † adhuc solùm intelligeretur condemna-
tus in illis, quæ tempore latæ sententiæ,
puta 13. Februarij fuerunt factæ, quæ e-
rant valdè modicæ, puta, paucorum dierũ,
non autem venirent illæ quæ postea fa-
ctæ sunt, quorum condemnatio pendet in
futurum, *arg. l.* 2. *ff. de usu.* Præterea in
omnem eventum, constat dictos Decanũ
& juratos seu oudermans malè & exces-
sivè taxasse, quod patet primò ex modi-
citate temporis inter datam arresti, quæ
fuit 5. Februarii, & datam sententiæ ab-
solutoriæ, quæ fuit 13. ejusdem mensis,
17 quæ † modicitas temporis facit præsumi
modicum præjudicium *l. si debitori. ff. de
judic.* Item patet secundò ex qualitate
personæ dicti Ioannis Dymack, qui cùm
in literis moratorijs à principe impetra-

tis se pauperem exposuerit, non præsumitur habuisse tot & tanta bona in mari, & per consequens non est verisimile, ipsum in tam modico tempore, tam enormiter damnificatum, *pro hoc l. plenum. §. equitij. ff. de usu & habit.* & *cap. solitæ, de majo. & obed.* Nec obstat, si dicatur, quòd post hujusmodi arrestum dictus Iohannes Dymack non fuit profectus ad Angliam. Quia respondetur, quòd non est satis, cõstare eum non fuisse profectum ad Angliam, sed deberet constare, quòd nisi hujusmodi arrestum factum fuisset, profectus fuisset ad Angliam, & quòd in illis octo diebus medijs inter arrestum & sententiam absolutoriam profectus fuisset, & quòd quia infra illos octo dies profectus non fuit, tantùm damnum sustinuit: *ita notabiliter dicunt Inno. Panor. & Dd. in cap. ex transmissa, de præscrip.* & *est pulcher tex. in l. qui commeatus, in princ.* & *ibi Bart. ff. de milita.* cùm ergo præmissa specificè articulata nõ fuerint, neque probata: Dato etiam, quòd condemnatio expensarum, damnorum, & interesse præcessisset, & taxatio fieri potuisset, prout non, per suprà dicta, patet luce clarius, sententiam dictorum decani & oudermãs fuisse nullam, iniquam, & injustam, & benè ab ea fuisse appellatum, & eorum sententiam debere retractari, quod quia longè lateque deductum est in scripturis dicti Nicolai Henrici appellantis, amplius circa hoc non insisto, quia frustratorium
18 est, † benè demonstratum, amplius demonstrare velle, *l. 1. in fine. ff. de dote prælega.* supervacuisque laborat impendijs, qui solem facibus certat adjuvare, *cap. si omnia, 6. q. 1.* Concludendo ergo, persisto in conclusione suprà capta.

CONSILIUM CCVIII.

SUMMARIA.

1 *Donationes per parentes prolibus factæ an & quando revocari possint? & num. 20.*
2 *Traditio in donatione inter vivos, an requiratur?*
3 *Rem propriam alienare vel donare quilibet potest.*
4 *Fraudem allegans eam probare tenetur.*
5 *Fraudulenta alienatio revocari potest per eum, in cujus fraudem alienatio facta est.*
6 *Fraus & dolus donantis unde deprehendatur, habet num. 7. & seqq.*
12 *Ignorantia probabilis in facto proprio non cadit.*
13 *Donationem fraudulentam futurus etiam creditor revocare potest.*
14 *Actor in turpitudine sui authoris se fundans, repellendus est.*
15 *Libertas in fraudem futurorum creditorum data, per ipsos creditores fraudatos revocatur.*
16 *Creditor posterior habens instrumentum publicum, priori scripturam debitoris privatam habenti præfertur.*
17 *Scriptura debitoris privata contra ipsum probat, non autem contra tertium.*
18 *Malitijs hominũ non est indulgẽdum.*
19 *Emancipatio fraudulenta pro non facta habetur.*
21 *Donatio causa mortis existimatur, quando donator sibi revocationem illius reservavit.*

CAsus talis est: Quidam A. habens tres proles, donavit eis unà cum alijs prolibus, nascituris ex futuro conjugio per eum contrahendo, trecentas libras grossorum, reservando tamen sibi potestatem revocandi dictam donationem, quando eidem placeret, & statim post hoc contraxit matrimonium, & prolem unam ex secunda uxore suscitavit & mortuus est.

est. Vertitur jam quæstio de istis trecentis libris inter dictas proles, ex una, & secundam conjugem, ex alia, dictis prolibus sustinentibus, hanc summam eis deberi, vigore donationis per patrem eis factæ: muliere sustinente contrarium, videlicet donationem ea inscia & ignorante factam, tanquam in fraudem factam, non debere sortiri effectum: Quæritur quid juris?

Et videtur primò pro prolibus, quia donationes, † per parentes factæ prolibus, non revocantur, si ad secundas nuptias convolaverint, nisi una trium causarum numeratarum *in Auth. quod mater, juncta glossa*, & *in l. generaliter. C. de revoc. dona.* concurrat vel interveniat. Sed nulla dictarum causarum hîc intervenit; ergo donatio erit valida: nec potest dictis prolibus obesse, quòd traditio secuta non est; quia in donatione † inter vivos, quæ fit ex mera liberalitate, qualis videtur ista esse, per instrumentum desuper confectum, non requiritur traditio, nec dicitur inutilis ob hoc, quod res traditæ non sunt, *l. si quis argentum. §. fin autem, C. de dona.*

Secundò istud deducitur alio medio sic; nam in † re propria quilibet habet liberam voluntatem donandi vel alienandi, *l. dudum, C. de cont. empt.* & *ven.* & *l. in re mandata, C. mand. cum sim.* ergo iste A. potuit licitè prolibus suis donare, nullius requisito consensu, præsertim cùm hîc subsit honesta causa, quare valida debet esse donatio, tanquam facta erga benè merentes amicos vel necessarios, *l. affectionis, ff. de don.* Nec obstat fortè, si dicta † relicta dicat donationem esse factam in fraudem; nam hoc per proles negatur, & ergo ei incumbit onus probandi: qui enim fraudem allegat, eam probare debet, *l. patronis*, & *c. quotiens. §. quoniam dolo. ff. de probatio.*

Istis tamen non obstantibus contrarium est de jure dicendum, pro cujus deductione oportet præsupponere, quod alienatio † facta in fraudem alicujus, venit revocanda per illum, in cujus fraudem facta est, *per tex. in §. item si quis in fraudē. Instit. de actio.* & *ff. quæ in fraud. credit. per totum.* Et quia fraus sive † dolus non potest liquidè probari, sed duntaxat per indicia, conjecturas & præsumptiones. *l. dolum. C. de dolo.* & *est textus, juncta gl. in c. 2. de renun lib. 6.* Est igitur videndum, ex quibus in casu præsenti præsumatur dolus. Et quidem in præsenti casu dolus præsumitur ex multis. Primò ex eo, quia † dictus A. ut in facto præsupponitur, majorem partem donavit, videlicet summam trecentarum librarum grossorum, ergo præsumitur id in fraudem fecisse, *per tex. juncta gl. in l. novum, in verbo, prope omnis substantia. ff. de legat. 3.* & *per ea quæ habentur* & *notantur in l. omnes, §. Lucius. ff. de his, quæ in fraud. cred.* negari autem non potest, quin per hujusmodi donationē patrimonium suum intricavit, quare præsumitur fraus. *l. summa cum ratione, in princ. ff. de pecul.* Secundò, præsumitur † hic dolus ex eo, quia donavit conjunctæ & domesticæ personæ, videlicet proprijs filijs, *per text. in l. datæ, C. de donat.* & *l. pen. post princ. ff. de bon. libert.* Tertiò, præsumitur hic dolus ex alio, quia † ista donatio facta est clàm: quod prohibetur inter personas familiares & conjunctas, *d. l. data*: est enim semper præsumptio contra actum clandestinum, *l. fin. ff. de ritu nup.* & *c. unico, ut eccle. bon. cum sim.* Quartò, ex alio præsumitur fraus, quia iste † donans, post donationem repertus est possidere ea, quæ donavit: quare præsumitur, quòd hujusmodi donatio fraudulenter facta est, vel ad minus, quòd non sit vera donatio, sed solū imaginaria vel simulata, *per tex. in l. sicut, §. supervacuum, ff. quib. mod. pig. vel hypo. sol.* & *in l. qui sub imagine. C. de distract.*

distract. pig. & per consequens erit habēda pro non facta, *l. nuda. ff. de contrah.*
11 *empt. cum si.* Quintò, præsumitur † fraus in casu isto ex alio; quia statim post donationem factam dictus A. convolavit ad secunda vota; quare propter propinquitatē actus, qui subsecutus est, cui actui hæc donatio plurimum fuit præjudicialis, præsumitur dolo esse facta, *arg. l. si ventri. §. fi. juncta gl.* & *ibi Bart. Ang.* & *Dd. ff. de privil. credit.* nam ex actu, qui in continēti sequitur, sumitur efficax præsumptio fraudis, *l. 3 ff. de pign. act.* Maximè hic, cùm in contractu nuptiarum suarum ipse tacuit, nihil exprimendo de hac summa, quàm filijs suis paulò ante donaverat: nec posset dictus A. se excusare per ignorantiam, quia in† facto proprio nō cadit probabilis ignorantia. *l. quanquam. ff. ad Vellejan.* & *c. ab excommunicato, de rescript.* Liquet ergo, quomodo in casu nostro dolus pluribus modis præsumitur, quos etiam firmat *Bar. in l. post contractum. ff. de don. ibi sequuntur eum quasi omnes*, & *DD. in d. l. omnes. §. Lucius*, & *in l. si quis posthac. C. de bonis proscrip* & *in præalleg. § item si quis in fraudem.* Non obstat, si
13 quis diceret, quòd tempore † donationis hæc mulier non fuit uxor istius donatoris, nec aliquod jus in ejus bonis habuit, quare ejus consensus requiri non debuit. Nam respondetur, fatendo quòd tunc poterat donare & vendere ad libitum, sed ex quo donavit clàm & conjunctæ personæ, & in continenti ex post contraxit cum dicta rea, concurrentibus alijs, de quibus suprà, jura præsumunt, eum dolosè hoc fecisse, & quòd dolus dedit causam contractui: meritò ergo, ne ejus dolus sive fraus ei patrocinetur, contractus non sortitur effectum; quinimò & si summa præfata fuisset tradita, competeret huic mulieri revocatoria, ad revocandum donationem factam, instar futuri creditoris, cui etiam, sicut & præsenti, competit revocatoria, *ut in terminis nostris tenet Ioa. Fabr.* & *sequuntur Ang. Iaf. de Mayno*, & *Dd. in d. §. item si quis in fraudem*, & *Bal. in Rubric. C. de revocan. his, quæ in fraud. credito.* & *est bona gl. in Auth. sed jam necessè. C. de dona. antenup.* & *ibi eam sequuntur Cyn. Bart. Bal. Ang. Sal.* & *Dd.* maximè quando in continenti post donationem secutus est contractus, ut in casu præsenti.

Præterea deducitur istud ex alio; nam
14 † istæ proles agendo, fundant se principaliter super ista donatione. Sed clarum est, dictam donationem sine dolo non processisse, ut suprà probavi, ergo fundant se in turpitudine sui autoris, à quo causam habent, quare repellendi sunt, *per tex. ad hoc notab. in l. cum profitearis. C. de revocan. donat.* maximè cùm sint actores, *per ea quæ notantur in c. lator, de sent.* & *re jud.* & *per Bar. in l. jusjurandum quod ex conventione. §. procur. ff. de jurejur.* & *per Panorm. in c. cùm super, de conces. præben.* & est ratio, quia nemo ex improbitate sua consequi debet actionem. *l. itaque fullo. ff. de furt. cum sim.* Præterea videmus,
15 quòd libertates † in fraudem creditorum futurorum datæ, revocantur per ipsos creditores fraudatos, *ut est tex. in l. in fraudē creditorum testamento, juncta gl. qui* & *à quibus* & *in l. sed si maritus, in fi. eo. tit.* si ergo hoc reperitur in libertatibus, quæ sunt multum favorabiles, fortius erit in alijs contractibus, non tantum favorem
16 habentibus. Præterea videmus, quod † creditor posterior præfertur priori, quando de posteriori credito constat per instrumentum publicum, & de priori non constat, nisi per scripturam privatam debitoris, *ut est tex. notabilis, in l. scripturas, C. qui pot. in pig. hab.* quod ideo contingit, quia aliàs esset in potestate debitoris fraudare creditorem suum, habentem instrumentum publicum, dando amico suo, vel alteri, de quo cōfideret, schedulā suam

priva-

privatam de antidata: lex ergo volens
17 hujusmodi fraudibus obviare, statuit, † quòd schedula privata debitoris non faciat fidem in præjudicium tertij, licet benè faciat fidem in præjudicium ipsius debitoris: sic etiam in proposito, quando per aliquem reperitur facta donatio in conjunctam personã clàm & occultè, & statim expost contrahitur cum alio, concurrentibus alijs, de quibus suprà, si hujusmodi donatio sortiretur effectum, & non præsumeretur fraudulenta, esset in potestate cujuslibet fraudare futuros creditores clàm & secretè, paulò ante contractũ faciendo donationes in filios, vel alios de
18 quibus consideret, quod est † absurdum & inhumanum, & ergo vitandum, *c. solitę, de majo. & obe.* & *l. cum absurdum. ff. de be. liber. cum sim.* malitijs enim hominum non est indulgendum, *l. in fundo. ff. de rei vend.* & ergo lex in istis & similibus casibus præsumit in fraudem, & statuit, hujusmodi donationes & contractus fraudulentos non debere sortiri effectum,
19 *jurib. suprà alleg.* & *benè † facit tex. in l. fin. §. item rescripseruut patrũ ff. ad municipa.* ubi emancipatio filijs facta per patrem consulto & in fraudem, habetur pro non facta: deceptis enim & non decipientibus jura subveniunt, *l. si fine, in fi. C. ad Vellej.* & *l. si decipiendi. ff. ad Velle. cum sim.* Restat jam respondere ad motiva pro parte contraria adducta; & primò
20 ad primum respondetur, quòd † illa jura nihil aliud probant, quàm quòd donationes factæ à parentibus liberis, non revocantur per ipsos parentes, ad secunda vota transeuntes, nisi ex causis ingratitudinis ibi numeratis; sed illic non dicitur, quòd res per parentes donata filio, clàm & in fraudem futuri creditoris, non possit per futurum creditorem revocari, imò hoc fieri posse certum est, *per suprà latè deducta.* Et ad confirmationem, qua dicitur, hanc donationem fuisse donationem inter vivos & irrevocabilem, respondetur
21 per interemptionem negando, imò † censenda est donatio causa mortis, attento quòd donator sibi reservavit illius revocationem, *ut est tex. apertus in l. ubi ita donatur. ff. de don. caus. mor.* & *ibi Bart.* & *Dd.* ex quo sequitur, quòd nullo modo sortiri debet suum effectum, attento quòd tempore contracti matrimonij cum rea, adhuc fuit imperfecta, nec extremam confirmationem recepit, *ut est text. pulcher, cum gl. in l. si aliquis, ff. de dona. cau. mort.* & *probatur Instit. de dona. in princ.* & *in l. non omnis, in princ. ff. si cert. pet. cum sim.* Ad secundum dicitur, quod dicta jura procedunt, quando alienatio fit, non in fraudem vel præjudicium tertij: cujus contrarium accidit in præsenti casu, & per hoc etiam patet solutio ad confirmationem, in qua dicitur, quòd alleganti dolum incumbit onus probandi: nam hoc est utique verum, & censetur dolus probatus in hoc casu ex conjecturis & indicijs suprà allegat. *d. l. dolum.* Quare in singulis attentis, concludo, quòd donatio facta per patrem in filios, non debebit sortiri effectum, in magnum ipsius reæ insciæ & ignorantis fraudem & præjudicium concepta.

CONSILIUM CCIX.

SUMMARIA.

1 *Audiendi non sunt in judicijs ij, quorum non interest.*

2 *Eorum creditorum ratio prior est, quorum pecunia ad creditores privilegiarios pervenit.*

3 *Surrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum surrogatur.*

4 *Qui pignus tenet, actione revocatoria non tenetur, modò fraus ex ipsius parte cesset.*

5 *Creditoribus chirographarijs, creditores hy-*

res hypothecam habentes, maximè in bonis obligatis, præferuntur.
6 *Creditor possessionem pignoris habens, alijs præferri solet.*
7 *Scriptura privata, alia habens juris adminicula, etiam in tertij præjudicium facit fidem.*
8 *Fraudis suspicio, per alias fortiores conjecturas in contrarium facientes, eliditur.*
9 *Mercator non habens fidem de precio, alijs creditoribus in re vendita præfertur.*
10 *Venditor quando fidem de precio habuisse præsumatur? &c.*
11 *Intellectus notator. per Dd. in l. si cum dotem. §. fin. sol. matr.*

VIso processu pendente coram spectabilibus Dom. Burgimagistris & Scabinis oppidi Bergensis, per & inter Hieronymum de Cassina, nomine mensæ sive societatis D. Nicolai de Cassina actorum, ex una, & Adrianum van Loo, Ioan. Consijn, & eorum consortes, prætensos creditores Petri de Bogio fugitivi, reos ex altera, d. Hieronymo, nomine quo supra, contendente ad finem, quod arrestum per dictos reos seu ad eorum instantiam judicialiter factum, super sex petijs mercantiarum in actis latius specificatarum, tanquam nulliter & indebitè factum, utputa, super bonis ad d. Petrum de Bogio fugitivum, tempore arresti non spectantibus, tollatur; præfatis reis sustinentibus, hujusmodi arrestum bene factum, propter multa, de quibus infrà: videtur mihi sub correctione melius sentientium, quod dictum arrestum, ad præfatorum reorum instantiam factum, declarari debet nulliter & indebitè factum. Et moveor
1 primò, quia † dictorum reorum non interest hujusmodi arrestum fieri, quod patet; quia non constat apud acta, ipsos esse creditores d. Pet. de Pogio, etiam in uno obulo: licet enim in actis comperiatur exhibita quædam schedula declaratoria seu specificatoria summarũ, præfatis reis, ut prætenditur, debitarum: nullibi tamen in actis constat per literas, instrumenta, vel aliâs, de præfatorum reorum credito, ergo non sunt audiendi, *arg. l. 1. ff. de appell. recipien. vel non, cum sim.*
2 Secundò moveor; quia † ex actis constat, mensam sive societatem dicti Dom. Nicolai de Cassina fuisse obligatam Nicolao de Paulo Bonvisi, pro dicto Petro de Pogio, in summa 155. librarum, 8. solidorum, 11. denariorum, ex resta majoris summæ: constat etiam ex actis, dictam societatem fuisse obligatam Francisco de la Rocque, pro dicto Petro de Pogio, in summa ducẽtorum & quatuordecim nobilium, & adhuc in summa trecentarum librarum cuidam Bernardo Pharaoni. dicti autem Nicolaus de Paulo Bonvisi, Franciscus de la Rocque, & Bernardus Pharaoni fuerunt veri creditores præfati Petri de Pogio, diu ante ejus fugam, ut ex actis constat. cùm ergo dicta mensa sive societas, de sua pecunia præfatis creditoribus Petri de Pogio satisfecerit, vel in posterum satisfacere compellatur, certum est, quòd in locum præfatorum verorum creditorum præfati Petri de Pogio successit: *ut est casus in terminis in l. si ventri. §. fina. ff. de privil. credit.* & per consequens præferri debet dictis reis, quemadmodum præfati veri creditores ipsis
3 prælati fuissent: cùm † surrogatum sapiat naturam illius, in cujus locum surrogatur, *l. unica, C. de rei uxo act. cum sim.* Tertiò, moveor ex alio, quia ex actis constat, dictam societatem, diu ante præfati Petri fugam, & longo tempore ante prætensum arrestum, jure proprio possedisse præfatas sex petias mercantiarum, loco pignoris sibi traditas per præfatum Petrum de Pogio. modo clarum & indubitatũ est, quòd
4 † ille qui pignus tenet, actione revocatoria non

non tenetur, cessante fraude ex parte ipsius, de qua non constat in casu præsenti, *ut est textus in l. illud. ff. quę in fraud. credit.* Quartò moveor, quia † licet fortè posset constare, quòd dicti rei essent creditores præfati Petri de Pogio, tamen dũtaxat essent creditores chirographarij; nec allegatur, quòd habent hypothecam; ergo certum est, quòd dicta mensa sive societas domini Nicolai de Cassina habẽs hypothecam, debet eis præferri, maximè in sua hypotheca, *ut est casus in l. eos, C. qui potio. in pign habe.* & *bonus textus in l. procuratoris. §. si est quęsitũ,* & *ibi Paul. de Castro, ff. de tributo.* Præterea dato, quòd nullus eorum haberet hypothecam vel privilegium, tamen † adhuc deberet
6 præferri dicta societas sive mensa, ex quo est in possessione dictarum mercantiarũ, quæ sibi traditæ fuerunt sponte per dictum Petrum de Pogio, primo loco pignoris, & postea datæ in solutum, nullis alijs pro solutione sibi facienda instantibus, *ut est casus in l. pupillus, in vers. si verò justè,* & *in vers. quid ergo. ff. quę in fraudem credito.* & per consequens arrestum debet declarari malè factum.

Restat nunc respondere ad ea, quæ dicti rei pro justificatione arresti allegant. & primò non obstat illud, quod rei allegant de scriptura privata, scripta manu Francisci de la Testa, & subscripta per dictum Petrum de Pogio, quæ non facit fidem in præjudicium tertij, *jurib. vulga.* quia ad hoc respondetur, quòd licet †
7 scriptura privata non faciat fidem in præjudicium tertij, quando alia adminicula nõ concurrunt, tamen secus est, quando cum scriptura privata concurrunt alia adminicula; ut in casu præsenti, *tex. est in l. scripturas,* & *ibi not. per Dd. C. qui potio. in pignor. habean.* In casu autem præsenti, dicta scriptura privata juvatur testimonio plurium notabilium personarum, ut ex actis lucidè videri potest; quare non obstat. Et eodem modo respondetur ad illud, quod rei allegant de fraude, tum ex subitanea fuga dicti Petri, tum quia ipse duxit in uxorem sororem Nicolai de Catagni, gubernatoris dictæ societatis, quàm ex pluribus alijs conjecturis, in actis latius deductis. Nam ad hoc respondetur,
8 quòd † licet ex conjecturis in actis deductis prima fronte præsumatur fraus, tamen ex quo de vera subsistentia crediti dictorum actorum constat, ex multis in actis deductis, & suspicio fraudis per alias conjecturas æquè fortes vel fortiores elidatur, veritate manifestata, cedit opinio vel suspicio veritati, *cap. veritate, 8. distinctio.* quare non obstat. Sed præ-
9 missis fortiter obstat aliud, quo † dicunt, petias arrestatas in specie per ipsos fuisse venditas dicto Petro de Pogio; & sic quia adhuc extant, debent admitti ad vendicandum, & arrestandum, & in eis cæteris omnibus creditoribus dicti Petri præferri, *d. l. si ventri. §. in bonis.* Et confirmatur, quia non censetur habuisse fidem de precio, ex quo dictus Petrus in continenti post venditionem fugam cœpit. *argum. l. 3. ff. de pign. actio,* & *faciunt nota per Bald. Ang. Paul. de Cast. Ioan.* & *Alexan. de Imo. in l. si cum dotem. §. fina. ff. sol. matr.* in quibus locis præfati Doctores tenent, quòd quando mercator emit merces etiam ad credentiam, si infra paucos dies expost capiat fugam, & res venditæ extent, poterit venditor illas vendicare, & debet in eis cæteris creditoribus præferri. Cùm ergo in casu præsenti petiæ arrestatæ extent, & dictus Petrus statim post emptionem hujusmodi merciuur ac credentiam, fugam cœpisse dicitur, videtur quòd hujusmodi arrestum sit benè factum. Nam ad istud subtile & difficile contrarium respondeo, *prout respondet Paul. de Castro, in dicta l. procuratoris. §. si plures,* quòd contrarium procedit in mercatoribus, qui non consueverunt

vendere ad credentiam; sed in mercatoribus, qui consueverunt vendere ad credentiam, ut carius vendant, censetur habita fides de precio, & translatum dominium, secundum eum, & ita punctaliter accidit,
10 ut informor, in casu præsenti. Item † dicti rei dederunt dilationem, ut informor, ad solvendum: & permiserunt Petrum hujusmodi res secum portare,. nec aliquem secum miserunt cum hujusmodi rebus, quare præsumuntur habuisse fidem de precio, *secundum Salicet.* & *Dd.* & *l. in civile. C. de rei uendica.* & *Ang. in §. venditæ, Instit. de rerum divisio.* Præterea in casu præsenti non constat ex actis, dictos reos esse creditores præfati Petri de Pogio, vel res arrestatas, per eos eidem fuisse venditas. Item inter tempus quo hujusmodi res fuerunt actoribus traditæ per dictum Petrum loco pignoris, & tempus fugæ, fuit intervallum trium septimanarum. Et dato, quòd ipse Petrus easdem habuisset à præfatis reis, de quo tamen non constat; illud accidisset etiam aliquo tempore ante traditionem per eum præfatis actoribus factam, quare non potest dici tempore emptionis in animo suo concepisse fugam, cum longo tempore expost inter mercatores conversatus sit emendo, vendendo, solvendo, & recipiendo, ut in actis latè deducitur, & *sic † cessant nota. Dd. in d. l. si cùm dotem,* qui loquuntur, quando emptor in continenti post receptionem mercium fugam arripuit, & res extant, absque eo, quod in alium sint translatæ, cujus contrarium accidit in casu præsenti, & ita propriè loquitur dicta *l. procuratoris. §. si plures, in vers. sed si dedi*, quare non obstat. Concludendo ergo dico, hujusmodi arrestum per reos, seu ad instantiam reorum, malè fuisse & esse factum: judicio cujuslibet melius sententis semper salvo.

CONSILIUM CCX.

SVMMARIA.

1 *Monasterium ex persona sui religiosi in bonis feudalibus succedere possit? &c.*

2 *Clericus vel religiosus succedit in feudis, in quibus vasallus per substitutum servire potest.* & *nu.* 30. & 31.

3 *Beneficium sive feudum habere non debet, qui non potest gerere officium, impendere servitium.*

4 *Arma clericorum orationes* & *lacrymæ esse debent.*

5 *Multa impediunt fienda, quæ jam facta non tollunt.*

6 *Consuetudo feudorum maximè attendenda est in feudis.*

7 *Naturalis filius, etiam per rescriptum principis legitimatus, patri in feudo non succedit.*

8 *Comitis filius, effectus monachus, in comitatu alijsque magnis dignitatibus non succedit. Secus in alijs feudis minoribus, personale servitium non requirentib. ut num.* 32.

9 *Monialium etiã monasterium à principe seculari feudum tenere potest.*

10 *Ius patronatus in ecclesijs conceditur laicis, ut eò magis ad fundandum ecclesias invitentur.*

11 *Vasallus an substitutum servire possit?*

12 *Ingressus religionis an jura successionis amitti faciat?*

13 *Investituræ forma in decisione causarum feudalium ante omnia attendenda est.*

14 *Vocabulum,* Hæres, *in investitura positum operatur, ut quis per substitutum servitia domino prestare possit, nec industria personæ electa censeatur.*

15 *Feudum habens fœmineum per substitutum servire potest,* & *num.* 22

16. *Au-*

16 *Audiendus non est, cujus non interest.*
17 *De indignitate seu inhabilitate, nisi fiscus seu princeps, nemo opponere potest.*
18 *Ubi ad effectum facti solùm respectus habetur, non interest, à quo illud fiat.*
19 *Lex ab ingressu religionis retrahens, absurdum continere reputatur.*
20 *Dignitas episcopalis multum favorabilis est, &c.*
21 *Clericus vasallus, licet non armis, consilio tamen dominum feudi juvare potest.*
23 *Investiens aliquem de feudo aliàs inhabilem, eo ipso illum habilitare, & ut feudum retinere possit dispensare censetur.*
24 *Constitutio Philippi ducis Brabantiæ, qualiter feudum ad monasterium devolutum per proximiores defuncti laicos redimere liceat? &c.*
25 *Dictio,* alius, *quid importet? & nu. 27.*
26 *Successionis ab intestato titulus de jure debitus est.*
28 *Quæstio feudalis per jura feudalia non satis clarè decisa, secundum jus commune scriptũ determinanda est.*
29 *Clericus vel prælatus in feudis succedit, si modò per substitutum domino servire paratus sit.*
31 *Rubrica est bona interpres nigri.*
33 *Consuetudo loci in quo bona sita sunt, diligenter attendi debet.*
34 *Ad essentiam consuetudinis introducendæ quæ requirantur? &c.*
35 *Testium depositiones contra producentem interpretandæ sunt.*
36 *Consuetudo per laicos introducta clericos non ligat.*
37 *Consuetudo ecclesiis onerosa de jure reprobatur.*
38 *Bonorum adeo incapax esse nemo censetur, quin ea capere possit, ut vendat, & pecuniam in suos usus convertat.*
39 *Monachi qualiter pro mortuis habẽdi?*
40 *Pro religione in dubio judicãdum est.*
41 *Communis opinio, glossæ, & doctorum authoritate vallata, in judicando retinenda est.*

IN causa quæ vertitur super successione certorum bonorum feudalium, per & post decessum quondam Ioannis de Emmechoven relictorum, inter reverendum patrem dominum Abbatem S. Trudonis, nomine sui monasterij ex una, & proles domini de Heer, ex alia partibus: tota
1 difficultas consistere videtur in hoc, an † monasterium ex persona sui religiosi possit succedere in bonis feudalibus offerendo servitium per substitutum, quando feudum est tale, quod requirit servitium, quod per alium potest explicari. Et licet prima facie videatur dicendum, quod nõ: Primò per *tex. in c. unico. § ex hoc, in tit. de feudo fœminę, ubi est tex.* quod clericus
2 † vel religiosus, non potest succedere in bonis feudalibus, & quod fortius est, habens feudum, si efficiatur clericus vel religiosus, illud perdit. Secundò, *per tex. in c. qui clericus, in tit. si de feu. fuer. contro. ubi est tex,* quod hoc ipso quis feudum amittit, quod clericus efficitur, vel votum
3 religionis assumit. Tertiò, *per* † *tex. in c. unico, in tit. de mil. vasal. qui arma bell. depo,* ubi habetur, quòd effectus miles Dei amittit feudum, quod prius habuit: & subjungitur ratio, quia non debet habere beneficium seu feudum, qui non potest gerere officium, vel impendere servitium. Cùm ergo clericus non possit impendere servitium, domino debitum ratione feudi, utpote pugnare, & eundem cum armis defendere, ad quod tenetur vasallus, *c. 1. in tit. hìc finitur lex, deinde consuetudines*
4 *regni incip. cùm hoc* † *sit contrarium clericatui, c. clerici arma, de vita & honest. cleric. & cap reprehensibile, 23. quęst. 8.* ubi dicitur, quòd arma clericorum sunt

orationes & lacrymæ: Ergo non debet in feudo posse succedere: beneficium enim datur propter officium. *dict. cap. unico*, & *cap. fin. de rescript. libro 6.*

5 Præterea † si monachus factus non potest retinere beneficium seu feudum, quod prius habuit, *ut in juribus suprà allegat.* ergo multò minus debet posse succedere: quia multa impediunt fienda, quæ non tollunt jam facta. *l. patre furioso. ff. de his, qui sunt sui vel alien. jur.*

6 Præterea consuetudo † feudorum maximè est attendenda in feudis, *capit. prim. de feud. cogn.* sed illa inhabilitat monachum sive clericum, tanquam inutilem & inhabilem: ergo sive feudum sit tale, quod requirat servitium, per alium explicabile, sive requirat servitium personale, per alium non explicabile, non potest ipse succedere tanquam inutilis & inhabilis, sicut dicimus in fœmina, quæ posset servire per alium, & tamen non succedit in feudo, *cap. unico. §. filia verò, de*
7 *success. feudi*, & in † filio naturali, qui potest servire per se, & tamen non succedit patri in feudo, etiam si sit legitimatus per rescriptum principis: *ut est text. in cap. naturalis, in titu. si de feud. fuerit controvers. in usibus feudor.*

8 Præterea de' isto videtur † textus *juncta glos. in capit. scripsit, vigesima sexta quæstion. secunda*, ubi dicitur, quòd filius comitis factus monachus, non succedit in comitatu, nec monasterium pro eo: & *illam glos. ad hoc notat. Baldus in l. Deo nobis. Cod. de episcop.* & *cler.* & *Specul. in titul. de statu monach. §. 1. versic. 11. dicit ita servari de facto*: & *idem sentit Henric. Boick in cap. in præsentia, de probat.*

Istis tamen non obstantibus, credo contrarium esse verius in casu subjecto, videlicet, quod monasterium, ex persona sui religiosi, potest succedere in bonis feudalibus, quando feudum est tale, quod requirit servitium, quod potest per alium explicari: qnod deduco juribus, rationibus, & authoritatibus infrà scriptis.

Et primò pro hoc allego pulchrum textum *in capitul. unico, de stat. monacho. libro sexto*, ubi habetur, quòd
9 etiam † monasterium monialium potest tenere feudum à principe seculari.

Secundò pro hoc allego textum *in capitul. solite, de major.* & *obedien.* & *in capitul. verum*, & *in capitul. ex transmissa. de foro competent.* & *in capit. cæterùm de judic.* & *in capitul. nimis, de jurejurand.* & *in capitul. Romana. §. debet, de appellat. libro sexto*, & isto casu clericus respectu feudi subest domino feudi laico, *juribus præallega.* quod ideo permittitur, ut laici invitentur ad hujusmodi liberalitates faciendas: sicut econverso eccle-
10 siatolerat, quòd laici † habeant jus patronatus in ecclesijs, ut laici invitentur ad fundandum ecclesias. *cap. dilectus, cum ibi not. de offic. lega.* & *cap. cùm dilectus, cùm not. de jure patron.*

11 Tertiò, pro isto † allego *textum juncta gloss. in l. quisquis.* & *in l. ad solutionem. Cod. de episcop.* & *clerie.* & *in l. continuus. §. si ab eo. ff. de verbor. oblig.* ubi habetur, quòd filius advocati vasalli potest servire per substitutum.

Item pro hac parte facit optimè textus *in capitul. si minori*, & *in capitul. si quis decesserit, si de feud. fuer. controver.* & *in capitul. prim. §. firmiter, de prohibit. alien. feudi per Freder.* Ubi in materia feudorum licet servire per substitutum, dummodo substitutus sit acceptabilis domino, prout accidit in casu nostro, quia fuit investitus pro tali.

12 Præterea pro hac parte facit † *l. Deo nobis, suprà alleg.* & *Authent. presbyteros, Cod. de episcop.* & *cleric.* in quibus juribus habetur, quod clerici & monachi, post ingressum religionis retinent jura suitatis, & legitima jura successionis per ingressum religionis non amittunt, imò quòd fortius est, ingressus religionis, aufert omnem maculam ingratitudinis, ita & taliter, quòd ex eo capite filij exhæredari non possint à parentibus: ubi cessante ingressu religionis, exhæredari potuissent, *ut est text. notabilis cum sua glos. in cap. non liceat parentibus, 19. quæst. ultim.* Sequitur ergo, quòd monasterium succedit in feudo, nomine sui religiosi.

Præterea istud deduco rationibus & medijs infrà scriptis, & primò tali ratione. In † decisione causarum feudalium ante omnia attendenda est forma investituræ, *ut est textus in cap. 1. de duob. fratrib. à capita. investit. quem text. ibi Bald. multum extollit.*

14 Sed sic est, quòd forma † investituræ facit mentionem de hæredibus, ut patet intuenti eam. Ergo in concessione feudi non fuit electa industria personæ: & per consequens admittitur substitutus. *ita notabiliter dicunt Cynus Alberic.* & *Baldus in prææalleg. l. quisquis. Cod. de episcop.* & *cleric.* & ratio naturalis est in promptu, quia cujus industriæ esse debeant futuri hæredes nostri, non natura naturata, cùm sit de futuris, sed sola natura naturans præscire potest, *juxta notata per glossam in §. conditionales, Institut. de verbor. obligat.*

Præterea Dominus directus feudi, in casu præsenti insequendo formam investituræ, admisit substitutum monasterij; quia quendam secularem hominem, nomine monasterij investivit, qui juxta antiquam consuetudinem duplicia jura solvit, homagium præstitit & servitia requisita præstare obtulit, atque illo defuncto admisit & investivit denuò alium secularem, tanquam substitutum, qui similiter homagium nomine monasterij præstitit.

Patet ergo, hujusmodi feudum esse tale, in quo monasterium succedit, & in quo admittitur substitutus: nec mirum, cùm non sit electa industria personæ, ut suprà probavi.

Præterea feuda contentiosa sunt feuda fœminea, in quibus fœmina succedere potest, ut confitetur pars rea, quæ aliàs nullum jus in hujusmodi feudis prætendere possit, cùm prætendat jus ex successione fœminæ: sed feu-
15 dis † fœmineis poterit deserviri per substitutum, quia eo ipso, quòd feudum est fœmineum, videtur fœmina habilitata ad serviendum per substitutum, *secundum Specul. in titul. de feudis. §. quoniam, versic. vigesima prima,* & *ibidem Ioan. Andr. in addition.* Sequitur ergo, quòd hoc

hoc casu tale feudum indistinctè transit ad monasterium; & *hoc firmat expreßè Felinus in ca. in præsentia, de proba.* nec †
16 est audienda pars rea, prætendens substitutum hoc casu non debere admitti, quia ex quo dominus directus substitutum admisit, de cujus interesse agitur, monasterium habet liberas ædes contra partem adversam, cùm parti adversæ nō sint præstanda servitia, sed principi, seu domino directo. *l. loci corpus. §. competit. ff. si serv.*
17 *vend. pro hoc † facit gl. notabilis in l. his consequenter, in princ. ff. famil. hercisc.* quæ dicit, quòd nemo potest opponere de indignitate seu inhabilitate, nisi fiscus seu
18 princeps. Præterea ubi † solùm ad effectum facti respectus habetur, non interest à quo illud fiat, non enim interest quid de æquipollentibus fiat. *l. si mater. C. de inst. & substitu. sub condit. fact.* & *habetur pulchrè per Bart. in l. Gallus. §. & quid si tantum. ff. de liber. & posthu.* sed ita est in proposito; ergo, &c. quòd autem in casu præsenti habeatur respectus solùm ad effectum facti, probatur *in cap. 1. de forma fidelitatis*, & *in cap. 1. de novo forma fidelitatis, qui tex. volunt,* vasallum debere præstare servitium & auxilium secundum possibilitatem suam; ergo solùm consideratur effectus facti, *ut vult Bart. id d. l. continuus §. si ab eo.* Præterea de-
19 ducitur istud alio medio sic; omnis † lex sic est intelligenda & interpretanda, ne sequatur absurditas vel inhumanitas, ad quam evitandam lex recepit interpretationem extensivam, declarativam & restrictivam, *ut notatur in l. non dubium. C. de legi.* & *in l. 2. C. de noxa act.* & *est bonus textus in dicto cap. solite,* sed sic est, quòd nisi religiosus, vel monasterium capax bonorum, in communi ex persona ipsius religiosi posset succedere in bonis feudalibus, retraheretur quis ab ingressu religionis, quod lex reputat pro absurdo, & pro illius evitatione mirabiles facit interpretationes, *ut videri potest in §. sed & hoc de præsenti. in Authent. de sanct. episcop. coll. 9.* & *in Auth. nisi rogati, C. ad Trebell.* & *in d. cap. in præsentia, cum utrobique notatis:* sequitur ergo, quòd monasterium capax bonorum in communi succedat in feudo, & serviat per
20 substitutum. Præterea † clericatus sive religio est causa multorum favorum, *l. privilegia, cum ibi nota. C. de sacrosan. eccles.* & maximè episcopalis seu abbatialis dignitas, quæ est magis favorabilis, *Auth. sed episcopalis dignitas, C. de episc. & cler.* ergo non debet operari odium. *l. quod favore. C. de l.* & *l. sive hæreditaria. ff. de ne-*
21 *go. gest.* Præterea in † juramento fidelitatis venit, quod vasallus præstet consilium, *ut est tex. in d. c. 1.* de nova forma fidelitatis, quod in clerico & abbate abundat, & sic licet in armis non posset servire, supplebit consilio. Prӕterea in ducatu Brabantiæ fœmina potest succedere de consuetudine in feudo, prout pars rea in actis confitetur, prætendens jus ex successione
22 fœminæ, si ergo † fœmina admittatur de consuetudine, quæ à principio nascitur inhabilis, multò fortius admittetur religiosus, vel monasterium ex persona ipsius; quia ille à principio natus fuit habilis secundum naturam feudi, *c. 1. §. si clientu-*
23 *lus, de alie. feudi,* & eo † ipso quod dominus investit eum, seu ejus substitutum nomine monasterij, videtur eum habilitare & secum dispensare, ut feudum retinere possit, & illi deservire per substitutum, attenta qualitate personӕ, *pro hoc plenum. §. equitij. ff. de usu & habita.* & *facit d. c. solite,* quia qui cum alio contrahit, vel scit, vel scire debet ejus conditionem. *l. qui cum alio. ff. de reg. jur.* Præterea casus
24 præsens reperitur expressè decisus per † constitutionem domini Principis Ducis Philippi, dum vixit, ducis Brabantiæ, à quo feuda contentiosa in feudum tenentur; in qua constitutione inter alia cavetur,

vetur, quòd feuda quæ ad monasteria de-
volvuntur, apud eadem remanebunt, do-
nec fuerint per hæredes proximiores de-
functi redempta; quæ redemptio virtu-
te ejusdem constitutionis fieri poterit,
per consanguineos in seculo manentes,
solvendo pro quolibet denario valorem
eorundem bonorum, viginti denarios. non
est igitur amplius hæsitandum de hoc ca-
su, ex quo habemus legem expressam,
hunc casum decidentem, in curia domini, à
quo feudum contentiosum tenetur; quia
ubi reperitur casus legis, nulla est dubita-
tio. *l. ancillæ, cum gl. C. de fur.* Nec ob-
stat si dicat, quod dicta constitutio prin-
cipis loquitur de bonis feudalibus ad mo-
nasteria devolutis, ex titulo emptionis,
donationis, seu alio simili, propter di-
25 ctionem † *Alio*, quæ est inclusiva simi-
lium, & facit positionem ejusdem quali-
tatis, *ut est gl. in l. fugitivi. C. de serv. fugit.* & *notatur in cap. sedes, de rescript.*
& non loquitur expressè de titulo suc-
cessionis. Quia ad hoc respondeo, & dico,
quòd si monasterium, ex constitutione
principis prædicta, potest acquirere &
retinere bona feudalia, donec redimantur,
ex titulo emptionis aut donationis; mul-
tò magis potest hoc ex titulo successio-
nis, quia dicti tituli non sunt de jure debi-
26 ti; sed titulus successionis † ab intestato
est de jure debitus. *l. in suis. ff. de liber.* & *post hu.* & *in Auth. de hęred. ab intesta.* §. 1. & *Instit. de grad. cog. §. fi. cum sim.*
27 Et licet dictio *alius* † sit inclusiva simi-
lium, tamen hoc fallit ratione subjectæ
materiæ, *ut notant Dd. in d. c. sedes,* &
patet in Euangelio ibi, Et suspensi sunt cũ eo duo alij nequam. Item fallit, quando
dictioni *alius*, additur clausula generalis,
omnia comprehendens, ut in dicta consti-
tutione, ubi ponitur clausula generalis,
vel quovis alio modo: qui enim omne di-
cit, vel quodcunque, nihil excludit, *d. c solite, in fin. ad quod faciunt notata per Archidiac. Io. Monachi, Io. And. in novella,* &
Dd. in cap. susceptum, de rescrip. lib. 6. ubi plenè per eos de efficacia illius clausulæ, Quovis alio modo. Præterea dato sine præ-
judicio, quòd casus præsens non esset cla-
rè decisus per jura feudorum, vel per cõ-
stitutionem Ducis Philippi, prout sic, ut
28 suprà deduxi: tamen benè casum † omis-
sum judex determinare deberet, secun-
dum jura scripta & communia, *ut est tex. in d. cap. 1. de feud. cogn.* secundum quæ
jura communia religiosus vel monaste-
rium capax bonorum in communi suc-
cedit, sicut secularis, *d. l. Deo nobis,* & *prææ lleg. cap. in presentia, cum alijs vulgar.*
Præterea deduco istud authoritatibus
plurium famosissimorum Dd. & in pri-
29 mis † istud tenet glossa ordin. *in prealle- ga. cap. 1 §. ex hoc, de feudo fœm.* quæ a-
pertè dicit, quòd si clericus vel prælatus
sit paratus servire domino per substitu-
tum, succedit in feudum, à qua authorita-
te glos. non est in dubio recedendum in
judicando, *juxta theoricam Iacob. Bu- trig. in l. 1. C. qui pro sua jurisd.* Secundò,
istam opinionem tenet *Archidiac. in cap. si qua mulier, 19. q. ult.* Tertiò, hanc o-
pinionem tenent *Innoc. Host. Ioan. And. Ioan. de Lign. Ant. de But. Panor. Felin.* & *Dd. in d. c. præsentia.* Quartò, hanc o-
pinionem tenet *Ioan. Fab. in breviario, in d. Auth. ingressi,* dicens, quod eo ipso quod
fœminæ admittuntur ad feuda, de con-
suetudine debent feuda applicari Eccle-
siæ, saltem quod vendat, vel per alium
serviat. Quintò, hanc opinionem tenet
Salic in d. Auth. ingressi, qui ait, Docto-
res communiter ita tenere, istam opinio-
nem etiam tenent *dominus Martin.* &
Præpos. in tit. qui feudum dare poss. in §. & quia vidimus, ubi dicunt, quod ista est
cõmunis opinio, & sic non est ab ea in ju-
dicando per quemvis judicẽ recedendum,
juxta theoricã Io. And. in c. 1. de const. &
Bart. in l. fi. C. de pœna jud. qui malè jud.

Reſtat nunc reſpondere ad objecta in
contrarium, & primò non obſtant, tria
prima; quia reſpondetur, quod illa † jura
& ſimilia prohibentia clericum à feudo,
intelliguntur, quando clericus per ſubſti-
tutum non vult, vel non poteſt ſervire,
ita notabiliter ſolvit gloſſa ordin. in d. c. 1. de feudo fœmin. & *probatur hęc reſolutio in præalleg. c. unico, de milite vaſal. qui arma bellica depo.* qui dum loquitur de ſervitio
armorum bellicorum, & ſic de feudo mi-
litari, quod eſt perſonale, & perſonale
ſervitium vaſalli requirit, nec per ſubſti-
tutũ impleri poteſt, nec etiam per ipſum
clericum; quia eſt contrarium clericatui,
ut ſuprà dixi: ideo nimirum ſi clericus
tale feudum militare tenere non poteſt,
etiamſi velit dare ſubſtitutum, cùm hoc
non poſſit. Nos autẽ loquimur de his feu-
dis, in quibus poteſt feudatarius ſervire
per ſubſtitutum, prout communiter fit, *ut patet in d. c. §. firmiter, de prohib. feud. alien. per Fred* & *in præalleg. ca. ſi minori,* & *in d. cap. ſi deceſſerit,* ſi de feudo fuerit
31 controverſia, & hæc † ſolutio convenit
Rubricę, ſub qua eſt poſitum *d. c. amicum, de mil vaſal. qui arma bellica depon.* ergo
eſt ample&tenda, quia rubrica eſt bona in-
terpres nigri, *ut eſt gloſſa ordin. in cap. tibi qui, de reſcrip. lib. 6.* & *gloſſa in cap. ſi ſuper gratia, de offic. de leg. eodem lib.* & *bonagl. in cap. bonæ, de confir. utili vel inut.*
Nec obſtat etiam quartum, quia fateor,
quòd ſicut clericus non poteſt retinere
feudum militare, perſonale ſervitium re-
quirens: ita nec poteſt illud de novo ac-
quirere, vel in illo ſuccedere, aut mona-
ſterium ex perſona ipſius: ſed nos lo-
quimur de feudis, in quibus non requiri-
tur ſervitium perſonale, quæ poſſunt per
clericum retineri, & de novo acquiri, ut
ſuprà probavi, & ſic dicta regula, *multa impediunt fienda,* &c. non obſtat. Non
obſtat etiam quintum, quia reſponde-
tur per interpretationem, negando quòd
conſuetudo feudalis habeat clericum vel
eccleſiam pro inhabili ad feuda non mi-
litaria, de quibus non loquimur, quod
probatur *in c. 1. §. fina. de capit. Conradi,* & *in cap. uerum, & in cap. ex tranſmiſſa, de fo. compet.* & *in cap. ſolitè de major.* & *obedien. præalleg.* Nec obſtant ſimilia de
muliere & filio naturali, quia illi ex-
preſsè inhabilitantur per conſuetudinem
feudalem, non ſic clericus, *ut patet in jurib. ſuprà allegat.* Non obſtat etiam
32 ſextum, quia fateor, quod † religioſus
vel monaſterium ex perſona ipſius non
ſuccedit in magnis dignitatibus, ut ſunt
Ducatus, Comitatus, Marchionatus,
& ſimiles; & ita procedit contrarium.
Nos autem loquimur de alijs feudis mi-
noribus, perſonale ſervitium non requi-
rentibus, in quibus benè ſuccedit mona-
ſterium, *ut ſuprà probavi,* & *volunt Ioan. And.* & *alij in d. cap. in præſentia,* & *Bald. in præalleg. Authen. niſi rogati,* & *idem Bald. in c. quæ in eccleſiarum. de conſtit.* & *Prępoſ. in d. §.* & *quia vidimus:*
Nec obſtat, ſi fortè dicatur, quòd con-
ſuetudo patriæ Brabantiæ habet, quòd
religioſi non ſuccedant in feudo, quia hu-
juſmodi conſuetudo, dato quod teſtes eſ-
ſent legitimè producti, non creditur legi-
timè probata, cùm teſtes, ut creditur, ſo-
lùm deponant de conſuetudine Bruxel-
lenſi & Thenenſi, in quibus locis bona
33 contentioſa non ſunt ſituata; quia † ergo
non deponunt de conſuetudine loci ſi-
tuationis bonorum, ſequitur, quòd fidem
non faciunt, cùm conſuetudo hujuſmodi
loci debeat attendi. *cap. Raynutius de teſtamen.* & *l. an in totum. C. de ædif. priv.*
34 etiam † hujuſmodi teſtes, ut credo, non
deponunt ea, qua ad eſſentiam conſuetu-
dinis introducendæ de jure requiruntur,
juxta notata per Bart. in repet. l. de quibus. ff. de leg. & *Salic. in l. 1. C. quæ ſit lõga conſuet.* & *pulchrè per Alex. de Imola, in conſil. ſuo 136. in 2. volum.* ubi ponit,
quæ

quæ necessariò requiruntur ad probandam consuetudinem. Etiam † hujusmodi
35 testes non deponunt de consuetudine, introducta post constitutionem bonæ memoriæ ducis Philippi, per quam sublata fuit omnis consuetudo contraria præcedens; sic ergo ex quo eorum depositiones, ut credo, non specificant tempus consuetudinis, & sic eorum depositiones possunt intelligi de consuetudine, præcedente dictam constitutionem, & de sequente. ergo depositiones hujusmodi testium, sunt interpretandæ contra producentem, *per eã quæ habentur* & *notant. in d. c. in præsentia*, & per consequens, quòd ipsi testes deponant de consuetudine, dictam constitutionem præcedente, & sic de consuetudine, per dictam constitutionem sublata; quare eorum depositiones non obstant dicto monasterio. Præterea hu-
36 jusmodi † prætensa consuetudo, etiam si probata foret, cùm sit laicorum, non ligat clericos, *secundum Cyn.* & *Bar. in l. 2. C. quæ sit longa consuet.* quod est verum *secundum Panor. in c. quòd clericis de for. competen.* etiam quantumcunque in distinctè loquatur consuetudo, & *faciunt eleganter notat. per Ioan. And. in c. fi. de immunit eccles. lib. 6. in novella*, præterea hujusmodi † prætensa consuetudo, et-
37 iam si foret probata, prout non, esset ecclesijs gravosa, quia tolleret ecclesijs & monasterijs, id quod sibi de jure communi competit, utputà, succedere in feudis, ad quæ admittuntur fœminæ, & quæ non requirunt servitium personale; ergo hujusmodi prætensa consuetudo est de jure reprobata, *cap. 1. & ibi Anton. de Butrio, Bald. & Dd. de consuet.* valde enim absurdum esset, quòd ingressi religionem ad serviendum Deo, sine intermissione orãtes pro peccatis hominum apud Deum, à quo bona omnia procedunt, & in feudum tenentur, *cap. tua nobis, de dec.* deberent propter hoc privari successione feudi parentum seu fratrum, & illud applicari manẽtibus in sęculo. propter quam absurditatem vitandam, Papa & Imperator per suas sanctas constitutiones irritant & reprobant statuta & consuetudines laicorum, contra libertatem, utilitatẽ, aut in gravamen ecclesiarum introducta, & mandant sub gravissimis pœnis illa deleri, adijcientes gravissimas pœnas contra introducentes talia statuta aut consuetudines, *ut patet in tit. de statutis* & *consuet. contra libert. eccles. editis*, & *in auth. cassa* & *irrita. C. de sacros. eccles.* & *in c. noverit de sententia excom. cum vulgar.* Cùm ergo dictum monasterium, in feudis contẽtiosis & persona sui religiosi fratris quidem antetacti quondam Iohannis de Emmechoven jus prætendat, & ad illa per dominium directum admissum sit, ponendo loco sui unum hominem mortalem secularem, qui præstitit homagium domino, se obligans ad servitia solita & consueta, & solvens duplicia jura relevij, juxta consuetudinem, & eo mortuo posuit alium, qui etiam jura solita & cõsueta solvit, & servitia præstare potest, sic quòd dominus feudi in juribus suis nullum detrimentum patitur, cùm etiam pars rea possit redimere hujusmodi feuda, juxta antetactam constitutionem bonæ memoriæ, ducis Philippi, per dictum reverendum patrem offertur, ut patet in a-
38 ctis; & cùm † nemo sit adeò incapax bonorum, quin ea capere possit ut vendat, & pecuniam in suas necessitates expendat, *ut est gl. ordin. sing. in cap. unico, super verbo donum, de religios. domi. lib. 6.* quæ dicit, quòd etiam fratribus minoribus potest legari domus ut vendant, & ex pecunia sibi necessaria procurent: licet e-
39 nim monachus † singatur esse mortuus mundo, attamen vivit naturaliter, & eget vestibus, & alijs requisitis pro sustentatione humanæ vitæ, sicut in seculo viventes. *l. quod attinet, cũ sua gl. ff. de reg. juris:*

40 cùm etiam hæc † opinio faveat religioni, cui plurimum deferendum est, & pro qua in dubio judicandum est, *l. sancimus*, & *toto tit. C. de sacros. eccl.* & *l. sunt personę ff. de relig.* & *sump. fune.* & *c. fi. de re jud.* & cùm sit benigna & per consequens sequẽda, *l. semper in dubijs. ff. de reg. juris*, & *l.*
41 *benignius. ff. de legib. cum sim.* & cùm † hæc opinio comprobetur textibus, juvetur rationibus, & habeat pro se autoritatem glossæ, & plurium famosissimorum DD. & cùm sit, (quod omnium maximum est, *Salic. Mart.* & *Prępos. attestantibus*) communis, non est meo judicio in judicando ab ea recedendum, sed in casu subjecto, ubi agitur de feudo non militari, non personale servitium requirenti, non de Ducatu, Marchionatu, vel Comitatu, sed de simplici feudo, cui per substitutum deserviri potest, & ad quod admittuntur fœminæ, pro dicto monasterio, quod possidet plura feuda, & pro quo plures sententiæ in diversis curijs latæ reperiuntur, in simili casu intrepidè judicandum, ut feuda contentiosa habeat, donec redimantur, insequendo oblationem dicti reverendi patris, & sanctam constitutionem, fœlicis recordationis & bonæ memoriæ, ducis Philippi, in cujus consilio fuerunt viri oculatissimi, jurisprudentiam callentes, & rerum experientiam habentes.

CONSILIUM CCXI.

SUMMARIA.

1 *Casus.*
2 *Verbis claris eorumque significato omnimodò standum est.*
3 *In dubijs conjectura ex pręcedentibus, medijs* & *fine sumitur.*
4 *Clausula*, Salvo jure suo, *à consentiente prolata quid operetur?* & *num.* 13.
5 *Contractus* & *testamenta semper interpretanda sunt, ut inibi disposita valeant potius, quàm pereant.*
6 *Ea quæ in præfationibus dicuntur, quando in fine repetita censeantur* &c. & *nu.* 10.
7 *Causa testati favorabilis est.*
8 *Testamenti robur ex alieno non debet dependere arbitrio.*
9 *Statutum, consuetudo, vel pactum, quod conjunx sine conjugis licentia testamentum condere nequeat, de jure non valet.*
11 *Favore liberorum, quęnam sint introducta in jure specialia?*
12 *Lucri, dotis,* & *donationis propter nuptias esse debet æqualitas inter conjuges.*
14 *Tutori redditio rationis, ac reliquorum consignatio remitti nequit.*
15 *Donatio à sponso sponsę ante contractum matrimonium facta, ac in tempus dissoluti matrimonij collata, de jure valida est.*
16 *Maritus uxori,* & *econtrà uxor marito legata relinquere,* & *invicem hæredes instituere possunt.*
17 *Dictio* usque *adjecta, numero* & *tempori includit.*
18 *Legitima liberis, statim post mortem patris, ab omni onere libera debetur.*
19 *Legitima loco alimenti est, à jure scripto introducta,* & *per statutum vel consuetudinem minui potest.*

Dubium super quo consulitur: Quidam † nobiles futuri conjuges inter se de futuris nuptijs tractantes, inter alia ita convenerunt, & pacti sunt in lingua vernacula, & sub hoc verborum compendio, & primò.

Item dat die voersz Heer Jan van Rotselaer die voorgesz Clements van Bouchout duarien ende versekeren sal op sekere goede onderpanden/

den/tot vierhondert rinsguld. tsiaers theuren lijve te hebbene / te heffene/ eñ te buerene/in der manieren nochtans eñ na den onderschepde hier onder gescreven/ behoudelijck nochtans / dat die selve jouffrouwe die duarie latende/ op dat heur ghelieft/ sal mogen kiesen ende aennemẽ heur lantrecht. Id est, Item quòd prædictus D. Ioan. de Rotselaer prædictam Clementiam de Bouchout dotabit doario super bonis hypothecis , ad summam 400. florenorum usque vitâ sua durãte, ut eam habeat, capiat, & fruatur, sub modo tamen & sub distinctione infrà scriptis. Salvo tamen, quod eadem domina relicto doario suo, si ita visum sibi erit, poterit eligere & apprehẽdere jus suum municipale. Et subsequenter post multa intermedia ponitur talis clausula. Itẽ es voorwaerdt/ en onderspoken/oft bijden wille Gods gebeurde/ dat die voorsz H. Jan van Rotselaer afflijvich worde / voor eñ eer die voorsz joncvrouwe Clemẽte gheen wettige gebeurte alsdan 'tsamen in levene hebbende/ dat dan die selve joncvrouwe Clemẽte voor heur duwarie hebben ende houden sal/ op alle des voorsz Heer Jans goeden/ 400. rinsguld. sulcke als voere/jaerlijcx/heuren leven duerende. Eñ ofter alsdan wettige ghebeurte ware levende/ soo sal sy hebbẽ ende behouden heure leefdage/die helft van den voorsz 400. guldens/ ende heure gebeurte d'ander helft. Ende oft sy by den wille Gods vore storve / gheen wettighe ghebeurte alsdan in levene hebbẽde/soo zal die voirsz Heer Jan hebben eñ behouden sijn levenlanck/ op alle heure goeden/ 300. rinsgulden 'tsiaers/sulcke als voer. Ende oft er alsdan wettige gebeurte levẽde ware/ soo sal die voirsz Heer Jan daer aff hebbẽ eñ behouden d'ander helft. Is voort bevoerwaert in desen/ dat die lestlevende van den voirsz toecomende manne eñ wijve/ soe lange die ongehouwet blijft/en datter nae des ierste afflijvichs doot wettich kint oft kinderen bleven waren/dat kint oft die kinderen houden eñ regeren sal / eñ die vruchten/ baten/ prouffijten / ende verballen van den voirsz goeden ende renten int geheele hebben heffen/ende beuren/ sonder rekeninge of restitutie daer af te dorven doen / totter tijt toe dat 'tselve kint oft kinderẽ 'tsijnen oft heuren mondighen jaeren comen sullen zijn/ teweten die sone oft sonen tot 15 jaeren / ende die dochter oft dochteren 12. jaeren volcomelijck. Hoc est: Item est cautum & convenit, quod si volente Deo contingeret, prædictum dominum Ioannẽ de Rotselaer decedere, ante prædictam dominam Clementiam, nullis legitimis liberis tunc in vivis relictis, quòd tunc prædicta domina Clementia, pro suo doario habebit & retinebit, super omnibus bonis prædicti domini Ioannis 400. florenos, ut suprà dictum est, quotannis, vita sua durante. Et si tunc temporis superessent liberi legitimi in vivis, habebit tunc & retinebit ad vitam suam medietatem prædictorum 400 florenorum, & liberi sui aliam medietatem. Et si volente Deo ipsa præmoreretur, nullis relictis legitimis liberis, tunc prædictus dominus Ioannes habebit & retinebit ad vitam suam, super omnibus ejus bonis 300. florenos annuos ut suprà, & si tunc temporis legitimi liberi in vivis essent, prædictus Dominus Ioannes habebit, & retinebit ad vitam suam, alteram medietatẽ, & ijdem liberi reliquam medietatem. Et præterea cautum in hisce, quòd ex futuris conjugibus in vita superstes, quamdiu in viduitate manebit, & post mortem primi decedentis relicti fuerint legiti-

mi liberi unus vel plures, hunc liberum vel liberos tenebit & gubernabit, & fructus, commoda & obventiones prædictorum bonorum & redditüum, in totum habebit, capiet & fruetur, absque eo ut sit necesse rationē aut reliquū reddere, quousque ijdem liberi unus vel plures, ad legitimam ætatem pervenerint, filius videlicet aut filij ad quindecim annos, & filia vel filiæ ad duodecim annos completos. Et post hoc maritus testamentum fecit, in quo hanc clausulam repetijt, prætactum contractum antenuptialē in omnibus suis punctis expressè confirmando, & alia quā plura legata reliquit, & in hanc testamētariam dispositionem dictaClementia expressè consentijt, salvo tamen **huer dua-rie ende huwelijcxe voorwaerde/ al-tijt goet/vast/ende in heuren weerdē blijvende**/id est: Doario suo & antenuptiali conventione, semper salvo, firmo & in sua virtute durante.

Ex præmissis omnibus quæritur primò, quia prædecessit dictus maritus, & jam extat filia, an dicta Clementia posset indistinctè optare jus patriæ, & dimittere suam donationem propter nuptias, seu lucrum ejusdem donationis: an verò debeat stare contenta cum lucro nuptiali, ita quòd propter liberos impediatur optare jus patriæ, & præcisè capier ducentos Rhenenses ad vitam suam det quadringentis, & alij ducenti deberentur liberis? Pro hujus quæsiti decisione, & primò pro parte affirmativa dicti quæsiti, Quòd videlicet dicta Clementia optare possit, facit; quia in dicto contractu antenuptiali dicitur, quòd dicta Clemētia habere debet quadringentos Rhenenses ad vitam suam, cum distinctione tamen, quæ suprà in casus positione refertur, & infrà post multa in eodem contractu antenuptiali inseritur. Itaque illam distinctionem pro repetita haberi sentit, & subsequenter ponitur clausula. Quod dimittendo lucrum donationis propter nuptias optare possit; ergo videtur, quòd illa clausula de optando jure patriæ determinare debet illam distinctionem, perinde ac si fuisset interposita, & quòd dicta Clementia indistinctè & in omnem eventum, sive habuerit liberos sive non, optare possit jus patriæ in bonis sui mariti prædefuncti, dimittendo donatio-
2 nem propter nuptias. Item ad † idem, videlicet, quòd dicta Clementia indistinctè optare possit, facit, quia illa verba de optando jure patriæ sunt clarissima, ergo omnimodo standum est illis, & eorum significato. *l. non aliter. ff. de leg. 3.* & *l. si alij ff. de usufr. legat. cum sim.* Item facit ad idem, quia dictus maritus testamentum suum condidit, in quo liberis suis providere voluit & curavit, & huic dispositioni testamentariæ consensit dicta Clementia, salvo tamen jure suo, ex contractu antenuptiali sibi competente. Itaque voluit dicta Clementia, non obstantibus suis liberis, sibi licere optare jus patriæ, & dimittere lucrum donationis propter nuptias, quod siquidem jus optandi tanquam sibi utilius reservare intendebat. Et eo amplius, quia in eodem suo testamento dixit testator, quòd volebat præfatum contractum antenuptialem in omnibus suis punctis illæsum observari, quare, &c.

3 Item facit ad idem, quòd in † dubijs sumitur conjectura, sive ex præcedentibus, sive ex medijs, sive ex fine *l. talis scriptura* & *l. si servus plurium, cum ibi nota. ff. de leg. 1.* & *c. 2. requiris, de appella.* & *32, q. 7. apostolus, juncta ibi gl. cum multis sim.*

4 Item facit ad præmissa † *tex. in l. si debitor §. in venditione. ff. quib. mod. pig. vel hypo. sol.* ibi expressus tex. quòd consentiens alicui actui, salvo jure suo, clausula illa *salvo jure*, hoc operatur, quòd salvat jus partis, etiam si ex ea induceretur nu-

gatio

gatio aut nullitas cõsensus: ergo sequitur, quòd in casu præsenti præmissa clausula, behoudelijck/ꝛc. id est, *Salvo, &c.* in prętactis contractu antenuptiali & testamẽto posita, debet omninò operari, etiam si annullare debeat testamentum, quantum ad disposita in filijs, petente & volente dicta Clementia, uti præfata clausula sonat, dimittere suum lucrum antenuptiale 200 florenorum Rhenensium.

Sed his non obstantibus, videtur nobis subscriptis, pro parte negativa præmissi quæsiti omnimodo de jure dicendum, concludendum, & diffiniendum, Quòd videlicet dicta Clementia præfata clausula, behoudelijck/ꝛc. id est, *Salva, &c.* uti non poterit in præjudicium filiorum, neque debet illa clausula operari annullando disposita in filijs, sed debet dicta Clementia stare contenta cum ducentis Rhenensibus ad vitam suam, pro sua duwaria seu lucro antenuptiali. Ad quod
5 probandum facit; quia † debent contractus & testamentum interpretari, ut inibi disposita potius valeant quàm pereant. *l. quotiens. ff. de verb. oblig.* & *l. quotiens.*
6 *ff. de re dub.* & ob † eam causam præfatio, seu quæ dicta sunt in præfatione non cẽsentur repetita in sequentibus, neque debet clausula præcedens determinare sequentes, vel econtrà, quando ex tali repetitione viciaretur dispositio, ad quam fieret repetitio, sive in contractu, sive in ultima voluntate, aut ex ea repetitione sequeretur contrarietas. *l. Titia. §. 1. ff. de verb. oblig.* & *l. si quis à filio. §. 1. ff. de legat. 1. juncta ibi gl. in verbo duntaxat, quę ad hoc allegat multas concordantias.* & *l. si idem cum eodem. ff. de jurisd. omn. judic.* & *leg. cum vulgari ff. de dote prælega.* Et idem dicendum, quando esset aliqua ratio, quare clausula posita inter diversa capitula magis ad unum quàm ad aliud referri debeat. *l. 1. C. de liber. præter. Et expreßè tenet Bar. in d. l. talis scriptura, in fine,* & *tenent Panorm.* & *comm. canonistæ in d. c. 2. requiris. Et Io. de Imo. in cap. inquisitione, de appellat.* Sed si in casu præmisso dicta clausula, behoudelijck/ꝛc. id est: *Salvo,* repeti deberet ad aliam clausulam infrà in eodem contractu antenuptiali positam, ubi disponitur de liberis, quòd videlicet de lucro antenuptiali ducenta remanerent apud dictam Clementiam, & ducenta apud liberos, ex ea repetitione viciaretur dispositio circa liberos facta, & nihil haberent liberi; quia, ut præsupponitur, in aliquibus locis situationis bonorum, immobilium omnium usumfructum, & in aliquibus locis, medietatem usufructus, & mobilium proprietatem & dominium dicta Clementia, juxta legem patriæ, haberet: & sic provisio circa liberos nulla esset, vel modica, quibus tamen omnimodo ambo conjuges providere volebant, ex quo in antedicto contractu antenuptiali dicitur, quòd de lucro antenuptiali utriusque conjugum dimidium ad liberos eorum pertineret, & liberorum magna est ratio & favor: meritò ergo in casu præsenti, prætacta clausula, behoudelijck nochtans/ꝛc. id est: *Salvo tamen,* &c. nullatenus repeti debet circa dispositum in liberos, sed tantum operari debet circa duwariam, seu lucrum antenuptiale, quod habuisset dicta Clemen. si nulli extitissent liberi, quinimò ex ea repetitione totum viciaretur testamẽtum; quia nihil, vel parum, jure testamenti, relictum esset liberis, & censerentur quasi præteriti, ubi testamenti magna sit
7 ratio, & est causa † testati favorabilis. *l. 3. ff de test.* & *l. quàmdiu. ff. de acqu. hære. cum ibi not.* non ergo hoc casu debet fieri repetitio, ut potius res valeat, quàm pereat, *ut suprà dictum est.*

8 Item & eo † amplius procedit, ut evitetur scandalum quod sequeretur; staret enim in arbitrio uxoris, an testamentum mariti sui valuisset, saltem quoad majo-

majore in partem bonorum, quæ tamen provenerunt ex parte & latere domini Ioannis testatoris, quod videtur absurdũ. hinc † *Paul. de Cast. in l. ex facto. ff. de vulg.* & *pupilla. substit.* concludit, non valere statutum, consuetudinem, aut etiam pactum, quo disponitur, seu convenitur, quòd maritus non possit condere testamentum sine consensu uxoris, aut ecõtrà. *Et hoc idem firmat Alex. cons. 289. 2. vol. circa fin. 2. col.* & *latè Iason in d. l. ex facto*, qui hoc idem sentit in marito, licet in muliere videatur aliud sentire. quare si vellemus dicere, quòd propter hujusmodi pactum & protestationem factam, ipsa uxor posset, non obstante testamento eligere, sequeretur clarè, quòd validitas testamenti penderet ex consensu uxoris; quoniam si eligeret jus patriæ, legatarij nihil aut parum haberent, & hoc certum est, non fuisse de mente testatoris.

10 Item ad idem † facit, quia cessat repetitio, quoties conjecturari possit ex mente testatoris, quòd nolit fieri repetitionem. *l. si in diem. §. 1. ff. de cond.* & *demonst. facit tex. in d. l. si servus plurium. § fin. ff. de lega. 1.* quia attendi debet mens testatoris, ut ibi dicitur. sed in casu præmisso tam ex prætacto contractu antenuptiali, quàm ex testamento clarè conjecturari potest, quòd uterque conjugum providere volebat suis liberis; meritò ergo in casu, quo extant liberi, non debet fieri repetitio dictæ clausulæ, **behoudelijck/ꝛc.** id est, *Salvo*, &c. circa dispositum in liberos
11 facit, quia † favore liberorum cessat rigor juris, & receditur à proprio significato verbi. *l. heredes § cùm ita. ff. ad Trebell.* imò à dispositione facta receditur, & cẽsetur ex legis interpretatione revocata, propter supervenientiam liberorum, etiam si de hoc nihil sit dictum, vel expressum, & hoc ex tacita mente testatoris, quæ prævalet. *l. si unquam. C. de revoc. donatio. l cum acutissimi. C. de fideic. cũ concordãt.*

Ex quibus sic deductis clara est unica responsio simul ad omnia jura in contrarium allegata, quibus probari videtur, hoc casu fieri debere repetitionem. Sed hoc fallit in casu præsenti, & in similibus casibus, ut suprà deductum est.

12 Item facit, quia si † æqualitas debeat esse lucri & dotis & donationis propter nuptias, prout esse debet, *in Auth. de æqua. dot. in prin. cum sim.* non debet ipsa uxor in casu quo liberi permanserint post alterius decessum, plus habere quàm maritus. Cùm ergo maritus in casu quo uxor decessisset, relictis liberis, solùm habuisset medietatẽ 300. florenorum Rhenensium, reliqua medietate relicta liberis: sequitur, quod in casu quo iste maritus decesserit relictis liberis, debet uxor solùm retinere medietatem 400. florenorum Rhe-
13 nensium. Sed ad ultimum † contrarium, quod fortius videtur *d. l. si debitor §. 1. ff. quib. mod. pign. vel hypot. sol.* aliter responderi potest; quia posito & non concesso, quod consensus dictæ Clementiæ in testamento sui mariti præstitus annullaret testamentum, per hoc tamen non viciaretur contractus antenuptialis, sed nihilominus integer manet, etiam quoad dispositum circa filios, ut supra deductum est. Vel aliter & subtilius dici potest, quòd illa clausula, *Salvo jure meo*, &c. si nihil aliud operari possit, potius induceret nugationẽ, & annullaret actum, quàm nihil operaretur. Sed quando invenitur aliquid in quo operari possit, tunc operatur in illo, & non inducit nullitatem, quæ vitanda est. Sed in casu præsenti aliquid potest operari, videlicet in casu quo non extarent liberi, & ita in casu præsenti talis consensus non est nugatio nec inutilis. *Ita subtiliter dicit Ang. in cons. suo 289. col. 3.* & jura in contrarium allega. aliud non probant. Quare de jure ut suprà omnimodò concludendum videtur. Secundò quæritur, utrùm pactum de quo in dicto

dicto contractu antenuptiali fit mentio in clausula, **Js voirt bevoirwaert/ ꝛc.** id est, Est præterea cautum, & repetitur in prætacto testamēto in clausula incipiente, **Eñ wilt voirt/ dat mijn vrouwe/ ꝛc.** id est: Et vult præterea domina, quod sit de jure validum, & est pactum tale, **dat die lestlevende van hen beydē/ te weten vrouwe Clemente / sal dat kint ofte kinderen houden ende regieren/ eñ die vruchten / baten / prouffijten/ ende vervallen van den voirsz goedē ende renten int geheele hebbē/ heffen/ ende beuren/ sonder rekeninge oft restitutie daer af te doene/ de soenen tot vijfthien jaeren/ ende die dochteren tot twaelf jaeren volcommelijck.** id est: Quòd superstes ex eis duobus, videlicet domina Clementia, hanc prolem vel proles tenebit & gubernabit, & fructus, commoda, & obventiones prędictorum bonorum & redditum in totū habebit, capiet, & fruetur, sine rationū redditione aut reliquorum restitutione, filios usque ad quindecim annos, & filias usque ad duodecim annos completos. Et consistit dubium principaliter circa hoc, quia ibi dicitur, **Sonder rekeninge oft restitutie daer af te doene**/ id est, absque rationum aut reliquorum restitutione facienda. Et videtur primò, quòd pactum
14 tale † de jure non teneat, *per tex. in l. quædam decedens. ff. de administrat. tut.* ubi expressus tex. quod tutori non potest remitti redditio rationis & consignatio reliquorum, quia talis remissio est contra jus publicum, *facit tex. in l. si servus vetitus. ff. de lega.* 1. & *est tex. in l. Aurelio §. Cajus. ff. de liber. lega.* quibus juribus cavetur, quòd si tutori vel alteri fiat remissio redditionis rationis, tenetur nihilominus consignare reliqua, & de dolo postea commisso. Cùm ergo in casu præsenti dicta Clementia fuerit, ut videtur, tutrix suorum liberorum, sequitur quod talis remissio seu pactum remissivum non teneat, sed eo non obstante antedicta Clementia tenebitur reddere rationem, quātum ad exclusionem doli & reliquorum consignationem, *tenet gl. in l. cùm necessitatem, C. de fideicom.* Sed his non obstantibus, videtur similiter nobis infrà scriptis de jure dicendum & concludēdum, quod præmissum pactum valeat, & quod dicta Clementia reget & gubernabit suos liberos, & percipiet omnes fructus, usque ad ætatem præscriptam, neque debebit fructus ultra alimenta super excrescentes restituere, aut de illis aliquam rationem reddere. Ad quod probandum facit; quia
15 † maritus censetur dictæ Clementiæ suæ uxori illos fructus super excrescentes, usque ad ætatem præscriptam, in præfato contractu antenuptiali donasse, quæ donatio facta à sponso sponsæ ante contractum matrimonium, ac etiam collata in tempus dissoluti matrimonij de jure est valida. *l. si sponsus*, & *l. si eum servum, § fi. cum l. seq. ff. de don. inter vir* & *uxor. l. donationes, C. illo. eod. tit.* & præterea eandem donationem in suo testamento expresse repetijt, & valere voluit jure le-
16 gati, quod fieri potest: nam maritus † uxori, & econtrà uxor marito legata relinquere, & invicem hæredes instituere de jure possunt. *l. uxorem. ff. de lega.* 3. & *l. generali. §. uxori. ff. de usufruct. leg. cum alijs in fin. jurib.* sequitur ergo, quòd præmissum pactum donationis de jure valeat & teneat. Non obstant jura suprà in contrarium allegata; quia illa procedunt & loquuntur in tutore vel alio administratore rerum alienarum, & ad cōmoditatem alterius: sed in casu præsenti dicta Clem. fuit donataria seu legataria constituta, pro illis fructibus percipiendis, ad sui commoditatem. Ita tamen, quòd de illis fructibus percipiendis regere & gubernare teneatur suos liberos, & sic alimenta præstare, neque fuit

propriè tutrix liberorum & bonorum eorundem, quia tutor non ad sui, sed pupilli utilitatem administrare debet, & fuit hoc pactum conforme statuto vel consuetudini patriæ ipsorum conjugum, secundum quam consuetudinem vel statutum superstes conjunx habet usumfructum omnium bonorum, in aliquibus locis situationis bonorum, de quibus quæritur, & in aliquibus medietatem, salvis non alimentis, quæ præstare debet liberis, & hoc voluit dictus maritus & testator, cùm in præfato contractu antenuptiali dicatur, **Ende die vruchten beuren/&c. int geheele hebbẽ/heffen/ende beuren/ sonder rekeninge oft restitutie daer af te doene/totter tijt van vijfthien ende twaelf jaren volcommelijck**/id est, Et fructibus frui, &c. In totum habere, capere, & frui, absque eo quòd necesse sit rationem aut reliqua reddere, usque ad tempus quindecim & duodecim annorũ completum, ut suprà. quam siquidem cõsuetudinem patriæ usque ad præscriptam ætatem inclusivè in suis bonis observari
17 debere, sensit dictus testator, quia † dictio, *Vsque*, in casu præsenti adjecta, numero & tempori includit, *per not. Bart. in l. patronus. §. 1. ff. de legat.* 3. Et quia hoc etiã expressè voluit testator, cùm dicat, **vijfthien ende twaelf jaren volcommelijck**. Id est: Quindecim & duodecim annos completos: si post hanc præscriptam ætatem ad alia vota convolasset, tunc his modis extingueretur donatio & legatum, juxta dicti donatoris & testatoris expressam voluntatem, & ita non obstant contraria. Sed fortius contra præmissa opponitur & videtur, quòd præta-
18 ctum pactum non teneat; quia debent † liberi statim post mortem sui patris habere saltem suam legitimam, liberam ab omni onere & dilatione temporis *l. sancimus C. de inoffic. testa.* ergo videtur, quòd præmissum pactum non debeat esse validum, saltem in præjudicium legitimæ dictorum liberorum, quamvis in eo quòd supra legitimam liberis relictum sit, possit valere pactum. Sed dicendum, quòd text. pro contrario allegatus procedit de jure communi, sed secũdum statutum vel consuetudinem patriæ ipsorum conjugum aliter determinatum est de legitima liberorum, quia superstes solùm tenetur alimentare liberos, nisi aliter per conjuges de liberis fuerit dispositum & ordinatũ, & valet talis consuetudo vel statutum,
19 quia legitima † est loco alimenti, à jure scripto introducta, & potest per statutum aut consuetudinem diminui, *ut expressè vult Bald. in Auth. nunc autem. C. de episc. & cler.* Cùm ergo in casu præsenti dispositum sit, quod liberi post præscriptã ætatem dimidium lucrum nuptiale habere debeant pleno jure, ante verò illam ætatem regi & gubernari debeant per dictam Clementiam suam matrem: sequitur, quod hæc ita observari debent, neque potest illis quoquo modo per quemcunque contraveniri, ut suprà lucidè deductũ fuit, & ita nihil obstat. Quare concludendum omnimodò, ut suprà, videtur. Solutio verò alterius quæstionis de validitate testamenti patet ex deductis in solutione primi quæsiti, videlicet, quòd ipsum quoad legatum factum domicellæ Elizabeth est validum, non obstante reservatione duwariæ, per motiva in primo quæsito tacta.

CONSILIUM CCXII.

SVMMARIA.

1 *Matris depositioni filius fidem adhibere debet, aliàs nimis durus reputatur.*

2 *Heres religioni defuncti stare tenetur.*

3 *Donatio nudo pacto facta hodie valet, nec sti-*

nec stipulationis interventus ad validitatem ejus requiritur.

4 *Ex pacto nudo geminato, actio oritur.*

5 *Donatio sine expressione causę privato facta, valet, causæque loco ipsa liberalitas reputatur.*

6 *Donationis conjecturam ratio benè transacti matrimonij inducit.*

7 *Donatio cedens in augmentum dotis, insinuatione non eget, licet summam à jure taxatam excedat.*

8 *Quod est in conditione, non est in obligatione, & sic antequam conditio in forma specifica impleatur, actio nulla oritur.*

9 *Satisfactum vel solutum quot modis dicatur?*

10 *Transactio super re litigiosa habetur loco victorię.*

11 *Voluntas disponentis ex ipsius qualitate & conditione elicitur.*

12 *Idem juris est in parte quò ad partem, quod in toto quò ad totum.*

13 *Advocato promittens victoriam in pluribus causis, si vincat in una & succumbat in alijs, quid lucretur?*

14 *Oblationes qualiter inter episcopum & ecclesiam parochialem dividantur? &c.*

15 *Conditio an & quando in forma specifica impleri debeat?*

16 *Conditio donationi adjecta, an post mortem donatoris impleri possit?*

VEnerabiles & circumspecti domini fautores, & amici, sincerè dilecti, post salutes & humilem commendationem, recepi literas vestras & illas insequendo legi, & relegi scripturas vestras, ac partis adversæ, cum alijs munimentis mihi trãsmissis, quibus visis & ponderatis, excludendo primò casus minus dubitabiles, *juxta doctrinam Ioan. Andr. super data sexti in mercur.* videtur mihi in primis sub correctione vestra, quòd depositioni
1 † vestræ matris plenam debetis adhibere
fidem, nec refricare in dubium, an dona-
tio facta sit, nec ne, quam ipsa in extre-
mis constituta pro ex oneratione suæ cõ-
scientiæ judicialiter interrogata, factam
esse dicit, in ea perseverans, & juramentũ
præstare offerens: non enim est verisimi-
le ipsam matrem in præjudicium suorum
filiorum aliquid dixisse, quod verum non
fuit, cùm hincinde fuerit par affectionis
ratio, quæ omnem suspicionem tollit, nec
præsumitur fuisse immemor suæ salutis:
& nimis durus est, qui non credit matri,
ut dicit Host. in officij, de pœni. & remiss.
Tum etiam quia † estis ipsius hæredes,
quare ejus religioni stare debetis, *Auth. quod obtinet. C. de probat.* Secundò, vide-
tur mihi, quod impetranti nõ obest, quòd
in casu subjecto non intervenit stipulatio,
3 quia licet † olim ad validitatem donatio-
nis requirebatur stipulatio, hodie tamen
nudo pacto facta donatio valet, *ut est tex. in l. si quis argentum, C. de dona.* & tantò
fòrtius, quia ex depositione vestræ matris
liquet de geminatione actus. Modò ita
4 est, quòd ex † pacto nudo geminato, etiam
extra casum donationis, oritur actio, *ut est tex. in l. 1. §. debitum, juncta l. qui autem. § fin. ff. de const. pecu.* & *vult Ang. in l. fi. C. ad leg. Falcid.* Tertiò videtur mihi, non
insistendum super expressione vel omis-
5 sione causæ: quia donatio facta † privato,
non expressa causa, valet, & satis est causę
ipsa liberalitas, *ut notant gl.* & *Dd. in l. hoc jure. ff. de dona.* Item in casu præsenti
6 ratio † benè sancti matrimonij conjecturã
donationis inducit, *ut dicit Bal. in l. generaliter, C. de nõ num. pec.* & *per l. si divor-*
7 *tio. ff. de verb. obl.* Quartò videtur † mihi,
non insistendum in eo, quòd non interve-
nit insinuatio, quia dato, quòd illa in casu
requiratur, prout tamen dubitari potest,
ex quo videtur cedere in augmentum do-
tis, & sic in causam piam & privilegiatam
hoc casu, *ut notat Salic. in l. si quis pro re-*

demptione captivorum, C. de donat. ubi tenet, quòd dos non requirit insinuationem, *per jura per eum allega.* Tamen solùm viciaretur donatio eatenus, quatenus excedit summam à jure taxatam, quę est summa quingentorum aureorum legalium, *l. sancimus, C. de don. juncta d.l. si quis pro redempt. captiv.*

Istis ergo casibus tanquam indubitabilibus exclusis, videtur mihi insistendū,
8 an † actori competit actio ex hujusmodi
donatione? Et videtur quòd non, quia fuit conditionalis, scilicet si de suis creditis donator reciperet satisfactionem vel solutionem, quæ conditio non est purificata, ergò, &c. Quòd enim est in conditione, nō est in obligatione, *l. cedere diem. ff. de verb. sign.* Et debet conditio impleri in forma specifica, nec sufficit eam impleri æquipollenter, *ut est tex. in l. Męvius,* & *in l. qui hęredi, §. fina. ff. de conditio.* & *demonstra,* ergo ei non competit actio: & per consequens malè agit: quia nemo sine actione experitur. In contrarium videtur, quia est transactum de hujusmodi credito per matrem vestram, & vos, tanquam hæredes donatoris: ergo vobis de hujusmodi credito est satisfa-
9 ctum. Consequentia tenet, quia † satis-
factum dicitur, quomodocunque voluit creditor, licet non solutum: sive ergo alijs pignoribus sibi caveri voluit creditor, ut ab hoc recedat, sive fidejussoribus, sive reo dato, sive precio aliquo recepto, satisfactū dicitur, *ut est tex. ad literam in l. si rem. §. omnis. ff. de pign. action.* imò, quod fortius est, solutum dicitur, quando quoquo modo creditori est satisfactum. *l. satisfactio.* & *l. solutionis. ff. de sol.* Ergo videtur purificata conditio, & per consequens competit sibi actio: & pro isto facit *l. fin. cum ibi not. ff. mand.* & *not.* † *per gl.*
10 *in l. unic. C. de suffra. ubi gl. tenet.* quod
advocatus qui pactus est cum clientulo in casu victoriæ de habendis decem: si clientulus cum parte sua adversa transigat, advocatus habebit decem, quia illa transactio habetur loco victoriæ, *secundum gl. ibi, de quo latè per Cyn.* & *Salic. in d.l. unic. C. de suffrag.* Quid dicendū? credo sub correctione vestra distinguendum & dicendum, quòd actori non competit actio ad integra mille, sed eatenus quatenus de credito est satisfactum consequetur pro rata. & moveor rationibus
11 infrà scriptis. Primò, quia video, quòd
donator, si scivisset se nihil recepturum de suis creditis, nihil donare voluisset actori, quod apparet ex adjecta conditione, ex testamēto, & ex qualitate personę donantis gravati pluribus prolibus. *l. plenum. §. equitij. ff. de usu* & *habit.* Si autem ex toto sibi fuisset satisfactum, voluit integra mille deberi. ut ergo sit eadem ratio totius & partis, censetur voluisse, quod si pro parte fiat solutio, pro rata sortiatur
12 effectum donatio. Quod † enim juris est
in toto quo ad totū, idem juris debet esse in parte quo ad partem. *l. quę de tota. ff. de rei ven.* Præterea videmus, quod propter istam considerationem conditio scinditur, ut est casus *in d.l. Stichum qui meus erit. ff. de lega.* 1. ubi quidam legavit Stichum, qui, id est, si meus erit cùm moriar, deinde alienavit eum pro parte: quæritur, an in nullo debeatur? Et dicitur, quod debetur pro parte non alienata. & idem deciditur, *in l. falsa demonstratio. §. fi. ff. de condi.* & *demon.* Ecce ergo quod cōditio scinditur, & exponitur *si* vel *qui* pro *quatenus*: sic etiam dicam in proposito. Item pro isto adduco alium *tex. notab. in l. si clemens patronus. ff. de hęre. instit.* ubi est casus. Quidam habens uxorem prægnantem, & nesciens an Deus sibi provideret de filio vel de filia, volens disponere de bonis suis, & condere testamentū, quod valeat in omnem eventum dixit hoc modo, si mihi nascatur filius, sit hæres: si duo filij, ex æquis partibus sint hæredes, si duæ filiæ, similiter:

militer; si filius & filia, filio duas partes, & filiæ tertiam dederat, quid accidit? nati sunt duo filij & filia, de quo casu ipse non providit: quæritur quid erit in hoc casu? Et dicit ibi Iurisconsultus, quòd ex quo testator voluit, quòd filij essent pares, & quod filius haberet in duo plus quàm filia, fient quinque partes, ut ex his binas masculi accipiant, & unam fœmina. Ecce quòd ibi declaratur voluntas defuncti, ex eo quòd divisim providit ad id quod connexè accidit: & ad idem est *textus pulcher in l. si ita scriptum, in princ. ff. de liber. & posth.* Ergo in casu presenti, qui est casus conversus, etiam sic interpretabor voluntatem defuncti. Præterea moveor
13 ex alio, quia video, quod † advocatus plurium causarum pactus est in casu victoriæ centum: si vicit in una, & succubuit in alijs, debetur sibi illud quod fuit conventũ nomine victoriæ, non in totum, sed pro rata, ex quo materia pro qua est facta promissio, est divisibilis, *argum. d. l. quę de tota: ita determinant Cyn. Salic. & Dd. in d. l. unic. C. de suffrag. & dicit ibi Salic.* quòd hæc est communis opinio, ergo ita
14 dicã in proposito. Præterea pro† hac parte ita facit *tex. in l. qui solidum. §. 1. ff de leg. 2. cum ibi not. per Cyn. & Ioan. de Im.* qui per illum tex. dicunt, quod si ex concordia, ecclesia parochialis debeat habere oblationes quæ fiunt in die Dominico, & episcopus illas, quæ fiunt in die sanctæ Mariæ: si festum sanctæ Mariæ occurrat in die Dominico, de oblatione tunc facta, pro rata ejus quod consuevit offerri die Dominico, spectabit ad ecclesiam, residuum autem spectabit ad episcopũ: ita etiam dicam in proposito. Nec obstant argumenta in contrarium, & primò non obstat primum, quin imò conditio est impleta pro parte, licet non in totum. Non obstat etiam aliud quo dicitur, quod condi-
15 tio † debet impleri in forma specifica, & non æquipollenter. Quia dico, quòd illud est verum, quando conditio est voluntaria, non autem quando est necessaria ad actũ vel ad effectum actus, ut in casu præsenti: ita singulariter dicit *Bar. in l. Gallus, §. & quid si tantum, ff. de lib. & posth.* Non ob-
16 stat etiam si fortè dicatur, quod † conditio non est impleta in vita donatoris, neq; in totum, neque pro parte: quia hoc non consideratur à jure: nam perinde est, an conditio impleatur in vita vel post mortẽ, ut est *tex. in l. 2. §. pecuniam. ff. de dona.* attento quod hæres fingitur eadem persona cum defuncto, *in Auth. de jurejur. à mo. præsti. in prin. col. 5.* Consulo ergo, quod in ultimis scripturis fiat per vos oblatio, quod pro rata recepti crediti fiat ei, quia frater vel loco fratris, solutio de mille florenis contentiosis, quod erit utile propter expensas, juxta *præall. l. qui solidum, in princ.* His bene & feliciter valeatis, mihi præcipiendo. Ex Haga penultima Februarij.

CONSILIUM CCXIII.

SVMMARIA.

1 *Contractus antenuptiales mutuo conjugum consensu in testamento revocari vel immutari possunt.*

2 *Plenitudo gratiæ ulla adjectione non indiget.*

3 *Hæres institutus dominium bonorum relictorum habere censetur.*

4 *Dominium ejusdem rei penes duos in solidum esse nequit.*

5 *Intellectus reducens nos ad jus commune insequendus est.*

6 *Lex correctoria ad jus commune reducens, extensionem admittit.*

7 *Voluntas etiam testatoris præsumpta in testamentis consideratur.*

8 *Maritus uxori ad secũda vota convolãti, plus quã in viduitate permanẽti, providere voluisse non presumitur.*

9 *Testator alienas successiones proprijs anteponere suosque liberos depauperare voluisse existimandus nō est.*
10 *Uxorem relinquens dominam & usufructuariam omnium bonorum, proprietatem reliquisse non censetur, & num. 29.*
11 *Consuetudo optima legum & dispositionum interpres.*
12 *In obscuris consuetudo regionis inspicienda est.*
13 *Contractus per contrahentes expressè non revocatus, observandus est, & num. 26.*
14 *Clausula praecedens in subsequentibus etiam repetita censetur.*
15 *Copulae natura in dispositionibus quaenam sit?*
16 *Conjectura voluntatis ex vicinitate scripturae sumi potest.*
17 *A verbis testatoris, nisi de ejus contraria mente expressè constet, recedendum non est.*
18 *Bonorum appellatione proprietas venit, & non usufructus.*
19 *Feudi ad alimenta legati proprietas ad hæred. legatarij transit. Idem si fundi ususfructus legetur.*
20 *Voluntatis defuncti quaestio in bonis, judicis arbitrio consistit.*
21 *Testamentorum verba dubia qualiter intelligenda?*
22 *Iudex ad comprobandam donationem inter conjuges proclivior, quam ad revocandam eam esse debet.*
23 *Ex testamento, quod mutari potest, hæredibus institutis nullum jus competit.*
24 *Testamenta tot sunt, quot personæ testantium.*
25 *Dispositio conditionalis secundum cōditionis adjectæ formam limitatur & regulatur.*
27 *Mulier ad secunda vota transiens proprietatem ex contractu antenuptiali, aliòve titulo lucrativo acquisitorum perdit, solumque usumfructum retinet.*
28 *Consuetudo, medietatem bonorum superstiti conjugi adjudicans, valet.*
29 *Contractus antenuptialis derogat consuetudini regionis.*
30 *Mulier ad secunda convolans vota, qualiter & de quibus bonis testari possit?*

CAsus talis est. In conventionibus matrimonialibus initis inter Walterum Robbyns & domicellam Elizabeth Bischor conventum fuit, quod si contingeret dictum matrimonium solvi prolibus legitimis relictis vel non, quòd in illum eventum omnia bona, tam mobilia quàm immobilia, per dictos conjuges in subsidium dicti matrimonij importata, & ad eos constante matrimonio, sive ab uno latere, sive ab alio devoluta, donata & legata eisdem, & etiam bona quæsita matrimonio constante, dividētur ad utrumque latus mediatim & mediatim, salvo semper ultimo ex eis superstiti, sive proles ex eis viventes relictæ fuerint sive nō, suis vestibus, equo, armis, cincturis, annulis & jocalibus ad ejus corpus pertinentibus, & ultra hoc præcipuè habebit in bonis mobilibus id quod juxta legem oppidi Antwerpiensis ei debetur, & dictæ cōventiones matrimoniales coram notario stipulante in præsentia testium passatæ sunt. Deinde dicti conjuges constante matrimonio, & habentes duas proles naturales & legitimas simul, fecerunt & ordinarunt in oppido Antwerpiensi ibi commorantes eorum testam. de suis bonis, in quo inter alia dicti testatores simul legarunt sive reliquerunt: videlicet primò moriens ultimò superstiti ex eis, domum quàm tunc inhabitabant cum omnibus suis pertinentijs vita sua durante, & unam marcham argenti. Præterea dicti testatores voluerunt & ordinarunt, quod Paulus

Paulus & Ioannes eorum filij legitimi haberent ex bonis præmorientis, quilibet eorum quatuordecim libras grossorum hæreditarij redditus pro eorum legitima: & si legitima eorum ascenderet ad majorem summam, tantò plus eisdem assignabitur, instituendo eosdem liberos hæredes in prædicta legitima & in omnibus alijs bonis,quę ipsi testatores præter legata & legitima debita post relinquent, tali pacto & conditione, quòd superstes ex eisdem testatoribus, quamdiu honestè in viduali statu manserit, poterit levare & recipere quatuordecim libras grossorum prædictas, & dictas proles decenter cum eisdem intertenere, & habebit superstes ex eisdem testatoribus, vita sua durante, & quamdiu in viduali statu permanserit, integraliter omnia alia bona mobilia & immobilia qualiacunque, quæ in domo mortuaria reperientur, & faciet superstes inventarium coram tutoribus dictarum prolium & notario, & testibus: ut si superstes contraxerit secundas nuptias, bona,quæ nunc habent, dividantur mediatim & mediatim, quia illo casu superstes ex bonis prædecedentis non plus præcapiet,quàm vita sua durante,domum prædictam cum suis pertinentijs, & unam marcham argenti, & juxta conventiones matrimoniales, equum,arma,vestes,jocalia, annulos, & ea quæ de mobilibus per consuetudinē Antwerpiensem habet præcipua. Et reliqua bona mobilia & immobilia, quæ post mortem prædefuncti in domo mortuaria reperientur, tunc dividentur mediatim inter superstitem & liberos. Et voluerunt dicti testatores valere dictum eorum testamentum seu ultimam voluntatem, omni meliori modo quo valere potest, non obstantibus conventionibus matrimonialibus, statutis & consuetudinibus prædicti oppidi Antwer.

Circa prædicta quæritur, an conjuges prædicti,constante matrimonio,potuerint simul faciendo suum testamentum, derogare illi conventioni matrimoniali, vel eandem immutare,ita quod superstes plus vel minus habeat quàm medietatem bonorum? Secundò quæritur, supposito quòd hoc fieri possit, an attento tenore testamenti prædicti, attento etiam quòd ista mulier superstes secundo nupsit, an videatur derogatum contractui antenuptiali, ita quod ipsa præter domum prædictam solùm sit habitura medietatem bonorum mariti sui prædefuncti ad vitā, & quoad usumfructum: vel an eandem medietatem debeat habere pleno jure,ita quod proles ex secundo matrimonio provenientes in illis admittentur ad divisionem,unà cum filijs primi matrimonij, vel ut ipsa mater possit hujusmodi bona vendere, legare,vel aliâs quocunque titulo alienare. Quo ad primum, certum † est,
1 quod dicti conjuges potuerunt in testamento disponere cōtrarium ejus quod per eos dispositum est in contractu antenuptiali: posteriora enim pacta prioribus derogant. *l. pacta novissima. C. de pact.* & *l. si unus. §. pactus ne peteret. ff. eo. cum sim.* licet enim alter eorum non potuisset altero invito aliter disponere,ambo tamē mutuo consensu potuerunt. *l.* 1. & 2. *C. quand. lic. ab empt. disce.* & *l. ab emptione. ff. de pact.* Nihil enim tam naturale est, quàm unumquodque eodem genere tolli, quo colligatum est. *l. nihil tam naturale. ff. de reg. jur.* & *l.* 1. *ff. de pact.* non est ergo dubium, quin mutuo consensu dicti conjuges potuerunt contractui antenuptiali contravenire: circa quod amplius nō insisto, † ne videar circa quod amplius impendijs
2 solem facibus adjuvare velle. Gratiæ enim plenitudo adjectione indiget, nec ulla requirit commendationis augmenta. *c. si omnia 6. q.* 1. & frustra aliquid adjicitur rei de se claræ, vel sufficienter demōstratæ, *l.* 1. *in fi. ff. de dot. prę leg. cum sim.* Quo autē ad secūdum pulchrū & subtile dubium,

dubium, plura possent allegari pro & con-
tra, & videtur prima facie dicendũ, quòd
in casu subjecto hæc mulier superstes so-
lum debeat habere usumfructum medie-
tatis, de qua est quæstio, quod deducitur
3 medijs infrà scriptis. Primò, quia † in te-
stamento filij expressè sunt instituti hæ-
redes in omnibus bonis remanentibus, de-
ducto ære alieno, & legatis solutis, & sic
dominium illorum bonorum videtur eis
relictum: hæredes enim domini dicun-
tur, *Inst. de hęr. qual. & diff. §. fin.* sed nõ
4 potest † dominium ejusdem rei esse penes
duos insolidum. *l. hęreditate. §. pater, ff.*
de castr. pec. & *l. si ut certo. §. fin. ff. com-*
mod. ergo clausula testamenti mentionem
faciens de divisione facienda per duas me-
dietates, in eventum quo superstes con-
volaverit ad secunda vota, non potest,
quoad personam dictæ mulieris supersti-
tis intelligi de proprietate, sed solum de
usufructu, quia aliâs haberent duo domi-
nium ejusdem rei in solidum, quod esse
non potest, *jurib. suprà alleg.* & † iste in-
5 tellectus insequendus videtur, quia redu-
cit nos ad jus commune, quod mulieres
transeuntes ad secunda vota, si quid ex
contractu antenuptiali, aut aliâs titulo lu-
crativo acquisierint, illius proprietatem
eo ipso amittunt, & solùm usumfructum
retinent. *l. fœminę, junct. Auth. in dona-*
tione. C. de secund. nupt. Omnis enim di-
spositio in dubio recipit interpretationem
à jure communi. *l. 2. C. de noxa. act.* & *c.*
causam quę, & ibi Dd. de rescr. & de facili
res redit ad naturam suam, *d. l. si unus. §.*
pactus ne peteret. & *c. ab exordio. 35. dist.*
6 in tantum, quòd † etiam lex correctoria
reducens nos ad jus commune extendi-
tur, ubi aliâs non fieret extensio, *ut est gl.*
ordin. junct. tex. in c. statutum, de præben.
lib. 6. quam ad hoc ponderat Ias. in d. §.
pactus ne peteret. & *Alexan. de Imol. in l.*
si constante, in princ ff. solu. matr. & *idem*
Iason in Auth. quas actiones. C. de sacros.
eccles. & *Felin. in c. cùm accessissent, de*
constit.

Secundò istud deducitur sic, quia in †
7 testamentis non solum ipsius testatoris
verba, sed etiam præsumptam ejus volun-
tatem insequi debemus. *l. cùm virum,* &
l. cùm acutissimi. C. de fideicom. & *l. hære-*
des mei. §. cùm ita. ff. ad Treb. sed non
8 † præsumendum, testatorem voluisse re-
linquere uxori proprietatem medietatis,
in casu quo convolaverit ad secunda vo-
ta, quod colligitur ex duobus. Primò,
quia non præsumitur, quod testator, cui
ex secundis nuptijs fit injuria, & cujus
anima ex non continentia uxoris con-
tristatur, *ut est text. in Authent. de non*
eligen. secund. nuben. mulie. §. prospe-
ximus, coll. 1. voluerit magis providere
uxori secundò nubenti, quàm in viduita-
te permanenti, quod tamen faceret, si in-
telligeretur relicta proprietas, in casu quo
convolaverit ad secunda vota: quia si per-
mansisset in viduitate, habuisset duntaxat
administrationem omnium bonorum cũ
onere, ut patet in testamento: nunc autem
convolando ad secunda vota haberet me-
dietatem proprietatis sine onere, plus au-
tem est habere medietatem rei pleno ju-
re cum potestate vendendi & sine onere,
quàm habere usumfructum totius, cum
onere dandi singulis annis viginti octo li-
bras grossorum, ergo, &c. Secundò istud
9 colligitur ex alio, quia † nullus præsumi-
tur velle alienas successiones suis ante-
ponere, vel proprios liberos velle depau-
perare, & alienos ditare, aut suum jacta-
re; *d. l. cùm acutissimi,* & *l. cùm de in de-*
bito. ff. de probat. quod tamen faceret in
casu quo convolaverit uxor ad secunda
vota: adimeret enim hoc casu testator fi-
lijs proprietatem medietatis, eam dando
uxori secundò nubenti, in qua medietate
tandem possent succedere filij secundi
matrimonij, non attinentes in aliquo de-
functo, quod est verisimile, dictum testa-
torem

torem voluisse *jurib. suprà alleg.* Præterea
10 pro istius confirmatione facit, nam si † testator in testamento diceret, Relinquo uxorem meam dominam & usufructuariam omnium bonorum meorum liberis extantibus, uxor non haberet proprietatem, sed solùm quandam præeminentiam & alimenta, *ut tenet Bart.* & *DD. in Auth. hoc locum. C. de secun. nup.* & *idem Bart.* & *Dd. in l. Titia cum testamento. §. fi. ff. de leg. 2.* & *Bart. Cæpol. in suo tract. de servit. tit. de usufr.* multò magis ergo in casu nostro non habebit nisi usumfructum, ubi non est appellata domina, sed sibi simpliciter relicta medietas.

Præterea deducitur istud alio medio,
11 sic. Consuetudo † est optima legum & dispositionum interpres. *c. cùm dilectus, de consuetu.* & *l. si interpretatione, ff. de leg.* sed sic est, quod in oppido Antwerpiensi, loco siquidem conditi testamenti, de quo est quæstio, ubi etiam testator moram traxit, & bona situata existunt, de consuetudine inviolabiliter observata semper tentum & observatum fuit, ac hodie tenetur, observatur, quod matrimonio sublato per mortem alterius ex conjugibus, bona dividuntur in duas partes, quarum unam in bonis immobilibus consequitur superstes, solùm quoad usumfructum, & minimè quoad proprietatem: sequitur ergo, quod verba istius testamenti, obscura, loquentia de divisione facienda in duas medietates, debent intelligi quoad usumfructum, quatenus concernit superstitem, & non quoad proprietatem. In † ob-
12 scuris enim inspicienda est cõsuetudo regionis. *l. semper in stipulationib. ff. de reg. jur. cum sim* His tamen, & alijs quæ allegari possent pro hac parte, non obstantibus, contrarium videtur de jure dicendũ, videlicet, quod hæc mulier habebit non solùm usumfructum, sed etiam proprietatem medietatis contentiosæ. Quod de-
13 ducitur primò sic, nam † contractus quatenus non est expressè per contrahentes simul revocatus, observandus est, *d. Auth. hoc locum, C. si secũdò nups. mulier:* nihil enim bonæ fidei magis congruit, quàm id præstari, quod inter contrahentes actum est, *l. ex empt. ff. de act. empt.* & *l. 1. ff. de pact.* sed contractus antenuptialis disponens, matrimonio per mortem alterius conjugum soluto bona debere dividi quoad proprietatem, non reperitur per ipsos contrahentes in testamento ex toto revocatus, quod patet, quia testator disponens de redditibus prolibus dandis, & administratione omnium bonorum permittenda superstiti, casu quo in viduitate permanserit, subjecit, quod casu quo superstes ad secunda vota convolaret, non haberet de bonis defuncti, nisi usumfructum domus & marcham argenti, & juxta conventiones matrimoniales, equum, arma, jocalia, &c. & cætera omnia bona dividentur mediatim inter superstitem & proles. Cùm ergo contractus antenuptialis, mentionem faciens de divisione facienda in casu soluti matrimonij, loquatur de proprietate & non de usufructu, debemus dicere, quod etiam testamentum se referens ad cõtractum antenuptialem loquatur de proprietate &
14 non de usufructu. Nam † illa clausula, **ende naer den huwelijck voerwaerden/etc.** posita in testamento, censetur etiã repetita in clausula subsequente, mentionẽ faciente de divisione facienda in duas medietates propter naturam copulæ, &, illic positæ *per singular.* & *pulchr theor. Bart. in l. Sejæ. §. Cajo. ff. de fund. instruct.* & *fac. not. per eundem Bart. in l. si ita stipulatus. §. Grisogonus. ff. de verb. obl.* de
15 natura † enim copulæ est trahere unum de copulatis ad naturam alterius, ut dicit *Salic. in Auth. cassa* & *irrita. C. de sacrosanct. eccles.* & *idem Salic. in d. Auth. hoc locum*, & requirit paritatem inter copulata, ut eleganter inquit *Bald. in l. testamento,*

mento, in princ. C. de testa. milit. Hinc est, quòd copula facit, qualitatem adjectam in uno legato, haberi pro repetita in alio. *d. l. Sejæ. §. Cajo,* & *ibi habetur pulchrè per Bart.* & *per Dyn. in regula. generi, de regul. jur. in 6.* ergo ita etiam erit in proposito nostro: & per consequens superstes habebit medietatem quoad proprietatem, & non usumfructum ejusdem,
16 quod † etiam suadet conjectura, quæ sumitur ex vicinitate scripturæ. *l. si servus plurium. §. fin. ff. de legat. 1. l. hæredes palàm. §. sed si notam. ff. de testam. cum sim.*
17 Secundò deducitur istud sic. non † est recedendum à verbis testatoris, nisi expressè de contraria ejus mente appareat. *l. non aliter. junct. l. Lucius. §. quæsitum. ff. de lega. 3.* ubi autem manifestissimus esset ejus sensus, de verbis curandum non esset. *l. si quis, circa finem, C. de libe. præter.* sed in casu præsenti, mens testatoris non est certa, imò valdè dubia: ergo standum erit verbis, & ab illis non recedendum. Certum autem est, quòd ap-
18 pellatione † bonorum venit proprietas, & non ususfructus bonorum. *l. si alij. ff. de usufr. leg.* ubi est casus. Quòd si testator legat uni fundum & alteri usumfructum ejusdem fundi, ex quo non constat de mente testatoris, standum erit verbis ipsius, & ambo concurrent in usufructu. Multò fortius ergo in casu isto, ubi nulla est facta mentio ususfructus, dicendum erit, ipsos testatores sensisse de divisione facienda quoad proprietatem: imò quòd
19 plus est, si † alicui legetur fundus ad alimenta, debetur proprietas, & transit ad hæredem legatarij. *l. cum hi. §. si uni.* & *ibi Paul. de Cast. Iason* & *Dd. notant. ff. de transact.* & similiter si fundus legetur ad usumfructum, *l. 4. in princ.* & *ibi habetur pulchrè per Bart. ff. de alim. leg.* & *probatur in l. donationes in concubinam. § species* & *ibi Ioan. de Imol. not. ff. de don.* & *est bonus tex. in l. species. ff. de aur. & argen. leg.* & *vult Cæpol. in tract. suo suprà alleg.* & *Salic. in l. si mulier. in fin. C. de jure dot.*

Præterea dato sine præjudicio, quod
20 quod hinc † inde esset conjectura voluntatis, ex quo tamen non apparet clarè de voluntate, nec quid est verisimilius, bonus judex, in cujus arbitrio est quæstio voluntatis defuncti. *l. voluntatis, C. de fideic.* habebit stare verbis testatoris. *l. Labeo. §. item Tubero. ff. de suppell. leg.* Ita singulariter dicit *Dyn. in regula in obscuris, de reg. jur. in 6.* Ergo ita erit dicendum in casu nostro. Præterea † ex quo per contractum antenuptialem constat, divisionẽ inter superstitem & proles fiendam intelligi de proprietate, ut suprà dixi: & sic in interpretatione testamenti sumus in materia correctoria, debent verba testamenti, quæ sunt dubia, ita intelligi, nt vitetur correctio, quatenus fieri potest: *Auth. quas actiones, cum ibi not. C. de sacrosan. eccles.* & *l. unic. C. de inoffic. don.* & *c. cùm expediat, de electìon. lib. 6.* & taliter in dubio debet fieri interpretatio, ne superstes indebitè damnum patiatur, & ne jure sibi per contractum antenuptialem quæsito privetur. *d. l. 2. C. de noxal. act.* & *ibi per Bart. Salic.* & *Dd.* & *habetur latè per Bart. in l. omnes populi, in 6. quest. principali. ff. de just.* & *jure.* Sequitur ergo, quòd hæc verba in testamento posita debent intelligi, prout in contractu antenuptiali, & per consequens de divisione facienda quoad proprietatem. Præterea i-
22 stud deducitur sic, quando † facta est aliqua donatio inter virum & uxorem, & expresè non constat de revocatione, judex debet esse proclivior ad comprobandam donationem, quàm ad revocandam. *tex. est ad lit. in l. cùm hic status. §. pœnitentiam. ff. de donat. int. vir.* & *uxo.* Sed hic non constat expresè de revocatione contractus antenuptialis, quoad clausulam de divisione mentionem facientem, ergo

ergo potius judicandum erit pro eo,
quàm contrà. Præterea istud deducitur
23 aliter sic: nullum † jus potest prolibus
competere ad proprietatem omnium bo-
norum vigore hujus testamenti, cùm ad-
huc posset mutari ad voluntatem super-
stitis, *l. 3. ff. de adimen. lega cum sim.* Est
enim ejus voluntas ambulatoria usque ad
mortem, *ut ibi.* & *d. §. pœnitentiam.* Nec
24 † est istud censendum unicum testamen-
tum ex eo, quia in una charta scriptum: nã
ex quo plures sunt testatores, plura sunt
testamenta: sicut dicimus plures esse ob-
ligationes, si à multis fiant, quamvis in
uno instrumento conscribantur. *l. eo quod
à multis. C. si cer. pet.* & sic istud testa-
mentum ita benè est testamentum mu-
lieris superstitis, sicut mariti defuncti:
& sic morte mariti non erat testamen-
tum istius mulieris confirmatum, & per
consequens ipsa poterit, quoad ejus partẽ,
salva filijs legitima, revocare: & ita in
specie firmat *Oldra. in cons.* 174. & *sequi-
tur Ioan. And in addit. ad Spec. in tit. de
testa. § 1. post princ. in additione quæ in-
cipit, sic posuit, ubi dicit hoc fuisse de facto,
& ita fuisse judicatum, etiam in prejudi-
cium piæ causę institutę.*

Restat nunc respondere ad argumenta
in contrarium adducta: & primo non ob-
25 stat primum, quia dicitur, quòd † licet filij
erant instituti hæredes in omnibus bonis
remansuris deducto ære alieno, hoc tamẽ
fuit limitatum, per conditiones sequentes
in testamento positas, quarum una fuit,
quod casu quo superstes ad secunda vota
convolaret, haberet juxta cõtractum an-
tenuptialem, equum, arma, &c. & medie-
tatem bonorum, quare hæc institutio non
fuit pura, sed conditionalis: & ergo limi-
tatur & regulatur secundum formam cõ-
ditionis adjectæ. *l. si testam. in fi. C. de inst.
& subst. sub. condi. fac.* & *ff. de cond.* & *de-
mon. quasi per tot.* unde conditione non
extante non competit prolibus actio. *l. cõ-
ditionales,* & *l. cedere diem. ff. de verb. sig.*
& sicut etiam penes eos adhuc non extat
dominium omnium bonorum, quare non
concludit argumentum, quod duo essent
domini ejusdem rei in solidum. Et ad id
quod subjungitur, quod potius † debet in-
26 telligi, quod debeatur ususfructus, quam
proprietas, quia hoc est consonum juri cõ-
muni. Respondetur, quod hoc utique ve-
rum esset, nisi præcessisset contractus an-
tenuptialis, cui quamvis in aliqua parte
derogetur, stari tamen debet ubi revoca-
tus non est: per *tex. clarum in l. alumnæ.
§. qui filias. ff. de adimen. leg.* quod enim
non mutatur, quare stare prohibetur? *l.
pręcipimus. C. de appel.* Nec obstat si di-
27 catur, quòd † transeundo ad secunda vota,
etiam post annum luctus, perdidit pro-
prietatem, & retinet solum usumfructũ.
d. l. fœminæ, & *pręall. Auth. in donatione,*
& est communis opinio à qua in judican-
do non est recedendum, ex quo hujusmo-
di pœna imponitur favore filiorum primi
matrimonij: *secundum Panor. in c. fin. de
secund. nupt.* & *idem tenet Salicet. in l. 1.
circa finem. C. de secund. nupt.* quia dico,
quòd licet hoc verum sit in terminis ju-
ris, tamen de consuetudine Antwerpiensi
audivi observatum contrarium, quando
in contractu antenuptiali conventum est,
quòd matrimonio soluto morte alte-
rius conjugum, sive proles extent, si-
ve non, bona dividantur æqualiter, pro-
ut factum est in casu præsenti: quare non
obstat. Quia certum est, consuetudinem
hoc introducere posse, quæ est optima le-
gum interpres. *d. l. si interpretatione,*
maximè cùm sint opiniones inter Do-
ctor. & probabiliter etiam sustineri
posset, *d. ll.* hoc casu esse correctas per
canones, ut dicit *Panorm. in d. cap. fin.
circa finem:* & sic intelligentia con-
tractus antenuptialis manebit in suo vigo-
re, quatenus revocatus non est, & testa-
mentũ sortietur suum effectum, quatenus

addit, declarat, vel corrigit contractum antenuptialem. Non obſtat etiam ſecundum, quia reſpondetur per interemptionem, negando talem fuiſſe voluntatem teſtatoris, prout in argumento præſupponitur, nec ex teſtamento plus habebit mulier convolando ad ſecunda vota, quam haberet in viduitate manẽdo, imò minus: nam caſu quo convolaret ad ſecunda vota, ſimiliter habebit ex teſtamento domũ cum marcha argenti ad vitam ſuam, ubi ſimul cum illo legato, ipſa manente in viduitate, haberet adminiſtrationem & uſumfructum omnium bonorum ex teſta-
28 mento, ſed † id accidit propter contractum antenuptialem, vigore cujus ipſa debet conſequi medietatem bonorum, quod per pactum fieri potuit, ſicut virtute conſuetudinis, ut in Zeelandia & alijs locis, quæ conſuetudo valet, ut deciſio Rotæ octingenteſima 42. in antiquis, ſecundum quotas meas. ceſſat ergo præſumptio de qua in argumento. Et pariformiter poſſet reſponderi ad ſecundam præſumptionem voluntatis defuncti, nam per iſtud teſtamentum teſtator nec alienos liberos ditat, nec proprios depauperat, imò proprijs providet, cuilibet quatuordecim libras groſſorum relinquendo jure inſtitutionis, & in alijs relinquit contractum antenuptialem intactum. Non obſtat etiam tertium, quia dicitur, quòd † licet fortè in
29 caſu quo mulier relinquitur domina omnium bonorum, liberis inſtitutis debeat ſolùm habere adminiſtrationem & alimenta, hoc eſt ex conſuetudine magis ſervata in curia Bulgari, quàm de jure, & ergo alibi non ſervandum *ſecundum gl. quæ hoc ſentit in d. Authent. hoc locum.* Præterea congrua eſt dicta interpretatio Bulgari, ex quo filij ſunt ſimpliciter & purè inſtituti hæredes, unde non poteſt uxori cenſeri relicta proprietas *ſecundum Salic. & Dd. in Auth. hoc locum.* In caſu autem noſtro filij ſunt inſtituti non purè, ſed conditionaliter, ut ſuprà dixi, cum quo bene ſtat, quòd contractus antenuptialis in reliquis, ubi revovatus non reperitur, maneat intactus, & ſecundum ſuam formam obſervetur. Non obſtat etiam quartum, quia reſpondetur, prout
30 ſuprà dictum eſt, quòd dicta † conſuetudo intelligitur, ubi non præceſſit contractus antenuptialis contrarium diſponens, ſecus autem, ubi aliter diſponeretur in contractu antenuptiali, quia tunc illi diſpoſitioni ſtandum erit, *l. 1. §. ſi convenerit. ff. depo. & regula, contractus, de reg. jur. lib. 6.* nec tunc per tranſitum ad ſecunda vota poſt annum luctus perditur proprietas de conſuetudine Antwerpienſi, ut informor. ſi tamen de dicta conſuetudine liquidè non appareat, ſentio ſtandum eſſe diſpoſitioni juris communis, de qua *in d. l. fœminæ, & in d. Auth. in donatione & in corpore, unde ſumitur.* Concludendo ergo dico, quod caſu, quo de conſuetudine Antwerpienſi, deroganti dictis juribus de ſecundis nuptijs, appareat in caſu præſente, dictæ mulieri non obſtante convolatione ejus ad ſecunda vota, debetur proprietas medietatis contentioſæ, teſtamento in contrarium allegato, & præſumptionibus ex eo ſumptis, non obſtantibus, juribus ſuprà allegatis. Si autem de dicta conſuetudine Antwerpienſi non appareat, ſum in contraria opinione, quòd duntaxat ei debeatur uſusfructus, & quòd proprietatem perdiderit, ad quod dicendum moveor per dictum unicum motivum, quia
31 alia meo judicio non ſtringunt, nec † ipſa in contrarium diſponere poterit per teſtamentum, vel aliâs, cùm non ſit domina, ſed de bonis per eam in ſubſidium matrimonij adductis diſponere poterit ad libitum, ſalva filijs primi matrimonij eorum legitima, & ſalva diſpoſitione. *l. hac edictali. C. de ſecund. nup.* Iudicio cujuſlibet melius ſentientis ſemper ſalvo.

CON-

CONSILIUM CCXIV.

SVMMARIA.

1 *Propter sævitiam mariti nimiam uxor à thoro ipsius separatur.* & *n.* 3.

2 *Actio semel extincta amplius non revivíscit.*

4 *Ex transacta alicujus vita de sequenti ejus conversatione præsumitur.*

5 *In muliere metus minor quàm in viro sufficit.*

6 *De duobus malis eligendum est minus malum.*

SPectabilis ac clarissime domine Doctor, visis per me processibus in materia divortij, inter domicellam Magdalenam de Dorp originalem actricem ex una, & domicellum Danielem van Cralingen reum, coram provisore ac decano Delflan. primùm, & deinde in appellationis causa coram officialibus curiæ & archidiaconi Trajecten. & nunc coram reverendissimo patre Dom. Abbate sanctæ Gertrudis pendentibus, videtur mihi subscripto, sub correctione vestra & aliorum melius sentientium, attendendum ad infrà scripta, ex hujusmodi processibus col-
1 ligibilia. Primò enim † recepta informatione summaria super malis majoribus dicti Danielis, & sævitijs per eum in dictam domicellam Magdalenam sæpius perpetratis, per interlocutoriam dictoriam provisoris & decani, & præfata domicella Magdalena sequestrata est in domum venerabilis viri magistri Petri de Schiedammis medicinæ Doctoris, mariti domicellæ Mariæ van Dorp, sororis dictę Magdalenæ, à qua sententia licet fuerit juridica. *c. ex transmissa, de rest. spol.* fuit per præfatum Danielem ad officiales curiæ & archidiaconi Trajectensis appellatum, & postea coram eisdem omisso appellationis articulo de consensu appellantis, qui ad hoc speciale mandatum dedit, ut patet folio quinto pagina prima, in materia principali post divortij processum libellus multos articulos cõtinẽs, exhibitus contra illum exceptum, tandem lite contestata, & jurato de calumnia, amplæ probationes factæ, & finaliter sententia lata, per quam divortium quoad thorum inter dictas partes celebratum est, de qua sententia iteratò dictus Daniel appellavit, & causam hujusmodi præfato Domino Abbati committi obtinuit. Restat nunc videre, an dicta ultima sententia dominorum Officialium sit benè lata, & videtur quòd non, quia omnes sævitiæ articulatæ, saltem usque ad 32. articulum, fuerunt sublatæ, per reconciliationem factam inter dictos conjuges, per deputatos concilij Hollandiæ 23. Maij, anno 9. ut patet per actam exhibitam, signatam B. Dassendelft, & per depositionem domini Arnoldi de Dorp, fratris dictæ domicellæ Magdalenæ, testis in ordine 11 per dictam domicellam Magdalenam producti, qui expressè deponit, quòd dicta die 23, Maij, dicti conjuges se mutuò receperũt, & illa nocte simul dormiverunt, quare
2 propter † illas sævitias sublatas, non potuit postea actio vel processus intentari, cùm actio semel extincta amplius non reviviscat. *l. qui res.* §. *arcam. ff. de solut.* In contrarium tamen videtur, quia post hujusmodi reconciliationem, quæ modicissimo tempore duravit, putà una nocte, dictus Daniel ab uxore sua recessit, & diu absens permansit, & tandem post quinque vel sex septimanas rediens, tanquam phreneticus in Haga comitis associatus aliquibus, cum gladio evaginato venit ad domum dictæ domicellæ Magdalenæ, ibidemque plures insolentias horribiles commisit, ita quòd nedum dicta domicella Magdalena, sed tota vicinia territa fuerit, & commota, ut articulatur in 33, articulo, & probatur, seu veri-

ficatur per sextum, undecimum, duodecimum, decimumtertium, decimumquartum, decimumquintum, & decimumsextum testes, pro parte dictæ domicellæ Magdalenæ productos, ut patet eorum dispositiones intuenti. Item dictus Daniel illo eodem tempore, glorians in malitia, publicè confessus est, se habere in Delft alias mulieres seu concubinas, quibus cùm libet, commiscetur, publicè adulterium suum confitendo, ut articulatur in trigesimo-tertio articulo, & verificatur per undecimum, decimumquartum & decimumsextum testes, per dictam domicellam Magdalenam productos. propter quas insolentias & sævitias intolerabiles dicta domicella Magdalena non confidit, se posse sine periculo vitæ commorari dicto Danieli, & obtulit ac offert id medio juramento affirmare, prout procurator per eam ad hoc specialiter constitutus coram dictis venerabilibus dominis Officialibus solenniter juravit: certum † au-
3 tem est, quòd nedum propter adulterium, sed propter sævitias, quando tanta est viri sævitia, ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas præstari, & quando mulier diffidit, se posse cohabitare marito sine periculo & discrimine vitæ, separandum est matrimonium, quoad thorum, ne deterius inde contingat, *ut est tex. in cap. literas, in fine.* & *in d. c. ex*
4 *transmissa, de restit spolia.* ex † transacta enim alicujus vita instruimur, quid de sequenti conversatione sua præsumamus, *c. mandata, de præsumpt.* & semel malus semper præsumitur malus, in eodem genere mali. *c. scribam, de præsumpt.* & *regula semel malus, de reg. jur. lib. 6. cum sua magistrali glossa.* Præterea dictus Daniel post hujusmodi reconciliationem non est veritus palàm dicere præter veritatem, quòd prefatus magister Petrus prolem suam occidit, animo habendi successionẽ suæ uxoris, ut patet ex acta signata Beauvoir, de data 22. Martij, Anno 9. secundum cursum curiæ Hollandiæ, qui est annus decimus à nativitate, non est veritus minari d. magistro Petro, de interficiendo eum, ubicunque eum reperire posset, ut patet ex certificatione Delfensi, in ultimo processu exhibita. quanto magis ergo sæviret in uxorem miseram mulier-
5 culam, in † qua minor metus sufficit quàm in viro? *ut est gl. ordin. singul. in c. cùm locum, de sponsalib.* sicut ergo non est tutum, ovem committere lupo, ita non videtur quovis modo expediens, vel congruum, dictam Magdalenam committere crudelitati & voluntati dicti Danielis frenetici, bibuli, & ferè furibundi, sed juxta consilium divi Augustini, capiendum est certum, & dimittendum incertum, *c. juvenis, de sponsa.* & *de pœnit. distin. 7.*
6 *c. 1. 2.* & *3.* & † de duobus malis, minus malum est eligendum, *c. duo mala,* & *c. nervi 33. distin.* Ex quibus videtur mihi, sententiam dominorum Officialium confirmandam esse: Iudicio vestro, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM CCXV.

SVMMARIA.

1 *Expensæ in filiam maritatam à patre factæ, an repeti possint?*
2 *Donandi animus non præsumitur, quandiu alia conjectura præsumi potest.*
3 *In magna quantitate donatio non præsumitur.*
4 *Debitum remittere non videtur, qui diu stat, quòd debitum non petit.*

1 CAsus. Filia cujusdam † cuidam tradita est nuptui cum bona & ampla dote: post contractum matrimonij dicta filia maritata mansit cum marito & familia pluribus annis in domo suorum parentum,

rentum, & illic habuit expensas. Quaeritur, an parentibus vel haeredibus eorum, pro illis repetendis competat actio? & videtur quòd non, *per l. Nesennius. ff. de neg. gest.* & *l. alimenta, cum utrobique notatu. C. eo. tit.* In contrarium facit *tex. in l. quod in uxorem. C. de neg. gest.* ubi impensa, quae fit à patre in filiam maritatam, ad quam maritus tenebatur, repetitur, & ibi expressè decidunt *Cyn. Bald.* & *Dd.*
2 & est ratio, quia in † dubio non praesumitur animus donandi, quando alia conjectura sumi potest. *l. si cùm aurum. ff. de sol.* nam nemo praesumitur jactare suum. *l. cùm de indebito. ff. de probat.* In casu autem praesenti maritus tenebatur ad haec onera, propter amplam dotem per eum receptam, & parentes gravati pluribus prolibus voluerunt filiam dote contentam esse, nec ultra petere posse. quare non prae-
3 sumitur animus donandi, attento † maximè quòd istae impensae ascendunt ad magnam quantitatem, in quibus non praesumitur donatio. *l. si servus communis. ff. de donat. inter vir.* & *uxor.* pro quo etiam facit *gl. notabilis in l. si paterno, C. de neg. gest.* Nec obstant jura allegata, in contrarium, quia illa procedunt, quando alter non tenebatur ad illas impensas, utputa,
4 quia filia non fuit maritata. Non obstat † etiam cursus longi temporis, infrà quòd hujusmodi impensae petitae non sunt: quia respondetur, quòd ille qui diu stat, quòd debitum non petit, non videtur per hoc debitum remittere. *l. adversus. C. de neg. gest.* dummodo non cessat à petitione in actionibus personalibus spacio 30. annorum, *l sicut in rem. C. de praescript. 30. vel 40. annor. cum similibus.*

CONSILIUM CCXVI.

SUMMARIA.

1 *Vicissitudinaria concessio bonorum praesentium inter fratres facta, valet.*

2 *Concessio omnium bonorum, post mortem simpliciter facta, praesentia solùm continet, quando de magno agitur praejudicio.*

3 *Pactum liberam testandi facultatem impediens, tanquam contra bonos mores, reprobatur.*

4 *Pactum mortis captandae votum inducens de jure non valet,* & *num.* 17.

5 *Pactum de succedendo est nullum inter paganos, nec vim donationis causa mortis, vel ultimae voluntatis habet,* & *num.* 8. & 24.

6 *Cōcessio omnium bonorum praesentium* & *futurorum penitus est nulla.*

7 *Constitutum donationi interveniens fictè transfert dominium* & *possessionem in donatarium. Fallit ut num.* 22.

9 *Mortis causa donatio de omnibus bonis praesentibus* & *futuris facta valet,* & *num.* 21.

10 *Donatio causa mortis ex quibus dignoscatur?* &c.

11 *Testium numerus in testamentis* & *mortis causa donationibus, de jure civili requisitus, per canones hodie sublatus censetur.*

12 *Principis interventus in mortis causa donatione quid operetur?*

13 *Limitatio* L. ubi ita donatur, de donat. causa mortis.

14 *Clausula de non revocando, donationi mortis causa adjecta qualiter intelligenda?*

15 *Vnusquisque tam inter vivos, quàm in ultima voluntate, rei suae moderator est* & *arbiter.*

16 *Licitum reputatur, quòd expressè prohibitum non reperitur.*

18 *Dispositio irrevocabilis, cujus effectus post mortem disponentis confertur, de jure prohibita non est.*

20 *Fra-*

19 *Frater fratris vitæ insidiari velle non præsumitur.*

20 *Pactum de succedendo, & mutua omnium bonorum concessio inter fratres, cum reservatione facultatis testandi, qualiter differant? & num. 25.*

23 *Constituens se alterius nomine precario possidere, solùm possessionem civilem transfert, naturalem verò retinet.*

SUper dubio mihi transmisso, An valeat concessio vicissitudinaria, seu mutua inter fratres omnium bonorum præsentium & futurorum, nec ne: licet plura hinc inde allegari possent, succinctè tamen procedendo, cùm materia ista sit trita, & ab omnibus Dd. tacta & examinata, ponam duntaxat aliqua, quæ in hac materia meo judicio veniunt potissimè consideranda. Primò enim est præsupponendum, & sine aliqua hæsitatione te-
1 nendum, quòd † si in hujusmodi concessione solùm fuisset facta mentio bonorum præsentium, sine dubio talis concessio valeret, *ut est glossa vulgata, in l. fin. C. de pact.* & *ibi hoc tenent communiter*
2 *omnes Dd.* & idem, † si facta esset concessio, simpliciter omnium bonorum post mortem: nam simplex & indefinita concessio, cùm agitur de magno præjudicio, solùm continet præsentia. *l. si ita. ff. de aur. & argen. leg. cum vulg. & hoc tenent communiter omnes DD. excepto Salic. in d. l. fin.* sed quia in casu præsenti facta est concessio omnium bonorum præsentium & futurorum, potest probabiliter dubitari, an valeat, nec ne?

Et videtur primò, quòd non valeat,
3 quia pactum † per quod impeditur libera testamenti factio, tanquam contra bonos mores est reprobatum. *l. stipulatio hoc modo concepta. ff. de verb. obli.* & *l. pactum quod dotali. C. de pact.* Sed per talem concessionem impediri videtur libera testamenti factio directè & indirectè; ergo debet judicari nulla. Minor probatur, quia per talem concessionem omnium bonorũ præsentium & futurorum, collatam post mortem, concedens innuit se non esse dominum rerum aliquarum; ergo non testatur. *Auth. ingressi. C. de sacros. eccles. cum vulg.* Item indirectè videtur sibi auferri libera testamenti factio, cùm in ejus hæreditate nil inveniatur tempore mortis, & non invenietur qui velit suam hæreditatem adire, *Inst. ad l. Falcidiam, in princ. cum vulg.* Sicut igitur directè est prohibitum pacisci taliter, quòd impediatur libera testamenti factio, *ut in d. l. stipulatio hoc modo concepta,* & *in d. l. pactum quod dotali.* Ita etiam indirectè, quia nõ licet facere fraudem legi. *l. fraus,* & *l. contra legem. ff. de legi. cum vulg.*
4 Secundò, † ista concessio videtur reprobari ex alio, quia continet mutuum votum captandæ mortis alterius: cùm enim quilibet eorum videat & imaginetur, se debere post mortem alterius habere universa bona concedentis, si eum prædecedat, unusquisque alterius mortem sperabit & optabit, ac etiam verisimile est, unumquemque alteri insidiaturum in vitæ perniciem: & per consequens ista cõcessio tanquam legibus & moribus reprobata, videtur nulla. *d. l fin.* & *c. captandæ, de conces. præben. lib. 6. cum vulg.* Tertiò
5 † ista concessio videtur reprobari, quia ex quo de bonis, tàm præsentibus quã futuris est facta concessio, non videtur differre à pacto de succedendo, quia in ista concessione omnia clauduntur, sicut in universali successione, maximè in concessione præsenti, quæ est amplissima: sed pactum de succedendo est nullum, eò quòd aufert liberam testamenti factionẽ, *ut d. l. fina. C. de pact. cum vulg.* ergo eodẽ modo talis concessio, tanquam continens pactum de succedendo, debet esse irrita ipso

6 ipso jure. Quartò, pro † hac parte facit communis resolutio DD. *in d. l. fi.* qui ferè omnes, exceptis Salic. & Ang. concludunt, hujusmodi cõcessionem omnium bonorum præsentium & futurorum esse penitus nullam, *per jura* & *motiva suprà allega.* & *dicit ibi Paul. de Castr. se ita consuluisse,* & *refert Raphaelem ita tenere,* & *Bart. etiam sic consuluisse.* in eo qui fecit donationem omnium bonorum præsentium & futurorum, reservato sibi usufructu. Quintò, potissimè facit † pro
7 hac parte, quòd in concessione, de qua est quæstio, intervenit constitutum, & per consequens fictè translatum est dominium & possessio in superviventem, *juxta l. quod meo. ff. de acq. poss.* & *habetur pulchrè per gl.* & *Dd. Canonist. in c. 2, de consuetu.* per quod indubitabiliter videtur sublata libera testamenti factio, & per consequens dicta concessio debet judicari nulla, *per supra dicta.* Sextò pro
8 hac † parte videtur casus in terminis, *in l. licet inter privatos, C. de pact.* ubi pactum de succedendo invicem reprobatur inter paganos, nec habet vim donationis causæ mortis vel ultimæ voluntatis. Istis omnibus tamen non obstantibus, credo in casu præsenti, hujusmodi concessionem omnium bonorum præsentium & futurorum esse validam, & debere suum effectum sortiri, quod deduco medijs infrà scriptis. Primò, quia reperio, quòd in ista concessione, de qua est quæstio, donatores voluerunt hujusmodi donationem, valere tanquam donationem inter vivos, vel donationem causâ mortis, aut aliâs meliori modo & forma, quibus in casu præsenti donatio potest & debet fieri, tàm per jura scripta, consuetudines, quàm ali-
9 ter: modò clarum est, quòd licet † donatio omnium bonorum præsentium & futurorum inter vivos facta eodem contextu sit inutilis, & nulla in totum, quia videtur facta in fraudem legis, ad impediendam liberam testamenti factionem, *ut volunt communiter omnes in d. l. fin. C. de pact.* secus tamen est dicendum in donatione causa mortis, quia illa potest revocari, & sic in illa salva est libera testamenti factio. Item de illa hæres detrahit Falcidiam, propter quam jam adibit hæreditatem. *Ita firmant Bart. Bal.* & *communiter omnes DD. in d. l. fin. C. de pact.*

10 Nec præmissis obstat, si dicatur, quòd ista concessio † non potest judicari donatio causa mortis, propter duo. Primò, quia non intervenerunt quinque testes, quod tamen requiritur in donatione causa mortis, *in fin. C. de dona. cau. mortis.* Secundò, quia donatores voluerunt, hanc donationem esse irrevocabilem, ergo debet judicari donatio inter vivos, *per l. ubi ita donatur. ff. de dona. cau. mort. ubi est tex. singu.*

Quia respondeo, & dico, quòd primum non obstat, propter duo. Primò, quia si
11 dicamus, leges † requirentes septem testes in testamẽtis & ultimis volũtatibus, esse sublatas per Canones, ut videtur *in c. cùm esses,* & *in c. relatum, de testam. cum ibi not. per gl.* & *DD.* dicendum etiam erit ex consequenti, leges requirentes quinque testes in donatione causa mortis, quæ instar habet ultimæ voluntatis, revocatas esse per canones. Secundò, non
12 obstat ex alio, quia † ultra tres testes, qui intervenerunt in hujusmodi concessione, intervenit præsentia principis & sui concilij, coram quo hujusmodi concessio fuit passata, insinuata, & expedita, licet revera insinuatione non eguit, *ut concludit Salic. in d. l. fin.* & *Alexan. in d. l. licet,* & *Oldrad. in cons. suo 193.* & *Ioan. And. in addit. ad Specul. in titu. de instru. edit. §. porrò, versic. fin. ubi dicit ita fuisse judicatum,* quare cessant aliæ solennitates de jure requisitæ *l. omnium. C. de testa. ubi casus.* Non obstat etiam secundũ
13 quia *d. l.* † *ubi donatur,* recipit singularem limita-

limitationem, ut procedat, quando faciendo interpretationem, de qua in illa lege, actus manet validus: sed quando ex illa interpretatione actus redderetur inutilis, tunc non procedit illa lex, etiamsi intervenit juramentum: quia in dubio debemus ita interpretari, ut actus potius valeat, quàm pereat, *l. quotiens. ff. de R. I.* cùm ergo non possit interpretari, quòd ista concessio omnium bonorum præsentium & futurorum sit donatio inter vivos actu manente valido, debemus interpretari, quòd sit donatio causa mortis. *Ita singulariter decidit Paul. de Cast. in terminis nostris, in cons. suo* 101. *incipiente, in Christi nomine amen, notandum est, secundum quotas meas.* Secundo deduco, concessionem, de qua est quæstio, esse validam, quia reperio, quòd in ea donatores sibi reservarunt facultatem testandi, & sibi invicem promiserunt, quòd superstes dispositiones testamentarias, seu ultimæ voluntatis prædecedentis de puncto ad punctum adimpleret: ergo patet, quod per hujusmodi concessionem non est sublata, imò reservata, libera testamenti factio. Itẽ per hoc etiam clarè patet, quòd ista concessio censeri debet donatio causa mortis, & non inter vivos, & clausula
14 † de non revocando debet sanè intelligi eatenus scilicet, quatenus non fuerit aliter dispositum in ultima voluntate, quia clausula sequens declarat præcedentia, & econtrà, *l. si servus plurium. § fin. ff. de legat.* 1. *cum vulg.* per quod funditus corruunt omnia suprà in oppositum adducta. Tertiò probo, quòd hujusmodi mutuæ
15 concessiones sunt validæ, quia † tam inter vivos, quàm in ultima voluntate unusquisque suæ rei est moderator & arbiter. *l. in re mandata, C. manda.* unde licitum est unicuique patrimonium suum effundere, & ipsum totum suis donationibus elargiri, nisi lege aliqua prohibeatur. *l. si totas,* & *l. precibus,* & *l. si mater tua, C. de inoffic. dona.* & *l. si unquam, C. de revo. donat.* & *l. si sancimus, C. de donat.* unde fundata est intentio superviventis ex donatoribus de jure communi, secun-
16 dum † quod omnia quæ non sunt de genere prohibitorum, licent, quæ non reperiuntur lege prohibita. *l. ab ea parte, ff. de probat. cum sim.* Cùm ergo in casu nostro hujusmodi concessio potest interpretari donatio causa mortis, & in ea sit expressè reservata libera testamenti factio, nec hoc casu alibi in specie reperiatur reprobata, patet, quòd hujusmodi concessio debet judicari valida, & istud in fortioribus terminis consulendo, tenet *Ang. in cons. suo* 179. ut latius videre poteris per eum. Nec obstant adducta suprà in contrarium, & primò non obstat primum, quia respondetur per interemptionem, negando, quòd in casu præsenti directè vel indirectè tollatur libera testamenti factio, imò reservatur expressè prædecedenti libera testamenti factio, ut suprà dixi, quare non obstat. Non obstat etiam secū-
17 dum, quia respondeo, quòd † non inducitur votum captandæ mortis, modo prohibito à jure, cùm vicissim votum capiatur, & hoc non prohibetur *in præall. l. fin. C. de pact.* imò magis concedi videtur: si enim id esset prohibitum hoc casu, eadem ratione esset prohibita donatio bonorum præsentium post mortem donantis, quod est falsum, ut suprà dixi, & decidit expressè *Oldrad. in d. cons.* 139. *in primo dubio.* Item illo supposito sequeretur,
18 quòd similiter † esset prohibita omnis dispositio irrevocabilis, cujus effectus cōferretur post mortem disponentis, ita quòd actio contra hęredem incipiat, quod similiter est falsum, *ut in l. unica, C. ut*
19 *actio. ab hærede. & cont. hæred.* nec † est verisimile in casu præsenti, aliquem prædictorum fratrum desiderare mortem alterius, vel ejus vitæ velle insidiari, cùm hujusmodi cōcessionem vicissim fecerint animo

animo intertenendi amorem & unionem fraternalem, & juraverint vicissim benè fraternizare, ut in themate; ergo contrarium non est præsumendum, cùm nemo præsumatur immemor suæ salutis, & quilibet præsumitur in mente gerere, quod exprimit verbo, *l. Labeo.§.idem Tubero, ff. de suppell.leg.cum vulg.*

Non obstat etiam tertium, quia re-
20 spondeo, quòd † hujusmodi concessio omnium bonorum præsentium & futurorum multum differt à pacto de succedendo: nam per pactum de succedendo directò tollitur libera facultas, sed in concessione de qua est quæstio, expresse reservata est libera testandi facultas, ut suprà dixi, quare non obstat.

21 Non obstat etiam quartum, quia licet† communis opinio Doctorũ habeat, quòd non valet donatio omnium bonorum præsentium & futurorum, quando est facta inter vivos unico contextu, & sic irrevocabiliter, sublata penitus facultate testandi: tamen quando fit in donatione causa mortis, vel quando reservatur libera, ut in casu præsenti, tunc nullus Doctorum dicit vel cogitavit dicere, donationem vel concessionem hujusmodi non valere, *imò Bart. Bald.* & communiter omnes hoc casu dicunt, donationem valere, *in præall. l.fi.* quare nõ obstat. Non ob-
22 stat etiam quintum, quia † licet per titulum constituti simpliciter, & sine addito transferatur dominium & possessio, *ut in d.l.quod meo*, tamen quando cum titulo constituti concurrit reservatio potestatis testandi, nõ transfertur dominium & possessio eatenus, quatenus reservatio se extendit, cum illa reservatio debeat aliquid operari. *l.si quando, in princ.ff.de leg. 1.*
23 sicut videmus in simili, quando post † cõstitutum adduntur in instrumentis hæc verba, precario nomine, quo casu adjectio diminuit virtutem constituti, quia per simplex constitutum transfertur omnis possessio, tam naturalis quàm civilis: sed quando constituo me possidere, nomine tuo precario, trãsfertur solùm civilis possessio, & retinetur naturalis, *ut volunt DD. maximè Iason. & novissimi, in l.ab emptione.ff. de pact.* ita etiam dico in proposito, quare non obstat.

Non obstat etiam sextum & ultimum,
24 quia fateor, quod pactum † de succedendo invicem non habet vim ultimæ voluntatis, vel donationis causa mortis inter paganos, nec mirum, quia per donationem causâ mortis non potest dari hæreditas, sicut nec per codicillum, vel epistolam, ut probat *d.l. licet. Et ibi Bart. Bald. Ang.* & *alij id notant*, tamen ex hoc non sequitur, quin valeat concessio omnium bonorum præsentium & futurorum, facta in donatione causa mortis, ut volunt *Bart. Bal.* & *alij in d.l.si maximè*, quando reservata est libera testandi facultas, & quãdo invicem promittunt, ultimam voluntatem prædecedentis adimplere, ut punctaliter accidit in casu præsenti. Cùm er-
25 go † ista sint multum diversa, pactum de succedendo invicem, & concessio seu donatio reciproca omnium bonorum præsentium & futurorum, cum expressa reservatione facultatis testandi. Ergo de uno ad aliud non est bona argumentatio, cùm ex separatis non fiat illatio, *l. neque natales. C. de prob. cum vulg.* quare non obstat. Concludendo ergo dico, hujusmodi concessionem valere, & suum effectum sortiri debere per suprà dicta.

CONSILIUM CCXVII.

SUMMARIA.

1 *Usufructuarius speciem seu formam rei in qua usumfructum habet mutare, & sic ex lacu terram arabilem facere non potest.*

2 *Verba*, quandiu vixerit, *quid importet?*

3 *Verbum*, habere, *plerumque possessionem importat*, & *num*. 12.
4 *Pignus in re propria consistere non potest. Fallit ut num*. 15.
5 *Donatio propter nuptias, quibus nominibus in diversis locis nuncupetur?*
6 *Dotalicium quod dicatur ?*
7 *Vxori pro re sibi propter nuptias donata, rei vendicatio competit, etiamsi nulla sit facta traditio.*
8 *Dos* & *donatio propter nuptias, sub conditione translationis dominij suspensiva, constitui possunt.*
9 *Fundi ad alimenta alicui assignati proprietas cui debeatur?*
10 *Donari potest ad tempus certum, vel incertum.*
11 *Dans alicui fundum, si exprimit, se illum in hæreditatem vel feudum dare non velle, solùm usumfructum concessisse videtur.*
13 *Verba secundum subjectam materiam accipienda sunt.*
14 *Verbum*, Assigno, *quid significet?*
16 *Simplicitas scriptoris partibus non nocet.*
17 *Fundus dotalis, sive in donationem propter nuptias datus, fructuosior reddi potest, etsi species ejus immutetur.*
18 *Dos* & *donatio propter nuptias æquiparantur.*
19 *Limitata causa, limitatum producit effectum.*
20 *Reservatio certorum casuum firmat regulam in casibus non reservatis.*
21 *Impensæ in rem propter nuptias donatam factæ, an repeti possint?*

PRæsupposito casu ex instrumentis sub Illustrissima domina repertis, quæsitum est, an ipse Dux possit, invita domina Illustrissima, ex lacu magno terram arabilem facere nec ne: Et si non, an ipsa Illustrissima domina possit hoc facere, & suum reditum augere? Et respondetur primò ad ultimam quæstionem, ex cujus decisione sequitur decisio primæ, ut facit summus Pontifex *in c. pastoralis*. §. 1. *de rescript*. Dubium facit, quia ex supra tactis instrumentis aliquis dubitare possit, si ipsa Illustrissima domina sit terrarum in instrumentis comprehensarum pleno jure domina, seu plena proprietaria,
1 an usufructuaria duntaxat. Si enim † usufructuaria est, videtur quod ex lacu terram arabilem facere non poterit, cum usufructuaria speciem seu formam rei, in qua usumfructum habet mutare non potest, etiam quamvis hoc faciendo ampliorem reditum haberet. *l. hactenus, in fi.* & *l. æquissimum. ff. de usufru.* & *tenet Bart. Veronen. post plures quos allegat in tract, de servit. rust. præd c. de montibus, vers. quæritur quinto*. Sed si Illustrissima est pleno dominio terrarum domina, quæstio minus dubium habet, de quo dicetur infrà. Videamus ergo, an domina, an usu-
2 fructuaria est. & apparet quòd † usufructuaria est, quia ex instrumentis de dotario factis constat, quòd Illustrissimus Dux assignavit Illustrissimæ dominæ prætactas terras habendas & retinendas, non quidem in perpetuum & hæreditariè, sed quamdiu vixerit, quæ verba important, eam in dictis terris esse usufructuariam, prout videtur *tex. in c. nuper. secundum quod illum intelligunt Io. And. Panor.* & *cæteri. de donat. inter vir.* & *uxor.* & tantò magis apparet, quòd usufructuaria est, & non proprietaria, quia
3 verbum *Habere*, † non significat de necessitate existentiam dominij in habente, sed plerunque possessionem importat, *ut notat Bart. in l. 1. §. potestatis. ff. de pecu.* & *Alex. in l. stipulatio ista. §. hæc quoque,* & *ibidem etiam dom. Iason in 9. col. ff. de verb. oblig.* Cùm igitur terræ sunt ei assignatæ, ut illas habeat & retineat vita sua durante, videtur illas habere, id est possi-
4 dere, ut usufructuaria: & ad † hoc accedit,

dit, quòd in dictis instrumentis in quo-
dam passu habetur, terras ipsi Illustrissi-
mæ dominæ hypothecatas esse, ex quo
clarè constare potest, illas ejus non esse,
cùm pignus in re propria consistere non
potest. *l. neque pignus. ff. de reg. jur.*

Istis tamen non obstantibus, pro certo
tenendum & judicandum est, Illustrissi-
mam dominam fuisse & esse prætactarũ
terrarum pleno jure dominam seu pro-
prietariam, & nõ usufructuariam. ad quod
deducendum, præmittendum est, quod
5 † inter cæteras donationes propter nu-
ptias una est donatio, quæ quotidie in usu
est, & per quam vir contracturus matri-
monium donat uxori suæ futuræ aliquid,
sub conditione, si obtingat ipsam præmo-
riente marito, supervivere. & hæc dona-
tio in diversis locis habet diversa nomina,
nam in Flandria & eo circa vocatur
Duaria, in Sabaudia vocatur *Dotarium*,
ut constat per instrumenta superius al-
legata. In Francia vocatur aliâs *Dota-
rium*, aliâs *Supervita*, ut in decisionibus
Delphinalibus *decisione* 248. & 524. &
6 525. & 565. vocatur † etiam *Dotali-
cium, ut in c. plerunque, de don inte vir. &
uxor.* ubi glossa super verbo *Dotalicium*,
exponens tex. dicit illud vocari Dota-
licium, quod per pactum ex donatione
mariti lucratur uxor, si soluto matrimo-
nio supervivat, *& illam approbant ibi-
dem Panormitanus & alij Canonistæ*: sed
quocunque nomine appelletur, semper
donatio propter nuptias est, *ut tenet di-
cta decisio* 365. Hoc præmisso proba-
tur, quòd Illustrissima domina supervi-
vens per & post mortem Illustrissimi du-
cis sui mariti nobilis memoriæ, fuit & est
facta domina terrarum supratactarum,
quia illæ terræ sunt ei assignatæ seu do-
natæ propter nuptias, pro suo dotario seu
dotalicio, ut constat ex literis & instru-
7 mentis desuper confectis, sed uxori †
pro re sibi donata propter nuptias, com-
petit rei vendicatio, *ut in Auth. permissa,
& ibi Bal. in lectura nova, C. de dona. an-
te nup. & in Auth. donationem, & ibi gl.
& Cyn. C. de jure dotium.* Igitur dicta Il-
lustrissima est domina terrarum, pro suo
dotario seu dotalicio ei assignatarum. *l.
in rem actio. ff. de rei vendic.* Et habent
prædicta jura locum, non solùm quando
uxori facta est donatio propter nuptias
purè, & sine conditione, quæ siquidem
donatio soluto matrimonio redit ad virũ.
c. fin. de dona. inter vir. & uxor. sed etiam
obtinent in casu, quo pactum est de dona-
tione lucranda, *ut dicit Bal. in dicta Auth.
permissa, post gl. ibidem. & idem tenet an-
tedicta decisio* 524. dicens, quòd sicut dos
8 † potest dari sub conditione suspensiva
translationis dominij, *l. dotis fructus. § fin.
ff. de jur. dot.* Ita & donatio propter
nuptias potest fieri sub conditione su-
spensiva translationis dominij, qua siqui-
dem conditione adveniente, ut in casu
nostro, si præmoriente viro supervivat
uxor, ipsa fit domina rei sibi sub condi-
tione donatæ, cum donatio est unum ge-
nus acquisitionis dominij. *Instit. de dona.
in princ.* & hoc in tantum verum est, quòd
uxor sit domina donationis propter nu-
ptias, secundum distinctionem præceden-
tem, etiam si res donata non est ei tradita,
*secundum gl. quam omnes sequuntur, in
d. Auth. donationem.*

Hanc etiam cõclusionem, scilicet, quòd
Illustrissima domina est domina antedi-
cti dotarij, tenet antedicta decisio 525.
9 & plus dicit, quod † quamvis dictum
fuisset, quòd Illustrissimus dux assignas-
set Illustrissimæ dominæ antedictas ter-
ras ad alimenta, aut pro statu suo tenen-
do, nihilominus esset proprietaria, &
non usufructuaria, *l. Titia, l. 1. § fin. ff. de
legat. 2. & l. donationes. §. species. ff. de
donat. & l. fin. ff. de usufruct. ear. rer. quæ
usu consum. & l. libertis, & ibidem Bart.
ff. de alimen. & cibar. lega. & Ias. in l.*

cum hi.§.si uni.ff.de transaction. Nec ob-
stat, quod dictæ terræ sunt donatæ ad vi-
tam Illustrissimæ dominæ, quia non est
10 † contra naturam veræ donationis, quod
fiat ad tempus certum vel incertum, sicut
est tempus vitæ hominis, *ut in l.2.C.de*
donation. quæ sub modo, & *in l.1.ff.de con-*
di. & *demonstra.* quinimò ex hoc quòd
dictæ terræ sunt donatæ ad vitam, magis
sequitur, quòd donataria facta est domina,
ut in d. l.Titia.§. fina. Non obstant ar-
gumenta superius ad oppositum facta:
11 quia *d.c* † *nuper*, non probat, quòd omnis
ille est usufructuarius, cui data est res,
ut eam habeat & teneat ad vitam, sed
plus dictum fuit *in d.c. nuper.* nam dans
ibidem illam terram, expresè dicit &
declaravit, se illam dare non velle in hæ-
reditatem vel feudum, id est nec in domi-
nium plenum, nec in dominium utile: sic-
ut enim veteres hæredem appellabant do-
minum. *§. pro hærede. Instit. de hered.*
qualit. & *differen.* sic hæreditas pro do-
minio accipi potest. Dare igitur terram,
non in hæreditatem, est eam dare, non in
dominium plenum: & dare non in feu-
dum, est eam dare non in dominium utile.
Igitur restat, quòd ille de quo *in d.c.nu-*
per, nec fuit plenus dominus, nec utilis do-
minus, sed habuit solùm usumfructum:
etiam non multum curandum est, quibus
verbis utebatur Archidiaconus sancti An-
dreæ in Scotia, cui dicta decretalis, nuper
scribitur, cùm ipse consulens Papam in
pluribus ineptè loquebatur, ac propterea
Papa respondens ad cõsultationem suam,
in fine curialiter reprehendit ipsum, *ut*
notant ibidem Dd. & ad illud, quod
12 † in argumento ad oppositum subjungi-
tur, verbum *Habere*, non significare exi-
stentiam dominij, *l. 1. §.potestatis. ff. de*
pecu. respõdetur, quòd licet verbum, *Ha-*
bere, non semper importat existentiam
dominij, ut ibi, attamen aliquando impor-
tat, sicut dum præfertur à testatore insti-
tuente vel substituente hæredem. Tunc e-
nim est verbum obliquum vel commune
secundum materiam subjectam, prout de
hoc tractant DD. *in l. centurio. ff. de*
13 *vulg.* & *pupilla.* verba enim debent † ac-
cipi secundum materiam subjectam, *ut*
in l. si stipulatus, in princ. ff. de usur. &
notat Bald. in l.ubi adhuc, C. de jur.dot.
14 ubi dicit, quòd hoc verbum, *Assigno* †
quandoque significat juris & dominij
translationem, quandoque non, secundum
quod ratio juris patitur. Cùm ergo ratio
juris in proposito seu materia subjecta
requirit, quòd dominium in re donata
propter nuptias transferatur, ut superius
probatum est, sequitur, quòd verbum ha-
bere importet hîc translationem dominij.
Et ad illud quod in dictis instrumentis in
quodam passu habetur, ipsas terras ipsi
Illustrissimæ dominæ hypothecatas esse,
ex quo sequi videtur, illas jure domi-
nij ad eam non spectare: Respondetur,
15 quòd in † donatione propter nuptias spe-
ciale est, ut uxor habeat simul dominium
& hypothecam in eadem re, *ut dicunt*
Cyn. & *Bald. in dicta Auth. permissa,* & *i-*
dem Cyn. in d. Auth. sive à me, C. ad Velle.
vel si hoc verbum, *Hypothecamus*, in dicto
passu per inadvertentiam sive imperitiam
scriptoris vel secretarij positum est, non
debet nocere Illustrissimæ dominæ, cùm
16 † simplicitas scriptoris vel secretarij, non
noceat partibus. *l.fin.C. de fidejuss.* & *l.si*
cùm ante, & *ibi Bal. C. de don.ante nup.*
Restat, ut ad quæstionem respondeamus:
An Illustrissima domina possit ex lacu
magno terram arabilem facere, & suum
17 reditum augeres. Solutio. Maritus † po-
test fundum dotalem fructuosiorem fa-
cere, quamvis hoc faciendo speciem fundi
immutet, *l. divortio. §.si vir.ff.solu.matr.*
& *per ea quæ ibi notant DD.* & *tenet in*
terminis Bartho. Veronen. in tractatu de
servit. rusticor. prædio c. de montibus, vers.
quæritur septimo: ubi dicit, quòd mari-
tus po-

rus potest extirpare nemus sibi datum in dotem, & reducere ad culturam, dummodo tamen per hoc fundum fructuosiorem reddit, secus, si per hoc fundus non redderetur fructuosior: & si maritus eam potestatem habet in re sibi in dotem data: pari ratione similem potestatem habebit uxor, in re sibi propter nuptias data, cùm † donatio propter nuptias,
18 & dos æquiparantur. *l. cum multæ. C. de dona. ante nupt.* Præmissis relinquitur decisa prima quæst. quia cùm plenum dominium sit translatum in dominam Illustrissimam, ut suprà deductum est: sequitur, quòd ipse Dux, qui domina Illustrissima vivente à se dominium abdicavit, & non nisi quædam jura superioritatem concernentia sibi reservavit, id face-
19 re non posset: quia † limitata causa seu potentia limitatum producit effectum. *l. in agris, ff. de acquir. rer. domin.* & *§. quod autem*, & *ibi Bald.* & *Ang. Instit. de legit. agnato. tute.* & *habetur plenè per Felin.* & *Modern. in c. cùm ordinem, in*
20 *4. col. de rescrip.* & reservatio † certorum casuum firmat regulam in casibus non servatis, sive non exceptis, ut est *tex. in l. nam quòd liquidè. §. fin. ff. de pen. lega.* & *in l. quæsitum. §. denique, in fine*, & *ibi Bart. notat. ff. de fund. instruct. cum vulg.*
21 An autem Illustrissima † domina vel sui hæredes, impensas in reducendo lacum ad culturam faciendas, poterunt ab Illustrissimo duce vel suis hæredibus repetere, non est nostra quæstio, sed de hoc *in l. utilium*, & *ibi Bart. ff. de impen. in reb. dotalib. fact.* & *in l. domos hæreditarias. ff. de legat. 1.*

CONSILIUM CCXVIII.

SUMMARIA.

1 *Executores ulti. volunt. an ad conficiendũ inventarium de bonis in domo mortuaria repertis teneantur?*

2 *Pactis vel dispositionibus privatorum jus publicum tolli non potest, nec dolus futurus remitti.*

3 *Executoribus testamenti præferendus est hæres institutus, cautionem fidejussoriam de exequendo ultimam voluntatem faciens.*

Visa copia testamenti seu ultimæ voluntatis Domini Cornelij Ducis, videtur mihi subscripto in primis, executo-
1 res † non posse compelli ad conficiendum inventarium de bonis in domo mortuaria repertis, vel ad illud exhibendum, dominis Decano & Capitulo ecclesiæ collegiatæ Sancti Rumoldi: attento, quòd testator de suis executoribus confidens illud eisdem remiserit: & tantò fortius, cùm unus executorum sit hæres institutus in residuo: attento etiam, quòd legata sunt certa, quibus solutis domini non habent curare de residuo, vel valore aut quantitate ejusdem, cùm eorum non interfit: attento etiam, quòd confectio inventarij introducta est in favorem hæredum, quare non debet in eorum dispendium retorqueri. Item primò videtur mihi, quod dictus testator non vetuit rationem reddi: imò ordinando, quod dominus de juribus ratione computus & administrationis debitis satis fiat, videtur tacitè voluisse, quod ratio reddatur de administratione coram dominis. Et dato, quod id prohibuisset, tamen hujusmodi prohibitio non valeret, quin domini repræsentantes ordinarium, possint petere videre computum, ad finem inquirendi, an ultima voluntas defuncti sit adimpleta, nec ne: & an in usus per testatorem deputatos pecunia sit conversa: ánve dolus aliquis circa hoc commissus sit: quia pactis
2 † vel dispositionibus privatorum jus publicum tolli non potest, nec dolus futurus remitti. *l. quidam decedens, in princ. ubi casus. ff. de administ. tuto.* & *c. tua*

nos,

nos, & *ibi canonist. de testam.* Imò plus dixit *Dominic.in c.statutum,§.assessorem. de rescript.lib.6.* quòd etiam si testator relinquat distributionem legatorum conscientiæ suorum executorum, tamen episcopus potest petere, videre rationes & computa, ad finem requirendi, an satisfactum sit ultimæ voluntati defuncti, ut ibi latius per eum: Multò fortius ergo in casu præsenti. Item secundò videtur mihi,
3 quòd si † hæres institutus, qui etiam est unus de executoribus nominatis per testatorem, velit in se suscipere onus exequendi ultimam voluntatem defuncti, & de hoc ponere cautionem fidejussoriam, promittetque, quòd infrà terminum competentem sibi præfigendum, fidem faciet dominis de capitulo, ultimam voluntatem defuncti adimpleri, eoque nomine stare juri coram eis, quòd ipse alijs executoribus est præferendus: *juxta notat. per Bart. in l.alio, in penul.col. ff.de alim.* & *oiba.lega.jurib.per eum alleg.* quæ brevitatis gratia omitto.

CONSILIUM CCXIX.

SVMMARIA.

1 *Rei sufficienter demonstratæ frustra quicquam adijcitur.*

2 *Nemo sine actione experitur.*

3 *Instrumentum neminem juvat, nisi quem tenor instrumenti complectitur, vel juris aut rei successor sit.*

4 *Promittens solvere alicui vel latori literarum, à quibus conveniri possit?*

5 *Adjectus solutioni agere non potest, licet ipsi benè possit fieri solutio.*

6 *In curia mercatorum ex æquo* & *bono proceditur, actioque ex nudo pacto datur, modò de contractu inter ipsos facto constet.* & *num.7.*

8 *Promissio obscura secundum interpretationem rei intelligenda est.*

Viso processu, tam primæ quàm secundæ instantiarum, agitato inter Ioan. Goes originalem actorem in prima instantia, & appellantem in hac secunda instantia, ex una, & Bernardum Daemps originalem reum in prima instantia, & intimatum in hac secunda instantia appellationis, ex altera: cum omnibus his, quæ per partes hinc inde allegata, producta, & exhibita fuerãt. Nec non sentẽtia in prima instantia, per Dom. Decanum Halle & juratos, &c. lata, visis etiam motivis juris, tam per Dom. Doctorem Gabrielem de Mera, & Leonardum de Namurco primò, quàm per Dom. Doct. Nicolaum de Capella, depost exquisitissimè redditis: Videtur mihi subscripto, benè per dictos dominos consultum, & rectè per judices primæ instantiæ judicatum, juribus per dominos præconsulentes amplissimè alleg. Ultra quæ licet non foret ne-
1 cessarium quicquam adjicere; quia † ut dicit *tex. in l.1. in fin.ff. de dote prælег.* rei sufficienter demonstratæ frustra quicquam adijcitur. Et alibi scribitur, quòd supervacuis laborat impendijs, qui solem facibus certat adjuvare, *c. si omnia. in fi.6. q.1.* Tamen ut res clara magis clarescat, & veritas agitata magis splẽdescat in lucem: & quia non de sola subscriptione fui rogatus, adduco pro bono jure dicti Bernardi ultra suprà allegata, ea quæ sequun-
2 tur. Primò certum est, † quòd nemo sine actione experitur. *l.si pupilli §.fin. ff. de nego.gestis.* Adeò quòd judex, videns actori notoriè actionem non competere, etiam nemine opponente, potest eundem à limine judicij ex officio repellere, *ut notant gloss.* & *DD. in l.ubi pactum, C.de transact.* & *gl. in l.si unus §.pactus ne peteret.ff.de pact.* & *ibi etiam Dd.* Certum
3 autem est, quòd † agens ex aliquo instrumento, in quo nominatus non est, non rectè agit. Imò sine actione experitur: quia instrumentum neminem juvat, nisi quem

quem tenor instrumenti complectitur, *ut est text. ad literam in l. ad probationem, 1. C. de probat.* & *ibi dicit Bald.* quòd instrumentum probat secundum ipsius tenorem, non præter, vel supra, vel contra, inferens ex hoc, quòd qui non nominatur in instrumento, non juvatur instrumento, nisi sit juris vel rei successor. Ex hoc est, quòd advocati sæpè dicunt, instrumentum non loquitur de te, *secundum eum.* Cùm ergo litera missiva dicti Bernardi non fuerit directa dicto Ioan. Goes, sed Gerardo Lucas, ut clarum est, & confessatum per dictum Ioannem in sua petitione hujus secundæ instantiæ, nec loquatur etiam de ipso Ioanne Goes specificè, ut etiam clarum est: Nec dictus Ioannes Goes successerit præfato Gerardo, de quo litera missiva loquitur, nec ab eo transportum habeat: Sequitur ergo, quòd non potest suffragari dicto Ioanni Goes, quòd teneat dictam literam missivam, *d. l. ad probationem, ubi de hoc est casus.*

4 Nec obstat, si dicatur, litera † missiva loquitur de Ioanne Goes implicitè vel tacitè in illis verbis: **Ist jemand anders/** quod videtur sufficere, per simile, quia cũ per literas quis promittit solvere alicui vel latori literarum, agit nedum nominatus in litera, sed etiam lator literarum de jure, ut videmus de consuetudine servari, quæ est optima legum interpres. *l. si de interpretatione. ff. de leg.* ergo etiam idem erit in casu subjecto. Hoc argumentum tangit dictus Ioannes in sua replica hujus secundæ instantiæ: & ad illud nititur respondere dictus Bernardus in sua duplica, sed nihil pro sua solutione allegat. Et quia argumentum istud prima facie videtur demulcere aures audientium, præcipuè non peritorum in jure, nec tangitur per dominos præconsulentes: idcirco statui ad illud dare formalem solutionem. Et dico, quòd dictum argumentum præsupponit duo falsa. Primò enim præsupponit, quòd cùm per literas quis promittit solvere alicui vel latori præsentium, quòd lator literarum de jure habeat actionem, ex hoc, quòd literæ obligatoriæ continentes dictam clausulam *vel latori literarum*, sunt in manu ejus: Hoc enim est falsum, quia in dicto casu latori literarum non est quæsita obligatio nec actio, sed solùm censetur adjectus solutioni. Modò

5 certum est de jure, adjectus † solutioni non potest agere, licet sibi benè possit fieri solutio: & si sibi fiat solutio, contingit liberatio, *ut est tex. junct. gl. in § si quis alij, in versic. planè. Institu. de inuti. stipul.* & *hoc decidunt apertissimè Petr.* & *Cyn. in dicta l. ad probationem.* Secundò, dictum argumentum præsupponit falsum in alio, quia præsupponit, quòd de consuetudine hoc casu detur actio inter mercatores, quod similiter est falsum: quia nihil aliud habet consuetudo, quàm quòd tali potest solvi: & si ei fiat solutio, contingit liberatio. Et ita expertus sum effluxis nunc novem vel decem annis, cùm eram deputatus per dom. Præsidentem magni concilij, ad capiendum informationem super dicta consuetudine in oppido Antwerpiensi in causa Arnoldi Cloet civis Mechliniensis contra Iacobum Casselen civem Antwerpiensem, propter quęstionem, quæ inter eos erat propter dictam clausulam, uno prætendente, quòd lator literarum de consuetudine mercatorum haberet actionem, & altero prætendente contrarium: & ita fuit judicatum in præfato concilio magno contra dict. Iacobum Casselen, & pro ArnoldoCloet. Et ratio hujus potest assignari, quia tales literæ obligatoriæ cum dicta clausula possunt surripi, & obtineri contra voluntatem scribentis, ut aliquando accidit. Iniquum ergo esset latori dari actionem, nisi constet, quod litera ad eum pervenisset de voluntate scribentis. Si ergo nec de jure, nec de consuetudine mercatorum, in

dicto casu lator præsentium habet actionem, sed solùm sibi potest fieri solutio (ut declaravi) ergo multò fortius in casu subjecto, propter rationes amplè allegatas per dominos præconsulentes. & sic dictum argumentum retorquetur contra
6 dictum Ioan. Goes. Nec obstant etiam † *not. à Bar. in l. Quintus Mutius. ff. mand.* ubi dicit, quod in curia mercatorum proceditur ex æquo & bono, & datur actio ex nudo pacto: quia id potest esse verũ, quando constat de contractu inter contrahentes: sed hic non est contractus, vel aliquid actum inter dict. Bernardum & præfatum Ioannem Goes, ut amplissimè declarat dominus Nicolaus, cujus scriptis addo. l. benefacientem *in l. quęcunque gerimus. ff. de actio.* & *oblig.* quæ formaliter sic dicit. Quæcunque gerimus, cùm ex nostro contractu originem trahunt, nisi ex nostra persona initium obligationis sumant, manere nostrum actum efficiunt, & ideo neque stipulari, neque emere, vendere, contrahere, ut alter suo nomine agat, possumus. Et sic dictum Bart. non facit ad propositum, quod † etiam tunc demum locum sibi vendicat, quando mercatores habent specialem curiam, & speciales judices, & quando tale statutum est inter eos; aliàs secus, *ut dicit glossa in l. si qui, in fine. C. de consti. pecu. quam sequitur ibi Bald.* quando statutum mercatorum refert se solùm ad proprios judices: statutum enim decisivum concludens judici non mutat suum forum, secundum eum. In casu autem subjecto non constat ex actis, nec etiam allegatur per partem, quòd mercatores habent tale statutum inter se.
8 Præterea quando † promissio est obscura, non tamen ex toto, sed potest interpretari pro actore, & pro reo, statur semper interpretationi rei, *ut est tex. secũdum verum intellectum, quem tenet Dyn.* & *alij in l. quicquid restringendæ, in princip, ff. de verb. oblig.* multò fortius ergo, quãdo non potest fieri interpretatio pro actore, stabitur interpretationi rei, juri cõsonæ, & non interpretationi actoris à jure discrepãti, ut in casu subjecto. *d l. quæcunque.* Concludendo ergo dico, sententiam per judices primæ instantiæ benè latam, & eam per judices secundæ instantiæ fuisse & esse confirmandam, & confirmari debere, judicio cujuslibet melius sentientis semper salvo. Consulteque dictus Ioannes (si sapuisset) fecisset, si inanibus expensis se non vexasset, *ut in simili dicit ICtus, in l. 1. ff. de inoffic. testam.* Sic subscriptum, Ita videtur mihi Nicolao Everhardi de Middelburgo utriusque juris Doctori, & Hollandiæ præsidenti, de jure dicendum, concludendum, & sententiandum, judicio cujuslibet meliori semper salvo. Nic. Everhardi.

CONSILIUM CCXX.

SVMMARIA.

1 *Bastardi ab intestato decedentes in Brabãtia, quem habeant successorẽ?*
2 *Successio ab intestato locum non habet, quamdiu successioni ex testamento locus est.*
3 *Valor bonorum in impetratione licentiæ testandi, an exprimi debeat?*
4 *In bonis presbyterorum bastardorum ecclesia, non princeps secularis succedere debet.*
5 *Filia spuria capax est alimentorum & legati, sibi à patre pro dote, vel in subsidium matrimonij relictorũ.*
6 *Substitutus incapaci, venientibus ab intestato præfertur.*
7 *Substitutio compendiosa tacitam vulgarem in se complectitur.*
8 *Institutione propter incapacitatem hæredis instituti, vel errorem testatoris, deficiente, fideicommissum non*

non debetur, nisi sit ab intestato tacitè vel expressè repetitum.
9 *Substitutio compendiosa incapaci fieri potest, sicut & expressa vulgaris.*
10 *Substitutio vulgaris hereditate per institutum adita expirat. Fallit ut num. 11.*
12 *Conditione substitutionis pendente, heres ab intestato succedit, &c.*
13 *Ius ex persona actoris metimur.*
14 *Ius tertij, ad excludendam intentionem actoris, an & quando reus possessor allegare possit?*
15 *De jure possessoris non curamus, quamdiu non constat de jure petitoris.*

IN causa pendente in consilio Brabantiæ, inter fiscum principis actorem ex una, & executores testamenti quondam D Ioannis de Lapide, dum vixit presbyteri, reos ex altera: Videtur prima facie,
1 quod fiscus † principis debeat obtinere, sive dicamus dictum dominum Io. de Lapide decessisse intestatum, sive dicamus eum decessisse testatum: si enim dicamus eum decessisse intestatum, propter surreptionem, commissam in impetratione licentiæ testandi, quoad valorem bonorum, res videtur clara; quia princeps succedit ab intestato omnibus bastardis, etiam presbyteris, de consuetudine notoria & legitimè præscripta. Si autem dicamus eum decessisse testatum, res etiam videtur clara, quia filia dicti Do. Io. cui sunt relicta bona, de quibus est quæstio, est incapax, quia spuria. *Auth. ex cõplexu. C. de incest. nupt.* ergo perinde est, ac si ei d. bona relicta non essent, & per consequens, veniet fiscus in locum ejus. Istis tamen non obstantibus, credo fiscum malè fundatum, & contra eum debere judicari; quia certum est, dictum dominum Ioan. decessisse testatum, de licentia & permissione principis; & sic cessat consuetudo, quæ admittit principem ad successionem
2 bastardorum ab intestato; quia † quamdiu locus est successioni ex testamento, non habet locum successio ab intestato. *l. quamdiu. ff. de acquir. hæred.*

Nec obstat, quod objicitur de surreptione licentiæ testandi, propter non expressionem valoris bonorum, quia dicta licentia testandi est per cameram computorum, mediante certa compositione, in-
3 terinata: nec † etiam aliquo jure vel cõstitutione cautum reperitur, quòd valor bonorum in impetratione talis modi licẽtiæ debeat exprimi, imò decisio doctorũ est in contrarium, *in c. ad aures, de rescrip.* Et dato, quod dictus dominus Ioannes non adhibuisset licentiam testandi à prin-
4 cipe, vel decessisset intestatus, adhuc † magnum esset dubium, an dicta consuetudo haberet locum in bonis, relictis per presbyteros bastardos; maximè quando talia bona non venerunt ad eos ex patrimonijs, vel à parentibus, sed ex bonis ecclesiæ, vel intuitu ecclesiæ, vel servitij spiritualis, ut in casu præsenti, quo casu ecclesia de jure deberet succedere talibus presbyteris bastardis in hujusmodi bonis, & non princeps secularis, *juxta ea quæ habentur & notantur in tit. de pecul. cler.* & *in tit. de success. ab intest maximè in c. 2. illius tit.* & *in c. ecclesia sanctę Marię, de constit.* & *in Auth. cassa C. de sacros. eccle.* sed hæc dubitatio nũc cessat, quia ipse decessit testatus, ut prædixi, de licentia & permissione principis interinata, ut moris est.

Non obstat etiam, quòd filia d. Do. Ioannis est spuria, & sic incapax, & per consequens, princeps debet venire ab intestato de cõsuetudine. Quia dico primo, quòd
5 filia † spuria benè est capax legati, sibi à patre relicti, pro dote seu in subsidium matrimonij, sicuti est capax alimentorũ, *ita vult Bar. in l. fi. ff. de his, quibus ut indig* & *in d. Auth. ex complexu,* & *Panor. in cap. cum haberet, in ult. notab. de eo*

qui dux. in matri. quam poll. per adulte.
6 & sic cessat argumentum: dato † tamen sine præjudicio, quòd filia spuria esset incapax legati, sibi à patre relicti pro dote, tamen adhuc non concluderet argumentum; quia ex hoc non posset argui, quòd princeps veniret in locum ejus ab intestato, quia dati sunt sibi substituti capaces, *juxta not. per Bart. in d. l. fina.* & *per Alberic.* & *Salicet. in l. 1. C. de condit. inser.* qui substituti sine aliquo dubio præferuntur venientibus ab intestato, & sic fisco, *ut est tex. in l. unica, §.* & *in primis,* & *seq. C. de cadu. tollen.* & *habetur in d. l quamdiu,* & *in toto titu. ff. de vulga.* & *pupilla. substitut.* & *decidit expressè Bald. in l. 2. C. de hered. instit.* & sic in omnem eventum, sive filia spuria sit capax legati, sive incapax, semper excluditur fiscus.

Nec obstat etiam, si subtiliter quis replicando dicat; præmissa possent habere locum, si dictæ spuriæ esset facta substitutio vulgaris, si non esset hæres, &c. sed hæc non reperitur facta; imò substitutum est compendiosè, si sine liberis decesserit. Cùm ergo non sit ei facta substitutio, in casu quo non esset hæres, vel quia non vellet, vel quia non posset, erit locus successioni ab intestato, & per consequens princeps admittetur. Quia dico,
7 quòd † licet hìc non sit facta substitutio vulgaris expressè, tamen tacitè hìc est facta substitutio vulgaris, quia facta est substitutio compendiosa: modò ita est, quòd in omni substitutione compendiosa comprehenditur tacita vulgaris, si non sit hæres, vel quia non vult, vel quia non potest esse hæres, *ita expressè decidit Bart. in l. centurio, in materia compendiosæ. ff. de vulg.* & *pup.* & *Cyn.* & *Dd. in l. precibus. C. de impub.* & *aliis substit.* & *Ang. in cons. 204. circa fin.* & *Io. de Imo. in c. Raynutius, de testa. in materia compendiosæ,* & *indifferenter omnes tractantes de compendiosa.* Venient ergo substituti dictæ filiæ spuriæ ex tacita vulgari, si dicamus filiam spuriam esse incapacem, & excludent principem: & si dicamus eam capacem relicti pro dote, admittetur ipsa, & excludet substitutos, qui demum venient ex compendiosa, si decesserit sine liberis, quare non obstat: quia semper in in omnem eventum excluditur fiscus.

8 Non obstat etiam, si subtiliter quis replicando dicat, quando † institutio est nulla, substitutio non valet, *leg. eam quam, C. de fideic.* ubi corruente institutione propter errorem testatoris, fideicommissum non debetur, nisi sit repetitũ ab intestato, tacitè vel expressè. Quia dico, quod illa l. procedit in substitut. fideicommissaria, in qua ab instituto capienda sunt bona: tunc enim deficiente institutione, propter incapacitatem hæredis instituti, vel propter errorem testatoris, non debetur fideicommissum, nisi sit repetitum ab intestato, tacitè vel expressè. Nos autem lo-
9 quimur de † substitutione compendiosa, habente in se tacitam vulgarem, quæ benè potest fieri incapaci, ut spurio, sicut expressa vulgaris, *ita singulariter dicit Bald. in preall. l. 2. C. de hære. instit.* ubi magistraliter loquitur ad propositum nostrum.

Non obstat etiam, si dicatur, substitu-
10 tio † vulgaris expirat, adita hæreditate per institutum *l. post aditam C. de impub.* & *aliis subst.* Cùm ergo in casu nostro filia spuria adiverit hæreditatem, expiravit substitutio, nec potuerunt substituti amplius admitti, & per consequens locus est successioni ab intestato, propter incapacitatem instituti, & sic princeps admittitur. Quia dico primò, quod spuria non adivit hæreditatem, imò bona sunt adhuc in manibus executorum, reorum hujus causæ, & sic argumentum præsupponit falsum. Secundò dico, quod argumentum
11 † non procedit, quando institutus adire non potest, quia incapax; tunc enim adeundo

eundo non præjudicat ſubſtitutis, quò minus venire poſsint ad hæreditatem, ex vi ſubſtitutionis vulgaris, expreſsè vel tacitè in compendioſa comprehenſæ, *ita notabiliter dicit dom. Ioan. de Imo. in d. c. Raynutius*, ubi concludit, ſubſtitutionem vulgarem univerſaliter habere locum, in caſu capacitatis inſtituti. *Et idem eſt de mente Ang. in d conſi.* 204. quod procedit etiam cum excluſione fiſci, *ſecund. Bald. ſingulariter in d. l. 2. C. de hered. inſtit. ubi hoc expreſſè decidit.*

Non obſtat etiam, ſi ſubtiliter quis re-
12 plicando dicat: Subſtitutio † in caſu præſenti habet expreſſam conditionem iſtam, videlicet, ſi ipſa filia ſpuria ſine liberis deceſſerit; quæ conditio nondum extat; quare non videtur aliquo modo, quod ipſa ſubſtitutio poſſet ſibi locum vendicare: imò videtur, quòd ipſe princeps tanquam hæres ab inteſtato, pendente hujuſmodi conditione, debeat ſuccedere in dictis bonis, & ea apprehendere, mediante cautione de reſtituendo eadem ipſis ſubſtitutis in eventũ, *pro quo videtur caſus in l. Statius Florus. §. fina. ff. de jure fiſci.* Quia dico, quòd in *d. §. fina.* inſtitutio vero jure tenuit, & ipſe inſtitutus hæreditatem ipſam adivit, & ſic ſubſtitutio vulgaris tacitè incluſa, in ſubſtitutione compendioſa expiravit; quare ſubſtitutus ex vi tacitæ vulgaris non poteſt habere bona, nec etiam ex vi compendioſæ, cùm conditio nondum extitit: nimirum ergò, quod ibi admittebatur fiſcus in locum inſtituti, facti incapacis expoſt facto. Hic autem in caſu noſtro, ſi præſupponimus capacitatem filiæ ſpuriæ, in legato ſibi per patrem pro dote relicto, ipſa debet admitti, & excluditur fiſcus & etiam ſubſtituti, qui ita demum venire poterunt, ſi ipſa deceſſerit ſine liberis: ſi autem præſupponimus incapacitatem filiæ ſpuriæ, inſtitutio non tenuit, & ſic ipſa filia ſpuria hæreditatem adire non potuit, prout etiam non adivit; ex quo omnia bona, ut prædixi, ſunt in manibus executorum, reorum hujus cauſæ; & ſic vulgaris ſubſtitutio incluſa tacitæ in dicta ſubſtitutione compendioſa, non expiravit: quare non eſt mirum, quòd ſubſtituti ex vi illius tacitæ vulgaris veniant modò ad bona, non expectato eventu cõditionis, etiam fiſco excluſo, *juxta ſingulariter notata per Bal. in dicta l. 2.* & *per Ang. in dicto conſ.* 204. *in fine*, & *per Ioan. de Imola, in d. c. Raynutius in materia compendioſæ.*

Ex quibus omnibus clarè conſtat, fiſcũ
13 principis malè fundatum, & quia † ex perſona actoris jus metimur. *l. 1. §. 1. ff. ſi pars hær. peta.* quia etiam reus poſſeſſor,
14 † ad excludendum intentionem actoris, poteſt allegare jus tertij, quando illud jus tertij relevat opponentẽ, vel quando enervat & excludit intentionem agẽtis, *ut volunt Pau. de Caſt. & Dd. in l. cum ſervum. C. de ſerv. fugit.* Sequitur, quod rei in hoc caſu ſunt abſolvendi: quia ſatis eſt, quòd
15 actori non competit actio vel jus: non † enim curamus de jure poſſeſſoris, ſi non conſtat de jure petitoris, *ut eſt caſus in l. fina. C. de rei vendic.* & tantum de ſubtili & pulchro dubio, in quo amplius non inſiſto, cũ per præmiſſa, omnia quæ adduci poſſent in contrarium, videantur ſufficienter ſublata: judicio cujuſlibet melius ſentientis ſemper ſalvo.

CONSILIUM CCXXI.

SUMMARIA.

1 *Pij uſus vel piæ cauſę quę dicantur?*
2 *Filij legitimi ſpuriorum hęredes, à parentibus ipſorum ſpuriorum inſtitui, ipſiſque ſpuriis ſubſtitui poteſt.*
3 *Spurijs alimenta relinquere parentes tenentur.*

4 *Necare videtur, qui egenti alimenta denegat.*

5 *Incapax capere potest, ut alij restituat.*

6 *Substitutio filiæ spuriæ sine liberis decedenti facta, certis testamenti executoribus deputatis, compendiosa & directa dicitur, & num.* 10.

7 *Verba*, dari, largiri, distribui, &c. *in substitutionibus qualiter intelligenda? & num.* 9.

8 *Substitutio directa esse potest, & modus exequendi obliquus.*

11 *Legatum particulare simpliciter factum, debetur ab hærede.*

12 *Fiscus semper ex tacita vulgari per substitutum excluditur.*

13 *Intellectus* l. eam quam. C. de fideicom.

14 *Filius naturalis & spurius, in quo æquiparantur?*

15 *Extensio passiva, vi regulæ antiquæ contingens, semper est licita.*

16 *Argumentum à combinatione duarum legum est optimum.*

17 *Contra fiscum quando pronunciandum sit?*

18 *De possessorij jure nõ quæritur, quãdiu satis de jure petitorij non constat.*

MAgnifice domine Cancellarie; ultra ea quæ aliâs scripsi in favorem Marci de Coche contra fiscum seu procuratorem generalem, reperio aliqua facere pro eo, quæ fortiter stringunt: reperio enim, quod dominus Ioannes de Lapide testator, in institutionem factam de filia sua spuria, fecit duas substitutiones.

Primò enim substituit proles ex dicta spuria nascituras, ad quarum prolium utilitatem voluit, bona per eum filiæ suæ spuriæ relicta servari, nec quovismodo alienari. Secundò, in eventum, in quem contingeret, dictam filiam suam spuriam decedere sine prolibus, reliquit bona sua ad pios usus, & substituit piam causam, ut ex tenore testamenti evidenter
patet: reliquit † enim in eum eventum
unam partem pro fundatione divini officij, unam pro reparatione fabricæ, unam
pauperibus amicis, putà, filijs sororis, &
unam filijs suis spurijs pro alimentis,
quæ omnes sunt piæ causæ, *juxta notata
per Panorm. in Rubr. de testamen. & per
glos. Bald. & Dd. in l. illud. C. de sacros.
2 eccles.* modò certum est, quòd licet †
filia spuria non possit institui per patrem, tamen filij legitimi spuriæ benè possunt à parentibus spuriæ institui, vel spuriæ substitui, *ut notatur per gl. & Dd. in
Auth. quibus mod natura effic. sui. §. fin,
colla. 7. & volunt omnes in c. cùm haberet,
de eo, qui duxit in matr. quam poll. per
3 adult.* Item, nemini † dubium est, quin
spurius sit capax alimentorum, imò tenentur parentes spurijs relinquere alimenta, ne fame pereant, *d. cap. cùm haberet, in fin.* quod cap. servandum est in utroque foro, rejecto jure civili, quatenus filijs spurijs alimenta denegat; quia hoc inhumanum est, & contra charitatem, *secundum Hostien. Ant. de Bur. Panorm. & Dd. in d. c. cùm haberet, & est de mente Bald in l. eam quam, in* 15. *col in vers. pone dicit decretalis, &c. C. de fideic. & de mente Bart. in d. Authen. ex complexu.
4 C. de incest. nup.* Necare † enim videtur,
qui alimenta denegat. *l. necare ff. de agnosc. lib.* tunc sic lege cavetur, quòd is
5 † qui aliquid capere potest, licet solidum
capere non posset, potest institui & gravari, alteri solidũ restituere, *ut est textus in l. cogi §. hi, qui solidum ff. ad Trebellia.* Cùm ergo spuria sit capax alimentorum, licet non sit capax solidi, potuit in casu nostro institui, & gravari, restituere solidum filijs suis, qui sunt capaces, ut dixi: licet enim filia spuria non sit capax institutionis pro se, & ad suum proprium commodum, tamen bene est capax ad commodum alterius, *ut ibi. Et istud ex-*

preßè

preſsè firmat Ang. & *Ioan. de Imola. in l. in tempus. ff. de hæred. inſtit.* & *idem Angel. in l. 2, C. de hær. inſtit.* & *Alex. de Imola, in d. §. hi qui ſolidum, allegans d. cap. cùm haberet.* Cùm ergo in caſu præſenti ſpuria inſtituta reperiatur gravata, ſolidum purè ſine aliqua conditione reſtituere ſuis filijs, quod licet, ut prædixi, certum eſt, venientes ab inteſtato admitti, & fiſcum excludi. Præterea ſubſtituit
6 † dictus teſtator filiæ ſpuriæ, ſi decederet ſine liberis, piam cauſam, deputando executores, in quorum manibus ad opus executionis ſui teſtamenti poſuit omnia bona ſua, quæ ſubſtitutio non eſt fideicommiſſaria, ſeu obliqua, ut quidam imaginantur, prout intelligo, *moti per nota. Bald. in l. precibus, C. de impub.* & *alijs ſubſt.* ſed eſt compendioſa & directa, ſub compendio & brevitate verborum continens in ſe plures ſubſtitutiones, & inter aliâs vulgarem poſt pubertatem, *Ita in his terminis tenet Bart. doctor veritatis, in l. centurio, ff. de vulg.* & *pupill. quem in hoc ſequuntur ibi Bald. Angel. Alex. de Imola,* & *comm. Dd.* & *Ioan. Petrucij in dicta l. precibus,* dicentes hoc procedere, etiam ſi executores eſſent mortui, & hoc tenendo res eſt clariſſima, cùm fiſcus excludatur per ſubſtitutos ex tacita vulgari, ut aliâs dixi. Nec ob-
7 ſtat, ſi dicatur, quòd † dicta ſubſtitutio non poteſt eſſe compendioſa, ex quo facta eſt per verba obliqua, *dari, largiri, diſtribui.* &c. Quia reſpondetur, *prout reſpondet Io. Petrucij in d. l. precibus,* & *Alexan. in d. l. centurio.* quòd licet verba illa, *dentur, largiantur,* & *diſtribuantur,* ſint obliqua ſui natura. *l. fundi Trebatiani. ff. de uſufr. lega.* tamen hoc caſu non attenditur dicta natura; & ratio eſt, quia non reſpiciunt ſubſtantiam diſpoſitionis, ſed modum exequendi: ſubintelligitur enim verbum *accipiant*, quod eſt directum: quod ut evidentius appareat, declaro per deductionem ad abſurdum: nam ſi hoc caſu attenderetur propria natura dictorum verborum, ſequeretur, quod etiam in caſu, ubi teſtator non providiſſet ſibi de alio hærede, vel ubi eſſet facta dinumeratio ætatum, non traheretur ſubſtitutio facta per hujuſmodi verba obliqua ad directam, quorum utrumque falſum eſt & abſurdum. Primum patet *in cap. cùm tibi, de teſtamen.* & *fatetur ipſemet Bald. in d. l. precibus.* Falſitas autem ſecundi patet *ex notatis per eunden Baldum in l. ſi quis ad declinandum, in 3. colum. C. de epiſcop.* & *cleric.* & ratio poteſt eſſe illa, quam aſ-
8 ſignat ibidem Bald. dicens, quòd † ſubſtitutio poteſt eſſe directa, & modus exequendi obliquus, pro quo etiam facit quinta regula tradita per eundem Bald. de verbis obliquis, *in l fi. C. de ſacroſ. eccleſ.* attento & conſiderato, quòd dicta
9 † verba, *dentur, largiantur,* & *diſtribuantur,* videntur denotare reſtitutionem facti, & non reſtitutionem juris, cùm ipſi executores non habeant jus, quod poſſunt transferre, niſi dicamus eos eſſe loco hæredum, *d. c. cùm tibi,* & *d. l. ſi quis ad declinandam.* Sed ſi hoc ultimum dicimus, tunc opinio Bar. ſuprà relata probatur per illa jura, & opinio Bal. *in d. l. precibus,* cōfunditur, unde ſive hoc dicamus, ſive quòd dicta verba denotent reſtitutionem facti, non conveniunt ſubſtitutioni obliquæ, per quintam regulam Baldi antetactam: un-
10 de † cogimur dicere, quod cùm dicta verba non reſpiciant ſubſtantiam diſpoſitionis, & juris tranſlationem, & tamen apertè conſtat, quòd ſpuria decedente ſine liberis, pia cauſa eſt ſubſtituta, dicta ſubſtitutio debet in dubio interpretari directa, *per not. gl. in l. in verbis civilibus. ff. de vul.* & *pup.* & *per c. ſi pater. ff. de teſtam. lib. 6. In ratione ſui:* ſicut enim ſubſtitutio facta per verba communia, quæ pariter ſe habent ad ſubſtitutionem directam.

directam & obliquam, interpretatur directa: ita & interpretari debet, ubi non apparent verba respicientia substantiam dispositionis, cùm sit par ratio, *secundum Io. Petrucij in d. l. precibus:* & ita punctaliter accidit in casu præsenti.

11 Non obstant etiam † *no. Bar. in l. alio, ff. de alim. & ciba. lega.* quia Bart. ibi loquitur in relicto particulari, quod simpliciter factum debetur ab hærede: sed nos loquimur in substitutione, quæ in dubio non censetur fideicommissaria, sed directa, & consequenter non ab hærede relicta: dato † tamen sine præjudicio, quòd
12 dicta substitutio esset fideicommissaria, adhuc tamen filij spuriæ, quibus ipsa spuria instituta solidum purè sine aliqua cõditione restituere gravata est, fiscum excluderent. *d. §. hi qui solidum, juncto d. c. cùm haberet, cum alijs suprà allega.* Nec
13 † obstat *l. eam quam, C. de fideic. cum ibi notat. per gloss. & Dd.* quia illa procedunt, quando institutus & restituere gravatus, est ex toto incapax. Nos autem loquimur, quando institutus est capax partis, putà, alimentorum, licet non totius, & sic ibi notata limitantur per *d. §. hi qui solidum*, qui rectè adaptatur ad casum præsentem, attento jure canonico, corrigente jus civile, quatenus non permittit relinqui alimenta spurio à parentibus, cui standum est in utroque foro, cum hoc concernat materiam peccati, ut suprà dixi: quo supposito patet, hodie æquiparari filium
14 † naturalem & spurium in hoc, quòd aliquid capere possunt à parentibus; & hoc stante succedit regula juris antiqui, de qua *in d. §. hi qui solidum*, & *hoc est quod voluit Ang. & Ioan. de Imo. in d. l. in tempus. Et idem Ang. in præalleg. l. 2.* dicentes spurium posse institui, quando gravatur alteri purè restituere, *allegantes ad hoc d. §. hi qui solidum, & hoc apertissimè resolvendo decidit Alexan. de Imo. in d. §. hi qui solidum, fundans se in jure Canonico suprà allegato, pro qua decisione*
15 *facit regula † tradita per Bart. in l. omnes populi. ff. de just. it. & jure approbata per omnes loquentes de materia extensionis, quæ habet*, quòd extensio passiva, quæ fit vi regulæ antiquæ, semper est licita. Nec est ponderandum, quòd aliqui Dd. *in d. l. eam quam*, exemplificantes de incapace in totum, ponunt exemplum in spurio: quia constat evidenter, eos errare per inadvertentiam, habentes solùm respectum ad jus civile, vetans spurio à parentibus alimenta relinqui, *d. Auth. ex complexu*, & non respicientes ad jus canonicum, de quo *in d. c. cùm haberet*, corrigens in hoc jus civile, cui standum est, ut prædixi, & sic respiciunt solùm uno oculo. *Ang. autem, Ioan. de Im. & Alex. in locis suprà allegatis* ad utrunque jus respectum habentes, contrarium senserunt & rectè, dicentes spurium posse institui, & purè gravari restituere, fundantes se in *d. §. hi qui solidum, juncto. d. c. cum habe-*
16 *ret.* Argumentum † autem à conjunctione seu combinatione duarum legum est optimum. *l. gallus. § ille casus indifficilis. ff. de liber. & posth.* & sic pronunciandum est contra fiscum; quia si in † du-
17 bijs quæstionibus contra fiscum sit pronunciandum, ut dicit Ictus *in l. non puto. ff. de jure fis.* sive sit dubium facti, sive dubium juris, *ut ibi volũt Dd.* longè fortius contra fiscum erit pronunciandum, quando contra eum reperitur clara decisio, ut in hoc casu, *per suprà dicta:* maximè quando fiscus certat de lucro captando, ut in casu præsenti: ad cujus exclusionem satis est, quòd ei non competit actio:
18 quia non ex † persona rei, sed ex persona actoris jus metimur: nec curamus de jure possessoris, si non constat de jure petitoris. *l. fi. C. de rei vend.*
cum sim.

CON-

CONSILIUM CCXXII.

SVMMARIA.

1 *Casus.*
2 *Fiscus ad successionem illegitimorum non admittitur, nisi omnis parentela deficiat.*
3 *Natis ex damnato & per legem civilem punibili coitu fiscus solùm, exclusis omnibus alijs cognatis succedit.*
4 *Consuetudo odiosa & juri contraria, restringenda, non amplianda est.*
5 *Fiscus secularis personæ ecclesiasticæ succedere nequit.*
6 *Clericus intestatus decedēs, in bonis ratione servitij ecclesiastici quęsitis, ecclesiam hæredem relinquit.*
7 *Actui consentiens jura sua perdit.*
8 *Princeps licentiam testandi cōcedens, an valorem bonorum literis inserere teneatur?*
9 *Successioni ab intestato locus non datur, quandiu successioni ex testamento locus est.*
10 *Paria sunt, aliquem decedere intestatum, & hæredem instituere indignum.*
11 *Spurius, item filius naturalis hæres institui, & de restituendo alij capaci gravari potest.*
12 *Indignum vel incapacem esse, differunt.*
13 *Clausula codicillaris in testamento quid operetur?*
14 *Verba,* volo valere omni jure & modo, quo melius valere potest, &c. *in testamentis æquipollent clausulę codicillari.*
15 *Fiscus, pendente fideicommissi conditione admittitur, & non ultrà.*
16 *Clausula codicillaris facit deberi legata & valere substitutiones, etiam si annulletur institutio.*
17 *Surrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum surrogatur.*
18 *Hæreditas cum onere transit.*
19 *Fideicommissum, purificata conditione, fiscus etiam restituere tenetur, nec ultra quartam Trebellianicam, in qua fructus computantur, reservare potest.*

CAsus super quo consilium petitur talis est: Quidam † A. bastardus seu
1 naturalis tantum, existens sacerdos, habensque filiam Ioannam nomine, per eum in sacerdotio procreatam, obtenta prius à principe duce Brabantiæ, &c. licentia testandi, suum condidit testamentum, seu ultimam voluntatem, in quo seu qua post nonnulla legata particularia, disponendo de residuo suorum bonorum, usus est verbis subsequentibus.

Postremò dictus testator dedit, legavit, atque reliquit in puram eleemosynā, & simpliciter propter Deum, ac in subsidium matrimonij Ioannæ suæ filiæ (quam ex corpore Mariæ Svos suscitavit) omnia & singula sua bona mobilia & immobilia, in quibuscunque rebus existentia, ubicunque locorum post mortem suam reperienda, de quibus suprà non disposuit ultra sua debita super excrescentia, statim post obitum suum habenda & possidenda; volens & mandans, quòd eadem Iohanna hujusmodi bona saltem immobilia, ac etiam mobilia in argenteis vasis, clenodijs, atque jocalibus existentia, minimè vendat, alienet, oneret, seu obliget quoquo modo, sed suis liberis legitimis, si quos habuerit, relinquat. Et in eventum, quo absque legitima prole aut prolibus, superstite seu superstitibus decesserit, voluit extunc, & mandavit, quòd eadem bona immobilia omnia & singula, ac etiam vasa argentea disponi debeant in hunc, qui sequitur, modum. Primò videlicet, fundari ex eis servitium trium

 missa-

missarium, quo facto voluit residuum eorundem bonorum super excrescens trifariè partiri, & dividi secundum modum latius in dicto testamento descriptum, in quo quidem testamento perseverando decessit; relinquens dictam Iohannam suam filiam spuriam, & diversa bona tam mobilia quàm immobilia, quæ ipse pro lōgè majori parte eorundem bonorum, post obtentam præfatam licentiam testandi, acquisivit partim sua industria, partim ex officio ecclesiastico, quod per episcopum Cameracensem ad firmam datur, & partim ex fructibus suorum beneficiorum. Ipsiq; executores dicti testamenti, & expost dicta filia usque in diem obitus sui, insequendo voluntatem dicti testatoris, præfata bona apprehenderunt, & tenuerunt. Tandem dicta quondam filia decessit, relinquens post se unam prolem legitimam, & eidem suæ proli dicta bona, sibi, ut præmittitur, relicta, insequendo dictum testamentum. Accidit quòd fiscus principis, intelligens valorem dictorum bonorum, ad satis magnam pecuniarum summam ascendere, fecit in jus vocari dictos executores, & contra illos primùm, & expost contra dictam filiam, seu illius maritum, qui pro dictis executoribus intervenit, processum instituit, petens omnia & singula bona immobilia, per dictum testatorem relicta, aut saltem illa, quæ ultra rationabilem dotem seu quantitatem, dictæ filiæ in locum alimentorum relictam, superexcrescere reperiuntur: fundans dictus fiscus se in duobus. Primò in consuetudine notoria suæ patrię, qua princeps succedit singulis bastardis, etiam presbyteris, in bonis immobilibus, per eos relictis, nisi talis bastardus per præviam licentiam testandi legitimè à principe obtentam, de hujusmodi suis bonis disposuerit. Qua consuetudine præsupposità, sustinet dictus fiscus, præfatam licentiam testandi, per dictum testatorem obtentam, esse nullam, & surreptitiam, ex eo quòd in hujusmodi licentia non sit expressus valor dictorum bonorum, quo cognito sive expresso, princeps vel nullo modo, vel saltem non ita faciliter hujusmodi licentiam concessisset. Secundò, etsi surreptio vel nullitas dictæ licentiæ testandi non subesset, quod nihilominus propter incapacitatem dictę filiæ spuriæ, prædicta bona ultra dictam dotem seu alimenta superexcrescentia, deberent dictæ filiæ tanquam indignæ seu incapaci auferri, & principi applicari.

Iam quæritur, an dictus fiscus fuerit contra dictam quondam filiam, Ioannam nomine, & an jam sit contra illius prolem legitimam in aliquo fundatus? Ad quam quæstionem respondendo, secundum thema & casum mihi transmissum, satisfaciendo desiderio amici, qui petit sibi de jure responderi: Dico breviter, quòd fiscus in hoc casu contra executores dicti quondam domini Ioannis, sive ejus filiam spuriam non est fundatus de jure, nisi ut infrà dicam, & multò minus contra filiam legitimam dictæ spuriæ: quod ut evidętius appareat, deduco medijs infrà scriptis. Et primò quò ad dictos executores, & filiam spuriam, hoc deduco sic. Certum
2 est de jure, quòd fiscus † nunquam admittitur ad successionem alicujus bastardi seu naturalis tantùm, qualis fuit dictus dominus Ioannes, ut ponitur in themate, nisi deficiente omni parentela, *ut est tex. in l. 1. C. unde vir & uxor.* imò cognati nedùm alicujus bastardi & naturalis tantùm, sed etiam spurij, dummodò non sit natus ex coitu damnato, prohibito, & punibili de jure civili præferuntur fisco, & excludunt eum, *ut est text. in l. hac parte.* & *in l. si spurius. ff. unde cognat.* & *vult gl. Ang.* & *Dd. in §. novissimè. Instit. ad Orficia.* & *gl.* & *Dd. legistæ, in l. si qua illustriss. C. ad Orficia.* & *Bar. in l. fin. ff. de his quibus ut indig.* & *idem*

Bart.

Bart.in l.hereditas, C. eod.tit. & *Spec.in*
tit.de success.ab intesta.versic. sed an na-
ti, & *versic.quid de natis,* & *vers.sed quid*
si duo : & *Dd.canonistæ in c. per venera-*
bilem.super gl.in verbo adulterinis,qui fi-
lij sunt legitimi. Non potest ergo fiscus
venire ad successionem dicti domini Io-
hannis ab intestato,existentibus alijs ex li-
nea materna., *jurib.suprà alleg.* Nec po-
3 test † fisco suffragari consuetudo , de qua
in themate , quia etsi de illa constare pos-
set,tamen illa deberet restringi,ut vendi-
cet sibi locum in successione spuriorum,
natorum ex coitu damnato , prohibito,
& punibili per legem civilem ; quo casu
talibus spurijs non succedit mater, nec a-
lij cognati,nec ipsi matri vel alijs cogna-
tis,*ut vult glossa* & *Dd.in d.§. novissimè,*
& *in d. l.si qua illustris ,* & *in alijs ju-*
4 *rib.suprà alleg.* Non autem † debet si-
bi vendicare locum in successione bastar-
di , vel naturalis tantùm , qualis fuit di-
ctus dominus Ioannes, ut ponitur in the-
mate. quod autem dicta consuetudo,
quæ est odiosa & cōtra jus, sit hoc modo
restringenda,& non amplianda, probatur
in l.2. C.de noxal. actio, & *faciunt nota.*
per Bart. in l. omnes populi , in 6.quæst.
principali, in materia interpretationis re-
strictæ.ff. de just. & *jure.* Secundò non
5 potest † fisco seculari suffragari dicta
consuetudo ex alio, quia attendenda est
conditio personæ, cui fiscus secularis suc-
cedere intendit. In casu autem præsen-
ti dictus dominus Iohannes fuit sacer-
dos, ut ponitur in themate , cui etsi co-
gnati succedere non potuissent, succede-
ret fiscus ecclesiæ, & non fiscus secularis,
juxta not per glos. Panor. & *alios Dd. in*
cap.quia diversitatem, de concess. præben.
& *per gl.* & *Dd.in cle.nolentes, de hæret.*
6 Tertio, † non potest fisco seculari suffra-
gari dicta consuetudo ; ex alio : quia at-
tendenda est conditio & qualitas bono-
rum , in quibus prætenditur successio,
quæ in casu præsenti pro majori parte
provenerunt ab ecclesia, vel intuitu eccle-
siæ, & servitij ecclesiastici , ut ponitur in
themate , in quibus clerico decedente in-
testato, succedere debet ecclesia , & non
princeps secularis , non obstante quacun-
que consuetudine, quæ potius dicenda est
corruptela , *c.1.* & *2.de succes. ab intesta.*
& *tot. tit. de pecul. cleric.* & *facit l. si*
quis presbyter , cum ibi notat. per Bald.
C.de episc. & *cleric.* ecclesia enim præ-
fertur fisco seculari,*ut ibi : faciunt etiam*
ad propositum notata in Auth.cassa & *ir-*
rita,C.de sacr.eccles. & *not. in c. Ecclesia*
sanctæ Mariæ, de constitu. Quartò , non
7 obstat † dicta consuetudo ex alio , quia
in casu præsenti princeps secularis dedit
licentiam testandi, & sic , si aliquod jus
per prius habuisset , vel prætendere po-
tuisset,illud perdidit, dando licentiam te-
standi : qui consentit , sua jura perdit. *l.*
cum quædam , C. de administ. tuto. & *§.*
præterea, quibus modis feud. amittat. in
usib.feudor. Nec obstat,quòd † in licen-
tia testandi non est expressus valor bono-
rum ; quia hoc nullo jure cavetur , imò
decisio Dd. est in contrarium , *ut patet*
ex notatis per Dd. in c. ad aures , de re-
script. & imputet sibi princeps , quòd
non elegit diligentiores officiarios , qui-
bus interinemētum hujusmodi literarum
commisit : etiam bona sunt pro majori
parte post datam dictæ licentiæ acquisi-
ta , ut ponitur in themate, quare non ob-
8 stat. Quintò,non obstat † dicta consue-
tudo, ex alio,quia illa posset sibi vendica-
re locum , quando bastardi decedunt in-
testati,ut ponitur in themate. In casu au-
tem præsenti dictus dominus Ioannes nō
decessit intestatus , sed testatus ; quare
locum habere non potest dicta consuetu-
do : quia quamdiu locus est successioni
ex testamento , non potest esse locus suc-
cessioni ab intestato. *l. quamdiu. ff. de*
acq.hered. Nec obstat si dicatur, quòd

10 † inſtitutio facta per dictum Dominum
Ioannem de filia ſua ſpuria, eſt nulla, quia
ſpuria eſt omnino incapax, *Auth. ex com-
plexu, C. de inceſt. nup. cum ſim.* & ſic
dictus dominus Ioan. dicitur deceſſiſſe
inteſtatus: quia paria ſunt non feciſſe
teſtamentum, vel inſtituiſſe eum hære-
dem, qui inſtitui non poteſt; nam utro-
que caſu dicitur quis decedere inteſtatus,
Inſt. de ſucceſ. quę ab inteſta defer. in
11 *princ.* Quia dico primò, quòd † ſpurius
non eſt omnino incapax, attento jure ca-
nonico, *de quo in c. cùm haberet, in fine, de
eo qui duxit in matrim. quam pollu. per
adult.* cui ſtandum eſt ſecundum omnes:
unde quemadmodum filius naturalis tan-
tum, qui non poteſt ſolidum capere, ſed
duntaxat partem, poteſt inſtitui & gra-
vari, de reſtituendo alteri capaci. *l. cogi. §.
hi qui ſolidum. ff. ad Trebell.* Ita & ſpu-
rius: & *ita punctaliter decidunt Ang.
& Ioan. de Imo. in l. in tempus. ff. de hæ-
red. inſtit. Et idem Ang. in l. 2. C. de hæ-
red. inſtit.* & *Alexan. in d. §. hi qui ſoli-
dum:* potius enim debet attendi perſona,
cui inſtitutus dare gravatus eſt, quàm per-
ſona inſtituti, hoc caſu, *arg. l. cum dotem.
ff. ad l. Falcid.* ex quo evidenter patet,
Doctores ponentes exemplum de inca-
pace in totum, in ſpurio, *in l. eam quam.
C. de fideic.* manifeſtè errare. Præterea,
12 licet † ſpurius de jure civili ſit incapax,
non tamen eſt indignus: aliud enim eſt,
quem eſſe indignum, & aliud eſt quem
eſſe incapacem, *ut declarat Bart. in leg. ſi
in metallum. ff. de his qui pro non ſcrip. ha-
ben.* & *in pręall. l. hęreditas,* quare non po-
teſt habere locum regula tradita *in l. Pa-
pinianus. §. meminiſſe. ff. de inoffic. teſta. ut
in dictis juribus not.*

Secundò dico, quòd dato ſine præjudi-
cio, quòd in hoc caſu inſtitutio eſſet nul-
13 la, tamen quia † in teſtamento dicti Do-
mini Ioannis eſt clauſula codicillaris, li-
cet fiſcus ex dicta prætenſa conſuetudine
poſſet venire ab inteſtato, prout non, per
ſuprà dicta: tamen teneretur reſtituere
totam hæreditatem, retenta duntaxat
quarta: quia clauſula codicillaris nedum
operatur, ut ratione ſolennitatis omiſſæ,
vel ratione nullitatis teſtamenti, inſur-
gentis ex nullitate inſtitutionis, legata,
quæ aliâs eſſent nulla, ſint valida, & de-
beantur ab illo, qui venit ab inteſtato,
*ut eſt tex. in l. generaliter. §. ex teſtamen-
to. ff. de fideic. liberta.* ſed etiam de natu-
ra clauſulæ codicillaris eſt, convertere in-
ſtitutionem directam, quæ ſubſiſtere non
poteſt, propter nullitatem teſtamenti, in
obliquam; ita quòd veniens ab inteſta-
to in locum hæredis nulliter ſcripti in
teſtamento, reſtituat totam hæreditatem
ſcripto hæredi, vel eo deficiente ſuis hæ-
redibus, retenta duntaxat quarta, *ut eſt
textus planus in l. quęrebatur,* & *ibi Ang.
& Dd. not. ff. de teſtam. milit.* & *pulcher
tex. in l. poſthumus. §. ſi paganus,* & *ibi
Ioan. de Imo. & Dd. nota. ff. de injuſto.
rup. irrit. teſtam.* & *textus planus in dicta
l. eam quam,* & *ibi omnes Dd.* & *omnes
Doct. in Authen ex cauſa, C. de lib. præte.
& gl. Bart. Io. de Imo. & DD. in l. ex ea.
§. 1. ff. de teſta. & Bart. in l. 1. in 13. q. ff.
de jure codi.* ubi dicit hoc procedere et-
iam, quando teſtamentum eſt nullum, ra-
tione incapacitatis hæredis, *per d. l. eam
quam:* imò, quod fortius eſt, prædicta
14 procedunt etiam, quando † in teſtamen-
to non eſt clauſula codicillaris, ſed æqui-
pollens, ut illa, *volo valere omni jure &
modo, quo melius valere poteſt,* quæ ha-
betur in teſtamento dicti domini Ioannis:
nam dicta clauſula æquipollet clauſulæ
codicillari, *ut eſt tex. in l. codicillaris. §. fi-
na. & ibi Bart. Bald. Ioan. de Imo. & Dd.
ff. de legat 2.* & *bonus text. in l. cùm pa-
ter. §. filius matrem,* & *ibi etiam Bart. &
Bald. Ioan. de Imo. illo eod. tit.* & *facit
tex. cum ibi notatis per Bald. & Ioan. de
Imol. in l. Lucius, §. filiam. ff. de lega. 2.*

Nec

Nec obstant notata *per Paul. de Castro, in d. l. eam quam, in fine*, quia lex, super qua se fundat, non probat opinionem suam, & sic verificatur illud vulgare, Collapsa ruunt subductis tecta columnis. Secundò, in casu quęstionis suæ non fuit clausula codicillaris, prout est in casu præsenti. Tertiò, falsitas opinionis suæ patet ex notatis *per eundemmet Paul. de Castro*, & *omnes Dd. in dicta Authen. ex causa, circa fin. in materia clausulæ codicillaris*, & *ex notatis per Dd. in locis* & *passib. su-*
15 *prà alleg.* Et multo † minus fundatus est fiscus contra filiam legitimam dictæ spuriæ, *pro quo ultra suprà allega. est tex. pulcher, in l. Statius Florus. §. fi. ff. de jure fis.* ubi fiscus interim, pendente conditione fideicommissi, admittitur, & non ultrà. Secundò hoc probatur *ex notatis per Ang. in d. l. 2. C. de hæred. instit.* & *ex notatis per eundem Ang.* & *Ioan. de Imo. in d. l. in tempus*, & *ex notatis per Alex. in præall. l. hi qui solidum.* Tertiò, hoc probatur ex natura † dictæ clausulæ codicillaris, quæ facit deberi legata, & valere substitutiones, etiam si annulletur institutio, *d. l. querebatur*, & *d. §. si paganus.* & *præalleg. §. ex testamento, cum alijs suprà alleg.* Quartò, istud proba-
16 tur una ratione; nam † surrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum surrogatur. *l. si eum. §. qui injuriarum. ff. si quis cautionibus*, & *§. fuerat. Instit. de action.* Cum ergo fiscus, secundum opinionem procuratoris generalis, surrogetur in locum hæredis instituti, debet sapere illius naturam: sed si institutio valuisset post mortem spuriæ institutæ, fuisset etiam quæsitum jus filiæ legitimæ, primo loco ei substitutæ; ergo & nunc debet esse locus illi substitutioni, per dictam regulam, surrogatum. Quintò, istud probatur alia ratione, quia hæreditas † pro non scripta debetur cum onere. *l. unica. §. his ita. C. de caduc. toll.* Sextò, istud deducitur alia ratione, sic: Certum est, quòd si fiscus
17 fuisset institutus † hæres, & gravatus restituere hæreditatem post mortem dictæ spuriæ, filijs legitimis ex corpore dictæ spuriæ descendentibus, deberet fiscus, nunc purificata dicta conditione, totam hæreditatem restituere filiæ legitimæ dictæ spuriæ, nec posset ultra quartam sibi reservare, in qua tamen deberet computare fructus perceptos. *l. in fideicommissariam. ff. ad Trebell. cum sim.* ergo pariformiter & nunc, cum dicta clausula codicillaris convertat institutionem directam in obliquam, & faciat valere jure fideicommissi, quod non potest valere jure directo, *jurib. suprà allegat.* Concludendo ergo dico, quod licet fiscus in vita dictæ spuriæ institutæ jus prætendere potuisset in dicta hæreditate ultra quartam, prout non, per suprà deducta: tamen nunc post mortem dictæ spuriæ, adveniente conditione fideicommissi, nullum jus prætendere poterit, saltem ultra quartam: in qua tamen imputare debet fructus perceptos, ut dixi. Iudicio cujuslibet melius sentientis semper salvo.

CONSILIUM CCXXIII.

SUMMARIA.

1 *Appellatio post lapsum primi anni deserta efficitur, nec secundus annus datur, nisi appellans legitimum impedimentum evidenter docuerit.*

2 *Repetitio ejus quod nunquam extitit, nihil operatur.*

3 *Ratihabitio retrotrahitur*, & *mandato æquiparatur, quando principium confirmabile reperit. Aliàs non, &c.*

4 *Appellatio pro alio sine mandato facta nihil operatur, nisi ei, pro quo est interposita, infra decem dies illam ratificet.*

5 *Bonorum possessio per tertium meo nomine agnita, an & quando mihi prosit?*

6 *Fictio juris ut locum habeat, quæ requirantur? & num. 7.*

8 *Sententia post appellationem desertam lata, est nulla, neque sententia dici meretur.*

VEnerabilis domine Præposite, ad finem, ut vestræ circumspectæ præstantiæ luculenter constet, appellationem per Danielem van Cralinghen à sententia dominorum officialium Trajectens. interpositam, fuisse & esse desertam, nedum tempore, quo Dominus Abbas S. Gertrudis Lovaniensis illam declaravit, non esse desertam cum effectu: sed multo tempore ante, puta 12. die mensis Septembris, anno M D.V I I. & adhuc longo tempore ante, placeat attendere ad infrà scripta. Primò, quòd sententia dictorum Officialium fuit lata 30. Octobris,
1 anno 10. Item, quòd appellatio † efficitur deserta post lapsum primi anni, nec datur secundus annus, nisi in primo anno appellans sit legitimè impeditus, & de impedimento evidentissimis probationibus constet, *c. cùm sit Romana*, & *ibi Dd. de appellat.* unde dicit lex, quòd appellans summa ope niti debet, ut appellationis causa finiatur infra primum annum, aliâs habetur pro non appellante, *tex est apertissim. in l. fi. C. de temp. appella* & *est decisio Rotæ expressa 601. in antiquis*, & *prima in novis*. In casu autem præsenti non constat de aliquo impedimento legitimo & concludente, propter quod dictus Daniel non potuit appellationem suam prosequi, & finire infra primum annum: imò constat de magna negligentia ejusdem Danielis appellantis; quia non præsentavit rescriptum Do. Abba. infra annum, nec alius pro eo mandatum ab hoc habens, ut patet ex actis. Patet ergo luculenter, quod appellatio sua post lapsum primi anni fuit nedum deserta, imò desertissima, Nec obstat, quòd alius pro eo præsentavit rescriptum, & processit in causa ante lapsum primi anni, repetens mandatum in actis; quia ex quo mandatum nullum reperitur in actis, ante illam
2 datam, nihil † operatur illa assertio sive repetitio: quia non entis nullæ sunt qualitates *l. ejus qui in provin. ff. si cert. pet.* Nec obstat si dicatur, quod ex quo præsentatio rescripti & alia actitata, facta sunt nomine dicti Danielis appellantis, ergo potuerunt per eum rata haberi: *regula ratum, cum ibi nota de reg. jur, lib. 6.* & per consequens, constitutio facta dicta die 12. Septemb. anno 12. cum ratificatione actorum validavit omnia præmissa, quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato æquiparatur. *l. licet. ff. de judi.* & *c. ratihabitionem, de reg. jur. lib. 6. cum sim.* Nam ad hoc respondeo, *prout respondet gl. Dy. Phil. Francus.* & *Pet. de*
3 *Anch. in d. c. ratihabitionem*, quod † ratihabitio tunc retrotrahitur, quando reperit principium confirmabile, sed quando non reperit principium confirmabile, tunc nunquam retrotrahitur: & ita punctaliter accidit in casu præsenti; quia dicta die 12. Septemb. anno 12. appellatio fuit deserta & extincta, ut suprà declaravi: dicta ergo cõstitutio cum ratificatione actorum nõ potuit operari retrotractum, quia non invenit, ad quod retrotraheretur. Pro cujus clariori intelligentia est
4 sciendum, quòd quãdo quis appellat † pro alio sine mandato, ad hoc, ut talis appellatio prosit ei, pro quo appellatio est interposita, necesse est, quod ille pro quo appellatio est interposita, ratificet hoc infra 10. dies, infra quos ipse debuit appellare, aliâs nihil operatur ratihabitio. *tex. est expres. in l. 1. in prin.* & *ibi gl.* & *Bart. ff. de appell. recipi. vel non*, & *tex. in c. nõ solent. 2. q. 6.* & idem reperitur in bonorum posses-

5 † possessione, ab alio nomine meo agnita, *ut est tex. sing. in l. bonorũ,* & *ibi pulchrè per Bar. ff. rem rat. hab.* & in cõfirmatione electionis ab alio nomine meo petita, *c. quã sit, circa fi. & ibi pulchrè gl. de elec. li. 6.* & eodem modo quando quis appellationẽ per alium interpositam, sine mandato prosequitur, pręsentando rescriptum & alia faciendo, quæ sunt necessaria in causa, si ille in cujus favorẽ hęc acta sunt, velit hæc ratificare, debet hoc facere inf. tempus, infra quod ipse debuit appellationem prosequi & finire, puta infrà annum: quod si non fecerit, sed postea ratificaverit, talis ratificatio nihil operatur, *arg. jurium pręall. Et ita in terminis nostris apertissimè dicit Dyn. in d. c. ratihabitione,* & *est de mente aliorum ibi scribentium.* Et quòd hoc sit verùm, deduco ultra scribẽtes duabus rationibus. Primò hoc medio;
6 nam † quòd ratihibitio retrotrahitur & mandato æquiparatur, est per fictionem juris, ut clarum est; sed ad hoc ut fictio locum habeat, & aliquid operetur, requiruntur duo extrema habilia, scilicet extremum à quo, & extremum ad quod, *ut vult Bart. in repetitione l. si is qui pro emptore. ff. de usucap.* & *Cardina. in clem. quo circa, de electio.* Sed in casu nostro non reperiebatur extremum ad quod, habile, quia non reperiebatur appellatio, nec causa appellationis in rerum natura: imo extincta fuit appellatio, & mortua causa appellationis per lapsum anni: quia non vivit nisi anno, cessante impedimento: *ut pulchrè dicit pręall. l. fi.* Ergo non fuit possibile fictionẽ hoc casu locum habere, cum deficiat alterum ex substantialibus. Secundò deduco hoc alia ratione sic; ad-
7 hoc ut † fictio locum habeat & aliquid operetur, necessè est, quod subsit æquitas, *l. nec utilem. ff. ex quib. cau. maj.* & *traditur per Bar.* & *Card. ubi sup.* Sed in casu præsenti si locum haberet fictio & retrotractio, resultaret maxima iniquitas, quia tolleretur per hoc jus quæsitum parti appellatæ, per extinctionem & tacitam renunciationem appellationis, per cujus extinctionem sentẽtia Officialium Traject. in suo robore permanet, à jure confirmatur, & ad effectum seu executionem perduci videtur, *præall. l. fi.* & *d. decis.* 1. Sequitur ergo, quod fictio seu retrotractio locum habere non possunt in hoc casu: & de hoc satis. Cùm ergo appellatio dicti Danielis fuerit deserta, imò nedum deserta, sed desertissima; sequitur primò, quòd
8 sententia subsecuta, † si tamen sententia dici mereatur, sit nulla, *ut est decisio Rotę expressa* 604. *in antiquis, secundum quotas meas.* Item sequitur secundò, quòd sententia Officialium Traject. quam lex & canõ post lapsum primi anni, cessante impedimento, confirmant, *d. c. cum sit Romana,* & *pręall. l. fina. cum multis aliis concordantiis*, debet per vos dominum Præpositum confirmari, & sententia domini Abbatis nulla & iniqua declarari, *juxta decis. Rotæ* 100. *in novis, aliàs est* 98. & *aliàs* 99. Concludendo ergo dico, quod sententia Domini Abbatis debet per vos dominum Præpositum nulla & iniqua declarari, & sententia Officialium Trajectensium confirmari: Iudicio vestro, cui Deus adsit, semper salvo.

CONSILIUM CCXXIII.

SUMMARIA.

1 *Investituræ tenor in materia feudali potissimum inspiciendus est.*

2 *Feudum antiquum, descendentibus legitimis non extantibus, ad proximos agnatos defertur.*

3 *Naturales solum liberi in feudis non succedunt.*

4 *Verba ad actum præsentem vel primum, non ad secundum referenda sunt.*

5 Reso-

5 *Resoluto jure datoris resolvitur jus acceptoris.*
6 *Actio de evictione emptori quando competat?*

1 VIso tenore † literarum investituræ domicellæ Mariæ van Treslonge, filiæ naturalis & illegitimæ quondam domini Ioannis van Treslonge, dum vixit canonici Trajectensis, qui in materia feudali potissimum est inspiciendus. *c.* I. & *ibi id notat Bald. de duo. fra. à cap. invest. notant. Alvarot. Præposit.* & *alij in c. Obertus, de feudi. cogn.* Videtur mihi subscripto, feudum contentiosum mansum, videlicet, situatum in Loepick, spectare & pertinere jure optimo ad domicellum Ioannem van Treslonge, nepotem ex fratre dict. quondam domini Ioann. van Treslonge, quod deducitur medijs
2 infrà scriptis. Primò, quia de † natura feudi antiqui, quale est feudum contentiosum, est, quòd descendentibus legitimis non extantibus, feudum devolvatur ad proximos agnatos. *c.* I. §. *his deficientibus,* & *ibi no. de grad. suc. in feudo.* & *c.* I. *de natura success. feudi:* & *c.* I. §. *hoc quoque de success. feud.* unde post mortem dicti quondam domini Ioannis, si per specialem investituram non fuisset provisum dictæ domicellæ Mariæ, feudum cōtentiosum fuisset devolutum ad quondam dominum Adrianum van Treslonge militem, dicti domicelli Ioannis van Treslonge patruum, & minimè ad dictam domicellam Mariam; quia illa, ut dixi, fuit
3 naturalis & illegitima. naturales † autem in feudo non succedunt, *c. naturales, si de feu. fue controv.* Quia autem dicta domicella Maria, de hujusmodi feudo de consensu domini fuit investita, inspiciendus est tenor suæ investituræ, ut dixi, qui talis est; quòd ea moriente sine prole legitima, ex suo marito procreanda, feudum devolveretur ad dictum dominum Ioannem refutantem si supervivat, vel eo mortuo ad proximiorem successorem feudi, qui tunc (dicta domicella Maria moriente) superstes erit: quæ verba debent intelligi de prole nascitura ex marito, quem tēpore investituræ habebat dicta domicella Maria, qui erat Arnoldus Dedel; quod
4 patet, quia † verba referenda sunt ad actū præsentem vel primum, non autem ad secundum: nam sermo simpliciter prolatus intelligitur pro prima vice. *l. boves.* §. *hoc sermone ff. de verbo. sign. ubi tex. allegans* & *l. compater.* §. *pater. ff. de deleg.* 2. Sed ex dicto Arnoldo Dedel præfata domicella Maria nullam habuit prolem; ergo hujusmodi feudum ex tenore investituræ devolutum est ad præfatum domicellum Iohannem van Treslonge: dato tamen sine præjudicio, quòd dicta verba essent extendenda etiam ad prolem ex alio matrimonio postea procreandam, prout non, *per d.* §. *hoc sermone, præall.* §. *pater.* adhuc tamen dictum feudum devolutum censeri debet ad præfatum domicellum Ioannem van Treslonge; attento quòd proles ex secundo matrimonio procreata etiam sine prole decessit, & sic locus est successioni ab intestato, & devolvi debet ad proximum agnatum dicti quondam domini Iohannis, ex tenore investituræ, & sic ad dictum domicellum Ioannem *per d.* §. *his deficientibus, cum sim.* Nec præmissis obstat, quòd hujusmodi feudum per prolem ex secundo matrimonio procreatam venditum est cuidam bona fide ementi, qui illud possidet titulo oneroso: Quia respondeo, quòd nemo potest plus juris in alium transferre, quàm ipse habuit, *c. nuper. de donati. inter vir.* & *ux. cum sim.* & resoluto jure
5 datoris, resolvitur jus acceptoris *l. ex vectigali. ff. de pig.* & §. *si. si de invest. feudi controv. fuerit, in usib. feudor.* Sed certum est, quòd ex tenore investituræ resolutū fuit jus datoris, competens dictæ domicellæ

micellæ Mariæ, & suæ proli in hujusmodi feudo, per mortem deficiente linea descendenti: ergo etiam resolutum fuit jus acceptoris, hoc est emptoris, *juribus præalleg.* ubi hoc est expressum. Et habet dictus emptor regressum contra suum autorem & ejus hæredem, quem † de evictione convenire potest, si sibi non obstent ea quæ habentur *in c. si de empt.* & *vendit. in l. emptor*, & *l si fundum. C. de evict.* & *l. si dictum.* §. *si compromisero. ff. de evict. cum sim.* sed de hoc nihil ad dictum domicellum Ioannem, qui rem suam prosequitur, nec per hoc alicui facit injuriam. *l. injuriarum* §. 1. *ff. de injur.* & *cap. cum ecclesia Vulterana, de electio.* judicio cujuslibet melius sentientis semper salvo.

CONSILIUM CCXXV.

SUMMARIA.

1 *Venditionis appellatione, omnis alienatio, juris interpretatione continetur.*
2 *Intellectus gl.* in l. sicut. §. venditionis. quibus mod. pig. vel hypoth. sol.
3 *Venditionis appellatione, an & quando legatum vel donatio veniat?* & *num.* 11.
4 *Mater liberos suos gravare voluisse in dubio non presumitur.*
5 *Quę in continenti fiunt, actui inesse censetur.*
6 *Resoluto jure datoris, resolvitur jus acceptoris.*
7 *Vrbanitatis vel civilitatis omissio nihil in re mutat.*
8 *Clausula in favorem alicujus apposita, in odium ejus retorqueri non debet.*
9 *Nemo jure suo, nisi in casibus expressis, privari debet.*
10 *Dispositio stricti juris, an & quando ad alium casum extendatur?*
12 *Dentes equi donati inspici non debent.*
13 *Viam, per quam actus suus impugnari possit, nemo eligere presumitur.*
14 *Intellectus gl. in* l. sicut. §. sed etsi permiserit. quibus mod. hyp. sol.
15 *Legatum morte confirmatur, nec in vita testatoris debetur.*
16 *Donandi facultas ab homine concessa, quid importet?*
17 *Baldi error* in l. voluntas. C. de fideicom.
18 *Rationis identitas & diversitas, tam in contractibus, quàm in statutis, legibus, & consuetudinibus inspicitur.*
19 *Communis loquendi usus proprię verborum significationi pręvalet.*
20 *Alleganti communem loquendi usum, incumbit probatio.*
21 *Princeps sola veritate facti inspecta, causam decidere debet.*

VIsis difficultatibus motis contra sententiam in curia Hollandiæ latam, inter Nicolaum Henrici appellantem ex una, & magistrum Arnoldum Boets, cum socijs, intimatos ex altera: videtur sub correctione, quod intimati sint de jure melius fundati ad domum, de qua inter partes prædictas est quæstio. Pro cujus decisione præsupponitur, quod Elizabeth mater magistri Iacobi & Ioannis Goudt potuisset in vita sua efficaciter vendere domum contentiosam; & hoc creditur dubium non habere. Quo sic præsupposito, videtur de jure dicendum, quod mater dictorum magistri Iacobi & Ioannis potuit etiam per viam donationis, testamenti, legati, aut alterius ultimæ voluntatis disponere de dicta domo; Quia appella-
1 tione † venditionis, interpretatione juris, continetur omnis alienatio, *tex. est de hoc apertissimus, in l. statu liberi à ceteris.* §. *fin. ff. de statu libe.* & *in l. voluntas. C. de fideicom. notat gl in l. 2. C. de usucap. pro emptore*, & *est tex. in casu subjecto*

peculiaris, in l. sicut. §. *venditionis. ff. quibus modis pign. vel hypoth. sol.* & *ibi glos.* quæ dicit, nota appellatione venditionis omnem actum contineri, ex quo dominium transfertur: & *clarius ibi Bar.* & *Salic.* qui ad literam summando textum dicunt, appellatione venditionis continetur omnis actus, per quem dominium transfertur, etiam ex ultima voluntate.
2 Nec obstat, si † dicatur, *quod gl. ibi dicit,* appellatione venditionis venire omnem contractũ, ex quo dominium transfertur. Iam legatum non est contractus; quia si aliquæ glossæ sic habeant, sunt corruptæ, cùm textus expressè loquatur de legato, & *hoc apertissimè ibi sentiunt Bar. Salic.* & *alij*, qui utuntur verbo, *Actus*: nec mirũ, quia de facili potest fieri corruptio de dictione *Actus*, ad dictionem *contractus.* Nec obstat, si forte dicatur, quòd tex. ibi summarium Bart. Salic. & aliorum non patitur, cùm solùm continuando materiam dicat, *venditionis autem appellationẽ generaliter accipere debemus, ut etsi legare permisit, valeat quod concessit,* quia creditur etiam litera illic corrupta, & loco illorum verborum, *Legare permisit*, debere poni *Legaverit*, vel ad illa verba *Legare permisit* subaudiri debere, permittendo vendi: ut sit sensus literæ, quòd creditor permittendo vel consentiendo debitori, ut vendat pignus, videatur permisisse vel consensisse, ut leget; quia nisi sic dicamus, textus ille non quadrat cum eo quod procedit, nec decidit, quod clarè apparet eum decidere voluisse, imò de indubitabili est ille textus; quis enim dubitat, quòd permittens legare rem suam, sibi non præjudicat? sed si ibi decidatur, quòd consentiens rem suam vendi, præjudicet sibi, etiam si legetur, tunc ibi deciditur casus dubitabilis, serviens ad decisionem quæstionis præsentis, cùm ibi verbum venditionis erat prolatum ab homine, & per Marcellum Ictum interpretatur, ut includat legatum, & *ita ibi apertissimè sentiunt Bart. Salicet.* & *alij*, qui aliàs viderentur somniasse, & dormitasse, & ne durius dicamus, mendaciter tex. somniasse, quod tanquam non verisimile non est
3 credendum. Et quòd † appellatione venditionis veniat donatio, legatum, & quilibet actus; per quem transfertur dominium, est indubitanter verum, quando fit mentio venditionis non propter precium, sed propter rem, vel quando est eadẽ ratio in donatione aut legato, quę est in venditione, *d. l. volũtas,* & *ibi expressè Bar. Cy. Paul. de Cast. Sal. Ias.* & *communiter alij.*

Quòd autem eadem sit ratio in legato aut donatione, quæ est in venditione in casu quæstionis præsentis, clarè colligitur ex munimentis partium in actis exhibitis, ut infrà latius deducetur. Nam primò constat, quòd mater dictorum magistri Iacobi & Ioannis domum contentiosam emit, & pecunia propria solvit. Quòd patet per literas scabinales oppidi Delfensis, de data anni 1497. de mense Septembris, ubi etiam in dorso solutio con-
4 tinetur. Sed quia † res feudalis fuit, & investitura à domino directo petenda erat, noluit mater verisimiliter investituram suo proprio nomine petere, ne post mortem suam prædicti sui filij, ad quos pro dimidia divisim voluit domum contentiosam devenire, casu quo de illa ipsa non disponeret, gravarentur iterum investituram petere, & jus relevij directo domino solvere. Quare filios suos sine medio investiri permisit, animo (ut creditur) gratificandi & donandi filijs, sperãs quòd ex una domo duas distinctas facere possent, & illas inhabitare, casu quo ipsa in sua vita aliter non disponeret: & quod hæc fuerit mens matris, colligitur apertè ex literis investituræ prædictorum magistri Iacobi & Ioannis, conjunctis alijs literis, quibus prædicti magister Iacobus & Ioannes videntur permittere matri facultatem, vendendi & onerandi prædictam domum, quæ omnes tres literę sunt

de una

de una & eadem data, anni scilicet 1497. diei 19. Septembris. Ex quo patet, quod investitura dictorum filiorum, & reservatio juris disponendi in favorem matris, facta de dicta domo sunt in eodem instāti & tempore factæ, per quod colligi potest voluntas & intentio dictæ matris, quæ etiam clarius colligitur ex clausulis positis in prædictis literis, ubi dicti magister Iacobus & Ioannes videntur permittere matri facultatem, vendendi & onerandi domum contentiosam, cùm ibi illa sola ratio inseratur, scilicet, quod mater domū emerat, & solvere de suo tenebatur. Item ex alia clausula ibi inserta, videlicet, casu, quo prædicti filij potiti fuerint domo cōtentiosa post mortem matris, ex titulo & investitura prædicta, quòd in illum eventum tenebuntur, alijs suis fratribus pro recompensa aliquam summam pecuniarum elargiri, &c. Et adhuc clarius hoc patet ex literis de data anni 1503. 11. Septembris, ubi dictus Ioannes partem suam resignavit in manus Domini directi, ad utilitatē matris suæ, &c. Nec potest hìc cadere præsumptio, quòd dicti magister Iacobus & Ioannes facilius consenserunt matri vendere, quàm donare: quasi ex venditione possint fieri locupletiores, quæ ratio videtur cessare in donatione. Quia respōdetur, quòd in rei veritate dicti filij nihil penitus concesserunt matri, sed ipsa mater, patiendo filios investiri in domum contentiosam, emptam per eam, reservavit sibi facultatem vendendi & onerandi eandem, ob nullam aliam causam, quàm quia ipsa eandem emerat, & precium solvere tenebatur, ut suprà dictum est. Et hæc ratio est efficacissima, ut appellatione venditionis etiam veniat donatio aut legatum, quia prædicta causa æquè militat utrobique quò ad matrem: & licet literæ investituræ dictorum magistri Iacobi & Ioannis sonent, quod ipsi investiti in feudo, & sic habentes utile dominium, concedant & permittant matri vēdere, &c. tamen ex data literarum colligitur apertè, quod uno & eodem tempore ipsi investiti sunt, & matri facultas vendendi reservata, quæ aliàs verisimiliter nō admisisset ipsos investiri: & sic habet 5 locum regula quæ dicit, quòd quæ † in continenti fiunt, inesse videntur: & per hoc non obstat doctrina Paul. de Castr. *in l. veteribus. ff. de pactis*: quia nulla est hic ambiguitas in pacto. Ex prædictis etiam patet, quòd non obstat, si dicatur, quòd dictus magister Iacobus factus est proprietarius: quia hoc non negatur: per hoc tamen non sequitur, quòd propterea mater non potuit de domo contentiosa disponere: quia patet ex literis investituræ ejusdem magistri Iacobi, de data ultimæ Februarij anni 1504. secundum cursum curiæ Hollandiæ, quòd prædicta domus contentiosa facta est unum feudum & indivisum, quod antea per alias literas divisum fuit: & clausula in calce harum ultimarum literarum unionis posita, reservat matri jus, quod habuit ex alijs literis prædictis, de data anni 1497. Non etiam obstat si dicatur, quòd Cornelia, uxor dicti magistri Iacobi, facta est proprietaria domus contentiosæ, per donationem reciprocam, &c. Quia 6 respondetur, quòd † hoc utique verum est, quousque mater aliter disposuit, & sic revocabiliter. Non enim potuit dictus magister Iacobus per suam donationem in uxorem, plus juris in eam transferre, quam ipse habuit: & certum est de jure, quod resoluto jure datoris, resolvitur jus acceptoris: *vulgata l. lex vectigali.* Non obstat etiam prædictis, quòd mater dicti magistri Iacobi non requisivit hæredes ejus, ut intimatos investiri facerent, quia hoc civilitatis & urbanitatis fuit, quæ civilitas † aut urbanitas omissa nihil 7 mutat in re. *l. debitores. C. de pign.* & *l. quidam Hyberus. ff. de servitu. urbano prædio.*

& verisimiliter fuit ista clausula apposita, ut dictus magister Iacobus & sui hæredes possint ad hoc compelli, casu quo in possessione domus fuissent, & ille in quem mater alienasset, investituram aliter acquirere non potuisset: quæ ratio in hoc casu cessabat; cùm nemo post mortem dicti magistri Iacobi se de feudo di-
8 ctæ domus intromisit: & sic † clausula illa apposita in favorem matris, non debet in ejus odium retorqueri: *vulgata l. quod favore.* Non obstat etiam si dicatur, quòd mater dicti magistri Iacobi post mortem ejusdem petijt investiri, ut hæres dicti magistri Iacobi. quare tenetur adimplere voluntatem ejus qui disposuit, quòd demum post mortem utriusque conjugum mater esset hæres suus. Quia respondetur, quòd si certum est in verbis investituræ, aut etiam si mater malè investituram petijt, propterea non sequitur, quòd ipsa amisit jus suum, quo potuit disponere de dicta domo: cùm hoc non reperiatur jure cautum, & firma sit regula,
9 quòd nemo † privetur jure suo, nisi in casibus expressis in jure: *ut not. glossa ordin.* & *Dd. in c. fin. de jure patro. cum concord.* Non obstat etiam si dicatur, pactum per quod licuit matri vendere & onerare dictam domum, est stricti juris, ergo non debet operari, nisi in casu expresso. Quia respondetur, verum esse,
10 quod dispositio † stricti juris, loquens in uno casu, non debet extendi ad alium casum, nisi interpretatione expressa, & in corpore juris inserta, aliud statutum fuerit, prout est in casu præsenti: vel nisi identitas, vel majoritas rationis extensionem admittat: *juxta plenè notata per Ioan. de Imola*, & *Lud. de Roma in l. si verò. §. de viro. ff. sol. matrim. cum concord.*
11 Per quod † etiam solvitur quod obijci posset *de d. l. sicut. §. sed & si permiserit*, ubi videtur expressè probari, quòd permissa venditione non permittitur donatio: Quia si rectè consideretur ille textus, vult, quòd tunc permissa venditione, non censetur donatio permissa, quando creditor ideò consentijt debitori vendere pignus, ut ex precio sibi satisfieret: quia tunc non est eadem ratio in venditione & donatione: sed quando id actum non est, vult textus, quòd permissa venditione venit donatio & similis actus alienationis: & *clarius ibi volunt Bart. Ang. Salic.* & *alij*, qui dicunt, quòd si permittitur unus actus alienationis, permittitur omnis alius illi similis, & eundem importans effectum, vel meliorem. Cùm ergo in casu subjecto non allegetur per appellantem nec probetur, ideò reservatum jus vendendi vel onerandi domum, ut filij precium haberent, habebit locum *quòd habetur* & *notatur per Dd. in d. §. sed & si permiserit*, quòd permissa venditione veniat modus similis expresso. Et per consequens legatum quod in hac parte est simile venditioni, & per id similis, imò melior judicatur effectus, cum per hoc succurratur animæ, quæ preciosior est, quàm bursa. Sequitur ergo, quòd appellatione venditionis veniat legatum. Attento maximè, quòd reservans sibi hoc jus vendendi fuit mater: & nedum mater, sed donatrix: quare non amarè contra eam, sed largè pro ea & in favorem animæ suæ debet fieri
12 interpretatio; cùm non † debeat inspici dens equi donati, *vulgata l. ad res donatas. ff. de ædil. edict.* Et quòd ipsa mater sic intellexerit, declaravit condendo testamentum, & disponendo per legatum, de
13 dicta domo contentiosa. Nemo † autem in dubio præsumitur eligere viam, per quam actus suus impugnari possit, sed potius viam, per quam efficax fiat & censeatur: *vulgata leg. 3. ff. de milit. test.*
14 & † attendendum est, ne aliquem decipiat gloss. *quę est in d. §. sed & si permiserit, super verbo, onera*, quæ dicit & sic notat,

notat, quod uno modo permittitur, alio modo prohibetur, *allegans l. qui procuratorem, ff. de procur.* nam glossa & corrupta, & loco dictionis, *modo*, secundo loco positæ, debet esse *non*: quòd patet ex verbo, super quo posita est dicta glossa, & etiam *ex l.* quam glossa allegat, quæ probat contrarium ejus quod allegatur, & ita habet pressura Lugdunensis Nicolai de Benedictis, de data anni 1508. & *ita etiam expressè vult Odofred. in d. §. sed & si permiserit*, nisi salvando dictam glossam velimus supplere ad eam cùm dicit, alio modo prohibetur, scilicet dissimili, quæ suppletio in illo textu clarè probatur, quo casu non facit contra, sed pro. Non obstat etiam si dicatur, quòd matri solum concessum fuit disponere vita sua
15 durante: nam sic est, quòd † legatum non sortitur effectum in vita, sed confirmatur morte, &c. Quia respondetur ut suprà dictum est circa intellectum *d. §. venditionis*: & ultra hoc quòd legatum valet & efficax est, revocabiliter tamen in vita legantis, licet post mortem demum sequitur irrevocabilis executio. In casu autem præsenti non est quæstio de revocatione, vel irrevocabilitate legati. Per præmissa etiam solvitur aliud quo
16 dicitur, major † est convenientia inter donationem inter vivos, & donationem causa mortis, quàm inter venditionem & legatum: sed si ab homine concedatur alicui facultas donandi, intelligitur duntaxat de donatione inter vivos, & non de donatione causa mortis. *l. filiusfamiliâs, ff. de dona.* Ergo multò minus verbo venditionis comprehendetur legatum. Quia respondetur breviter, negando consequentiam, quia in verbo donationis non est illa juris interpretatio, quæ est in verbo venditionis: imò contraria, *ut patet in d. l. filiusfamilias.* Nec obstat
17 † vacillatio Bald. *in d. l. voluntas*, cum habeat omnes alios Doctores contra se: nec est bona solutio ejusdem Bald. *ibidem ad præalleg. l. statu liberi*, in quantum dicit, quòd antequam supervenerunt plenè distinctiones nominum, potuit illa lex procedere: quia apud Ictos veteres, longè major atque exquisitior fuit copia verborum, quàm apud novissimos compilatores, ut quia barbara sæpe vocabula recipiunt ob ignorantiam linguæ Latinæ. Non obstat etiam dictum Cyn. *in l. fin. C. de reb. alienis non alienan. in 3. quæst.* ubi videtur dicere, quòd aliud est, quando verbum venditionis profertur à lege, & aliud quando profertur ab homine, quia confunditur ejus dictum, *per d. §. venditiones, & d. §. sed & si permiserit, & per d. l. voluntas, & contra eum tenet Alber. & alij in d. l. fina. C. de jure emphyteu. & ibi Angel. & Dd. & inter omnes latissimè ibidem Iason per 8. colum. & Bart. Paul. de Cast. Salicet. Iason & omnes excepto solo Bald. in d. l. voluntas.* quorum communis & vera sententia habet, quòd verbum *venditionis*, sive proferatur à lege, sive ab homine, comprehendit donationem, quando eadem subest ra-
18 tio. Hinc † etiam ad propositum dicit Angel. *in d. §. sed & si permiserit*, quod sicut in legibus, statutis, & consuetudinibus, inspicitur identitas & diversitas rationis. *l. non possunt, & l. de quibus. ff. de legi.* ita etiam in contractibus & consensibus, *per illum tex.* Si enim benè considerentur jura, quæ volunt, venditionem capi strictè, quæ enumerantur per glos. *in d. l. statuliberi*, loquuntur in casu, quando facta est mentio precij, vel quando sumus in odiosis, vel quando subest diversa ratio, vel quando ratio subjectæ materiæ suadet verbum strictè sumi, & sunt casus speciales, ita quòd regula est in contrarium *ut ibi sentit gl. & Cyn. Alber. Iason. & alij in d. l. fin. C. de jure emphyt. & idem Cyn. Bart. Paul. de Castr. Salic. & Iason, & ferè omnes in d. l. voluntas,*

ita quod non est facienda differentia, an verbum venditionis proferatur à lege, vel ab homine, prohibitivè, vel permissivè. Sed duntaxat inspiciendum est, an eadem subsit ratio prohibitionis vel permissionis in donatione vel legato, quæ est in venditione, *jurib. suprà commemor.* Nec
19 obstat si dicatur, quòd communis † usus loquendi est attendendus, & prævalet proprio verbi significato, &c. Et quòd per communem usum loquendi venditio, in qua requiritur precium, est contractus distinctus à donatione & legato: quia non negatur, quòd venditio est contractus distinctus à donatione, & similiter à legato, *ut loquitur d. §. sed etsi permiserit*, & *Panorm. in cap.* 1. *de his quæ fiunt à prælato, &c.* Sed dicimus, quod ubi fit mentio venditionis propter rem, absque commemoratione pretij, & eadem est ratio in donatione vel legato, quæ est in venditione: tunc interpretatione juris ille qui potest vendere & obligare, potest etiam donare & legare, *jurib. suprà alleg.* Nec est ullus usus loquēdi talis, præsertim in loco domicilij partium, qui impediat prædictam interpretationem juris,
20 nec hoc ponitur per appellantem, cui † tamen incumberet onus allegandi & probandi communem usum loquendi in hac parte, si super eo se fundare voluisset, *secundum Bart. in l Labeo ff. de suppell. legat. cum sim.* cui etiam incubuisset onus allegandi & probandi, si se fundare voluisset super eo, quòd ideo matri permissa fuit venditio, ut filij haberent precium, *ut optimè probatur in d. §. sed etsi permiserit.* Cùm ergo in casu præsenti non sit allegatus nec probatus communis usus loquendi suprà dictus, aut articulatum & probatum, quod ideo permissa est matri venditio, ut filij precium consequerētur, & constet de veritate rei gestæ, judicandum videtur pro dictis intimatis:
21 cùm † princeps vel curia suprema, quæ vice principis judicat, sola veritate inspecta, causam decidere debeat, *secundum Bald. in tit. de nova forma fidelit. circa fin.*

CONSILIUM CCXXVI.

SUMMARIA.

1 *Actor ad petitionem rei non solùm rationes suas, sed & instrumenta edere cogitur.*

2 *Reus, ad fundandam actorū intentionem, instrumenta edere non compellitur. Fallit in fisco actore.*

3 *Fiscus quando & quomodo instrumenta edere teneatur?*

4 *Deputatus ad custodienda privata principis instrumenta, edere ea non cogitur.*

HOnorande domine cōfrater & compater charissime, post recommendationem, casus, quem lator præsentium attulit, multum ambiguus videtur propter tria. Primò propter contrarietatem opinionum, glossarum, & doctorum inter se variantium. Secundò, quia petens editionem instrumentorum dicitur esse actor, non reus. Tertiò, quia petitur editio à fisco, qui videtur non teneri edere reo instrumenta contra se, *l. in fraudem. §. neque, ff. de jure fisci.* Quantum ad
1 primum, patet † de contrarietate opinionum inter *Io.* & *Azo.* Nam dixit Ioan. antiquus glossator, quod ad petitionem rei actor cogitur edere, nedum rationes suas, sed etiam instrumenta (Azone contradicente) in instrumentis, *ut videre licet in l. fin. C. de eden.* Et quēlibet opinio magno se judice tuetur, imò plures habet defensores: & videtur opinio Ioan. communis & vera, *ut in d. l. fina. dicunt Alex.* & *Iason.* & *Ioan. de Imol. in c. de probat.* secundum illam etiam fiscus cogitur edere instrumenta ad petitionem rei, ad proban-

probandam suam exceptionem, *pro quo videtur text. in l. justum, C. de eden.* quæ loquitur in fisco, secundum Iasonem ibidem: videtur etiam text. *in l. illate. C. de fide instrumen.* & *tex. cum glos. in l. ne casu. C. de discusso. lib.* 10. & *in alijs locis.* Pro Azone autem faciunt plures tex. adducti per Dd. *in d. l. fi.* quam uterque etiam pro se adducit & interpretatur, ut illic videre licet. Quantum autem ad secundum, necesse est investigare, an in hoc casu petens editionem censeri debeat actor, an reus: quia si censeri debeat actor, sumus extra omnem controversiam. Omnes enim in hoc conve-
2 niunt, quod † reus non tenetur edere actori, ad suam intentionem fundandam: Fallit in fisco, qui est privilegiatus, ut cogat reum sibi edere instrumenta, ad intentionem suam probandam. *l. ne quisquam. ff. de eden.* Si verò sit censendus reus, tunc sumus in dictis opinionibus. Et quanquam mihi videatur, quòd iste non debeat censeri actor, sed reus necessarius, qui compulsus pro sua defensione refugit ad remedium juris, petens provi-
3 sionem: tamen quia † text, *in d. l. fraudem. §. neque*, expresse dicit, neminem compellendum, contra fiscum edere instrumenta, vel acta, subjungens fiscum actorum suorum exempla hac conditione edere, ne is cui describendi potestas sit, adversus se vel rem publicam his actis utatur, de quo etiam cavere compellitur, ut si usus his contra interdictum fuerit, à causa cadat, ubi glos. juribus in contrarium facientibus, respondens tandem dicit, quòd fiscus edit, si vult: & si non vult, non cogitur. Sed si contingat quòd edat, edit cum cautione prædicta, & illic Bart. sequendo glos. dicit, quòd fiscus propria instrumenta sua non cogitur edere, nisi velit: & ad omnia jura facientia in contrarium respondet, quòd loquuntur, quando apud fiscum sunt instrumenta, sibi & petenti editionem communia, non autem quando sunt sua propria: & *idem sequitur Felin. ubi latè hanc materiam tractat, in d. cap.* 1. *de probatio. in versic.* 4. *declara. nisi sint acta*, &c. Alij autem sequentes opinionem Azonis, ad dicta jura respondent, quod loquuntur in edendis rationibus, non in instrumentis: quæ solutiones quantum valeant, ipse perpende. Suadeo tamen, quòd ille, cujus negocium agitur, sit prudens, nec ponat os in cœlum, maximè,
4 quia † deputatus ad custodienda instrumenta privata alicujus principis, non cogitur edere, *secundum Io. de Imol. in d. c.* 1. *quem illic sequitur Felin.* quales videntur esse rationales isti. Non videtur autem mihi consultum, quod iste insistat super editione, cum, ut informor, habeat literas investituræ, quibus jus suum probare possit. Honorande domine confrater & compater charissime, his benè valeas. Ex Mechlinia, die octava Iulij, anno vigesimo nono.

CONSILIUM CCXXVII.

SUMMARIA.

1 *Bullæ vel literæ non sunt de substantia gratiæ, sed ad probationem solùm, & ut curia gaudeat, adhiberi solent: licet etiam per testes probari queant.*

2 *Cardinali quid attestanti credendum est.*

3 *Ingratus existimandus est, qui quod pro consequenda salute sua promisit, solvere differt.*

4 *Geminatio firmitatem propositi significat.*

5 *Geminatio pacti nudi, vel obligationis solùm naturalis, producit actionem de jure civili.*

6 Per-

6 *Perjurus* & *fidem frangens æquiparantur*, & *beneficijs jure privari possunt.*

7 *Iuramentum* & *fidei præstatio æquipollent.*

8 *Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi imputare debet, &c.*

IN causa pensionis, D. Reverendiss. Panormitano, providorum virorum interventu, pro bono pacis & concordiæ, ad evadendam nominationem Cæsareæ Majestatis, ut Duci Brabantiæ, ex privilegio Apostolico in omnibus Abbatijs & conventibus, & ut unum de gremio conventus eligere possint, competentem, per totum conventum monasterij S. Gertrudis Lovaniensis, promissæ, per illustrissimam dominam ratificatæ, & per electum ex post recognitæ & renovatæ, ac postea de consensu Abbatis electi, & totius conventus procuratoribus ad hoc constitutis, authoritate Apostolica reservatæ, non videtur quid rationabiliter movere posset Abbatem, ad differendam vel denegandam solutionem hujusmodi pensionis ex causa rationabili, ut præmittitur, toties promissæ, & per sedem Apostolicam constitutæ & reservatæ: cùm ex dicta ratione etiam bullis non expeditis, jus competat dicto Reverendiss.
1 D. Panormitano: quia † indubitatum
est, quòd bullæ vel literæ non sunt de esse vel substantia gratiæ, sed solùm adhibentur ad probationem, & ut curia gaudeat. Gratia tamen principis seu Papæ probari etiam potest per testes, *ut volunt Archid. Ioan. Andr. Dominic.* & *Philip. Franc. in proœm. 6.* & *Dd. sępè alibi.* Quia ergo D. Reverendissimus Cardinalis Dartusensis attestatur, se procurasse expeditionem signaturæ dictæ pensionis, debet electus ei adhibere fidem, quia †
2 creditur Cardinali quid attestanti. *cap. nobilissimus, 97. distinctio.* & pensionem solvere, si non velit de perfidia & ingratitudine notari: grave enim est fidem fallere, cùm in omnibus, tum verò maximè in viro ecclesiastico, à quo debet abesse omnis fraus, illusio, incõstantia, & variatio. *l. 1. in princ. ff. de constit. pecu.* & *Clemen.*
3 *unica, de renunc.* Nec † potest censeri non
ingratus, qui quod pro consequenda salute sua promisit, solvere differt: merces enim eximij laboris appellanda est, quòd contemplatione salutis certo modo æstimari non potest, *ut est tex. sing. junct. gl. in l. si pater. § fi. ff. de donat.* maximè cum attestationi dicti Reverendiss. D. Cardinalis Dartusensis consonent literæ d. Andreæ de Castillo, scriptoris Apostolici, & attestatio Laurẽtij de Aula notarij publi-
4 ci. Et † præsertim à justitia deviat hæc
dilatio seu frustratio, cum toties fuerit hujusmodi promissio geminata & itera-
5 ta, quæ † geminatio de jure firmitatem
propositi significat. & inter alia operatur, quod ubi aliàs ex pacto nudo vel obligatione naturali tantùm, non oritur actio de jure civili, *jurib. vulgar.* Propter geminationem tamen datur actio. *§. de constituta, Insti. de act.* & *d. l. 1. § debitum, juncta l. qui autem. § fi. eo. ti. Et volunt Cyn. Alber. de Rosate, Bald, Salic.* & *Ang. in l. fi. C. ad leg. Falci. Et idem vult ibi Alex. de Imol. in apostil. ad Bald. idem etiam vult Matth. Mattessel. in notabili suo 37.* & *Dd. sępe alibi.*

Quòd si electus gratiosè requisitus ut solvat, in sua perfidia persistat, ad solutionem ejusdem pensionis cõstringi jure poterit per Cancellarium & concilium Brabantiæ, coram quo Abbates & prælati Brabantiæ, de statibus existentes, activè & passivè de consuetudine laudabili notoria, ab ævo observata, trahi & conveniri possunt, maximè in hoc casu, propter violationem fœderis, pro bono pacis percussi, & per illustrissimam dominam admissi & ratificati, ut unus de gremio conven-

conventus eligeretur; non obstante jure nominationis, Cæsari, ut permittitur, competenti: de quo nemo alius quàm i-
6 pse Cæsar, vel suum concilium, cognoscere potest. Propter quam † etiam violationem fidei, quæ tendit in contemptum Cæsaris & illustrissimæ Dominæ, ipse electus, adinstar liberti ingrati, qui ad petitionem patroni in servitutem revocatur, quia liber esse nescivit, ad petitionem procuratoris generalis, nomine Cæsaris & illustriss. Dominæ, ut suæ injuriæ aliquam saltem habeant ultionem, & ne dolus, versutia, fraus, illusio, inconstantia, & variatio electi, sibi patrocinetur, revocari poterit ad monachatum, & de statu suo alteri idoneo ad nominationem Cæsaris provideri, quia Abbas esse nescivit: potest enim jure privari beneficio perjurus, & fideifragus *de primo est tex. in d. c. querelam, de jurejur.* & *de secundo est glos. in cap. fin. ne prelati vices suas.* Æqualiter enim puniuntur perjurus, & fidem frangens, *ut est glos. in cap.*
7 *constitutus, de transact.* & sunt † æquipollentia juramentum & fidei præstatio, *ut dicit glos. notabilis in c. 2. de spons.* & quòd fidem frangens possit privari beneficio sicut perjurus, tenet & amplè declarat *Panor. in d. c. querelam,* & *illic hoc confirmat dom. AEneas de Falconib. in suis addit. ad Panorm.* & *idem volunt Dd. sæpè alibi.* Consulo ergo dicto electo, quòd celeri satisfactione moram purget, nec diutius differat solutionem, ne peri-
8 culo se involvat; qui enim † amat periculum, peribit in illo: & non est subveniendum ei, qui in necessitate se posuit. *l. si fidejussor. §. 1. ff. qui satisd. cogant. cum simil.* & sibi imputare debet, qui sua culpa damnum sentit. *cap. damnum, de reg. juris, lib. 6.*

CONSILIUM CCXXVIII.

SUMMARIA.

1 *Fœmina ad feudi successionem an & quando admittatur?*

2 *Feudum fœmineum, quod ad utriusque sexus heredes devolvi potest, nisi nullus omnino filius superſit, ad filiam non pertinet.*

3 *Quod naturaliter inest, pro expresso haberi solet.*

4 *In feudis primus semper stipes, primusque domini consensus attenditur.* & *num. 6.*

5 *Nepos ex filiâ neptibus ex filio, in successione feudi per illarum patrem possessi, præfertur.*

6 *In pari gradu & linea constituti, an pari jure gaudeant?*

CAsus. Quidam decessit sine descendentibus, relicto feudo nobili & bono, cujus natura est, ut non existentibus descendentibus, possit devolvi ad cognatos utriusque sexus. Huic defuncto contigerunt duo cognati ejusdem gradus, & defuncto æquè propinqui, masculus & fœmina, masculo proveniente ex fœmina, & fœmina procreata ex masculo. Quæritur, quis istorum cognatorum succedet & præferri debeat in dicto feudo, præsupposito pro indubitato, quod istud feudum non sit divisibile, sed ad alterum illorum, qui potius jus habet in totum devolvi debeat? Et videtur sine dubitatione dicendum, quod istud feudum ad masculum debeat devolvi, licet ex fœmina descenderit, & non ad fœminam, quæ ex masculo descenderit: nam certum est,
1 quòd regulariter † fœmina in feudo non succedit, nisi feudum sit ejus conditionis, ut possit in eo fœmina succedere, *ut est tex. in usibus feudo. de success. frat. vel de grad. succed. in princ.* & *de success. feud. in princip.*

princip. & *§. filia*, & *qui feud. dar. possunt. §. hoc autem notandum.* Et in successione talis feudi, ubi fœmina potest succedere, non admittitur ipsa, donec masculus extat, *d. §. filia*, & *§. quinimò, in tit. episc. vel abba.* & ponitur regula generalis *in c. 1. de eo qui sibi vel hęre. suis mascul.* & *fœm.* quòd in successione feudi non patet locus fœminæ, donec superest masculus ex eo, qui primus de eo feudo fuerit investitus.
Quinimò & † feudum fœmineum, quod
2 possit devolvi ad utriusq; sexus hæredes, tunc demum pertinet ad fœminam seu filiam, si filius non superest. *cap. primo, de feud. fœmin. in princ.* & *expressè hoc approbat Alex. de Imol. cons. 29. primæ partis, per plura illic per eum adducta*, & *Iacobin. in sua investit. in verbo*, & *fœminis*: hoc enim operatur feudi natura: ex qua
3 fœminæ non succedunt in feudis. Cùm † ergo dictum est, in investitura masculos & fœminas posse succedere in feudo, intelligi debet secundum naturam feudi, ut scilicet quandiu extet masculus, fœmina excludatur: quod enim naturaliter inest, pro expresso debet haberi, quasi ipsa natura loquente, *l. cùm quid. ff. si cert. petat. l. triticum. ff. de verb. oblig.* & facilius res quæ unam naturam assumpsit, ad illam redit, quàm novam assumit, *l. si unus. §. pactus ne peteret, vers. quod in specie. ff. de pactis.* & facilius res continuat esse suum, quã de novo fiat. *l pluribus, vers. etsi placeat, ff. de ver. oblig.* Quia ergo in casu nostro habemus masculum & fœminam in eodem gradu, & æquè propinquos defuncto, clarum est, masculum esse præferendum fœminæ. Nec ad rem facit, quòd masculus descenderit ex fœmina, & propterea possit dici incapax feudi: quia ut præsupponitur, feudum est ejus naturæ, ut fœmina possit in eo succedere. Et si masculus esset incapax feudi, quia descendisset ex filia, longè incapacior esset fœmina, quæ jam contendit cum masculo.

4 Item, in successionibus† feudorum, cõtendentibus ambobus, existentibus cognatis defuncti, & natura feudi immutata, ita ut cognati possint succedere, qualitas eorum per quos succeditur, nihil officit, puta, utrum quis venerit ex filia, vel ex filio, sed inspicitur tempus præsens, quando succeditur, ita quòd masculus præfertur fœminæ in eodem gradu, sive descenderit ex fœmina, sive ex masculo: non enim curamus, quo tramite feudum descendit, sed quid sit primum ejus principium, & prima radix & fundamentum: & in feudis semper respicimus primum stipitem, & primum consensum domini, *ut vult Bal. in d. cap. primo, de eo qui sibi vel hęred. suis*, &c.
5 Ad quod † optimè facit, quod pulchrè decidit Calderic. *consil. suo 13. sub tit. de feudis*, ubi dicit, nepotem ex filia præferri neptibus ex filio in successione feudi, quod ultimò per illarum patrem fuit possessum, & ex tenore investituræ ad fœminas potuit devolvi, deficientibus masculis. Non obstante, quòd nepos ille tertio tantùm gradu jungebatur defuncto, de cujus successione agebatur, cùm illæ primo gradu sibi attinebant, nempe quæ
6 ipsius erant filiæ: quoniam. *ut † ibi dicit Chalderic.* in successione feudi non attenditur persona defuncti, sed persona primi stipitis in hoc, ut quamdiu reperitur masculus descendens à primo investito, etiam si sit in remotiori gradu, excludat fœminam etiam longè proximiorem, *quod etiam sequitur Bald. in longè fortiorib terminis, cons 137. 2. partis*, & *Franciscin. eum per omnia sequens 3. parte tractat. sui feudalis, tit. de feud. success. limitat. 16. licet Bald. corruptè alleget.* Multò fortius igitur in casu præsenti, masculus fœminæ venit anteferendus. Et super hęc omnia facit potissimum consuetudo patriæ, ubi feuda contentiosa sita sunt, quæ talis est, ut semper masculus, etiam junior,

nior, in eodem gradu præferatur fœminæ etiam seniori in successione feudi, quæ consuetudo dicitur inviolabiliter observata, ita ut nullus de ea dubitet. Nec potest, ut prædictum est, fœmina objicere masculo, quòd descenderit per fœminam, & ipsa per masculum, cùm ipsa tanquam fœmina velit succedere in feudo, de quo est contentio, juxta illud. Cùm culpent alij, te me laudare necesse est. Non
7 etiam † poterit masculo per fœminam objici, quòd sit collateralis defuncto, non descendens à primo investito, vel stipite, quod requirere videntur jura feudalia in admissione collateralium ad successionem feudi, cùm & ipsa sit collateralis, non descendens à primo investito in hoc feudo contentioso, & consuetudo patriæ idipsum purget, quæ indistinctè collaterales ad feudi successionem admittit, etiam si non descenderint à primo acquirente vel investito.

CONSILIUM CCXXIX.

SVMMARIA.

1 *Casus.*
2 *Absens & ignorans per alium obligari nequit.*
3 *Facti alieni promissio invalida est.*
4 *Promissio sine causa justa facta, licet pariat actionem, agenti tamen doli exceptio obstat.*
5 *Donare vel suum jactare velle nemo præsumitur.*
6 *Inspiciendum est, non quod in fictione, sed in rei veritate consistit, & num. 15.*
7 *Ex obligationibus ob turpem causam factis actio nulla nascitur.*
8 *Meritorum assertio à donatore facta, an alia quoque probatione indigeat? & num. 10.*
9 *Donationes propter benemerita sunt irrevocabiles, nec in illis magna solennitas requiritur.*
11 *Sigillum est consensus & confessionis testis.*
12 *Prelati, inferiores episcopo, an, & qualiter donare possint? & num. 16. & 18.*
13 *Pensiones annue rebus immobilibus annumerantur.*
14 *In prohibitis sui natura, & certo casu permissis, simplici assertioni exercentis illum actum prohibitum, causamque legitimam asserentis, non statur.*
17 *Administratione libera concessa, donatio permissa non censetur.*
19 *Dictio*, aliqua, *restringit & arctat orationis significationem ad rem modicam.*
20 *Simonie crimen quis incurrat?*
21 *Prelati solventes annuas pensiones, in præjudicium ecclesiæ constitutas, qualiter puniantur?*
22 *Quod meum non est, alterius esse non ignoratur.*
23 *Militibus aliisque in officio constitutis quodnam à Christo præceptum datum?*
24 *Datum ob solam vexationem facti redimendam, an repeti possit? &c.*

1 CAsus est talis: Quidam † ex consanguineis A. promovendi ad quandam ecclesiasticam dignitatem, absente A. & eo ignorante, ac promotionis suæ provisionem, tàm à sancta sede Apostolica, quàm à C. M. habente, propter placeti retentionem & difficultatem in eo assequendo, promiserunt cuidam B. curiali, in cujus manu erat dictum placetum & ejus expeditio, certam annuam summam pecuniarum, quadringentorum, vel circiter, florenorum rhenensium. Atque eandem promissionem suorum consanguineorum & a-

micorum coactus est A. metu impedimenti, quod poterat sibi per præfatum B.curialem in executione placeti Regij, ac aliâs in sua promotione præstari, confirmare ferè sub hac forma: Nos A. &c. propter certa benemerita & beneficia per B.nobis impensa, & imposterum impendenda, assumimus eundem B. in perpetuum nostrum consiliarium, committendo eidem pensionem annuam quadringentorum florenorum Rhenensium, quoad vivet: in cujus rei fidem, &c. Insuper idem A. in principio suæ promotionis primo & secundo anno, putans, ut creditur, cum effectu se obligatum, & motu potentię B.solvit de hac pensione summã, circiter sexcentorum florenorum. Postmodum tamen metuens idem A. offensam Dei omnipotentis, attendens, quòd continua solutio prætactæ pensionis vergeret in magnum & grave ecclesiæ suæ præjudicium, consilio Doctorum sacræ Theologiæ & Iurisperitorum usus, sæpius protestatus est, & fuit de hac extorsione & cõcussione seorsum coram diversis notarijs, quòd hæc solutio fiebat metu B. potentiæ, & cum intentione ulterius non solvendi, cessante metu prædicto, ac solutum repetendi, quando plenè constaret. A ex præmissa pensionis annuæ promissione extorta, efficaciter non obligari.

Circa hunc casum quæritur de quatuor. Primò, utrum promissio consanguineorum A. ipsum obliget, & consanguinei obligentur ex sua promissione, & utrum A. saltem obligetur ex ratihabitione præcedentis promissionis suorum consanguineorum, non constito aliter de meritis B. quàm per confessionem & instrumentum donationis, seu literas A. an verò debeat B. si velit consequi solutionem pensionis, probare merita proportionata promissioni pensionis, de qua in casu, maximè, cùm non intervenerit consensus capituli. Secundò, utrum A. possit talem promissionem & donationem facere, solvendo hujusmodi pensionem annuam absque periculo animæ suæ, & salva ejus conscientia. Tertiò, utrum dictus A. possit notari de Simonia, ex ratihabitione & confirmatione promissionis, per consanguineos suos factis, ex causis præallegatis commissa. Quartò, utrum B possit salva conscientia retinere dictam summam pecuniariam, ex causa præmissa solutam: An verò teneatur in utroque foro ad restitutionem? Ad præmissas quæstiones per ordinem respondendo, videtur nobis subscriptis, omissis ambagibus ad primam quæstionem, quæ tres habet implicitas quæstiunculas, de jure dicendum & consulendum, & primò ad primam quæstiun-

2 culam, quòd promissio † pensionis per consanguineos A. ipsius nomine sine mandato facta, non obligabat A. quia nemo potest alium absentem & ignorantem obligare. Nemo enim ex alieno facto obligatur. *C. ne filius pro patre*, & *ne uxor pro*

3 *marit. in Rubr.* & *nigro.* Et alienum † factum nemo promittere potest. §. *si quis alium. Inst. de inutil. stip.* & *l. stipulatio ista. vers. nemo. ff. de verb. oblig.* & *l. sicut reus. ff. de fidejuss.* Et quia istud clarum est & expeditum, amplius non insistimus. Ad secundam quæstiunculam videtur nobis pariformiter respondendum, quòd ex promissione consanguineorum A. & ratihabitione seu confirmatione ipsius A. non potuit A. vel sui consanguinei in casu nostro efficaciter obligari, *jurib.* & *rationib. infrà scriptis.*

4 In primis, quia † huic pensionis promissioni per A. non subest causa saltem justa, quare etsi ex ejusmodi promissione oriatur actio, obstat tamen agenti exceptio doli, *l. 2. §. circa. ff. de dol. except.* Dolo enim facere dicendum est eum, qui promissum sine causa petere perseveret, *ut ibi, cui astipulatur Angel. in l. jurisgentium §. sed cùm nulla. ff. de pactis*, dicens, dictum

dictum §. *circa*, tunc locum obtinere, quādo in ſtipulatione non inſeritur cauſa; quia promiſſor credit ſtipulationem ſine cauſa valere, non tamen gerit in animo ſe velle donare, & hoc conſtat, vel etiam dubitatur, utrum voluerit donare, vel non.

5 Cùm † in dubio nemo ſuum donare & jactare velle præſumatur, *vulg. l. cùm de indebito. ff. de prob.* In caſu autem pręſenti conſtat, nec ipſi A. nec ejus conſanguineis animum fuiſſe donādi, & tamen credidiſſe, iſtiuſmodi promiſſionem valere. Obſtabit igitur curiali illi, doli mali ex-
6 ceptio, *per ſuprà dicta.* Nec ideo † poteſt hæc promiſſio dici facta cum cauſa, quòd ficto meritorum vocabulo fucata ſit: inſpicimus enim quod in veritate eſt, non quod in fictione: ut infrà latius dicetur. Aliam verò cauſam nullam prætexere poſſunt, niſi quæ à jure ſit reprobata, tanquam ſapiens concuſſionis crimen. Ex
7 talibus † autem obligationibus ſeu promiſſionibus ob turpem cauſam factis, ſive turpitudo verſetur ex parte utriuſque, ſive ex parte accipientis tantum, actio non naſcitur. *l. 3. ff. de condict. ob turp. cauſam, regula, in malis,* & *regula, non eſt obligatorium, de reg. jur. lib. 6.* Dum ergo B. non poſſit aliam cauſam prætexere, pro qua acceperit promiſſionem penſionis antedictæ, quàm ut faceret A. vel ſuis conſanguineis celeriorem expeditionem placeti, quæ eſt cauſa turpis, & à jure reprobata: Sequitur, nec dictum A. nec ſuos conſanguineos ex eadem promiſſione efficaciter obligari. Ad tertiam autem quæ-
8 ſtiunculam, utrum † ſcilicet A. obligetur ex ratihabitione præcedentis promiſſionis ſuorum conſanguineorum, non conſtito aliter de meritis B. quàm per confeſſionem & inſtrumentum donationis, ſeu literis ipſius A. &c. Reſpondetur, quòd dicta ratihabitio, meritorum aſſertio, & confeſſio ipſius A. taliter donantis non ligant, neque tenent, *ut eleganter & magiſtraliter per Ioan. And. in addit. ad Spec. in rub. de reb. eccleſ. non alie. in fortiorib. terminis*: quia ibi intervenit conſenſus capituli, ubi ponit caſum, quem dicit contigiſſe de facto, de quodam epiſcopo, à quo promotores ſui extorſerunt gratuitum contractum ad vitam, expreſſa cauſa ſervitiorum, quæ impenderant eccleſiæ, & promittebant impendere, quamdiu viverent, & in hoc fuit inſtrumentum multùm ſolenniter formatum, etiam de conſenſu capituli, extorto tamen, & malè dicit eveniſſe dictatori, qui fuit ſpoliatus ab ijs, quibus ſervierat, & expulſus patria ſua: & meritò, inquit, debet accidere ijs, qui ſanctas & religioſas domos ad talia trahunt. Sed adveniente legato delatore, & his delatis, per epiſcopum citati fuerunt nobiles, qui prætendebant ſolutionem dictæ penſionis, prętextu meritorum confeſſatorum, juxta formam & tenorem inſtrumenti, & ſuſtinentes dictum inſtrumentum, allegabant. *16. q. 6. c. illud c. poſſeſſiones. 16. q. 1. de ſol. e. 1. cùm in officijs. de teſta.* Et quòd donatio-
9 nes propter † benè merita ſunt irrevocabiles, neque ſubjacent revocationi aut pœnitentiæ, *C. de don. quę ſub mo. l. penul.* & *de revoc. dona. l. fina.* & *l. generaliter, de dona. cap. per tuas*, & dicebant licitas donationes hujuſmodi ad vitam tantum, quia temporales quæ finiantur morte, qua nihil eſt certius, *l. 1. ff. de cond.* & *demon.* & in illis non requiri tantam ſolennitatem, *cap. dudum, de reb. eccleſ. non alien. lib. 6.* & *cap. continebatur,* & *ibi gl. de his, quæ fiunt à prælat. ſine conſ. capitul.*

10 Sed iſtis † omnibus non obſtantibus, fuit judicatum contra dictos nobiles, *ut plenè refert d. Ioan. And. in loco præall. ubi latius per eum* & *per Oldra. in conſ. ſuo 226. à quo Io. And. hoc habuit, licet eum more ſolito non alleget.* Et quòd de meritis aliter debeat conſtare, *tenet Alexan. de Imola, conſ. 101. 2. vol.* & *conſ. 34. 4. volum.*

volum.circa princ.& *Bart.in l.ſi forte,per illum tex.ff. de caſtren.pec.*ubi dicit,quòd ſi quis non poteſt donare, niſi pro meritis & ſervitijs, non ſufficit ſimplex aſſertio donantis: *pro quo eſt illud quod notat gl. in l.ſi donatione*, & *ibi Bart. Alexan.*& *Iaſon. C. de collat* & *idem Bart. in Auth. hoc jus porrectum. C. de ſacr. eccleſ.*& *in l.per diverſas*, *C.mand.*& *ſequitur Bald. in l.illud,C.de ſacr.eccleſ.* Ad jura in oppoſitum per dictos nobiles allegata reſpondetur, quòd loquuntur de conceſſione rei modicæ: ſed in caſu propoſito res eſt magna, nec merita probantur præceſſiſſe, & ſi præcedant aliqua, non ſunt tamen commenſurata. Et in cauſam à jure improbatam: neque curandum eſt de ſigilli appoſitione, ſicut nec de ipſa confeſ-
11 ſione. Sigillum † enim eſt conſenſus & confeſſionis,teſtis, *ut l fidejuſſ.*§ *fin.ff.de pignor.*Si ergo non valet confeſſio,nec ſigilli appoſitio valebit: etiam ſigilla prælatorum inferiorum ab epiſcopo, parum operantur, *ſecundum Innoc. in cap. 2 de*
12 *fide inſtru.* Licet † enim prælati poſſent donare ob certam cauſam, puta, propter meritum, illud tamen non eſt in occaſionem ſumendum,*arg.l.famoſi, verſ.hoc tamen crimen.ff.ad l.Iul.majeſt.* Sed verè merita præcedere oportet,*l.jubemus,2.C. de ſacr. eccleſ. in verb. ad viciſſitudinem beneficij*, &c. Et hoc maximè procedit in penſionibus annuis,qualis eſt iſta: nam
13 † penſiones annuæ,inter immobilia reputantur, *Clem. exivi de Paradiſo.* §. *cumque annui redditus, de verb.ſignif.* & *d.l. jubemus.* Et occaſione beneficij colorati multò minus dari poſſunt, quàm aliæ res mobiles, vel quantitas pecuniæ, *d.l.jubemus.* & *ibi notant gloſſ. Bart.* & *Dd.*
14 Nam in † prohibitis ſui natura, & certo caſu permiſſis, non ſtatur ſimplici aſſertioni, exercentis illum actum prohibitum,& aſſerentis cauſam permiſſam ſeu legitimam. *l. qui teſtamentum. ff. de probat.quæ ad hoc eſt ſingularis*, & *l. cùm qui decedens.*§.*Titia.ff.de lega. 3.* unde
15 † Doctores omnes dicunt,& concludunt, quòd donatio non dicitur celebrata, ut in benemeritum: licet donans donatarium benemeritum appellet, quia veritatem ſpectamus,non quod quis finxit, *ut d.l.ſi fortè, d.l.qui teſtamentum.d.*§.*Titia,* & *prælleg. l. ſi donatione, cum utrobique notat.*

Ad ſecundam autem quæſtionem principalem, illam ſcilicet; utrum A.poſſit talem promiſsionem efficacem & donationem facere, & hanc liberalitatem exercere, ſolvendo hujuſmodi penſionem annuam, abſque periculo ſuæ animæ, & ſalva ejus conſcientia?Reſpondetur,quòd
16 regula juris eſt,quòd† prælati jura & reditus prælaturæ ſuæ donare non poſſunt, quia ſunt tantùm procuratores, 12.*quæſt.* 1 *cap.fin.*& 12.*quæſtione* 2.*cap.ſine exceptione.* & *cap.2. de dona.* Sunt enim velut tutores, qui domum benè dant, cùm domum benè adminiſtrant, non cùm pupillum,vel eccleſiam ſpoliant.*l qui fundum* §.*ſi tutor.ff.pro empt.*& *l.interdum,* §.*qui tutelam.ff.de furt.l. tutor,qui tutelam.ff.de admin.tut.* & licet liberam adminiſtrationem habeant, *cap. cùm nobis*
17 *olim,in fine, de elect.* tamen † ſub libera non continetur donatio, *ut l. contra juris civilis.*§ *ult.ff. de pact l.ſi is.* §. *fin.ff.de ſolut.l.prima, ff. de offic. procura. Cæſaris,* quia donare eſt perdere. *l. filiusfamil.ff.*
18 *de donatio.* Item, hæc † donatio cùm ſit magna, & enormis, & in grave præjudicium eccleſiæ,& in re, quæ habetur loco immobilis,& abſque conſenſu capituli facta, omnino eſt nulla, & nullius roboris, *d. c.ſine exceptione,* Licet enim prælati poſsint aliquid modicum donare propter ſervitia, illa tamen donatio debet commenſurari qualitati & quantitati ſervitiorum,*c.relatum,2.*§ *licet, de teſtamen.* Et jura dicũt, quòd prælati aliqua poſſunt

donare:

19 donare: hæc † autem dictio, *aliqua* restringit & arctat significationem orationis ad rem modicam. *l. hanc legem. ff. de contrah. empt. l. divus. ff. de bonis damna.* Excessus enim & enormitas istius donationis, si talis dici debeat, argumentum fraudis adducit, *l. cùm hi §. modus. ff. de transactio.* & *l. omnes. §. Lucius. ff. de his, qui in fraud. credit.* denique & quingentos excedit aureos, quare insinuatione eguit, ob cujus defectum etiam nullius momenti haberi debet, *jurib. vulgarib.*

Ad tertiam quæstionem principalem
20 respondetur, quòd si † pro operis auxilio & favore præstitis per ipsum B. in assequenda ista promotione, facta sit ejusmodi promissio & donatio, de qua suprà, nõ erit immunis iste A. à crimine simoniç, licet eo ignorante fuit facta, *per tex. express. in cap. si tuã, de simon.* & *quod notatur in cap. etsi quæstiones, eod. tit.* Sed si dictus A. fuit assecutus suam promotionem, provisionem & confirmationem à sede Apostolica, ut præmittitur, de consensu regis, & dicta promissio sit facta propter placeti retentionem, & ejus difficultatem in eodem expediendo, non videtur eo casu contracta simonia; quia in casu permisso à jure facta est dicta promissio, videlicet propter vexationem & molestiam facti evitandam, & redimendam, non autem pro jure aliquo assequendo, quia de eo erat certus, sicut præsupponitur: ex quo enim habuit legitimam & canonicam à sede apostolica provisionem, erat ei jam plenum jus acquisitum; unde extortio posteà facta istius annuæ pensionis propter molestiam facti, non potuit impedire aut inficere præcedentem canonicam promotionem, *ut per Pano. in c. Matthæus, de simo.* & *per eund.* & *Fel. in c. dilectus, eo. tit. ubi post Innoc. dicunt*, quod pro jure quæsito tuendo licet dare pecuniam ad vexationẽ redimendam, *per jura suprà alleg.* tametsi alter ob istam causam accipiens à crimine concessionis non sit immunis.

21 Ad quartam & ultimam dubitationem similiter respondetur, quòd † salva ejus conscientia, & certo periculo animæ suæ, ipse B. non possit retinere dictam pensionem, imò solutam tenetur restituere, in eo quod recepit ultra suum justum & cõsuetum salarium, *ut dicit expressè Clem. 1. de rebus eccles. non alien.* dum prohibet sub pœna suspensionis ab officio, prælatos hujusmodi pensiones solvere, & jus aliquod recipientibus acquiri: dicit enim, si quis autem contra hæc fecerit, pœnam suspensionis ab officio eo ipso incurrat, nec ex concessione ipsius, recipienti jus a-
22 liquod acquiretur. Si igitur † ei non acquiratur aliquod jus, quod suum non est, alienum esse, non potest ignorare, *c. si quid invenisti, 14. quæst. 5.* & *l. fin. C. unde vi.* Sapit enim extorsionem & crimen concussionis. *c. militare. §. interrogaverunt. 23. q. 1. l. 1.* & *3. ff. de concuss. 14. q. 6. cap. non sanè.* & *l. quod evitandi. C. de condict. ob tur. causam.* Peccatum enim non admittitur, nisi restituatur ablatum, *regula, peccatum, de reg. ju. lib. 6.*
23 Et † habetur in Euangelio Lucæ, quòd milites interrogaverunt Ioannem, dicentes. Quid faciemus & nos? Quibus ait, Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, sed estote contenti stipendijs vestris. Neque de his tantum militantibus scriptura loquitur, qui armatæ militiæ inserviunt: sed quisquis militiæ suæ cingulo utitur, dignitatis suæ miles ascribitur. Atque ideo hæc sententia potest dici nedum de militibus armatis, sed de protectoribus, rectoribus, & alijs quibuscunq; in officio constitutis, quib. publicè decreta sunt stipẽdia, quòd si amplius præter cõsuetum & justum salarium extorquent, tanquã calumniatores & concussores, beati Ioannis sententia, condemnantur, *d. §. item interrogaverunt.* Si verò d. A. propter dictam promissionem habeat conscientiam læsam, poterit ad cautelam obtinere facilè aboli-

abolitionem à sede Apostolica, quia eo ignorante, per suos consanguineos, & ab ipso invito postea sit facta hujusmodi promissio. Sed non videtur ea quovis pacto indigere, *per suprà dicta*: nam ex
24 † quo promissum per eum qui habet jus in re, ob solam vexationem facti redimendam, potest repeti, *ut est casus in d. cap. dilectus*. Sequitur, quòd non intervenit turpitudo ex parte promittentis, vel solventis, quia tunc repeti non possit, *l. 1. cum seqq. ff. de condict. ob tur. causam*: ergo nec absolutione opus est.

CONSILIUM CCXXX.

SVMMARIA.

1 *Actio personalis contra obligatum datur, nec fundum vel singularem rei possessorem sequitur.*

2 *Rei vendicatio soli domino, contra possidentem vel detinentem competit.*

3 *Traditio à vero domino facta, dominium transfert.*

4 *Ex contractu inutili, licet dominium non transferatur, transfertur tamen possessio, & usucapiendi conditio.*

5 *Tacens longo tempore, tacitè consensisse existimatur.*

6 *Formę vel solennitatis de jure requisitę omissio, totum actum reddit nullum.*

7 *Consensus proximiorum, ad validitatem actus in statuto requisitus, in ipso actu intervenire debet, nec ex post facto adhiberi sufficit, & num. 21.*

8 *Prohibitio alienationis in contractu inter vivos, dominij translationem non impedit. Declara, ut ibi, &c.*

9 *Res alienari prohibita, usucapi vel longo tempore prescribi nequit. Limita ut num. 12. & 13.*

10 *Res immobiles minorum sine decreto alienatę, prescribi possunt. Idem de rebus ecclesię, ut num. 11.*

14 *Contrahens cum alio, ejus conditionem scire praesumitur.*

15 *Error juris usucapionem impedit.*

16 *Titulus nullus pro non titulo habetur.*

17 *Prescriptio longi temporis sine titulo non procedit.*

18 *Dominium utile rei feudalis contra vasallum per tertium, ut praescribatur, tempus 30. annorũ requiritur.*

19 *Vasallus libertatem contra dominum spacio 30. annorum praescribere potest.*

20 *Intellectus* l. 2. pro emptore, &c.

Visis actis & actitatis causae feudalis coram Reverendissimo domino Trajectẽsi, & paribus curiae suae, habitis inter nobilem virum Everhardum Sodenbalch actorem, ex una, & Generosum virum Fredericum Zeldenacker reum, ex altera, super jure dominij utilis castri de Zuylensteyn cum suis pertinentijs, nobis infrà scriptis per spectabiles viros Bernardum van der Haer, Ioannem Ruysch, & Wilhelmem Ioannis van Amersfort, judices dictae causae, resolutionis habendae gratia, exhibitis: Videtur prima fronte contra dictum E-
1 verhardum debere pronunciari: nam † si dicamus, eum agere actione personali in hac causa, clarum est, quòd debet succumbere: cum dictus reus cum eo non contraxit, vel quasi: nec ex delicto, vel quasi, ei obligatus sit. Et personalis actio non datur contra singularem possessorem rei, cùm non sequatur fundum vel possessorem fundi, sed detur contra obligatum. *l. fi. ff. de contrah. empt.* & *l. 1. § si haeres*
2 *percepto fundo. ff. ad Trebell.* Si verò † dicamus, eum agere actione reali, aequè succumbere debet, cùm rei vendicatio (quam videtur intentare) detur domino contra possi-

possidentem, vel detinentem. *l. in rem actio. ff. de rei vend.* & *l. 1. C. de alie. jud. mut. cau. fact. juncta l. officium, ff. de rei vend.* & *Inst. de actio. §. 1. cum sim.* Sed
3 clarum est, quòd dictus† reus, & suus autor Theodoricus van Beverworden, habuerunt dictum castrum titulo emptionis à Waltero van Zuylen, qui fuit dominus ejusdem: ergo per traditionem & investituram secutam, consecuti sunt dominium, *l. traditionibus. C. de pact. cum vulg.* Non
4 potest ergo dicto actori cõpetere rei vẽdicatio. Nec obstat si † dicatur; dictus Walterus investitus fuit in dicto feudo, sub forma & conditione, ne alienaret idẽ feudum, sine consensu patris, matris, fratrum, & sororis suæ. Cùm ergo alienaverit idem feudum post mortem patris & matris, interveniente consensu duorum fratrum, & subsecuta ratihabitione tertij fratris, non habito consensu sororis, imò ea spreta, actus venditionis fuit nullus: ergo ex illo contractu & investitura subsecuta, non potuit transferri dominium. *l. 1. § si vir. ff. de acqu. poss.* ubi habetur, quòd ex actu nullo vel inutili non transfertur dominium, licet benè transferatur possessio, quia ad hoc facilis est responsio: nam licet per hoc in authorem vi non fuit translatum dominium, tamen fuit in eum translata possesio, & usucapiendi vel præscribendi conditio. *l. clavibus, cum ibi notatis, ff. de contr. emptio.* Et si sic, ergo reus, qui conjuncta sua possesione, cum possesione authoris sui possedit sedecim annis, inter præsentes bona fide, & ex justo titulo sine interruptione, consecutus est dominium. Quare repellendus est dictus actor à rei vendicatione, quæ non
5 datur nisi domino, ut suprà: quod † maximè videtur procedere, attenta taciturnitate dictæ sororis, non ignorantis hujusmodi alienationem, & tanto tempore tacentis, ex quo videtur tacitè consentijsse, argumento eorum quæ habentur *in l. cùm pater. §. libertus. ff. de legat. 2.* & *l. qui patitur. ff. mandat.* Sed hoc non obstante, videtur dicendum contra-
6 rium: nam in † primis certum est, quòd dictus actus venditionis fuit penitus & ipso jure nullus, quod patet, quia pro forma & solennitate actus, requisitus est consensus patris, matris, omnium fratrum, & sororis. Clarum autem est, quòd forma vel solennitate, in actu requisita ad validitatem ejus, non observata, vel non interveniente, actus est nullus. *l. cum hi. §. si prætor. ff. de transact.* & *cap. quia propter, de elect. cum utrobique nota.* Nam
7 forma † dat esse rei, *jurib. præalleg.* Quod autem dicto casu consensus dicatur requisitus pro forma, declarat optimè *Bald. in l. 1. in pen. col. C. qui admit. ad bonor. possess. poss.* ubi in statuto requirente consensum proximiorum in actu, dicit consensum esse de substantia actus: imò plus vult, quòd consensus debet intervenire in ipso actu ad validitatem actus, nec sufficeret consensum intervenire ex post facto, *ut ibi latius per eum*: & *per eundem in l. si uxorem, in 2. columna. C. de conditio. insert.* & *optimè ad propositum faciunt pulchrè notata per eum in hac materia formę substantialis in l. cum quis, in 3. colum. C. de juris & facti ignoran.* & *in l. universa, in 2. colum. C. de precib. imper. offeren.* & *notata per Felin. in c. cum dilecta, de rescrip.* Si ergo actus venditionis per Walterum de Zuylen, in præfato castro sub dicta forma investitum, celebratus cum Theodorico van Beverwoerde, autore dicti rei, fuit nullus ut præmittitur; Certum est in dictum Theodoricum, ex hujusmodi contractu venditionis & investitura subsecuta, non fuisse translatum dominium, *d. §. si vir, cum ibi pulchrè notatis per Bart. Alexan.* & *alios.*

Nec obstat si dicatur, quòd prohibita
8 alienatione † in contractu inter vivos, non

non per hoc impeditur translatio dominij: sed potest ille, cujus interest rem non esse alienatam, contra pactum agere ad interesse. *l. ea lege. C. de condict. ob causam, cum sim.* Quia respondetur hoc esse verum, quando paciscens nō reservat sibi aliquod jus in re, de qua paciscitur, ne alienetur: secus quando sibi reservat aliquod jus in re, etiam si solùm sibi reservaverit jus pignoris: *ut est tex. singularis in l. si creditor. §. fi. ff. de distract. pigno. & in hoc concordant omnes Dd. excepto solo Salic. qui in d. l. ea lege, in 13. oppositione & in d. l. si credito. § fina.* singularem habet opinionem, à nemine approbatam: hoc tamen boni dicit *in d. §. fin.* quòd licet non credat, ex sola reservatione juris hypothecæ vel pignoris, pacto de non alienando in contractum inter vivos adjecta, impediri translationem dominij: tamen aperta fronte fatetur, quòd cùm reservatur jus directi dominij, impeditur translatio dominij: & multis respectibus, dicit id fortius procedere in reservatione dominij directi, quàm juris hypothecæ, quòd servit proposito: & *ad hoc alleg. l. fina. C. de jure emphyt. quæ hoc optimè probat cui non immeritò adjungi potest. l. 2. juncta gl. eodem tit.* Relinquitur ergo expeditum, quòd in dictum reum, vel ejus autorem, non fuit translatum dominium, ex titulo venditionis & investituræ secutæ, sed quòd illud remanserit apud dictum Walterum van Zuylen. Nec potest suffragari dicto reo vel ejus autori, si se munitum dicat præscriptione longi temporis, etiam si possessionem suam jungat possessioni autoris sui: quia obstat dicto reo alia theorica juris, quæ
9 habet, quòd res † prohibita alienari, ut in casu nostro, per suprà dicta, non potest etiam usucapi vel præscribi longo tempore, *l. alienationis verbū. ff. de verb. sig. ubi tex. & ita dicit Azo in summa, C. de usucap. pro empt. quem sequuntur gl. Bart. Ang. & Io. de Imo. in l. ubi lex. ff. de usucap. & idem Ang. in l. 1. C. de præscript. longi temp. Iac. Cyn. Bald. Paul. de Cast. Alber. de Rosate, & Sal. in l. fi. C. in quib. cau. in integ. restit. non est neces. Ioan. de Imola, & Iason in l. filius familiās, §. divi. ff. de legat. 1. & Butrig. Imola & Panor. in c. cùm non liceat, de presc. & Paul. de Cast. in cōs. 317. incip. In Christi nomine, amen. aliâs in hoc facto consulendo dixi, & c. in novis, & Alex. de Im. in cons. 14. vol.* Nec obstat, si fortè dicatur, præmissa procedere possent, vel alienatio esset simpliciter prohibita per legē, testatorem, judicē, vel in contractu cum reservatione alicujus juris, *prout loquuntur Dd. in passib. præalleg.* Sed ubi alienatio non est simpliciter prohibita: sed duntaxat non interveniente certa forma vel solennitate, ut in casu præsenti, tunc non videtur habere locum dicta theorica; res non potest alienari, ergo non potest usucapi vel lon-
10 go tempore præscribi. Nam videmus † contrarium in rebus immobilibus minorum, quæ prohibentur alienari sine decreto. *l. 1. ff. de rebus eorum, &c. & C. de prædijs minor. per totum.* & tamen si alienentur, possunt præscribi. *l. 1. C. si quis ignorans rem minor. esse sine de-*
11 *creto, &c.* & † idem videmus in rebus ecclesiæ, quæ prohibentur alienari sine certa solennitate, *ut toto tit. de reb. eccles. non alienan. & l. jubemus, cum Auth. hoc jus porrectum, & plurib. sequen. C. de sacros. eccles. & 12. q. 2. c. sine exceptione.* & tamen si alienentur, possunt præscribi, *c. de quarta, de præscrip. & Auth. quas a-*
12 *ctiones C. de sacr. eccle. cum sim.* & † hinc fortè Bart, *in d. l. fin. C. in quib. cau. in integr. restitut. &c.* mutavit opinionem: pro regula ponens, quòd licet res simpliciter prohibita alienari, non possit usucapi, vel longo tempore præscribi: tamen quando res non est prohibita alienari, nisi interveniente certa solennitate vel forma, poterit

poterit usucapi & longo tempore præscribi, *secundum eum, quem ibidem sequitur Ang. Raphael Cuma.* & *Alex. de Imo. in l. filiusfamiliâs. §. divi. ff. de legat.* 1. & *Felin. in cap. cùm non liceat, de præscrip.* & *Iason in d. §. divi, in ultima lectura, motus potissimum per l. 2. §. si à pupillo,* & *§. seq. ff. pro empto.* ubi apertissimè videtur probari, quòd res prohibita alienari sine certa solennitate, si alienetur interveniente justo errore, ex parte ementis præscribitur, cui tex. videtur responderi non posse. Hinc etiam dixit gl. *in d. l. fi. C. de quib. cau. &c.* non valere hanc argumentationem; res non potest alienari, ergo nec usucapi: & *alleg. l. si fundum. ff. de fund. dota.* Hinc etiam dixit gl. *in l. longè ff. de diver.* & *tempor. præscrip.* quòd deceptio est, cùm sic arguitur. Res non alienatur, ergo nec usucapitur. Et maximè hoc videtur procedere, quando ille qui est prohibitus, alienare sine certa solennitate, est perfectæ ætatis, ut in casu subjecto: *juxta not. per Guilh. de Cunio,* & *Ang. in l. 2. C. de usucap. pro emp.* & *per Bar. in d. §. divi.*

Quia ad hæc breviter respondetur, Et
13 primò, quòd dicta † theorica suprà commemorata, quod scilicet non impeditur usucapio vel longi temporis præscriptio, quando res non est simpliciter prohibita alienari, sed duntaxat si non intervenerit certa solennitas, non simpliciter procedit, ut adducitur, sed recipit singularem limitationem, ut procedat duntaxat, quando alienatio fit à non prohibito, aliàs secus: *ut volunt Cyn. Salic. Alberic. Paul. de Cast.* & *ferè omnes in præalleg. l. fin.* cùm hoc casu, quando res habetur à prohibito alienari, titulus habeatur pro non titulo, *ut ibi per eos*, quod servit proposito. Et clarius hunc articulum, quantum proposito servit, declarando, non obstat dicta theorica, quia in casu subjecto, dato quòd esset vera, & quòd Dd. eum corruptè non allegarent, militare non potest, cùm in primis obstet dicto reo mala fides. Ne-
14 mini † enim venit in dubium, eum fecisse, quod communiter omnes faciunt, videlicet, ante numerationem precij vidisse literas investituræ dicti Walteri, hoc enim omissis faciunt: in quibus literis clarè conspicere potuit, dictum Walterum, qui tertio genitus erat, ex cessione patris ea lege, ea conditione, & sub ea forma, per dominum directum fuisse investitum in dicto feudo, ut illud non venderet, nisi de consensu patris, matris, fratrum, & sororis, jure suo, quoad directum dominium, & cujuslibet alterius semper salvo. Qui enim cum alio contrahit, vel scit vel scire debet conditionem ejus. *l. qui cum alio. ff. de reg. jur.* Et si sic, ergo erravit in ju-
15 re, cujus † error impedit usucapionem. *d. l. 2. §. si à pupillo, in fin.* & *§. seq. ff. pro empto.* & inducitur mala fides, quæ longi temporis præscriptionem impedit, *jurib. vulgar.* Et hoc modo Panorm. *in d. l. cùm non liceat*, dixit temperanda notat. Bart. *in d. l. fin. C. in quib. cau. in integ. restitu.*
16 *non est necess.* Secundò deficit ei titulus, cùm † titulus nullus habeatur pro non titulo: Quando enim res est prohibita alienari sine certa solennitate, tunc si ematur à prohibito vendere, talis titulus habetur pro non titulo, ut suprà diximus: secus si ab alio, *l. 2.* & *ibi Bald. C. pro empto.* & *volunt Cynus, Paul. de Castro, Alb. de Rosate. Salic.* & *ferè omnes in d. l. fina. C. in quibus causis* & *Paul. de Cast. in d. cons. suo* 317. Certum autem est, quòd
17 † longi temporis præscriptio sine titulo non procedit. *l. nullo, C. de rei vend. cum sim.* Tertiò, deficit sibi tempus, ad præscriptionem rei feudalis requisitum. Nam
18 dominium † utile rei feudalis non potest per aliquem, etiam sine præjudicio domini directi contra vasallum, habentem utile dominium, præscribi longo tempore 10. vel 20 annorum, sed requirũtur 30. anni, *ut vult apertè Innoc.* & *post eum Bal. Im.*

Panor. & *Dd.in c.ad audientiam,de præscript.* & *Io.And in addit.ad Spec.in Rubric. de feud. ad quod* 19 † *optimè facit tex. cum ibi notatis in cap. si quis per triginta, si de feud fue.contro.in usib.feudor.* ut etiam in casu contrario, quando vasallus libertatem præscribit contra dominum, requiruntur ad minus triginta anni, *secundum Ioan.And.in dicta Rubr.ad Spec.Io. de Imo.* & *alios in d. c. ad audientiam.* Dato ergo, quod Doctores in locis præallegatis verum dicant, tamen in casu subjecto id reo non potest suffragari, *per prædicta.* Nec obstat *d.l.si fundum.ff.de fund. dotali.* per quàm gloss. mutat suam opinionem, quia *d. l. si fundum*, nihil aliud probat, quàm quòd usucapio inchoata non impeditur perfici.

20 Nec obstat etiam † *d.l.2. § si à pupillo* & *seq.* quæ inter alia magis videtur urgere. Quia respondetur multipliciter. Primò, quòd *d.§.* habet multos intellectus, *ut ibi tangit gl.* & *Dd.*& ergo non potest efficaciter ad aliquid allegari, *juxta singulariter notata per Bart.in l.in ambiguo. ff.de reb.dub.* Et pertinenter respondendo, non obstat primò, secundum primum intellectum, qui habet, quòd intelligitur de re alterius, quàm pupilli alienata per pupillum, quem emptor justo errore credebat puberem, *quem intellectum approbant Reyn.Bart.Ang. Im.* & *alij ibi scribentes*: quia non posset dici, quòd talis res fuit prohibita alienari sine solennitate, imò non fuit prohibita alienari.

Non obstat etiam secundum alium intellectum, qui habet, quòd intelligitur de re pupilli mobili, cùm res pupilli mobilis, secundum jura digestorum, potuit alienari sine decreto: *ut ibi volunt Bart. Ang. Im.*& *Dd.* Non probat ergo dicta lex, secundum communem intellectum, aliud, quàm quòd justissimus error in titulo pro emptore, præstat causam usucapiendi, & habet vim tituli, re non prohibita alienari: quare nullo modo obstat, & in casu subjecto frustra de hoc quærimus, cùm tempus requisitum ad præscriptionem rei feudalis non intervenerit, ut suprà dixi.

12 Nec potest † suffragari reo longa taciturnitas sororis, cùm & si expresse ex post facto consensisset, actum nullum, validum non reddidisset, *juxta not. per Bald.in d. l. 1.in pen.col.* & *in d.l.si uxorem.* Nec est verisimile Bart. *in d.§ divi,* voluisse mutare opinionem suam per solam recitationem opinionis Guilhel. de Cunio, cùm in pluribus alijs locis firmaverit opinionem, quam tenuit in *d.l.ubi lex,* & quicquid sit, hæc est communis opinio Doct. *secundum Alex. in d. consilio* : & *Ang in d.l. ubi lex*, & *Phil. Corneum in cons.294.circa fin. tertij volum.* à qua in judicando non est recedendum, *secundum Bar.in l.fina.C.de pœna jud.qui malè judica.*& *volunt omnes post Ioan.And.in c. 1.*& *c.ne innitaris, de constitu.* Concludendo ergo dicimus, conclusionem per dictum Everhardum in rei vendicatione captam, eidem fore adjudicandam: salva dicto reo actione sua contra autorem suum manente.

CONSILIUM CCXXXI.

SVMMARIA.

1 *Tutores* & *curatores, debito tempore appellationem suam non interponentes, an restituantur?*&c.

2 *Appellasse unum ex pluribus sufficit, quando eadem in omnibus defensionis ratio versatur.*

3 *Ex contractu imperfecto actio nulla oritur.*

4 *Traditio sola, donationis perfectionem inducit.*

5 *Approbatio* & *executio prioris voluntatis, ex intervallo temporis facta, eviden-*

evidentissimum perfecti consensus argumentum censetur.

6 *Verba actionum praeparatoriarum, qualiter sonent?*

7 *Verba conditionem importantia quae sint, quae item adhortativa? &c.*

8 *Propositum in mente retentum, parti non insinuatum, nihil operatur.*

9 *Fundans se in tempore, illud allegare & probare tenetur.*

10 *In pactis antenuptialibus fides integra servari debet.*

11 *Omnia suprema judicia expirant, & caduca fiunt, quando disponenti praemoritur is, in cujus favorem aliquid dispositum extat.*

12 Partagij *vocabulo quid contineatur?*

13 *Verba in contractibus apposita, secundum naturam contractuum, quibus apponuntur, intelligenda sunt.*

14 *Voluntas disponentis manifesta, propter adjectionem vocabuli ambigui, in contrarium sensum rapi non debet.*

15 *Ex nuda etiam pollicitatione ad dotem agi potest.*

16 *Pollicitatio est ultronea promissio, absque aliqua sollicitatione, vel acceptatione.*

17 *Mutatio voluntatis non praesumitur, donec manifestissimis probationibus contrarium doceatur.*

18 *Inconstantia & revocatio ejus quod solenniter gestum fuit, non praesumitur.*

19 *Intellectus* l. Sabinus communi divid.

20 *Recipiens & retinens literas, an illarum tenorem approbasse videatur?*

21 *Protestatio jus protestantis salvum conservat.*

22 *Actus agentium ultra ipsorum intentionem non operantur.*

23 *Non probat hoc esse, quod ab eo contingit abesse.*

24 *Repraesentationis jus, an in feudis quoque locum obtineat? & num. 26.*

25 *Ad inducendam consuetudinem, quot & quales actus sufficiant?*

27 *Ius repraesentationis, in emphyteusi etiam locum habet.*

28 *In feudis indivisibilibus, primogenito ex consuetudine debitis, nepos patruo praefertur, personam patris sui primogeniti repraesentans.*

29 *Pactum juri communi consonans, validum, efficax, & favorabile reputatur.*

30 *Actus contra legem prohibitivam factus, est nullus.*

31 *Ius ut dicatur publicum, ad hoc, ut privatorum pactis ipsi derogari nequeat, quae requirantur? &c.*

32 *Iuri privato, & in privatum favorem, etiam publica autoritate concesso, privatorum pactis renunciari potest.*

33 *Ius tertio per stipulationem, alióve modo quaesitum, contraria alterius dispositione auferri nequit.*

34 *Contractus antenuptialis, nulla amicorum vel collateralium stipulatione munitus, mutuo conjugum consensu alterari potest.*

35 *In prohibitis omnia prohibita esse censentur, quae concessa nõ reperiuntur.*

36 *Pactum quando per consuetudinem exclusum existimetur?*

37 *Dispositiones legis & consuetudinis differunt, &c.*

38 *Alteri per alterum actio non acquiritur. Fallit in patre, ex cujus pacto liberis actio nascitur, ut num. 39.*

40 *Verba contractuum semper interpretanda sunt, ut aliquid operentur.*

41 *Iura de aequalitate dotis & donationis propter nuptias disponentia, hodie amplius in usu non sunt.*

42 *Insinuatio donationis, legitimã summã excedẽtis, in usu esse desijt, &c.*

Kkkkk 3 43 Mul-

43 *Multa per statutum vel consuetudinem fieri possunt, quæ pactis fieri prohibentur.*

44 *Argumentum à contrario sensu in jure firmum est, & validum.*

45 *Alienatio rei feudalis, in eum qui aliâs verisimiliter erat successurus, etiam sine consensu domini directi facta valet.*

46 *Exceptio rei judicatæ, non obstat agenti ex causa, nihil commune habente cum ea, ex qua prius actum fuit.*

47 *Absolutio ab instantia tacitam in se in posterum instituendę actionis reservationem continet.*

48 *Frustra alicui reservatur exceptio, quando alteri nulla competit actio.*

49 *Facultatem restituendi habens, actione reali rectè convenitur.*

50 *Donatio inter patrem & filium, in patria potestate constitutum, an valeat?*

VIsis actis causæ, nunc per appellationem coram supremo consilio indecisè pendentis, inter generosum virum domicellum Walterum vander Gracht, & tutores seu curatores aliarum prolium quondam Do. Theodorici vander Gracht equitis, appellantes in quadam sententia Flandrensis concilij, ex una, & domicellum Franciscum vander Gracht, illorum patruum intimatum, ex altera; alijsque munimentis ad id negocium pertinētibus, illisque pro viribus, expensis, ac rationibus omnibus quæ utrinque adduci possent excussis, duo potissimum dispicienda videntur. Primum, anne tutores seu curatores prædicti (quandoquidem & de hoc dubitari video) restitui possint à lapsu temporis, quod appellationem suam debito tempore non interjecerint? Secundum verò, bene ne, an malè per Flandrense concilium pronunciatum sit? Quod ad
1 primum † attinet, non videtur esse causa, cur debeat negari restitutio, cùm præter minorennitatem, quæ per se multum favoris habet, & absentia allegari possit: unus enim eo tempore quo appellari debuit, apud Cæsarem in Hispanijs egisse, alter in Hannonia moram traxisse fertur. Imò considerato, quòd unus consortium litis, videlicet domicellus Walterus debito tempore appellavit: non videtur opus fuisse prædictorum tutorum vel curato-
2 rum appellatione, cum † ubi eadem est ratio defensionis in omnibus, sufficiat unum ex pluribus appellasse, *l. 1. C. si unus ex plurib. appell.* & est res clarior, quàm ut diutius ei sit insistendum.

Quantum verò ad secundum pertinet, tametsi multis rationibus, eisque prima fronte validissimis eadem sententia tueri posse videatur, ob ea tamen quæ post deducentur, retractanda videtur, & parti appellanti sua adjudicanda conclusio.

Id autem sic facilius commonstrari posse arbitror, si ordine recensitis partis adversæ argumentis, quibus prædicta sententia constabiliri possit, eodem ordine dissolvantur.

3 Primum igitur † ad tuitionem ejusdē sententiæ & subversionē conclusionis, per appellātes in prima instantia captę, objicitur eisdem appellantibus; contractum illum antenuptialem, cujus vigore primùm egerunt, non fuisse contractum perfectum, sed præparationem quandam ad futurum contractum, & idcirco ex illo agi non posse, cùm præparatoria non inducant contractum, sed tantùm voluntatem contrahendi, & voluntatę illa ad effectum non perducta, non potest dici cōtractus celebratus, ergo nec orta actio, &c. Huic objectioni, quę in facto cōsistit, per contrarium factum respondetur, videlicet contractum, de quo agitur, omninò fuisse & esse perfectum, & non tantū voluntatem contrahendi adfuisse, sed illam ad effectum perductam esse, idque nedum

nedum literis & verbis, sed etiam facto. Nam constat, dominum Theodoricum, cùm se destinasset conjugio cum filia domini Iodoci de Ghistele, literas ad dominum Walterum van der Gracht patrem suum dedisse, quibus duo petijt, videlicet designationem bonorum, quæ sibi ab eo darentur, casu quo illam uxorem duceret, & ut filij sui, quos esset procreaturus, in suum locum succederent, casu quo se contingeret mori ante patrem. Quibus literis liquet, patrem manu sua respōdisse, designasseque bona, quæ posteà dedit, & in repræsentationem petitam consentijsse. Constat etiam, paulò pòst eundem dominum Walterum cum sua conjuge eadem bona, in literis illis prioribus specificata, filio suo domino Theodorico præfato, cum clausula repræsentationis, in donationem propter nuptias dedisse, expeditis in hoc solennibus literis, in forma cōtractus antenuptialis, subscriptionibus & sigillis proprijs munitis. Constat insuper, easdem literas ad manus domini Theodorici missas, & per eum acceptatas esse, & matrimonium obtentu illarum coiisse & consummatum esse. Et ut nihil desit, quo consensus & voluntas Dom. Walteri & suæ conjugis manifestè argui possit, apparet, eosdem postmodum ex intervallo temporis, approbantes eandem donationem coram Ballivo de Novete & ejus consistorio, renunciasse usufructui cæterorum bonorum, de quibus in prædicto contractu convenerat, ad usum domini Theodorici, & postea cum effectu eidem tradidisse libros rationales eorundem bo-
4 norum, & alia ad eam rem pertinentia, quæ † traditio sola, absque aliqua alia recognitione perfectionem contractus inducit, *arg. l. 1. C. de dona.* & *l. possideri, in princ. ff. de acq. pos.* Quibus pro veris præsuppositis, dubitandum non videtur, quin perfectus fuerit contractus, de quo est quæstio: consensu enim partium firmatur
5 contractus. Hic autem † non solùm ante contractum & in ipso contractu adfuit perfectus consensus & voluntas contrahendi, sed etiam permansit eadem voluntas post contractus perfectionem, secuta nimirū approbatione, & executione prioris voluntatis, idque ex intervallo temporis, quod evidentissimum est argumentū perfecti consensus. *l. qua mulier. 2. C. ad Vellej.* & *Auth sive à me eod tit. cum sim.*
6 Denique † ex ipsa forma cōtractus liquet satis, non fuisse præparationem ad contractum quod agebatur, sed verum contractum, cùm non dicant vel promittant cōtrahentes, se donaturos in futurum, ut solent verba actuum preparatoriorū sonare, sed jam fateantur, se dedisse & dare per præsentes. Præterea non solent præparatoria tam solenniter scribi, & subscribi, & sigillis muniri, quemadmodum iste contractus scriptus, subscriptus, & sigillatus est. Quamobrem parum obstare videtur ista objectio: quanquam fortè, si secundæ istæ literæ non intervenissent, illę priores, quas dominus Walterus soli filio scripsit, præparatoriæ dici possent, quod de postremis dici non potest, per suprà dicta. Objicitur secundo loco adversus contra-
7 ctum præfatum, quòd † fuerit conditionalis, scilicet, quod dominus Walterus donavit bona in illo contenta: Si dominus Iodocus de Ghistele tantundem cum filia sua daret, quę conditio dicitur non impleta: quare & donationem sub illa conditione factam non subsistere, ob defectum consensus ex parte donantis, qui per adjectionem conditionis satis significavit, se non velle, eam donationem esse ratam, nisi conditio illa impleretur.

Sed huic facilè respondetur ex ipsis cōtractus verbis, ubi nulla verba reperiuntur conditionem importantia, ut puta, si hoc fecerit, vel cū hoc fecerit. Sed solummodò reperiuntur illa verba. *postquam ego liberalem me exhibui erga filiam domini Iodoci,*

Iodoci, peto, ut & *ipse talem se prestet filio meo, juxta suam generositatem* & *sapientiam*. Quæ verba non sunt conditionalia, sed exhortativa tantùm, ut ille faciat, quēadmodum ipse fecit. In quibus præcipuè notandum est, quòd per verbum præteriti perfecti temporis dicit, *postquam liberalem me exhibui*, quoniam per hoc apparet, contractum illum neque præparatorium fuisse, nec conditionalem, imò purum absolutum, & perfectum fuisse.
8 Parum † obstat si dicatur, quòd tametsi id ex literis manifestè colligi non potest, illam tamen fuisse mentem domini Walteri, ut non voluerit, illam donationem ratam esse, nisi dominus Iodocus tantum daret cum sua filia, quantum ipse cum suo filio dederat. Quoniam respondetur, quod oportuerat eum hoc in literis expressisse, vel aliter apertè protestatum esse, partique insinuasse: nam propositum in mente retentum, parti non insinuatum, nihil operatur. *l. si repetendi. C. de condic. ob caus.* Et non præsumitur quis, plus cogitasse vel dixisse, quàm scriptum est. Quòd si dicatur, hoc, quod in scriptura omissum est, posse probari per testes: Respondetur, quòd non sufficeret, quòd probaretur, dominum Walterum ea verba conditionalia protulisse, nisi etiam doceretur, ea præsentibus partibus, videlicet domino Iodoco de Ghistele & domino Theodorico prolata, vel saltem eis insinuata esse, idque antequam consummaretur matrimonium, imò ante acceptionem prædictarum literarum, idque præcisè allegari & probari deberet, per
9 illum qui allegat: quia † qui se fundat in tempore, debet allegare & probare tempus. *l. matrem*, & *ibi Bald. C. de probat.* & *eum actum, in princ.* & *ibi Ang. ff. de nego gest.* Id verò præsupponitur, nunquam probatum iri, quinimò ijsdem literis habitis, super illarum fide processum est ad consummationem matrimo-
10 nij; quamobrem cùm † in omnibus contractibus æquum est, partes bonam fidem sequi, consentaneum est, ut in hujusmodi cōtractibus antenuptialibus precipuè fides integra servetur, cùm hujusmodi pactis ad rem omnium maximam, personarum videlicet individuam conjunctionem procedatur: imò si dictus dominus Walterus, & sua conjunx illam conditionem in animo habuissent, videntur per resignationem usufructus, de qua suprà, ab eadem conditione resilijsse.
Sed & alio modo impugnatur donatio,
11 de qua agitur: nam † dicitur, eam factam domino Theodorico, causa partagij vel divisionis hæreditariæ, quæ vim obtinet supremi judicij. Cùm igitur dominus Theodoricus ante patrem defunctus sit, videtur, eandem voluntatem expirasse & caducam fuisse: nec potuisse transmitti ad hæredes, cùm omnia suprema judicia expirent, & caduca fiant, si is in cujus favorem aliquid dispositum est, præmoriatur disponenti, &c.

Sed præter ea, quæ in scripturis appellantium super hac re dicta sunt, ex ipso tenore donationis facile est dissolvere: nihil enim est in tota donatione, ex quo colligi potest, eandem esse divisionem hereditariam; sed initium, medium, & finis ejusdem, clarè demonstrat esse donatio-
12 nem antenuptialem, excepto unico hoc † vocabulo *Partagij*, quòd divisionem hæ-
13 reditariam significare videtur, quod † tamen vocabulum solum per se non potest immutare naturam totius donationis, imò debet ipsum in naturam transire contractus, cui insertum est: vulgata enim est regula, Verba in contractibus apposita intelligi debere secundum naturam contractus cui apponuntur. Sic, si quis quid donans caveat, ne possit revocari, tametsi dicat se donare causa mortis, nihilominus irrevocabilis manet donatio, quanquam aliàs mortis causa donatio possit revocari.

revocari. *l. ubi ita donatur. ff. de donatio. causa mort.* Cùm enim † manifestè con-
14 stet de disponentis voluntate, non debet talis voluntas, ob additum vocabulum ambiguum, in contrarium sensum rapi, imò magis præsumendum est, disponentem talis vocabuli propriam significationem ignorasse, quàm unico verbo totam priorem dispositionem voluisse retractare, *argum. cap. ecclesia vestra, 2. de elect.* & *l. si quando. C. de inoff. testam.* Quartò, obijcitur aduersum prædictam donationem, quòd fuerit facta absenti, non acceptanti, quamobrem nullius efficaciæ, & nihil aliud quàm nuda pollicitatio, ex quo non oritur actio, ergo, &c.
15 Sed parùm obstat, quoniam † ut detur, hic nudam tantum pollicitationem intervenisse, favore tamen dotis ex ea sola posset agi ad dotem, *per ea quæ tenet Cyn. post Iacob. de Ra. in rub. C. de dot. promiss. per tex. qui ad hoc videtur expressus in l. 1. in princ. C. de jure dot.* & *est similis tex. in l. ad exactionem. C. de dotis promiss. idem tenet Salicet. in eadem Rub. per l. si à matre. C. de jur. dot. junctis juribus suprà alleg.* & *idem velle reperio glos.* & *Ioan. Fab. in d. l. si à matre.* In hoc tamen necesse non est insistere, cum ex præmissis apertè satis liqueat, hic non nudam tantum pollicitationem, sed pactum utriusque partis plenario consensu firmatum intervenisse: nam cùm suprà ostensum sit, dominum Theodoricum patrem suum primùm per literas provocasse, ad donationem prædictam faciendam, & patrem suis literis petitioni filij respondisse, designando in eisdem literis omnia bona, quæ donare decreverat, unà cum conditionibus, sub quibus processura erat donatio: cumque post idem pater unà cum conjuge eandem donationem antè præmeditatam, solennibus literis inde confectis, & utriusque sigillo confirmatis, ad effectum produxerint: cùm denique eædem literæ eorũ jussu ad filium, dominum scilicet Theodoricum, & ejus futurum socerum delatæ, & per eos acceptatæ sint: & quod maximum est, cùm posthæc omnia, ex intervallo temporis, dictus pater & mater domini Theodorici donatores, approbando eam, quæ præcesserat, donationem, eidem filio suo præsenti & acceptanti legitimè cesserint usumfructum certorum bonorum, in prædicta donatione specificatorum, unà cum traditione librorum censualium, ut suprà, & in processu latius deductum est. Cùm, inquam, hæc omnia intervenerint, ex quibus apertissimè de mutuo utriusque partis consensu omnia processisse liquet, non potest dici donationem, de qua agitur, nudam tantùm esse pollicitationem, cùm
16 † pollicitatio nihil aliud sit, quàm ultronea promissio absque aliqua sollicitatione vel acceptatione, Hic verò utrunque intervenit, & solicitatio prævia. & acceptatio subsequens, imò & approbatio, & executio prioris voluntatis.

Pariformiter obesse non potest appellantibus, quòd præterea dicitur, donationem præfatam, antequam ad notitiam domini Theodorici suique futuri soceri pervenisset, & sic re integra, per dominam de Helve matrem ejusdem domini Theodorici unam contrahentium, revocatam esse. Quoniam hoc per appellantes expressè negatur, & præsupponitur probatum n on iri: & de † jure non præsumitur
17 mutatio voluntatis, nisi manifestissimis probationibus contrarium doceatur. *l. fideicommissa. §. si ratio. ff. de leg. 3. cum simil.* imò per appellantes contrarius actus probatus est, per quem constat, prædictam donationem tam per eandem matrem, quàm patrem domini Theodorici approbatam & executam esse, resignatio videlicet usufructus & librorum traditio, de quibus suprà, quæ nisi vigore prædictæ donationis domino Theo-

dorico concessa non sunt: cùm in literis desuper confectis apertè narretur, id factum ad impletionem contractus antenuptialis præfati, quod evidens est argumentum durantis voluntatis dominæ de Heule præfatæ. Quod & alia præsumptione
18 adjuvatur. nam † cùm allegetur, revocationem prædictam ilicò contigisse, post sigillationem & missionem literarum, nuncio adhuc vix profecto: nec addatur causa rationabilis tam subitæ mutationis, non est verisimile, nec potest præsumi, tantam in tam discreta domina inconstãtiam fuisse: & si ita fuisset, quemadmodũ rei dicunt, non potest præsumi, eam simplici revocatione fuisse contentam: verùm postquam miserat tam solennes literas, haud dubie contrarijs literis suam revocationem insinuasset, quod quia non fecit, non habet veri faciem, sic revocationem, de qua suprà, factam esse. Et quanquam fortè doceri posset, eandem dominam de Heule levitate motam, aliqua verba revocatoria prædictæ solennis voluntatis protulisse, quod non credunt appellantes: quoniam tamen illa revocatio per ipsos reos ponitur, illicò post literarum præfatarum solennisationem, ante acceptationẽ partis facta, debet haud dubiè per actum contrarium, de quo suprà, post matrimonij consummationem secutum, censeri volũtas illa revocatoria revocata, & prior donatio approbata & confirmata, *ut in simili dicit tex. in c. sunt qui opes 17. q. 4.*

Præterea non potuit ipsa sola sua revocatione infirmare, quod tam solenniter per eam, & maritum suum conjunctim dispositum erat: saltem non potuit ejusdem dominæ revocatio latius se extendere, quã ad bona ab ejus latere provenientia, de quibus præsupponitur hìc quæstionem non esse: quare impertinens videtur, de ista revocatione disputare, etiam si non intervenisset postea actus ille contrarius,
19 de quo suprà. Nec † quicquam facit *l. Sabinus, ff. commu. dividun.* quam video pro parte adversa allegari, cùm hic non sit quæstio de re communi: & etiam loquitur prædicta lex, de prohibitione socij ante factũ, ut tum sit potior conditio socij prohibentis quid fieri in re communi, ex quo argui non potest, re aliqua jam consensu sociorum facta, locum esse revocationi, vel potiorem esse conditionem socij revocantis. Eadem ratione solvi potest quod objicitur, dominum Theodoricum præfatæ donationi verbo & contrarijs actibus cùm effectu renunciasse.

Quoniam id per appellantes constanter negatur: & præsupponitur, reos nunquam legitimè posse probare. Quòd si levibus verbis partibus absentibus & nemine acceptante, simile quid dixisse possit probari, non debet hoc locum renunciationis legitimæ obtinere, præsertim, cum alijs verbis & actibus serijs contrarijs, sese declaraverit, eandem donationem ratam & gratam habere. Primùm enim
20 † per acceptationem & retentionem, tam priorum literarum paternarum, de quibus suprà, quàm donationis præfatæ, præsumptione juris, illarum tenorem approbasse videtur, etiamsi de præjudicio ejus agatur, qui tales literas recipit, *per l. si filiusfam. patre. ff. ad Maced. cum concord. Bart. in l. quo enim. ff. rem ratam habe. & eum secutus Panorm. in c. omne, de præsumpt.* Secundò, per acceptationem resignationis, quam pater & mater ei vigore prædictæ donationis fecerunt, de usufructu certorum bonorum, de qua suprà, per retentionem ejusdem ususfructus, sua vita durante, quæ, nisi approbando eandem donationem, facere non potuisset, quoniam illius vigore eadem resignatio ei facta est, ut suprà: quo quid apertius adduci potest, ad ostendendam prædicti contractus approbationem? Nã
21 non obstat, quòd per † eum adversus ista allegatur, dominum Theodoricum, vide-

videlicet, tempore nuptiarum fratris sui proteſtatum eſſe, ſe velle in ſuo jure perſiſtere. Quoniam adhuc poteſt reſponderi, quòd per hoc non voluit à donatione prædicta diſcedere: ſed quod fecit, tanquam pro abundanti cautela fecit, ne ſi fortè poſteà aliqua inter ſe & fratrē ſuper bonis, eidem fratri ob nuptias datis, controverſia oriretur, poſſet ſibi ſua præſentia & patientia obijci; modo actus
22 † agentium non operantur ultra eorum intentionem. *l. non omnis. ff. ſi cer. pet.* quodque per hoc à prædicta donatione recedere noluit, vel ex eo liquet, quòd eadem proteſtatione non obſtante, uſumfructum prædictorum bonorum, ſibi virtute ejuſdem donationis reſignatum, retinuit.

Similiter frivolum eſt, quòd dicit reus, patrem actoris, mortua ſua matre, aliquot bona apprehendiſſe, in prędicta donatione non ſpecificata, arguens ob hoc, eum ab eadem donatione deceſſiſſe: nam cùm non poſſit oſtendi, eum aliqua bona paterna apprehendiſſe ultra ea, quæ in dicta donatione continebantur, non poteſt actoribus apprehenſio maternorum officere: quum, ut ſupra dictum ſit, de eis in præſenti nulla ſit controver-
23 ſia: & non † probat hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe. *l. neque natales. C. de proba.* Fortius prædictis videtur, quòd contra actores per reum objicitur, pa-
24 ctum † ſcilicet repræſentationis, ſuper quo ſe fundant actores, in prædictis literis donationis comprehenſum, eſſe factum contra conſuetudinem receptam, prohibitivam repræſentationis, & ob id nullius momenti. Sed reſponderi poteſt, primum, talem conſuetudinem, non eſſe generaliter obſervatam in comitatu Flandriæ. Imò ponunt, & per documenta authentica docent actores, contrarium eſſe obſervatum, & obtentum eſſe bis in judicio contradictorio, repræſentationem etiam in feudis locum habere, etiam in caſu, quo nihil de repræſentatione actum fuit:
25 qui † duo actus cùm ſint publici & judiciales, cum interventu lōgi temporis, ſufficientes ſunt ad inducendam conſuetudinem, ex prę́ſumpto populi cōſenſu in eam obſervationem, *per ea quæ traduntur per Dd. in l. de quibus. ff. de leg. & per Panor. & Dd. in cap. fi. de conſuet.* præcipuè cùm ejuſmodi actus ſint ex eorum numero, quos Icti permanentes vocant, & continuam habent efficaciam. Quamobrem, ſi in caſibus, quibus nihil de repræſentatione actum eſt, nepos prælatus eſt patruo: non mirum, ſi in præſenti caſu, ubi expreſsè de repræſentatione convenit, eadem locum obtineat.

Maximè, cùm etſi probetur conſuetudo per reum allegata, videlicet repræſentationem in comitatu Flandriæ locum nō habere; nunquam tamen probabitur, per eandem conſuetudinem prohiberi, contractum ſuper repræſentatione fieri. Quamobrem diſpoſitio ſuper repræſentatione in omnem eventum libera eſſe debet, prę-
26 ſertim attento, quòd per illam diſpoſitionem reditur ad jus commune, quod † repræſentationem admittit etiam in feudis, *cap. unico. § his verò deficientibus, de grad. ſucc. in feud. & in c. 1. in princ. de ſucc. feu. cum utrobique notat. per Bal. & eſt gl. nota. in c. 1 de natu. ſucc. feud. & ibi Alvar. & vult. Io. Faber. in §. cùm filius, Inſti. de ſucceſſio. ab inteſt. & poſt omnes noviſſimè Franciſc. in ſuo libell. feudor. in 3. parte*
27 *operis ſui, charta 27 & charta 29. &* † *Petrus Philip. Corneus in conſ. ſuo 24. 2. vol.* ubi fortius dicit, hoc etiam locum habere in emphyteuſi, *per ea quę habentur & notantur per gl. Ioan. de Imola, & Paul. de Caſt. in l. cum ita. §. in fideicommiſſo. ff. de lega. 2. & declarat magiſtraliter Franciſ. de Aret. in conſil. ſuo 164. incipien. in Chriſti, & c. diligenter & maturè diſcuſſis, &c. in 1. dubio.*

28 Imò quòd fortius est, in † feudis indivisibilibus, quæ primogenito ex consuetudine debentur, qualia sunt feuda, de quibus est contentio, Nepos de jure præfertur patruo, repræsentans personam patris sui primogeniti, *ut concludunt Ioan. Fab. in d. §. cum filius, Alvarot. ibi suprà*, & *Ioan. And. in addit. ad Spec. in Rub. de feudis, Oldra. in cons. suo 224. incipiente, istæ sunt allegationes : Panor.* & *Pet. de Anch. in c. licet de voto, Paul. de Cast. in eleganti cons. suo 161. incipiente, in præsenti causa, in antiq.* & *idem Pau. de Cast. in l. maximum vitium. C. de liber. præter.* & *Francisc. de Aret. subtilitatum princeps, in prealleg. suo cons. 164. in 2. dubio, Iacobi. in libello suo feudor. circa princ. in verbo, dux,* & *Panor. in cons. suo 85. incipien. in præsenti quæst. in 1. vol.* & *novissimè Socin. in suo aureo cons. 252. incipiente, dominus labia mea, usus instrumentis concessionum :* & ita fuit judicatum per regem Robertum in Avinione, *ut refert Oldra. in dicto suo cons. 224. in fin. Ioan. And. in d. Rub. de feud.* & *Bald. in l. liberti libertęque. C. de operis liber.* ubi plus dicit, quòd licet Papa Bonifacius aliter judicaverit & pronunciaverit, tamen in hoc fuit magis partialis, quàm apostolicus : & *ista est communior opinio secundum Franc. de Aret. in dicto suo eleg. consil.* à qua in judicando non est recedendum, *secundum Theoricam Bart.* & *Dd. in l. fi. C. de pœn. jud. qui malè jud.*

29 Cùm † ergo res de facili redeat ad naturam suam. *l. si unus. §. pactus ne peteret. ff. de pact.* & *c. ab exordio, 35. dist.* censeri debet illud pactum, utpotè juri communi consonans, validum, efficax, & favorabile, *juxta glos. singula. in cap statutum, in verbo, numerandū, de prębend. libro 6.* & *juxta not. per Felin in cap. cùm accessissent, de constitut.* & *nota. per Azo. in dicto §. pactus ne peteret.* Non obstat,

30 quod dicitur, actum † factum contra legem vel consuetudinem negativam, vel prohibitivam, esse nullum; quoniam jura illud dicentia loquuntur, quando per legem vel consuetudinem prohibetur aliquis actus fieri in contrarium. In casu autem præsenti consuetudo per reum allegata, qua dicit prohiberi repræsentationem in Flandria, non est prohibitiva pacti vel conventionis in contrarium: quare non mirum, si permittatur conventio super repræsentatione, cùm non reperiatur prohibita. Nec † potest dici jus 31
istud consuetudinarium, etiam si probatum esset, esse publicum, & sic illi pactis privatorum non posse derogari, quoniam, *ut dicit Ias. in l. jus publicum. ff. de pact.* ad hoc, ut aliquod jus dicatur publicum, ad illum effectum, ut privatorum pactis ei non possit renunciari, requiritur unum ex quatuor, videlicet, ut sit jus naturale vel sanguinis, vel tale, quod publicam utilitatem principaliter respicit, puta, ut delicta puniantur, vel tale, quod jus reipublicæ tangit; vel quartò, quod disponit, dando formam vel solennitatem actui, quorum nullum de allegato jure consuetudinario dici potest. Quare sequitur, idem nihil aliud esse, quàm jus privatum, & in privatum favorem intro-

32 ductum, cui † pactis privatorum benè renunciari potest, *l. pacisci. ff. de pactis, cum sim.* Imò, quòd fortius est, valet pactum, per quod tollitur jus privati, sibi publica authoritate concessum. *l. jurisgentium §. si paciscar.* & *ibi Bart. ff. de pact.* Maximè, cùm tale assertum jus consuetudinarium, non est prohibitorium pacti vel conventionis in contrarium, *ut plenè Bald.* & *Iason in d. l. pacisci, idem Iason in l. pacta quę contra, in princip. C. de pactis, quę quanquam latius extensa, in eandem sententiam tradita sunt per Felinum in cap. si diligenti, de foro competen. ubi latè hęc materia examinatur.*

Debilius

33 Debilius est, quod dicitur, non † posse disponi contrarium ejus dispositionis, quę apta est prodesse tertio, & idcirco contra hanc consuetudinem, per parentes actorum non potuisse disponi, cùm apta fuerit prodesse reo, quoniam jura, quæ ad hoc allegari video, loquuntur & intelligi debent, de tali dispositione, ex qua jam jus esset quæsitum tertio per stipulationem, vel aliâs, *l. cum maritus, §. fina. ff. de pactis dotal.* (non ex qua speratur, quis
34 posse quærere) nam † aliter intelligendo, maximæ sequerentur absurditates, quòd videlicet contractus antenuptialis, in quo nulla stipulatione amicorum seu collateralium intercedente, disponitur, bona uxoris & viri, in eventum non existentiæ liberorum, debere redire ad latus, unde prodierunt: postea consensu mutuo uxoris & viri non posset per aliam dispositionem alterari, ex quo prior conventio apta erat prodesse amicis collateralibus: quo quid posset dici absurdius, & magis abhorrens, ab usu quotidiano? igitur & in casu præsenti, ubi non agitur de pacto contrario prioris dispositionis hominis, sed de pacto contrario consuetudini, quoniam per eandem reo, tempore contractus, de quo agitur, jus nondum erat quæsitum, tametsi eadem apta erat sibi prodesse in futurum: nihil impedit, quin potuerit super ea re contrahi, attento præsertim quòd, ut suprà dictum est, eadem consuetudo non fuerit talis, quin contra eam potuerit conveniri; & maximè cùm usitatum sit in his provincijs, juribus localibus, repræsentationem prohibentibus, contraria dispositione per pacta dotalia, & testamentarias dispositiones derogare. Quod vero dicitur, in
35 † prohibitis omnia esse prohibita, nisi inveniantur concessa, & non debere permitti una via, quod alia prohibetur, & similia: & ideo non debere permitti per pactum, quod consuetudine prohibetur, parum urget: nam, ut suprà dictum est, consuetudo allegata per reum, etiam si probata esset, non est prohibitiva pacti in contrarium: sed tantùm tacitus quidam consensus populi, quo receptum est repræsentationi locum non esse: quod intelligi debet, ubi aliter non convenit: nam ad
36 † hoc ut dici posset etiam pactum per cōsuetudinem exclusum esse, necesse esset allegare & probare, etiam consensum populi ad hoc se extendisse, idque per tales actus, qui consuetudinem de jure inducere possent, videlicet, quòd existente quæstione in facto, an tale pactum observari debuerit, nec ne, obtentum sit publicè, non debere observari, idque diversis vicibus, cum assensu populi, & cursu longi temporis, aut simile quippiam intervenisse: ex quo de jure argui posset, consensu populi tale pactum prohibitum esse. Aliud
37 enim † est in consuetudine, quam in lege scripta, cum legis mens verbis expressa ostendat, quid fieri patiatur, & quid non: in consuetudine autem, cùm non loquatur, sed in tacito consensu populi consistat, non potest dici inesse prohibitio, nisi per actus ad id idoneos demonstretur inesse. Consuetudo enim non est extendenda, sed ad suum casum restringenda, *c. dilecto, de offic. Archidiac.* & *vult notanter Ioan. And. in dicto c. fina. de consuet. circa fin.* & *Dd. sępè alibi tractant.* Sed contra ista videtur pugnare, quod per eum
38 dicitur, etiam si † pactum repræsentationis subsistere posset: non tamen posse in casu præsenti actoribus, qui nepotes sunt domini Walteri & suæ conjugis, ex illorum pacto actionem competere, cùm alteri per alterum non acquiratur, & non liqueat ex literis donationis, quòd dominus Theodoricus acceptavit clausulam reprę sentationis, vel quod voluit filijs suis acquirere jus ex illa clausula, quod videtur requiri.

Verùm ex his quæ prius dicta sunt,

 satis

ſatis apparet, dominum Theodoricum totum contractum donationis, cum omnibus ſuis clauſulis, acceptaſſe & approbaſſe realiter & cum effectu, & præcipuè clauſulam repræſentationis, & intentionē habuiſſe, per illam ſuis filijs jus quærendi; quoniam ex literis domini Walteri, ad eundem dominum Theodoricum ſcriptis, apparet, dominum Theodoricum ſpecialiter petijſſe, repręſentationem liberis ſuis permitti: cui ipſe Dominus Walterus pater annuit, ita, ut non ſit veriſimile, Dominum Theodoricum non acceptaſſe oblatum quod ipſemet petierat, quodq; præcipuum erat futuri matrimonij fundamentum, cùm realiter acceptaverit uſumfructum illorum bonorum, de quibus ſuprà.
39 Et † regula, qua dicitur, alteri per alterum nō acquiri, ceſſat in patre, ex cujus pacto non eſt dubium liberis actionem naſci: & dato, quòd in caſu præſenti donans fuiſſet extraneus, tamen liberis domini Theodorici donatarij fuiſſet acquiſita actio utilis, ex hujuſmodi pacto, favore exercentis liberalitatem, *ut eſt tex. ſingul. in l. quotiens. C. de dona. quæ ſub modo*, & *notat. Paul. de Caſt.* & *DD. in l. Publia, in princ. ff. depo.* & *ſæpè alibi*. quare non obſtat argumentum.
40 Cæterùm † ſtante repræſentatione adhuc alius manet ſcrupulus; cum dicat reus, clauſulam illam repræſentationis non debere referri, niſi ad præcedentia in contractu, non autem ad ſequentia. Sed is ſatis per appellantes in proceſſu diſſolutus eſt, cum verba contractuum ſic debeant intelligi, ut aliquid operentur. *l. ſi quando, in princ. ff. de legat.* 1 & *c. ſi Papa, de privil. lib. 6.* & *nota. Bald. in Rub. C. de contrahen. empt. in 9 quæſt.* Et referendo clauſulam prædictam ad præcedentia tantum, nihil prorſus operaretur: attento, quòd dominus Theodoricus jam erat vetus proprietarius bonorum, ante eandem clauſulam nominatorum, ita ut etiam ſine repræſentationis adminiculo filij ſui, ſibi in illis debeant ſuccedere: quamobrem neceſſe eſt eandem clauſulam ad ſequentia referri, *jurib. præall. cum ſim. de hac materia loquentib.* Præterea hic objicitur contra prædictam donationem, quòd cōceſſis omnibus præmiſſis, adhuc ex alio
41 capite nullius eſt efficaciæ: & ex † eo ſcilicet, quòd bona in ea ſpecificata longè majoris ſunt precij, quam ea, quæ per dominum Iodocum de Ghiſtele ſuæ filiæ in dotem data ſunt: quamobrem propter inæqualitatem dotis & donationis propter nuptias, contractum prædictum, utpote à jure reprobatum, non valere videtur. Sed facilis patet ad iſta reſponſio, cùm conſtet, jura de æqualitate dotis & donationis propter nuptias loquentia, jam diu in deſuetudinem abijſſe: *ut dicit gl. in Auth. æqualitas, C. de pact. conven.* & *ibi Sal. confirmat*, quod in his præſertim provincijs manifeſtius eſt, quàm ut teſtimonio indigeat: quare frivolum eſt hujuſmodi argumentari. Eadem ſolutione diluitur
42 & hoc, quòd † de inſinuatione prædictæ donationis non facta, cavillatur reus, cum & illa jura conſtet in uſu eſſe deſijſſe, & receptiſſimum ſit, ejuſmodi contractus vel coram notario & teſtibus confici, vel ſi nobiles ſint inter quos agitur, ſigillis & ſignaturis contrahentium. Quare etiam non obeſt ſi dicatur, jus inſinuationis pacto non poſſe tolli, *per ea quę dicit Bald. in l. illud in penul. colum. C. de ſacr. eccleſ.* & *Dd. alibi*. Quoniam licet hoc pacto fieri non poteſt, conſuetudine tamen con-
43 ſtat, potuiſſe introduci. Multa † enim quæ pacto fieri non poſſunt, per ſtatutum vel conſuetudinem fieri poſſunt: *ut magiſtraliter declarat Bald. in repet. in l. de quibus. ff. de legib. in 2. colum.* Quare in præſenti caſu, cum donatione vel conventione contentioſa, ſolennis ſit ſcriptura confecta, ſubſignata & ſigillata, non opus fuit inſinuatione: & ſtabilis debet cenſeri contra-

contractus: præsertim cum signaturæ & sigillis præfatis, præter realem emologationem & executionem, de qua sæpius suprà, accessit adhuc in casu nostro, domini Walteri coram concilio Flandriæ recognitio, per appellantes allegata & probata, quæ non ideo minus roboris habere debet, quòd cùm de bonis feudalibus sit, non sit facta coram curia feudali. Quoniam, ut præsupponitur, idem concilium est in longissima possessione, & ab olim consuevit tales recognitiones & contractuum celebrationes, etiam de feudalibus bonis recipere. Nec huic obstat ordinatio illa, quæ per eum producta est, continens nullos contractus super oneratione bonorum feudalium coram eodem concilio celebrari debere, & celebratos nullos esse, & inefficaces ad generationem
44 hypothecæ: imò † magis pro parte actorum facit, cùm lex disponendo tales contractus inefficaces esse ad generandum hypothecam, per contrarium sensum cēseatur voluisse, actionem personalē (quali actores experiuntur) ex eis nasci, quæ argumentandi ratio frequens & valida est in jure. *l.* 1. §. *hujus rei. ff. de offic. ejus cui manda. est jurisdict. cum sim.* Similiter non obest præfatæ donationi vel con-
45 ventioni, quòd † cum de rebus feudalibus facta sit, non sit facta consensu domini feudi, qui in alienatione bonorum feudalium de jure requiritur. Quoniam respondetur, donationem istam non propriè esse alienationem, cùm facta sit in eum, qui erat de agnatione, & in eisdem feudis, utpote primogenitus, qui verisimiliter erat successurus. Quamobrem consensus domini ad hoc non requirebatur, *per tex. express. in cap.* 1. *in prin. de alien. feu. pater. & in c.* 1. §. *sed etiam res, in tit. per quos fiat investit. cum utrobique notat. & vult Franciscin. in suo libello feudor. in quarta parte operis sui charta* 47. *in versic.* 3. *limitanda est, ubi dicit omnes feudistas ita tenere in d. c.* 1. *de alienati. feud. pater.* Adhuc obijcitur per eum, ut
46 omnia præmissa vera sint, adhuc † tamen actoribus obesse rem judicatam, cùm cōstet, eos diversis vicibus petijsse investituram bonorum, de quibus est quæstio, illamque eis in judicio contradictorio esse denegatam. Quod quidem argumentum, tametsi prima fronte appareat vehementer contra actores facere, tamen si penitus introspiciantur causæ, ex quibus olim actum est, & ex quibus nunc agitur, comperietur nihil omninò reo prodesse: nam dum actum fuit ad investiturā, actum fuit ad realitatem ipsam bonorum contentiosorum, vigore dicti contractus, cui contractui quoniam pars se opposuit, dicens eum esse nullum, clarum fuit, actores ad eandem realitatem tunc æquè non fuisse receptibiles; quoniam ipsis solùm erat quæsita actio personalis ex dicto contractu, ex qua non potuit eis adjudicari conclusio realiter capta. Quare non mirum, si ad eandem conclusionem declarati sunt non receptibiles, nec possunt ejusmodi declarationes actoribus loco rei judicatæ obijci, cùm in hoc processu non ad investituram & realitatem ipsam actum sit, ut prius, sed personaliter, ut reus teneatur tradere bona contentiosa, vigore contractus prædicti, & sic ad faciendum, quæ causa petendi omninò diversa est ab ea, qua prius actum fuit, & nihil communionis invicem habent, quod tamen requiritur ad hoc, ut obstare possit res judicata, *per l. & an eadem. ff. de except. rei jud. cum sim.* Sed huic solutioni videtur obstare sententia quædam, in concilio Flandrensi pronunciata 21. die ejus mensis, qui apud Flandros appellatur die Wedemaent, anno M.D.IV. inter tutores actorum ex una, & dominum Walterum eorum avum cum suis consortibus, ex altera, per quam apparet, eosdē tutores contendisse ad duos fines, videlicet, primū ad recognitionem prædicti

prædicti contractus. Secundò, ad ejusdem contractus satisfactionem & assecurationem: quorum primum per eandem sententiam prædictis tutoribus adjudicatũ fuit, secundum verò denegatum. Quare videtur actoribus adhuc obstare res judicata, cum conclusio illa ad satisfactionem & assecurationem prædicti contractus capta, haud dubiè personalis sit: & eadem cum conclusione in hoc processu capta, & sic eadem causa petendi fuerit in utroque processu. Verùm huic objectioni, tametsi prima fronte fortè sic potest responderi, quòd illa secunda pars conclusionis prædictæ, qua actum fuit ad satisfactionem prædicti contractus, non sic fuit denegata prædictis tutoribus, ut dominus Walterus & sui consortes ab ea absoluti fuerint, sed declarati sunt dicti tutores tãtum ad eandem non receptibiles, ut ex dispositoria ejusdem sententiæ parte apparere potest. Quod ex eo accidisse perspicuum est, quòd dicti tutores ista duo conjunxerant, recognitionem scilicet, & satisfactionem; cùm tamen satisfactio eis adjudicari non potuit, nisi præcessisset recognitio. Quare cum ista duo simul in judicium deducta fuerint, quæ simul actoribus adjudicari propter incompatibilitatem non potuerunt, non debet mirum videri, si prima parte adjudicata, ad secundam declarati sint non receptibiles: Quæ declaratio aliud nihil operatur, quàm quòd judicatur, actores nimium festinasse ad illam partem conclusionis, cùm alterius decisio præcedere debuit. Ex quo liquet, nullam eidem sententiæ inesse absolutionem, ex qua censeri possit res judicata; sed si qua inest absolutio, eam esse ab instantia tantum, non autem ab impetitione actorum, *juxta ea quę habentur* & *notantur in l. 1. in princ. ff. si mensor. fal. mod. dixerit*, & *in c. examinata, de judic.* & *in l. habebat, in princ. ff. de institor. act.*
47 Quæ † absolutio ab instantia tacitam in se habet reservationem actionis in posterum instituendæ; quod vel ex eo liquet, quòd in eâdem sententia prædictus Dominus Walterus condemnatus sit, recognoscere prædictum contractum, exceptione sua semper sibi salva. Ex quibus verbis apertè liquet, eam fuisse mentem concilij Flandrensis, ut prædictis tutoribus salva maneret actio, ad satisfactionem
48 prædicti contractus; quia † frustra reservassent reo exceptionem, nisi & cogitassent actoribus suam actionem integram relinquere: exceptio enim est actionis exclusio. *l. 1. ff. de except.* oportet igitur esse actionem, ubi est exceptio. Ex quo manifestissimè apparet, eandem sententiam in hac causa rem judicatam non parere.

Restat nunc solvenda illa rei exceptio, qua dicit, se non esse solum hæredem prędicti Dom. Walteri, & idcirco etiam justitia causæ præsupposita, se malè solum conveniri.

Et primum, quantum ipsum factum concernit, video per actores præsupponi, eum hæredem esse, & non fateri alios hæredes esse: Respondetur igitur per interemptionem, negando. Et quanquã non solus hæres esset, quoniam tamen omnia bona de quibus agitur, per eum possiden-
49 tur, & † apud eum facultas est eorundem bonorum restituendorum, nõ fuit necessè alium conveniri, quam eum. *l. 3. §. hæres ff. commo.* & *traditur per Bart.* & *alios in l. 4. §. Cat. ff. de verb. ob.* Frivolum
50 etiam est, quod objicitur, non valere † donationem inter patrem & filium in potestate, cum simus in casu excepto, *juxta not: per gl. ord. Cyn.* & *DD. in l. 2. C. de inof. don.* Ex quibus omnibus satis liquere videtur, sententiam concilij Flan. de qua est quæstio, non jure latam, beneque ab ea appellatum esse, & appellantibus eorum conclusionem adjudicandam fore. Iudicio cujuslibet melius sentientis semper salvo.

CON-

CONSILIUM CCXXXII.

SVMMARIA.

1 *Sola instrumenti cancellatio an liberationem inducat, vel onus probandi in debitorem transferat?*

2 *Pactum liberatorium donationis loco habetur.*

3 *Iuris præsumptio transfert onus probandi, in asserentem contrarium.*

4 *Domestica consuetudo quales inducat presumptiones?*

5 *Instrumentum cancellatum penes creditorem repertum, solutionem non probat, quando debitor domestica creditoris persona fuit.*

6 *Præsumptio fortior minori preponderat, eamque prorsus excludit.*

7 *Conjunx superstes hæreditatem litigiosam apprehendens, omnium bonorum, tempore mortis suæ conjugis repertorum, inventarium conficere tenetur.*

8 *Tutores & curatores, fructus bonorum pupillarium, vel quorum administratio ipsis mandata est, ad annuos reditus erogare debent.*

9 *Bona defuncti, inter superstitem conjugem & heredes præmortuæ, &c. qualiter sint dividenda?*

10 *Reditus annui bonis mobilibus vel immobilibus annumerari nequeunt, sed tertiam bonorum speciem constituunt.*

11 *Nomina debitorum de sui natura, nec mobilia nec immobilia dici possunt, sed tertiam bonorum speciem, sicut & redditus faciunt.*

12 *Nomina debitorum quando pro mobilibus vel immobilibus habeantur?*

13 *Debitorum hereditariorum exolutio ad quem pertineat?*

AD quæstiones propositas, scilicet instrumentis dotalibus inter duos cōjuges confectis, quibus diutius viventi de certis bonis prospectum est, Si uxore prę-mortua, eadem instrumenta apud maritum superstitem reperiantur cancellata, quid de jure sit præsumendum? Item si instrumento dotali caveatur, maritum superstitem omnia mobilia habiturum præcipua, & omnium aliorum bonorum medietatem lucraturum, alia medietate penes hæredes præmortuæ conjugis remanente: & postea inter conjugem superstitem, & hæredes præmortuæ super ejus hæreditate ac valore instrumenti præfati controversia oriatur: An ne superstes de jure teneatur, hæredibus istis petentibus dare inventarium omnium bonorum mobilium & immobilium, quæ tempore mortis suæ conjugis in hæreditate reperiebantur: & an ne superstes iste teneatur, memoratis hæredibus petentibus, reddere rationem & reliqua bonorum, à tempore mortis suæ conjugis hucusque possessorum: & an ne obligetur superstes iste hæredibus præfatis ad solvendum tantum reddituum, quantum ex omnibus bonis mobilibus & immobilibus per defunctam relictis, si eorum proventus à tempore mortis defunctæ ad redditus applicati fuissent, comparari potuisset? Tertiò, instrumento dotali continente, post mortem alterius conjugum, certa bona defuncti, inter superstitem & hæredem defuncti dividenda esse: an haberi debeat ratio bonorum, prout erant tempore mortis conjugis defuncti: an vero prout reperiuntur tempore divisionis petitæ.

Quartò, si ex instrumento dotali maritus, conjuge sine liberis communibus defuncta, omnia mobilia præcipua capiat, & ad omnium aliorum bonorum medietatem admittatur, reliqua medietate hæredibus defunctæ salva manente: quid hoc casu de reditibus annuis redimibilibus dicendum sit, & quis in illis potior habebitur? Quintò, retento eodem the-

mate , quid de nominibus debitorum di-
cendũ. ſit, & quis creditoribus hæredita-
rijs ſatisfacturus ſit ? Videtur de jure re-
ſpondendum primò ad priorem, quod tã-
1 etſi prima facie appareat, per † cancella-
tionem inſtrumenti debitorem præſumi
liberatum, niſi creditor manifeſtis proba-
tionibus contrarium doceat, *per tex. ex-
preſſ. in l. chirographum cancellatum. ff. de
proba. cum ſim.* maximè ſi tale inſtrumen-
tũ cancellatum reperiatur penes credi-
torem, *ut volunt DD. in l. 2. ff. de pac.* In
caſu tamen ſubjecto aliter dicendum eſt:
Quia quum quæritur, an ſola cancellatio
inſtrumenti inducat liberationem, diſtin-
guitur in hunc modum. Aut debitor ad ſui
defenſionem allegans inſtrumentum can-
cellatum, dicit ſe liberatum pacto, & non
præſumitur liberatio ex ſola cãcellatione
inſtrumenti , niſi alia probatio acceſſerit,
per tex. cũ gl. in d. l. 2. ff. de pac. cujus ra-
2 tio eſt, quia † pactũ liberatorium loco do-
nationis habetur, quę nõ pręſumitur. *vulg.
l. cum de indeb. ff. de prob.* & *l. ſi cum au-
rum. ff. de ſol.* ubi habetur, quod ubi poteſt
capi alia conjectura, quã donatio, nunquã
pręſumitur donatio, vel remiſſio: imò po-
tius præſumitur fatuitas, quã donatio, *ſe-
cundum Bal. in l generaliter, C. de nõ nu.
pec.* Cũ igitur allegans pactum, habeat cò-
3 trà ſe † juris præſumptionem, conveniens
eſt, ut pleniorẽ probationem adferat, *l ſi.
cum ibi not. ff. quod met, cau.* Aut debitor
allegat ſe liberatũ ſolutione, ad quã pro-
bandam allegat inſtrumentum cancellatũ,
4 & tunc aut eſt perſona domeſtica † vel
familiaris creditoris , ita ut veriſimiliter
poſſit ſuſpicari, inſtrumentũ per eum eſſe
ſubtractum, & non præſumitur liberatio:
*per tex. clarum in l. unica. §. ille autẽ. C. de
lat. lib. tol.* aut debitor non eſt perſona do-
meſtica ; vel talis in quã cadat ſuſpicio, &
habet locum *l. ſi chirographum, ſuprà alleg.
cum ſim. ita volunt gl. Alber. Bart. Iaſon,
Paul. de Caſt.* & *alij Dd. in d. l. 2.* & *3. ff.
de pact.* In caſu igitur præſenti, ſi hæredes
defunctæ conjugis dicant, ſe liberatos ta-
cito pacto, ut videntur velle dicere , non
ſufficit eis ſola allegatio inſtrumenti can-
cellati, per ſuprà dicta. Si verò prætendãt
ſolutionem , quam tamen non videntur
poſſe allegare , quòd ſatis conſtet inſtru-
mentorum contentioſorum tenorem im-
pletum non eſſe, quum hinc materia litis
proficiſcatur, nihilomagis illis poterit ſuf-
fragari inſtrumenti cancellati allegatio,
ad ſolutionem probandam, ob conjugum,
qui per hæc inſtrumenta ſeſe mutuo ob-
ligaverant, & ſibi invicem debitores effe-
cti fuerãt, domeſticam conſuetudinẽ, qua
nil eſſe poteſt familiarius: hæc enim facit,
ut de jure non præſumatur facta ſolutio,
ut ſuprà dictum eſt. quod optima ratione
conſtitutum eſt, ne ſcil. ſi ſola inſtrumenti
cancellatio ad ſolutionem probandam ſuf-
ficeret, daretur debitoribus anſa, ſuas ob-
ligationes ſurripiendi, & cancellãdi: quod
crimẽ à domeſticis maximè abeſſe volue-
runt legiſlatores; qui in hoc caſu eo magis
obtinere debent , quod conjunx abſente
marito defuncta eſt , quem conſtat ilico,
poſtquam domum redijſſet , pro ſui juris
conſervatione, judicibus ordinarijs de hu-
juſmodi cancellatione conqueſtum fuiſſe,
arg. l. ſi filiusf. 2. cum ibi not. ff. ad Maced.
5 Nec quicquam facit , quòd inſtrumenta
iſta penes creditorem , hoc eſt conjugem
ſuperſtitem , reperta dicantur : non enim
hoc ſolùm attenditur, An inſtrumentum
cancellatum reperiatur penes creditorem,
ſed illud ; An debitor cui inſtrumento-
rum integritas damno eſt , fuerit perſona
domeſtica creditoris , vel quæ conſuevit
tractare res ejus : tunc enim , etiamſi in-
ſtrumenta cancellata penes creditorem
reperiantur, non præſumitur liberatio vel
ſolutio, *ut volunt omnes DD. nemine di-
ſcrepante in d. l. 2. ff. de pac.* una eſt omniũ
opinio, non referre , an apud creditorem,
an apud debitorem, vel apud tertium re-
periantur

periantur

periantur alia instrumenta, quando debitor est persona domestica, non enim præsumitur tunc liberatio, nisi aliæ probationes accesserint, licet Batt. in casu quando apud tertium reperiantur, cõtrarium senserit, *in l. fullo. ff. de furt.* qui in hoc communiter reprobatur. Nec potest suspicari, creditorem hoc casu, hoc est, conjugem superstitem, instrumenta præfata cancellasse, cùm ex cancellatione nullum potuerit consequi fructum, etsi aliqua levis suspicio esset, eum id, tempore prætensę suæ ægritudinis ante mortem uxoris suæ, in suorum hæredum favorem fecisse; tamen quoniam ipse pro se† fortiores habet præ-
6 sumptiones jure munitas, consequens est, ut efficacior præsumptio minori præponderet, *jurib. vul.* Ad alteram verò quæstionem, quæ trimembris est, quantum ad inventarium dandum attinet, breviter respondendum videtur, quantũ adhuc quæstio vertitur super instrumẽtorum dotalium valore, & de modico agitur præjudi-
7 cio: non iniquum esse, ut † conjunx superstes, qui hæreditatẽ litigiosam apprehendit, tradat inventarium omnium bonorũ, in hæreditate tempore mortis suæ conjugis repertorum. Quod verò ad reddendas rationes pertinet, & præstãdos reditus, qui ex provẽtibus bonorum hæreditariorum, si ad reditus applicati fuissent, comparari potuissent, dependet harum decisio ex definitione prioris quæstionis, quia si instrumenta cancellata declarẽtur haberi debere pro non cancellatis, sequeretur mobilia omnia, & eorum incrementa, ex tenore eorundẽ instrumentorum, marito deberi præcipua, & præterea omnium aliorum bonorum medietatem cũ suis incremẽtis, ei jure divisionis esse cessuram; de quibus scilicet omnib. mobilibus cum eorum incrementis, & medietate omnium aliorum bonorũ cum suis incrementis, in illum eventum, nullam rationem reddere tenebitur; cùm sua sint futura, nec quicquam ratione incrementorum, vel redituum qui ex his comparari potuerint, istorũ bonorũ nomine, hæredibus suæ conjugis præstare debebit. Sed alteram medietatem, quæ ex instrumentorum dotalium tenore hæredib. debetur, quam ipse superstes apprehendit, & huc usq; possedit, eisdẽ hæredibus integrã præstare, & de ea rationẽ & reliqua reddere tenebitur, unà cum reditibus, qui ex illius medietatis proventibus à tempore mortis suæ conjugis, usq; in hoc tempus à diligenti administratore comparari potuissent, & hoc nedum jure consuetudinario patriæ, sed etiam de jure
8 cõmuni, quo tenentur tutores † & curatores, fructus bonorũ pupillarium, vel quorum administratio eis mandata est, ad reditus annuos erogare. *l. tutor secũdum dignitatem. §. 1. cum ibi not. ff. de adm. tut. cum si.* Ad tertiam autem quæstionẽ principalem, scilicet instrumento dotali cõtinente, post mortem alterius conjugũ certa bona defuncti, inter superstitem & hæredes defuncti, dividenda esse, an haberi debeat ratio bonorum prout erant tẽpore mortis conjugis defunctæ, an vero prout reperiuntur tempore divisionis petitæ?
9 Respondetur juxta suprà dicta, bona † quorum una medietas, si tempore mortis defunctæ conjugis ad divisionem processum fuisset, hæredibus ejus, & altera conjugi superstiti cessisset, nunc unà cum fructibus, accessionibus & incrementis medij temporis ex illis bonis provẽtibus, per medium secanda esse: & conjugem superstitem unam partem, hæredes verò defunctæ aliam accipere debere, bonis per conjugem superstitem medio tempore aliunde quæsitis, sibi salvis remanentibus, in quibus hæredes præfati nullum jus jure prætendere possunt.

Ad quartæ verò quæstionis dissolutionẽ, quæ præ cæteris magis dubia apparet,
10 præmittendum est, reditus annuos† de sui natura, nec inter mobilia, nec inter im-

 mobilia

mobilia rectè numerari: sed tertiam quãdam speciem esse, distinctam à mobilibus & immobilibus, *per tex. aper. in l. à divo Pio. §. in vendit. ff. de re jud.* Et ideo in dispositione super mobilibus vel immobilibus facta non comprehendi, nisi ex necessitate dispositionis, oportet illos, vel sub specie mobilium, vel sub specie immobilium collocare: utpotè, si quis de omnibus suis bonis disponere volens, mobilium tantùm & immobilium fecerit mentionem: illo enim casu observandæ sunt distinctiones DD. super hoc proditæ, *ut volunt Panor.* & *alij in c. nulli, extrà, de reb. eccle. non alien.* & *legistæ in l. jubemus nulli. C. de sacros. eccle.* & *Card. in clem. exivi. in §. cumque annui reditus, de verb. signif* & *Fred. in cons.* 12. & *Alex.* & *alij in l. sciendum, in prin. ff. qui satisd. cogan.* Quoniam igitur instrumento dotali, de quo in casu, cautum est, ut superstes præcipua habeat omnia mobilia, & omnia alia bona per medium dividantur: Liquet ex virtute ejusdem dispositionis, non esse necesse, ut annui reditus sub specie mobilium, vel immobilium collocentur; quia non est facta sola mẽtio mobilium & immobilium: sed primò nominata sunt mobilia omnia, quorum appellatione prædicti reditus, ceu distincta quædam species, minimè comprehenduntur, ut suprà dictũ est: Et postea de omnibus alijs bonis dispositum est, sub qua generalitate bonorũ omnium reliquorum, prędicti reditus benè comprehenduntur. *l. bonorum, cum ibi notat. ff. de verb. sign.*

Ex quo patet, mobilia omnia, de quibus non dubitatur, quin appellatione mobilium veniant, conjugi superstiti, ex vi instrumentorum dotalium, deberi præcipua: immobilia verò, quæ sine controversia pro immobil. habentur, per medium dividenda esse inter superstitem & hæredes defunctæ. Reditus vero, qui tertiæ speciei censentur, similiter inter eosdẽ, superstitem sc. & hæredes defunctæ, æqualiter dividendos, propter generalitatem illam omnium reliquorum bonorum, quæ reditus etiam sub se continet, & propter simplicem dispositionem, super mobilibus factam, sub qua, ut suprà dictum est, annui reditus de sui natura non comprehenduntur, *per suprà dicta, juncta l. ceterorum, ff. de verb. sign.*

Nec putàrim, hoc casu faciendam differentiam inter reditus annuos redimibiles, & nõ redimibiles; cùm utraque species distincta quædam res sit à mobilibus & immobilibus, & in utraque militent rationes suprà adductæ. Ad quintum dubium, quo quæritur, in casu quo ex conventione matrimoniali omnia mobilia debentur superstiti, & omnia alia bona inter superstitem, & hæredes defunctæ sunt dividenda: quid agendum sit de nominibus debitorum, & quis creditoribus hæreditarijs satisfacturus sit? Videtur breviter respõ-
11 dendum, nomina † debitorum, sicut & reditus, de sui natura nec mobilia nec immobilia rectè dici, sed tertiam quandam speciem facere *per tex. expres. in d. l. à divo Pio. §. in venditione.* Ideoque de illis, sicut & de reditibus, dicendum esse, ut scilicet æqualiter inter superstitem & hæredes defunctæ conjugis dividantur, *per ea quę singulariter decidunt Panor.* & *alij in d. c. nulli, de reb. eccle. non alien.* & *alij Dd. ubi suprà.* Nec hìc facienda est differentia, an mobilium rerum vel immobilium contineant obligationem; quia illa differentia
12 tunc solùm locum habet, † quando ex vi dispositionis necesse est, ut nomina debitorum, vel sub mobilibus vel sub immobilibus collocentur. Tunc enim illa nomina computantur inter mobilia, quæ mobilium continent obligationem: illa autem inter immobilia, quibus ad immobilia quis obligatus reperitur, *ut per Panorm.* & *alios, in d. c. nulli,* & *per Philip. Franc. in c. consultissimo, de reb. eccles.*

cles.non alien. lib. 6. & *Dd. in præalleg. l. sciendum. ff. qui satisd. cogant.* & *alibi.* In casu autem nostro, primò specialis facta est dispositio de mobilibus, sub quibus nomina non comprehenduntur: Et postea generaliter dispositum est, non super immobilibus tantum, sed super omnibus alijs bonis: sub qua generalitate non est dubium, quin nomina comprehendantur. *d. l. bonorum,* & *preall. l. cæterorum.*

13 Quantum autem † debitorum hæreditariorum exolutionem attinet, videtur dicendum, quòd dimidiam partem exceptis funeralibus, conjunx superstes, aliam vero hæredes defunctæ exolvere debent: mobilia enim conjugi superstiti præcipua debentur, & sic libera: reliqua vero omnia, quoniam æqualiter dividenda sunt, æquum est ut æquales sint in onere, qui æquales sunt in commodo. *d. l. unica. §. pro secundo, C. de caduc. toll. cum sim.* & *regula, qui sentit, de reg. jur. lib. 6.*

CONSILIUM CCXXXIII.

SVMMARIA.

1 *Attestatio, sine authoritate vel commissione judicum facta, nihil probat.*

2 *Ad videndum jurare testes, is de cujus prejudicio agitur, necessariò vocandus est.*

3 *Exemplatio seu extractio instrumentorum, parte non citata, non valet.*

4 *Testibus de facto, de præterito deponentibus non creditur, sicut nec notario, etsi publicum de hoc faciat instrumentum.*

5 *De re feudali, sine consensu domini superioris, disponere vasallus non potest.*

6 *Feudum an filius, quitatione generali super hæreditate paterna facta, petere possit?*

PErspectis actis utriusque instantiæ, & consultatione dominorum Doctorum Lovaniens. pro parte Guilhelmi de Bosschuysen appellantis, exhibita coram Dominis locumtenente, & paribus curiæ feudalis Hollandiæ, in causa illic indecisa pendente, inter præfatum Guilhelmum appellantem ex una, & Cornelium Haeck, uxoris suæ nomine, reum ex altera: Videtur mihi subscripto, sententiam curiæ feudalis de Hoevingen, de jure esse retractandam, feudumque contentiosum memorato appellanti esse adjudicandum, per ea quæ latè per dictos dominos præconsulentes deducta sunt, & quæ hîc sequuntur. Nam pro indubitato habetur & constat, præfatum impetrantem fuisse filium naturalem & legitimum seniorem quondam domini Guilhelmi van Bosschuysen, & dominæ Elizabeth Coppiers. Item feudum contentiosum non ad dominum Guilhelmum, sed ad præfatam suam uxorem pertinuisse. Quare tam de jure, quàm de consuetudine notoria Hollandiæ, idem feudum ad sorores appellantes devolvi non potuit, ipso superstite. Nec obstat appellanti, quòd prædicto Domino Guilhelmo & suæ uxori data fuit licentia, testandi disponendique de feudis suis, prout vellent, & quòd idē feudum per eundem dominum Guilhelmum filiæ suæ Agathæ in dotem datum est: Quoniam, ut acutè notatum est per præconsulentes, illa licentia ad hoc restricta est, ut eadem dispositio fieri debuerit, per utrosque conjunctim, nec unus sine altero quicquam facere potuit. Quare & datio illa in dotem, per eum allegata, sibi prodesse non poterit, utpote à solo domino Guilhelmo facta: & sic ab eo, qui jus in eo non habebat, & etiam cōtra tenorem permissionis & licentiæ prædictæ. Quòd si dicatur, prædictæ dominæ Elizabeth consensum intervenisse dationi in dotem, de qua est quæstio, idque constare per certi-

ficationem, ut vocant, magistratus Leydensis; dicendum est, præfatam certificationem non facere fidem in præjudicium appellantis, per ea quæ argutè circa hoc per dominos præconsulentes allegata
1 sunt: & præcipuè quòd attestatio † illa facta non sit autoritate vel ex commissione judicum primæ instantiæ, quod de jure requiritur.

Denique quòd appellans, de cujus præ-
2 judicio agebatur, ad videndum † jurare testes præfatos vocatus non fuit, quod similiter de jure requiritur: & omissum viciat attestationes, *jurib. per præconsulentes allega.* Ultra quæ addo pulchram decisionem *Rotæ* 10. *in novis, quæ post latam disputationem concludit,* non valere
3 extractionem † seu exemplationem instrumentorum, in vim compulsoriæ factam, parte ad hoc non vocata. Cùm ergo testes & instrumenta pari passu ambulent, *l. in exercendis, C. de fide instr.* idem dicẽdum erit in testibus, quod in instrumẽtis. & *est expressum in c. 2. de test.* & *l. si quando, C. eo. tit.* Et tantò minus credendum est dictæ certificationi, quia †
4 testes illic deponentes loquuntur de facto de præterito, de quo non statur etiam certificationi episcopi vel ordinarij sub suo sigillo, nec etiam notario, etiam si de hoc publicum faciat instrumentum, *ut tenent omnes Dd in c. post cessionem, de proba.* & *c. quoniam contra falsam, eod. titu. ad quod optimè facit tex. in l. optimam, C. de contrah. stipulat. cum ibi notatis per Dd.* & *habetur latè per Iason. in l. ex his verbis, in tertia colum. C. de testa. mili.* Præterea tametsi plenè de consensu prædictæ dominæ Elizabeth constaret, non tamen posset hoc vel reo suffragari, vel actori obesse: quoniam ille consensus suum effectum operatus esset in Agatha præfata, cui feudum contentiosum in dotem datum apparet, qua decedente absque liberis, idem feudum ad suam pristinam naturam reversum est, & expiravit licentia per Maximilianum Cæsarem concessa, devolutumque est ad appellantem, tanquam seniorem fratrem ejusdem Agathæ, qui & de hoc investituram in debita forma accepit. Non potuit idem feudum per præfatam Agatham suæ sorori Corneliæ, cujus nomine reus experitur, in testamento relinqui, vigore cujusdam literæ, per Dominam de Assendelft in hoc concessæ, quoniam eadem Domina de Assendelft non est Domina superior feudi contentiosi. Ad
5 † hoc autem, ut prædicta Agatha de eodem feudo disponere potuerit, requirebatur consensus superioris domini, scilicet Comitis Hollandiæ: *per ea quæ notant glos. Bald. Alvar. Præpos.* & *alij Dd. in §. illud, de prohib. feud. alien. per Freder.* & *notata per Dd. in l. fin. C. de jure emphyt.* & *in c. potuit, de loca.* per quæ actoris intentio ex toto stabilita, & allegationes rei totaliter elisæ extinctæque videntur, nam quæ de præscriptione & investitura, infra annum non petita, similiter & de scientia annali, appellanti per reum objecta sunt, parum urgent, & ad plenum per dominos præconsulentes discussa & resoluta sunt, ad quorum dicta me refero, brevitatis, & reditionum vitandarum gratia: Hoc tamen adjecto,
6 quòd † & si dictus appellans quitasset sororem suam Agatham & Corneliam de omni eo, quòd ex hæreditate paterna petere potuisset: tamen ea quitatione generali non obstante, dictum feudum sibi ut filio debitum, nihilominus petere posset: *ut tenent Bart. Bald. Ang.* & *Dd. in l. item videndum. §. fin. ff. de pet. hæred.* & *Iason in prælud. feudo. in* 16. *colum.* Ex quibus omnibus concludo, malè per judices primæ instantiæ esse judicatum, eorumque sententiam per hujus instantiæ judices esse retractandam reformandamque, feudumque contentiosum appellanti

pellanti esse adjudicandum: Rectius sententis judicio semper salvo. Ita videtur mihi N. Everhardi V. I. doctori omnium minimo, de jure dicendum & judicandum, teste manu propria, & signo consueto. N. Everhardi.

CONSILIUM CCXXXIV.

SUMMARIA.

1 *Legitimatio liberorum naturalium an rumpat testamentum antea factum? &c. & nu. 4.*
2 *Testamentum ut vires obtineat, quilibet in sua qualitate instituendus est.*
3 *Legata ex testamento non jure facto non debentur, sed pro non scriptis haberi debent.*
5 *Mutatio qualitatis hæredis, testamentum non rumpit.*
6 *Intellectus* l. si pater. C. de hæred. instit.
7 *Ex testamento, ratione exhæredationis vel preteritionis irrito, legata debentur: licet hæredis institutio invalidetur.*
8 *Voluntas testatoris, pestis tempore disponentis, qualiter probari possit?*
9 *Institutio hæredum qui ab intestato aliâs succedere potuissent, in jure favorabilis existimatur.*
10 *Hæres ut extraneus institutus, testamentum non rumpit, ut filius.*
11 *Clausula codicillaris semper testamentis inter filios conditis tacitè inest.*
12 *Testamentum clausula codicillari vallatum rumpens, quid lucretur?*
13 *Testamentum patris quare liberi implere teneantur?*
14 *In articulo mortis constituti, & sic amplius generare non valentes, matrimonium quoque contrahere prohibentur.*
15 *Tutores ad quid teneantur?*
16 *Statuta & consuetudines interpretationem à jure communi recipiunt.*
17 *Privilegio filijs competente parentes, ipsis invitis vel contra ipsos, uti nequeunt.*

CONdidit quidam testamentum, in quo duas suas filias naturales, pro duabus partibus scripsit hæredes: reliquis verò suis consanguineis, qui sibi de jure municipali debuissent succedere, aliam tertiam liberam esse voluit: quamplurima deinceps legata à prædictis suis filiabus reliquit. Quibus post conditum testamentum per subsequens matrimonium legitimatis; in dubium vertitur: Primo, an per hanc legitimationem ceu suorum hæredum agnationem, testamentum ante conditum invalidetur, & adeò invalidetur, ut legata in eo relicta non debeantur?

Secundò, an consanguinei isti, tertia sua, in qua instituti videntur, frustrari debeant contra defuncti voluntatem, præsertim cùm à curato asseratur, testatorem peste laborantem, videntemque mortis necessitatem sibi incumbere, dixisse, se ob matrimonium cum sua concubina contrahendum, nihil omnino ex testamento suo jam condito immutare velle: sed omnia, prout per eum disposita essent, velle in suo robore consistere. Tertiò, an conjunx dicti testatoris, cui tanquam concubinæ, decem libræ sunt relictæ, possit ex eo capite, quòd uxor postmodum facta est, contendere ad medietatem bonorum, ob consuetudinem vigentem in loco, quæ dictat, quòd altero ex conjugibus defuncto, superstes capit medietatem bonorum, & reliquam filij ex eodem matrimonio, si extant: vel eis non extantibus, consanguinei defuncti.

Ad quarum quæstionum resolutionem, & primò ad anteriorem quæ bimembris est, videtur prima fronte dicendum, quan-

quantum primam particulam attinet, per
1 † legitimationem testamentum sequentem testamentum ruptum: cùm negari non possit, per ejusmodi legitimationem testatori agnatos esse suos hæredes, quos præteritos rumpere paternum testamentum, dubium non est: *jurib. vulg.* Nihil autem obstare videtur (quo minus filiæ, de quibus in casu, præteritæ censeri debeant) si fortè in testamento institutæ dicantur, eoque testamentum rumpere nequire, tanquam præteritas. Quia re-
2 spondetur, non † sufficere eas esse simpliciter institutas, sed requiri, ut tanquam sui hæredes, inque ea qualitate institutæ sint, ad hoc, ut institutio valeat: *arg. l. si pater. C. de hær. instit.* ubi dicitur, quemlibet in sua qualitate institui debere, ad hoc, ut testamentum vires obtineat, quod constat in casu præsenti non fuisse observatum: testator enim cùm eas institueret, filias suas naturales eas appellavit: quapropter easdem filias, tanquam suos hæredes, patri per legitimationem agnatas, testamentum ejus, in quo tanquam sui hæredes institutæ non sunt, rumpere, de jure dicendum apparet. Quantum verò secundam attinet anterioris quæstionis parti-
3 culam; an scilicet † legata ex ejusmodi testamento debeantur, cùm testamentum id non jure factum esse ex suprà adductis constet, illaque quæ contra jus fiunt pro infectis haberi debeant, apparet, legata ista tanquam non scripta videri, eoque nec præstari debere, maximè cùm non debeantur legata, in testamento nullo relicta. *l. eam quam, C. de fideic: l. si nemo, ff. de testam. tute.* Omnibus tamen his, ut frivolis rejectis, contra de ju-
4 re dicendum existimo; testamentum † scilicet istud per filias prædictas non rumpi, & legata ex eo omninò præstari debere. Ad quam sententiam adstruendam unicus nobis sufficiet tex. *in l. filio. §. fi. ff. de libe. & posthu.* qui expressè dicit, extraneum hęredem institutum, quamvis postea suus hæres fiat, non posse rumpere testamentum, in quo tanquam extraneus institutus est: *quem tex. singularem reputant Bald. & Angel. dicentes eum probare.*
5 Quòd si quis † non cogitans effici monachus, monasterium pro parte instituat hæredem, si postea mutato proposito efficiatur monachus, sicque monasterium sibi agnascatur suus hæres, quòd nihilominus testamentum firmum ac stabile permanet, nec per monasterium rumpi poterit: quia licet mutetur qualitas hæredis, non tamen rumpitur testamentum: Sufficit enim, eum qui rupturus esset, quoquo modo inveniri institutum, *ut prędicta l. filio, §. fin. & l. si quis hęres ff. de injust. rup. irrit. test. & ibi etiam Alber. de Rosate huic sententię suum addit calculum.* Quanquam igitur filiæ prædictę non tanquam sui hæredes institutæ sint, quia tamen institutæ reperiuntur, testamentum
6 rumpere prohibentur. Nec † contrariatur huic opinioni *l. si pater, suprà alleg.* imò non meretur in diversam partem allegari, cùm nihil aliud dicat, quàm errorem testatoris credentis, eum quem instituit suum esse filium, aliàs non instituturi, vitiari institutionem, hæreditatemque eo casu in causa esse intestati: quod quàm nihil à nostra sententia discrepet, nulli non esse perspicuum arbitror. Quibus tanquam verissimis præsuppositis, stultum esset dubitare, an legata ex tali testamen-
7 to valido, debeant præstari. Quæ dato † etiam quòd ejusmodi testamentum rumpi posset ex causa præteritionis suprà allegata, adhuc tamen debentur, *vulgata Auth. ex causa, C. de liber. præter.* Ex causa enim exhæredationis vel præteritionis irritum est testamentum, quantum ad institutiones tantum; cætera namque firma permanent, ut ibi dicitur. Quare huic parti ceu parũ dubiæ, minus insistendum putavi. Accedo itaque ad secundam quæstio-

quæstionem principalem, an scilicet con-
sanguinei qui ex tertia parte hæredes
scripti sunt, hac sua parte, propter legiti-
mationem subsecutam, fraudabuntur?
In qua quidem quæstione, tametsi appa-
reat prima facie, hosce consanguineos,
parte in qua instituti sunt, frustrari opor-
tere ob suorum hæredum agnationem, &
testamenti rupturam, prout & suprà in
argumentis primæ quæstionis deductum
est: Diversam tamen partem, ceu juri
scripto æquitatique consonam, tenendam
esse arbitror: motus juribus & rationi-
bus infrà scriptis.

Primùm, non parum ad hanc partem
mihi facere videtur ipsius curati assertio,
quæ alijs prægnantibus conjecturis adiu-
ta, non dico plenam, sed certè plusquam
semiplenam probationem meritò facere
videtur. Cùm enim asserat præfatus cu-
ratus (vir omni exceptione major, dignus-
que cui fides etiam in majoribus adhi-
beatur, quemque non est verisimile suæ
salutis esse immemorem) testatorem in
extremis sibi dixisse, se, ob legitimationẽ
suarum filiarum, nihil ex testamento suo
jam pridem condito, immutare voluisse,
rem dicit multo verisimillimam. Cùm
enim alia voluntas testatoris non ex-
tet, matrimoniumque istud in extremo
mortis articulo constitutus testator cele-
braverit, eâque dum contraheret labora-
ret ægritudine, à qua reconvalescere vix
spes erat (nempe peste) quis aliud præ-
sumat, quàm solo animæ respectu eum
hoc egisse, nec ob id quicquam de dispo-
sitione sua præambula invertere voluisse?
8 Nec † multum ad rem pertinere vide-
tur, si dicatur, coram testibus id declara-
tum esse oportere, cum ea dignoscatur
esse natura ægritudinis, qua laborabat, ut
testes, etiam si maximè invitati fuissent,
metu periculi non accessissent, *arg. l. fina.
C. de testamen. cum ibi notatis per Dd.*
& *arg. l. 1. post princip.* & *ibi Bart. ff. de
bon. poss. ex testamen. milit.* Dicendum
igitur, ob memoratas rationes apparet,
testamentum ex voluntate testatoris pro-
batum, ut suprà, firmum stabileque ma-
nere debere, consanguineosque istos ter-
tia sua frustrari non oportere. Cùm fa-
9 vorabilis † multum sit in jure institutio
facta, de hæredibus qui ab intestato es-
sent successuri. *l. 2. ff. de injust. rup. ir-
rit. test.*

Quòd si quis hæc, ceu minus urgentia,
aspernetur, huic omnem prorsus ambi-
10 guitatem † adimere meritò debet, *præall.
l filio. §. fina. de lib.* & *posthu.* & *l. si quis
heres. ff. de injust. rupt. irrit. testam.* sen-
tentiæque Doctor. eas commentantium,
quorum aliquos suprà retulimus, qui
omnes in hoc recidunt (ut brevibus ab-
solvam) quòd institutus ut extraneus,
non rumpat, ut filius, ut de hoc latius su-
prà, quod solum ad has quæstiones de-
cidendas meritò sufficere deberet. Et
quamquam prædictæ ll. aliquid dubieta-
tis post se relinquerent, coadjuvat non pa-
rum *l. si ita scriptum. ff. de libe.* & *posthu.*
& ratio ejusdem legis, quæ vult, æquita-
tem in hac parte rigori præferri, etiam in
casu, ubi re vera suus hæres præteritus,
post testamentum conditum, agnascitur;
cùm major sit ratio in casu præsenti ad-
mittendi consanguineos, cùm hic filiæ se
reperiunt scriptas hæredes, quàm in ca-
su illius l. ubi præteritus se scriptum non
11 repperit. Alia † non minus prægnante ra-
tione, eisdem consanguineis succurritur,
hac scilicet; Iure cautum est, testamentis
inter filios conditis, tacitam semper inesse
codicillarem clausulam. *l. cohæredi. §.
cùm filiæ, cum sua singul. glossa per o-
mnes Dd. approbata. ff. de vulgar.* & *pu-
12 pilla. substitu.* Hæc † autem ejus est ef-
ficaciæ, ut rumpens testamentum, tali
vallatum clausula, de jure nihil sibi rum-
pendo acquirat, nisi quartam Trebelliani-
cam, restituta integra hæreditate hæredi

universaliter instituto vel parte ei, qui ex parte institutus est. Communis est hæc omnium opinio Doctorum, *in d. Authen. ex causa, C. de liber. præter.* Quamvis ergo filiæ testatoris testamentum rumperent, cogerentur semper consanguineis istis partem, in qua instituti sunt, restituere, retenta sola quarta, ut dictum est.

13 Quòd etsi † nulla lege scripta, ad implẽdum testatoris patris sui testamentum, prædictæ filiæ cogi possent, ratio tamen naturalis, filialisque pietas, impellere meritò eas deberet, etiamsi graviora jussisset genitor, ad parendum ejus voluntati, cujus (præterquam quòd erat pater, & vel eo nomine dignissimus, cui in omnibus obsequantur) tam uberem expertæ sunt beneficentiam: si vel hoc spectes, quòd naturales tantùm cùm essent, ex duabus partibus omnium suorum bonorum scripserit hæredes, cùm nec obulum relinquere eis adstrictus erat: vel illud, quòd non contentus, eas sibi scripsisse hæredes, legitimo eas etiam honestarit matrimonio. Quis hæc perpendens, judicet humanissimum patrem non plus satis fecisse, quò liberos suos sibi devinciret, obsequentesque redderet? Hosq; impensè ingratos se ostendere, indignosque qui tantũ beneficium acceperint: hoc præsertim perpenso, quòd eis qualiter qualiter, at certè satis voluntas paterna cognita est, quam manibus pedibusque implere satius eis esset, quàm hisce controversijs multorum sibi invidiam conflare, occasionemque suis æmulis præbere, legitimationem etiam impugnandi, tanquam ab eo factam, qui morti proximus erat,

14 nec amplius generare poterat, cujus † generis homines matrimonium contrahere non posse constat, *teste Bald. in l. sed est quæsitum. ff. de liber.* & *posthu.* sicque totum amittant, qui totum volunt. Etsi †

15 hujus adhuc ætatis sint filiæ hæ, ut gratitudinis ingratitudinisve, æquive aut iniqui judicium, earum non capiant animi, parum probè suo officio fungi tutores dici possunt, qui hasce lites inceptarunt, tam bonis, quàm animis pupillorum perniciosas. Cùm tamen scire debeant, non tam facultatibus eorum conservandis augmẽtandisque, quàm animis bonis ac sanctis moribus opinionibusque imbuendis præfectos sese esse, *celebratissima l. cùm plures. §. cum tutor. ff. de admin. tut. l. tutores, cum sua gl. C. de excusat. tutor,* & *§. certæ rei. Institut. qui tutor. testa. dari poss. cum simil.*

Ad tertiam quæstionem respondetur per prædicta, quòd dicta focaria, nunc conjunx, nihil ultra legatum prætendere potest, *jurib.* & *rationib. præalleg.* Nec †

16 obstat consuetudo, de qua suprà; quia illa locum habet, quando aliter non est conventum per contractum antenuptialem, vel per ultimam voluntatem, quæ de jure approbatur, ut in casu subjecto. Omnia enim statuta & consuetudines recipiunt interpretationem à jure communi. *cap. cùm dilectus,* & *c. ad audientiam, de cler. non resident.* & *l. 2. ubi Bald. Salic. in repet.* & *alij ibi scribentes, C. de noxal.*

17 *actio.* maximè cùm † dicta focaria non possit uti beneficio, sibi competente ex persona filiorum, vel propter ipsos filios legitimatos contra ipsos filios ipsis invitis, *l. si judex circumvento, ubi tex. sing. ff. de minor.* Et tantò minus, quia testamentum, per legitimationem subsecutam non est in aliquo immutatum, ut declaratum & probatum est suprà.

Concludendo itaque dico, testamentũ, de quo est quæstio, firmum validumque esse, nec per legitimationem subsecutam ruptum: nec consuetudinem, de qua suprà, in hoc casu locum habere, omniaque in eodem contenta, effectum suum sortiri debere: melius sentientium sententia semper salva.

CON-

CONSILIUM CCXXXV.

SVMMARIA.

1 *Generalis promissio non extenditur ad ea, de quibus verisimiliter non fuit cogitatum*, & *num.* 17.

2 *Impensę aliæ sunt necessariæ, aliæ utiles.*

3 *Promittens procurare fratres alicujus domus, ad quid teneatur?*

4 *Nummis indistinctè legatis, exiguiores debentur.*

5 *Nemo se in infinitum obligare voluisse presumitur: nisi ex juris dispositione, vel partium conventione aliud habeatur, et num.* 52.

6 *In generali promissione mediocritas spectanda est*, & *num.* 53.

7 *Verba generalia qualiter intelligēda?*

8 *In promissionibus pro omisso habendum est, quod expressum non reperitur.*

9 *Promissio generalis tacitam in se conditionem habet, si res in eodem statu permanserit, ut num.* 10. & 11.

12 *Privilegium exemptionis, Abbati pro se, monasterio suo* & *omnibus capellis concessum, ad alias novas postea acquisitas capellas derivari nequit*, & *num.* 41. & 59.

13 *Immunitas castro cum suis villis data, non extenditur ad villas, post privilegium acquisitas.*

14 *Argumentum ab ultima voluntate ad contractus in jure validum est.*

15 *In ultimis voluntatibus tempus conditi testamenti inspicitur. Similiter in contractibus observatur.*

16 *Verba ambigua, contra eum qui super illis se fundat, interpretanda sunt.*

18 *Servitus ducendi aquam, pro rigandis prędijs alicui concessa, non extenditur ad prędia, posteà de novo acquisita.*

19 *Gratia expectativa ad beneficium vacaturum, non porrigitur ad beneficium, post datam gratię creatum.*

20 *Clausula sequens an ad præcedentia referri debeat?*

21 *Ad officium prælati vel administratoris quę pertineant?*

22 *Ignorare ea quę omnes sciunt, nemo presumitur.*

23 *Alienatio rei ecclesiasticæ pro exiguo censu vel pensione facta, non valet.*

24 *Interpretatio fieri debet, ut res potius valeat, quàm pereat.*

25 *Sufficiens dicitur esse illud, quod ad actus perfectionem alio non indiget adminiculo.*

26 *Arbitrio stipulatoris quando res commissa censeatur?*

27 *Conjunctiva interdum pro disjunctiva accipitur, quando materia subjecta illud requirit.*

28 *Claus.* prout volueris, *liberam voluntatem importat.*

29 *Claus.* pro voluntatis suæ libitu, *quid importet?*

30 *Monasterium nunquam moritur.*

31 *Privilegium, uni ecclesię pro retinendis decimis episcopalibus concessum, extenditur etiam ad prędia postea acquisita.*

32 *Generalis dispositio, per nomen universale seu collectivum facta, augmentum etiam de futuro superveniens comprehendit.*

33 *Bonorum appellatione veniunt etiam bona postea acquisita*, &c.

34 *Privilegium abbati* & *conventui concessum, quod possint familiares suos ad divina tempore interdicti admittere, qualiter intelligendum?*

35 *Privilegium indeterminatè loquens, indeterminatè intelligi debet.*

36 *Promittens luminibus vicini non officere, tam futuris quàm pręsentibus officere nequit.*

37 *Fundo cum mancipijs legato, mancipia quoque, post testamentum conditum à testatore fundi colendi causa introducta, debentur.*
38 *Fictio pro falsa causa reputatur.*
39 *Privilegium episcopo ad percipiendos beneficiorum fructus concessum, quomodo intelligendum?*
40 *Privilegium ecclesijs concessum, an extendatur ad ecclesias post concessionem privilegij extructas.*
42 *Pax duarum civitatum sub certa pœna pro se & subditis facta, extenditur ad villam, quæ postea se alteri istarum civitatum submisit.*
43 *Privilegium exemptionis super decimis vel collectis non solvendis, ad prędia etiam post concessionem immunitatis quęsita porrigitur. Ampliatur, &c.*
44 *Privilegium, cuidam officio super non solvendis gabellis datum, qualiter interpretandum?*
45 *Promissio de recipiendo aliquem cum sua familia, quomodo intelligenda?*
46 *Magnus non dicitur excessus, qui dimidium totius non excedit.*
47 *Ex contractu æqualiter se ad lucrū & damnum habente, promissor deceptus non censetur, licet damnum postea superveniat, & num. 48. & 49.*
50 *Familię appellatione, etiam venit familia aucta.*
51 *Fortunę instabilitati se committens, damnum eveniens sibi imputare debet.*
54 *Intellectus* l. damni lati. §. si is qui, de damno infect.
55 *Verba pręsentis temporis, ad futurum non trahuntur.*
56 *Intellectus* c. quando de censib.
57 *Familia morte patrisfamilias augeri desinit.*
58 *Servitus an futuro prędio acquiri possit?*
60 *Privilegium, concernens præjudicium tertij, strictè interpretari debet.*
61 *Dispositio particularis ad futura non extenditur.*

CHristi redemptoris invocato præsidio. Visis diligenter & maturè ponderatis quinque literis scabinalibus super quodam contractu prius emphyteutico, demum censuali, confectis, & mihi ex parte Reverendiss. in Christo patris & Domini D. Abbatis sancti Michaelis in Antverpia ordinis Præmonstratens. transmissis, eisdem literis scabinalibus pro casu præsuppositis: Videtur mihi tota difficultas ex dictis literis scabinalibus surgēs, principaliter consistere in duobus punctis, seu quæstionibus. Primus punctus seu prima quæstio est, an non obstante, quòd calx nunc est longè carior, quàm fuerit tempore contractus, & quàm fuerit pristinis tēporibus, non obstante etiam, quod Reverendiss. Dominus Abbas, lator fundi ac domistadij censualis, multa nova ædificia construat, & longè plus & sumptuosius ædificet, quàm sui prædecessores soliti sunt facere, ante & post tempus antedicti contractus, censuarius nihilominus, vel dictum domistadium possidens, possit cogi & compelli ad calcem deliverandum sufficientem, nedum pro refectionibus antiquorum ædificiorum, sed etiam pro novis ædificijs, quæ dictus dominus Abbas ad præsens construit, & cōstructurus est in posterum, quodlibet fertellum, juxta formam contractus, pro quatuor denarijs Lovaniens. an verò non possit compelli? Secunda quæstio est, an præsupposito, quod dictus censuarius, vel domistadium censuale possidens, teneatur juxta formam contractus, ad calcem sufficientem etiam pro novis ædificijs, deliverandam pro precio convento, scilicet quatuor denarijs, an hoc etiam extendatur ad ædificia per dictum Dominum

minum Abbatem de novo constructa, seu in posterum construenda in feudis, post celebratum dictum contractum censuarium acquisitis, seu in posterum acquirendis?

Et videtur ad primam quæstionem
1 prima facie dicendum, quòd dictus† censuarius, seu domistadij possessor, non obligetur vel teneatur quoquo modo ex præfato contractu, dicto domino Abbati hoc casu deliverare calcem sufficientem, præcipuè ad nova ædificia construenda pro precio convento, scilicet quatuor denarijs Lovaniens. per jura & rationes infrà scriptas: In primis, quia de caritate seu charistia calcis non videtur præfatus censuarius promissor cogitasse, quia neque tenebatur, neque poterat hoc divinare. *l. si putator. ff. ad l. Aqui.* & *c. ut nostrum, ut eccles. benefic. &c.* & *facit ratio. c. potuit, cum materia sua de remissione pensionis, de locat.* & *cond.* Neque etiam verisimile est, eum cogitasse de novis ædificijs, per præfatum dominum Abbatem construendis, propter illam clausulam, in antiquis literis scabinalibus per contrahentes quoad hoc approbatis, quando & ubicunque locorum necesse, esset: & in novissimis literis contractus censualis, **Te weten es van elcken viertelen calx die 'tgodeshuys behoeven sal** id est, Nempe pro unoquoque fertello, quo ædes sacra indigebit, &c. Tota autem novorum ædificiorum constructio non videtur necessaria, licet forte sit utilis: modò
2 sic est, quòd † aliæ sint necessariæ impensæ, aliæ verò utiles, *l. 1. cū seqq.* & *l. quod dicitur. §. fi. cum l. seqq. ff. de impen. in re. do. fact.* & *l. impensæ. ff. de verbor. signif.* Unde iniquum videtur, censuarium promissorem hoc casu teneri; quia generalis promissio non extenditur ad ea, de quibus non fuit cogitatum. *l. emptor prædij. §.*
3 *Lucius Titius. ff. de pact. cum sim.* Hinc † est, quòd qui promisit procurare fratres alicujus domus, non tenetur eos procurare, qui postea recepti sunt ultra numerum, qui erant tempore promissionis, *tex. est in c. quanto, de censi.* cujus ratio est, quia nimirum gravaretur promissor, qui de supernumerarijs nihil cogitavit: ergo idem erit in proposito eadem ra-
4 tione: nam † in obscuris minimum est sequendum, *regula, in obscuris, de reg. jur. lib. 6.* & *l. semper in stipulationibus, ff. de eod.* & ideo nummis indistinctè legatis exiguiores debentur. *l. nummis. ff. de legat. 3.* quæ maximè procedunt in casu
5 nostro: quia † verisimile est, quòd si dictus promissor interrogatus fuisset, noluisset se ad ea obligare. Hoc autem spectandum est, quod verisimilius est. *l. in obscuris. ff. de reg. jur.* & *c. inspicimus eod. tit. lib. 6.* Et licet fortasse dici posset, propter generalitatem illorum verborum, *Vbicunque locorum necesse fuerit, vel videbitur ipsis expedire, aut ubicunque eis placuerit*, promissorem satis sensisse de novis etiam ædificijs, tamen non videtur ex illis verbis, in infinitum se voluisse obligare, *arg. optimum, in l. fideicommissa. § si quis 10. ff. de lega. 3.* & *l. qui bona. §. fin. ff. de dam. infect.* & *facit c. sedes apostolica. de rescrip.* & *c. licet dilectus, de test. cum sim.* Sed tantummodo
6 † ad mediocrem ædificationem, vel constructionem novorum ædificiorum, qualis regulariter fieri solet, *arg. in l. sciendum. §. illud sciendum. ff. de ædil. edict.* ubi dicitur, quod si quis promisit artificem, non tenetur perfectum artificem præstare, sed tantummodo mediocrem; quia in talibus generalibus promissionibus mediocritas est spectanda: hinc etiam legatarius, cui permittitur jure optio, non potest optimum eligere, sed tantùm mediocre. *l. si duobus. §. sed etsi quis C. comm. de legat.* media enim via est eligenda, *Insti. quib. ex cau. manu. non licet. §. fi. cum sim.* Et sicut nec delicatus debitor, ita nec o-

nerosus creditor audiri debet. *l. si servos.*
7 *de pig. act.* Licet enim verba generalia † generaliter debeant intelligi, tamen hoc debet fieri civili modo, ne nimium lædatur promissor. *l. si cui. ff. de servit.* & *facit d. §. sed etsi quis.*

Pariformiter ad secundam quęstionem videtur multò magis negativè respondendum, & consulendum contra prefatos dominos Abbatem & Conventum stipulatores, in favorem dicti censuarij promissoris, ut scilicet ipse non teneatur deliverare calcem pro precio convento, ex vi præfati contractus, ad ædificationem seu constructionem novorum ædificiorum, in fundis, post contractum prædictum hactenus acquisitis, vel in posterum acquirendis, *per jura* & *rationes sub seqq.*

8 In primis; quia † hoc non fuit in promissione & literis scabinalib. desuper cõfectis expressum: ergo pro omisso habendum est. *l. triticum,* & *l. quicquid astringendę. ff. de verb. oblig.* Item, quia stipulatio damni infecti simpliciter interrogata, non refertur ad domum post stipulationem interpositam acquisitam, *l. damni la. 1. §. si is qui vicinas. ff. damn. infect.* nec remissio decimarum ad bona postea acquisita. *c. suggestum de deci.* Sic & legato fundo cum instrumentis, non veniunt instrumenta, quæ post tempus testamenti reperiuntur esse instrumenta illius fundi, nisi hoc expressum fuerit. *l. Iulianus. §. fin. cum l. seq. ff. de legat. 2.* Et si quis legat uxori suæ, quicquid ei vivus dedit, usibusve ejus comparavit: quod post factum testamentum uxori testator donavit, legato non continetur. *l. uxori. § 1. ff. eodem, de legat. 3.* Ergo idem erit in proposito, maximè cum, ut suprà dictum est, generalis promissio non extenditur ad ea, de quibus non fuit cogi-
9 tatum: & in † omni promissione intelligitur illa conditio, si res in eodem statu permanserit. *cap. ne quis arbitretur, circa fin. 22. q. 2.* & *l. cùm quis, in princ. ff. de solut.* Nec videtur de isto amplius esse disputandum, cùm sit casus expressus, *ut apparet in d. c. quanto, de censi. quem suprà*
10 *retulimus, ubi etiam tenet Host.* quòd † vasallus qui recepit feudum, & promisit domino machinare vel molere ad molendinum ipsius, quantum erit necesse pro ipso & ejus familia, quod familia aucta
11 non teneatur, *per illum tex.* & *ad † idem est quędam notabilis decisio Bart. Brix. post Py.* & *Tancret. in quæst. 50. incip. Quidam paterfamilias pactum fecit cum Abbate, &c.* ubi notabiliter decìdit, quòd si aliquis pater familias fecit pactum cum Abbate aliquo, de consensu capituli, ut quoddam molendinum sibi & familiæ suæ perpetuò moleret, certa pensione constituta, nec in hoc fuit ecclesia decepta: si postea tempore procedente paterfam. decesserit, pluribus filijs relictis, quorum quilibet cœpit habere familiam æquè magnam, ut paterfam. habebat, si quilibet eorum transmittat ad molendinum, Abbas vel monasterium non tenebitur hæredibus ultra, quàm tenebatur defuncto, & tantum molet omnibus hæredibus, quantum molebat defuncto: quia non est verisimile, quòd monasterium se in infinitum obligaret, *jurib. præall.* & *l. si quis vina, circa fin. de peric.* & *commo. rei vendit.* ad idem facit, quia hic videtur constituta servitus calcis coquẽdæ. *Institu. de servit. rust.* & *urba. prædio. § inter rusticorum.* Sed nulla servitus potest constitui absque prædio. *l 1. ff. comm. prędior. cum sim.* Ergo cum fundi noviter empti non fuerint stipulatoris, Abbatis scilicet, & conventus suprà dicti, tempore contractus, non potest videri eis servitus deberi ex illo contractu. Præterea, si † Abbas aliquis impetravit privilegium exemptionis pro se, monasterio suo, & omnibus capellis, si tempore succedente idem

te idem Abbas acquiſivit novas capellas, prioribus non acceſſorias, & quæ ſe habeant principaliter ab illis omninò ſegregatæ: illæ novæ capellæ non erunt exemptæ: *ita notabiliter gl. ordin.* & *clarius Hoſtien.* & *alij, in cap. cum capella, per illum tex.* & *quædam alia jura, de privileg.* per quæ etiã jura motus Guido de Suza, *quem refert* & *ſequitur Ioan. And. in additio. ad Specu. tit. de cenſib.* §, *nunc dicendum*, in additione magna tenet, quòd
13 † immunitate data alicui caſtro cum ſuis villis, non cenſetur data immunitas villis, poſt privilegium acquiſitis; & tamen utrobique videbatur ſubeſſe major ratio extenſionis, quàm in caſu noſtro: quia beneficium principis eſt latiſſimè interpretandum. *l. fi. ff. de conſtitu. princ.* & *c. cum dilect. de donat.* ergo, &c. Item ab
14 † ultima voluntate ad contractus bonũ eſt argumentum, ubi eſt eadem ratio. *l. pactum inter heredem. ff. de pact.* Sed in caſibus noſtro caſui per omnia ſimilibus, in
15 † ultimis voluntatibus inſpicimus tempus conditi teſtamenti, ut ſuprà patuit, & *eſt optimus tex. in l. ultima.* §. *Cajo. ff. de libera. leg.* & *in l. medico, in princ. ff. de auro* & *argen. leg.* & *l. ult.* §. *qui indiviſam. ff. de leg, 2.* ergo idem erit in contractibus, ut inſpiciatur tempus celebrati contractus, in quo ſtatu tunc res fuerint: & pro hoc videtur tex *in l. cùm ſtipulamur. ff. de verb. obl.* ubi dicitur, cùm ſtipulamur quicquid te dare facere oportet, intelligimur ſtipulati, quod præſenti die debetur: & ſi ſimpliciter ſtipulemur aquæductum, intelligitur de aquæductu, qui nunc eſt, & non de inventa aqua ducenda. *l. penult.* & *ult. ff. ſi ſervi. vendi.* Hinc eſt, quòd ſi quis concedat alicui fundum, ut in eo ædificet domum, in qua eum recipiat cum quinq; hominibus: ſi poſtea ædificet in eodem fundo adhuc unam domum, non tenebitur tamen plures, quàm quinque recipere, niſi aliud ſit actum: ſimiliter, ſi domus antiqua corruit & ædificet aliam, liberatus eſt ab obligatione recipiendi quinque homines, *ita decidit gl. ordin. in d. l. damni. l. 1.* § *ſi is qui unas, in verbo, promiſſionis. ff. de dam. infecto*, quæ debet inſpici tempus contractus, *ut ſuprà deductum eſt*, & *eſt tex. apertus in l. Rutilia Pollo. ff. de contrah. empt.* ubi dicitur, quod ſi quis emit lacum aliquem, & circa eum pedes decem, non propterea decem illi pedes dicuntur eſſe ſub aqua, quia lacus crevit, & idem in ſimili dicitur. *l. in lege. ff. eod.* & *l. nam* & *Servius.* §. *ſi vivo. ff.*
16 *de neg. geſt. cum ſim.* Præterea non † videtur ſaltem negari poſſe, quin verba dicti contractus, quoad id de quo quærimus ſint ambigua: ergo fieri debet interpretatio contra eos qui ſe fundant ex præfato contractu, ſeu ex pactis in eo poſitis. *l. veteribus. ff. de pact.* & *l. ſtipulatio iſta.* §. *in ſtipulationibus.* & *dicta l. quicquid aſtringendæ. ff. de verb. oblig.* & *cap. ex literis, de ſponſalib.* Ergo fieri debebit interpretatio contra dominum Abbatem & Conventum ſtipulatores, qui ſe fundant ex pacto, appoſito in dicto contractu cenſuali, & non contra cenſualium promiſſorem; quia cùm ſint partium jura obſcura, & *c. regula, cùm ſint, de reg. jur. lib. 6.* &
17 *l. favorabiliores. ff. eod.* Nam † ſi aliud decreverimus, ſequetur, quòd eſſet in poteſtate ſæpè dictorum ſtipulatorum, promiſſorem eludere, & eundem maximo damno afficere, in infinitum augendo poſſeſſiones & ædificia ſua, contra omnem æquitatem, quod eſſet abſurdum dicere, *arg. l. 2. ff. quod vi aut clam*, & *l. nec in poteſtate. ff. de arbitr.* maximè, cùm, ut ſuprà dictum eſt, præfatus promiſſor nec debuit divinare, quòd antedictus dominus Abbas ſtipulator, conſtructurus eſſet tot nova ædificia, non ſolùm in antiquis prædijs, ſed etiam in poſtea comparatis, unde non debet generalis obligatio ad illa extendi,

ut no-

ut notatur per Petr. Cyn. & *Bart. in l. fina. C. quæ res pigno. oblig. poſſ.* & *per eundem Bart. in l. ſi ita. ve›ſic. ſecundo eſt videndum, per illum tex. ff. de auro* & *argent. legat. quæ lex videtur fortiter ſtrin-*
18 *gere,* & *pro † hac parte videtur etiam bonus tex. cum gl. in l. non modus. C. de ſervitu.* & *aqua.* ubi ſi conceſſiſti mihi ſervitutem ducendi aquam, pro rigando prædium meum, vel prædia mea, & poſtea prædium meum augmentavi, vel alia prædia de novo quæſivi, adeò quòd volo ducere aquam, vigore dictæ ſervitutis, certè non poſſum. & ideo ibi inferunt Pet. & Cyn. quòd ſi ruſticus promiſit, dare cuilibet Canonico ſancti Petri, pro anniverſario decem, & tempore promiſſionis non erant niſi decem canonici, & poſtea ſint viginti, an cuilibet debeantur decem? & concludunt, quòd non: quia tempore promiſſionis non poterat ruſticus prævidere, quot futuri erant canonici, *per d. l. non modus, cum gloſ.* & *per d. l. damni lat. §. ſi ii, qui unas.* Et iſta deciſio videtur multum ſtringere ad propoſi-
19 tum, † cui addit text. *in Clemen. literas, de reſcrip.* ubi dicitur, quòd gratia expectativa ad beneficium vacaturum, non extenditur ad beneficium, poſt datum gratiæ creatum.

In contrarium tamen, his omnibus non obſtantibus, quæ videntur apparentiam quandam habere ad utramque quæſtionem, videtur mihi de jure dicendum, reſpondendum, & conſulendum, prout ſequitur. Ad primam itaque quæſtionem (ſalvo cujuſq; melius & rectius ſentientis judicio) videtur mihi, præfatum promiſſorem ex pactis, in contractu cenſuali interpoſitis, teneri & obligari ad prædicto domino Abbati & Conventui ſancti Michaelis, deliverandam calcem ſufficientem, non ſolum pro refectione & reparatione antiquorum ædificiorum, ſed etiam pro novorum conſtructione, quæ dictus dominus Abbas, pro utilitate ſua & cõventus prædicti, ad præſens conſtruit, & in poſterum conſtructurus eſt, juribus, motivis, & rationibus infrà ſcri-
20 ptis. Prius † tamen præmittenda eſt clauſula illa in contractu cenſuali, contenta in ultima litera ſcabinali, in qua ſic habetur, Voertane es voerwaerdt/ waert ſake dat opte voerghenoemde erve cenighe calckoven / oft calckovenen gemaeckt ofte ghetimmert worden/ ofte worde/ dat dan die ſtaen ſullen/ eñ eewilijck blijven ſtaen/ 'talſulckẽ laſte als die calckovenen doen/ die nu aldaer ſtaen/te weten es van elcken viertel calx/ die 'tgodshuys behoeven ſal tot hoer oerbare/dat man daer af gheven ſal vier penninghe Lovenſche/ ende niet meer/ ghelijck d'oude brieven/vanden voergenoemde calckoven gemaeckt / wel verclaren. Id eſt, Prætetea cautum eſt, ut, ſi in fundo prænominato, ullum vel ulla, facienda calcis ædificium vel ædificia extruatur extruanturve, ea deinde perpetuò manere debeant, ſic, ut pro unoquoq; calcis fertello, quatuor, & non amplius, denarij Lovanienſes, qua penſione ſolvenda, præſentia quoque tenentur ædificia, ad ædis ſacræ neceſſitatem ſublevandam ſolvantur: ut literæ vetuſtiores ſuper ea re factæ, clarè teſtantur. Ubi diligenter notanda eſt illa clauſula finalis, Ghelijck d'oude brieven/ ꝛc. id eſt, ut literæ vetuſtiores, &c. Ex qua ſequitur, non ſolum debere attendi in propoſito, quid cenſuarius promiſſor his noviſſimis literis, domino Abbati & Conventui promiſerit, ſed etiam quid in præcedentibus literis ſcabinalibus prædeceſſores ſui cenſuarij & emphyteutæ promiſerunt: *facit optimè textus in Auth. ſi quis in aliquo. C. de eden.* Sequitur etiam dictam clauſulam, gelijck d'oude brieven / ꝛc. Id eſt, ut literę vetuſtiores, &c. referri debere ad id,

quod

quod suprà dixit, **van den calck die 'tgodshuys behoeven sal tot hueren oorbare.** Id est, de calce, ad ædis sacræ necessitatem sublevandam. Et non ad id, quod dixi de quatuor denarijs, quia sicut ex antiquis literis patet, pro quolibet fertello debebunt dari quatuor denarij cum obulo, & sic esset contrarietas; ergo oportet hanc clausulam, **Gelijck d'oude brieven &c.** id est, ut literæ vetustiores. &c. referre ad præcedentem, sed non proximam *cap. ecclesia vestra, el.2.de elect.* His præmissis, superest, responsionem meam ad primam quæstionem juribus & rationibus corroborare.

In primis ergo sic probo conclusionem
21 suprà positam,: quia † ad officium boni prælati vel administratoris, non solùm pertinet acquisita conservare, *ut notatur in l.decernimus, C. de sacros. eccles.* & *l. non est ignotum. C. de admin. tutor:* Sed ad ejus officium etiam pertinet nova acquirere, multò magis antiqua bona meliorare, imò tenetur prælatus de suo, sicut tutor, si potuit aliquid acquirere ecclesiæ, & neglexit, *ita dicit Panorm.in cap.si de terra, in 3. notab. de privil. per l. quicquid, C.de arbit.tute.* Non est ergo verisimile, dictum promissorem non cogitasse de novis ædificijs, per dictum dominum Abbatem stipula-
22 torem construendis. Cùm † nemo præsumatur tam stolidus, qui ignoret, quod omnes homines sciunt, scilicet, Prælatum vel administratorem non esse dominum rerum ecclesiæ, vel communitatis, sed administratorem solùm, *cap. Abbati, 54.dist.* & *cap.2. de donat.junct.notat.per Bart.* & *Dd. in l. quod Nerva. ff. de poss.* & *in c.1.ab excommunicato, de rescript.* quemadmodum de tutore dicimus.*l.qui fundum.§.si tutor.ff.pro empt.* Et per consequens, debere antiqua bona reservare, & nova etiam acquirere; er-
23 go,&c. Item,† ex parvitate seu exiguitate pensionis, seu verius census, qui solum est duorum solidorum Lovaniensium, & nunquam fuit major, quàm sex solidorum Lovaniensium; clarè convincitur, tam dictum dominum Abbatem stipulatorem, quàm censuarium promissorem, cogitasse de novis ædificijs, & non solùm de refectione antiquorum ædificiorum. *facit cap.* & *si quæstiones, de Simon.* & *est bonus textus ad propositum in l. fundi partem ff. de contrah. emptio.* quia non est verisimile, quod dominus Abbas dedisset terram præfatam, quæ est 60. pedum, vel circiter, cum domistadio, ad coquendam calcem, pro tam parva pensione vel censu, & tam parvo onere, imò non valuisset talis alienatio: *argum. textus in Authen.de non alienan. aut permutan.rebus eccles. §. si vero amicus eccle-*
24 *siastici,collat.2.* sed † sic debet fieri interpretatio, ut res potius valeat, quàm pereat.*l.quotiens. ff. de reb.dub.* & *cap. intelligentia, circa fin. de verb. signif. cum sim.* ergo, &c. Item, ut ex novissimis literis censualibus, junctis antiquis literis scabinalibus patet, quòd dictus promissor censuarius, vel ejus prædecessores, quorum ipse obligationem innovavit, promisit & promiserunt domino Abbati & conventui prædictis, seu monasterio, dare seu deliverare calcem sufficientem, ad usum & utilitatem dicti monasterij, quamlibet fertellam pro quatuor denarijs: sed calx, quæ est sufficiens ad refectionem antiquorum ædificiorum, non est sufficiens ad usum & utilitatem dicti monasterij: ergo deliverando calcem sufficientem ad refectionem tantum, non liberabitur dictus promissor. Minor
25 probatur, quod † illud dicitur sufficiens, vel sufficere, quod ad perfectionem actus non indiget alio adminiculo, *cap.1.* & *ibi hoc notat Panorm. post Ioan. And. in 8.notab.de posthu.præla.* & *cap.sacrũ, quod metus causa,* & *est gloss. notab.* quæ

quæ tacitè hoc sentit, in cap. statutum, in princ. in verb. canonicis, de rescrip. lib. 6. Sed ad perfectionem utilitatis dicti monasterij, non sufficit reformare antiqua ædificia, licet hoc fortasse sufficeret ad perfectionem necessitatis. Ergo non sufficiet hoc casu deliverare calcem, solum
26 sufficientem ad refectionem. Item † promissor commisit arbitrio domini Abbatis stipulatoris modum ædificandi, ex illis verbis, quæ in antiquis literis inveniuntur, *ubicunque locorum necesse fuerit, & ipsis videbitur expedire.* hoc enim important illa verba: *ut est de hoc text. in cap. pastoralis, & quæ ad hoc notat Barbat. in repetitio. de causa possess. & proprie. & in cap. 2. in fine, & ibi Ioan. And. in novella, de juram. calum. lib. 6.* Ergo potuit dictum monasterium nova ædificia construere, & calcem sufficientem pro dictorum ædificiorum constructione à præfato promissore, seu præfati domistadij
27 possessoribus exigere. Nec † potest dici, quòd copula, &, in præfatis verbis impediat sensum quem ponimus, & quòd debeat hæc clausula intelligi, ut sit sensus, ubicunque locorum, &c. id est, ubicunque hæc duo concurrent, scilicet, necessitas monasterij, & voluntas ædificandi: quia ad veritatem copulativæ, &c. *§. pen. Instit. de here. instit.* quia secundum hoc verba illa, & ipsis videbitur expedire, nihil operarentur; quod non est dicendum, *cap. si Papa, de privil. lib. 6.* Nec est inconveniens, quòd conjunctiva pro disjunctiva accipiatur, quando subjecta materia hoc requirit. *l. sæpe. ff. de verb. signifi. juncto cap. solitæ, de major. & obed.* Idem etiam importat illa clausula, in alijs literis scabinalibus antiquis contenta, scilicet, *secundum quòd dictis religiosis*
28 *placuerit*, sicut dicimus de † clausula, *prout voluerit*, quæ importat liberam voluntatem. *secundum Dom. Anton. & Barba. in c. 1. de constitu. & Bart. in l. si sic. ff. de lega. 1. & in extrav. ad reprimendum, Bald. in l. voluntatis. C. de fideicom. gl. in c. Abbate, versic. personam idoneam, & quæ notat ibi Panorm. de verb. signif. & Imo. in Clemen. sæpe, in verbo defensionis, 62. col. versic. ultimo, quærit hic Ioannes de Ligna. de verb. signific.* Idem,
29 † etiam dicimus in hac clausula, *pro libito suæ voluntatis, secund. Panor. in cap. ex parte, de consuet. & cap. dilectus, de sequest. possess. & fructus, in Clem. unica. de excess. prælator.* quæ omnes clausulæ sunt satis synonymæ. Ad secundam autem quæstionem pariformiter mihi videtur (salvo semper cujusque melius sentientis judicio) præfatum promissorem ex pactis in contractu censuali appositis, teneri & obligari ad prædictis domino Abbati & conventui deliverandam calcem sufficientem, non solum pro novis ædificijs in antiquis fundis, seu prædijs constructis seu construendis, sed etiam pro novis ædificijs, quæ in novis prædijs, post cõtractum censualem celebratum, & pacta sæpè dicta inita ad præsens construuntur, vel in posterum construentur: juribus & rationibus infrà scriptis.

In primis, quia promisit censuarius deliverare calcem, **die 'tgodshuys behoeven sal**/ fertellum quotlibet, &c. Ergo cessat quæstio, utrum appellatione bonorum, hoc casu comprehendantur bona,
30 post contractum initum acquisita, quia † monasterium non moritur. *cap. quoniam Abbas, de officio delega. & est textus apertus in l. forma. §. quanquam. ff. de censib.* Et istud maximè procedit, quia hic reperiuntur verba futuri temporis, scilicet, **behoeven sal**/ *l. si ita fuerit. ff. de legat. 3.*
31 Secundò, idem † probatur per id, quod habetur *in c. quia circa, & quod ibi plenè notatur, de privileg.* ubi privilegium concessum uni Ecclesiæ, super episcopalibus decimis retinendis, extenditur etiam ad possessiones, seu prædia postea acquisita, ne ea-

ne eadem res diverſo jure cenſeatur. Er-
go in caſu noſtro, licet dictus promiſſor
ſimpliciter promiſiſſet monaſterio præ-
fato, deliverare calcem ad utilitatem bo-
norum ſuorum, tenetur tamen delive-
rare, non ſolum pro ædificatione ſeu
conſtructione ædificiorum in antiquis
fundis, ſed etiam in novis poſtea ac-
quiſitis. Tertiò, pro hoc facit, quia u-
32 bi † diſpoſitio generalis fit per nomen
collectivum ſeu univerſale, comprehen-
dit etiam augmentum ſuperveniens de
futuro. *l. peculium, in princ. ff. de le-
gat.2. l. grege. ff. de pignor. l. grege. ff.
de legat. 1. l. penult. ff. de fundo inſtr.*
33 Sed ita fuit in propoſito, nam † verbum,
bona, eſt verbum collectivum, recipiens
augmentum & diminutionem, ſicut hoc
verbum, *peculium*, & hoc verbum,
*grex. l. fina. C. quę res pignor. oblig. poſſ.
& l. fina. ff. de legib.* Ergo in propo-
ſito, appellatione bonorum continebun-
34 tur bona poſtea acquiſita. Quarto, †
pro hoc adduco notabil. deciſionem Ioan.
And. *in reg. qui ſentit, de reg. jur. lib. 6.
in mercurialib.* cujus deciſio optimè fa-
cit ad caſum noſtrum: Nam quærit i-
pſe, quid ſi Abbas & conventus habent
privilegium, quòd poſſint admittere
familiares ſuos ad divina tempore in-
terdicti, an familiares recepti poſt pri-
vilegium comprehendantur? Et arguit
pro & contrà, & ſolvendo concludit,
quòd aut novi familiares in locum pri-
morum deficientium vel decedentium
ſunt aſſumpti, poſt dationem privilegij,
& comprehendentur, *cap. eccleſia ſanctę
Mariæ, 1. & 2. ut lite pendente, & l. ſi
eum. §. qui injuriam. ff. ſi quis cautio.*
melius facit, licet ipſe non alleget. *l. ſervi-
tutes. §. ſi ſublatum. ff. de ſervit. urban.
prȩd.* Aut novi familiares ſunt adjuncti
primis, & tunc diſtinguit, aut adjunctio
eſt facta ex juſta cauſa, puta, quia auctum
eſt monaſterium monachorum, & auctæ
ſunt facultates, ita quòd major familia
neceſſaria eſt, tunc adjuncti gaudebunt
35 privilegio: Quia privilegium † indeter-
minatè loquens, indeterminatè debet in-
telligi. *c. ſi euangelica, 56. diſtinctione, &
cap. conſuluiſti. ea. quę de cauſa, & ibi not.
36 2. quęſt. 5. & d. c. quia circa: & pro † hoc
etiam adducit l. ſi ſervitus. ff. de ſervitut.
urban. prȩd.* ubi dicitur, quòd qui ſimplici-
ter & indiffinitè promiſit, luminibus vici-
ni non officere, non ſolum præſentibus lu-
minibus officere non poteſt, ſed nec futu-
ris. *concordat etiam tex. in d. l. forma. §.
quanquam. ff. de cenſib. & d. l. fin. §. Cajo.
37 ff. de libera. lega. & l. ſi mancipia.* † *in
princ. ff. de fund. inſtr.* ubi dicitur, quòd
legato fundo cum mancipijs, cedunt le-
gato mancipia, quæ colendi fundi cauſa
teſtator ibi poſt teſtamentum induxit: &
per alia jura de quibus ibi per eum. Si au-
tem adjunctio familiaris fuerit facta ex
nuda voluntate, & tunc illi novi familia-
res non continebuntur, nec gaudebunt
38 hoc privilegio: quia fictio † eſt falſa cau-
ſa, & reprobatur in talibus, *c. fin. de verb.
ſignif. lib. 6. & c. tuarum, de privileg. & i-
bi plenius per eum.* Hoc autem ultimum
non habet locum in caſu noſtro, *propter
prȩalleg. l. quicquid. C. de arbit. tute. &
notat Panorm. in d. c. ſi de terra, de pri-
vileg.*
39 Quintò, benè † facit, *quod notat Ioan.
de Imo. & Ioan. And. in d. c. fin. de verb.
ſignif. in novel.* ubi dicunt, quòd ſi epi-
ſcopo fuit conceſſum privilegium, ut qua-
tuor clerici, ad ſua obſequia exeuntes,
percipiant fructus beneficiorum, quam-
vis in ſuis eccleſijs non reſideant, quòd
eodem beneficio gaudebunt clerici, poſt
privilegium ſurrogati loco aliorum, *jurib.
præalleg. & l. ſicut in annos, 2. reſponſo. ff.
quibus mod. uſufruct. amit. & l. ſi ita fue-
rit. ff. de leg. 3.* Sextò, pro hoc adduco
id, *quod notat Pet. & Cyn. quem ſequun-
tur Reyne. de Forli. & Fulg. in l. placet.*

Ooooo 2 C. de

C. de sacros. eccles. ubi quærunt, an privi-
40 legium † concessum ecclesijs, puta civitatis Lovaniensis, extendatur ad ecclesias constructas post concessionem privilegij, & arguunt pro & contra, finaliter concludunt, quòd sic, *per d. l. penult. ff. de fund. instruc.* & *d. c. quia circa.* & *d. l. peculium:*
41 & *etiam* † *videtur tenere Bart. in d. l. damni, lati.* §. *si ii qui, ubi post Iac. de Aret. quærit.* An si concessum fuit privilegium immunitatis alicui monasterio & ejus capellis, comprehendantur capellæ postea constructæ: & *remittit ad notata per Cynum, in d. l. placet.* Septimò, pro hoc †
42 adduco id, *quod notat Ioan. And. in additio. ad Specu. tit. de treuga* & *pace, in Rubr. in fine,* ubi quærit, quid si duo civitates fecerunt pacem, vallatam pœna pro se & suis subditis: an hæc pax extendatur ad villam, quæ postea se submisit alteri dictarum civitatum? & dicit una cum Guido. de Suza, quòd sic, & quòd ita fuit judicatum *per d. l. si servitus. ff. de servitu. urban. præd.* & *in l. si quis filiabus. ff. de testam. tute.* & *d. capit. quia circa:* & *quod notatur in d. cap. cum capella, de privileg.* Octavò, probatur per † id, *quod habetur in cap. pen.* & *in c quod*
43 *ex parte, de deci. inducendo illos tex, ut facit Ioan. de Imo. in d. l. damni, lati.* §. *si ii qui. ff. de damn. infect.* ubi quærit, an privilegium exemptionis, super decimis vel collectis non solvendis, porrigatur ad prædia, quæsita post concessionem immunitatis: & dicit, quòd sic, *per d. cap. quia circa,* & subdit hoc esse verum, non solùm, quando agitur de præjudicio tantum concedentis, quò casu latè fit interpretatio, *juxta ea quæ habentur in cap. Cumanam, de rescript.* & *in cap. olim, de verbo. signif.* & *in l. fi. ff. de constitut. princip.* Sed etiam ubi concederet privilegium Papa, de decimis non solvendis, ad præjudicium parochialis ecclesiæ, & sic tertij, *hoc dicit probari per d. cap. ex parte, juncto d. cap. penul.* ubi patet, quòd privilegium concessum certis religiosis, super decimis laborum suorum non solvendis, comprehenderet futura bona, nisi fuisset desuper facta provisio, *per d. cap. penul.* Quantò magis hoc esse debet in casu nostro, cùm ista promissio deliverandæ calcis sufficientis dicto monasterio sancti Michaelis, non concernat præjudicium tertij, sed solius promissoris, seu illius, qui repræsenta-
44 tur loco ipsius? Nonò, † adduco pulchram & notabilem decisionem & consilium *Alex. de Imo. in casu per omnia simili, consil. suo* 181. 2. *volum. vel in numero omnium consiliorum* 323. *incipien. Redemptoris nostri, &c. in occurrenti casu suprà narrato,* &c. ubi elegantissimè consuluit, quod privilegium concessum cuidam officio, quod dicebatur dominorum sexdecim, super non solvendis gabellis, extendatur ad officiarios, post tempus concessi privilegij illi numero superadditos, etiam in præjudicium conductoris dictarum gabellarum seu publicani, *per jura* & *rationes præallegat.* quem omnino vide, quia est basis & fundamentum hujus nostri consilij: clarè enim decidit casum nostrum, & *ut Barbat. dicere solebat,* ponit securim ad radicem. Decimò,
45 ad idem † facit, *quod notat Ioan. de Imola, in d. l. damni, lati.* §. *si ii qui unas,* ubi dixit, quòd si concedo tibi fundum, cum pacto, quòd ibi ædifices domum, in qua promittis me recipere cum familia mea: Et tempore promissionis habebam tantùm quinque in familia, postea vero est aucta familia: an teneberis omnes recipere? Et dicit, quòd sic: dummodo non sit aucta, in nimis magna quãtitate, *per id quod habetur in d. cap. quanto, de censib.*
46 Magnus † autem excessus non consuevit appellari, qui non excedit dimidium totius. *l. 2. cum ijs, qui ibi notantur, C. de rescind. vend. cap. pen. de empt.* & *vend.* Et ubi nimis magnus non est excessus, tenetur

netur etiam ad augmentum oneris, ad
quod ille se obligaverat ex liberalitate:
ita loquitur tex. in d. cap. quanto. Igitur
tantò magis, quando se obligavit, non ex
liberalitate, sed ex contractu ultro citro-
que obligatorio, ut in casu nostro. *argum.*
l. inter eos, §. 1. & l. ne liberalitate. ff. de re
judic. & l. id quod, in princ. ff. de donatio.
Per quæ jura tenet Innocentius *in d. c.*
quanto, quem sequuntur Panor. & Dd.
quòd in tali casu, quando quis obligavit
se non ex liberalitate, sed ex contractu
ultro citroque obligatorio, teneatur et-
iam augmentata familia in infinitum:
47 Cujus ratio est, quia attento † quòd iste
contractus habuit se ad lucrum & ad
damnum, non videtur promissor deceptus,
licet eveniat damnum. *l. si pater puellæ. C.*
de inoffic. testamen. l. Lucius. §. fina. ff. ad
Trebell. & notant Bart. & Dd. in l. 2.
C. de rescind. vend. dum quærunt, an
remedium illius leg. 2. habeat etiam lo-
cum in transactione? Quia non est feren-
dus, qui lucrum amplectitur, &c. *l. unica.*
C. de caduc. tollen. & regula, qui sentit,
de reg. jur. lib. 6. Undecimò & ulti-
48 mò, hanc † nostram quæstionem deci-
dit Panorm. *sæpe alleg. cap. quanto*, ubi i-
dem sæpius suprà diximus, determinat
in duabus quæstionibus (quæ, quantum
ad jus, nihil differunt à casu nostro, nisi
quòd casus noster est minus dubitabilis)
quarum una fuit. Quidam dedit furnum
seu molendinum in emphyteusim, hoc
adjecto, ut recipiens haberet & debe-
ret coquere vel molere, pro isto donan-
te & familia. Demum excrevit mul-
tum familia istius: quæritur, nunquid
teneatur coquere? Et determinat, quòd
49 sic. Alia quæstio fuit. † Paterfamiliâs a-
liquis constituit certum precium, ut quis
teneatur coquere pro tota familia sua:
Nunquid aucta familia, teneatur pro
eodem precio vel mercede, sicut prius?
Et determinat, quòd sic. Nam ex quo
recipiens, potest se habere ad lucrum, sci-
licet, de minorata familia, ita debet
sentire damnum aucta familia: cum
contrariorum eadem sit disciplina. *l. 1.*
ff. de his, qui sunt sui vel alieni juris, cum
sim. Idem etiam dicendum est in casu
nostro: quia dictus censuarius promis-
sor potuit se habere ad lucrum, dicto do-
mino Abbate donante domistadium cen-
suale, nihil vel parum ædificando, vel
eo tempore ædificando, cum calx est bo-
no foro: Ita etiam debet nunc patienter
50 ferre damnum. Sicut † enim appellatio-
ne familiæ venit etiam familia aucta: ita
in casu nostro, appellatione bonorum, ve-
niant etiam bona futura. *l. fina. & ibi*
Bart. C. quæ res pigno obliga. poss. & idem
Bart. in d. l. si ita. ff. de auro & arg. legat.
51 ubi est materia. Unde sibi † imputet di-
ctus promissor, quòd commiserit se for-
tunæ, quam scire debuit non semper si-
bi fauturam, propter ejus instabilitatem,
& casuum humanorum volubilitatem.
l. corruptionem. C. de usu & habitati.
Nunc superest, potioribus argumentis
ante oppositum utriusque quæstionis ad-
ductis, respondere, & primò argumentis
ante oppositum primæ quæstionis. Ad
id ergo quod in primis assumitur, non es-
se verisimile dictum promissorem cen-
suarium cogitasse de novis ædificijs; di-
co, quòd hoc est falsum. Imò videtur
cogitasse de futuro eventu, sicut is qui e-
mit jactum retis. *l. si jactum retis. ff. de*
actio. empt. & vendit. & suprà in re-
sponsione ad primam quæstionem clarè
deductum est ex verbis contractus, pro-
missorem de novis ædificijs cogitasse:
52 quare non obstat. Ad id † verò quòd di-
citur, non videri aliquem in infinitum se
velle obligare dicendum, quòd hoc regu-
lariter est verum, nisi ex juris dispositio-
ne, vel partium conventione aliud ha-
beatur. *arg. l. in actionibus. ff. de in lit. ju-*
rand. & l. nō impossibile. & l. 1. ff. de pact.

53 Item ad † id, quod dicitur de mediocri-
tate, dicendum est, quòd illa jura proce-
dunt in dubio, tale autem dubium hic ces-
sat, propter illa verba contractus, ad u-
sum & utilitatem bonorum suorum, &
quædam alia verba, suprà sæpius re-
lata.

Venio nunc ad argumenta ante oppo-
situm secundæ quæstionis adducta, quæ
longè majorem videntur habere appa-
rentiam: sed si benè ponderentur, jura
pro eis allegata non loquuntur in casu
54 nostro. Non † obstat ergo sæpè dicta
l. damni lati. §. si ń qui. ff. de damn. inf.
quia ibi dispositio non fuit facta per no-
mina collectiva, quæ recipiunt augmen-
tum de futuro: *ita solvit Dom. Alex. de
Imola, in præall. cons.* 181. *vel secundum
Bald. in dicta l. non modus. C. de servitut.*
Ideò ibi appellatione domus, non conti-
nebatur domus postea quæsita, quia non
poterat taxari damnum infectum do-
mus, quæ non erat adhuc. Et non potest
peti cautio damni infecti, nisi ratione
domus, vel rei, cui verisimiliter timetur
55 damnum. Non obstat † etiam *l. Iulianus,
in fin. cum l. sequen. ff. de legat.* 3. quia i-
bi testator usus fuit verbis præsentis tem-
poris, ideo non trahitur ad futurum.
l. si stipulatus fuero. §. cùm stipulamur, &
*l. si à colono. ff. de verb. oblig. l. si ita scri-
psisse ff. de legat. 3.* & *plenè per Bart. in
dicta l. si ita. ff. de auro* & *arg. lega.* &
per Dd. in d. cap. quia circa, & *l. si ita fue-
rit. ff. de lega.* 3. Sed in casu nostro in
quadam litera scabinali, verba fuerunt
prolata sine tempore, ibi *ad utilitatem
bonorum suorum*, &c. Et in alia fuerunt
verba futuri temporis, ibi, **die 'tgodts-
huys behoeven sal.** Et hæc eadem re-
sponsio potest dari ad dict. *l. uxori. §. 1.
ff. de legat.* 3. quia ibi dispositio fuit
concepta per verba præteriti temporis,
ut ibi per gloss. aliàs posset responderi, ut
patet ibi ex notatis per Bartol. Non
56 † obstat etiam textus *in dicto cap. quan-
to, de censib.* quia respondeo, quòd ille
textus loquitur, quando ex causa libera-
li esset facta talis promissio, de qua ibi,
quo casu æquius & rationabilius est sub-
venire ipsi, ne ex liberalitate immode-
rata gravetur, & inops fiat, quàm illi qui
non ex liberalitate, sed ex contractu ultro
citroque obligatorio, tenetur: *jurib. præ-
alleg. Et ita intellexit illum tex. Innoc.
pater jurū in d. cap. quanto*, & *benè, se-
cund. omnes Dd.* Et ad decisionem Ho-
stiensis *in dicto cap. quanto*, respondeo
(salva tanti patris & Doctoris reveren-
tia) quòd ipsa non est vera, quia est con-
tra casum *d. c. quanto*, nec eam sequun-
tur Dd. Ad decisionem verò Bartolo.
Brix. dicendum, quòd supposita ejus
veritate, tamen nihil facit ad proposi-
57 tum: quia † per mortem patrisfamiliâs
desinebat familia posse augeri, licet qui
in ejus potestate vivo eo fuerant, possint
adhuc dici de familia. *l. pronunciatio. §.
familia. ff. de verb. signif.* & sic sumus ex-
58 tra casum nostrum. Non obstat † etiam
l. 1. cum concord. ff. commun. prædio.
quia respondeo, quòd verum est, quòd
actu non potest acquiri servitus prædio-
rum futurorum, adeò, quòd servitus
dicatur formata, ut ibi, tamen potest
deduci in contractum servitutis pro fu-
turo prædio, adeo, ut illo acquisito de-
beatur servitus, *l. si servitus. §. futuro ff.
de servitut. urban. prædior.* Non obstant
59 † etiam *notata in capit. cum capella. de
privileg.* & *per Ioan. And. in additio. ad
Specula. titu. de censib. §. nunc dicendum,
in addit. magna.* Quia respondeo, *secund.
Ludov. de Roma. in dicta l. damni, la. pri-
ma, §. si ń qui*, quòd illa determinatio
gloss. & *Guidonū de Suza*, procedit quan-
do concessio immunitatis erat in præju-
60 dicium tertij, quia † tunc debet strictè
interpretari, ne lædat jus tertij. *l. 2. § si
quis à principe, ff. ne quid in loco publ.* &c.

& cap

& *cap. super eo, de offic. delega.* Aut tale privilegium vel concessio non concernit præjudicium tertij, sed concedentis solum: & tunc non procedit determinatio Guido *per d. c. quia circa,* & *quod ibi notatur in l. modus. C. de servitu.* quia respondeo, quòd ibi loquitur, quando dispositio fuit facta indefinitè & non per nomen collectivum seu universale, ut sæpè dictum est: & *prout etiam fatentur Petrus & Cyn. in d. l. non modus.* Quinimò in illa quæstione, quam posuit Petr. de eo qui promisit solvere canonicis decem: & sic per verba indiffinita, Bald. ibi & Salic. contradicere videntur Petro, tamen quicquid in illa quæstione sit tenendum, constat, quòd multum differt à nostra quæstione: quia in casu nostro dispositio facta est per nomen col-
61 lectivum. Postremò, non † obstat id, *quòd habetur in Clemen. fina. de rescript.* quia respondetur, *prout ibi respondent Dd. & maximè Domin. Cardinalis post Paul. de Leaza. respondentes,* quod textus in dicto *cap. fina.* loquitur quando dispositio fuit particularis, ideò non extenditur ad futura. Sed in *cap. quia circa,* fuit indiffinita, prout in casu nostro, in quo fuit dispositio per nomen collectivum seu universale: Item, illud quod habetur in *d. Clemen. fina.* loquitur in rescripto, *ut ibi in gloss. fin.* sed casus *d. c. quia circa,* loquitur in beneficio, quod debet favorabiliter interpretari, quoad præjudicium concedentis, ut suprà dictum est. Et secundum hoc poteris facilè per te solvere omnia alia argumenta, ante oppositum adducta, quæ majorem habent apparentiam, quàm veritatem.

Concludendo ergo dico, sæpe dictum domistadium censuale, seu ejus possessores, debere antedicto monasterio divi Michaelis deliverare calcem sufficientem, non solum pro refectione antiquorum ædificiorum, sed etiam pro novorum extractione, tam in fundis antiquis, quàm etiam noviter post prædictum contractum censualem acquisitis, & in posterum acquirendis, pro quatuor denarijs Lovaniensibus, juxta formam dicti contractus censualis & pactorum in eo contentorum.

CONSILIUM CCXXXVI.

SUMMARIA.

1 *Dissensio inter principem & ejus subditos, rebellio & non bellum appellatur.*

2 *Mercatores tempore belli congrua securitate gaudere debent.*

3 *In curia suprema, à qua appellare non licet, omnia quovis modo ad causam facientia admittenda sunt.*

4 *In judicando princeps non tantum ad subtilitatem, quantum ad veritatem & æquitatem spectare debet.*

5 *Dispensatio, legitima subsistente causa, deberi censetur.*

6 *Princeps per tractatum pacis, subditorum suorum jus & injuriam ipsis illatam remittere nequit.*

AD finem, quod in materia erroris propositi per Laurentium Monick, contra sententiam latam in magno consilio Illustrissimi domini Archiducis, in Majo, anno 1504. constat evidenter de bono jure dicti Laurentij: Est adverten-
1 dum, quòd † inter principem & suos subditos, non est propriè bellum, de quo loquuntur jura, dicentia, quòd capta efficiuntur capientium: sed propriè talis dissensio appellanda est rebellio: *juxta ea quæ habentur & notantur in l. hostes. ff. de capt. & per Ioan. Fab. & alios in §. præterea, Institu. de rer. divis.*

divis. & *per Innoc. Host. Panor.* & *Dd. in c. sicut, 2. de jurejuran.* & *per Salic. in l. quoniam multa facinora, C. ad leg. Iul. de vi.* Non enim licet bellum suscipere sine principis, qui loco populi Romani successit, authoritate, *d. l. hostes,* & *per totum tit. C. ut armor. usus inscio principe interdict. sit* : & *est bonus tex. in c. quid culpatur, 23. q. 1. ubi pulchrè inquit tex.* Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli authoritas & consilium apud principes sit. Item, secundò est advertendum, quòd
2 de † jure, tempore belli, mercatores debent congrua securitate gaudere, *ut est tex. in c. 2. de treuga* & *pace,* & *facit Auth. omnes peregrini, cum ibi not. per Dd. C. commun. de succes.* Tertiò est ad-
3 vertendum, quòd in curia † suprema, à qua non licet provocare, admittenda sunt omnia, quæ quovis modo ad causam faciunt, cùm nullum aliud supersit remedium sententia lata, *arg. l. per hanc. C. de temp. appell.* Judicantem enim oportet cũcta rimari, *cap. judicantem, 30. q. 5.* Et hinc est, quòd etiam post conclusionem in causa, judex potest ex officio interrogare partem pro inquirenda veritate. *l. ubicunque. ff. de interrog. act.* & *cap. cum Ioannes heremita, de fide instru.* & *declarat elegantissimè Alex. de Imola, in l. 4 §. hoc autem judicium ff. de dam. infect.* Prin-
4 ceps † enim in judicando, non tantum ad subtilitatem, quantum ad veritatem & æquitatem respectum habere debet. *c. ad petitionem, de accusat. cum sim.* Ex quibbs omnibus infertur, quòd cùm in anno 88. retrò præterito, dictus Laurentius fuerit mercator Coloniensis, ut patet ex actis: captura facta de persona sua & bonis in dicto anno octuagesimo octavo, per illos de Ubenduyven, subditos Illustrissimi domini Archiducis, contra quem tunc rebellabant & cornua erigebant, fuit nulla, injusta, temeraria, & iniqua. Patet etiam ex præmissis, quòd dictus Laurentius, ad probandũ contenta in sua requesta civili, admitti debuit & non reijci sua requesta civilis, & ea quæ per commissionẽ valetudinariam in vim dictæ requestæ facta fuerant? cùm illa prolata relevent probantem, & multum faciunt ad causam, cujus tamen contrarium per errorem vel inadvertentiam factum comperitur. Nec præmissis obstat, quod processus fuerit receptus pro processu in scriptis, ad judicandam ex eisdem actis, an benè vel malè: & sic ut videtur, non licebat posteà aliud allegare vel deducere, quia ad hoc facilis est responsio: nam ad tollendum istud obstaculum, fuerunt impetratæ literæ patentes requestæ civilis, ut patet ex
5 actis. Non † obstat etiam, si dicatur, quòd concilium non tenebatur dicto Laurentio facere gratiam, quale est!, recipere eum ad nova facta allegandum & probandum, postquam processus fuit receptus pro processu in scriptis, &c. Quia dico, quòd ista non est mera gratia, sed debita: sicut dicimus de dispensatione debita, subsistente legitima causa. *c. ut constitueretur, cum ibi notatis per glos. 50. distinct.* Ex quo enim princeps voluit, dicto Laurentio subveniri de justitia, & de gratia, & facta per eum proposita in sua requesta civili relevabant, & faciebant pro instructione causæ: Debuit concilium (salvo semper suo honore) hujusmodi requestam interinare, non reijce-
6 re: *jurib. preall.*

Non obstat † etiam si dicatur, quòd in tractatu pacis, dominus Archidux singula remisit & abolevit: quia, salva impertinentia pacis ad casum subjectum, hoc venit intelligendum, quo ad crimen & injuriam sibi illatam, sed actio civilis competens parti non intelligitur remissa: *ut pulchrè tenet Dom. Pet. de Anchor. in cap. in nostra, de injur.* quia in dubio princeps intelligitur remittere jus suum,

non singulorum, quod remittere non potest: *ut notatur per gl. Bart. Bald. Salic. Alex. Ias.* & *alios in l. venia, C. de in ius vocand.* & *per Canonist. in cap. quę in ecclesiarum, de constitu.* & *per legistas in l. fina. C. si contra ius vel utilit. pub.* Ex quibus omnibus concludo, dictum Laurentium benè impetrasse literas à Cæsarea Majestate, & domino Archiduce, in materia erroris, & quòd in ea obtinere debet.

CONSILIUM CCXXXVII.

SVMMARIA.

1 *Exceptio confirmat regulam in casibus non exceptis.*
2 Commenda, *quid sit?* & *num.* 19.
3 *Res de facili ad suam naturam revertitur.*
4 *Provisio de beneficio reservato per Papam facta quid operetur?* & *nu.* 22.
5 *Beneficium commendatum amplius non vacat,* & *num.* 23.
6 *Reservatio beneficij expirat per commendam perpetuam,* & *num.* 20. & 25.
7 *Beneficium reservatum per Papam collationi suæ, cujus sit naturæ,* & *num.* 17.
8 *Decretum irritans collationem, titulum,* & *possessionem inficit.*
9 *Beneficium vacans in curia, qualiter conferendum.*
10 *Habens potestatem conferendi beneficia, etiam reservata, beneficia in curia vacantia conferre nequit. Fallit ut num.* 11.
12 *Beneficium in curia vacare quando dicatur?*
13 *Commendatarius possessionem, vel jus in beneficio non habet.*
14 *Permutatio fieri non potest, nisi de rebus proprijs.*
15 *Beneficium semel verè vacans, vacare non desinit, nisi alteri jus in re sit quæsitum.*
16 *Collatio tribuit beneficiato acceptanti jus in re.*
18 *Papa visitatorem vel administratorem ecclesiæ vacanti dans, ejus provisionem sibi reservasse videtur.*
21 *Verbum,* providere, *quid importet?*
24 *Dispositio tota interitu unius partis, substantia rei permanente, non corruit; sed durare dicitur.*
26 *Dolus, fraus vel delictum, in Papa, vel alio quocunque privato non præsumitur.*
27 *Injuriam alteri facere non censetur, qui suo jure utitur.*

CAsus. Titius per procuratorem, specialiter ad hoc constitutum, resignavit in Romana curia in manibus Dom. nostri Papæ parochialem ecclesiam N. Leodiensis diocœsis, quam obtinebat: & Papa eandem ecclesiam reservatam generaliter collationi suæ, reservatione in corpore juris clausa, commendavit Sejo, per eum, quoad vixerit, tenendam, regendam & gubernandam: & postea Sejus moritur in partibus, in mense ordinario collatori competente, juxta indultum Leodien. in quo etiam inter alia cavetur, quòd de beneficijs vacantibus etiam reservatis (non tamen certis exceptis modis) in quibus modis de commendis seu affectis per commendam nulla fit mentio, disponere posset. Dubitatur ergo primò, an per dictã commendam cessavit vacatio dictæ parochialis Ecclesiæ, vel si Papa per commendam solùm commisit curam & regimen, reservando apud se titulum tanquam vacantem, in suspenso, juxta modum scribendi cancellariæ Apostolicæ, quando profitetur de beneficio vacante post cessationem commendæ: quia tunc dicit, commenda hujusmodi per obitum dicti Seij cessante adhuc eo,

quo dum sibi commendabatur modo vacare noscatur. Et sic consequenter dubitatur, an ordinarius collator conferre potuit, attento, quòd in indulto Leodiensi non sit expressa mētio, quòd conferre poterit beneficia reservata, reservatione in corpore juris clausa. Super quo casu videtur prima facie dicendum, quòd valet collatio facta per ordinarium collatorem, medijs infrà scriptis.

Primò, pro hoc est tenor bullæ Eugenij, continentis concordiam initam inter sedem Apostolicam, ex una, & episcopum Leodiensem, & alios collatores ordinarios civitatis & diocœsis Leodiensis, ex alia. Nam illic habetur, quòd ordinarius collator in mensibus suis potest providere, etiam de beneficijs reservatis, certis duntaxat modis exceptis, quæ † exce-
1 ptio firmat regulam in casibus non exceptis. *cap. dominus*, 32. *quæst.* 7. & *l. nam quod liquidè*, §. *fina. ff. de penu. lega.*

Secundò, quia Dominus Papa semel in hoc casu providit, dando dictum beneficium alteri in commendam, ut ponitur in
2 themate. Commenda † autem est titulus canonicus, *ut vult glos. ordin. in c. nemo deinceps, de elect. lib.* 6. ergo ex quo Papæ placuit isto modo de beneficio disponere, videtur alteri modo disponendi renunciasse, maximè, quia reservationes sunt odiosæ, & restringendæ, cum per eas præjudicetur collationi ordinariorum.

3 Tertiò, quia † de facili res revertitur ad naturam suam. *c. ab exordio*. 35. *dist.* & *l. si unus* §. *pactus ne peteret, in fin ff. de pact.* Sed isto modo fieret reductio ad jus ordinarium & commune, ergo, &c.
4 Et confirmatur, quia postquam † Papa semel providit de beneficio reversato, licet provisus non sit adeptus provisionem, expirat reservatio, & ordinarius potest conferre, *ut est decisio Rotę* 283. *incipiens, nota quòd ubi Papa, in antiquis, ut vult Ioan. And. in additio. ad Spec. in tit. de act. & pet. in* §. *super actionibus, in fin.* ergo eadem ratione in casu præsenti debet censeri reservatio expirasse. Quartò,
5 quia beneficium † commendatum non vacat. *ut vult glossa ordin in d. c. nemo deinceps. super verbo, commendare, de elect. lib.* 6. & *decisio Rotæ* 27. *incipiens, nota quòd ubi beneficium, in antiquis*: sequitur ergo, quòd post provisionem factam per Papam de hujusmodi beneficio, illud alteri commendando, expiravit reservatio, & effectus ejus resultans ex vacatione in
6 curia. Quintò, † pro hac parte est decisio Rotæ *aperta* 244. *incipiens, nota quòd ubi beneficium est reservatum, in antiquis*, quæ expressè vult, quod reservatio expirat per commendam perpetuam. In casu autem præsenti, commenda fuit ad vitam commendatarij, ut patet in themate, & sic perpetua, *juxta notata per gl. ordi. notab. in Clem. & si principalis. de rescript.* & *facit l. sufficit. ff. de cond, indeb.* ergo in judicando non est ab hac decisione Rotæ clara, recedendum.

Istis tamen non obstantibus, irrefragabilis veritas est in contrarium, pro cujus evidentia plura sunt præmittenda. Pri-
7 mò, quòd † beneficium reservatum per Papam collationi suæ, ex ipsa reservatione, & appositione manus Papæ est affectum, quæ affectio non tollitur, nisi per collationem Papæ subsecutam, *ut est decisio Rotæ expressa*, 553. *incipiens, Papa reservavit*, & 410. *incipiens, nota quod beneficia*, & 412. *incipiens, nota quod licet secundum ordinationem domini Gregorij, &c. in antiquis*, & *decisio expressa*, 184. *incipiens, beneficia collectorum*, & 211. *incipiens, licet juxta ordinationem, in novis*: & *vult Dom. Ioan. Milis, in repertor. suo, super verbo, reservatio*, 2. *licet aliam quotā alleget*: & *probatur in c. si eo tempore*,

pore, de electio. lib. 6. ubi bonus tex. & ibi nota. per Paul. de Leaz. Dominic. & alios, & facit C. ut nostrum, cum ibi notatis, de appell. & not. per Ioan. And. & alios in c. inter dilectos, ante fin. de excess. prælat. Secundò est præsupponendum, quod beneficium vacans in curia, est reservatum collationi Papæ, adeò, quòd de eo nemo disponere potest pro illa vice, nisi Papa. Perditque hoc casu ordinarius collator, ad quem aliàs spectat collatio & provisio, jus conferendi pro illa vice, ut est tex. express. in c. 2. de præben. lib. 6. in quo textu
8 ponitur decretum irritans, quod † nedum inficit collationem & titulum, sed etiam possessionem, ut est decisio Rotę 16. incipiens, si contra agentem possessorio, &c. in
9 novis. Imò † plus volunt Dd. in d. c. 2. & præcipuè Lap. Dominic. & posteriores, quòd etiam si Papa conferat beneficium vacans in curia, non motu proprio, sed ad alterius supplicationem nō valet collatio, nisi exprimatur in supplicatione, quod vacuit in curia. Tertiò, est præsupponen-
10 dum, quòd † ille, cui data est à Papa potestas conferendi beneficia etiam reservata: non potest virtute talis indulti conferre beneficia vacantia in curia, nisi specialiter & expressè detur potestas conferendi beneficia vacantia in curia, quātumcunque ampla & generalia sint verba indulti, ut est tex. in d. c. 2. in fin. & est decisio Rotæ expressa, 97. & in aliquibus quotis, 100. incipiens, habens authoritate apostolica, in novis. Et hinc est, quòd licet alias potestas conferendi beneficia data per Papam, executori in favorem impetrantis gratiam, comprehendit etiam beneficia devoluta ad Papam, ut est tex. in Clemen. si de beneficio, præbend. Tamen non comprehendit beneficia vacantia in curia, ut dicit glossa notab. in dict. Clemen. si de beneficio, in verbo, sive ad nos, per tex. in d. c. 2. & de hoc est decisio Rotę expressa, 119. & in aliquibus quotis, 491. incipiens, legatus vel nuncius apostolicus, & 486. & in aliquibus quotis 491. incipiens, nuncius apostolicus, in novis. In
11 † uno tamen casu beneficium vacans in curia, non est reservatum sedi vel collationi ejus, puta, quādo tale beneficium esset de jure patronatus laicalis, quia illud non venit in quacunque generali reservatione, ut est pulchra decisio Lapi in allegat. sua 96. incipiente, beneficia vacantia in curia Romana, & dec. Rotæ 334. incipiens, supposito facto, in novis, secun-
12 dum quotas meas. Quartò, est præsupponendum, quòd beneficium † dicitur vacare in curia, si per procuratorem sit resignatum in curia, etiam principali existente & manente in partibus: quia ex quo hic attenditur factum renunciationis, quæ quidem renunciatio inducit vacationem, attenditur locus renunciationis, & non constitutionis, secundum Archidiac. Ioan. And. Dominic. Philip. & alios, in prealleg. cap. 2. & est glossa ordin. in Clemen. unica, in verbo, collato, circa medium, ut lite pend. &c. quam ibi sequitur & commendat Cardin. & volunt Ludovic. de Roma. in consilio suo 342. Quintò, præsupponendum est, quòd per
13 † commendam non acquiritur jus in beneficio: & hinc est, quod habens commendam prælaturæ, non dicitur prælatus, ut vult gl. ordin. in d. c. nemo, & gl. in d. c. qui plures, 21. q. 1. & Innoc. in c. si constiterit, de accusat. imò commendatarius non habet jus in beneficio, sed nec possessionem, ut patet ex tex. & gl. d. c. si constiterit, & in d. c. qui plures, & ibi Archid. & quia commendatarius non habet jus in beneficio, jura permittunt, quòd quis eodem tempore sine dispensatione potest tenere duas parochiales ecclesias, unam in titulum beneficij, & aliam in commendam, c. dudum, 2. de elect. & d. c. qui plures, per quos tex. evidenter patet, quòd concedēs commendam non confert titulum in

beneficio: hinc etiam est, quod beneficia commendata, non possunt per commendatarios permutari sine consensu ejus, qui ea commendavit, quia non sunt commen-
14 datariorum. Permutatio † autem debet fieri de beneficijs suis, *c.* 1. *ibi sua, de rer. permutat. libro* 6. *ita notabiliter vult Panor. in c. cùm olim, in* 1. *colum. de rer. permuta.* Sextò, est præsupponendum, quòd
15 beneficium † semel verè vacans, non desinit vacare, nisi alteri sit jus quæsitum in re, *ut est glossa ordin notab. probata per Dd. in d. Clem.* 1. *super verbo, collatio, circa princ.* Ex quibus præsuppositis infertur, quòd reservatio resultans ex vacatione in curia, non expirat per hoc, quòd tale beneficium sit alteri datum in commendam, quod ultra prædicta probatur: quia collatio talium beneficiorum vacantium in curia, est reservata sedi Apostolicæ, & non solùm dispositio, provisio, vel ordinatio eorundem, *ut est tex. in prææallega. c.* 2. *in verbo, collatio*, quòd verbum, *collatio*, est benè ponderandum: mo-
16 dò ita est, quòd per † collationem beneficij tribuitur beneficiato, acceptando jus in re, *ut notant Dd. in cap. cùm in illis, de præbend. libro* 6. & *est tex. in cap. si tibi absenti eodem titu.* & *lib.* Sed per commendam non acqiritur jus in re, ut dixi: nimirum ergo, si non expiret reservatio per commendam; & *hanc partem tenet Dominic. Philip.* & *alij Dd. in d.c. nemo,* & *Frederic. de Senis, in tractatu permutationum, in quæst. sua* 15. & *Ludov. de Roma multum plenè in consi. suo* 350. & *Dom. Pet. de Anch. in cap. fin. de rer. permut.* & *ibi etiam dominus Ioan. de Imo.*
17 & *Dom.* † *Ioan. Milis, in repert. suo juris canon. in verbo beneficium reservatum,* qui plus vult, videlicet, quòd licet beneficium commendatum, nunquam fuisset reservatum, tamen ex quo Papa in eo manum apposuit, illud commendando, nō potest inferior se de illo intromittere, antequam Papa perfectè de illo provideat, *argum. d.c. ut nostrum, de appell.* & *arg. notatur. per Ioan. And. in d. c. inter dilectos,* & *dicit hoc tenere Compostel. in c. cùm nobis olim, in fin. de electio.* & *idem vult. Ludo. in d. consi.* 350. *idem etiam videtur sentire Philip. in d.c. nemo, referendo se ad notata per Innoc.* & *Ioan. And. in d.c. inter dilectos: licet de Ioan. de Milis nullam faciat mentionem,* & *pro hoc dicto Ioannis Milis.* & *Ludo. faciunt notata per Archi. gl.* & *posteriores, in c. is cui de elect.*
18 *lib.* 6. *ubi volunt*, quòd si Papa † ecclesiæ vacanti det visitatorem, vel administratorem, nemo poterit illi ecclesiæ providere de pastore, quia hoc faciendo, videtur ejus provisionem sibi reservasse, *per d.c. ut nostrum, cum alijs vulgar. jurib. per eos allegatis.* Sed quia parum est, aliquid afferere, nisi respondeatur objectis, restat respondere ad objecta, pro parte contraria adducta. Et primò, non obstat primum de bulla Eugeniana, imò illa facit pro hac parte, cùm in ea expressè excipiantur beneficia reservata, reservatione in corpore juris clausa, qualis est ista de beneficijs vacantibus in curia, *prealleg. cap.* 2. Imò etiam, si dicta bulla Eugeniana non exciperet beneficia reservata, reservatione in corpore juris clausa, sed daret omnimodam facultatem disponendi episcopo Leodiensi, & alijs collatoribus ordinarijs civitatis & diocœsis Leodiensis, de beneficijs reservatis vacantibus in mensibus suis, tamen adhuc ipsi non possent confer re beneficia vacantia in curia, ut suprà
19 dixi, quare non obstat. Non † obstat etiam secundum, quia licet commenda sit titulus canonicus, quoad administrandum, non tamen quoad jus in beneficio commendato quærendum, quod requiritur, ut cesset reservatio, & effectus ejus inducta, ex vacatione beneficij in curia, cujus collatio est reservata Papæ, & non
20 solùm provisio, ut suprà dixi. Licet † enim

enim expiret reſervatio per commen-
dam, quando Papa reſervavit aliquod be-
neficium diſpoſitioni, ordinationi vel pro-
viſioni ſuæ, *ut vult Dominic. in d.c.nemo,*
in 2.colum. & *ſequitur Ioan. Milis in paſ-*
ſu ſuprà alleg. cujus ratio eſſe poteſt,
quia de beneficio ordinatur, diſponitur,
vel providetur, etiamſi non tribuatur jus
in beneficio, ut fit per commendam: nam
21 † verbum, *providere*, eſt verbum gene-
rale, & latum, aptum denotare, & com-
prehendere quemlibet modum, per quem
poteſt fieri de jure proviſio, *ut eſt gloſ.*
ordin. in Clem. fin de elect. & idem eſt
de verbo, *diſponere*, & *ordinare*. Tamen,
quando Papa reſervat aliqua beneficia
collationi ſuæ, tunc non expirat reſerva-
tio per commendam, ex quo per eam non
tribuitur jus in re, ut prædixi, & *in hoc*
concordant omnes in paſſib. ſuprà allega.
quia ergo jus reſervat beneficia vacantia
in curia collationi ipſius Papæ, *d, cap. 2.*
ſequitur quòd per commendam talis re-
ſervatio clauſa in corpore juris, non ex-
piravit, quod ſufficit in propoſito: plus
tamen voluit Ludo. de Roma. *in d. con-*
ſilio 350. videlicet, quòd reſervatio non
expirat per commendam, etiam quando
reſervatio facta eſt diſpoſitione ipſius
Papæ, ut ibi latius per eum, & ſic non
obſtat. Nec obſtat etiam tertium; quia
22 illud † procedit ſublato quolibet impe-
dimento ſeu obſtaculo, iam in caſu præ-
ſenti durat obſtaculum, ſeu impedimen-
tum affectionis, reſultans ex reſervatio-
ne, quod quidem obſtaculum, tam diu du-
rat, quàm diu Papa beneficium reſerva-
tum ſuæ collationi, reſervatione in cor-
pore juris clauſa, non contulit, ut ſæpius
dictum eſt ſuprà. In caſu autem noſtro
verum eſt dicere, quòd Papa non contu-
lit, alicui dictum beneficium reſervatum
collationi ſuæ, reſervationi in corpore ju-
ris clauſa, quanquam illud dederit in
commendam: cùm commendatarius non
habuerit jus in re, ut prædictum eſt: &
per hoc etiam ceſſat id, quod pro confir-
matione adducebatur, quia in caſu illo
obſtaculum affectionis & reſervationis
fuit ſublatum per collationem, hìc autem
non: unde non valet conſequntia, quia
ex ſeparatis non fit bona illatio. *l. neque*
natales. C. de proba. & *l. non hoc. C. unde*
cog. cum ſim. Non obſtat etiam quartum,
23 quo dicebatur, quòd beneficium † com-
mendatum non vacat: quia reſpondeo
dupliciter. Primò, *ſecund. Archid in d.*
c. qui plures, quod verum eſt, quòd non
vacat de facto propter titulum com-
mendæ, quia commendatarius, vigo-
re tituli commendæ, recipit fructus in
utilitatem eccleſiæ convertendos, vel et-
iam in ſuos, quando hoc in commenda
exprimitur, prout hodie communiter
fiunt commendæ: aliàs commendata-
rius non facit fructus ſuos, *ſecund. gloſ.*
& *communiter Dd. in d. c. nemo*, ſed va-
cat de jure ex eo, quòd nullus habet ju-
ſtum titulum, ex quo jus quæratur in be-
neficio, *ſecund. Archid. ubi ſuprà*: & *ſi-*
mile habetur in cap. cùm noſtris, de con-
ceſſ. præbend. Vel dico aliter, & magis
aptè: quòd eccleſia commendata non va-
cat, verum eſt ſimpliciter & perfectè, ſed
vacat ſecundum quid, reſpectu tituli be-
neficij, per quod quæritur jus in re, *ita*
volunt Ioan. de Lignano, Dom. & *alij in*
d.c.nemo, & *ſentit ibi Io. And. in novella,*
& *Pet. de Ancho.* & *Imo. in d. c. fi.* & *Lu-*
dov. de Roma. in d. conſ. 350 & *Ioan. Mi-*
lis, ubi ſuprà. Ex quo ſequitur, quòd cùm
per commendam non ceſſat perfecta va-
catio, non ceſſat etiam reſervatio. Ubi e-
24 nim † aliqua diſpoſitio duratura eſt ex
ſubſtantia alicujus rei, licet pars illius rei
pereat, ſi tamen aliqua pars ſubſit & re-
manet, tota diſpoſitio durat. *l. ſi cui inſu-*
le. ff. uſufruct. & *l. domum, verſic. ſi verò*
quantacunque ff. de contrah. empt. donec
ergo Papa de beneficio reſervato perfectè

providerit, per titulum ex quo jus in beneficio quæritur, remanet reservatio & effectus ejus. Non obstat † etiam quintum & ultimum, quia dicta decisio Rotæ, 244. in antiquis aliter debet intelligi, *ut tradunt Dominic.* & *Philip. in d. c. nemo deinceps,* & *Ioan. Milis in repert. suo*, ut dixi suprà in responsione ad secundum objectum. Unde concludendo dico, quòd morte commendatarij, licet expiret titulus commendæ, tamen non inducitur nova vacatio, quò ad titulum beneficij, quia illa semper duravit, & per illam duravit etiam semper reservatio, & ergo licet commendatarius in casu præsenti decessit in partibus, & in mense ordinarij, non potuit inferior à Papa, obstante dicta reservatione in corpore juris clausa, de dicto beneficio providere pro hac vice, per suprà dicta. Et ita est tenendum, quicquid dixerit glossator Pragmaticæ, *in tit. de elect. in c. licet dudum, in princ. super verbo. causa, post medium*, cujus motiva tolluntur, per suprà dicta, dempto ultimo.

25

Ad quod facilis est responsio, cùm non
26 † sit præsumenda fraus, dolus, vel delictum in Papa, nec etiam in quocunque alio privato. *l. meritò, cum sua glos. ff. pro socio.* imò qui dolum allegat, dolum probare debet. *l. quotiens. §. qui dolo. ff. de*
27 *probat. cum vulgarib.* nec † alicui facit injuriam, qui utitur jure suo. *cap. cùm ecclesia Vulterana, de electio.* & *l. injuriarum. §. 1. ff. de furtis, cum sim.*

CONSILIUM CCXXXVIII.

SVMMARIA.

1 *Dictio,* &, *interdum ad evitandam contrarietatem in instrumentis, pro, id est, exponi solet.*

2 *Testamentum vel legatum in eo relictum, ut sit validum, quot necessariò requirantur?*

3 *Legatum rei, alienari prohibitæ, non valet, adeò, ut ne quidem æstimatio ejus debeatur.*

4 *Miles vel sacerdos, concubinæ vel focariæ suæ, in testamento legata relinquere nequit.*

5 *Spurijs parentes secundum vires facultatum alimenta relinquere tenentur, non tamen ultra quantitatem pro alimentis sufficientem, ut num. 6.*

7 *Codicillus ad sui validitatem, quæ requirat?*

8 *Duo legata in testamento & codicillo separatim uni relicta, ambo debentur.*

9 *Intellectus* l. planè 1. §. si eadem de legat. 1.

10 *Statutum respiciens executionem contra mulierem fiendam, attenditur in loco viri.*

CAsus, super quo fui interrogatus est talis. Quidam A. nomine, miles in armis, civis & incola oppidi Antverpiensis, cum quadam B. Lovaniensi pridem matrimonium contraxit, ex qua filium unum procreavit; is constante matrimonio ex alia, nomine C. conjugata, quam pro concubina vel focaria tenebat, prolem spuriam procreavit: ortisque nonnullis differentijs inter dictos A. & B. tandem interlocutione amicorum, concordia quædam concepta & conclusa fuit, prout patet ex instrumento desuper confecto, ad quod me refero. Hic tandem condito coram notario & testibus testamento, seu ultima voluntate, executoribusque deputatis, ac expost facta quadam additione per modum codicilli, manu propria subscripta, & sigillo proprio sigillata, diversis diversa reliquit legata, & inter cætera, dictæ suæ concubinæ, filio suo spurio, & quam pluribus alijs, & nonnullis ex eis bis diversas summas legavit, u-

nam in præſenti teſtamento, & aliam in codicillo, abſque hoc, quòd expreſsè dixerit, quòd voluit utramque ſummam deberi. Et tandem, altiſſimo diſponente, in Antverpia loco ſiquidem nativo, ubi moram traxit, diem ſuum clauſit extremum, dicta B. uxore ſua in oppidi Lovanienſi reſidentiam ſuam tenente.

Ex hoc themate ſex oriuntur dubia; Quorum primum eſt; An dictus A. vigore concordiæ ſuprà mentionatæ, validè diſponere potuit, de rebus & bonis, ex latere dictæ B. ſuæ uxoris provenientibus? Secundum eſt, An legatum relictum dictæ C. ſuæ, ut aſſeritur concubinæ vel focariæ, valeat? Tertium eſt, An legatum relicto filio ſpurio, valeat? Quartum eſt, An codicillus manu propria ſignatus, viribus ſubſiſtat? Quintum, An perſonæ illæ, quibus bis diverſa quantitas relicta eſt, ſemel in teſtamento, & ſemel in codicillo, unam duntaxat ſummam habere debeant, an ambas: & ſi unam duntaxat, an majorem vel minimam? Sextum & ultimum, An dicta B. quæ vigore concordiæ poſt deceſſum dicti A. ſui, dum vixit, mariti, in jure & conſuetudine patriæ manere debet, quoad bona, ſequi habeat, duntaxat conſuetudinem oppidi Antverpienſis, ubi maritus, ut præmittitur, deceſſit, & dum vixit, moram traxit? An verò quoad omnia bona inſpicienda ſit conſuetudo oppidi Lovanienſis, quæ eſt longè diverſa à conſuetudine oppidi Antverpienſis? An verò ſequi debeat conſuetudinem oppidi Antverpienſis, quoad bona ſub diſtrictu ejuſdem ſituata: & conſuetudinem oppidi Lovanienſis, quoad bona ibi ſituata?

Quoad primum dubium videtur dicendum, quòd ſic, per verba concordiæ *plenariam diſpoſitionem* & *adminiſtratorem*, &c. In contrarium tamen eſt veritas, ut patet ex clauſula, *Salvo quod ipſe*, &c. in inſtrumento dictæ concordiæ poſt clauſulam, de qua ſuprà feci mentionem, poſitam; & ſic venit declarativè ad illam,
1 ne † inſtrumentum propter contrarietatem, prima facie apparentem, fide careat, ſibique deroget fidem, cùm poſſit per ſubdiviſionem à contrarietate excuſari, exponendo, &, pro *id eſt*, quod ubi fieri poteſt, ſemper faciendum eſt, ut res potius valeat, quàm pereat, *tex. eſt notab. in c. inter dilectos, in* §. *cæterum, de fid. inſtr. facit etiam tex. in prima conſtitutione. C. in* §. *quibus. Voluit expreſsè Bart.* & *Dd. in l. ſcripturę. C. de fide inſtru. hoc idem voluit etiam Abbas Siculus, in c. imputari de fide inſtru.* Modò veniendo ad materiam, antequam veniam ad determinationem aliquorum præmiſſorum dubiorum, præmitto, quod ad hoc, ut teſtamentum vel legatum in eo, vel in codicillo relictum, ſit validum, requiruntur ad minus qua-
2 tuor copulativè. Primò, † quòd teſtamentaliter diſponens, non ſit prohibitus teſtari vel codicillari. *l. ſi quæramus. ff. de teſta.* & *C. qui teſta. fac. poſſ. vel non, per tot.* & *Inſtitu. quibus non eſt permiſ. fac. teſta. per tot.* Requiritur ſecundò, quòd legatarius ſit capax legati, & quod non ſit de illis perſonis, de quibus fecit mentionem gloſ. & Dd. *in* §. *legari, Inſtitut. de legat.* Requiritur tertiò, quòd res, de qua diſpoſitum eſt, ſit talis, de qua poſſit teſtamentaliter diſponi, *l. uxor patrui. C. de leg. l. quod in rerum.* §. 1. *ff. de leg.* 1. *cum ſim.* Requiritur & quartò, quòd ſolennitates debitæ intervenerint, *d. l. ſi quæ-*
3 *ramus, cum alijs vulgar.* Cùm ergo † teſtator per prius diſpoſitionem earum rerum non habuit; & ex concordia, non detur facultas diſponendi de illis, imò, penitus eidem interdicatur, ſequitur, quod legatum, quoad res illas non valeat, etiam ut detur æſtimatio ſecundùm jus canonicũ, *ut eſt tex. ſingul. rectè intuenti ſecund. intellectum Tancred.* & *Panorm. in c. filius noſter, de teſtam.* & hoc de primo.

Quoad

Quoad ſecundum, breviter me abſol-
vendo, dimiſſis verboſis argumentationi-
4 bus, dico, quòd † non, præſupponendo,
quòd teſtator fuerit miles, ut dicitur in
caſu, moveor primò *per l. 2. C. de donat.
int. vir.* & *uxor.* ſecundò moveor per tex-
tum expreſſ. *in l. miles ita, in §. mulier. ff.
de milita. teſtamen.* & *ibi hoc volunt Bar.
Bald.* & *Dd. voluit idem Bart. in l. ne-
que, §. deportati, illo eod. tit.* & *idem
Bart. in l. affectionis. ff. de donatio.* ubi
dicit idem in ſacerdote. *per gloſ. nota-
bil. in l. miles. ff. de re judica.* & idem di-
cit ibi Alexan. in Doctore: *hoc voluit
etiam expreſſè Ioan. Canthonius in Ru-
bric. de donat. inter vir.* & *uxor. hoc vo-
luit etiam Baldus in l. milites, C. de teſta-
men. milit.* Et hæc eſt adeò trita, fami-
liaris, communis, & vera opinio, quòd
non invenio aliquem Doctorem de hoc
dubitare. Quoad tertium videtur bre-
5 viter, quòd † non *per Authent. ex com-
plexu, C. de inceſt. nupt.* ubi tales filij
ſpurij prohibentur ali à patre, ut magis
reprimeretur vitium carnis: in contra-
rium tamen eſt veritas, *per tex. notabil.
in cap. cùm haberet, in fine. de eo, qui du-
xit in matrim. quam polluit per adult.*
ubi parentes de benignitate canonica
compelluntur, filijs ſpurijs alimenta re-
linquere, ſecundum vires facultatum;
quod jus in maxima æquitate fundatum
eſt, ne proles, quæ non peccavit, famè per-
eat: cùm naſci de adulterio non ſit culpa
ejus qui naſcitur, ſed illius qui generat.
cap. naſci, 65. diſtinct. Et eſt hoc jus ca-
nonicum ſervandum in utroque foro, non
obſtante rigore juris civilis, *ut volunt
Cardin. Panorm.* & *alij, in d. cap. cùm ha-
beret.* & *Bar. in dicta Auth. ex complexu.*
Eſt tamen attendendum, quòd duntaxat
6 † uſque ad quantitatem ſufficientem,
pro alimentis pater poteſt relinquere filio
ſpurio: unde ſi legatum, de quo in thema-
te, attenta qualitate perſonæ legantis, &
legatarij, ſit exceſſivum, multum exce-
dens alimenta, eatenus, quatenus excedit,
per bonum judicem, venit declarandum
nullum: & ſervabitur eatenus, quatenus
ſit conforme juri: *pro hoc eſt bonus tex.
in argum. in l. qui veſtem, de ſuppell. legat.*
& *in l. mulcta. §. finali. ſecundum intelle-
ctum Pau. de Caſtro, ff. de conditio.* & *de-
mon.* Quoad quartum dico breviter,
7 quòd † codicillus, quantum ad ſolennita-
tem, viribus ſubſiſtit, quia nedum ſub-
ſcriptus eſt manu propria teſtatoris, &
ſignatus ſigillo teſtatoris, verùm etiam
paſſatus eſt coram notario, & tribus teſti-
bus; imò etiam ſi nulli teſtes interfuiſ-
ſent, ſi poſſet conſtare de manu teſtatoris,
illi eſſet ſtandum inter liberos, *ſecund.
Bald.* & *Dd in Authent. quod ſine, C. de
teſtamen.* Fateor tamen, quòd ſi in eo-
dem codicillo aliquid ſit relictum perſo-
næ incapaci, ut forſitan concubinæ, vel ſi-
mili perſonæ, quòd illud non valet, quia
ad validitatem legati, requiruntur copu-
lativè illa quatuor, de quibus ſuprà dixi
in evidentiali, unde ſi aliquid eorum de-
8 fuerit, corruit legatum. Quoad † quin-
tum dicendum, licet multa poſſent dici,
quia eſt punctus notabilis, valde tamen
breviter me abſolvendo dico, quòd illæ
perſonæ, quibus bis eſt legatum, ſemel in
teſtamento, & ſemel in codicillo, conſe-
quenter utramque ſummam; quia hoc vi-
detur in dubio voluiſſe teſtator, variando
voluntatem, & variando modum legan-
di, utputa, qui ſemel in teſtamento, & ſe-
mel in codicillo legavit, quæ ſunt diver-
ſa. *l. ſi idem, C. de codic.* & quia aliam
ſummam legavit in una voluntate, quàm
in alia, *pro iſto eſt tex. ſecund. intellectum
Iac. de Aret.* & *Bartin. l. cùm centum, cir-
ca fin. ff. de adimen. legat. quem ibi etiam
ſequitur Alex. de Imo. Iſtud etiam in ter-
minis noſtris volunt Pet. Bald. Paul. de
Caſtro,* & *Alex. de Imola, in l. planè. 1. §. ſi
eadem. ff. de legat. 1. iſtud voluit expreſſè*

Specu. in tit. de testam. in §. 1. in versic. Item pone, quòd A. instituit filium: pro isto etiam facit tex. in l. licet imperator, in versic. quid enim. ff. de legat. 1. pro isto etiam est optimus tex. in l. quinquaginta. ff. de probat. Nec obstat † textus *in d. l.*
9 *planè, §. si eadem*, ubi videtur casus contra istam decisionem: quia respondeo, quod loquitur, quando in eadem voluntate, legavit eandem quantitatem sæpius; & sic non variavit voluntatem, neque modum legandi: unde non præsumitur voluisse, quòd bis debeatur, nisi hoc aliàs constet. In casu autem nostro, ut prædixi, mutavit voluntatem & modum legandi, *ita volunt Panorm. Bald. & alij ibidem.* non obstat etiam *l. Sempronius Proculo. ff. de legat. 2.* ubi videtur casus, quod debebitur summa: quia respondeo, *ut respondet Bald. in d. § si eadem*, quòd ibi non fuerunt eidem relicta plura legata, sed unum: licet de legato confectæ fuerunt plures scripturæ, in quarum altera erat erratum: sed in casu nostro uni & eidem relictæ erant duæ quantitates, & constat, quod utrumque legatum est verè relictum, & sic non est error: Ergo meritò debebitur utraque quantitas, per suprà dicta, & sic non
10 obstat. Quoad † sextum dubium, quod est notabile, & in quo plura dici possent, dimissis superfluis & argumentosa disputatione, dico breviter, quòd in eo casu attendetur consuetudo domicilij dicti A. & sic consuetudo dicti oppidi Antverpiensis: Quia ubi statutum vel consuetudo respicit executionem, quæ venit fienda contra mulierem, tunc attendendus est locus viri, si aliud non appareat; quia ex quo consensit in matrimonium, videtur etiam in consequentiam, se allegasse legibus loci viri, *tex. est notab & ibi hoc volunt Bart. Paul. de Castro & Dd. in l. exigere dotem. ff. de re judic. & idem Bart. in repetitione l. 1. in 5. col. & ibi Alexan de Imola, & Dd. C. de summ. Trinit. & fide catho. istud idem volunt etiam Anton. de But. Panorm. & Ioan. Ant. & Dd. canonistæ, in c. de Francia, de spons.*

CONSILIUM CCXXXIX.

SUMMARIA.

1 *Clerici & monachi, an in feudis succedere possint? & num. 6.*
2 *Cessante causa, cessat effectus.*
3 *Adoptivus filius, adoptanti in feudo non succedit.*
4 *Feudum etiam pro anima alienari nequit.*
5 *Rei suæ quilibet moderator est & arbiter.*
7 *Ecclesia succedit in feudis, ad quę de consuetudine fœminæ admittuntur. & num. 12.*
8 *Iura juribus concordari debent.*
9 *Per ingressum religionis naturales efficiuntur legitimi, & aliàs inhabiles ad succedendū, habiles reddūtur.*
10 *Baldi opinio* in l. si quisquis, C. de episcop. & cler. *confutatur.*
11 *Quod pluries reiteratur, ex deliberatione procedere videtur.*
13 *Ad feudum militare, servitium personale requirens, ecclesia non admittitur: nisi dominus directus illud voluerit, ut num. 14.*
15 *Mors civilis & naturalis quomodo differant?*
16 *Feudum ad monachum devolutū, ipso moriente, ad quem pertineat?*
17 *Cui licet quod plus est, licet & quod est minus.*
18 *Princeps laicus sine metu excommunicationis tollere nō potest ecclesijs, id quod ipsis de jure communi competit.*
19 *Constitutiones principum generaliter loquentes, qualiter interpretandæ?*
20 *Dictio,* Alius, *quid importet?*

VLtra longè lateque deducta in consilio principali, super hac materia confecto, superest, ut tollantur & confutentur nonnulla motiva, quæ animos aliquorum movere possent. Asserunt enim
1 nonnulli, ut informor, successionem † reprobatam de jure in feudis, quo ad clericos & monachos, ad quod fundandum, allegant, *cap. 1 de feudo fœmin. c. qui clericus, si de feud. fuer. controv.* & *cap. unicum. de milite vasal. qui arm. belli. depo. cum quibusdam alijs vulgar.* & *hoc dicunt tenere Bald. in l. quisquis. C. de episc. & cler.* Asserunt etiam hujusmodi successionem reprobatam de consuetudine, bona ratione, quia ecclesia nunquam moritur, & sic conditio domini & similiter agnatorum, ad quos feudum nunquam reverti posset, efficeretur deterior, si ecclesia admitteretur ad succedendum in feudo. Asserunt etiam, quòd religiosi non possunt per se præstare servitia domino, saltem in armis, cùm non debeant se
2 implicare negocijs secularibus. Cùm † ergo cesset causa propter quam datur feudum, cessabit effectus, *arg. c. fi. de rescript. l. b. 6.* Asserunt etiam quod irrationabile esset dicere, feudum debere devolvi ad monasterium, propter personam monachi, qui mortuus est mundo, & sic civiliter: cùm si feudum habuisset & esset mortuus naturaliter, devolveretur ad agnatos: nec plus commodi debet adferre mors civilis quàm naturalis, quæ regulariter æquiparantur. Asserunt etiam, quòd constitutio, bonæ memoriæ ducis Philippi, admittens translationem seu devolutionē feudorum fieri in ecclesiam, vel monasteria capacia bonorum in communi, per contractum emptionis, donationis, seu alio quovis modo, salvo quòd agnati possint redimere, &c non serviat in casu præsenti, in quo agitur de successione ab intestato; cùm in illa constitutione non fit mentio de successione, & clausula, *vel alio quovis modo*, est inclusiva & repetitiva similium. Quare hunc casum, omninò diversum ab expressis, non videtur
3 includere. Adducunt † etiam simile de filio adoptivo, qui non succedit adoptanti in feudo. *ca. adoptivus, si de feud. fuer. controvers.* &c. Ergo nec monachus vel monasterium, quod habetur loco filij. Addu-
4 cunt † etiam ad hanc opinionem fundandam, *l. imperialem, de pac. jura. fir.* & *c. unicum. §. donare, qualiter olim feud. poter. alien.* in quibus locis prohibetur alienatio feudi, etiam pro anima: ergo ecclesia succedere non potest. Præterea asserunt, in licentijs testandi, quas vulgò, octroy, appellamus, semper inseri clausulam, *Salvo quòd hujusmodi feudum*, de quo petitur licentia testandi, non relinquatur ecclesijs. Sequitur ergo, quòd de consuetudine ecclesia non succedit.
5 Postremò allegant † talem rationem, in re sua quilibet est moderator & arbiter, *l. in re mandata. C. mand.* Sed dominus qui rem aliquam dat in feudum, retinet sibi directum dominium: & disponendo super feudo, nō disponit de re ecclesiæ vel clerici, sed super re sua. Ergo nimirum, si valeat dispositio, per quam ecclesia vel monasterium repellitur à successione in feudum.

Quæ verò motiva, licet videantur prima facie apparentia, & demulceant aures audientium, si tamen subtiliter & medullitus singula considerentur, & eviscerentur, patebit facilè cuilibet sanæ mentis, hæc motiva nihil veritatis in se continere, quatenus proposito servit, aut in aliquo contra monasterium in casu subjecto concludere. Quod ut luce clarius pateat, respondebitur eisdem succinctè per ordinem, licet eadem motiva sufficienter reperiantur sublata in consilio ante tacto, si benè ponderetur. Non enim
6 † obstat primum, quia negatur, quòd successio de jure reprobata est in feudis, quò

quò ad clericos & monachos in caſu ſub-
jecto, puta in feudo parvo, ſeu curte,
tempore ingreſſus & profeſsionis non-
dum aperto, & tali cui annexum eſt tale
ſervitium, quod ſui natura poſſet per
quemlibet explicari, & in quo ſuccedit
fœmina: imò quòd talia feuda eccleſia
habere poteſt, *eſt tex. in capit. unico de
ſtatu monach. lib. ſexto, & in capit. ſolitæ,
de majori, & obedien. & in cap. verum, &
in cap. ex tranſmiſſa, de foro compet. &
in cap. cæterum, de judic. & in cap. nimis,
de jurejuran. & in cap. Romana. §. debet,
de appellatio. lib. 6. & cap. inter dilectos,
de fide inſtrum.* Quæ jura omnia lo-
quuntur in feudis, poſſeſſis per eccle-
ſiam, quæ recognoſcuntur & tenentur à
laicis: & *iſtud tenet gloſſa ordin. in d.
cap. 1. de feud. fœmin. quàm ibi expreſſè
approbant Bald. Iacob. Alvaro. & plures
alij: idem etiam tenet Archi. in c. ſi qua
mulier. 19. q. ult. iſtud etiam tenent In-
nocen. Hoſtien. Ioan. And. Ioan. de Ligna-
no, Anton. de Butrio, Panor. Felin. & Dd.
canoniſtę in c. in præſentia, de probat.* &
7 † *Ioan. Fab. in breviario. in Auth. ingreſſi,
C. de ſacro. eccleſ.* dicens, quòd eo ipſo
quod fœminæ admittuntur ad aliqua feu-
da de conſuetudine, debent hujuſmodi
feuda applicari eccleſię, ſaltem quòd ven-
dat, vel per alium ſerviat. *Idem etiam te-
net Salic. in d. Auth. ingreſſi, ubi dicit,
quòd doctores communiter ita tenent, &
quod iſta communis opinio. Atteſtantur
etiam Dom. Martin. & Prępoſ. in tit. qui
feu. da. poſ. in §. quia vidimus, & ad tex. d.
c. 1. de feu. fœm. cum ſim.* clara eſt reſpon-
ſio, videlicet, quòd loquitur de feudo jam
aperto ante clericatum vel ingreſſum, vel
verius in feudo militari, requirente ſer-
vitium perſonale, quod eſt alterius natu-
ræ, in quo eſt omninò alia ratio: *Et ita
dicit ibi gloſſa, concordando hoc modo præ-
dicta jura. & dicit ibi Bald.* quòd aliter
intelligendo, text. ille eſſet Judaicus, &
contra tex. in pręalleg. c. inter dilectos, &
idem ſequitur ibi Iacob Alvarot. & ve-
8 rum dicunt: quia, jura † debent juribus
concordari. *l. unica, C. de inoffic. doti. & c.
cum expediat, de elect. lib. 6.* Judæi autem
omnia intelligunt ad literam, ſed errant:
quia litera occidit, ſpiritus autē vivificat.
Ratio autem, quare religioſi ſuccedunt in
talibus feudis parvis ſeu curtibus, ſicuti
manentes in ſeculo, eſt: quia retinent ju-
ra ſuitatis, ſanguinis, & agnationis, , quæ
non perdunt, maximè cùm tranſeant in
ſtatum melioris conditionis: quod patet,
9 quia † naturales per ingreſſum religionis
efficiuntur legitimi: & legitimi, effecti
inhabiles propter ingratitudinem, effi-
ciuntur habiles ad ſuccedendum, *ſecund.
Guilh. de Cuneo in l. 1. C. de ſacr. eccleſ.
& probatur in l. Deo nobis. C. de epiſc. &
cler.* ubi habetur, quòd religioſi ita vocan-
tur ad ſucceſſionem, ſicuti ſi manſiſſent in
ſeculo. *Et ita tenet eleganter Ang. in
conſilio ſuo 133. incipiente, ſuper primo
puncto*· quare dictum primum fundamen-
10 tum non obſtat. Non † obſtat etiam au-
thoritas *Bald. in d. l. quiſquis*: quia ſi benè
inſpiciatur, videtur corruptus vel diminu-
tus: & quicquid ſit, idem Bald. in pluri-
bus locis tenet cōtrarium, videlicet, quòd
in iſtis feudis parvis ſeu curtibus, non re-
quirentibus ſervitium perſonale, & in
quibus admittitur fœmina eccleſia ſuc-
cedat & admittatur. *Primò in Auth. niſi
rogati C. ad Trebell.* Secundò *in c. quę in
eccleſiarum, de conſtit.* Et tertiò *in d. c. 1.
de feudo fœm.* Magis autem ſtandum eſt in
dicto ejus multiplicato, & in diverſis lo-
cis reiterato, quā dicto ejus in *d. l. quiſquis.*
11 Quod † enim pluries reiteratur, ex delibe-
ratione procedere videtur. *l. ſi qua mulier.
2. C. ad Vellej. & l. baliſta. ff. ad Trebell.*
maximè cū lectura ſua ſuper decretalib.
& lectura ſua ſuper feudis, fuerūt per eum
cōpoſitę in ſenectute, & lecturā ſuper co-
dice, in juventute: legerat enim quadra-

ginta annis, cùm fecit lecturam super decretalibus, *ut ipsemet refert in c. 1 in fine, de jurejur.* & cùm fecit lecturam super feudis, jam legit ferè quadraginta septem annis, ut ipsemet refert in principio lecturæ suæ super feudis: & sic evacuavit ea quæ sunt parvuli. Præterea cum hac ultima opinione Bal. concurrit opinio multorum famatissimorum Doctorum, adeò quòd hæc est communis, ut suprà dixi: quare in judicando ab ea non est recedendum, propter inadvertenter & diminutè scripta per eundem Baldum, *in d. l. quisquis*; quare non obstat. Non obstat etiam tertium, quia negatur probata consuetu-
12 do: & ad rationem respondetur, quòd † licet ecclesia nunquam moriatur, tamen per hoc non concluditur, quòd feudum nunquam reverti possit ad dominum vel agnatos, cùm circa hoc sit provisum, per constitutionem bonæ memoriæ Ducis Philippi, & alias constitutiones, quibus cavetur, quòd agnati hujusmodi feuda redimere possunt, & quòd ecclesia habeat præsentare Domino hominem mortalem, qui homagium præstet & servitium offerat, duplexque relivium solvat: quo etiam feloniam committente, vel servitium contumaciter non præstante, feudum amittatur, per quæ provisum est domino & similiter agnatis: & possent agnati etiam alio modo sibi providere ante ingressum, per pacta & conventiones, quòd si non fecerint, sibi imputent, *regula, damnum, de reg. jur. lib. 6.*

13 Non obstat † etiam quartum, quia licet illud benè probet, quòd ecclesia non debet admitti ad feudum militare, requirens servitium personale in armis. *d. cap. unico, de mil. vasal. qui arma bellica depos.* qui textus propriè loquitur in his terminis: tamen ex hoc inferri non potest, quòd ecclesia non possit admitti ad feudum simplex, requirens servitium per quemlibet explicabile, & ad quod admittitur fœmina, prout sunt curtes, de quibus est quæstio, per suprà allegata: cùm non probat hoc esse, quòd ab hoc contingit abesse. *l. neque natales. C. de probat.* Oppositum enim consequentis stat cum veritate antecedentis: quare non obstat.
14 Potest † tamen Dominus directus investire ecclesiam vel clericum etiam de feudo militari, si velit; quo casu videtur secum dispensare, ut serviat per substitutum, *secundum Dd. in cap. 1. de feudo fœminæ, ad quod bene facit l. quidam consulebant. ff. de re judic.* Non obstat etiam quintum; quia illud præsupponit duo falsa in terminis juris: præsupponit
15 enim primò, quòd † mors civilis & mors naturalis semper æquiparantur, quod est falsum: in multis enim casibus non æquiparantur, *ut plenè declarant D. legistæ in dict. leg. Deo nobis, & Panorm. & Canonistæ in Cap. cùm sis, de convers. conjugator. & glossa & Dd. in cap. susceptum,*
16 *de rescript. lib. sexto.* Secundò † præsupponit, quòd si feudum esset devolutum ad monachum, & ex consequentia acquisitum monasterio, quòd eo mortuo naturaliter, feudum devolveretur ad agnatos, quod est falsum in terminis juris. *d. Auth. ingressi, & Auth. si qua mulier. C. de sacr. eccles. & d. cap. in præsentia, cum utrobique notat.* licet benè verum sit, quòd per constitutionem bonæ memoriæ, Ducis Philippi, agnati possent hujusmodi feuda redimere. Nimirum ergo, si nihil in præjudicium monasterij ex illis falsis præsuppositis sequatur: quare non obstat. Non obstat etiam sextum, quia dico.
17 quòd † si monasterium, ex constitutione bonæ memoriæ Ducis Philippi, potest acquirere & retinere bona feudalia, donec redimantur, ex titulo emptionis aut donationis, multò magis potest hoc ex titulo successionis: Quod declaro, quia in primo casu permittitur ei tale quid, quod non erat ei quovis modo debitum,

sed

sed in secundo casu permittitur ei solum illud, quod erat ei debitum, & quod ei auferri per concedentem, etiam si voluisset, non potuisset. Cui ergo licet quod est plus, licebit utique quod est minus, *regula, cui licet, de reg. jur. lib. 6.* Et si id quod minus videtur inesse inest, & illud quod magis videtur inesse inerit: *Auth. multò magis. C. de sacr. eccles.* & *cap. cùm in cunctis, in princ. cum ibi notatis, de electio.* Et satis est in casu nostro, quòd per dictam constitutionem titulus successionis non est expressè exclusus: quare sequitur, quod monasteria retinuerunt sibi jus succedendi in parvis feudis seu curtibus, non requirentibus servitium personale, & in quibus admittitur fœmina, prout ante dictam constitutionem habuerunt, *jurib. & authoritatib. suprà allega.* Et ra-
18 tio istius evidens, † quia princeps laicus non potest tollere Ecclesijs id quod eis competit de jure communi, sine metu excommunicationis. *c. noverint, c. grave, cum utrobique notatis, de senten. excom.* & *Auth. cassa* & *irrita. C. de sacrosan. eccl. c. ecclesia sanctæ Mariæ, cum ibi*
19 *notatis, de constitu.* Nec etiam † præsumitur hoc velle in dubio, per constitutiones suas generaliter loquentes: quia in dubio nemo præsumitur velle delinquere. *l. meritò, cum ibi notatis. ff. pro soc.* Et in generali mandato non venit delictum. *l. si procurator. ff. de condict. indebi.* & *istud notabiliter firmat Ioan. And. in c. fin. de immu. eccles. lib. 6. in novella in pulchra quæst. bene serviente ad propositum:* & *sequuntur ibi omnes Dd. illam decisionem etiam refert* & *sequitur Card. in repetitione c. perpendimus, de senten. excommun.* Cùm ergo per dictam constitutionem titulus successionis non sit expressè exclusus, nec potuisset per principem secularem in præjudicium ecclesiæ excludi; cogimur dicere, quòd dicta constitutio optimè facit ad propositum, inducendo ut suprà. Est enim verisimile, ducem Philippum in sua constitutione studiosè tacuisse de titulo successionis, sciens se non posse in hoc casu compellere ecclesiam, ad vendendum rem legitimè ad eam devolutam, ex titulo suc-
20 cessionis, debito de jure communi. Nec aliquid facit, quod † dictio *alius*, est inclusus similium: quia fateor, quòd hoc est verum, quo stante cogimur dicere, quòd dictio, *alius*, etiam est inclusiva eorum, in quibus viget major ratio, quàm in expressis, & quę de se inerant: nec excludi potuissent, etiam si statuens voluisset. Et sic argumentum factum de dictione, *alius*, facit pro, & non contra; quare non obstat.

CONSILIUM CCXL.

SVMMARIA.

1 *Obligatio & depositio sive consignatio legitimè facta, quid operentur? & num. 6.*
2 *Ferro viam aperit, qui per contraria transit.*
3 *Oblatio solum verbalis, nihil operatur. Et quomodo elidatur? & num. 4.*
5 *Satisdatio in non liquidis, pro consignatione habetur, ac eundem effectum habet.*
7 *Illiquidum quando censeatur esse debitum?*
8 *Consignatio legitimè facta, per sententiam subsequentem invalidari nequit.*
9 *Litis eventus quare dicatur dubius?*
10 *Bona fides ex injustis etiam & temerarijs rationibus causari potest.*
11 *Causam habens ab alio, verisimiliter dubitare potest.*
12 *Conditio unius, ipso inscio, per alium deterior fieri nequit.*

13 *Contractus ex conventione partium legem accipiunt.*
14 *Solutio in qua moneta fieri debeat?*
15 *In Brabantia pro denarijs aureis, invito creditore, æstimatio solvi potest.*
16 *Principem benè & justè motum fuisse, semper præsumitur.*
17 *Subditis sanctum & rectum semper videri debet, quod princeps statuit, & num. 19. & 25.*
18 *Notorium à probando relevat, licet allegari oporteat.*
20 *Clausulæ insolitæ in literis vel instrumentis positæ, præsumptiones doli, fraudis vel simulationis inducunt.*
21 *Error potius quàm dolus præsumitur.*
22 *Difficultas & impossibilitas à perjurio excusant.*
23 *Obligatus ad factum, solvendo interesse liberatur.*
24 *Valor monetæ secundum communem usum potius, quàm quoad materiam considerandus est.*
26 *In nummis non cadit affectio.*
27 *Consignans pecuniam consignatam, antequam creditor consignationem ratam & gratam habeat, rursum ad se recipere, sicque pœnitere potest.*
28 *A consignatione semel facta recessum non præsumitur, nisi de contraria voluntate appareat.*
29 *Dominium an per consignationem trasferatur?*

QUamvis plura hinc inde sint allegata, in processu pendente indeciso coram vobis magnifico & venerabilibus Dominis Cancellario & alijs consiliarijs concilij Brabantiæ, per & inter magistrum Arnoldum de Lathem impetrantem ex una, & Egidium Vrancx partibus ex altera: Tamen ultra deducta & clarè apparentia ex actis, judicio cujuscunque melius sentientis semper salvo, breviter deducam, quòd ipsi impetranti sua conclusio sit adjudicanda. Nam juris

1 notissimi est, quòd † per oblationem & depositionem sive consignationem legitimè factas plenissimè debitor liberatur, cursus usurarum impeditur, & actio pignoratitia sibi paratur, & denarij depositi periculo creditoris existunt: *ut est casus ad literam in l. acceptam, C. de usu.* & *l. obsignatione. C. de solut.* condictioque pro instrumentis vel literis reditus extincti, sive quantitatis dissolutæ eidem competit, *ut l. dissolutæ, cum concord. C. de condict. ex lege.* Sed constat, dictum impetrantem, oblationem, tam per nuncium, quàm per seipsum cum pecunijs, tunc cursum secundum æstimationem & appreciationem principis & patriarum habentibus, in oppido Mechliniensi ipsi opponenti, & alteri consimilem reditum habenti fecisse, ac propter ipsorum recusationem summam 1700. florenorum Rhenensium in banco publico, saltem pro tali tunc habito & tento, oppidi Bruxellensis, ubi tam de jure, quàm juxta tenorem literarum constitutionis reditus, consignatio fieri potuit ac debuit, deposuisse, & hujusmodi consignationem per literas oppidi Bruxellensis, prout moris est, insinuasse. Ergo sequitur evidenter, quòd reditus unde quæstio, à die prætactæ consignationis, fuit extinctus, & ipsi debitori plenaria acquisita liberatio.

2 Et quia † ex solutione oppositionum hæc conclusio melius percipietur, cum, *teste Baldo in l. precibus, C. de impube.* & *alijs subst.* ferro viam aperit, qui per contraria transit: Idcirco omissis pluribus, quæ pro confirmatione dictæ conclusionis facere possent, procedo ad contraria: Primò ad hoc quod ex adverso
3 allegatur, quòd † oblatio per impetrantem fuisset solummodo verbaliter facta: & per consequens, *juxta notata Bart. in d. l. acceptam,* nihil operaretur: Dico, quòd contrarium illius patet ex eo,

quòd

quòd idem impetrãs denarios promptos
secum vexit Mechliniam, & illos oppo-
nenti obtulit, ac de post debitè deposuit
& consignavit, & sic non stetit in verbali
oblatione, sed processit ad realem consi-
gnationem. Præterea non † constat, quòd
ipse opponens paratus fuerit, ipsos dena-
4 rios sibi oblatos recipere, quod faciendo
potuisset elidere verbalem oblationem, si
illa dũtaxat facta fuisset, & aliàs minimè,
juxta theoric. Bart. in l. creditor, & *ibi
Alexan. in apostillis. ff. de distract. pign.*
Quare, &c.

Non obstat si dicatur, quòd oblatio &
consignatio denariorum nõ fuit sufficiens
pro dequitatione prætacti reditus 37. cũ
dimidio florenorum, & alterius consimilis
reditus, unà cum arreragijs & expensis.
Quia breviter dico, quòd ex † quo fuit
5 consignata sufficiens summa, pro sorte
dictorum redituum, ascendente ad 1620.
florenorum Rhenensium, cui summæ su-
pererant adhuc 80. floreni Rhenenses, pro
arreragijs forsitan liquidis, ac pro non li-
quidis idonea cautio, ut puta fidejussoria
per impetrantem posita fuit, sic de jure
satisfactum fuit, *d. l. acceptam.* debitèque
& sufficienter oblatio & cõsignatio factæ
fuerunt: cũ satisdatio in non liquidis ha-
beatur pro consignatione, ac eundem effe-
ctum operatur, *prout est casus in l. statu
liber rationem*, & *in l. servus si hæredi. §.
fina. ff. de statu liber. per quos tex. hoc vo-
luit notabiliter Ang. in l. si residuum, C.
de distract. pign.* & *idem Ang. in l 4. §. ait
prætor, ff. de re jud. hoc idem etiam vult
glossa ordin in d. l. acceptam*, & *ibi Bal. in
in 6. opposit.* & *glossa ordin. in preall. l ob-
signatione: Istud etiam volunt Bart.* &
Dom. Alex. in d. l. creditor, & *Bal. in l. 1.
in 2. col. C. ne lic. in una eademque causa
tertiò provoc.* & *idem Bald. in l. 1. § 1. de
l. Conradi, in usib. feudo istud etiam vult
Dom. Ioan. de Imo. in l. ait prætor. §. si quis
ff. de novi. oper. nuncia.* & *idem in d. l. si
mora. ff. solut. matr.* & *Dom. Barthol. Ve-
ronen. in cautela sua 51. incipien. nota
quòd ubi debitum non est liquidum.* De-
6 buisset † ergo dictus opponens securè fa-
ciendo, liquidum recepisse, & de non li-
quido jus suum prosecutus fuisse: *juxta
l. quidam æstimaverunt. ff. de reb. cred.
cum ibi notatis.* Et quia non fecit, ipsius
periculo est, si pecunia deposita perierit,
reproba facta fuerit, vel in valore dimi-
nuta extiterit. *d. l. acceptam.*

7 Quòd autem arreragia, pro quibus po-
sita fuit cautio, fuerunt illiquida, patet ex
eo, quòd desuper vertebatur quæstio, co-
ram vobis venerabilibus dominis inter
partes hujus causæ. Et regulariter tunc,
saltem sub, districtu Bruxellensi & Lo-
vaniensi, de reditibus fiebat debitoribus
damnum passis remissio. Cùm ergo im-
petrans diversa & intolerabilia damna in
bonis suis, super quibus reditus, unde
quæstio, constitutus existit, passus fue-
rit: sic exempla vicinorum, consuetudo
ac regula in similibus observata, dede-
runt eidem probabilem causam litigandi,
ac ulterius litispendentia & dubius litis
eventus, fecerunt residuum dictorum ar-
8 reragiorum non esse liquidum. Nec †
arguit, quòd idem impetrans postea suc-
cubuit, quia consignationem prius legiti-
mè factam, ubi initium ac tempus consi-
gnationis spectandum est, invalidare
non potuit sententia subsequens, *regulo,
factum legitimè, de reg. jur. lib. sextò,
cum vulgar.* Et tanto minus, quia ex
hoc non sequitur, quòd non habuerit pro-
9 babilem causam litigandi, cùm † sæ-
pe justam causam sustinens, ptopter de-
fectum probationis, imperitiam & negli-
gentiam advocati vel procuratoris, & a-
lijs pluribus ex causis, succumbat: quare
litis eventus dicitur dubius. *l. quod debe-
10 tur. ff. de pecul.* Et ideo sufficit, †
quod quis ad litigandum ex verisimili-
bus & probabilibus causis motus fuerit:

per

per not. in l. properandum, & *in l. sancimus, C. de judic.* & *in cap. finem, de dolo* & *contum. cum sim.* Imò quælibet causa injusta & temeraria, apparens tamen & verisimilis, excusat à calumnia & dolo: *ut est tex. in l. igitur, ibi, justis rationibus ductus vel non justis, sine calliditate tamen. ff. de libera. causa. cui consonat theor. Baldi in l. 1. in fine. C. ubi causa status*, &c. ubi dicit, quòd bona fides potest causari, non solum ex justis rationibus, sed etiam ex injustis & temerarijs.

Nec debet obesse, quòd reditus dicti opponentis post guerras fuit constitutus;
11 quia † ex quo tam opponens, quàm possessor alterius reditus consimilis, causam habuerunt à quondam Henrico Rielmans, qui utrunque reditum comparavit, quorum unus fuit per quadraginta annos prius constitutus. Sic potuit impetrans verisimiliter dubitare, cui posterior reditus cessisset, & propter dubium contra utrumque contendere *argum. l. qui in*
12 *alterius. ff. de reg. jur.* Ex quo † enim dictus quondam Henricus, si vixisset, saltem pro altero reditu remissionem facere debuisset, non potest conditio impetrantis propter divisionem redituum. postea eo inscio factam, fieri deterior. *l. 2. §. ex his. ff. verb. obliga.* Quare sequitur, quod mediante prætacta cautione, de non liquido idem impetrans satisfecit: attento etiam, quòd pro reditibus cessis ultra sortem depositi fuerunt 80. floreni, qui in solutionem arreragiorum liquidorum primo applicari debuerunt, *juxta l. 1. cum seq. ff. de solut.*

Ad hoc autem, quòd dictus opponens pro suo principali fundamento dicit, quod juxta tenorem literarum constitutionis, redditus dequitatio fieri debet cum florenis aureis ante annum 1450 cussis, & monetatis, & non cum alia moneta: Cùm
13 † ergo contractus ex conventione partium legem accipiant, *regula, contractus, de reg. jur. lib. 6. cum alijs vulgar.* ergo consignatio per impetrantem in alia moneta facta, non operabitur effectum plenæ liberationis, &c. Respondeo, quod li-
14 cet † de jure communi, quando certa species monetæ est in obligatione, ex natura contractus, vel ex vi conventionis, non possit fieri solutio in alia moneta, saltem alterius ligæ *juxta notata Bart.* & *aliorum Dd. in l. Paulus alias creditor, ff. de solut.* & *per Panor. in c. quanto, de jurejuran.* Tamen hoc fallit, quando consuetudo est in contrarium, *prout dicit gl. singul. in l. si quis argentum, in princ. super verbo. æstimatione. C. de donat.* & hujusmodi consuetudini standum est, ac illa debet observari, *secund. Bart. Paul. de Cast. Io. de Imo.* & *Dd. in d. l. Paulus*, & *voluit Panor. in d. c. quanto in finalib. verbis, dicens Oldradum ita consuluisse.* Sed
15 cum † ex generali & notoria consuetudine hujus patriæ Brabantiæ, quam Bart. etiam dicit servari in multis civitatibus Italiæ, pro denarijs aureis, invito creditore, possit solvi æstimatio: imò generali lege sive constitutione principis & patriarum, anno 89. edita, quam, quo ad hoc non constat esse mutatam, cautum est, dequitationes redituum florenorum aureorum posse fieri cum florenis aureis, vel valore eorundem: sequitur, quod idem impetrans, deponendo valorem aureorum denariorum secundum æstimationem illius temporis, videlicet 27. stuferos pro floreno aureo, sit liberatus: cùm
16 † nemo sit qui dubitet, quin princeps ita ordinaverit, & ordinare potuerit, fatuumque esset multum, de facultate principis, & an benè motus fuerit ad sic statuendum, disputare. Semper enim præsumitur, principem benè & justè motum fuisse, *juxta plenè notata per canonist. in c. quæ in ecclesiarum, extra. de constit.* & *per legistas in l. fin. C. si contra jus vel uti-*
17 *litat. public.* & † præcipuè subditis, qualis est

est ipse opponens, semper sanctum & rectū videri debet, quod princeps statuit, *arg. l. liberto. ff. de obsequ. libertor.* & pro lege ab ipsis servari. *l. 1. ff. de consti. prin.* Quas etiam constitutiones, tanquam no-
18 torias non est opus probare; cùm † notorium relevet à probando, licet non ab allegando, *ut est gl. ordin. approbata per omnes in clem. appellanti, de appell.* Imò
19 quod † fortius est, quando aliquid de facto servatur, etiam si de jure non valeat, est perinde ac si valeret, quando princeps sic observari vult, *ut dicit singulariter Dom. Alberic. de Rosate, in l. 1. C. de summ. Trinit.* & *voluit Bart.* & *Doct. in l, 1. ff. quod quisque juris.* Et tantò magis dicta consignatio modo prætacto facta, debet censeri legitimè facta, ex quo impetranti in constitutione reditus prænarrati, non fuit satisfactum in florenis aureis, sed in omni genere monetæ: & quia hujusmodi literæ errore quodam adinstar primarum literarum fuerunt, nec sit verisimile, quod ipse impetrans illo modo se obligare voluisset, aut quod ipse quondam Henricus Rielmans anno 90. tot florenos aureos ante annum 50. præcedentem monetatos habuisset. Clausu-
20 læ † enim insolitæ & non usitatæ (qualis est ista) in literis vel instrumentis positæ, inducunt præsumptiones fraudis & doli, sive simulationis, *ut est glos. notabil.* & *ibi Bald. Angel.* & *Dd. in l. si quis sub conditione. ff. de condit. institut.* & *commemorat idem Bald. in c. tertio loco, circa fin. de probat.* multò
21 † magis ergò clausulæ insolitæ & non usitatæ inducunt præsumptionem erroris: cùm in dubio potius præsumatur error quam dolus *l. quotiens. §. 1.* & *ibi Bart. Paul. de Cast.* & *Dd. ff. de hæred. instit.* & istis cessantibus, cùm impossibi-
22 lium nulla sit obligatio: quinimò † difficultas excusat à perjurio, & multò magis impossibilitas. *c. brevi, de jurejurand.* & difficillimum foret, imò ferè impossibile, reperire tales florenos aureos, ante tot annos monetatos: Sequitur, quod omni jure valorem dictorum aureorum florenorum, secundum æstimationem principis deponendo, sæpe dictus impetrans fuit liberatus. *c. olim,* & *c. cum canonic. ubi utrobique est casus extra de censib.* nec propterea literæ constitutionis hujusmodi reditus, & conventiones inibi tactæ, videbuntur servire de vento: cùm impetrans ad hujusmodi denarios sit obligatus, licet ex beneficio consuetudinis vel constitutionis principis, aut propter difficultatem acquirendi hujusmodi aureos florenos in specie, liberetur, solvendo valorem vel æstimationē: nec hoc est inconveniens, prout est dare simile in infinitis ca-
23 sibus, in jure expressis. Et † inter alios in obligato ad factum, qui ex beneficio legis liberatur, solvendo interesse. *l. stipulationes nō dividuntur. §. Celsus. ff. de verb. oblig. cum vulg.* imò fortius in duobus debitoribus vel reis debendi, in solidum obligatis, & in pluribus fidejussoribus in solidum obligatis, habentibus beneficium divisionis: & apertius in fidejussore habente beneficium excussionis, non obstante, quòd ipse, & quilibet ex his sit verè & effectualiter obligatus, *Auth. hoc ita. C. de duob. reis.* & *Auth. præsente. C. de fidejus. cum vulgar.* quod procedit, etiam si fidejussor se principalem constituerit, quod fortius est, *ut est glossa ordin. singul. in Auth. de fidejuss. in princip. collat. 1.* & *voluit Ioan. Fab. Institut. de fidei. super Rubr.*

Nec obstat, si dicatur, quòd licet valor extrinsecus dictorum aureorum florenorum fuerit depositus, non tamen intrinsecus, qui deponi debuisset, *juxta l. cùm quid. ff. si cert. pet,* Cùm floreni aurei ante annum quinquagesimum monetati, justa æstimatione bene valebant viginti octo
24 stuferos: quia dico, quod potius † debemus

considerare valorem denariorum, quoad usum & cursum, quàm quoad materiam, *prout dicit notab. Panor. in d. c. quanto, cui consonat theorica Bart. in d. l. Paulus, in ultimis verbis declarata, prout eam subtiliter declarat ibidem Dom. Ioan. de Imo. in quantum dicit*, quòd ubi mutuum vel depositum certarum librarum receptum est in florenis, & actum seu conventum est inter partes, ut reddatur seu restituatur in florenis, nec adjectum est in eadem æstimatione, tunc inspicitur valor florenorum, qui est tempore solutionis, & non quidem valor intrinsecus, sed valor seu æstimatio communis, quoad cursum & u-
25 sum, secundum eos. Cùm † ergo omnes floreni aurei, qui cursum habuerunt uniformiter, tempore prætactæ consignationis, appreciati fuerint per constitutionem principis, ad viginti septem stuferos: & quod principi placuit, juxta præmissa, inviolabiliter debeat servari, maximè à subductis, cessat objectum: & eò magis, ex quo dictus opponens tempore prætactæ consignationis non potuisset plus cõsequi, quàm viginti septem stuferos, pro quibuscunque florenis, nisi forsan illos voluisset conflare, vel ad extraneas regiones portare, vel illis aliâs illicitè uti: & per consequens nullum passus est damnũ,
26 saltem de jure æstimabile, cùm † in nummis non cadat affectio. *l. nummis. ff. de in litem juran.* & potuisset ipse opponens tempore depositionis cuilibet alteri creditori satisfecisse cum pecunia deposita, sicut cum florenis aureis: quare, &c. Non obstat etiam, quod nummularius asseritur, renuisse ipsi opponenti tradere pecunias sub eo depositas: quia licet de hoc constaret, nihil ad impetrantem, qui impedimentum non præstitit, cùm potuisset ipse opponens ipsum campsorem utili actione depositi compelli fecisse, ad sibi tradendum hujusmodi pecuniam, *d. l. acceptam, in fine,* & *ibi Bal.* & *Dd.* quare, &c.

27 Pariformiter non † obstat, quod impetrans post consignationem, partem pecuniæ depositæ ad se recepit: quia respondeo, *prout dicit Paul. de Cast. Bald. alij Doct. in d. l. acceptam*, quòd potest consignans pœnitere, & pecuniam consignatam, antequam creditor consignationem gratam & ratam habeat, iterum ad se recipere: & per consequens, fuit in potestate ipsius impetrantis, consignatam pecuniam in toto vel in parte à campsore repetere: ac in ipsius optione fuit, quem ex prædictis reditibus redimere voluit, cùm sint omnino distincti & separati: cùm ergo impetrans solummodo reperitur resilire voluisse à dequitatione reditus, Everhardo Sparck pertinentis, & quòd sufficientes denarij remanserunt apud campsorem, pro dequitatione reditus dicti opponentis, nec qualitas negotij, quoad ipsum, inveniatur mutata: sequitur, quòd prædicta consignatio post deductionem hujusmodi denariorum, quoad opponentem, mansit in suo robore: cur enim stare prohibetur, quod mutatum non invenitur? *l. sancimus C. de testam.*
28 nec † præsumitur impetrans à priori consignatione recessisse, nisi in quantum de contraria voluntate appareat. *c. majores, in fi. extra de baptis.* & *l. fideicommissa. §. si rem. ff. de legat. 3.* Nec præmissis obstat, quòd ante festum nativitatis Christi, anno 99. insinuatio fuit facta opponenti & Everhardo simul, post hujusmodi festum denarij deducti, & expost nova insinuatio ipsi opponenti soli prius facta. Quia dico, quòd hujusmodi posterior insinuatio non fuit nisi de bene esse, & ex superabundanti cautela, quæ non nocet, *per jura vulg.* Sed prima insinuatio fuit sufficiens, & ipsos simul, & unumquemque ipsorum concernebat, donec & quousque ipsi Everhardo significatum fuit, de contraria voluntate ipsius impetrantis:
29 nec obstat, si † dicatur impetrans non liberatus

beratus ex eo, quod dominium non fuit translatum, per hujusmodi consignationẽ: quia dico, quod licet hoc verum sit, tamẽ consignatio habet vim solutionis, traditionis, & dominij translationis, *d.l. obsignatione, cum sim.* & potest creditor, consentiendo consignationi, sibi acquirere dominium, quod si non fecit opponens, sibi imputet, *regula. damnum, de reg. jur. lib. 6. cum vulg.* Cùm ergo consignatio hujusmodi fuit, ut præmittitur, legitimè facta, & tempestivè prefato Egidio intimata, videtur mihi, sub correctione vestra & aliorum melius sentientium, quod hujusmodi reditus triginta septem cum dimidio florenorum aureorum fuit & est per hujusmodi consignationem extinctus, & pro extincto habendus & censendus, ac talis per circumspectiones vestras declarandus: judicio vestro, cui Deus adsit, & cui me submitto, qui testium depositiones, & alia hujus causæ secreta, per me non visa, plenè & exactè vidistis, & cognoscitis, semper salvo.

CONSILIUM CCXLI.

SUMMARIA.

1 *Dolus dans causam contractui, ipsum reddit nullum & invalidum.*

2 *Deceptio ultra dimidium justi precij, transactionem an rescindi faciat?*

3 *Dolum alleganti incumbit probatio.*

4 *Dolus quomodo probetur?*

5 *Præsentia & interventus amicorum, omnem doli præsumptionem cessare faciunt.*

6 *Autheritas vel præsentia ordinarij magistratus, in transactionibus quid operetur?*

7 *Error transigentium unde probetur?*

8 *Geminatus consensus jurejurando æquiparatur, & vim jurati consensus habet.*

9 *In bonis feudalibus taciturnitas unius anni, post investituram per alium obtentam, consensum operatur.*

10 *Adversus ea quæ ritè, integrè & incorruptè peracta sunt, majoribus in integrum restitutio non datur.*

11 *Minoribus adversus transactionem per in integrum restitutionem succurritur.*

12 *Beneficium* l. 2. C. de rescind. vend. *in transactionibus locum nõ habet.*

13 *Deceptus non videtur, qui super dubio litis eventu cum adversario transegit.*

14 *Transactionum maxima fides esse debet.*

15 *In contractibus liberatorijs.* l, 2. C. de rescin. vend. *locum non habet.*

IN defensione causæ fratrum van der Aa, reorum, adversus domicellam Iaqueminam van Heffene, ac ejus filium Iodocum, cognomento de Rycke, actores: Primum animadvertendum est, quid actrix præfata, & ejus filius petant, & quibus medijs suam petionem con-
1 firmare nitantur. Petunt † autem, ut in scripturis eorum liquet, trãsactiones duas inter partes prædictas initas, de quibus quæstio vertitur, declarari nullas, invalidas, ac nullius efficaciæ, tanquam initas dolo, qui dedit causam contractui, & sic ipso jure nullas, *per l. & elegãter. ff. de dol.* Vel si hujusmodi transactiones nullitatis seu invaliditatis argui non queunt, ut saltem vigore suarum literarum à rege impetratarum, ab eisdem transactionibus, tanquam per errorem celebratis lapsu temporis, ac omnibus alijs defectibus, releventur, & in integrum restituan-
2 tur principis beneficio: vel in † eventum, quo præfatæ transactiones validæ sint, & eisdem impetrantibus in integrum restitutio non competat, ut saltem eædem transactiones, utpotè, quibus ultra dimidium justi precij decepti sunt, rescindãtur,

reddanturque eisdem bona contentiosa, vel justa eorundem æstimatio, ex vi *l.2. C.de rescind. vend.*

Tota igitur actorum intentio in tribus fundata est in dolo scilicet reorum, in errore & ignorantia actorum, & in eorundem actorum enormi læsione & deceptione: de quibus per ordinem disserendum est. Primum,† quantum dolum
3 attinet, per adversam partem allegatum, constat, eum qui dolum allegat, dolum debere probare, *l. quoties. §.qui dolo.ff.*
4 *de probat.* constat † etiam dolum nudis verbis, & partis assertione minimè probari, verùm requiri vel manifestam probationem, vel certè conjecturatam. *l. dolum.cum gl. C. de dol.* Videndum est igitur, quoniam in præsenti negocio dolus manifestè non probatur, an conjecturæ per adversam partem ad doli probationem adductæ, sufficientes sint ad dolum probandum? Et primò, cùm dicitur in suis scripturis, prædictam domicellam Iaqueminam fuisse circiter 75. annorum, cœcam oculis, & debilem intellectu, ignorantem bona contentiosa ad se devoluta esse: & Jodocum præfatum ejus filium juris ignorantem, & rei rusticæ operam dantem: & econverso, prædictos fratres van der Aa, reos, juris scientissimos fuisse, utpote, qui apud Mechlinienses Magistratum gerunt, & non ignorasse jus actricis, quod sibi in prædictis bonis contentiosis competebat: & ob hanc rem præsumi oportere, eosdem reos dolo induxisse prædictos impetrantes, ad consentiendum transactionibus præfatis, de quibus est quæstio: Nullus non videt, quàm stolida ac inepta sit hæc conjecturatio: ille prudens est, ergo dolosus. Nec valet eadem consequentia de jure, etiamsi ille prudens assereretur, & probaretur esse magistratus, vel nobilis, & in magna dignitate constitutus. *l. ad invidiam. C. quod met. causa,* & *c. ad audientiam, eod. tit.* Præterea quod sequitur, reos impetrantibus persuasisse, tam per se, quàm per alios eosdem impetrantes, non habere jus in bonis contentiosis, nisi pro parte, quanquam verum esset, quod tamen rei non fatentur, modo quo ponitur, æque tamen frivolum est: quis enim prohibebit, me, adversarium meum, molestias mihi parentem, juris mei ac suæ injuriæ reddere certiorem, eumque hoc pacto ad recognitionem suæ injustitiæ, ac ineundam concordiam adducere? Nec obstat, quòd eodem loco per partem dicitur, reos benè scivisse, eis nullum jus in bonis contentiosis competijsse, quia scilicet, gradu uno remotiores erant domino Egidio de Musene equiti, quàm impetrantes. Quoniam respondetur, testamentum Domini Egidij van Musene equitis omnem suspicionem doli dispellere, quia eadē ferè per omnia est dispositio transactionum, de quibus est quæstio, quæ est testamenti præfati: quare quanquam ab intestato forte impetrantes potiores fuissent, utpote priores gradu, testamentum tamen prædictum reos potiores reddit, & ab omni doli suspicione liberat: quia illius potissimum vigore ante transactionem initam, jus sibi competere prætendebant: illoque subnixi, eosdem impetrantes, qui se idem testamentum posse impugnare diffidebant, ad honestam ac testamento conformem adegerunt concordiam, bina transactione solenniter formatam. Præter hæc, omni suspicione doli major est bona prædictorum reorum fama, & vulgatissima integritas: quippe qui semper adeò rectè ac inculpatè vixerunt ut meritò nihil tale de eis suspicari queat. Quamobrem, non modica eis hac doli & fraudis allegatione illata videri debet
5 contumelia. Insuper † præsentia ac interventus amicorum adversę partis, qui trāsactioni, de quâ est quæstio, interfuerunt, omnem

omnem præſumptionem doli ceſſare fa-
cit, *ut pulchrè dicitur in l. tranſactionem,*
cum ibi notat. per Dd. C. de tranſact. & *per*
gloſ. & *Dd. in l. Polla, C. de his, quibus ut*
6 *indig.* Poſtremò, † etſi omnia prædicta
ceſſarent, præſentia tamen & authoritas
judicis vel magiſtratus, coram quo, eoque
approbante, & partes utrinque in con-
ventis per eos condemnante, prædictæ
tranſactiones ſolenniter celebratæ ſunt,
abundè ſatis efficax eſt, ad omnem pror-
ſus doli præſumptionem adimendam, *ut*
eleganter vult tex. ſingul. in l. 1. & *ibi per*
Dd. C. de præd. curial. lib. 10. & *facit l.*
cùm putarem. ff. fam. herciſc. Ex quibus o-
mnibus liquidò apparet, nullum dolum
ex parte reorum interveniſſe, verè vel
præſumptivè: ac ex conſequenti, tranſa-
ctiones prædictas viribus ſuis conſiſtere
debere.

7 Quantum verò ad † errorem attinet,
per impetrantes ſecundo loco allegatum,
cujus prætextu in integrum reſtitui deſi-
derant, negatur, domicellam Iaqueminam
impetrantem ſenſu carere, vel caruiſſe
tempore tranſactionum initarum, vel e-
jus juris, quod ſibi nunc competere con-
tendit, ignorantem fuiſſe, aut quoquo mo-
do in errore fuiſſe: cum clarum ſit, eam
per filium ſuum Iodocum coram magi-
ſtratu Mechlinienſi poſt primam tranſa-
ctionem declaraſſe, ſe cõſenſum jam præ-
ſtitum revocare, eò quòd ſciret, ſe proxi-
mam eſſe in gradu: & ſic bona conten-
tioſa ad eam ſolam devoluta eſſe: poſt
quam declarationem amicorum ſuorum
conſilio, longa & matura deſuper habita
deliberatione, habita etiam bonorum cõ-
tentioſorum plenaria ſpecificatione, ita ut
eorum valorem ignorare non potuerit,
ſuam agnoſcens injuriam, denuò ſolenni-
ter tranſactionem ſemel initam, coram
prædicto magiſtratu renovavit. Quapro-
pter nullum errorem ex impetrantium
parte interveniſſe, præſumi debet: imò
contrarium, quòd ſcilicet, ut ſuprà di-
ctum eſt, ipſi vidẽtes ſe diſpoſitioni teſta-
toris non potuiſſe cõtravenire, tranſactio-
nem de qua quæſtio eſt, amplexi ſunt, ut-
pote eidem diſpoſitioni penè per omnia
cõformem. Quòd etſi aliquis error inter-
veniſſet, (quod non conceditur) is tamen
nunc detectus minimè ſufficiens eſſet, ad
impugnandam tranſactionem, tam matu-
rè tamque ſolenniter celebratam, ac co-
ram magiſtratu loci, qui ſuam authorita-
tem interpoſuit, & partes hinc inde in id
quod conventum fuerat condemnavit, *ut*
de hoc eſt textus apertiſſimus ad literam
in l. cùm putarem. ff. famil. herciſc. Præ-
8 terea conſenſus † geminatio per impe-
trantes facta, cum magno medij tempo-
ris intervallo, integrum plenariumque ar-
guit cõſenſum, & erroneum præſumi non
patitur, cujus vel ſolius vigore in inte-
grum reſtitutionem impetrantibus dene-
gari oportet, cùm geminatus conſenſus
jurejurando æquiparetur, & vim habeat
conſenſus jurati, *ut colligitur ex notatis*
per gloſ. Panorm. & *Dd. in c. cùm contin-*
gat, de jurejurand. juncta auth. ſive à me.
C. ad Vellej. Ex quibus juribus ſimul jun-
ctis patet, quod ſicut conſenſus juratus
mulieris, reddit validam alienationem
fundi dotalis, ita etiam conſenſus gemi-
natus: multò fortius igitur in caſu noſtro,
per geminatum impetrantium cõſenſum,
etiam ſi nihil aliud adeſſet, validam con-
venit eſſe tranſactionem, de qua eſt quæ-
ſtio, cùm à lege prohibita nõ fuerit, quem-
admodum alienatio fundi dotalis. Præ-
terea, quòd impetrantes poſt ultimam
tranſactionem ſeptennio integro tacue-
runt, interimque rei in pacifica poſſeſſio-
ne proprietatis bonorum contentioſorum,
nullo contradicente fuerunt, præſumi
facit, nullum errorem interveniſſe; quia
interim ſaltem detegi oportuiſſet, debent-
que prædicti impetrantes, vel ex eo capi-
te ab in integrum reſtitutione arceri.

9 Cùm † in feudalibus bonis, prout con-
tentioſa bona ſunt, unius tantum anni à
die ſcientiæ, patientia à jure ſuo excludit
eum, qui poſt inveſtituram per alium ob-
tentam patitur, ſic inveſtitum unius an-
ni ſpacio abſque contradictione poſſide-
re, ſi is qui ita patitur alium inveſtiri, &
annaliter poſſidere agnatus ſit, fortius er-
go ſi fuerit cognatus, qui de jure feudorũ
ſcripto, ad ſucceſſionem feudi novi non
admittitur, quales ſunt impetrantes, &
feudum contentioſum, *ut eſt tex. apertus
in c. unico. §. his verò deficientibus in ti-
tulo, de ſucceſſ. fratrum vel grad. ſucce.
in feud. uſib. feudor.* & *textus apert. in c.
Titius,* & *ibi per gloſſ. Bald.* & *Dd. ſi de
feud. fuerit controverſ. in uſib. feud.*
apertus enim conſenſus, & unius anni ta-
citurnitas, quo ad hoc, æquiparantur,
10 *ut pulchrè ibi.* Cùm † igitur impetrantes
tempore tranſactionis majores fuiſſe con-
ſtet, & ſanæ mentis, ac cum matura &
plenaria deliberatione præhabita, omnia
egiſſe, geminatum conſenſum, ac ſe-
ptennalem, prout præmittitur, poſſeſſio-
nem, ſcientibus adverſarijs interveniſſe :
nullo pacto præſumi poteſt, aliquem do-
lum ex reorum parte, vel ex impetran-
tium parte aliquem errorem interveniſ-
ſe : ſed ritè, integrè, ac incorruptè omnia
peracta eſſe, præſumi oportet. Et idcir-
co in integrum reſtitutionem impetran-
tibus denegari oportere, conſequens eſt,
11 per ſuprà dicta : & quia † minoribus
adverſus tranſactionem per reſtitutio-
nem in integrum ſuccurritur, *ut C. ſi ad-
verſ. tranſact. per tot.* Non ſic autem ma-
joribus, *vulgar. leg. ſi major. C. de dol.
mal. cum cum ſim.* Reſtat nunc ever-
tendum tertium impetrantium funda-
mentum, quo potiſſimùm fidere viden-
12 tur, hoc eſt, beneficium, † *l. 2. C. de re-
ſcind. vend.* quòd eis tanquam ultra di-
midium juſti precij deceptis, compete-
re prætendunt, malè memores *l. Lucius.
§. fin. ff. ad Trebell. cum ſua gloſ. Dy-
nus, Alberic. Bart.* & *Dd.* qua cavetur
expreſsè remedium. *l. 2. C. de reſcind.
vendit.* in tranſactione locum non habe-
13 re: quoniam non † poteſt videri deceptus,
qui ſuper dubio litis eventu tranſegit
cum adverſario : imò multum lucratur
qui à lite recedit, *quod per omnes Dd. ne-
mine diſcrepante, locis prædictis confirma-
tur,* & *per Bald. in d. l. 2. de reſcind. vend.*
& *in l. ordo. C. de execut. rei judic. per gl.*
& *Ioan. Andr. in c. pen. extra. de empt.*
& *vend.* & *Spec. de empt.* & *vend. §. nunc
videndum reſtat. verſic. quid de tranſa-
14 ctione : ad quod † optimè facit l. poſt de-
ciſionem. C. de furt. l. 1. C. de plus petit.
l. actione,* & *l. minorem,* & *tot. titul. C. de
tranſactio* & *l. ſi major, cum infinitis alijs,
C. de dolo.* Quæ jura omnia clamitant,
tranſactionum maximam fidem eſſe o-
portere, & rectiſſimè : quis enim erit li-
tium finis, ſi à tranſactionibus bona fide
interpoſitis, facilè cœperit diſcedi? *l. fra-
tris. C. de tranſactio. ad hoc etiam opti-
mè facit l. poſt rem. ff. de re judic.* quæ æ-
quiparat tranſactionem rei judicatæ.
Cùm ergo nullus læſionis prætextus ef-
ficax ſit, ad reſcindendam ſententiam, non
debet idem tranſactione ritè celebratæ
15 officere. Facit † ſimiliter quod in contra-
ctibus liberatorijs *d. l. 2. C. de reſc. vend.*
locum non habet. *l. ſub prætextu. C. de
tranſactio.* quare cum tranſactio ſit hu-
juſmodi, ſequitur prædictam legem ſe-
cundam in caſu noſtro locum obtinere
non poſſe. Præterea, cùm tenor teſtamen-
ti prædicti Domini Egidij van Muſene
militis, quem conſtat de bonis conten-
tioſis diſponere pro libito ſuo potuiſſe,
per omnia ferè concordet cum tranſ-
actionibus, de quibus quæſtio vertitur;
liquidiſſimè apparet, impetrantes dece-
ptos nullo pacto fuiſſe, vel eſſe, quippe
cùm plus eis potius quàm minus per præ-
dictas tranſactiones attributum ſit, quàm
ex te-

ex testamento prædicto habituri fuissent. Nec necesse est reis, idem testamentum in præsentiarum, tanquam ritè & solenniter factum, defendere: cùm satis sit, ejus validitatem in dubium versam fuisse, & super hoc transactionem legitimam factam esse, *prædicta l.Lucius, cum aliis jurib.& rationib. suprà adductis.* Postremò præsentia & interventus amicorum, præsentia & autoritas judicis, geminatus consensus, & alia suprà prolixius deducta, sicut ab omni dolo, metu, & errore excusant, ut superius ostensum est, sic non sinunt aliquam deceptionem intervenisse præsumi, à fortiori. Concludendo ergo dicendum est, impetrantibus, nec doli, nec erroris, nec deceptionis prætextum quoquo modo prodesse oportere. Sed prædictas transactiones, tanquam ritè ac legitimè celebratas, in suo vigore debere consistere.

CONSILIUM CCXLII.

SUMMARIA.

1 *In contractibus, qui consensu perficiuntur, absenti per alterum jus quæri potest; & num. 7.*

2 *Contrahens pro absente quibus verbis uti debeat? &c. & nu. 5.*

3 *Factum falsi nuncii, sicut factum falsi procuratoris aut negociorum gestoris, ratificari nequit.*

4 *Ratificatio non potest confirmare actum, propter defectum suorum essentialium omninò nullum.*

6 *Ex contractu, in præsentia judicii vel scabinorum inito, an absenti actio quæratur?*

8 *Consequens qui vult, antecedens etiam velle censetur, & num. 12.*

9 *Ratificatio ut aliquid operetur, quænam præcedere debeant?*

10 *Contractus ex unius solius voluntate dependere non potest.*

11 *Ratificatio quando fieri debeat?*

13 *Remedia extraordinaria non dantur, nisi petentibus.*

14 *Stylus judiciorum diligenter est observandus.*

15 *Restitutio in integrum non datur, nisi res adhuc sit integra.*

16 *In integrum restitutio, tantùm ex æquitate, conceditur.*

Visis actis causæ, coram magnificis Dominis Cancellario & consulibus Brabantiæ pendentis, inter Ioannem Cornelij van Cruyningen impetrantem ex una, & Georgium Fraet reum seu defensorem ex alia, partibus: Videntur determinanda dubia, quæ sequuntur. Primum dubium est, An ex contractu per Iacobum Casselaere & suam conjugem, cum dominis de capitulo Antverpiensi, pro se, sua nepte Gertrude, & Petro Fraet ad vitas eorundem, & ultimi superstitis ex eis, inito & celebrato, aliquod jus acquisitum sit dicto Pet. Fraet? Secundum dubium est, præsupposito, contractum de quo contenditur, fuisse validum, ita ut à Petro ratificari potuisset (cujus tamen contrarium infrà ostendetur) Quæritur, utrum Petrus cedēdo fratri suo omne jus, sibi ex eodem contractu competens, censeatur sufficienter eundem contractum ratificasse, ad effectum acquirendæ actionis? Tertium dubium est, præsupponendo ulterius, quod Petrus Fraet cōtractū, de quo agitur, infra modicum tēpus ratificasse debuisset, prout minimè fecit, An ne adversus hanc negligentiam ei succurrendum, per in integrum restitutionem? Quoad primum dubium, videtur prima facie dicendum, quod ex dicto contractu sit acquisita actio dicto Petro: cùm enim dictus Iacobus acquisierit domum litigiosam, nedum pro se, sed etiam pro Petro Fraet, non videtur dubium, quin ex illo contractu agere possit Petrus.

1 Petrus, cùm † videatur celebratus contractus, qui solo consensu perficitur, similis emptioni & venditioni, qui inter absentes rectè celebratur, & in quo per alterum absenti quæri potest, *l. ex consensu.ff.de actio. & oblig.l.1.§.fin ff.de contrahen. empt.* & *Instit. de oblig. quæ ex consensu nas.in fin.* saltem ut hujusmodi contractus à Petro absente ratificari potuit, ac mediante ratificatione ex eodem sibi acquirere actionem. *l. si ego*, & *ibi notat.per glos.* & *Dd.ff. de negoc. gest.* & *notat. in l.die sponsaliorum. depos.* & *per Dd.in l.qui autem.§.fi.ff. de constit.pecu. cum sim.* Sed præmissis non obstantibus, tenenda est contraria opinio, videlicet, ex dicto contractu nullam actionem acquisitam esse dicto Petro, neque contractum ab eo ratificari posse. Quæ opinio sic
2 probatur. Quandocunque quis † contrahit pro absente, considerenda sunt verba contractus. Nam aut contrahens concipit verba in personam propriam, ad opus & commodum absentis, ut si dicat, *Vendis mihi ad opus Petri talem domum*, & tunc valet contractus, sic ut si contrahens nullum habuit mandatum, ratificari possit à Petro absente, *per notat.in d.l.si ego ff.de nego.gest.* Aut concipit verba in personam absentis: ut si dicat, *Vendis talem domum Petro*, tunc contractus est ipso jure nullus, *per tex. in l. multum interest, in versic. sin verò, juncta ibi glos.in verbo, ipsius C.si quis alteri vel sibi*: adeò etiam ut ratificari non possit à Petro, *ut volunt omnes Dd. in d.l. multum interest*, quia quando contrahit, concipiendo verba in personam absentis, dicitur contrahere ut nuncius, *per no.in d.l.qui autem.§.fin.ff.de constitu.pecu.* Sed contractus à nuncio celebratus, non tenet, nisi ad hoc fuerit destinatus, *per gl.singul. in l.1.§. fin. ff. de contrahen. empt.* ne-
3 que factum † falsi nuncij, sicut factum falsi procuratoris aut negociorum gestoris, ratificari potest, *ut vult Bald.in l.falsus, in 2.colum.C.de fur. Bart.in d.l. qui autem.§.fi. Cyn.Paul.de Cast.* & *Salicet. in d.l.multum interest.* & *Ias. in l. licet in fin. C. de procurat.* quia quando contractus celebratur à nuncio, concipiendo verba in personam absentis, tantùm est organum & pica absentis, & nihil dependet à suo consensu, & sic contractus deficit in consensu: quare ratificatio nihil invenit quod confirmare possit, & per
4 consequens nihil operatur: quia † ratificatio non potest confirmare actum omnino nullum, qui non habet sua essentialia *ut vult Bart.in l.observare, in fin.ff. de offic.proconf.* & *legat.* Sed quando verba concipiuntur in personam contrahentis, ad opus tertij, contractus est perfectus, quantum ad consensum, respectu contrahentis, & acquisita est actio contrahenti: & ideo ratificari potest ab absente, cùm ratificatio inveniat substantiam, super qua fundetur; *ita volunt omnes DD. in d.l. multum interest, dicentes hanc esse communem opinionem, licet solus Iacob. de Arena dixerit contrarium, qui ab omnibus reprobatur, ut licet ibi videre per Bart. in §.fin verò,* & *per Bald. in d.l. multum interest in 2. col. versic. venio ad tertium, Paul.de Cast. ibid. versic. tertius casus,* & *versic.sed nunc oppono fortiter,* & *Salicet. ibidem.in 3. opposit.* & *idem vult Bart.in l. qui autem. §. fin. ff. de constitu. pecu.*
5 Et quemadmodum † contractus est ipso jure nullus, quando quis contrahit pro absente, concipiens verba in personam absentis, ut jam probatum est: Ita etiam si quis contrahat partim pro se, & partim pro absente, si verba concipiat in personam absentis, & nihil acquiritur absenti, & ejus respectu contractus est invalidus, *per tex. sing.* & *unicum in jure, in l.fundus ille.ff.de contrah. empt.* ubi inquit tex. fundus ille mihi & Titio est emptus, Quæro, utrum in partem, an in

an in totum venditio consistat, an nihil actum sit? Respondi, personam Titij pro supervacuo accipiendam: ideoq; puto, totius fundi emptionem ad me pertinere, ex quo textu patet, respectu Titij contractũ non valere, sed omnem actionem ex eodem contractu competere contrahenti; adeo etiam, ut à tertio talis contractus ratificari non possit, *ut ibi vult Bald. in fina. verb.* Sed in casu præsenti benè considerando verba contractus domus litigiosæ, Iacobus Cassełaere contraxit pro se & Petro Fraet, concipiendo verba contractus in personam Petri: qui cessio seu translatio domus, est facta per capitulum Antverpiense Iacobo & Petro, & sic Petro ex eodem contractu nulla potuit quæri actio, etiam mediante ratificatione: sed omnis actio remansit apud Iacobum, & post ejus mortem translata est ad Ioannem Cornelij, durante vita Petri.

6 Non obstat etiam, si quis dicat, ex † contractu in præsentia Iudicis vel Scabinorum inito, actionem quæri absenti, *per doctrin. Bart. in l. 2. ff. rem pupill. sal. fore*: quia certe illa doctrina procedit, ubi ageretur de mero favore absentis: non autem in contractu ultro citroque obligatorio, qui se ad commodum & incommodum habere potest: cùm judex absentem & ignorantem obligare non possit. *l. de unoquoque. ff. de re judica. & l. nam ita divus. ff. de adopt.* in contractu enim ultro citroque obligatorio, actio quæri non potest absenti, nisi ipse obligetur, *ut est tex. & ibi nota in l. Iulianus. §. offerri. ff. de action. empt.* nam nemo sanæ mentis dicere vellet, Petrum Fraet ex cõtractu Jacobi Cassełaere fuisse obligatum, ita ut ei invito acquisita censeretur actio: & per consequens præsentia judicis nihil operata est, respectu Petri Fraet, neque ipse Petrus Fraet ratificare potuit contractum, à Iacobo pro eo celebratum,

7 cùm † Iacobus nullum habuerit onus contrahendi pro Petro, quod tamen debuisset præcedere, ut ex hujusmodi contractu aliqua fuisset actio quæsita Petro absenti, *per gl. singul. in d. l. 1. § fina. ff. de contrah. empt.* cùm factum falsi nuncij ratificari non possit, ut superius est deductum. Quoad secundum verò dubium

8 videtur, quòd sic. Nam † cessio facta à Petro valere non potest, nisi prius acquisitũ sit jus Petro, quod tamen ei nõ acquiritur, nisi mediante ratificatione. Cedendo igitur & transferendo jus suum in fratrem, videtur brevi manu contractum ratificasse, & sic sibi acquisivisse: quia qui vult consequens, vult etiam antecedens necessarium ad illud, *per tex. in l. illud. ff. de acquir. hæred. & l. ad rem mobilem, & l. ad legatum, ff. de procur. & l. quamvis. C. de fideic. cum sim.*

Sed præmissis non obstantibus, dicendum est contrarium, quòd scilicet Petrus cedendo actionem fratri, nullo modo censeatur ratificasse contractum, à Iacobo celebratum, ad effectum, ut aliqua actio ex ratificatione ei aut suo fratri acquisita censeatur; quod probatur.

9 Primò, quia † etiamsi Petrus coram scabinis Antverpiensibus, tempore cessionis factæ, contractum expressè ratificasset, talis ratificatio non valeret ad acquirendam actionem: nisi talis ratificatio intervenisset, de consensu capituli Antverpiensis, *ut expressè determinat Salic. in d. l. multum interest, in 8. quæst.* ubi dicit. Si vendo tibi fundum, mediante Titio, qui ad te venit, & narrat factum, tu approbas factum, & mihi mittis pretium, si ego nolo recipere, non valet ratificatio,

10 quia † contractus ex solius tui voluntate pendere non potest. *l. Pomponius scribit. ff. de neg. gest. l. non distinguemus, §. illud. ff. de arbitrar.* Nam si Petrus Fraet per suam ratificationem, ex hujusmodi contractu actionem acquirere posset, contractus ex solius Petri dependeret voluntate,

tate, contra omnia jura. Si enim contractum ratificaret, valeret ejus respectu contractus: sin verò non approbaret, contractus esset nullus; quod esse non potest, maximè in contractu, ex quo ipse ratificans obligaretur, cùm non possit pendere ex voluntate mea post, an velim obligari, *per tex. in dicta l. Pomponius scri-*
11 *bit*, & *ibi not. Doct.* Secundò, etsi † Petrus Fraet potuisset, contractum ratificando in præsentia capituli, actionem sibi acquisivisse, tamen hujusmodi ratificatio statim post contractum intervenire debuisset, ad acquirendam sibi actionem, *per tex. in l. quo enim. §. Iulianus. ff. rem ratam hab.* ubi vult textus, quòd ratificatio fieri debet, quàmprimum quis certior factus est, cum quodam spacio temporis, nec minimo, nec maximo, quod intellectu magis percipi potest, quàm elocutione tradi. & *ad idem est tex. in l. ratum. ff. de solutio.* & *in cap. apostolicæ, de donatio.* & *bonus textus in l. dispensatorem,* & *ibi Paul. de Castro, ff. de solut.* non potest ergo dici, Petrum Fraet per cessionem in fratrem factam multis annis post celebratum contractum, eundem ratificasse, ad effectum, ut sibi actio quæsita vi-
12 deretur. Non obstant, † quæ suprà in contrarium sunt allegata; quia benè verum est, quòd qui vult consequens, videtur etiam velle antecedens necessarium ad illud, in his, quæ dependent à voluntate solius ratificantis, *dicta l. illud. ff. de acquir. hær.* in alijs autem, quæ non dependent à voluntate solius ratificantis, non procedit dicta regula, *ut volunt Bart.* & *Paul. de Castro, in dicta l. illud,* & *Moderni, in l. 1. ff. illo tit. de acq. hær.* prout est in casu præsenti, ubi agitur de ratificatione contractus, qui pendet à consensu duorum.

Ad tertium dubium breviter respondetur in casu præsenti non esse concedendam in integrum restitutionem. Tum
13 primò, quia † remedium restitutionis in integrũ, est remedium extraordinarium. *l. in causæ. 2. ff. de min.* quod nõ datur, nisi petenti. *l. in causæ. 1. §. causa autem cognita, illo eod. tit.* & *not. in c. fi. de offic. jud.* Hodieque ex stylo cancellariæ Brabantiæ nemini conceditur, nisi per rescriptum à principe impetretur; quod in his actis factum non invenimus, estque ipse
14 † stylus necessariò servandus, *cap. quàm gravi, de crim. fals.* & *c. ex literis, de const.*
15 Tum secundò, quamvis † restitui potuisset, attamen hodie minimè est restituendus, cùm res non sit integra, quemadmodum minor adversus omissam hæreditatem restitui non debet, rebus hæreditarijs jam distractis, & postquàm res desijt esse integra, *per l. si quis minor. §. Scævola,* & *ibi Bart. ff. de min.* Ita similiter in proposito Petrus Fraet restitui non potest, ad approbandum contractum, cùm jã res non sit integra; quia scilicet domus litigiosa, ante petitam restitutionem, legitimè fuit alienata in Ioannem van Cruyningen, ut patet ex actis, & multò minus Georgius Fraet, tanquam singularis successor venit restituendus, *per d. §. Scævola, in fi e.* Tum tertiò, propter lapsum temporis dati à jure, ad petendam restitutionem in integrum: quia cùm ex confessione partis in 20. artic. memoriarum cõstet. Petrum Fraet, anno 91. fuisse duodecim annor. sicque excessisse tempore restitutionis petendæ: tum etiam, quia
16 † restitutio in integrum tantùm conceditur ex æquitate, *l. 1. ff. de minor.* sed nulla æquitas suadet, dictum Petrum jam debere in integrum restitui, qui anno 1504. cùm domus litigiosa combustafuit, & domini de capitulo Antverpiensi Iacobum Casselaere ad ædificandum de novo domum combustam compulerunt, ad impensas ædificij contribuere noluit, nec tũc ratum habuit, vel se intromisit, licet requisitus fuit. Præterea, anno 21. retrò præteri-

præterito, domus litigiosa, ob non solutionem arreragiorum, adjudicata fuit dictis dominis de capitulo Antverpiensi, nisi Iacobus infra 14. dies, præfatis dominis de arreragio satisfaceret: nec etiam tunc Petrrus Fraet ratum habuit, vel se intromisit.

CONSILIUM CCXLIII.

SVMMARIA.

1 *Pater filio in potestate constituto validè stipulatur,* & *econtrà. Secus in in extraneo,* & *num.* 11.

2 *Absenti nemo regulariter stipulari, vel acquirere potest.*

3 *Frater pro fratre, vel maritus pro uxore, an rem in emphyteusim capere possint?* &c. & *num.* 5.

4 *Baldus nihil ignorasse dicitur.*

6 *Ex actu per procuratorem constitutũ gesto, domino constituenti ante cessionem actio non competit.*

7 *Negociorum gestor, ad cedendum actionem, compelli potest.*

8 *Ad utilitatem tertij, qualiter quis stipulari possit?*

9 *Vis stipulationis in conceptione verborum consistit.*

10 *Actus ficti possessionem transferentes, qui sint?*

12 *Donatio facta per patrem filię in potestate constitutę est nulla, nisi morte confirmata fuerit.*

13 *Modus donationi adjectus, an per donatorem revocari possit?*

14 *Ad stipulandum animo donandi adhibitus, mortis causa capere censetur, si modo mortis mentio facta sit.*

15 *Magistratus absenti in judicialibus* & *extrajudicialibus stipulari potest.*

16 *Præsentia magistratus, adhibiti loco testis. stipulationem non operatur, sicut nec consensum in sui præjudicium. Idem de notorio stipulante, ut nu.* 17.

18 *Regula; Quod posuit, noluit,* & *quod voluit, adimplere nequivit.*

19 *In contractu ultro citroque obligatorio absenti non acquiritur, nisi cum onere adjuncto.*

20 *Res transit cum suo onere.*

21 *Quod non est, ratificari non potest.*

22 *Factum falsi nuncij, ratificari nequit.*

23 *Ratificatio quando fieri debeat?* & *num. seq.*

25 *Ratificatio fieri non potest, quando res ipsa in rerum natura esse desijt.*

26 *Nomine pertinentiarum domus non venit solùm.*

27 *Factum in absentia ejus, de cujus præjudicio agitur, non præjudicat.*

28 *Ratificatio seu approbatio secundum quid in præjudicium tertij, nunquã admittitur, sed actus simpliciter reprobãdus, vel approbandus est.*

29 *Sententia lata ex actis per falsum procuratorem, ratificari nequit per illum, pro quo lata fuit, in prejudicium partis adversæ.*

30 *Post renunciationem expressam vel tacitã, ratificatio locũ non habet.*

31 *Requisitus reædificare domum combustam, an* & *quando jus in domo postea per alium extructa perdat?*

32 *Quilibet rei suę moderator est* & *arbiter.*

CUm nuper intellexissem, amicissime domine, concilium Brabantinum in causa Ioannis van Cruyningen, in qua aliàs consului, aliquas difficultates facere, quæ obstarent, quo minus eadem causa terminetur, ipse mecum totam causam cœpi denuò recogitare, & examinare: & postquam id diligenter feci, non inveni difficultatem aliquam fieri verisimiliter posse, nisi fortasse, quæ in aliquem infrà scriptorum punctorum aut similem recidat, quæ tamen, certè meo judicio, neminem omnino movere debeant. Primò fortasse dici posset, quod † quemadmodum

pater validè ſtipulatur ſibi, & filijs in po-
teſtate conſtitutis, & eis acquirit, ac e-
contrà: Ita dici poſſit in caſu præſenti,
per Jacobum Caſſelaere fuiſſe acquiſitum
Petro Fraet: ſed hoc minimè movere
quenquam debet: quia licet pater filio in
poteſtate, & econtrà, regulariter ſtipula-
ri, & acquirere poſſit, alteri tamen extra-
neo, non exiſtenti in poteſtate ſua, nemo
ſtipulari, paciſci, vel acquirere poteſt re-
gulariter, *jurib. vulgarib.* Præterea & ab-
2 ſenti † nemo regulariter ſtipulari poteſt,
vel acquirere, *vulg. l. illud, cum ſua ſin-
gul. gloſſa, C. de ſacroſ. eccleſ.* & *l. ſtipula-
tio iſta. §. alteri. ff. de verb. oblig.* & *§. al-
teri. Inſtit de inutil. ſtip.* Ad hoc enim,
ut quis poſſit ſtipulando, vel contrahen-
do acquirere extraneo & abſenti, requi-
ritur mandatum, vel æquipollens, quod
hic non intervenit. Præterea in contra-
ctu ultro citroque obligatorio, qualis
eſt iſte, non acquiritur abſenti, niſi inter-
veniat epiſtola vel nuncius ad hoc deſti-
natus. *l. 1. ff. de contrah. empt.* & *l. conſen-
ſu. ff. de actio.* & *oblig.* Quorum neutrum
hic intervenit: ergo, &c. Secundo, for-
taſſis movere aliquem poſſet, dictum
3 † Bald. *in Authen. ſi quas ruinas. C. de
ſacroſ. eccleſ.* ubi pro conſtanti ponit, quod
frater poteſt capere rem in emphyteuſim
pro fratre, & maritus pro uxore; quæ
tamen ſunt perſonæ extraneæ, non in po-
teſtate recipientis pro eis emphyteuſim:
ergo extraneo quis acquirere qoteſt.
Quia ad hoc eſt clara reſponſio, quia
Baldus illic non firmat, fratrem poſſe ac-
quirere fratri abſenti, vel maritum poſſe
acquirere uxori abſenti: quia, ſi hoc vel-
let, loqueretur contra regulas juris aper-
4 tiſſimas, quod non eſt veriſimile, nec †
præſumendum in tanto viro, qui nihil di-
citur ignoraſſe, *ſecund. teſtim. quod de
eo refert Ludov. de Roma. in ſingulari ſuo
397.* & *Iaſ. in l. 1. C. de ſumm. Trinit.* &
5 *fide catho.* debet † ergo dictum ejus in-
telligi ſecundum leges claras, & deciſio-
nes apertas Doctorum, quæ habent, quòd
alteri extraneo abſenti nemo ſtipulari vel
acquirere poteſt, ſed alteri extraneo præ-
ſenti, benè acquiritur, & etiam extraneo
abſenti, ſi ejus nomine recipiatur obliga-
tio, in perſonam tamen recipientis: & ille
extraneus abſens hoc ſciens poſtea ratifi-
cet, quàm primum hoc ſciverit, aliâs ſe-
cus, *ut ante Bald. benè declaravit Bart.
in l. ſi mihi* & *Titio. ff. de verbor. oblig.*
& *idem Bart. in d. l. ſtipulatio iſta. §. ſi ſti-
puler.* & *Paul. de Caſtro,* & *Alex. de Imo-
la, in d. l ſi mihi* & *Titio,* & *gl. in d. §. al-
teri, in fine. Inſtitut. de inutil. ſtipul.* & *ibi
Ang. Aret.* quorum neutrum hic interve-
nit, quia Petrus Fraet tempore contractus
non fuit præſens, & verba obligatoria non
erant debitè recepta, ut fieri debebat: ſed
erant concepta in perſonam Petri abſen-
tis, quod fieri non debuit; quia tunc actus
eſt ipſo jure nullus, & abſenti nihil ac-
quiritur, *ut eſt tex. ad literam, juncta gl.*
& *ibi habetur per omnes Dd. in l. multum
intereſt, in verſic. ſi verò. C. ſi quis alt.
vel ſibi.* Et quod plus eſt, tale factum
non poteſt ratificari, ut dicam latius in-
frà, & hinc rectè dicit Paul. de Caſtro, &
Alex. de Imola, *in dicta l. ſi mihi* & *Ti-
tio,* dictum Baldi *in dicta Auth. ſi quas
ruinas,* intelligendum eſſe ſecundum ea,
quæ dicit Bartolus *in dicta l. ſi mihi* &
Titio, ubi hãc regulam optimè declaravit.
Et dato præterea, quòd Iacobus Caſſelae-
re habuiſſet mandatum à Petro Fraet, e-
mendi pro eo domum contentioſam, &
eam nomine Petri, ut procurator ejus, e-
miſſet, quorum neutrum hic intervenit:
tamen adhuc dicto Petro Fraet non com-
peteret actio ex hujuſmodi contractu,
per Iacobum Caſſelaere inito, ante ceſſio-
nem ei factam per dictum Iacobum Caſ-
ſelaere; quæ ceſſio hic non intervenit: &
6 † quod hoc ſit verum, videlicet, quòd do-
mino conſtituenti procuratorem ad ali-
quid

quid faciendum, non competat actio, ex
actu gesto per procuratorem suum, non
de pecunia domini, constituentis illam ad
illum actum ante cessionem: *est tex.
express. in l. possessio quoque. §. & si posses-
sio, & ibi Bart. Paul. de Cast. & omnes
Doct. ff. de acquir. poss. & in l. solutum. §.
per liberam, & ibi etiam Paul. de Cast. &
alij Doct, ff. de pigno. & act. & Bart. in l.
Iulianus. §. si procurator, ff. de actio empt.*
Multò fortius ergo in casu præsenti, ubi
actus gestus est per Iacobum Casselaere
in absentia Petri Fraet, non interveniente
procuratorio vel mandato ejusdem Petri
Fraet: nec ex re vel pecunia Petri con-
tractum est, actio competere non potest
ante cessionem per Iacob. Casselaere, in
favorem dicti Petri Fraet factam, quæ
cessio hic non intervenit: licet † Iacobus
7 Casselaere, si verba obligatoria in personã
suam, nomine tamen Petri absentis con-
cepisset, prout non concepit, tanquam ne-
gociorum gestor ad cedendum actionem
compelli potuisset: *Ita apertissimè vo-
lunt Ang. & Ioan. de Imo. in l. hujusmodi,
in princip. ff. de legat. 1. & idem Ioan. de
8 Imola, in d. l. stipulatio ista. §. alteri, & † est
glossa expressa, in d. §. alteri. Institut. de
inutil. stipul. & ibi hoc firmat Ang. de
Aret.* qui omnes loquuntur in terminis,
quando intervenit stipulatio, verbis con-
ceptis in personam stipulantis. Ut verbi
gratia, promittis mihi stipulanti, ut vice
ac nomine Titij, recipienti dare decem,
quo casu actus valet: & ratio est, quia
hoc casu non censetur quis alteri stipula-
ri, sed sibi, ad utilitatem tamen tertij, *ut
vult expreßè Ioan. de Imo. in d. l. hujus-
modi, in princip. & idem ibi sentiunt gl.
Bald. & Alexan. & Bart. in d. l. stipulatio
ista. §. si stipuler.* Quod in casu subjecto
factum non reperitur, imò fuerunt verba
quoad Petrum, concepta in personam Pe-
tri Fraet absentis; & sic actus ille, quoad
Petrum Fraet fuit ipso jure nullus, & ca-
ruit fundamento ac radice, *ut est casus in
dicta l. multum interest, in versic. si verò.*
9 Vis † enim magna facienda est in con-
ceptione verborum stipulationis, *ut de-
clarant glos. & Dd. in paßib. suprà alleg.*
in quo, tanquam firmo fundamento ju-
ris, si quis erraverit, facilè in alios erro-
res prolabetur, & recipietur. Nec ob-
stat, si quispiam dicat, quòd finis *d. l.
multum interest*, quatenus dicit domi-
nium, in casu illius legis acquiri uxori,
ex inutili contractu mariti, si ipsi uxori
traditio facta fuerit, valdè facit contra
Ioannem van Cruyningen; quia hoc ni-
hil est dicere, cùm non appareat ex actis,
aliquam traditionem fuisse factam Petro
Fraet, cui absenti in absentia rei, traditio
vel translatio possessionis ferri non po-
10 tuit, nisi † intervenisset aliquis actus fictus
à jure inventus, per quem absenti mini-
sterio juris acquiritur possessio, ut est
constitutum, precarium, vel similes,
qui ad hoc sufficiunt. *l. quod meo, in prin-
cip. & §. si venditorem. ff. de acq. poss.
& l. 1. §. pen. eod. tit. & gloss. not. & ibi
Panorm. & Ioan. de Imo. & canonistæ, in
c. ex literis, de consuet. & glos. Alex. &
Doct. in l. 3. in princ. ff. de acq. poss.* quo-
rum nullus hic intervenit, quare non
obstat.
11 Tertiò, aliquem † prima facie movere
posset, *l. filię cujus. C. famil. hercisc.* ubi
dicitur, quòd si pater emat fundum no-
mine filiæ, ille fundus manet ei præci-
puus, nec veniet in judicio familiæ her-
ciscandæ, & censebitur filia habere ex ta-
cita donatione paterna, *secund. Bald. qui
ita videtur tenere in d. Authen. si quas
ruinas.* Quia respondetur, quòd per hoc
non probatur, quòd extraneo absenti, ver-
bis conceptis in personam ipsius absentis,
possit eidem absenti acquiri, per ea quæ
latè dicta sunt supra: imò, si benè ponde-
retur *d. l. filiæ cujus, per Bald. allegata*, ipsa
est formaliter pro Ioanne van Cruynin-

gen, quatenus dicit, quòd pater possit revocare hujusmodi dispositionem in præjudicium filiæ, quod non cōtingit ex alio,
12 † quàm quia donatio facta per patrem filiæ in potestate, est nulla, nisi fuerit morte confirmata. *l.2.C.de inoffi.donat.* & *vult rectè Bald. in d. Authen. si quas ruinas, in vers. juxta hoc quæro.* Ex quo necessariò sequitur, quòd in casu præsenti, cùm per Iacobum Casselaere non fuerit aliquid acquisitum Petro Fraet, in cujus Petri personam verba fuerunt concepta, per suprà dicta, & infrà dicenda, potuit dictus Iacobus id, quod in favorem dicti Petri Fraet, si eum superviveret, fecit, revocare & aliter disponere, prout disposuit in favorem dicti Ioannis van Cruyningen. Pro
13 † quo etiam in fortioribus terminis est decisio Bart. communiter approbata *in l. qui Romæ, §. Flavius Hermes, ff. de verbor. oblig.* ubi per illum tex. singulariter dicit, quòd si alicui donetur fundus, uti post certum tempus veniat ad ecclesiam, potest donator postea revocare illū modum, in præjudicium ecclesiæ, cujus tamen notum est, maximum esse in toto jure favorem: & tanto fortius id dicere debemus, si dicamus ex dicto contractu resultasse duos contractus, puta unum venditionis & emptionis, inter capitulū Antverpiense ex una, & Jacobum Casselaere & suam uxorem, ex altera: & secundum donationis causa mortis, inter Iacobum & suam uxorem, ex una, & Petrum Fraet & Gertrudem filiam Iacobi ex alia, *ut videtur in simili sentire Bald. in d. Authent. si*
14 *quas ruinas*, & † *probatur in fortioribus terminis in l. Seja. ff. de dote præleg.* ubi adhibitus ad stipulandum animo donandi, intelligitur causa mortis, si facta est mentio mortis: & hoc approbat Bart. quando sumus in dubio, *in l. qui dotis, in vers. si contra istud oppone. ff. solut. matrim.* valuit ergo revocatio & transportus factus in Ioannem van Cruyningen. Quartò, for-
15 tasse † movere aliquem posset, quòd hîc intervenit magistratus, qui potest absenti stipulari in judicialib. & extrajudicialibus *juxta notata per Bar. in l.2. ff. rem pupill. sal. fo.* & *in d. §. si stipularer.* Sedad hoc facilis, est responsio quia licet magistratus, vel judex possit absenti stipulari & acquirere, ubi de solo commodo sive lucro agitur, tamen non potest absentem obligare. Cùm ergo sumus in contractu ultro citroque obligatorio, nihil censetur actum per magistratum, quia seipsum obligare noluit, & absentem obligare non potuit; & ita non potuit esse cautum capitulo, contrahenti cum Iacobo & ejus uxore præsentibus, in absentia Petri Fraet, nisi contra Iacobum & ejus uxorem, qui se & sua obligârunt pro observatione contractus: & præterea dictus magistratus non est stipulatus quicquam Petro absenti. Sed ut ex literis desuper confectis apparet, solùm adhibitus est, ut testimonium ferret de gestis coram eo: jam
16 præsentia magistratus adhibiti, ut testis, non operatur stipulationem, sicut nec operatur consensum in sui præjudicium. *l. Cajus, juncta glos. ff. de pignor. act.* Nec sufficeret stipulatio per magistratum facta, nisi esset facta validè, sicut nec
17 † præsentia notarij, vel stipulatio per eum facta, invalidè, concipiendo scilicet verba in personam absentis, quicquam operatur, *ut volunt Ang.* & *Ioan. de Imol. in d. l. hujusmodi*, & *Ang. in d. §. alteri.* Sequitur ergo, quòd licet magistratus stipulatus fuisset pro Petro Fraet absente, prout non: tamen quia verba dicti contractus concepta sunt in personam Petri Fraet absentis, & non in personam magistratus recipientis vel stipulantis, nomine Petri absentis, non valuit hujusmodi actus in favorem Petri absentis, *dicta l. multum interest, versic si verò, cum ibi notat.* Sed
18 † habet locum regula, de qua ibi, quod potuit noluit, & quòd voluit, adimplere

plere

plere nequivit, & pro isto est casus in terminis, *in l. fundus ille, de de contrah. empt.* ubi si quis emit fundum sibi & Titio extraneo, nihil Titio acquirit, sed totus fundus erit ipsius emptoris: & *ita volunt omnes Dd. in d. l. si mihi Titio, & in d. l. multum interest*: & ita punctaliter accidit in casu præsenti: quia capitulum vendidit & trāsportavit Jacobo Casselaere & suæ uxori præsentibus, & Petro Fraet extraneo & absenti, nec non filiæ ipsius Iacobi etiam absenti, domum, de qua est quæstio. Pro observatione ejus contractus, Iacobus se & sua obligavit: Petrus autem Fraet absens, neque tunc, neque postea se aut sua obligavit, vel capitulum assecuravit, neque alius pro eo. Ergo ei nihil acquisitum est: *pro † isto etiam benè*
19 *facit, l. Cajus. ff. de manumiss. tit. generali.* ubi habetur, quòd in contractu ultro citroque obligatorio, etiam ubi acquiri potest absenti, sicuti per servum domino, nec acquiritur absenti, nisi cum onere adjuncto, per quam l. communiter DD. dicunt, quòd ubi contractus habet inducere obligationem, hinc inde, non transit contractus ad personam, ad quam non transit obligatio passiva, simul cum activa obligatione, quod benè probat illa l. à contrario sensu. Cùm igitur obligatio, qua tenebatur dictus Iacobus & sua uxor, dominis de capitulo, de obligando se & sua, pro solutione canonis, & alijs conditionibus adimplendis in contractu comprehensis, non transierit ad Petrum Fraet, sed ad hęredem Iacobi, seu ejus bonorum possessores duntaxat: Sequitur, quòd ex eodem cōtractu nil acquisitum fuit Petro Fraet.
20 Nec obstat, si dicatur, quòd † obligatio solvendi canonem capitulo, transivit ad Petrum simul cum ipsa domo, *ut est tex. in §. scire, in Auth. de non alienan. colla. 2. & vult Bal. in dicta Auth. si quas ruinas.* Quia respondetur, quòd quamvis Petrus Fraet ex apprehensione domus possit compelli ad solutionem canonis, tamen illa obligatio qua Iacobus obligavit se, & omnia bona sua capitulo, pro solutione canonis & pro adimpletione conditionum in contractu positarum, quam cautionem capitulum pro sua securitate specialiter voluit interponi, ultra provisionem juris, non transivit ad Petrum, neque bona ipsius Petri ad hoc censentur obligata, sicut erant obligata bona Iacobi & suæ uxoris: & per consequens non est verum, dicere, per Petrum Fraet fuisse cautum capitulo, vel contractui satisfactum. Cùm ergo obligatio passiva dicti contractus non transivit ad Petrum, non potuit ex eodem contractu sibi acquiri obligatio activa, vel actio, per prædicta. Quamvis ergo dictus Petrus Fraet fuisset in potestate Iacobi, vel talis, cui absenti per dictum Iacobum potuisset acquiri, sicut non fuit: tamen non acquisivisset ei, nisi cum onere, videlicet obligandi se & sua, pro canone annuatim persolvendo capitulo, & conditionibus in contractu positis adimplendis: quod quia non intervenit, non est ei quæsita actio.

Quintò videri possit alicui, quòd ratificatio Petri Fraet validasset hunc contractum, transportando jus suum in fratrem suum Georgium; nam per hoc videtur ratificasse actum, gestum per Iacobum Casselaere, in sui favorem: Quia ad
21 hoc respondetur multipliciter. Primo, quòd † ex quo verba fuerunt in hoc casu concepta in personam Iacobi præsentis, & Petri Fraet extranei, & absentis, non potuit hic contractus, quatenus Petrum concernit, per eum ratificari: cùm non habuit formale principium, & actus ipse peccet in forma, in materia, in actu, & in
22 potentia. *dicta l. multum interest, vers. si verò*: & factum† falsi nuncij ratificari nō possit, *ut volunt omnes Dd. excepto solo Iac. de Arena, in d. l. multum interest*; & *punctaliter Bald. in d. l. fundus ille, in terminis.*

minii nostris, & *idem Bald. in l. observare. §. fin. in 1. colum. ff. de offic. procons.* & *Petr. de Anchoran. in regula, ratum, de reg. jur. lib. 6.* & *Dd. sæpe alibi.* Præterea dato, quòd essemus in casu, in quo ratificatio fieri posset, ut quia verba stipulationis essent concepta in personam Iacobi, nomine & vice dicti Petri Fraet, prout non: Tamen, quia † hoc casu negocium
23 spectasset ad Petrum sola ratihabitione, non cura & solicitudine, non re ipsa nec ipso gestu, debuisset ratificari statim, postquam ad notitiam ejus venisset, *ut est tex. in l. dispensatorem, ibi, deinde ergo ratum non habuero, juncta glos.* quæ dicit, semel me certiorato, *ff. de solutio.* & *ibi Paul. de Castro, ad hoc notat illum textum,* & *dicit alibi non ita bene probari:* & *est textus in l. quo enim tutiore. §. Iulianus, ff. rem ratam hab.* & *bonus textus in l. 1. in verbo, mox. ff. de appellatio recipien.* & *clar. tex. in l. ratum, in verbo, mox. ff. de solutio.* Nunc autem Petrus Fraet, transferendo jus suum in Georgium fratrem ratificavit, si tamen ratificatio dici possit, post annum demum decimumsextum, quod non sufficit: quare per tacitam renunciationem repellitur.
24 Nec obstat, † si dicatur; huic dicto obstat doctrina Bart. *in l. vero procuratori. § fina. ff. de solutio.* ubi dicit, quòd quando certum tempus est præfixum ad gerendum actum, illud tempus in ratificatione debet observari; aliàs recurrendum est ad ea, quæ habentur *in regula, ratihabitionem, de reg. jur. lib. 6.* per quod sentire videtur ipse Bartol. quòd ubi certum tempus non est præfixum, posset fieri ratificatio quandocunque: Quia negatur consequentia, & si illic videatur Ioan. de Imola, qui utrobique declarat Bartolum, & Doctor veritatis à novissimis appellatur, reperietur veritas: videlicet, quòd ubi certum tempus est præfixum ad faciendum actum, infra illud tempus facienda est ratificatio, *jurib. illic alleg.* Ubi autem non est præfixum certum tempus, tunc tempus infra quod debet fieri ratificatio, in effectu est arbitrarium. Arbitrari tamen debet judex, ut fiat cum primum fieri potest, inspectis circumstantijs. *Hæc sunt formalia verba Ioan. de Imo. ibid. quæ consonant cum verbis textus in d. l. ratum,* & *in d. l. quo enim,* & *in d. l. dispensatorē.* Præterea ex †
25 alio capite non potuit dictus Petrus Fraet ratificare eo tempore & modo, quo ratificavit, quia res tunc desierat esse in rerum natura, ex quo domus fuit combusta, quo casu locum non habet ratificatio, *ut vult. Bart. in d. l. penult. in versic. tertio casu. ff. rem ratam habe.* & *idem Bart. in repetitione l. si ñ, qui pro emptore, in 3. col. ff. de usucap, per jura illic per eum alleg. quæ hoc optimè probant.*

26 Nec † obstat, si dicatur, licet domus fuit combusta, solum tamen supererat, & sic res non desierat esse in rerum natura, quia potuit in solo ædificari: *juxta doctrinam Bald. in l. 1. C. de jure emphyt. in bona lectura:* quia respondetur, quòd in casu presenti, sola domus cum suis pertinentijs fuit vendita: de solo autem verbum nullum habetur in literis contractus: & loco pertinentiarum domus, certum est non venire solum: quare non obstat.
27 Præterea † ex quo sumus hic in contractu ultro citroque obligatorio, si ratihabitio deberet admitti, debuisset fieri in præsentia capituli, cum assecuratione ejusdē, cui præstanda erat annua pensio, & aliæ conditiones implendæ, & sic de præjudicio ejus agebatur: quare ex illo capite ratificatio antedicta est nulla. Quia quicquid fit in absentia illius, de cujus præjudicio agitur, sive sit protestatio, transportus, sive alius actus quicunque, non præjudicat absenti & ignoranti. *l. nam ita divus. ff. de adopt.* & *notata per Bart.* & *omnes in l. non solum. §. morte. ff. de novi ope.*

ope. nunc. & *per canoniſt. in c. cùm M.*
28 *Ferrarienſis, de conſtit.* Præterea † nun-
quam admittitur ratificatio vel approba-
tio ſecundum quid, in præjudicium tertij,
ſed debet actus geſtus ſimpliciter appro-
bari, vel reprobari. *Ita notabiliter vult*
Bal. in d. l. obſervare. §. fina. in verſ. quin-
tò quęro, & *eſt gloſſa expreſſa, in l. ſi nego-*
tia. ff. de nego. geſt. Cùm ergo per trāſpor-
tum factum per Petrum, in Georgium
ſuum fratrem, in abſentia capituli, & ſine
aſſecuratione ejuſdem, non fuerit ſatis-
factum dicto capitulo, de cujus præjudi-
cio agebatur, cum capitulo per dictum
tranſportum non fuerit cautum & pro-
ſpectum, ut debuit: ſequitur, quòd ra-
tificatio illa non valuit. Præterea vide-
29 mus, quòd † ſententia lata cum falſo pro-
curatore, non poteſt ratificari per illum,
pro quo lata eſt, in prękjudicium partis ad-
verſæ, *ut eſt deciſio Rotę, num. 13. in anti-*
quis: & *ita conclud. Cyn. Salic.* & *com-*
muniter alij, in l. ſi tuto. C. in quibus cauſis
in integ. reſtit. non eſt neceſſ. & *ita etiam*
poſt longam diſput. decîdit Andr. Siculus,
in capitu. cum in jure peritus, ff. de offic.
delegat. ergo ita etiam erit dicendum
30 in propoſito. Præterea nunquam † ha-
bet locum ratificatio, poſt renunciatio-
nem expreſſam vel tacitam, *dicta l. 1 ff.*
quando appell. ſit. & *præallega. l. penult.*
ubi eſt tex. aureis literis ſcribendus ſecun-
dum Bart. ibi, & *vult Pet. de Anchor. in*
repetit. regulę, ratihabitionem, de regu.
jur. lib. 6. & *Bald. in d. §. fin. verſic. cir-*
ca tertium, & *gloſ.* & *Doct. in c. quam ſit,*
in fine. de elect. lib. 6. Cùm † ergo do-
31 mo combuſta, dictus Petrus Fraet requi-
ſitus fuerit, contribuere ad reædificationē
ejuſdem, & recuſaverit, & in illa recuſa-
tione perſtiterit, donec domus ſine ſuis
ſumptibus fuerit reædificata: ſequitur,
quòd perdidit jus, ſi quod habuiſſet, *per l.*
ſi ut proponis. C. de ędifi. priva. quare poſt-
ea tranſportum facere. vel ratificare, quod
prius reprobavit, non potuit, maximè ad
acquirendam actionem, ut in propoſito,
d. l. diſpenſatorem, cum ibi notatis per Bar.
Paul. de Caſt. & *Doct.* & *vult Pet. de*
Anch. in dicta regula, ratihabitionem: &
Bal. ibi ſuprà. & aliter dicendo ſequere-
tur abſurdum, & dolus patrocinaretur
doloſo, quod jura abhorrent. Sextò, poſ-
ſet aliquis prima facie dicere, quòd Iaco-
bus Caſſelaere, non potuit transferre jus
aliquod in Ioannem van Cruyningen:
quia tempore ſui tranſportus, jus quæſi-
tum fuit Georgio Fraet originali acto-
ri, per tranſportum in eum factum, per
d. Petrum Fraet. Sed ſi benè conſideren-
tur præmiſſa, Petro Fraet nunquam fuit
acquiſitum aliquod jus: neque per hujuſ-
modi tranſportum, inducta eſt ratificatio
de jure valida, propter multa obſtacula,
de quibus ſuprà. Sequitur ergo, quòd
jus remanſit apud dictum Iacobum Caſ-
ſelaere, *juxta d. l. fundus ille,* & *alia ſuprà*
copioſè adducta. Quare optimo jure di-
ctus Iacobus potuit transferre jus, ſibi ve-
rè competens, in dictum Ioannem van
Cruyningen: quilibet † enim in re ſua
32 moderator eſt & arbiter. *l. in re mandata.*
C. mandati, cum ſim.

Ex quibus omnibus ſimul, & ex prio-
ribus conſultationibus dilucidè patet, Pe-
tro Fraet nunquam competijſſe aliquam
actionem, non ex contractu per ſe inito
cum capitulo, quia ille non intervenit: non
ex contractu per Iacobum Caſſelare ini-
to, cùm ille fuerit nullus, quatenus Petrū
Fraet tunc abſentem concernebat, ex quo
verba obligatoria, quatenus Petrum Fraet
concernit, cōcepta erant in perſonam Pe-
tri Fraet, non in perſonam Iacobi, nomine
Petri, ficut fieri debuit ad ut hoc actus
valeret, & Petro ex eo aliquod jus com-
petere poſſit. Quare ille contractus, ut
dixi, caruit fundamento & radice, nec
etiam ex ratificatione, taliter qualiter
ſubſecuta; quia illa fieri non potuit, ob

multas causas ipsam impedientes, ut suprà ostensum est: nos etiam, si Jacobus Casselaere mandatum à Petro habuisset, emendi pro eo domum contentiosam, pro. ut non, aliqua actio sibi quæsita fuisset ante cessionem, per Iacobum Casselaere in eum factam, quę facta non est: & multò minus, ex quo mandatum non intervenit, neque cessio, quæ tamen necessaria est ad consequendam actionem, ut superius probatum est: & sic quomodocunque negocium volvatur aut intelligatur, cùm nunquam fuerit Petro Fraet aliqua actio quæsita: sequitur, nec Georgio Fraet ex transportu, sibi facto per dictum Petrum, aliquam competijsse, vel competere actionem: quia nemo plus juris in alium transferre potest, quàm ipse habet, *jurib. vulg.* Cùm ergo nemo audiatur, sine actione experire volens, & ex persona actoris jus metimur; constat dictum Georgium Fraet, omni jure esse repellendum, & dictum Ioannem van Cruyningen, ab impetitione ejus absolvi debere, præfatumque Georgium ad restitutionem fructuum, per eum indebitè & sine causa perceptorum, debere condemnari: de expensis autem, cùm originalis actor à judicibus primæ instantiæ sententiam pro se obtinuerit, & aliquos ex dominis etiam de jure partium dubitare intelligam, arbitrio dominorum relinquo: judicio omnium melius sentientium, semper salvo. Vale, & mihi, si quid velis, præcipe. Ex Mechlinia, die 15. Ianuarij, Anno à nativitate Christi, M. D. XXXI.

CONSILIUM CCXLIV.

SUMMARIA.

1 *Testatorem agnatos cognatũ prępponenere voluisse, unde dignoscatur?* & *num.* 4.

2 *Procurator simpliciter ad fidejubendum constitutus, an possit beneficio ordinũ renunciare?*

3 *Legati simpliciter ad faciendum pacem missi, pœnam quoque apponere possunt: licet de eo expressum mandatum non habeant.*

5 *Dictio*, Extunc, *extremitatem temporũ designat, nec interpretationem de præsenti fieri patitur.*

6 *Duo ablativi absolutè positi conditionem important.*

7 *Quando qualitas adjicitur verbo, ordinationem & principium importanti, tunc temporũ principium inspicitur. Secus si verbo, processum temporũ, effectum vel executionem importanti, adjiciatur.*

8 *Provisio hominũ, facit cessare provisionem legũ.*

9 *Intellectus* l. in substitutione. de vulg. & pupilla. substit.

10 *Dictio*, Tunc, *extremitatem temporũ significat.*

11 *Agnati, qualiter succedant?*

12 *Tempus destituti testamenti in successionibus, an & quando attendatur?*

13 *Ecclesię & pię causę in dubio favendum est.*

IN materia juris præsentandi, de quo vertitur quæstio, inter reverendum Patrem Dom. Priorem Conventus sancti Salvatoris oppidi Antverpiensis, nomine cujusdam sui donati & monasterij, ex una, & hæredes maternos sive cognatos A. fundatoris Capellaniæ jam vacantis, ex altera partibus: repetitis sæpius & commemoratis apud memetipsum, ac in animo revolutis ijs, quæ ad materiam dictæ quæstionis facere possent, pondero nunc, ultra ea, quæ nuperrimè in eadem materia adduxi, inter alia pro dicto monasterio plurimum facere, quòd testator plus dilexit agnatos suos, quàm cognatos, quod elicitur ex multis. Primò

1 Primò, quia † agnatos cognatis præposuit, ut patet ex dicta clausula testamenti, & sic censetur eos plus dilexisse, *arg. l. quotiens. ff. de usufruct. junct. not. per Dy. Bart.* & *Dd. in l. qui duos. ff. de lega. cum simil.* tum quia per illos familia conservatur, *§. ceterum. post princip. Instit. de legit. agnat. success. cum ibi not. per Dd. cum*
2 *alijs vulgar. infinitis.* Tum etiam, quia † ita communiter ab omnibus fieri consuevit, quæ consuetudo multum ponderanda est, *juxta singulariter notata per Bart. in l. si fraudator. ff. de his, quę in fraud. credit.* ubi dicit, se in contingentia facti consuluisse, quòd procurator, simpliciter constitutus ad fidejubendum, potest renũciare beneficio ordinis, *de quo in Auth. pręsente. C. de fidejuss.* licet hoc non habeat specialiter in mandatis, & talis renunciatio præjudicabit principali domino: ex quo de consuetudine observatur, quòd tales renunciationes fiant; & *hoc dictum refert* & *sequitur Dom. Panor. in cap. 1. in 10. col. ut lit. non contesta.* facit
3 † etiam elegantissimum dictum Dom. Panorm. *in cap. 2. de precarijs, in suo notabili,* ubi dicit multum egregiè, quod ambasiatores vel legati simpliciter missi ad faciendum pacem, possunt apponere pœnam, & obligare mittentem vel constituentem, pro observantia ejus quod gerunt, licet non habeant expressum mandatum ad apponendum pœnam, ex quo
4 sic consuetum est fieri. Cùm † ergo testator seniorem filium Pelliparij vocaverit ad dictum jus præsentãdi sub nomine appellativo, per quod designatur, quod plus habuit respectum ad agnationem, quam ad personam, & quidem non simpliciter, vel purè, sed conditionaliter, alijs scilicet nominatis per eum prius sublatis de medio: ergo tum ratione agnationis, de qua fuit dictus Ioannes Pelliparius & suus filius, tum etiam, quia eundem vocavit cõditionaliter, & sub nomine appellativo, & ordine successivo post post suum patrem, apparet, quòd sentijt de illo, qui reperiretur senior tempore existentis conditionis, hoc est, postquam omnes prius specialiter nominati per eum, reperirentur sub-
6 lati de medio. Pro † ista parte etiam põdero multum stringere, quod testator usus est illa dictione, *Ex tunc,* quæ designat extremitatem tẽporis, & non patitur fieri interpretationem de præsenti, *tex. est multum elegans in l. 4. §. fina. ff. de condit.* & *demon.* Clarè ergo patet, quòd testator se retulerit ad tempus illud, quo constabit dictam domicellam Elizabeth, Ioannam, & Ioannem Pelliparium decessisse ab hoc seculo, quo tẽpore dictus donatus fuit verè senior filius d. Ioan. Pelliparij, cùm alius suus frater ante suum genitorem lõgo tempore decesserit, ut præmittitur; & perpenditur istud clarè ex verbis dictæ clausulæ, in qua testator nedum usus est verbo futuri temporis, jungendo qualitatem verbo futuri temporis, sed ultra hoc adjunxit dictionem, *Ex tũc,* quæ extremitatem temporis significat, ut
7 præmittitur. Pondero etiam, † quòd pręfatus testator duntaxat vocat dictos Ioannem Pelliparium, & suum seniorem filium ad dictum jus pręsentandi conditionaliter, sublatis, videlicet, domicella Elizabeth, & Iohanna de medio, quod ablativi absolutè positi important conditionẽ. *l. à testatore. ff. de cond.* & *demonst. cum*
8 *sim.* Vocavitque † seniorem filium post suum patrem, per verbum futuri temporis, *succedet:* & sic videtur testator se retulisse ad tempus existentis conditionis. *l. filiam, cum ibi notatis per Bart. ff. de auro* & *argent. legat. cum sim.* Est enim firma theorica, quòd quando qualitas adjicitur verbo, importanti ordinationem & principium, tunc inspicitur principium temporis, *ut est elegans tex. in l. quid ergo, in princip. ibi, prętor enim ad initium nuptiarum se retulit,* & *c. juncta l. 1. illius tit.*

tit. ff. de his, qui not. infam. Sed quando qualitas adjicitur verbo, importanti processum temporis, effectum, aut executionem, sicut in casu præsenti ; tunc non inspicitur initium, sed progressus temporis, *ut pulchrè inquit Baldus in l. humanitatis. C. de impuber. & alijs substitut. cum quo transeunt omnes posteriores, nemine*
8 *discrepante.* Nec obstat † si dicatur, quòd testator providit in isto casu, per quē voluit fieri hujusmodi præsentationem deficiente Ioanne Pellipario, & suo seniore filio, ac alijs suprà nominatis : cùm ergo provisio hominis, faciat cessare provisionē legis. *l. si fundum sub conditione. §. Stichum. ff. de lega.* 1. & *l. & habet. §. cùm quis, cum sua gl. ff. de precarijs, cum vulg.* Ergo sine aliqua difficultate videntur debere admitti illi de linea materna ad præsentandum, & dictum monasterium debere repelli. Quia respondeo, & dico, quòd hoc esset utique verum, si clarè cōstaret, quòd ipse testator sensisset de illo, qui fuit senior tempore datæ conditi testamenti : sed quia, ut ex suprà dictis patet, hoc non constat, sed hoc est id, de quo disputatur : imò, verisimilius apparet, eum sensisse de illo, qui reperiretur senior tempore existentis conditionis, per ea quæ longè & latè suprà deducta sunt, & per ea quæ infrà dicentur, ideo hoc nō militat. Et ad demonstrandum quòd hæc objectio non obstet, imò quòd ita ser-
9 tiendum sit, ut præmittitur, adduco† tex. *ad Brocam in l. in substitutione, in 2. responso. ff. de vulg. & pupill.* ubi est casus ; Quidam habens duos filios, unum impuberem nomine Lucium, alium puberem nomine Cajum, eis institutis hæredibus, vel pubere instituto, & impubere exhæredato, quod licebat illo jure, sic fecit substitutionem: Si Lucius filius meus impubes decesserit in pupillari ætate, & Cajus filius meus mihi hæres non erit, tunc Sejus sit hæres filij mei impuberis : accidit, quòd testatore defuncto Cajus fuit hæres sui patris, sed posteà desijt esse hæres : quod fieri potest, certis casibus de jure civili introductis, *de quib. ibi per Dd.* accidit etiam, quòd Lucius filius impubes decessit in pupillari ætate ; modò venit Sejus substitutus, & petit hæreditatem testatoris, ut etiam hæreditatē Lucij impuberis; resistunt hæredes ab intestato, ex eo quia Cajus fuit hæres testatoris, licet desierit esse, & sic conditio fideicommissi videtur defecisse : deciditur ibi, fideicommissarium esse admittendum, & hoc ex eo, quia testator usus fuit verbo futuri temporis, scilicet, *si Cajus heres non erit,*
10 & quia ultra adjecit dictionem, *Tunc,*† quę extremitatem tēporis significat quare interpretatur ibi Jctus, quòd testator sensijt de tempore decessus impuberum, in quantum infrà pubertatem decederet, & quia tempore decessus Lucij impuberis Cajus non fuit hæres testatoris, substitutus admittitur. Ergo ad propositum, licet testator hic fecit substitutionem, tamen, quia usus est verbo futuri temporis, & qualitatem illam senior junxit verbo futuri temporis, quia etiam præmisit cōditionem inclusam in illis ablativis absolutè positis, sublatis de medio, &c. & ultrà hoc adjecit dictionem, *Ex tunc,* quæ extremitatem temporis significat : Claret manifestè, quod sensijt nō de tempore testamenti, sed de tempore existentis cōditionis. Sicut enim *in d. l. in substitutione, in 2. ejus responso* habetur conditio negativa, ita etiam hic, licet verba dictæ clausulæ sonent prima facie in affirmativam, sed verè implicant hanc negativam, *si non fuerit in rerum natura tempore vacationis beneficij :* ergo de ijs judicandum est sicut de negativa, *ut est glossa ordin. valde elegans in l fin. §. fin. ff. de doli excep. quam ibi multum exclamat Bart.* & sicut testator ibi providit de substituto, ita etiā hic, & sicut ibi est dictio, *Tunc,* quæ extremitatem

tatem temporis significat, ita etiam hic: & quod magis est, ibi debebat fieri alia interpretatio ex propria natura verborum, puta, quòd nunquam sit hæres, propter illam negativam non erit. Et tamen ibi deciditur, habēdum esse respectum ad tempus mortis impuberis, propter dictionē, *Tunc*, ibi positam, quæ extremitatem tēporis significat. *secund. gl. Vivianum, Bart. & Doct. ibi*, imò etiam ex alio fortissimè stringit ille tex. pro hac parte: quia si hoc ibi operetur illa dictio, *Tunc*, cum verbo futuri temporis, contra propriam naturam verbi, & in præjudicium hæredum ab intestato, multò fortius hoc operabūtur hic ista sex, scilicet, Qualitas juncta verbo futuri tēporis, Conditio inclusa in dictis ablativis absolutè positis, Vocatio facta non simpliciter & purè, sed ordine successivo & conditionaliter, deficientibus scilicet alijs, Nominatio facta per nomen appellativum, Affectio quam habuit fundator ad agnatos, potius quàm ad cognatos, & dictio, *Tunc*, juncta cum his. Attento maximè, quòd cum his conjecturis propria natura vocabuli hic non repugnat, prout ibi: & ultra hoc remanebit hic jus præsentandi apud agnatum, ubi tamen *in d. l. in substitutione, in 2. responso*, talis interpretatio fit in præjudicium venientium ab intestato, propter dictionem, *Tunc*, ibi positam. Pro isto etiam adduco unam aliam novam cōsiderationem: nam habeo,

11 † quod quando plures sunt gradus agnatorum, lex 12. tabular. apertè vocat proximum ad successionem defuncti: & leges novæ postea supervenientes declarant, quòd ubi quis decedit nullo facto testamento, quod tunc tempus mortis illius, de cujus hæreditate agitur, inspiciendum est, ut qui tunc reperitur proximior, admittatur ad succes-

12 sionem. Si verò † quis decesserit facto testamento, quod postea destituitur, tunc declarat lex, quod non inspicitur tempus mortis, sed tempus destituti testamenti, ut qui tūc reperitur proximus, licet tempore mortis non fuit proximus, puta, quia alius eum præcedebat in gradu, qui medio tempore defunctus est, admittatur ad successionem, ad ista est *tex. ad literam in § si plures, juncto vers. proximus autem, qui statim sequitur, Inst. de legit. agnat. succ.* & *in § cùm autem quæritur, Instit. de hær. ab intest. cum sim.* Si ergo lex declarat, respectum habendum esse ad tempus destituti testamenti in casu præmisso: fortius in casu præsenti dicere cogimur, non ad tempus mortis vel testamenti conditi, sed ad tempus existentis conditionis, puta ad tempus quo certum esse cœperit, nullum per testatorē specialiter nominatum in testamēto, in rerum natura exstiturum, testatorem se retulisse, ut qui tunc reperiretur senior filius Pelliparij, admitteretur ad dictum jus præsentandi, licet tempore datæ conditi testamenti, vel tempore mortis non fuit senior, per prædicta, maximè cum testator ad futurum se retulerit, ut etiam ex multis suprà latè commemoratis conjicitur. Prædictis etiam

13 adminiculatur, quòd † etiam in dubio favendum sit ecclesiæ, & piæ causæ: cùm magna sit ratio, quæ pro religione facit. *l. sunt personę. ff. de relig. & sumpt. fun. juncto c fin. de re judica. cum sim.* Ergo cùm in casu præsenti monasterium instet pro jure præsentandi, ratione sui donati, & sint cōjecturæ pro utraq; parte, prægnantiores tamen & validiores, pro parte dicti monasterij, quàm pro alia parte, ut videri potest ex prædictis; sequitur, quòd in dubio favendum sit ecclesiæ & monasterio: & per ista, junctis his, quæ aliàs per me in hac materia adducta fuerunt, corruit funditus, quicquid pro parte alia allegarī vel excogitari possit. Quare concludendum dico, prout aliàs consului, quòd dicto monasterio, nomine sui donati, & minimè illis de linea materna pro hac vice

competit jus præsentandi ad capellaniam, per dictum testatorem fundatam : & similiter pro alia & tertia vice, si eundem donatum tempore occurrentis novæ vacationis supervivere contingat. aliâs aurem secus.

Ita videtur mihi Nicolao Everhardi de Middelburgo, artium & utriusque juris Doctori omnium minimo, de jure dicendum, & sine aliqua hæsitatione judicandum & sententiandum, teste manu propria.

CONSILIUM CCXLV.

SUMMARIA.

1 *In prejudicium sororum absentium & non consentientium, nihil inter fratres vel per sententiam judicis fieri potest.*

2 *Filius per patrem in legitima gravari nequit; Et si rogetur extraneo restituere portionem suæ hæreditatis, quartam Trebellianicam detrahere potest.*

3 *Testamento non extante, successioni ab intestato locus datur.*

4 *Contra conscientiam facere non videtur, qui jus commune insequitur.*

5 *Filij fratrum vel sororum unà cum patruis & amitis, jure repræsentationis succedunt.*

6 *Consuetudo loci, in quo bona sunt sita, attendenda est.*

Reverendissime Domine, vidi ea, quæ frater tuus germanus in materia successionis fratris vestri communis intestati defuncti ad V.P. scripsit, qui sentire videtur, sorores à successione fratris defuncti esse excludendas, præcipuè à bonis per eum acquisitis, & similiter à bonis quondam Domini de Champuans, piæ memoriæ vestri genitoris, quoad ejus legitimam & Trebellianicam.

1 Et movetur † primò, propter condemnationem factam in magno concilio, vigore cujus divisio inter vos fratres facta, est approbata.

Secundò movetur, quia filius in legitima & Trebellianica gravari non potest, ut est notorij juris. Et tertiò, quia admittere sorores ad successionem in hoc casu, esset facere contra conscientiam, tamen ex parte sororum recipientium, quàm ex parte permittentium, & sic ædificare ad gehennam. Sed dictis motivis non obstantibus, videtur mihi, quòd debeam propter illa esse alterius opinionis quàm fui, quia videor mihi consuluisse meram veritatem, & ad dicta motiva facilis est responsio. Et primò non obstat primum, quod adducitur de condemnatione in magno concilio facta, quia illi motivo satis respondi in consilio meo, dicendo, quod nihil fieri potuit inter fratres, neque per sententiam consilij, in præjudicium sororum absentium, & non consentientium; quia res inter alios acta, alijs non præjudicat.

2 Non † obstat etiam secundum, quod adfertur de legitima & Trebellianica; quia benè verum est, quòd filius per patrem potest gravari in legitima, & si rogetur extraneo restituere portionem hæreditatis suæ, potest detrahere quartam Trebellianicam; sed istud in casu subjecto est omnino impertinens, quia nō memini aliquem filiorum in testamento patris vestri fuisse gravatum in legitima, vel rogatum restituere portionem hæreditatis suæ extraneo: quare dictum motivum, tanquam impertinens, seipsum confundit: & nullum colorem habet, quòd dicit sorores non posse succedere in bonis, per fratrem defunctum acquisitis: quia in illis, sicut in paternis, fuit plenus Dominus, & liberè de eis disponere potuisset, ex quo prohibitus non fuit, cùm

cùm in re sua quilibet sit moderator & arbiter: ex quo † ergo non disposuit, lo-
3 cus est successioni ab intestato, secundum dispositionem juris cõmunis scripti. Nec
4 etiam † obstat tertium de conscientia; quia non debemus dicere, aliquid fieri contra conscientiam, quando insequimur jus commune, cui omnes subijcimur, quo evidenter disponitur, quòd fratri intestato defuncto, succedunt sorores æqualiter cum fratribus, exceptis bonis feudalibus: imò facere contrarium, esset facere contra rectum judicium rationis, & sic contra conscientiam: imò quòd fortius est,
5 filij sororum vel fratrum succedere debent unà cum fratribus & sororibus ejusdem D. quondam vice Comitis de Herlebecke defuncti, superstitibus, jure repræsentationis. *tex. est apert. in Auth. cessante. C. de legit. hæred.* Cùm ergo de hoc sit casus apertus, patet nullum de hoc esse posse dubitationem. *l. ancillę, cum glos. C. de furt.* Et hoc † verum, ni-
6 si in locis, in quibus non habet locum jus repræsentationis, ut in Flandria, & in aliquibus locis Hollandiæ: nam consuetudo loci situationis bonorum est attendenda, *juxta notat. in l. cunctos populos. C. de sum. Trinit. & fide Cathol.*

CONSILIUM CCXLVI.

SVMMARIA.

1 *Quod multipliciter intelligitur, illius veritas ignoratur.*
2 *In incertis locus est conjecturis. Conjecturæ autem arbitrio judicis, & boni viri relinquuntur.*
3 *Præsumptio fortior debiliorem tollit.*
4 *Bona per clericum beneficiatum empta, in dubio ex bonis ecclesiæ acquisita censentur.*
5 *Hęres clerici beneficiati, patrimonium ante promotionem habentis, bona per clericum acquisita possidens, qualiter sit privilegiatus?*
6 *Clericus habens patrimonium & beneficium, quales in bonis acquisitis habeat successores?*
7 *Artificium sive doctrina patrimonio æquiparatur, & num. 12.*
8 *Prælatus prædives bona sua ex bonis ecclesiæ, quæ reperitur esse pauperrima, corrasisse pręsumitur.*
9 *Acquisita per filium industriosum, habentem aliàs patrem inopem. adventitia & non profectitia esse pręsumuntur.*
10 *Bonæ fidei congruit, ne quis de alieno lucrum sentiat, vel cum alterius jactura locupletetur.*
11 *Ecclesia clericum alimentare tenetur.*
13 *Beneficium regulare quid differat à seculari?*
14 *Quæstiones hujus consilij principales quę sint?*
15 *Inventarium an defunctus confici fecerit, in successionibus non attenditur.*
16 *Damnum per beneficiatum defunctum ecclesiæ illatum, hęredes ejus resarcire tenentur.*
17 *Beneficiati, plura beneficia habentis, bona qualiter dividenda?*

REverendissime pater, post debitam commendationem insequendo desiderium V. R. P. legi & relegi consilia per diversos diversimodè reddita, in materia V. R. P. nota. Nec mirum, quia
1 † apud veteres diversæ in hac materia fuerunt opiniones, *ut habetur per glos. in c. sint manifestę. 12. quęst. 1. & per Henric. Boick in c. si quis sanè, de pecul. cleric. & per Ioan. And. Card. Ioan. de Imol. Panor. & alios, in c. 3. illo eodem tit.* tex. etiam in hac materia diversimodè lo-

dè loquuntur, & glos. sunt variæ, totque
ferè sunt opiniones, quot capita: ita quod
verificatur in hac materia illud Aristote-
lis, Quod multipliciter intelligitur, il-
lius veritas ignoratur. Difficultas au-
tem hujus materiæ ex eo surgit, quia
de incerto, non autem de certo quæ-
stio est: modò succedit regula, quod in
2 † incertis, non in certis, locus est conje-
cturis *l. continuum. §. cùm ita. ff. de verb.
oblig.* Conjecturæ autem arbitrio judi-
cis & boni viri relinquuntur, qui singulis
circumspectis & perpensis, quod bonum,
æquum, justum, ac magis verisimile est,
statuere debet, & hinc rectè dicit tex.
in l. voluntatis. C. de fideic. quod volun-
tatis defuncti quæstio in arbitrio seu æ-
stimatione judicis est, cùm autem con-
jecturæ, quæ æquum judicem movere
possent, in hoc casu sint variæ, ut videre
licet ex hujusmodi consilijs, & *ex his
quę notat Panor.* & *alij in d. c. 3.* & *idem
Panor. in repetitione c. cùm esses. in 3.
quæst. de testa.* & *Innocent. in c. cùm in
officijs, eod. tit.* Non mirum, si aliter u-
nus, & aliter alter opinatus sit, præsertim
cùm unus ad unam conjecturam, & a-
lius ad aliam respectum habuerit: &
contingit aliquando, quod una conjectura
vel præsumptio sit debilior altera, aliquã-
do autem par, aliquando autem potẽtior.
3 Ubi † autem plures concurrunt conjectu-
ræ seu præsumptiones, quarum una non
præponderat alteri, invicem se confun-
dunt: ubi autem una est potentior alte-
ra, fortior tollit debiliorem. *cap. transmis-
sæ, cum ibi not. per glos. Panorm.* & *Doct.
qui sil. sunt legi. cum simil.* quod totum
pendet in arbitrio boni judicis, *ut vult
Panor. in ea. cùm inter R. seniorem, de e-
lect.* Ne tamen relinquam P. V. quæ de
veritate certiorari cupit, penitus ambi-
guam; mihi videtur, quòd aliqui casus
habendi sunt in consideratione: & in pri-
mis excludendi casus non dubitabiles, vel
minus dubitabiles: & deinde ad casum
vel casus dubitabiles descendendum est,
*juxta doctrinam Ioan. And. super data 6.
lib.* & *in regula, cùm sunt partium*, & *in
regula, in malis*: & *in regula, quę contra
jus fiunt, de reg. jur. lib. 6. in mercurialib.*

Omissis ergo duobus casibus, tanquam
in hac materia impertinentibus, scilicet,
quando clericus beneficiatus non habuit
patrimonium ante promotionem, nec in-
dustriam, & hoc constat. Et similiter quã-
do dubitatur, an clericus beneficiatus ha-
buit patrimonium vel industriam ante
promotionem ad beneficium. Occurrit
4 primò casus, quando † aliquid emptum
est per clericum beneficiatum, quem con-
stat ante promotionem habuisse patrimo-
nium, & constat verè vel præsumptivè,
quòd illud emit ex bonis ecclesiæ, vel no-
mine ecclesiæ, quia fortè literæ canunt,
eum emisse nomine ecclesiæ, vel exprimi-
tur nomen dignitatis vel officij: & iste
casus videtur mihi clarus, quia ubi con-
stat, sumus certi, *per d. c. sint manifestę*,
& *c. inquirendum, de pecu. cler.* & *vult
Ludov. de Roma. in consil. 159.* & *Panor.
d. repetitione c. cum esses, in 3 quæst.* Et in
dubio concurrentibus dictis conjecturis
præsumere debemus, ex bonis ecclesiæ
emptum, ut benè consuluit dominus Ar-
chidiaconus Nigri: & dominus Archidia-
conus Attrebatensis, *pro quo facit l. annua.
§. 1. ff. de annuis lega. c. requisisti, de te-
stam.* & *Auth. licentiam, cum ibi nota.
C. de episc.* & *cler.* Ubi verò dictæ con-
jecturæ cessant, & facultas patrimonij, &
bonorum beneficij patitur, ex utroque po-
tuisse acquiri: aliter meo judicio dicen-
dum est, ut dicam latius infra in tertio
casu principali.

5 Secundò occurrit casus, quando † ali-
quid est emptum per clericum beneficia-
tum, quem constat habuisse patrimonium
ante promotionem, sed est dubium, an
illa bona empta vel acquisita cleri-
cus

ejus acquiſivit, poſt ſuam promotionem,
vel ante; & hoc caſu hæres clerici, ſi eſt
in poſſeſſione hujuſmodi bonorum, de-
fendetur in ſua poſſeſſione, quo uſque
probatum & oſtenſum fuerit per eccle-
ſiam vel ſucceſſorem in beneficio, quòd
illa bona acquiſita, de quibus eſt quæſtio,
fuerunt acquiſita poſt promotionem ad
beneficium, & de hoc eſt tex. juncta gl.
in cap. I. 12. queſt. 5. quem ſic intelligunt
Archi. & Domini. in d. c. ſint manifeſtæ, &
vult Panorm. in d. c. 3. & in d. repetitione
c. cùm eſſes, in 3. qu. & Card. in d. c. cùm
in officijs, in ultima quæſt. ubi dicit, ſe in
hoc caſu conſuluiſſe pro hæredibus Franciſ-
ci Petrarchæ Archidiaconi Parmenſis, &
verum eſt, ut videri poteſt in conſil. ſuo
79. & ſuper eodem facto conſuluerunt præ-
clariſſimi viri, Ludov. de Roma, in d. ſuo
conſ. 159. & Socin. in conſ. ſuo 216.
& iſte caſus etiam eſt clarus. Tertiò,
6 occurrit caſus, quando † aliquid eſt em-
ptum, vel acquiſitum per clericum, quem
conſtat habuiſſe patrimonium ante pro-
motionem ad beneficia, & certum eſt
illud eſſe emptum poſt adeptionem bene-
ficiorum, ſed ignoratur, an ex fructibus
patrimonij, vel an ex fructibus benefi-
ciorũ, vel an ex acquiſitis per induſtriam:
quia præſupponitur, quod ille, de cujus
bonis nunc agitur, fuit Doctor, orator,
ſeu legatus principis, literatus, & in-
duſtrioſus. Et iſte eſt caſus ſuper quo
conſilium petitum eſt, ſi rectè inſpicia-
tur thema, & quicquid ſenſerint plures
ſuper hoc caſu conſulentes. Caſus iſte
eſt expreſsè deciſus in cap. I. juncta gloſ.
12. qu. 4. ubi expreſsè habetur, quod ſi
clericus habens patrimonium & benefi-
cium, aliqua acquirit, in dubio præſumi-
tur, quod fuerint acquiſita, tam de bonis
patrimonialibus clerici, quam de bonis
vel fructibus beneficij vel beneficiorum:
unde in dubio talia bona acquiſita debent
dividi proportionabiliter & pro rata, ſe-
cundum quantitatem patrimonij & bo-
norum eccleſiæ, arbitrio boni & recti ju-
dicis, qui arbitrabitur quantum fuit pa-
trimonium ejus, & quot fuerunt redi-
tus eccleſiæ: item, qui veriſimiliter lu-
cratus ſit de artificio ſeu doctrina, quæ
7 † æquiparantur patrimonio, c. quia nos
& c. relatum. 2. de teſtam. & iſtam opinio-
nem tenet apertiſſimè Panorm. in d. c. 3.
& in repetione d. c. cùm eſſes. & idem cla-
rè vult Innoc. in d. c. cùm in officijs, & ſe-
quitur ibid. Cardin. in 2. quæſt. & dicit
benè notandum: & idem conſuluit ipſe in
dicto conſ. ſuo 79. & Ludov. de Roma, in
dicto conſ. ſuo 159. & Socinus in d. conſ.
ſuo 216. in eâdem opinione etiam eſt gloſ-
ſa in c. 2. de ſucceſſ. ab inteſta. ubi ſic in-
telligit textum, in d. cap. I. 12. quæſt. 4.
8 Pro iſta † opinione etiam faciunt notata
per Iacob. & Cynum in Auth. licentiam.
C. de epiſcop. & cleric. ubi dicunt, quod
ſi eccleſia eſt pauperrima, & prælatus
habet multa, pro rata præſumitur ha-
buiſſe de bonis eccleſiæ. Eandem opinio-
nem tenet etiam ibi Bald. In iſta opinio-
ne etiam ſunt Ioan. Fabr. in breviario,
Alber. de Roſate, & Paul. de Caſtro, in
dicta Auth. licentiam, cùm de hac quæſt.
remittunt ad Innocen. in d. c. cum in offi-
cijs, in hac opinione videtur etiam fuiſ-
ſe Hugo Archidiac. & Dominic. in d. c.
ſint manifeſtæ, Pro iſta opinione etiam
9 † facit deciſio Ioan. gloſſatoris antiqui,
relata per gloſ. in l. cùm oportet, in prin-
cip. ſuper verbo, ex ejus ſubſtantia. C.
de bonis quæ lib. cum ibi notat. per Cyn.
in 3. quæſt. & accuratius per Salic. in 4.
quæſt. qui volunt, quòd ſi filiusfamiliâs
ſit induſtrioſus, & induſtriam exercue-
rit, & pater ſit inops, acquiſita per eum
in dubio præſumentur adventitia, & non
profectitia: & pro hac opinione optimè
facit l. ſed etſi quis § interdum. ff. de u-
ſufruct. ubi in actu acquiſitionis fiendæ
per ſervum fructuarij, interveniente

numeratione precij tam usufructuarij
quàm proprietarij, statuitur pro rata pre-
cij utrique acquiri: sic etiam sit in pro-
posito: & ista opinio est æquissima, quia,
ut dixit tex. in d. c. sint manifestæ, justum
est hoc apud Deum & homines, ut nec
ecclesia patiatur detrimentum ignoran-
tia rerum Pontificis, nec episcopus vel e-
jus propinqui sub obtentu ecclesiæ pro-
scribantur, &c. & ergo beneficiatus ju-
betur facere inventarium, *ut ibi*, & *in d.*
10 *c. 12. q. 4.* Bonæ enim † fidei congruit
hoc, ne quis de alieno lucrum sentiat.
l. idemque. §. 1. ff. mand. & regula naturæ
hoc indicat, quòd nemo debet locupleta-
ri, cum alterius jactura vel injuria. *l. nam
hoc natura. ff. de condict. indeb.* & *regula,
locupletari, de regul. juris. lib. 6. in ista*
11 *† opinione etiam firmo pede stat Salic.
post Iacob. Butrig. in d. Authen. licen-
tiam, in versic. sed quæro tunc.* qui plus
dicunt, videlicet, quòd de reditibus ec-
clesiæ antea deducetur tantum, quantum
ad alimenta est necessarium ipsi prælato,
cùm ecclesia illum alimentare teneatur:
quia qui altari servit, de altari vivere
debet, *c. cùm secundum Apostolum, de
præben.* & de superfluo & de proprijs
bonis fiet computatio pro rata, *argum. l.
sed etsi lege. §. quod autem quis. ff. de petit.
hæred.* & *idem expressè volunt, Innoc.
Ioan. And. Pet. de Anch.* & *Io. de Imo. in
d. c. cum in officijs*, & *Panor. in d. c. 3.* &
Ludov. in d. suo cons. 159. & *Socin. in d.
suo cons. 216. Quibus consonant etiam
notata per Innocen. Panor.* & *Dd. in c. e-
piscopus, de præbend.* & *notata per eundem
Panorm. in c. postulasti, de rescript.* & *ea
quæ habentur per eundem Panor. in eleg.
sua disput. incip. Titius clericus, in 4. du-*
12 *bio.* Et quod † dixi de clerico benefi-
ciato, quem constat habuisse patrimo-
nium ante promotionem ad beneficia:
idem intelligo in clerico beneficiato, non
habente patrimonium, industrioso tamen,
& *ita concludit Salic. in d. Auth. licen-
tiam, Panorm. in d. cap. 3.* & *in d. repe-
tit. c. cùm esses*, & *omnes in d. c. cùm in
officijs. Et probatur in d. c. quia nos*, &
*in d. c. relatum. 2. quicquid dicat Iacob.
Butrig. in dict. Authen. licentiam*, & tan-
tò fortius præmissa procedunt in casu
subjecto, quia dictus Dominus defun-
ctus, ut informor, tempore vitæ suæ
benè providit pauperibus in locis suorum
beneficiorum, & egregiè, magnificè, ac
sumptuosè reparavit ecclesias per eum
possessas.

13 Nec puto † in casu nostro distinguen-
dum, an beneficium per defunctum pos-
sessum, fuerit regulare, vel seculare, ut
aliqui ex consultoribus opinantur: quia
licet regulares non possint alienare bo-
na ecclesiæ regularis, nec testari de bo-
nis ecclesiæ regularis, ut opinantur illi,
& verum credo; nec fructus suos faciant,
sicut nec commendatarij; nec in illis hæ-
redes clerici defuncti succedant, quod &
non inficior: Tamen ex hoc nihil infer-
tur, meo judicio, in casu subjecto, quia
defunctus, non fuit monachus, vel regu-
laris, sed administrator secularis eccle-
siæ regularis, qui æquiparatur beneficia-
to seculari, seu administratori secularis
ecclesiæ, quo ad dispositionem de patri-
monio suo fiendam, vel de his quæ ex
successione cognatorum usque ad quar-
tum gradum, vel ex industria obvene-
runt, *d. Auth. licentiam, cum ibi not.
per Bald.* & *§. interdicimus, in Auth. de
eccles. titu. collatio. 9. junctis his quæ no-
tantur per Henric. Boick in d. c. sanè si
quis, circa fin.* Nec hic quærimus de va-
liditate testamenti, nec de validitate alie-
nationis rei ecclesiæ, nec an defunctus
fecerit fructus suos, nec de successione
in bonis ecclesiæ, propriè loquendo: sed
14 duntaxat † hic quærimus, an acquisita
per defunctum, quem constat habuisse
patrimonium, & industriam, ac bene-

ficia

ficia, & post promotionem ad beneficia, aliqua acquisivit, sed nescitur, an ex patrimonio, an ex industria, vel an ex fructibus beneficij, vel beneficiorum; videatur in dubio ea acquisivisse ex patrimonio, vel ex industria, an ex fructibus beneficiorum, ad illum effectum, ut sciatur, cui talia bona acquisita in totum vel in parte applicari debeant: an scilicet successori in beneficio vel beneficijs, an verò hæredi defuncti, ut quod Dei est Deo detur, & quod hæredis clerici defuncti est, ei detur; nec alter cum alterius damno vel injuria locupletetur: & quid de jure in hoc articulo sit dicendum, patet satis ex præmissis.

Non puto etiam in casu subjecto attendendam esse distinctionem illam, an possideat ecclesia, vel hæres clerici beneficiati defuncti, quia illa distinctio non procedit, quando constat beneficiatum defunctum habuisse patrimonium, ante promotionem suam ad beneficia, sed tunc demum, cùm de hoc dubitatur, ut suprà satis deduxi.

Non puto etiam, in casu subjecto debere haberi respectum, an literæ bonorum acquisitorum sint repertæ in monasterio sancti Benedicti, vel extrà; sed hoc utique considerandum est, an per literas constet verè vel præsumptivè, quòd bona, de quibus est quæstio, fuerunt acquisita de bonis ecclesiæ, vel nomine ecclesiæ, vel nomine proprio, per ea quæ dicta sunt suprà.

15 Non † puto etiam in hoc casu habendum respectum, an defunctus confecerit inventarium, vel non; *ita apertè vult Ludov. de Roma, in dicto cons. 159.* & *Panorm. in d. repetit. c. cùm esses, in 3. q.* & *patet ex textu d. cap. 1. 12. quæst. 4.* & *ex textu d. c. sint manifestę*: quicquid per in advertentiam, ut credo, dicant **Petr. de Anchor.** & **Ioan. de Imol. in d. c. cùm in officijs**, quia nimis durum & rigidum hoc esset pro hæredibus dicti defuncti, quibus nihil imputari po-

16 test: hoc autem † certum est, quòd si beneficiatus defunctus damnificavit in aliquo ecclesiam, hæredes ejus tenentur hoc resarcire, *c. episcopus. 12. quæst. 2.* &

17 *cap. quicunque. 12. quæst 4.* Illud etiam † certum est, quòd si beneficiatus plura habeat beneficia, bona acquisita per eum æqua distributione sunt inter illa dividenda, *d. c. relatum, in fine, juncta glos. cum ibi notat.* Illud tamen admonere volo, quòd licet opinio, quàm suprà retuli, sit communior & verior, æqua, & rationabilis: Hæredes tamen dicti domini defuncti non inconsultè agerent, imò ad vitandum litium anfractus, benè facerent, si habitis bonis patrimonialibus & fructibus, qui ex illis verisimiliter recepti sunt, vel recipi potuerunt, contententur, modico à successore recepto, ratione verisimiliter acquisitorum per industriam defuncti, cùm, quanti illud æstimari possit, penitus sit incertum.

Ex quibus liquidè constare potest, aliquos ex consultoribus punctum materiæ non tetigisse, aliquos penitus non intellexisse: alios autem optimè consuluisse, & acu (ut in proverbio est) rem attigisse. Quod totum V. R. P. discretissimo arbitrio examinandum & discutiendum committo: cui me plurimum commendo, & remitto consilia his inclusa.

CONSILIUM CCXLVII.

SVMMARIA.

1 *Præstatio triennalis alimentorum, in minus solenni testamento relictorum, sufficit ad hoc, quod hæres etiam in futurum ea solvere teneatur.*

2 *Limitata causa, limitatum producit effectum.*

3 *Indebitum per errorem facti solutum, usque ad triginta annos condici & repeti potest.*

4 *Ecclesia onere reali perpetuo per ordinarium affici non potest, nisi evidens necessitas vel utilitas subsit, vel tractatus interveniat.*

REverendissime domine, juxta ordinationem V.R.P. visa sunt per dominum Everhardum de Vere, Cæsareæ Majestatis consiliarium in suo secreto cōcilio, & dominum doctorem Cranevelt, ejusdem Cæsareæ Majestatis consiliarium in suo magno concilio, & me Nicolaum Everhardi, munimenta, & omnia ea, quæ magister collegij Attrebatensis, ex una, & Dominus Præpositus Cassetensis ex altera exhibuerunt. Et omnibus visis, comperimus dictum magistrum collegij Attrebatensis allegare quinque potissimùm, per quæ inevitabiliter videtur, dictum Dominum Præpositum injustè recusare solutionem pensionis triginta florenorum aureorum, de quibus est quæstio.

Primò, quia dicta pensio constituta est de consensu Domini Attrebatensis, fundatoris dicti collegij, possessoris dum vixit præpositurae seu ecclesiæ parochialis Harlemensis, super qua assignata & reservata est dicta pensio.

Secundò, quia accessit consensus quondam regis Philippi patroni, & post mortem ejus Caroli sui filij moderni Imperatoris, cum autoritate quondam Maximiliani sui tutoris, supplicantium Sanctissimo, ut suam authoritatem in hoc interponere vellet.

Tertiò, domini Bernardini Cardinalis sanctæ crucis Legati de latere, intercessit authoritas.

Quartò, subfuit justa causa reservandi hujusmodi pensionem, utputa, favor alimentorum: fuit enim dicta pensio reservata pro alimentis trium pauperum clericorum Harlemensium, in Universitate Lovaniensi, & in dicto collegio Attrebatensi alimentandorum. Quintò, intercessit præstatio seu solutio dictæ pensionis, per dictum Dominum Præpositum facta
1 per decennium & ultra, ubi tamen † favore alimentorum relictorum in minus solenni voluntate sufficit præstatio triennalis, ad hoc quòd hæres compellatur solvere in futurum. *l. 1. C. de fideic.* per dictum magistrum collegij allegata, quod etiam solum dicebat sufficere ad obtinendam victoriam in hac causa. Ex adverso autem, dictus Dominus Præpositus dicebat, constitutionem dictæ pensionis fuisse nullam, & eandem pensionem nulliter fuisse constitutam, seu reservatam per dictum Legatum, cujus potestas ad hoc non extendebatur; quia ejus potestas fuit limitata & restricta ad hoc, ut possit duntaxat reservare pensiones in favorem illorum, qui dimitterent vel resignarent beneficia, seu cederent beneficijs, qui non est casus noster: cùm hic reservata sit pensio tertio, puta, collegio, quod nunquam fuit in possessione beneficij, super quo assignata est dicta pensio, sustinens propterea, ejusmodi reservationem esse
2 nullam, cùm † limitata potestas seu causa, limitatum producat effectum, ut notorij juris est. Et quòd dictum est, eum solvisse hujusmodi pensionem, dicit hoc processisse per errorem facti, quia credidit domino Decano Mechliniensi, qui in fide boni viri sibi asseruit, dictam pensionem fuisse legitimè expeditam.

Ad id autem, quod dicitur d. dominum Attrebatensem suum præbuisse consensum, dicit hoc facilè per eum fieri potuisse, cùm non intendebat, in vita sua aliquid de dicta pensione solvere, sed solum successorem in dicta ecclesia parochiali Harlemensi gravare, & de alieno largiri, & facere fundationem: quod ex eo patet,

patet, quia in suo consensu seu literis consensus exprimitur, pensionem non debere solvi, vel deberi, nisi post extinctionem alterius pensionis super eadem ecclesia parochiali assignatæ, quam pensionem verisimiliter credebat, non extinctam iri in vita sua, propter ætatem pensionarij.

Quod autem dicitur de consensu patroni, frivolum esse dicit, quia dictus rex Philippus patronus, ante expeditionem literarum dictæ pensionis, re adhuc integra mortuus est, & filius ejus modernus Imperator, nondum novennis, nesciens quid faceret, per d. dominum Attrebatensem suum consiliarium præcipuum ad hoc inductus, vel verius seductus, suum præstitit taliter qualiter consensum, qui quàm validus sit in alienationibus, clarum est de jure. Et quod dicitur, assignationem hujusmodi pensionis esse factam ob causam piam & favorabilem, puta alimẽtorum, dicit non minus favorabilem esse causam ecclesiæ sibi commissæ, & quòd non debet unum altare discooperiri, ut cooperiatur aliud.

Quibus visis, & partibus oretenus auditis, dicti domini Everhardus de Vere, doctor Cranevelt, & ego, cœpimus simul hæc communicare. Et quamvis prima facie causa dicti collegij visa fuit favorabilis, tamen visa facultate dicti Legati, cujus potestas, quoad reservationem vel assignationem pensionum, reperta esse limitata, & quia dicit se processisse virtute facultatis, sibi per summum Pontificem datæ visum fuit, & videtur mihi & dicto domino Everhardo, dictam assignationem seu reservationem pensionis fuisse nulliter constitutam, & dictum magistrũ collegij, cum bona conscientia, non posse petere id quod restituturus esset: quia indubitati juris est, Indebitum † solutum
3 per errorem facti, posse condici & repeti usque ad triginta annos. Si ergo datur actio ad repetitionem soluti, fortius admittenda est exceptio ad impediendam petitionem: nec aliquid facit *d. l. 1. C. de fideicom.* quia ista locum habet favore ultimæ voluntatis, licet minus solennis, de qua tamen aliàs constat. Item procedit ex eo, quia hæres reputatur eadem persona cum defuncto, & repræsentat personam defuncti, & est naturaliter obligatus: hic autem non constat de assignatione valida pensionis, imò est nulla, ut suprà. Et sic nullo modo, neque naturaliter neque civiliter obligatus est: & Dominus Præpositus, qui successit dicto domino Attrebatensi in dicta ecclesia parochiali Harlemẽsi, qui etiam non habet causam ab eo, sed ex novo titulo habet eam, nec repræsentat personam dicti domini Attrebatensis defuncti, quare non obstat. Et tantò minus, quia solvens indebitum per errorem facti, potest id repetere usque ad 30. annos, ut suprà.

Dictus autem dominus Doctor Cranevelt visus est velle, dictam assignationem pensionis posse sustineri ex authoritate ordinaria, quàm habet Legatus in provincia sibi decreta. Sed ad hoc per nos
4 responsum fuit, ordinarium † non posse afficere ecclesiam aliquam onere reali, ut in perpetuum obligetur, nisi subsit evidens necessitas vel utilitas, & interveniat tractatus, licet possit interponere authoritatem ut persona consentiens in pensionẽ, obligetur ad vitam suam. Secundò, fuit per nos dictum, quòd dato sine præjudicio veritatis, quòd ordinarius hoc posset, tamen in casu præsenti dictus Dominus Bernardinus non processit ut ordinarius, sed vigore facultatis sibi concessæ, ut ipse clarè exprimit in processu suo, super dicta reservatione pensionis fulminato. Quo casu, secundum communem opinionem, non est ordinarius, sed delegatus, & non plus potest, quàm sibi à Papa sit permissum, ut suprà.

Tandem Dominus Doctor Cranevelt exhibuit nobis quandam copiam cujusdam supplicationis, per dictam magistrum collegij Attrebatensis, quondam sanctissimo domino nostro Papæ Adriano exhibitæ, & in forma rationi congruit, per Clementem VII. modernum pontificem, ut apparebat, expeditæ, ubi videbatur apparere expeditionem seu reservationem pensionis factam, per dictum legatum fuisse confirmatam. Super quo per me dicebatur, quod illa copia non faciebat fidem: & licet copia illa esset Authentica, prout non, tamen non plus probaret, quàm quod facta erat confirmatio in forma communi, quæ nihil novi juris adijcit, ut notum est. Et præterea ex narratione supplicationis apparebat clarè, dictam confirmationem esse surreptitiam & obreptitiam, cùm subticebatur veritas, puta defectus authoritatis dicti Legati, & quòd rex Philippus re integra mortuus fuit, & sub involucro verborum dicebatur de validitate dictæ expeditionis, seu reservationis pensionis, ita quòd circumventi fuerunt tam Adrianus quàm Clemens. Quare videtur, dictum dominum præpositum Casletensem fovere justam causam, & ipsum magistrum collegij potius, quàm dictum dominum Præpositum esse aut fuisse in calumnia: finaliter cœpimus communicare de aliquo expedienti seu medio inveniendo: & tandem apertis aliquibus medijs, convenimus faciendam esse relationem vestræ reverendissimæ paternitati, quam Dominus Deus servet incolumem.

FINIS.

INDEX

INDEX

RERUM IN TOTO HOC OPERE MEmorabilium, in quo numerus prior paginam, poſterior rem quærendam ſignificat. Si numeri plures occurrant, poſt paginæ numerũ ſequitur comma, poſt num. rei quærendæ, punctus. Si duo ſequantur, rem inveſtigandam in diverſis ejuſdem paginæ locis inveniri declarant.

A.

ABlativi abſolutè poſiti important conditionem. 29.18
Accedens ad nundinas publicas, ibidem ex antegeſto neque conveniri neque detineri debet repreſſaliarũ cauſa. 110.8
Acceſſoria, ſecundum naturam principalis diſpoſitionis, regulari debent 400.4
Acceſſorium conceſſum videtur quando principale, ſine quo effectum ſortiri nequit, eſt conceſſum. 600.4
Acceſſorium naturam Principalis non ſequitur, cùm proviſio diſpoſitione ſpecialis in eo reperitur. 478.17
Acceſſoriũ ſequitur naturã ſui principalis. 470.7
Accidens ſine ſubjecto ſubſiſtere nõ poteſt. 413.2
Accuſatio prælatorum non facilè permittitur, ne columnis ſcilicet cõcuſſis corruat ædificiũ. 59.4
Accuſans de vi publica, ſi vim privatam probet, ſuccumbit. 345.6
Acquiſita bona quæ dicantur. 515.5
Acta in una inſtantia, quando fidem faciant in alia. 519.3
Acta, maximè poſt concluſionem in cauſa, faciunt notorium. 190,5.328.11
Acta publica per juratum ſcribam ſcripta plus habent fidei, quam judices ipſi contrarium teſtari volentes. 67.4
Actio confuſione extinguitur, quande creditor debitori ſuccedit. 36.9
Actio hypothecaria, principali prorſus extincta, non ſubſiſtit. 354.2
Actio merè perſonalis fundum vel ſingularem ſucceſſorem non ſequitur. 552,1:9.633,1.6
Actio mulieri vel etiam pro dote conſequenda, in mercibus venalibus per maritum mercatorem prius alienatis, non competit. 301.3
Actio nedum exceptio naſcitur ex arbitri ſententia. 370.5
Actio, non aliter ac filia matrem, obligationem præſupponit. 2.4
Actio Pauliana creditoribus futuris etiam dari ſolet. 106.4
Actio per novationem extincta reviviſcit, quãdo id quod eſt datum, ſine facto ejus qui accepit, evincitur. 476.5
Actio perſonalis an detur contra ſingularem ſucceſſorem, quando bona ſpecialiter ſunt obligata. 552,2.554.14
Actio perſonalis competit contra poſſeſſorem bonorum pro certa annua penſione obligatorũ, pro tempore quo poſſedit & fructus eorum percepit. 553,5.633.2
Actio perſonalis contra hæredem & non legatarium debet intentari. 544.4
Actio perſonalis in rem ſcripta, datur contra poſſeſſorem ſingularem. 553,10.633,7.8
Actio perſonalis præſupponit obligationẽ. 683.11
Actio prius competens tollitur novatione, 475.2
Actio ſemel extincta, non reviviſcit. 476,3:763.2
Actio ut ex contractu ſimulato detur, nulla conſuetudine poteſt introduci. 546.6
Actiones perſonales durant annis triginta. 592.2
Actiones ſive nomina debitorum in bonorum mobilium vel immobilium legato non veniunt. 704.10
Actor in turpitudine ſui auctoris ſe fundans, eſt repellendus. 734.14
Actus æquivocus nihil certi probat. 115.8
Actus agentium, è principijs medio & fine denique judicantur. 104.33
Actus alio, quam quo fieri debuit, tempore factus, pro nullo reputatur. 411.4
Actus, cujus forma non eſt obſervata, nullus eſt ipſo jure. 123,15.479,18.580.17
Actus eorem qui agunt ultra ipſorummet intentionem nihil operatur. 53,6.179,3.338.30 559,6.648,1.703,7.712.15
Actus & voluntas tacita, non adeò latè ſunt interpretanda, ſicuti ſunt expreſſa. 112,25
Actus geſtus contra juramentum regulariter valet. 485.3
Actus in ea, qua fieri debuit, ætate celebratus eſſe præſumitur. 426.8
Actus in judicio factus, habet executionem paratam. 391.15
Actus ipſo jure nullus, actui poſtea futuro non præſtat impedimentum. 272.54
Actus qui nullum penitus juris effectum ſortitur,

pro non facto censetur. 187.29
Actus ratione defectus substantialium nullus, confirmari non potest. 56.17
Actus spontanei per metum passum qualitercunque facti, tantum abest, ut metum praecedentem purgent, ut etiam confirment. 101.21
Actus vitiatur, quando res ad eum actum, à quo incipere non potest, pervenit. 123.17
Actus ultimæ voluntatis, si non valet eo, qua agitur, modo, non valet etiam eo modo, quo valere potest, clausula codicillari deficiente. 86.42
Actus voluntarij obligant præjudiciumque faciunt eatenus, quatenus geruntur, & non ultra. 210.64
Actus voluntarius, non inducens expressum sed tacitum duntaxat consensum, facit, ut sibi quis præjudicasse dicatur. 68.14
Actus ut validus sit, duo requiruntur, voluntas & potestas, nec illorum duorum alterum duntaxat est sufficiens. 143.8
Adjectio inutilis non vitiat utile expressum, quãdo separari potest. 22.17
Adjectus solutioni non potest agere, licet ipsi benè fieri possit solutio. 775.5
Aditio hæreditatis in donatione causa mortis nõ requiritur. 708.14
Administrator ecclesiæ reditus ad alicujus vitã concedere non potest. 435.1
Adulter adulteræ legatum relinquere non potest. 581.1
Adulteriũ duntaxat in nuptam cõmittitur. 646.4
Adulterium separat matrimonium consummatum. 466.2
Æs alienum deduci debet ante collationẽ. 628.5
Æstimatio alimentorum spe futuræ successionis præstitorum, peti non potest. 379.7
Æstimatio datæ dotis quid operetur. 232.6
Æstimatio debetur legato feudo. 488.8
Æstimatio facit emptionem, quando res ita traditur, ut æstimatio restituatur. 232.7
Æstimatio rei à tempore moræ incipit crescere. Si verò debitor in mora non fuit, æstimatio tẽpore contractus, inspicienda venit. 705.16
Æstimatio rei debitæ, secundum locum ubi solutio fiet, consideratur. 332.9
Æqualitas in oneribus imponendis est servanda. 511.1
Æqualitas inter fratres & sorores parentibus succedentes quare servanda. 629.14
Æquitas simulata, duplex est iniquitas. 62.24
Affectio cadere non solet in minimis. 405.16
Affinitas primi generis quomodo contrahatur. 242.2:3
Affinitas primi solum generis impedit matrimonium contrahendum, contractumque dirimit. 242.1
Agensè cessione consanguinei propinquioris ad retractum succumbit. 469.9
Agens in causa matrimoniali possessorio Recuperandæ, titulum copulamque probare cogitur. 100.19
Agens interdicto possessorio retinendæ possessionis ante omnia tenetur ostendere se possidere. 518.81
Agens interdicto recuperandæ possessionis, quæ probare cogatur. 326.3
Agens interdicto retinendæ necessariò succumbit, si illi defectus proprietatis objiciatur, & incontinenti probetur. 464.28:525 33
Agens interdicto, uti possidetis, nisi possideat, succumbit. 528.41
Agens petitorio, possessorio renunciare non videtur. 636.7
Agens possessorio recuperandæ, si longissimam possessionem liquido probarit, obtinere debet. 430.1
Agnatus in feudi successione cognato præfertur, maximè si feudum tale sit indivisibile. 324.5
Alienare & alienationi consentire, quoad revocationem, sunt paria. 69,15.21.24
Alienans res quæ servando servari non possunt, non peccat, si saltem talis alienatio pro precio tum currente fiat. 705.18
Alienatio fraudulenta revocari potest, per eum, in cujus fraudem facta est. 733.5
Alienatio rei civitatis valida non est, nisi major civium pars in illam consentiat. 371.10
Alienatio rei dotalis per maritum facta per uxoris consensum geminatum validatur. 609.3
Alienatio rei donatæ ante traditionem valet. 623.16
Alenatio rei ecclesiasticæ, decreto superiorum interveniente celebrata, in utilitatem ecclesiæ facta fuisse censetur. 392.19
Alienatio rerum non mobilium vel ecclesiæ jurium qualiter fieri debeat. 320.1
Alimenta de jure canonico debentur etiam ijs, qui maculam illegitimitatis patiuntur. 671.13
Alimenta prolibus adulterinis relicta, cum ipsarũ vita finiuntur, nec proprietas ipsis debetur. 581.2
Alimenta quando debeantur liberis adulterinis. 581.3
Aliqui coactè vel coactionis timore fieri, paria sunt. 101.23
Aliquid esse certum per se & per relationem ad aliud, paria sunt. 711.7
Aliquid fieri tempore prohibito, vel tempore quidem permisso, sed in tempus prohibitum conferri, paria censentur. 287.17
Aliquis admitti non debet alia via ad quod una fuit anteà prohibitus. 630.22
Aliquis alieno nomine facere prohibetur, quod proprio facere sibi licitum non est. 411.3
Aliquis aliquid amplius voluisse, quam verbis expressit, non præsumitur. 695.12
Aliquis dolo petere censetur, quod restituere tenetur. 639.8

Aliquis

Aliquis ex eo, quod se æqualiter habet ad lucrum & damnum lædi non dicitur, licet damnum casualiter contingat, 607.7
Aliquis in re communi, sua non alterius parte censetur uti voluisse. 342.2
Aliquis in suo facere non potest quod sibi non profit, & noceat alteri. 656.7
Aliquis in suo principaliter agere potest, quod sibi profit, alteri verò per cōsequentiam noceat: sic tamen, ut id animo nocendi fecisse non præsumatur. 312.7
Aliquis pluribus codicillis confectis potest decedere, sed non testamentis. 604.14
Aliquis retinere præsumitur quod semel habuit, nisi de abalienatione constet. 254.2
Aliquis sine liberis decessisse non censetur, etiam si liberi statim post parentem mortui fuerint. 575.2
Alius alîus odio gravari non debet. 682.5
Alius cum detrimento alîus juvari non debet. 374.19
Alius ex alîus facto prægravari non debet. 312.16
Alius vox quid importet. 743.25
Allegans consuetudinem, tenetur eandem probare 731.9
Allegans dolum, eum probare tenetur. 227.6 395.3:733.4
Allegans propriam turpitudinem non est audiendus, nisi in casu ubi vertitur animæ periculum. 357.5
Allegans voluntatis mutationem, eandem probare debet. 91.14:352.14
Alter alteri conditionem iniquam non potest inferre. 138.12
Ambæ vox quid importet. 719.30
Ambasiator derobatus in itinere occasione mittentis, contra ipsum mittentem habet regressum. 20 9
Amissio possessionis non præsumitur. 461.15
Analogon per se positum, stat pro significato suo famosiori. 133.5
Animus donandi non præsumitur, quandiu alia conjectura sumi potest.
Antiquitas temporis efficit, ut vectigal alicubi legitimè videatur institutum. 14.3
Antiquum quidnam dicatur. 432.9
Apices juris discutiendi non sunt, cum de animæ salute tractatur. 231.5
Appellatio ab episcopo in causam feudi cognoscente, ad regem, à quo tenetur, fieri debet. 121.2
Appellatio ab interlocutoria, fieri debet in scriptis: aliâs neque suspendit neque devolvit. 304.1
Appellatio ab interlocutoria quando manifestè frivola censeatur. 174.4
Appellatio civitatis suburbia quoque significat in odiosis, si quando dispositio effectu caritura esset. 111.19
Appellatio conditionaliter interposita valet, impeditque censuras apostolicas. 446.5
Appellatio contractus, propriè significat contractum ultro obligatorium. 471.10
Appellatio filiorum, nepotes non comprehendit, in substitutionibus maximè, cum tamen interdum fallat. 660:16.18
Appellatio frugum reditus omnes, è terra provenientes, comprehendit. 656.2
Appellatio hæredū complectatúrne quoque filios 135.11
Appellatio hæredum in materia, quæ sui natura est transitoria ad hæredes, hæredes in infinitum significat. 539.10
Appellatio hæredum quosnam significet in fidei commissis 541.18
Appellatio mariti in favorabilibus sponsum, & uxoris appellatio sponsam notat. 546.3
Appellatio mobilium bonorum, blada, frumenta, pecuniamque numeratam significat. 453.7
Appellatio mobilium complectitur omnia, quæ de loco possunt ad locum moveri. 616.13
Appellatio ornamentorum quid contineat. 448.13
Appellatio vestium, pannum nondum cæsum, vel in vestis formā redactum, pelles item nec nō foderaturas vestibus adhuc non insutas complecti solet. 447.2
Appellatio vulgaris magnam præsumptionem inducit. 17.31
Apponens instrumento sigillum, in illo instrumento contentorum notitiam habere præsumitur. 135.15
Arbitri dantur in ijs, quæ humanam varietatem sub regula limitari non possunt. 104.31
Argumentum à communiter accidentib. in probationum materia est utilissimum. 549.4
Argumentum à contractu societatis, ad sponsaliorum contractum valet. 246.6
Agumentum à contrario sensu sumptum quid operetur. 346.5
Argumentum à contrario sensu statuti ad juris communis correctionē nō valet. 462,19.521.16
Argumentum à libertate ad piam causam valet. 580.14
Argumentum à paritatis ratione, non habet in ijs locum, quæ à communi jure exhorbitant. 39.21
Argumentum à sensu contrario in contractibus quoque locum obtinet. 516.9:539.8
Argumentum à sensu contrario non habet locum, nisi retentis eisdem terminis. 641.15
Argumentum à specie ductum, est in jure optimum. 68.12
Argumentum à sufficiente partium enumeratiōe valet in jure. 123.16:182.4:530.1
Argumentum ab absurdo est optimum ad mentē statuentis condentisve legem explorandum. 110.9
Argumentum ab alimentis ad dotem non valet. 654.21
Argumentum contrarij sensus, in statutis locum non

non habet, quando contraria dispositio juris est expressa. 343.6
Argumentum, quod ab alimentis ad dotem & è contrà ducitur non semper est firmum. 81.15
Arrogatus impubes in quarta sibi in bonis arrogatorijs debita, onere fidei commissi per arrogatorem gravari nequit. 241.17
Articulari probarique debet, testes aliquos esse omni fide majores, quoties hujusmodi requiruntur à lege. 438.12
Articuli ijdem publicatis attestationibus per alios testes, etiam quoad appellationis causam examinari non possunt. 116.3
Articuli præjudiciales ante omnia terminari debent 381 8
Ascendentes in linea recta, descendentibus in feudo non succedunt. Contrarium verò fit in collateralibus qui semper in antiquo paternoque feudo succedunt. 295.1
Asserens contrarium ei, quod prius dixit, non est fide dignus. 140 16
Asserens id quod in jure cautum non reperitur, probare tenetur. 595.7
Asserens judicem magis propter vindictam, quã justitiæ amorem processisse, injuriari videtur. 173 4
Asserens se damnificatum, damnum tenetur probare. 236.1
Assigno, quid significet. 772.14
Auctoritas beneficia permutandi, principaliter pertinet ad episcopum, sed non idem de collatione statuendum. 176.5.184.14
Auctoritas Doctorum probabilis est, non necessaria. 440 13
Auctoritas glossæ maxima est, omnesque ideo alias superat auctoritates. 79.5.351.9
Auctoritas hominum doctorum, quatenus jure probata fuerit, observatur. 85.37
Auctoritas judiciaria, quid operetur. 391.16
Auctoritas superioris in qualibet dispositione venit excipienda. 110 16
Aufugiens de carcere postea non relaxatur, quãvis etiam vellet satisdare, sed è vinculis causam dicere tenetur. 172.2
Aureus legalis ultra duos communes florenos valet. 671.4
Authentica, cessante, C. de legi. hære. quando locum habeat. 214.5

B.

Bannitus & omnibus bonis privatus, restitutionis virtute alienata bona nunquam recuperat, inter quæ fructus etiam percepti numerantur. 8.22
Bastardi Brabantini decedentes ab intestato, quẽnam habeant successorem. 777.1
Bastardi cõjugum, de bonis cõmunib. ali debent. 704.13
Bellum propter hominum peccata generi mortalium Dei voluntate immittitur. 197.19
Beneficia beneficijs permutantur. 413.1
Beneficia, non ad peregrinandum, sed propter officium, clericis dari solent. 643.7
Beneficia quando vacare dicantur. 267.34.444.1
Beneficium curatũ minori 25. annis conferri non potest, dispensatione nõ interveniente. 694.7
Beneficium, de jure patronatus alicujus existens, in commendam dari non potest, nisi patronus ad id vocatus erit. 278.16
Beneficium primum, post adeptionem secundi curati vacat. 438.2
Beneficium separationis adversum quos creditores competat. 595.3
Benificiatus episcopi, in cujus diœcesi habet beneficium, censetur esse subditus. 468.2
Beneficiatus, in beneficij loco non residens, latitare perhibetur. ibid.4
Bona alterius pecunia empta, cujus efficiantur. 288.18
Bona clerici Christo servire putantur. 155.14
Bona clericorum vel ecclesiæ, ab exactionibus laicorum sunt libera. 194.3.198.26
Bona ecclesiæ non possunt pignorari, nec in eisdem jus ullum constitui, fas est. 321.3
Bona feudalia à publicis exactionibus libera non sunt. 156.17
Bona feudalia. consensu domini directi interveniente, filiæ in dotem dari possunt. 53.9
Bona feudalia in generali conventione sermonéve, non veniunt bonorũ appellatione. 246 9
Bona feudalia in generali renũciatione de parentũ successione facta non cõprehenduntur. 551.2
Bona feudalia sine directi domini consensu, etiã pro animæ salute nequeunt gravari. 604.11
Bona immobilia extra territorium confiscantis sita, confiscanti non applicantur, sed domino loci bonorum situationis. 665.6
Bona fides ex injustis & temerarijs etiam causis prætendi potest. 64.7.403.5
Bona fides in animo consistere videtur. 672.5
Bona fides non patitur, ut idem bis exigatur. 46.15.662.8
Bona fides non requiritur in præscriptione, quæ solũ negligentis odio, sineque, possessione, procedit. 673.8
Bona materna liberis, quoad proprietatem, patri verò quoad ad usumfructũ debentur. 133.3
Bona matrimonio constante quæsita, è mariti bonis quæsita censentur, ideoque mariti esse propria. 519.5
Bona mobilia primo veniunt in executione sententiarum. 604.7
Bona mulieris è mariti bonis acquisita præsumuntur. 454.9
Bona paraphernalia nulla dicuntur, nisi quorum administratio, expressè tacitéve tradendo instrumenta, per uxorem marito concessa fuit. 677.3

Bona parentum ſunt inter liberos æqualiter dividenda. 628.8
Bona quæ conſtante matrimonio quæſita ſunt, eodem ſoluto pariter dividentur. 245,1.549,1
Bona quæ non habent onus annexum, perſonam ſequuntur, adeoque perſonæ gaudent privilegio. 196.13
Bona quæ ſunt in fraudem creditorum alienata, actione Pauliana in factum revocantur. 106.3
Bona qualia ſint, quæ debeant ab omni tributo eſſe libera. 200.33
Bona quoque patrimonialia clericorum ſunt ab omnibus oneribus immunia. 194.5
Bona rerumpubl. privilegijs ijſdem gaudent quibus eccleſiarum. 311.5
Bona reſtitutioni ſubjecta, nullo modo gravari vel alienari poſſunt. 53,8.362,2.4,3.5

C.

Caligæ veſtis appellatione quoque ſignificantur. 449.16
Cancellatio inſtrumenti, contra voluntatem creditoris facta, de jure ipſius nihil diminuit. 615.1
Cancellatio inſtrumenti præſumatúrne de creditoris voluntate facta. 615.3,4:8
Canonicatus appellatione beneficij non venit, in materia ſtricta. 475 2
Capellani eccleſiæ præſcriptione poſſunt acquirere jus eligendi. 430.3
Capitulares in ſubditos ſuos juriſdictionem habentes, illam excluſo epiſcopo exercere non poſſunt. 444 8
Careat verbum inſcriptis ipſo jure privationem non inducit, maximè quando ſubjecta materia tale quiddam non admittit. 440.11
Caſu legis reperto, dubitationi locus eſſe non poteſt. 15.20
Caſus, de quo textus eſt juris expreſſus, dubius non dicitur. 351,11.367,8.421,3 464,30 361,2 539,9 724,2
Caſus fictus in diſpoſitionibus, quæ contra jus commune ſunt, ex identitate rationis ad verũ non trahitur. 90 9
Caſus in inveſtitura omiſſus, diſpoſitioni juris feudorum conſuetudinarij ſcripti, non juris Romanorum communis relinquitur. 324.6
Caſus in teſtamento omiſſus, juris communis diſpoſitioni relinquitur. 179,2.666,11
Caſus omiſſus, diſpoſitioni juris municipalis exiſtimatur eſſe relictus. 470,6.539,7.728,3
Caſus omiſſus, omiſſus judicatur, quando non poteſt è certa quadam colligi conjectura. 348 8
Caſus omiſſus per teſtatorem, juris diſpoſitioni relictus eſſe cenſetur. 385 1
Caſus omiſſus, quis dicatur, vel quando juris diſpoſitioni relictus eſſe cenſeatur. 516.7
Caſus omiſſus, ſi planè ſimilis eſt expreſſo, & eundem effectum habet, pro expreſſo quoque ſolet haberi. 286.7
Cauda ſeperanda non eſt à capite, 317 9
Cauſa alimentorũ multum favorẽ meretur. 293.1
Cauſa de præterito non ſolet in executione conſiderari, ſed locus & tempus, ubi quandoque talis executio fieri debeat. 333.12
Cauſa finalis è principio colligitur. 478.15
Cauſa filiorum favorabilior eſt, quàm legatorum piorum. 604.10
Cauſa limitata, limitatum producit effectum. 517,13.598,2.529,6.695,8&c.
Cauſa litigandi juſta, à calumnijs, & expenſis excuſat. 402.4
Cauſa matrimonialis, uti quoque teſtamentaria, teſtes rogatos requirit. 99.11
Cauſa quæ tangit alimenta, alimentorum cauſa dici ſolet. 122.7
Cauſa quælibet credendi colorata, licet injuſta ſit, à dolo tamen excuſat. 227.7
Cauſa rei privilegiati, cum privilegiato concurrentis, eſt favorabilior. 579.11
Cauſa tantùm proxima conſiderari ſolet. 682.4
Cauſa teſtati favorabilis eſt. 749 7
Cauſa vel injuſta, ſi modò colorata ſit, à dolo quẽpiam maximè juris ignarũ excuſat 64,6.125.31
Cauſæ propter quas decimæ debeantur. 657.16
Cauſæ quatuordecim faciunt, ut aliquis exhæredetur. 79.6
Cauſans à divinis officijs ceſſationem, quali pœna multetur. 122.13
Cautela, à debitore in loco ſolutioni deſtinato comparente, venit obſervanda. 339.35
Cautela afficiendi bona in præjudicium libertatis eccleſiæ. 200.35
Cautela in contractib. abũdans non nocet. 340.36
Cautio quid operetut in debito nõ liquido. 419.4
Cedens potentiori jus ſuũ, de quo eſt cõtroverſia, perdit illud, idq; in adverſariũ trãsfertur. 7.15
Cedere jus ſuum potentiori, & procuratorẽ potẽtiorẽ in rem ſuam conſtituere, ſunt paria. 7.16
Charitas benè ordinata incipit à ſeipſa ſcil. 134.8
Charitas & ſanguinis conjunctio, diſpoſitionem minus validam reddunt efficacem. 669.8
Circũventus non præſumitur cõſenſiſſe. 265.27
Citatio partis requiritur ad hoc, ut quis ſententiam canonis incidiſſe declaretur. 128.50
Citatio per edictũ in territorio citãtis facta exiſtentẽ extra territoriũ cõſtituit cõtumacẽ. 468.7
Cives, ne quid extra ſtatuentium territorium faciant ſtatuto inhiberi poſſunt. 216.4
Clauſula non habente diſponendi facultatem cõtractui appoſito eſt invalida. 253 8
Clauſula codicillaris in dubio præſumitur è notarij conſuetudine appoſita, & non ex voluntate defuncti, niſi fortaſſis aliter conſtet. 137.6
Clauſula codicillaris teſtamenta non ita ſolennia ſuſtinet. 84.29
Clauſula de non revocando, donationi causa mortis adjecta, quomodo ſit intelligenda. 768.14
Clauſula derogatoria primo teſtamento inſerta, teſtamẽti ſecundi deſtructionẽ operatur. 604.15

Clausula derogatoria seu protestatio præcedens, actui sequenti contraria, quid operetur. 604.15
Clausula enunciativa, sive narrativa & dispositiva, quomodo dignoscatur. 705.22
Clausula, & quovis modo diminuere, quid valeat. 40.26
Clausula generalis per expressas species restringitur, ita quod intelligatur solum de similibus expressis. 35.3
Clausula in compromissis, cum potestate procedendi in scriptis, & sine scriptis, quid operetur. 137.3
Clusula, in fine posita ad omnia membra capitulaque præcedentia refertur, nisi assignari possit ratio, quare ad unum magis quam ad aliud referri debeat. 711.10
Clausula, motu proprio, inhabilitatem personæ impetrantis non tollit. 266.31
Clausula, motu proprio, non ampliat gratiam ad jus alterius tollendum, sed solam subreptionem tollit. 266.30
Clausula, motu proprio, quid in rescriptis operetur. 464.3
Clausula, Non obstante collatione alteri facta, intelligi debet de collatione invalida. ibid.6
Clausula, Non obstantibus quibuscunque, cujusnam sit effectus. 464.4
Clausula libelli, petens sibi jus dici, & justiciam administrari, quid operetur. 435.4.554.12
Clausula præcedens, in subsequentibus etiam censetur esse repetita. 759.14.761.26
Clausula, quidam alij & res aliæ, quid in rescriptis operetur. 697.15
Clausula, quod eo modo valeat, quo valere potest, in omni dispositione, quæ fit inter liberos, intelligenda venit. 487.7
Clausula, salvo jure suo, à consentiente prolata, quid operetur. 748.4.750.13
Clausula, salvo jure tertij, solet in omni dispositione principis & pontificis intelligi. 535.2.9
Clausula sequens, præcedentẽ declarat. 701.5.711.9
Clausula, si preces veritate nitantur, semper in rescriptis intelligitur. 271.50
Clausula, si uterque sine liberis decesserit, quomodo sit intelligenda. 721.12
Clausula subsequens, ad omnia refertur præcedentia. 162.7
Clausula, supplendo defectum omnem, si quis intervenerit, de plenitudine potestatis, &c. quid operetur. 266.32
Clausula, ut actus valeat omni meliori modo, quo potest, &c. quid operetur. 83.28
Clausula, ut asseris, inserta literis, conditionalis est, & importat idem quod clausula, Si ita est 730.6
Clausulæ ex advocatorũ stilo adjectæ non vitiant. 454.15
Clausulæ ex motu proprio & certa scientia, tollunt subreptionem. 260.12
Clausulæ instrumenti non vitiosæ, propter alias clausulas non vitiosas nõ confundũtur. 565.28
Clausulæ minus usitatæ, fraudis aliquam caussantur præsumptionem. 100.17
Clausulæ notariorum magis è consuetudine, quã è partium commissione vel voluntate, appositæ, nihil operantur. 137.1
Clausulæ præsumptionem surreptionis tollentes, quænam sint. 397.9
Clausulæ quæ sunt insolitæ, literas suspectas efficiunt. 404.9
Clementina prima de senten. excommun. qualiter sit intelligenda. 131.65
Clenodiáne uxori, matrimonio soluto, debeantur. 149.4
Clericus anne contrahendo matrimonium plus adultero delinquat. 441.14
Clerici concubinarij comparantur Judæ proditori. 717.12
Clerici cum bonis suis ad collectam tenentur, quoties laicorum bonis deficientibus, Pontifex Romanus super eo consultus erit. 195.8
Clerici de bonis præbendarum suarum venditis, gabellam solvere non tenentur. 194.4
Clerici fornicãtes utroque jure dãnati sunt 716.6
Clerici in favorabilibus civium privilegio debẽt gaudere. 210.63
Clerici laicorum jurisdictioni nullo jure sunt subjecti. 175.23
Clerici non sunt, neque unquam fuerunt, laicis quo ad jurisdictionem subjecti, sed exempti quoque sunt de jure divino. 197.25
Clerici onera realia, quibus possesiones, antè quám vel ad ecclesiam vel ministros ejus venirent, obligatæ fuerunt, præstare tenentur. 157.25
Clerici possunt habere focarias. 717.9
Clerici, propter offensam non notoriam, non coguntur ab officio divino cessare. 127.42
Clerici quando cogãtur auctoritate episcopi collectam ipsis impositam persolvere. 204.44
Clerici quando teneantur ad murorum civitatis constructionem. 203.40
Clerici quare sint venerandi. 716.5
Clerici se rebus secularibus immiscendi potestatem non habent. 169.17
Clerici, tempore maximæ necessitatis, vel ipsimet vigilare coguntur, vel alios in suum locum possunt conducere. 204.43
Clerici vel eorum possessiones nullatenus gravari possunt, tametsi communis utilitas id maximè requirat. 194.6
Clericus à divinis agendis suspensus, ijsdem se rursus immiscens, incurrit irregularitatem. 247.1
Clericus filium suum spurium de bonis ecclesiæ tenetur alere, aliâs existimatur ipsum necare velle. 704.11
Clericus in beneficij loco residere tenetur, ibiq;

principale

principale domicilium habere censetur. 468.3
Clericus in loco sacro decanum suum percutiēs, à solo papa debet absolvi. 442.1
Clericus in minorib. existens ordinibus, si matrimonium contrahit, beneficijs prius obtentis emungitur. 438.1.4.8
Clericus matrimonium contrahens cum cōsanguinea, perdit ipso jure saltē beneficia. 439.3
Clericus non conjugatus quænam habeat privilegia. 193.1
Clericus Sodomiæ crimen committens, quali pœnâ sit afficiendus. 305.1
Clericus vasallus, licet non armis, consilio tamen feudi dominum juvare potest. 742 21
Clericus vel prælatus in feudis succedit, si modò per substitutū domino servire paratus sit. 743.29
Clericus vel religiosus succedit in feudis, in quibus vasallus per substitutum servire potest. 739.2.144.30.31
Clericus, ecclesiasticæve personæ, populi communitatisve appellatione non veniunt. 455.3
Cognatio spiritualis inter eos, qui simul infantē levant, mimimè contrahi censenda. 2.2
Cognatio spiritualis quādo contrahitur. 243.5
Collaterales in feudo novo nō succedunt. 302.3
Collaterales, quoto gradu in linea æquali distāt, à communi stipite, toto duplicato distant inter se de jure civili. 296.3
Collatio beneficij, facta criminoso, valet, nisi crimen quod commisit inducat inhabilitatem jure ipso. 396.5
Collatio beneficiorum, de substantia literarum confectionem non requirit. 473 10
Collatio beneficiorum, fructibus ecclesiasticis annumerari solet. 211.1
Collatio beneficiorum in curia vacantium anne spectet ad Papam. 261.13.276.33
Collatio de beneficio non vacante facta, est ipso jure nulla. 261.14.465.7
Collatio, eo jure quo fieri nequit, facta, non valet, licet alio iure fieri potuisset. 186.23
Collatio in testamento prohibita cessat, nisi in fraudem legis vel statuti facta appareat. 627.2.630.29
Collatio inter descendentes ascendētib. succedentes, semper hodie locum habet. 628.6
Collatio præbendarum vel decanatus est quiddam merè spirituale, neque cadit in laicum de mero jure. 185.16
Collatio, sine veri patroni præsentatione, per episcopum facta, prorsus est irrita. 176.2
Collatio vel per ipsummet Papam sine patroni præsentatione facta, funditus est nulla. 261.16
Collatio vel præsentatio cōputatur inter fructus. 472.7
Collecta, bonorum ratione, quoque forensi potest imponi. 208.58
Collecta, forensi non subdito, non potest imponi. 157.24
Collectæ singulis etiam capitatim possunt imponi quando videl. onera civitatis illud requirunt. 217.3.
Colonus ad possessionem dominum non admittens, statim possidere incipit. 528.42
Commissarij limitatā certis in locis habētes potestatem, extra illa nihil validè possunt agere. 598.1
Commissarius ante præsentationem rescripti, nullam acquirit jurisdictionem, licet aliunde sciat sibi causam esse commissam. 592.1
Commissarius interpretationem commissionis extensivam vel correctoriam facere non potest. 601.8
Commissarius minister juris est, jurisque idcirco formam sequi debet. 61.14
Commissio, facta alteri sub nomine appellativo officij vel dignitatis, transit ad successorem in dignitate. 28.16
Compater alicujus non est integer testis existimandus. 98.9
Compromissum unius reorum debendi non porrigitur ad alium, nisi socium. 477.13
Communitas, consensu principis accedente, vendere donareque potest. 534.8
Concedens privilegium semper sibi potestatem reservare videtur illius revocandi. 373.15
Concessio ad unius supplicationem permissa, tertio præjudicare non potest. 159.30
Concessio bonorum omnium post mortem simpliciter facta, præsentia solum continet, quando de magno agitur præjudicio. 765.2
Concessio bonorum omnium præsentium & futurorum penitus est nulla. 767.6
Concessio bonorum præsentium vicissitudinaria inter fratres facta, valet. 760.1
Concubinæ clericorum delictum commune perpetrantes, per laicum judicem jure puniuntur. 717.13
Concubinæ clericorum occultæ, per judicem laicum puniri non debent. 717.12
Cōcubinæ clericorū sunt de foro ecclesiæ. 716.2
Concubinatus an sit crimen ecclesiasticū. 717.10
Conclusio libelli demonstrat actionem intentandam. 475.1.476.8
Concursus utriusque copulati, veritatem copulativæ demonstrat, nisi fortasis inter duo ponatur idem importantia. 255.5
Condemnatio expensarum duntaxat intelligitur de ijs, quæ tempore latæ sentētiæ factæ erant. 731.16
Conditio alimentorum quando melior deteriòrve fieri censeatur. 295.11
Conditio an & quando debeat in forma specifica impleri. 755.15
Conditio de damno vitando certantis, potior est, quàm lucrum captantis. 545.12
Cōditio de præsenti præteritòve falsa non suspēdit actum, sed ipsū gestum reddit nullū. 414.7

Conditio donationi adjecta, an post mortem donatoris impleri possit. 755.16
Conditio dubia, secundum id, quod est verisimilius, explicatur. 721.11
Conditio hæredis in testamento scribendi, tempore conditi testamenti, mortis, adeundæque adeo hæreditatis est inspicienda. 309.3
Conditio minorennium per tutores curatorésve deterior fieri non potest, 586.6
Conditio, si sine liberis, adjecta donationi, quid operetur, 362,4.363,6
Conditio testatoris quando faciat, ut testamentum vel valere, vel non valere videatur. 309.6
Conditio testis, tempore depositionis, attendi debet. 366.5
Conductor, damnum per inimicos suos, rei conductæ illatum, cogitur emendare. 20.5
Confessio defuncti jurata solùm recipitur, quando de præjudicio hæredum agitur, nec fraus fit legi. 628,4 632,36
Confessio emanans ab eo qui stabat pro patrimonio, probat: licet sit contra matrimonium 356.2
Confessio extrajudicialis absente parte facta, si fuerit iterata geminatáve, plenam facit probationem, maximè, si quis confessus erit, rem esse alterius. 596,1:2.597.3
Confessio extrajudicialis, alterius testimonio munita, multum prodest. 597 4
Confessio extrajudicialis, in præsentia partis facta, plenè probat. 670.11
Confessio extrajudicialis iterata plenè probat. maximè, si rem alterius esse quis confessus fuerit. 669.3
Confessio extrajudicialis semiplenam probationē facit: nec illi per judicialem subsequentem fit ullum præjudicium. 668.2
Confessio extrajudicialis semiplenā saltem præsumptionem facit, quia non sufficit ad condemnationem. 314.5
Confessio extrajudicialis sola non probat. 98.8
Confessio inter personas prohibitas emanans, non valet, nisi veritas probetur. 629.22
Confessio procuratoris, ad aliquid confitendum mandatum speciale non habentis, principali non præjudicat. 190.6
Confessio rei veré erronea, quæque notoriè constat ex actis ipsis, non præjudicat. 190.4
Confessio scripturáve privata in tertij præjudicium recipi non debet, nisi trium fide dignorum subscriptione sit firmata. 95.3
Confessio testatoris, de qua aliâs legitimè non cōstat tertio præjudicare nequit. 581.20
Confessus se recepisse mutuum, spe futuræ numerationis, habet exceptionem non numeratæ pecuniæ, juramēto apposito non obstante. 629,23
Confidejussores, & ejusdem generis alij, quomodo sibi videantur obligati. 2.5
Conjectura futurorum etiam in malo præsumendo capitur è præteritis. 21.13
Conjectura solet in dubijs casibus, è præcedentibus, medijs, consequentibusque sumi, 748.3
Conjectura voluntatis è scripturæ vicinitate sumi potest. 760.16
Conjecturæ locum non habent in certis. 540.17
Conjecturæ verbis claris non sunt præferendæ. 582.3
Conjecturæ mensque donantis in dubio respici debent. 621.3
Conjecturæ probabiles ad dolum fraudemque probandam sufficiunt. 631.31
Conjecturæ simulationis & usuræ per contrarias conjecturas, partiumque confessionem judici factam tolluntur. 563.5
Conjunctio sanguinis vel licita testatoris affectio vim clausulæ codicillaris habet, 365.9
Conjūctio sanguinis efficit, ut verba latè contraq; modum consuetum veniant intelligenda, ib.8
Conjunctus, illius hæredem excludit, cujus deficit portio. 180.7
Consanguinei ex linea paterna soli succedunt defuncto consanguineos nullos è linea materna relinquenti. 114.4
Consanguinitas allegata per testes duos erit probanda, 113,1
Consensus debitori per creditorem præstitus, ut sibi res obligata per debitorem vendatur, non præjudicat, si res ea non vendatur. 67.3
Consensus domini feudi, ad illius alienationē ratificandā sufficit, idque sive præcedat sive sequatur consensus ille talem alienationem. 55.15
Consensus verborum ad contrahendum aptorum prolatione deliberatus esse præsumitur, maximè si iteratio intervenerit. 644.5:6
Consensus & ratihabitio, è lapsu temporis à jure præscripti præsumitur. 470 3
Consensus geminatus operatur tantum, quantum juratus. 392.22
Consensus illius, de cujus agitur præjudicio requisitus nunquam per modum solennitatis & formæ requisitus videtur, 56.20
Consensus, in actibus, quales è solo consensu dependent, omni tēpore potest intervenire. 55.16
Consensus matrimonialis qualiter probetur, 577 3:4
Consensus parentum, ad liberorum nuptias, de honestate quidem, non autem de necessitate requiritur. 79.7
Consensus parentum de jure canonico ad matrimonium cōtrahendū non est necessarius. 652.6
Consensus patroni collationem per episcopum factam sequi præcedeve potest. 176.7
Consensus per modum formæ & solennitatis requisitus, nihil operatur, si expost facto fuerit adhibitus. 56.19
Consensus post impletum factum adhibitus, quid operetur. 268.37
Consensus, quoad revocationem, vim contractus obtinet. 342.4

Conſenſus ſemel præſtitus, licet id verbis etiam dubijs acciderit, revocari tamen nequit. 69.18
Conſenſus ſolus facit matrimonium. 576.1
Conſentiens alteri de re ſua diſponenti, donare non videtur. 284 6
Conſentiens alteri, ut rem ſuam in teſtamento alicui leget, ſibi præjudicat, nõ aliter atq; ſibi præjudicaret etiam, ſi contraſtui conſentiret. 68.11
Conſentiens actui, jura ſua perdit, 787.7
Conſentiens legãti rem alterius, poſtea per pœnitentiam talẽ actum impedire non poteſt. 69.19
Conſentiens tacitè vel expreſsè, alium de feudo ſuo inveſtiri, jus in eodem ſibi competens perdit. 551.5
Conſignatio facta de liquido, ſed ſatiſdatio de reſiduo non liquido, ſufficiens eſt. 403.6
Conſilium minorũ mulierumque fragile eſt, multorumque ſimiliter inſidijs expoſitum. 388.1
Conſors litis ante conteſtationem ejuſdem, ad agendum, vel pro ſe vel alio fine cautione de rato data, non admittitur. 639.4
Cõſtituens ſe alterius nomine precariò poſſidere, poſſeſſionem ſolum civilem transfert, naturalem verò ſibi retinet. 769.23
Conſtitutio Philippi ducis Brabãtiæ, qualiter feudum ad monaſterium devolutum, per proximiores defuncti laicos redimere liceat. 742.24
Conſtitutio pœnalis ex identitate rationis extenditur. 165.22
Conſtitutio pœnalis extendi non debet. 746.14
Conſtitutiones omnes à jure communi recipiunt interpretationem. 574.4
Conſtitutiones pœnales & odioſæ non ſunt extra terminos ſuos extendendæ, 274.60
Conſtitutum donationi interveniens, fictè transfert dominium & poſſeſsionem in donatarium, tametſi fallat interdum. 767.7.769.22
Conſtitutus in reatu, bonorum ſuorum retinet adminiſtrationẽ, ideoque prius quem condemnetur, alienare poteſt. 691.6:9
Conſuetudo antiqua pro lege ſervari debet. 363.7
Conſuetudo auferens eccleſiæ privilegium, rationabilis dici non poteſt, ideoque caſſa & irrita eſt. 583.6
Conſuetudo capit in dubio interpretationem ſuam à jure communi, 214.4
Conſuetudo contra legem introducta, eſt inpræſcriptibilis, 206.50
Conſuetudo, cujus contraria memoria non exiſtit, habet vim privilegij. 14.9.373.4
Conſuetudo diſponens, ut clericus in actione reali corã judice laico cõveniatur, nihil valet. 199.31
Conſuetudo eccleſijs oneroſa de jure ſolet reprobari. 746.37
Conſuetudo eſt optima legum interpres. 477.11. 857.8,
Conſuetudo extra caſum, de quo loquitur extendenda non eſt. 180.9
Conſuetudo juri contraria, ſtricti juris eſt, nec ad alias res aut perſonas extendi debet. 470.5
Conſuetudo, legum diſpoſitionumque eſt optima interpres. 759.11
Conſuetudo loci cõtractus in deciſoria cauſæ cõcernentib. eſt ſemper inſpicienda. 331.4.337.26
Conſuetudo loci domus mortuariæ ſcripto juri prævalet. 616.15
Conſuetudo loci, in quo bona ſita ſunt diligẽter eſt attẽdẽda. 52.2.589.21.665.4.ib.9.727.1.144.33
Conſuetudo loci, jure communi diſſimiliter diſponendi detrahit. 240.8
Conſuetudo loci pro lege habetur. 665.2
Conſuetudo loci qui ſolutioni deſtinatus eſt, in ijs, quæ contractus executionem concernunt, inſpicitur. 336.22
Conſuetudo mortalium memoriam excedens, habit vim privilegij. 204.45
Conſuetudo niſi rationabilis & præſcripta ſit, non valet. 731.10
Conſuetudo notoria probari non debet. 519.1:2
Conſuetudo odioſa & juri contraria reſtringenda, non amplianda eſt. 785.4
Conſuetudo optima legum interpres, 629.18
Conſuetudo patrisfamiliâs ante omnia in diſpoſitionibus dubijs eſt attendenda. 89.5.669.5
Conſuetudo per laicos introducta, clericos non ligat. 745.35
Conſuetudo poſterior attendi ſolet. 520.12
Conſuetudo poſterior prævalet anteriori. 459.3
Conſuetudo præſcriptioque extenſionem perſonarum vel actuum non recipiunt. 14.12
Conſuetudo, privilegium vel ſtatutum repugnans utilitati communi non valet. 512.7.513.10
Conſuetudo quæ diſponit, unam monetam ſolvi poſſe pro alia, valet eatenus, quatenus debitor inde damnum non patiatur. 408.15
Conſuetudo qualiter per teſtes probetur. 523.23
Conſuetudo rationabilis etiam cum juramento renunciari non poteſt. 546.2
Conſuetudo regionis eſt in obſcuris inſpicienda. 759.12
Conſuetudo ſive ſtatutum loci commiſſi delicti, quatenus attendatur. 220.17
Conſuetudo, ſurripiendi præbens occaſionem, ſervanda non eſt. 152.5
Conſuetudo tantum differt à ſtatuto, quantum differt ab expreſſo tacitum. 310.2
Conſuetudo univerſalis anne liget ipſos clericos. 207.52
Conſuetudo, ut clerici pro illis quæ communem reſpiciunt utilitatem, aliquid annuatim dent, anne valeat. 207.53
Conſuetudines locorum ſervandæ ſunt, in quibus locis vigent. 616.16
Contemptus unius canonici plus operatur in electione, quam multorum contradictio. 261.15
Contendentium de pignore, prior tempore jure prævalet. 94.1
Contenta in ſcriptura ad quam ſit relatio,

cenſentur

censentur in scriptura se ad illam referente contenta esse. 711.8
Contextũ & detextũ quomodo differant. 449.11
Contumax non est existimandus, qui non tenetur comparêre. 158.3
Contractus abeo, qui contrahendi potestatem nõ habuit, celebratus, nullum sortitur effectum. 547.10
Contractus ab initio validus, tractu temporis non infirmatur. 571.48
Contractus antenuptialis consuetudini regionis derogat. 762.30
Contractus antenuptialis ex conventione contrahentium legem accipit. 133.4
Contractus antenuptialis mutuo conjugum consensu revocari potest, licet ex eo sit jus alicui tertio quæsitum. 459.1.520.9.757.1
Contractus duorum voluntate initus, eorumdem sensu contrario tollitur. 520.11
Contractus è conventione legẽ accipiunt. 606.5
Contractus emptionis quos habeat effectus juris. 567.29
Contractus emptionis simulatus vel non simulatus, censetur è tractatibus & præfationibus, præambulis. 562.3
Contractus & testamenta sic interpretanda sunt, ut inibi dispositа valeant potius, quam dispereant. 749.5
Contractus etiam juramento firmati recipiunt à jure communi interpretationem. 473.8
Contractus ex una parte completus, revocari non potest. 109.3
Contractus, in quo deceptio non intervenit ab initio, servandus est. 533.3
Contractus per contrahentes non expresè revocatus, est observandus. 759.13
Contractus quando perpetui temporalèsve censeantur. 540.14
Contractus simulatus juramento firmari non potest. 560.12
Contractus solùm propter speratum lucrum non redditur usurarius. 607.6
Contrahens cum monasterij cujusdam conventu, quidnam debeat observate. 322.9
Contrahens in loco solutioni destinato non initi contractus est conveniendus, nisi fortassis in initi contractus loco domiciliũ habeat. 336.20
Contrahentes consuetudini loci, tacitè renuntiare voluisse non censentur. 239.6
Contrahentes contra dispositionem juris prohibitivam possunt disponere. 715.8
Contrahentes in dubio de moneta reprobata sensisse non præsumuntur, sed de tali, qualis in loco solutioni destinato valeret. 334.15
Conventio reciproca, ad commodum & incommodum se æqualiter habens, non dicitur onerosa. 245.4
Convẽtiones antenuptiales revocari possũt. 685.5
Conversatio cujuslibet ex anteacta ipsius vita præsumitur. 764.4
Copia rescripti sitne citationi inserenda. 529.3
Copula carnalis, è condormitione solius cum sola, nudi cum nuda, præsumitur subsecuta fuisse. 98.5.357.6
Copula ut vera sit, requiritur ejus utramque partem esse veram. 654.20
Correctio in dubio non præsumitur. 352.12
Correctio juris communis præsumitur potius, quàm ut dispositio nova sine operatione ultra jus commune explicetur. 629.13
Correctio jurium non præsumitur nisi de ea expressè constet. 234.6
Correctio legum per subauditiones tacitasque repetitiones nunquam prorsus inducitur. 252.15
Correctio legum vitanda. 74.8.580.18
Creatio destitutioque spectant ad unum prorsus & eundem, ut qui creare, idem quoque destituere possit. 261.9
Creditor etiam, adhuc futurus, donationem fraudulentam revocare potest. 734.13
Creditor fidejussori solventi actionem contra debitorem & confidejussores, ex intervallo etiam cedere potest: aliud autem statuitur in duobus pariter & principaliter eadem actionis specie, & ad idem obligatis. 661.5:6
Creditor habens possessionem pignoris, alijs præfertur. 737.6
Creditor posterior habens instrumentum publicum, priori scripturam debitoris privatam habenti præfertur. 734.16
Creditor præsumaturne pecuniam sibi à debitore congruo loco temporeque oblatam non sumpsisse. 607.8
Creditores chirographarij, hypothecam non habentes, post creditores eam habentes atque privilegiatos, admittuntur. 95.7.555.17.737.5
Crimen simoniæ per mediatorem quoque probari potest. 482.7
Crimina quæ paria sunt, mutua compensatione tolluntur. 467.9
Crimina sunt punienda, undecunque tandem claruerint. 345.9
Culpa modica nocet interdum. 20.6
Culpa sua cuilibet damnosa. 595.11
Curatus ecclesiæ parochialis, habet administrationem omnium obventionum & proventuum curæ beneficijve sui curati. 154.11
Curia mercatorum ex æquo bonoque procedit, actioque datur è nudo pacto, modò de contractu inter ipsos facto constet. 776.6:7

D.

Damna & lucra, an in societate communicentur. 682.3
Damnũ patrimonij diminutio dici solet. 663.13
Damnum propter contumaciam unius è socijs rei cõmuni illatũ, per eundem præstari debet. 19.1
Dans alicui de rebus suis testandi potestatem,

sibi

sibi suisq; successoribus præjudicat, adeo quòd consentientem testatoris hæredes actione mādati, vel de dolo convenire possint. 283.2:3
Dans alicui fundum, sic, ut non asserat eum se in feudum vel hæreditatem dare, usumfructum solum concessisse videtur. 772.11
Dans fidem suam matrimonialem mulieri, alteri deinceps commisceri absque mortali peccato non potest. 65.3
Dans occasionem damni, damnum ipsum dedisse præsumitur. 299.6
Dans operam rei non licita, tenetur. 21.12
Datio annuli inter futuros conjuges, quid probet. 576.2
Debitor constituta die non solvens, in mora malaque fide constituitur: ideoque præscribere non potest. 672.2
Debitor delicatus, & creditor onerosus audiendi non sunt. 701.6
Debitor speciei ejusdē sine sua culpa interitu facto, liberatur. 634.11
Debitor ex causa necessaria factus legans aliquid creditori suo illud animo compensandi debiti relinquere videtur. 93.5
Debitor, quantitatis generisve, rei interitu liberatur, quamvis non semper. 634.9:10
Debitor quantitatis, nisi dominum transtulerit in creditorem non liberatur. 408.23
Debitor facto suo creditoris conditionem deteriorem facere non potest. 92.18
Debitor principalis ejusque fidejussores prius cōveniendi sunt, quam contra tertium pignoris possessorem procedatur. 355.4
Debitum privatum cum publica conventione nihil habet commune. 477.12
Decima de pastu animalium, pensione locatæ domus & molēdinorū provētib. est solvēda. 656.3
Decima prædialis de frugibus omnibus divi no jure debetur. 656.1
Decima prædialis in horrea ecclesiæ sponte afferri debet. 656.6
Decimæ tributum Dei sunt scilicet & animarum egentium. 657.17
Declaratio per testatorem in codicillis facta, actum per eundem testatorem nulliter ante gestum non confirmat. 139.15
Decreta concilij generalis tacitè habent clausulam derigatoriam ad rescripta vel dispensationes subsequentes. 316.5
Decretum ex falsa causa interpositum, nullius est momenti. 479.19
Decretum irritans, ignorantes simul afficit, contractumque postea contra illud factum annullat. 270.47
Decretum irritans inficit non modò titulum, sed & possessionem. 321.6
Decretum judicis omnem de vilitate preeij querelam excludit. 564.9
Defectus notorius proprietatis obstat agenti interdicto recuperandæ possessionis. 10.27
Defensio juris est naturalis, neque per principem tolli potest. 726.8
Defensio negata censetur, quando offensio à jure permissa est. 125.29
Defēsionū parti cōpetat in crimine notor. 128.49
Deferens habitum religiosorum per annum, tacitè videtur professa. 347.4
Dejiciens aliquid è cœnaculo, tenetur hospiti, in quantum ipse propter id actione l. Aquil. fuerit condemnatus. 19.3
Delicta non præsumuntur. 44.7.314.6
Delictum in generali mandato non venit, uti nec in alia qualibet dispositione permissiva 21.14
Delictum non tribuit immunitatem, imò omnem honorem reatus excludit. 717.8
Delictum quod infra territerium fuit initiatum, sed extra illud consummatum, ubinum puniatur. 220.15
Delinquens melioris conditionis esse non debet, quàm non delinquens. 440.9
Delinquens ubi sit puniendus. 299.2
Demonstratio falsa non vitiat, si saltē constet de corpore. 46.16
Demonstratio in tempus mortis collata, illam rem legare videtur, cui talis demonstratio convenit, mortis non testamenti tempore. 32.27
Depositio per verbum, videtur, facta valet. 675.7
Depositio testis, non de recenti facta, an quandoque probet. 675.12
Depositiones testium contra producentem sunt interpretandæ. 745.35
Deputatum ad unum pium usum sine pontificis authoritate scilicet ad alium æquè pium converti non potest. 92.21
Descendentes in linea recta, substitutum excludunt. 721.18
Descriptio in libro orationū, cujus sit effect. 669.6
Designatio sive destinatio testatoris tantum operatur, quantum expressa dispositio. 89.7
Detentator in sua quoque detentatione non est turbandus. 361.8
Determinatio duo determinabilia in dubio sequens, determinat utrumque. 317.8
Determinatio sequens duo determinabilia in dubio, determinat utrumque in casu non potest, æqualitate servata. 340.39
Determinatio una duo determinabilia respiciens, uniformiter illa determinare debet. 148.10
Detractio expensarum, vel compensatio, in decimarum solutione non valet. 656.11
Deus ipsemet è pacto obligatur. 162.4
Dicens jus extra territorium, non est dignus cui pareatur. 19.35.218.12
Dicens se consanguineum, & sic hæredem defuncti legitimum, ille tenetur ostendere, parentes etiam suos legitimè natos fuisse 114.2
Dicens se non esse, vel esse nolle dominum, dominium transferre non intelligitur. 360.5

Dictio copulativa de sui natura conjungit diversa, eaque extendit & ampliat. 538.3

Dictum Doctoris est, secundum legem, quam citat, intelligendum. 56,18.214,6.336,19.460,7

Dict. generaliter, generaliter debet intelligi. 599.3

Dictum glossæ secundum legem, quam citat, est intelligendum. 351.10

Dictum unius jurati nonnunquam ita valet, ut ei stetur. 88.2

Dies incertus, adjectus legato, legatum facit conditionale. 350.4

Dies qualiter dicatur interpellare pro homine. 673,11. ib.13

Differens usuras de jure vel è contractu debitas spacio 10, annorum petere, tacitè videtur illas remisisse. 378,4

Differentia sexus per legem nõ admittitur. 667.19

Differentia suitatis & emãcipationis est in feudis etiam sublata: cum tamen cognationis & agnationis differentia servetur in ijsdem. 324.7

Difficultas vel impossibilitas excusat promissorem etiam jurantem. 404.12

Diffinitiones summorum Pontificum potius in interpretatione divivæ legis sequendæ sunt, quàm sanctorum etiam Theologorum. 657.13

Dignitas episcopalis est multũ favorabilis. 742.20

Dignitas, necessitudo, charitas, sanguinis conjunctio, quid operentur. 448.7

Delatio ad certum tempus data remissionem non inducit. 714.1

Discrepantia testium vel omnium minima, contrarietatis est signum, sic, ut illis neque fides ad adhibenda sit, neque ipsorum iurijurando locus sit concedendus. 481.3

Dispensatio à jure communi exorbitans, strictissimè debet intelligi. 316,1.698,9

Dispensatio cum irregulari pertinet ad solum Papam. 466.6

Dispensationes ita sunt intelligendæ, ne jus commune multum lædant. 316.4

Disponens eo modo qui non est permissus, nihil agit. 286,14

Dispositio ad testandum non est testamentum. 622,8.579,10

Dispositio cessat, quando ratio dispositionis ipsa cessat. 357.3

Dispositio conditionalis, conditione non existente nullum sortitur effectum. 317.6

Dispositio conditionalis secundum conditionis adjectæ formam limitatur & regulatur. 761.25

Dispositio, cujus effectus post mortem confertur, naturam postremæ voluntatis habet. 485.1

Dispositio de hæredis æquè valet. ac de re testatoris propria. 460,6.521,14

Dispositio dubia, interpretanda est, ne quis indebitè damnum patiatur, jureve suo privetur. 703.2

Dispositio generalis nunquam comprehendit impossibilia promittenti. 36.7

Dispositio in terminis juris communis disponens, explicari debet, ut aliquid ultra commune jus operetur, modò ex eo nemo indebitè damnum patiatur. 628.12

Dispositio in universitatem concepta, ita resolvi solet, ut personas singulares concernat, si actus in universitatem non cadat. 111.20

Dispositio irrevocabilis, cujus effectus post mortem disponentis confertur, de jure prohibita non est. 768.17

Dispositio juris est eadem, ubi ratio est eadem. 165.19

Dispositio legis cessat, cum ejusdem cessat ratio. 436.3

Dispositio nova quomodo restringatur vel extendatur. 629.19

Dispositio præcedens an per subsequentia verba restringatur. 650.11

Dispositio quando dicatur ex alieno arbitrio dependere. 286.13

Dispositio testamentaria non vitiatur, licet in ea repetiatur id, ad quod fit ipsa relatio. 255.7

Dispositio testatoris ad usum certum, maximè verò pium, facta, pro lege debet observari. 382.4

Dispositio voluntatis ultimæ, licet juramento vallata sit, revocari tamen alterarique potest. 485.2

Distinctio personalis inter præsentatum & præsentantem debet esse. 176,1.184,11

Diversa sunt, animo compensandi vel institutionis jure aliquid relinquere. 86.40

Diversitas factorum & actuum è temporum diversitate arguitur. 531.3

Divisio bonorum simulata qualiter deprehendatur. 559.7

Divisio cum eo, quem quis hæredem putabat extrajudicialiter facta, nemini præjudicat. 114.6

Divisio hæreditatis per communes amicos, per modum transactionis facta cum re judicata in excipiendo parem vim habet. 585.1

Dolor justus difficilimè tempetatur. 125.33

Dominium ejusdem rei penes duos insolidum non potest esse. 758.4

Dominium feudalium rerum, nisi domino feudi præsente, non transfertur. 360.4

Dominium hypothecæ penes debitorem solet remanere. 587.11

Dominium permutatione transfertur. 476.6

Dominium per traditionem possessionisque adoptionem transfertur. 623.13

Dominium, re in solutum lata, traditioneque secuta transfertur, 587.10

Dominus aliquis solus non alius constituere potest procuratorem. 638.1

Dominus exustæ domus actionem habet contra vicinum, in cujus domo incendio fuit ortũ. 19.2

Dominus feudi, quæstione tam de petitoria quàm possessorio feudalis causæ mota, judex esse solet. 122.10

Dominus potest de rebus suis ad libitum, vel illis abutendo, disponere. 362.3

Dominus terræ suæ conditionem pro libitu alterare potest. 656.8
Donans villam, nec non omnia jura, quæ in ea obtinet, spiritualia jura donasse non est censendus. 35.4
Donatarius alere nolens donatorem, rem donatã perdit. 687.6
Donatarius, in donatione causa mortis, hæredi præfertur. 708.13
Donatarius quando gravari possit. 623.17
Donatio an & quando in præjudicium donantis latissimè debeat explicari 625.5
Donatio à sponso sponsæ facta ante contractum matrimonium, atque in tempus dissoluti matrimonij collata, de jure valet. 751.15
Donatio bonorum profectitiorum inter patrem filiumque in ejus protestate adhuc existentem fingi non potest. 67,8.71,28
Donatio causa mortis de bonis omnibus præsentibus futurisque facta valet. 767,9 769,21
Donatio causa mortis qualiter dignoscatur. 556,3 622,6.707,8.767,10
Donatio cedens in dotis augmentum, non egit insinuatione, licet summam à jure taxatam excedit. 753.7
Donatio contra mentem donantis ampliari non debet. 625.7
Donatio fieri potest ad certum vel in certum tempus. 772.10
Donatio in magna quantitate non præsumitur. 765.3
Donatio inter conjuges est prohibita. 707.4
Donatio inter conjuges reciproca tenet effectumque sortitur. 708.9
Donatio inter virum & uxorem remuneratoria mortève confirmata, valida censetur. & talis quæ revocari non queat. 284,8.527,39.556.8
Donatio inter virum & uxorem valet, quando res non est mansura apud maritum uxore consentiente, sed ad alium transitura. 70,26
Donatio inter vivos perfecta, fit irrevocabilis. 623.14
Donatio non præsumitur in dubio, nisi personarum qualitas aliud inducat, vel causa remunerationis præcedat. 405.13
Donatio nudo pacto facta hodie valet, neque stipulationis interventus ad ejus validitatem requiritur. 753 3
Donatio omnium bonorum liberis supervenientibus revocatur. 688.12
Donatio omnium bonorum præsentium & futurorum privato facta, pro nulla reputatur & in toto vitiatur. 36.6
Donatio propter nuptias non retransfertur in hæredes mariti, nisi dote efficaciter restituta. 239.5.243,14
Donatio propter nuptias per virum constante matrimonio facta, quando qualiterque possit alienari. 239.3
Donatio propter nuptias quibus nominibus in diversis locis appelletur. 771 5
Donatio, quæ fit inter conjuges est invalida, nisi traditio vera fictàve intervenerit. 285.9
Donatio quando causa mortis facta fuisse videatur. 146.5
Donatio reciproca sive remuneratoria, non censetur inter conjuges esse prohibita. 462.21
Donatio reciproca vel remuneratoria in quibusnam sit privilegiata. 522.18
Donatio remuneratoria non indiget insinuatione. 285,10.609.5
Donatio remuneratoria, quæ summam quingentorum aureorum excedit, insinuatione nõ eget. 671.15
Donatio sine causæ expressiõe privato facta valet, causæque loco liberalitas ipsa reputatur. 753.5
Donationes prolibus à parentibus factæ, an & quando revocari possint. 733.1
Donator signans rem donatam signo donatarij tradere censetur. 659.4
Dos accepta legitimæ solet annumerari vel incorporari. 82.22
Dos data promissave, in universali fidei commisso non venit. 150.7
Dos donatioque propter nuptias æquiparantur. 773 18
Dos & donatio propter nuptias, sub conditione translationis dominij suspensiva possunt constitui. 771.8
Dos magis est privilegiata quàm donatio propter nuptias. 304.4
Dos matrimonio soluto restitui non valeat. 679.1
Dos nondum tradita, etiam hæreditate repudiata, peti potest. 52.3
Dos non modò mulieris sed & reipublicæ causa necessariò constituitur. 653.12.680.6
Dotilitium quidnam sit. 771 6
Dotans de evictione non tenetur, cùm dos incipit à traditione. 231.2
Dubitantes facilè solvunt. 25.5
Dubitatio locum non habet, quando legis casus est in promtu. 201.36
Dubiũ judicialibus actis est decernendũ. 45.11
Dubium pronunciari debet contra fiscum, nec non eos, qui causam ab illo habent. 18 38
Dummodo vox adjecta rei imperfectæ conditionem facit, secus autem si perfecta. 270 48
Duo copulativè requiruntur ad cujus libet depositionis validitatem, nempe voluntas & potestas è quibus uno deficiente corruit actus. 364.2
Duo copulativè requiruntur ad spolij probationẽ, possessio videlicet atque dejectio. 691.1
Duratio metus ex actuum vicinitate judicanda venit. 101.24

E.

Aquæ juris sunt, in contractibus expressa, censentur. 339.32

Ecclesia ad constructionem refectionemve murorum civitatis non tenetur. 155,18.196,14
Ecclesia ad munus extraordinarium vel superinductum non tenetur. 155 19
Ecclesia eum libertate comparatur. 580 15
Ecclesia debet remittere bona sibi donata, quæ naturali jure suadente retinere nequit, licet de jure stricto retinere posset. 311.12
Ecclesia non debet in suis actibus adhibere fraudem, neque lucris temporalibus inhiare. 395.2
Ecclesia non judicat de occultis. 64.1
Ecclesia non princeps aliquis secularis in bonis presbyterorum bastardorum succedit. 777.4
Ecclesia non tenetur ad munus extraordinarium & superinductum. 196 15
Ecclesia, per cessationem à rebus divinis, afficitur injuria. 127.43
Ecclesia potest agere contra dominum vel possessorem, pro quibus annis præteritis decima soluta non fuit. 656 5
Ecclesia, sicuti pia causa, in dubio favorabilis est. 31.22
Ecclesia volens agere pro recuperatione possessionis rei ecclesiæ, etiam feudalis, ecclesiasticum judicem tenetur adire. 583.1
Ecclesiæ clericique tenentur istis oneribus, quibus eorum possessiones, antè quàm ad ipsos pervenirent, erant obligatæ. 200.32
Ecclesiæ episcopo prælatóve mortuo, viduatæ dicuntur. 183.9
Ecclesiæ & clerici, bonorum feudalium ratione, tenentur cum reliquis ad collectam. 200.34
Ecclesiæ, & personæ ad eas pertinētes, ab ordinarijs munerib. exemptæ nō sunt. 205,46.203,56
Ecclesiæ viduæq; tali prosequendæ sunt favore, per quem reliquis non inferatur injuria. 292.9
Effectus, finita causa, cessat. 123.18
Effectus par à causæ pari potentia procedit. 311.3
Ego, quod in janua domus meæ fixum fuit, autoritate propria demoliri possum. 725.2
Ego, quod per alium. in meo per possesso fundo, factū fuit, auctoritate propria possum destruere. 724.1
Electio à majore capituli parte facta quando valeat. 411.7
Electio, Canonicis vel absentibus vel non vocatis, facta, retractari potest. 411.5
Electio debitoris est in alternativis 403,8.663,11
Elect. in statuto posita pro cōfirmatione solet exponi, ut ad jus cōmune statutū reducatur. 186,24
Electio manet firma, quoties in illa contemptus contemptum non prosequitur. 177.8
Electio pendente lite facta non valet. 37.7
Electio ponitur pro præsentatione. 185 20
Electio secunda facta post primam, prima prius non cassata, an & quando sit nulla. 271.53
Electores variandi potestatem non habent, ubi scrutinium fuerit publicatum, nisi, qui nominatus est, indignus inveniatur. 61.20
Electum, in prælatum, confirmationem petijsse sufficit, licet eam non obtineat. 273.58
Electus à majori saniorique Capituli parte cæteris præfertur. 182.3
Eligens è contrarijs unum, alteri renunciasse censetur. 710.2
Elogia defunctorum non infirmantur, tametsi novæ superveniant constitutiones. 296.2
Emancipatio fraudulenta pro non facta reputatur. 735.19
Emens à criminoso possitne præjudicium à fisco recuperare: & an quandoque fiscum succedere volentem in re vendita excludat. 691,10,692,11,693,17
Emens à creditore nomen debitoris, habet utilem actionem, sine cessione. 2.7
Emens Ecclesiæ bona, debita solennitute nō observata, recepta restituere, exposita perdere tenetur, nisi doceat, quò pecunia fuerit in ecclesiæ commodum conversa. 321.7
Emphyteota naturam bonorum emphyteoticorum alterare non potest. 573.7
Emphyteota propter quas causas à jure suo cadat. 572,3.573,6
Emphyteota utile dominium consensu domini potest impignorare. 572,1.573,5
Emptio redituum quādo sit de jure valida 566.24
Emptórne, rescisso propter utilitatem contractu, fructus lucretur. 563.6
Emptores cōmuniter lucrum sperare solent. 533.6
Episcopus dispensare potest super his, quibus Deus offenditur, 441.15. In criminibus tamen adulterio majoribus id facere non potest. ib.16
Erben quid importet. 538.1
Errans, etiam in jure dolo caret. 64.5
Error consensui maximè contrarius est. 72.38
Error juris excusat à dolo. 125.32
Error ex enormi læsione præsumitur. 544.11
Examen testium ad perpetuam rei memoriam institutum est nullum, nisi pars adversa legitimè sit vocata. 114.5
Excedens in uno actu modum, non ut dolosus, sed veluti culpabilis est puniendus. 126.36
Exceptio agentem, quem tenet actio de evictione, repellit. 232,10.623,11
Exceptio confirmat regulam in casibus non exceptis. 641,16
Exceptio debet esse de regula — 212.4
Exceptio declinatoria quomodo sit proponenda. 455.2
Exceptio dilatoria proponi debet ante litis contestationem, cum postea nunquam proponi soleat. 375.3
Exceptio non canonicæ institutionis. spoliato, ad restitutionem beneficiorū agenti, obstat 635,10
Exceptio notoria defectus dominij agenti interdicto recuperandæ vel retinendæ possessionis obstat. 637.17
Exceptio regulā firmat in casib. nō exceptis. 109,7.472,2

Exceptio rei judicatæ,finitæ litis exceptio dici consuevit. 116.2
Exceptio rei judicatæ perimit agentis intentionem,& contestationem litis impetit. 43.3
Exceptio rei judicatæ solet obstare,quoties inter easdem personas vel eadem quæstio, vel alio genere judicij revocatur. 44.4.437.4
Excepto quæ obstat cedenti,obstat etiam cessionario : tametsi non semper. 662,9:10
Exceptio sententiæ non contraria, post latam sententiam semper opponi potest. 380.2
Exceptionem peremptoriam militi armatæ militiæ quis usque ad executionem sententiæ potest exclusivè opponere 5.4
Exceptiones peremptoriæ regulariter non opponuntur,ubi sententia diffinitiva lata fuerit. 4.3
Exceptiones post sententiam regulariter non admissæ. admitti debent, quando probationes in continenti offeruntur. 5.6
Exceptiones privilegiatæ, contestationem litis impedientes,quænam sint. 436.1
Exceptiones quæ reo principali competunt.competunt etiam fidejussori, & alijs quicunq; demũ se pro alijs obligarint, dummodo illæ cohæreant potius rei,quàm personæ. 43.2
Excommunicati testimonium dicere non permittuntur. 98.10
Excommunicatio nec ingressum nec professionem religionis impedit. 466.4
Excommunicatus an sit vitandus antè quàm sit declaratus. 443.5
Excommunicatus propter offensam manifestam, ante satisfactionem vel amendam sufficientem, non est absolvendus 307.2
Excommunicatus sententiam contra se latam dicens esse nullam & ideo ad cautelam se absolvi petens,an sit absolvendus. 306.1
Executio juris,injuriam habet. 9.26
Executio postremarum volũtatum,deputatis executoribus eas non exequentibus, ad quos pertineat. 605.19
Executor, ad bona inter pauperes distribuendum deputatus, consanguineos proprios extraneis præferre potest. 588.17
Executor apostolicarum literarum partes judicis necessariò tenetur assumere. 445.2
Executores ultimæ voluntatis,teneantúrne ad inventarium de bonis in mortuaria domo repertis consciendum. 773.1
Exemplum in legis principio positum,nõ restringit aut distinguit legem, aliàs generaliter loquentem. 593.4
Exhæredaturus aliquem, ingratitudinis causam nominatim exprimere tenetur. 82.24
Exigere est ab initio quid extorquere. 201.38
Expensæ,in filiam maritatam à patre factæ, repetine possint. 765.5
Expensæ propter justam litigandi causam factæ recompensari solent. 730.7
Experiens in jure de petitorio,possessorem de facto turbare non censetur. 658.19
Experientia efficax est rerum magistra. 18.36
Experientia facit artem sed inexperientia casum. 126.41
Expressio causæ, in confessione ad deliberandum emissa non requiritur. 609.9
Expressio qualibet in gratijs,falsa, dolosè præsumitur expressa,gratiamque vitiat. 413.4
Expressio temporis etiam in testamento, inter liberos,patris manu scripto, requiritur. 579.4
Expulsus castro potentiori jus suum cedere non potest. 7.17
Extẽsio activa in ijs casibus,sine quibus dispositio effectũ cõmodè nõ sortiretur,admittitur. 110.14
Extensio fieri non solet,quando id,quod de mente legem condentis erat,evenit. 110.10
Extensio passiva in materia odiosa etiam solet admitti. ib.13
Extinctio litis,nisi per sententiam diffinitivã,quæ transivit in rẽ judicatam,fieri non potest. 437.5
Extraneus dotem dãdo,nec paciscendo sibi illam reddi, indistinctè mulieri donare censetur, nec amplius illi pro recuperatione dotis actio competit. 539.6
Eventus posterior ab exordio formari solet. 101, 26.158.1
Evictio rei per patrem uni filiorum prælegatæ, an debeatur:quidq; fiat,si plurib.prælegetur. 629.15

F.

FAcientes contra Domini mandatum, nondum publicatum,propter justam excusantur ignorantiam. 726.7
Facta Dei,Pontificis & Imperatoris, an discutere disputaréve liceat. 161.2
Facta fraudulenter revocari possunt. 546.4
Facta non solent præsumi, 14.11.115.9.
Facta pro infectis nõ possunt haberi, 520,8.325.31
Facta,quod juris effectum,pro non factis haberi possunt. 188.30
Factum ipsum non censetur esse probatum,quãdo verba formalia duntaxat articulata sunt, & non probata. 482.5
Factum poterit esse notorium,licet ipsa facti qualitas notoria non sit. 128.52
Factum,quodcunque bono quodam velamine potest excusari,bona fide factum fuisse lex interpretatur. 310.8
Factum simulatè,pro non facto,habetur. 559.8
Fallere fidem grave est. 69.16
Fatalia non currunt agenti super attentatis. 328.13
Favor animarũ nullã patitur restrictionem. 599.8
Favor piæ causæ vincit in dubijs. 90.10
Feuda juris dispositione naturalibus solùm liberis relinqui non possunt. 723.22
Feuda paterna, sine agnatorum consensu alienari non possunt. 179.4
Feuda quo gradu & ordine transcant ad successores. 551.3

Feudum ab aliquam lineam devolutum, gradatim transit ad omnes posteros, ejusdem non alterius lineæ, quamdiu de prima linea quisquam superfuerit. 650.1
Feudum antiquum, licet quæratur sine investitura, non tamen conservatur, nisi investitura petatur infra annum. 551.7
Feudum antiquum ne quidem accedente consensu domini alienari potest, nisi proximior agnatus consentiat. 420.1
Feudum in omni bonorum societate non est numerandum. 246.10
Feudum propter delictum vasalli, in personam alterius, non domini, commissum, proximis agnatis applicatur, non domino. 690.1
Feudum, si legetur ad pias etiam causas, non valet in aliquo, etiam ad hoc, ut debeatur æstimatio. 247.13
Feudum, sine domini directi consensu manifesto, in dotem dari non potest. 360,6
Fictio locum non habet, ubi veritas & æquitas naturalis non cadit. 68.9
Fictio non cadit super impossibili. 525,30.544,5
Fictio nunquam valet, nisi cõcurrat æquitas. 332,7
Fictio requirit extrema duo habilia, scilicet extremum à quo & ad quod. 524,27,544,6
Fictiones duæ duóve specialia concurrere non possunt circa idem. 623.20
Fideicommissum expirat ejus conditione cessante. 575,20
Fideicommissum. institutione propter incapacitatem hæredis in instituti vel errorem testatoris deficiente, non valet, nisi sit ab intestato tacitè vel expresè repetitum. 778.8
Fidejussor accipitur, ut per eum magis cautum sit creditori. 529.4
Fidejussor, in loco per principalem solutioni destinato, conveniri potest. 336.21
Fidejussor in plus quàm reus principalis obligari non potest. 46.18
Fidejussor, omne damnũ, quod propter debitoris non solventis negligentiam passus est, recuperat à debitore. 226,2.228,12
Fidejussor qui solvit, negotium debitoris præcipuè gessisse dicitur. 2.8
Fidejussor, qui solvit totum debitum, nullas habet adversus confidejussorem actiones, nisi quas ei creditor ejus concesserit. 1.1
Fidejussor solvens, nomen debitoris emisse non est dicendus. 3.9
Fides bona, justúsve titulus è recenti possessione non præsumitur. 431.4
Fides est duplex, pactionis & consensus. 483.14
Fides in pactis vel conventionibus interposita, juramenti loco habetur. 640 9
Fides instrumenti connexè procedit à testibus & tabellione. 474,14 675,11
Fides instrumenti vacillat, si alter testis, qui est de substantialibus, ipsi contradicit instrumento. 774.1:2
Filia ad legitimæ suæ supplementum agere potest, cùm pater ei minus ipsa legitima relinquit. 80 11
Filia ex una sororum illegitimarum, suæ materteræ illegitimæ succedit. 720.7
Filia non debet in maternis bonis à patre gravari. 388.5
Filia nubens indigno non quidem potest exhæredari, sed dotem minorem consequitur. 653.11
Filia, nubens sine consensu patris, an ipsi patri facere censeatur injuriam. 652,1.653,15
Filia patri succedens, rem sibi ab ipso donatam, fratribus tenetur conferre. 62S,9
Filia per patrem in legitima sua gravari non potest. 81.20
Filia quæ dote contenta stare non vult, post patris obitum dotem conferendo, fratres ad bonorum paternorum divisionem provocare potest. 52.1
Filia quæ fuit in testamento præterita, facit, ut illud pro nullo reputetur. 83.25
Filia recipiens à patre suo vivente legitimam, cum pacto de non plus in posterum petendo, bonis postea paternis actis níhil ulterius petere potest. 390.10
Filia sine patris consensu nubens, exhæredari non potest. 79,2.389,6.390,9
Filia spuria capax est alimentorum & legati, sibi à patre pro dote vel in subsidium matrimonij relictorum. 777.5
Filij bonorum paternorum sunt quasi domini. 135,12
Filij Doctorum qualiter sint privilegiati. 687.7
Filij legitimi spuriorum hæredes à parentibus ipsorum possunt institui, ipsisque deinde spurijs substitui potest, 780.2
Filij meritis non pactionibus ad paterna provocandi sunt obsequia. 233.4
Filij, prætextu læsionis accidentalis, è parentum conventione obvenientis, restitui non possunt. 245.3
Filij naturales quando patri ex testamento vel ab intestato succedant. 645.1
Filius ad hæreditatem nõ admittitur, ad quam pater, si viveret adhuc, admitti non posset. 114.3
Filius antiquum feudum per patrem alienatum revocare potest, etiãsi patri hæres existat. 421,2
Filius comitis, monachus effectus, in comitatu, magnisq; dignitatibus alijs non succedit: Nam in feudis alijs minoribus, personale servitium nõ requirẽtib. accidit cõtrarium. 740,8.744,32
Filius & libertus, patris & patroni personam sanctam, nec non honestam habebunt. 130.57
Filius habens feudum, suis cohæredibus recompensam dare tenetur. 487.6
Filius in domo patriaq; potestate cõstitutus, laborare patriq; servitia tenetur impendere, mercedemq; non promissam petere non potest, 377.2
Filius in legitima sua gravari non potest. 140.20
Filius, institutionis jure, legitimam debet habere. 83.31

Filius

Filius in teſtamento præteritus illud rūpit. 532.8
Filius maternæ diſpoſitioni fidem adhibere debet, aliâs nimis durus reputatur. 735.1
Filius naturalis de ſanguine patris ſui dicitur eſſe. 602 2
Filius naturalis, etiam per reſcriptum principis legitimatus, patri non ſuccedit in feudo. 640.7
Filius naturalis & ſpurius, in quo comparentur. 782 14
Filius, pro reipublicæ conſervatione, patrem impunè poteſt occidere non ſolùm, ſed & præmium conſequitur. 60.10
Filius perſonam patris ſui repræſentat. 4.2
Finis litium non eſſet futurus, ſi nova qualitatis adjectio vel diverſus agendi ſuper eadem re modus, exceptionem rei judicatæ tolleret 44.5
Fiſcus contra ſe pronunciari patietur quoties de jure vel etiam facto dubitatæ. 228.12
Fiſcus occiſori duntaxat indignitatis exceptionem puteſt opponere. 691.5
Fiſcus, ſemper è tacito vulgari, per ſubſtitutum, ſolet excludi. 782.12
Fiſcus ſuccedens criminoſo, cauſam dicitur habere lucrativam. 691.9
Fœmina maſculis non extantibus, niſi obſtet inveſtitura, ſuccedit in feudo. 690.3
Fœmina, quamdiu maſculus, ex eo, qui feudum primus acquiſivit, extat, in eo ſuccedere nō poteſt, licet illud fœmineum feudū vocetur. 296.2
Fœminæ maritorum gaudent privilegijs. 189.4
Fœminæ non ſuccedunt in feudis, quamdiu agnati mares extabunt. 179 1
Forma cap. Quia propter, de electionibus, etiam in prælato inferiore epiſcopo, vel Abbate venit obſervanda. 184 10
Forma, contra ſententiam reſtitutionem petendi, qualis. 45.14
Forma dat eſſe rei. 86.39.183.6
Forma in teſtamento omiſſa, per Notarium ſuppleri non poteſt. 86.44
Forma inveſtituræ in cauſarum feudalium deciſione cum primis eſt attendenda. 741.13
Forma mandati diligenter eſt obſervanda. 61 13
Forma qualis à jure traditur, præcisè ſervanda venit. 85.38
Forma ſcrutinij quæ ſit. 182.5
Formæ de jure ad actum requiſitæ renunciari nequit. 86 43
Formæ, quales in electionibus obſervandæ, quænam ſint. 182.2
Frater, vitæ fratris inſidiari, non videtur velle. 768.19
Fratres minores hæredes inſtitui non poſſunt, neque ſucceſſionum ſunt capaces, adeò, ut ne quidem æſtimatio debeatur. 590.2
Fratres minores legata in feudum hæredi facta capere non poſſunt. ib 3
Fratres minores, ultimarum voluntatem executores, etiā volentes nō eſſe poſſunt, maximè ſi alij non religioſi fuerint ſimul deputati. 605.17:18
Fratres opulenti, pauperem ſororē dotare tenētur, tametſi patris hæredes ijdem non exiſtāt. 81.19
Fratres, qui patris adeunt hæreditatē, ſorori ſuæ, non aliter ac alijs creditoribus, nomine dotis è quaſi contractu, ſunt obligati. ib 18
Fraudes & hominum malitiæ non ſunt ferendæ. 216 2
Fraus è conjecturis probatur. 603.6
Fraus & dolus donantis unde poſſit deprehendi. 733.6.733.8:9:10. 734.11
Fraus legatariorum unde cognoſci poſſit. 603.5
Fraus ſolum conjecturis probabilibus poteſt probari. 631.31
Frequentatio in loco prohibito, maleficij præſumptionem cauſatur. 218.8
Fructus beneficiorum, quando pro penſionibus obligati cenſeantur eſſe. 552.3
Fructus bona fide percepti & conſumpti debeantne reſtitui. 635.1. 637.11
Fruſtra de illorum, quibus vel invitis actus ritè perfici poteſt, præſentia quæritur. 54.14
Fructus dotis quomodo matrimonio ſoluto dividantur. 704.9
Fructus collecti, cedunt ei, qui tempore collectionis habuit uſumfructum. 703.5
Fructus præbendæ quibuſnam tempore ſuſpenſionis competant. 443.2
Fructus quando abſque vitio uſuræ computentur in ſortem. 540.16
Fundamentum deſtructum, facit, ut omnia ſuper ædificata corruant. 694.2:5
Fundus communis omni momento dividi poteſt. 568.36
Fundus dotalis fructuoſior reddi poteſt, etſi ſpecies ejus immutetur. 772.17
Fundus nullus appellatur dotalis, niſi qui datur in dotem. 677.2
Furor alienatioque mentis ſemel accidens, niſi contrarium probetur, durare præſumitur. 678.9

G.

GAbella, tallia collectaque perſonæ rerum ratione, non autem rebus ipſis imponitur: unde forenſi non poteſt imponi. 198.24
Geminatio, actum alioquin invalidum, validum facit. 608.2
Geminatio demonſtrat animi conſtantiam, plenamque deliberationem, deque actu inſufficientem reddit. 557.9
Geminatio plenam deliberationem præſumi facit. 393.23
Geminatio repetitioque in teſtamento facta, exuberantem pleniſſimamque teſtantis voluntatem declarat. 149.2.187.27
Geminatio verborumque congruentium repetitio, deliberatam contrahentium mentem demonſtrat. 397.12
Geminatio verborum, ſignificat exuberantem mentem proferentis. 538.5

Gener

Gener deceptus, actione de dolo, ad interesse, contra hæredes soceri non agit. 54.11

Genera hominum sunt duo, 156,20 169,16

Generalitas restringi debet, ut intellectus captiosus & non verisimilis evitetur. 478.16

Genus subsequens ad enunciatorum qualitatem restringitur, 697.17

Gesta per eum qui Notarius non erat, quando valeant. 256.11

Gesta per judicem, per quemnam tandem pro attentatis habeantur. 174 3

Glossa ordinaria, unum famosum post se Doctorē habens, efficit, ut in judicando ab ea non sit recedendum. 79.4

Gradus tot sunt, quod in linea inæquali, dēpto stipite collateralium, personæ reperiuntur. 296.4

Gratia dispensatione papalis quomodo probetur. 278.4

Gratia nunquam excedit próprium modū. 279.20

Gratiæ, per summum Pontificem, more solito, concessæ præsumuntur. 263.22

Gratia provisióve surreptitia, est ipso jure nulla. 694.4

Gravatus alteri fideicommissum restituere, nudus minister esse non censetur, quando verba dispositiva testamenti principaliter ad illum diriguntur. 387.1

H.

HAbens à collectis immunitatem, ad collectam propter guerram supervenientem impositam non tenetur. 220.62

Habens actionē, censetur ipsam rē habere. 707.2

Habens actionem, multò magis habet exceptionem. 460.8

Habens feudum fœmineum, per substitutum servire potest. 741.15

Habens immunitatis privilegiùm, si scit actū contra illud institui, nec infra decem dies ejusmodi notitiæ appellaverit, sibi præjudicasse dicetur. 108.1

Habens plures præsentationes, alijs est præferendus. 436.2

Habens priorem possessionem, magis coloratam, tituloque meliori justificatam, in possessorio debet obtinere. 472.4

Habens quasi dominium sepulchri, ne ibi sepeliatur extraneus, prohibere potest. 72.5

Habens quictantias de tribus annis continuis posterioribus se invicem subsequentibus, de præcedentibus annis omnibus satis fecisse de jure præsumitur. 76.7

Habens rem à principe, tutus est adversus verum dominum. 9.25

Habentes bona planè distincta discretaq; conveniri non possunt, nisi quilibet ipsorum pro rata. 477.10

Habentes canoniam, vocem duntaxat habent in capitulo. 317.10

Habere oblationes, est aliquid de juribus parochialibus. 153.9

Habere, plerumque possessionem importat. 770,3. 772,12

Hæredes, bona prius obligata posteaque legata, luere, à nexu pignoris liberare, liberatáque legatarijs tradere tenentur. 41.28

Hæredes è testamento, quod mutari potest, nullum jus habere possunt. 761.23

Hæreditas alteri cōjugum constante matrimonio delata, bonis acquisitis nō adnumeratur. 515.4

Hæreditas ascendentium etiam non addita, ex vi suitatis ad descendentes transmittitur. 666.12

Hæreditas ascendentium vel nondum agnita, ad descendētes nec non hæredes ipsorum, à primô ascendente descendentes, transmittitur. 585.4

Hæreditas collateralium non adita, non transmittitur. 585,5. 586,8. 665,7

Hæreditas, legatum, donatum, aliáve ratione qualibet acquisitum, in omnium bonorum societate communioni solet acquiri. 171,1

Hæreditas occisi ab occisore velut indigno solet auferri. 690,4 692,14

Hæreditas parentum liberis æqua lance dividenda est. 486.1

Hæreditas parentum naturali voto debetur eorum filijs. 234.5

Hæreditas tantùm liberis dari potest pactis, extraneis non item, 487.5

Hæres ab intestato, qui se hæredem & proximiorem esse probat, contra institutum hæredem, etiam possessorem, intentionem suam legitimè non probantem, obtinere debet. 474.1

Hæres ab intestato succedit, conditione substitutionis pendente. 779.12

Hæres adiens hæreditatem obligati, creditoribus è quasi contractu tenetur. 553.6

Hæres adiens hæreditatem prius quàm confecerit inventarium, omnibus creditoribus integra credita, etiam de suo, absque ulla deductione, solvere tenetur. 41.31

Hæres ad juramentum defuncti, cujus ast hæres, observandum, non est compellendus. 348.9

Hæres anne cogatur cautiones hæreditarias exhibere. 588.18

Hæres factum defuncti, licet aliâs invalidum, non potest impugnare. 53.10, 459,4. 521,13, 556,4. 685,6

Hæres defuncti personam repræsentat. 541.3

Hæres defuncti promissione factoq; tenetur. 360.7

Hæres donationi per defunctum, etiam de re ipsius hæredis propria factæ, stare tenetur. 622.9

Hæres donatoris de evictione tenetur, quando donatio à conventione vel promissione sumpsit initium. ibid. 10

Hæres hæredis, est etiam testatoris hæres. 707.3

Hæres institutus, cautionem fidejussoriam, de exequendo ultimam voluntatem faciens, executoribus testamenti præferendus est. 774.3

Hæres institutus bonorum relictorum censetur habere dominium. 758.3

Hæres

Hæres legata per defunctum relicta solvere tenetur. 604.12
Hæres melioris conditionis non est, quàm fuit is, in cujus locum successit. 297.8
Hæres qui per testatorem appellativo nomine utentem fuit obscurè significatus, è conjecturis est inquirendus. 33.31
Hæres sanguinis hæres etiam dicitur, 442.3
Hæres tenetur defuncti religioni stare. 753.2
Hæres vel fidejussor usufructuarij, ab obligatione ipsius per mortem liberatur. 529.2:5
Hæres universalis stare colono tenetur. 359.1
Hæres vox, in investitura posita, facit, ut quis per substitutum servitia domino præstare possit, nec industria personæ censeatur electa. 741.14
Hoc amplius, præcedentium repetitiva sunt, quoad eorūdem qualitatem scil. atq; conditionē. 243.2
Hoc in qualibet dispositione pro disposito habetur, quod verisimile est, dispositum fuisse, si de hoc disponens interrogatus esset. 110,12
Hoc non esse probat quod hoc contingit abesse. 455.4.473.9.530,2
Honestas personæ emptoris, omnem simulationis, usurarijq; contractus suspicionem tollit. 564.11
Honor fundatori ejusque descendentibus deferendus. 688.16
Honor qui debetur judicibus, per advocatos & procuratores eis est deferendus. 173.1
Hypotheca contra prohibitionem legis est inefficax & invalida. 239.4
Hypotheca specialis longè pinguior & efficacior est, ad impediendam alienationem, quàm generalis. 59.19

I.

ID de quo cōjecturæ sunt probabiles, vel pro quo juris est præsumptio, dicitur evidenter constare. 550.7
Ignorantes statutum si fortassis in illud delinquant, quando puniantur. 218.10
Ignorantia juris rusticum fœminámve non excusat, quando pro actus forma quidpiam requiritur, 85.34.322,11
Ignorantia probabilis an impetrantem à surreptione excuset. 280.21
Ignorantia solet juramento probari. 126.40
Ignotus principem nec adire nec salutare debet. 124.24
Illatio à separatis non est bona. 18,27.32,30. 180,8.247,14.268,38.440,12.374,20.424,10. 449,14.529,3.625,6.730 5. &c.
Ille cujus non interest, audiendus non est in judicio. 736.1 742,16
Illi, contra quos specificè disponi nō potest, in generali dispositione nunquam comprehenduntur. 707.54
Illi cujus conscientiæ quid est commissum sine juramento credi non solet. 419 5
Illud in omni dispositione pro disposito censetur, quod verisimiliter dispositum fuisset, si de eo contrahentes interrogati fuissent. 134.6
Illud, quod causam habet manentem, propriè transit ad notorium. 127.46
Imminentia pestis efficit, ut à jure communi recedatur. 290 3
Impediens injustè venditionem, qua teneatur actione. 576.5
Impedimentum unum è complurium numero sublatum, non facit, ut alterum quoque sublatum statuatur. 269 43
Impensæ in rem propter nuptias donatam factæ, anne possent repeti. 773.21
Impos eligēdi facultatis, eligisse nō videtur. 194,7
Impositio vectigalium ante Cajum Caligulam Rom. Imp. IV. nota, non erat fuitque per eundem primum inventa. 13.5
Impossibilia non obligant. 404.11
Impugnans testamentum, nullum ex eo lucrum consequitur. 454.12
Incapax capere potest, ut capaci restituat. 71,27. 284,7
Incarcerans clericum ne offendatur alio, præmium, non pœnam meretur. 126,37
Incarceratus propter fugam nec non effractionem habetur pro confesso. 172.1
Incarcerata non solent attendi. 533.5
Incertitudo nec non impossibilitas, causam specialem non exprimentem solent excusare. 431.7
Incommoda quæ contingant ecclesiæ statuto non servato. 642.5
Incommodum evictionis in dubio pro rata sustineri debet, re ad plures pertinente pro parte duntaxat evicta. 231,3
Inconvenientia plura sequuntur ex uno concesso. 209.61
Indignus & inhabilis ad succedendum, mortuo comparantur. 690.2
Inducta ad diminutionem non operantur augmētum. 233,8 690,2
Infamia clericorum est valde periculosa. 716 4
Inferior de facto superioris cognoscere non debet. 599 6
Inferiores à principe, qui regalia præscripserunt, possunt etiam telonia imponere, justam ad id causam adepti. 14.10
Inferiores superiorib. suis debēt revrētiā. 125,27
Inficians solutionem si convincatur, onere, se debitum recipisse, probandi gravatur. 313.4
Infinitas toleratur, quando verba sunt apta ad infinitatem, etiam tum, cùm de obligatione vel actione conservanda agitur. 540.13
Infinitivus ducere, contrahere vel accipere, dispositionem de præsenti non importat. 484.17
Infirmitas intellectus est, rationem quærere, quando sensus est perspicuus. 726.6
Ingrediens alterius fundum jure familiaritatis, eum possidere non dicitur. 463.27
Ingressus religionis an jura successionis amitti faciat. 741.12

Inhabilis an ex admissione aliorum habilis fieri possit. 410.2
Inimicitiæ solùm capitales testē repellunt. 336.4
Inimicus reconciliatus an dignus etiam sit, ut ei fides habeatur. 367.6
Injuria inde nasci non debet, unde jura nascuntur. 20.8
Injuria personalis obesse tertio non debet. 456.2
Injuria qualia remittatur. 654 16
Injuria sine dolo fieri non solet. 123.21
Injuriæ reales ad judices feudorum spectant, cùm contrarium fiat personalibus. 121.4
Innovatio nulla fieri debet, quamdiu pendet appellatio. 299.3
Inscriptiones sepulchri jus competere non probant, nisi sint antiquæ. 71.6
Instigator, sollicitator, proxeneta & mediator, à testimonio perhibendo repelluntur. 482.6
Instituens hæredes, tectari non codicillari voluisse præsumitur. 139.14
Instituti sine patroni præsentia, dedentatores & occupatores dicuntur. 17F, 3.184.12
Institutio hæredum solennis efficit, ut aliquis testari non codicillari voluisse judicetur. 86 41
Instrumenta Notarij, de falso accusati vel cōvicti, an valeant. 453.4
Instrumenta Notariorum executionem paratam non habent. 681.11
Instrumentum debita carens solennitate nullius est momenti. 366.2
Instrumentum neminem juvat, nisi quem tenor instrumenti complectitur, vel juris vel rei sit successor. 774.3
Instrumentum per domesticam personam productum, ne quidem semiplenè probat, nisi etiam traditio à domino facta doceatur: imò, qui producit, etsi de rato caveat, tamen admitti non debet. 677.6:7
Instrumentum propter unum testem, qui fide sit indignus, inscriptū, reprobari non debet. 454.11
Instrumentum publicum reprobatur, quando duo testes integerrimi, qui sunt in eo scripti, ei quod habetur in instrumento, quid apertè contrarium deponunt. 452.1
Instrumentum super pacto, quod post uxoris mortem bona ejus ad maritum perveniant, de jure non valet. 707.6
Integritas testis testamento contradicentis quando consideretur. 675.10
Intellectus, c. ad nostram, de empt. & vend. 565.20
Intellectus c. final. de præscript. 673.9
Intellectus infirmus efficit, ut ubi sensum habemus, rationem quæramus. 61.18
Intellectus legis penultimæ C. de impub. alijsque substitut. 721.13
Intellectus, nos ad jus commune reducens, est sequendus. 758.5
Intentans petitorium, possessorio videtur renunciare. 657.20
Interdictio bonorum à lege statutóve facta testamentum prius factum non rumpit, licet factionem possit impedire. 308.4
Interdictum de re sacra causam quasi proprietatis continet, unde sententia in ea lata, exceptionem rei judicatæ in petitorio parit. 72.3
Interdictumne poni possit ob debitum pecuniarum non solum. 158.2
Interdictum quid operetur. 159.5
Interdictum quorum legatorum, cessat in possidente causa mortis. 708.15
Interdictum recuperandæ possessionis, non cōpetit judicialiter, vel auctoritate principis privato. 6.8
Interpretatio debet in pænalib. esse mitior. 439.6
Interpretatio debet ita fieri, ut actus valeat potius quàm pereat. 171.4
Interpretatio est congrua verbi vel orationis expositio. 479.21
Interpretatio extensiva, ab interpretatione suppletiva nihil differt. 110.11
Interpretatio fieri debet in dubio pro promissore. 332.11
Interpretatio in testamētis esse debet plenissima. 149.3
Interpretatio secundum possibilitatem verborum, salvaq; recti sermonis ratione fieri debet. 625.2
Interpretatio testamentorum larga debet esse, in legatariorum favorem. 448.5
Interventus amicorum, doli metusque reverentialis præsumptionem cessare facit. 191.14.681.13
Interventus principis, in donatione mortis causa quid operetur. 767.1
Interventus quinque testium, donationem causa mortis validam facit. 622.7
Invalida per ratificationem subsequentem validantur. 570.43
Investiens aliquem de feudo aliàs inhabilem, eo ipso illum habilitare, atque ut feudum retinere possit, dispensare censetur. 742.23
Irregularis ad divina nullo modo debet admitti 248.3
Irregularis beneficii fructibus carere debet, ex quo à jure suspensus erit. ib.4
Is justè possidet, qui judicis auctoritate possidet. 705.17
Is, per quē jurisdictio fuit infeudata, in omni casu deq; causis omnib. ordinario jure cognoscit. 121.3
Is, qui semetipse posuit in necessitate, juvandus non erit. 668.21
Istamne, quā quis coram ecclesia duxit, deferre: & ei, cui prius fidem dedit, adhærere liceat. 65.4
Iteratio actus, mentis deliberationem plenumque denotat consensum. 685.9
Judex à quo, non deferēs appellationi frivolæ, ulterius procedere potest, inhibitione sibi facta non obstante. 174.1
Judex ad cōprobandam inter conjuges donationē, quàm ad revocādā proclivior esse debet. 760.22
Judex ad quem, qualiter à judice, à quo frivolè appel-

appellatur, sit infirmandus. 175.5
Judeex agentem sine actione repellere potest, ex officifficio soùm, parte non petente. 559.3
Judex appellationis, appellatione deserta definit esse judex, cùm suæ jurisdictionis fundamentũ, videlicet appellatio deficiat. 276.8
Judex contra communem judicans opinionem, litem suam facit, 255.13
Judex debet semper esse favorabilis, & pauperũ, ne injustè molestentur, protector. 47.21
Judex delegatus extra diœcesin, in qua ipse deputatu sst, e quidem de consensu partium expresso, alium subdelegare potest. 247.4
Judex de qua recognovit, de ea pronunciare debet, 610.18
Judex dicitur, qui jus dicit. 62.15
Judex domicilij, subditum, pro delicto extra territorium patrato, pœna juris communis vel municipalis illius loci, ubi delictum commisit, punire potest. 219.17
Judex eam sententiam, quæ in rem judicatam transivit, propter partis confessionem retractare potest, 142.3
Judex est fatuus, qui super non petitis pronunciat, 729.2.731.14
Judex etiam post conclusionem causæ, partem potest interrogare. 115.12
Judex in causa principali, est quoque judex in ea, quæ à principali dependet. 122.6
Judex judicare volens, phantasiæ propriæ inniti, sed jurisperitorum plurimorum sententiam sequi debet. 139.22
Judex judicij præparantis, est etiam judicij præparati seu subordinati. 122.9
Judex laicus anne laicam mulierem cum clerico in adulterio fornicationeve publicè viventem corrigere punireque possit, 716.1
Judex omnibus modis ad veritatem falsitatemq; deprehendendam debet eniti, 481.2
Iudex ordinarius de feudi possessorio cognoscit nisi agitur ex lege feudali, vel ap ipsius proprietatem concludatur, 583.5
Iudex pœnam non capitalem, capitalem facere nõ potest, licet ejus arbitrio relinquatur. 303.2
Iudex postquam semel sententiam dixit, judex esse definit. 479.20
Iudex pro arbitrio suo, metum vel iustum vel injustum esse, judicare potest. 102.30
Iudex quomodo suam sententiam posit interpretari. 380.4
Iudex secundum allegata probataque judicare debet. 10.30
Iudex semel electus, posteà reprobari non potest. 455.1
Iudicantem cuncta rimari decet, ordinemque rerum plena disquisitione discutere. 115.11
Iudices feudales qualẽ habeant cognitionẽ, 583.2
Judices qui non admittunt, principum literas de falsitate surreptioneve corrgui, puniendi sunt 726.10
Judicia postrema defunctorum, si rationabilia, nec in fraudem legum facta sint, servari debent. 625.1.639.26
Jura defuncti omnia transeunt in hæredem, hæreditate adita. 707.1
Jura specialla derogant juri communi, idque cessare faciunt. 6.12
Iura spiritualia non cadunt in laicum, nisi ex Apostolicæ sedis privilegio ideoque præscribi non queunt. 273.59
Iura subveniunt vigilantibus. 95.2
Iuramentum bonis moribus contrarium, non valet. 106.6
Iuramentum in quo dolus intervenit, non est obligatorium. 234.7
Iuramentum tres comites habere debet, veritatatem, judicium, justiciam denique 234.8
Iuramentum, vel interpositio fidei, sunt æquipollentia. 233.2
Iurans, ab alio sibi damnum esse illatum, duobus oportet ut sit instructus, si commodè jurare velit. 63.1
Iurans se die certa soluturum, si non solvat, perjurus est, etiã judice temporali vetante. 482.9
Iurans verum non peirat. 227.3
Iurisconsulti sine lege loquẽtes, erubescũt. 79.8
Iurisdictio conessa cuipiam, causam habet favorabilem. 122.12
Iurisdictio cujusnam sit, è formo, tenore conclusioneque libelli perspicitur. 583.4
Iurisdictio ordinario, sed non ordinario modo, qualis est legati, favorabilis non est. ideoque non extendenda. 17.30
Iurisdictio quæ feudo cohæret, est feudi fructus. 121.5
Ius aacceptoris resolvitur, jure datoris resoluto. 572.2
Ius accrescendi quando locum habeat. 137.2
Ius accretionis in contractibus ultro citroque obligatorijs habet locum: secus enim fit in alijs: ut in stipulatione cæterisque similib. 460.9
Ius accretionis inter socios etiá locũ habet. ib.11
Ius alicui competens, sine facti explicatione clarescere non potest. 698.1
Ius alicui quæsitum ex pacto, nisi revocabiliter quæsitum sit, sine facto ipsius auferri ipsi non potest. 457.7.459.2.520.10.556.1:2:7
Ius beneficia conferendi, spectans ad solius episcopi collationem, sede vacante non transit in capitulum. 273.57
Ius cognationis non tollitur, licet, è sexu fœmineo masculus interveniat. 302.1
Ius correctorium strictè, nec extrà casum expressum debet explicari. 723.21
Ius de futuro renunciari non potest, nisi fiat in judicio. 392.20
Jus è bonis emphyteuticis, sine consensu domini directi obligatis, annuum redditum percipiendi, an quantoque tempore præscribatur. 673.4

Jus ex actoris persona metimur .489,1.693,1 779,13 &c.

Jus exigendi vectigalis, quanto tempore possit acquiri, 370.7

Jus feudale, mortuo vasallo, continuatur in filiũ absque investitura. 297,6

Jus fidei commissi successionisve non transmittitur ad filios substituti sub conditione, quæ in ipsius vita non extitit, 722.19

Jus naturale non est mutabile. 372.14

Jus repræsentationis in linea recta locum habet. 728.4

Jus merè spirituale qualiter in laicum transferatur 185,19

Jus municipale comitatus Zelandiæ. 628 10

Jus municipale scripto juri derogat, & in loco quo viget, erit servandum. 631.33

Jus oritur è facto. 160.1 182,1.158,1

Jus patronatus acquirit vel ex constructione, fundatione, vel dotatione denique, 275.1

Jus patronatus à jure positione fuit inventum, 260 8

Jus patronatus conceditur laicis in ecclesiis, ut eo magis ad ecclesias fũdandus invitẽtur. 740 10

Jus patronatus ecclesiæ competens, facilitus tollitur, quam quod laico competat. 260.11

Jus patro natus non dependet à juridictione, sed utili domino 472.6

Jus possessorio non solet curari, quandiu de jure petitoris non constat. 779.15

Jus præsentationis etiam in feudis locum habet. 179.5

Ius publicũ privatorum pactis vel dispositionib, tolli nõ potest, neq; dolus futurus remitti. 773 2

Jus quæsitum alicui, eidem vel invito nequit auferri. 69.22

Ius retentionis etiã locum habet in feudo, 543.3

Ius sepulchri præscribi non potest etiam longissimo tempore. 72,2.74,8

Ius sive statutum generale, alicui damnum inferens indebitè restringi debet. 731.12

Ius speciale denotat in contrarium jus commune. 397.10

Ius totius usu partis à sciente retinetur. 658.21

Jus vestigal teloniumve recipiendi, libertati contravenit, ideoq; probari debet ab allegãte 369 2

Jus villæ feudisq; datæ dative trãsit in feudatariũ, nisi verbis expressis excipiatur. 471,1.475,5

Jusjurandum contra matrimonium locum non habet. 578.6

L.

Labor irritus est, cum quis extra quærit, quòd intus habet. 16.12

Læsio non apparens in principio contractus, at postea superveniens, ipsum contractum non rescindit, 393.25

Læsus propter damnum, casualiter contingens, non restituitur. 462.20

Læsus ultra dimidium, restituendus est. 388.3

Laici, anne & quãdo talliam, gabellã, collectámve clericis eorumq; bonis possint imponere. 154,12

Laici contra statutum ecclesiasticum nihil omnino statuere possunt. 716.3

Laici profecto cavere debent, ne clericos nostros talliando, contra se provocent iram Dei. 199.30

Laici quando propter exactionem collectarum incurrant excommunicationis sententiam. 201.37

Laicus deferens aliquid ab extra ad usũ proprium, vel utilitatem fisci, pedagium vel alias actiones solvere non obligatur. 158.28

Laicus in clericos jurisdictionẽ, è tẽporis præscriptione vel qualicunq; nequit acquirere. 208.57

Laicus quidem præbendam potest habere, sed non canoniam. 327,8

Lecturæ, Doctorum consilijs præferuntur. 423,8

Legans cognatis, his, qui sunt cognati tempore testamenti vel mortis, legare videtur. 26,8.31,24

Legata conditionalia an hæredi, vel collegatarijs accrescant, legatario jam moriente. 349.3

Leg. debẽtur ære testatoris alieno deducto. 594.2

Legata debentur, etiam si testator testib. testamẽtarijs ea nominatim non expresserit. 452.3

Legata etiam pia ex imperfecto testamento debentur. 579,9.580,12

Legata ex ordinatione codicillari, quæ postmodum expresse & specialiter revocata non reperitur, in solidum debentur. 603.3

Legata in fraudem alterius facta, nullius sunt momenti. ibid.4

Legata non conferuntur, sed manent præcipua apud legatarium, etiamsi sit hæres. 627.3

Leg. remuneratoria vel incapaci debentur. 685.8

Legatarij in bonis sibi per testatorem relictis, omnibus hæredum creditorib. præferũtur. 594.1

Legatarij re, verbisque conjuncti, quinam dicatur. 350.5

Legatarius auctoritate propria non debet apprehendere legatum, sed à testatore facultatem vel occultè vel expressè concessaml habebit. 461, 16:17:462,18

Legatarius quando legatum, transmittat. 349.2

Legatarius quomodo missionẽ in hæredis defunctive bonorum possessionem cõsequatur. 707.2

Legatarius retinere potest quicquid ad opus per alios implendum non fuit è legato conversum. 387.3

Legatarius rem sibi legatam post mortem suam restituere gravatus, quandiu vivit, proprietarius & non usufructuarius esse censetur. 623.19

Legatũ conditionale redditur, sive substantiæ legati, sive executioni conditio apponatur. 352.16

Legatum consistens in certa moneta, juxta valorem, conditi testamenti tempore currentem, solvi debet. 422.1

Legatum debet utilitatem continere, 448.6

Legatum filiæ in dubio relictum, in dotis debitæ compensationem relictum censeri debet. 82 23

Legatũ pauperibus relictũ, pium vocatur. 365.10

Lega-

Legatum per incertitudinem; quæ ex eventu futuro certificanda venit, non vitiatur. 32.28
Legatum pro quapiam maritanda relictum debetur, etiamsi tempore, quo testamentum condebatur, maritata esset. 80,14 654,22
Legatum prolibus factum naturalibus, in alimentorum illis debitorum recempensationem, factam censetur. 422 2
Legatum quando pro dato habeatur. 350 6
Legatum quod ad certum pium usum relictum fuit, sine Pontificis auctoritate non potest ad alium pium usum converti. 382.1
Legatum quod alicui post mortem cujusdam tertij relinquitur, non est purum, sed conditionale. 349,1.351.8
Legatum, quod spiritualitatem concernit, in usus alios converti non potest. 382.5
Leges futuris regulas imponere, calumnias verò præteritis excitare non debent. 270.45
Leges, metus, periculi scandalive vitandi causa, licitè violantur. 126.35
Leges posteriores prævalent priorib. 84 52
Legitima filijs debita, ex parentum donatione suppleri debet. 52.4
Legitima filio non debetur ante patris mortem. 389.11
Legitima liberis debetur sine ullo gravamine; quod appositum lex tollit. 604 8
Legitima liberis naturalibus & legitimis, qualiter debeatur. 381.4
Legitima liberis statim post patris mortem debetur libera. 752.18
Legitima, loco alimenti est à jure scripto introducta, & per statutum consuetudinemque minui potest. ibid 19
Legitima non augetur ex incremento, post mortem patris, casualiter subsecuto, extraneis hæredibus institutis. 390.12
Legitima non intelligitur esse enunciata, in generali hæreditatis renunciatione, nisi de eo speciatim fiat mentio. 252.5
Legitima se non extendit ultra trientem, liberis tantummodo quatuor existentibus. 253.7
Legitimatio prolis, matrimonij veritatem non requirit: cum quævis alia colorata, sed tamen è bona fide resultans, possessio sufficiat. 428.13
Levantes pedagium à transeuntibus per viam publicam, edictis, ne levent, possunt prohiberi, nisi principis permissu faciant. 13.3
Lex ab ingressu religionis retrahens, absurdum reputatur continere. 742.19
Lex canònve propter aliquid faciens ad titulum, sub quo reperitur, sufficiens est, licet alibi verbatim habeatur. 38.15
Lex correctoria, reducens ad jus commune, extensionem admittit. 758.6
Lex debet esse justa, rationabilis, possibilis communis, pròque conveniens. 512 3
Lex in dubio sic est intelligenda, ut loquatur de materia tituli, sub quo sita est. 71.29
Lex nova correctoria, reducens ad jus commune, tanquam favorabilis, extenditur. 713.18
Lex plenam, perfectam, legitimamque requirit, in ultimis voluntatibus, probationem, ne quid falsitatis facilè posset admitti. 676.13
Lex principis, & patriæ, semper justa præsumitur. 406.18
Lex, si chirographũ, de probat. limitatur. 616.12
Lex varios habens intellectus, non potest validè, efficaciter & præcisè ad decisionem alicujus causæ allegari. 74.7.204.42
Lex voluntatem testatoris pedetentim sequi dicitur, non alitur ac venator leporem. 24.3
Libellus lite contestata mutari non potest. 344.3
Libellus non concludens à judice vel ipsa parte non petente reijci debet. 477.9
Libellus probatio & sententia debet esse conformia. 531.4.532.11
Libellus quidnam continere debeat. 189 1
Liberalitas in uno casu, non arguit liberalitatẽ vel renunciationem mox in alio. 712.16
Liberatio cuipiam ad vitam suam concessa, nihil prodest hæredi. 715.1
Liberi magis privilegiati sunt, quam pia causa. 579.6
Liberos habere, non ex hominis, sed Dei voluntate pendet. 540 15
Libertas ad molendinum episcopi accedendi, per laicorum statutum non impeditur. 208.55
Libertas contra vectigalis exactionem præscribi potest. 14.17
Libertas in futurorem creditorum fraudem data, per ipsos creditores fraudatos revocatur. 734.15
Libertas non solvendi decimas, an præscriptione possit acquiri. 657.15
Libertas qualiter relinqui debeat. 580 13
Libertas telonium non solvendi, tam contra fiscum quam privatum, præscriptione potest acquiri. 370.6
Limitata causa limitatum producit effectũ. 541.2 728 6
Lis inter patrem filiumque nulla potest esse. 652,6 654,19
Literæ ad beneficia, propter impetrantium ambitionem, sunt stricti juris. 279.20
Literæ contra communẽ solitumque curiæ stylũ, cõscriptæ, de falso suspectæ præsumũtur. 276.5
Literæ dispensationis quomodo fiant de falso suspectæ. 694.6
Literæ Papales etiam narrativæ pro veris sunt recipiendæ. 705.23
Literæ represialiarum intelliguntur odiosæ, quæ sine præjudicio tertij, de provincia, contra quã dantur, nõ existẽtis, sunt indultæ. 109,5.111,18
Locus contractus alicujus duobus modis dicitur. 333.11.335.18
Locus in duplici contractu qualisnam veniat ponderandus. 337.27

Locus sepulturæ, sitne de jure solvendus. 153.5
Locus solutioni destinatus, quando sit inspiciendus. 336,23.337,24:25
Lucrum antenuptiale duwarium dicitur. 150,10
Lucrum damnumq; sunt in societate communia. 704.13
Lucrum dotis perditur, uxore perdita. 357.4
Lucrum quod filius è pecunia patris acquisivit, filione præjudicare debeat. 377.1
Ludovicus Romanus, invẽtor novitatum, propriaque dicitur inniti sapientiæ. 423.7

M.

MAgistratus, utilitatem publicam, commodo privato, tenetur præferre. 512.5
Mala fides defuncti etiam in hærede existimatur durare, licet is re vera sit in bona fide constitutus. 673.6
Mala fides prælati defuncti, non nocebit ejus successori. ib,14
Malitia hominum potius reprehendenda, quàm admittenda. 59.2 629,20.735,18
Malum, quod est minus, è duobus propositis, est eligendum. 764.6
Mandans illicitum, mandasse videtur illa omnia, quæ verisimiliter concomitari poterant. 21.15
Mandata principum sic intelligenda sunt omnia, ut secundum clausulam, Salvo jore tertij, nemini præjudicent. 726.11
Mandatum ad agendum, ex instrumentorum traditione, concessum censetur. 677.4
Mandatum, de sui natura est revocabile. 67.4
Mandatum expirat, quando mortuo, mandatore res adhuc est integra. 131,66.147,9
Mandatũne mãdãtis morte semper expiret. 287.16
Mandatum pœnale justum metum inducit. 170.7
Maria, fluminaq; publica, de jure naturali, cunctis navigare volentibus, sunt libera. 13,1.396.1
Maritus, fundum dotalem, per uxorem alienatum, consensu ab initio adhibito, pœnaque apposita non obstantibus, vendicare potest. 67,1. 9,23
Maritus impẽsas, in rebus dotalibus, ad perpetuam utilitatem factas, ab hæredibus post solutum matrimonium potest repetere, sine ulla fructuum deductione vel compensatione. 699.1:2
Maritus in bonis uxoris, liberis & consanguineis extantibus non succedit. 75.1
Maritus, matrimonio constante, fructus lucrabitur. 107.7
Maritus uxori ad secunda vota convolanti, plusquam in viduitate permanenti, providere voluisse non præsumitur. 758.8
Maritus uxori, & uxor marito legata relinquere, & hæredes invicem possunt instituere. 751.16
Maritus uxori præstare tenetur alimenta. 652.4
Maritus uxori testamentum facienti consentiens, illud revocare non potest 147.6
Maritus, uxoris nomine, sine mandato, non potest agere: nisi agat pro ea, ut conjuncta persona; tunc enim de rato caves admittitur. 677.1.4
Masculus non modò fœminam, sed ex ea quoque natum, in feudi successione excludit. 324.9
Materia impetrationis literarũ, pro beneficijs obtinendis, ambitiosa dicitur, ideoq; est restringenda. 645.11
Materiæ quotidianæ, non sunt summodò digito duntaxat attingendæ. 259.4
Materiæ suppressionis, unionis, annexionis & incorporationis, ubinam tractentur. 445.3
Materiæ testamentorũ postremarumq; voluntatũ, plenã, legitimamq; requirunt probationẽ. 474.5
Materiam remissionis peccatorum nec amare nec etiã strictè decet expeditve interpretari 559.4
Matrimonia ab omni coactione, extra consensum partium, veniente, libera debent esse. 645.8
Matrimonium, ad confessionem etiam utriusque conjugis, affinitatem præcessisse dicentis, separandum non est. 356.1
Matrimonium, per verba reciproca clara, nec non per ipsos contrahentes intellecta, verbis contractum fuisse patet. 97.1
Matrimonium qualiter probetur. 425.1
Matrimonium quando dicatur in ecclesiæ facie contractum. 429.16
Matrimonium quibusnam verbis contrahatur. 484,16.643,3
Matrimonium, quod metu contrahitur, est ipso jure nullum. 101.21
Matrimonium solutum facit, ut ad mulierem dos, sed ad utrum donatio propter nuptias, revertatur, nisi contrarium est statutum. 515.1
Media per extrema, extrema per media declarari solent. 163.8
Mendax precator, propter surreptionem, impertatis planè carere debet. 271,5 2.279,12
Mens contrahentium è cõjecturis etiam collecta, diligenter est inspicienda. 397,11.710,3
Mens contrahentium vel statuentium, ex communi loquendi usu, elicitur. 649.4
Mẽs disponẽtis quomodo cõjecturis debeat. 163.11
Mens è personæ qualitate consideratur. 130 56
Mens intentioq; testatoris est attendenda. 454.10
Mens promittentis, è præcedentibus, consequentibusque facilè colligitur. 540,12
Mentio literarum, ratione defectus impetrantis nullarum, in impetratione, secundarum necessariò non est facienda. 277,10
Mentio specialis, specialitatis notã designat. 212.6
Mercator, de precio fidem non habens, alijs creditoribus in re vendita præfertur. 737.9
Merces venales. an uxori, pro donatione propter nuptias, sint hypothecatæ. 330.1
Metus conditionalis, libertatem consensus excludit 100,18
Metus in muliere minor, quàm in viro sufficit. 102.29.488,5
Metus per verba, Sponte facio, propter metum passum prolata, tantum abest ut purgetur, ut etiam geminetur. 100 16

Metus purgatur, quando & longo intervallo fit actus in contrarium. 101.25
Metus quando præsumatur illatus. 45.12
Metus sub timoris spiritu nunquã purgatur 101.22
Metus tandiu durare præsumitur, quandiu non est purgatus. 104.34
Minor propter damnum casualiter contingens, non restituitur. 522.17
Minor transigens, vel renuncians alimentis, cum juramento quoque nihil agit. 293.2
Minores, nisi concurrat enormis læsio, qualis ipsorùmmet facilitate, vel adversarij dolo contigisse probatur, non restituuntur. 389.7
Minus, in dubio, favore piæ causæ, venire non solet. 91 12
Minus sequitur majus. 461.13
Missio in bonorum possessionem, defuncti vel hæredis, ob non solutionem satisdationemve legati fieri potest. 329 1
Mittere in possessionem, mixti juris est. ibid.3
Moderni brevitate gaudent. 43.1
Modicitas temporis, præjudicium quoque modicum præsumi facit. 732.17
Modicum non curatur in jure. 535.4.7
Monachi contra suum Abbatem, & uxor contra maritũ agentes, unde habeant expensas. 514.14
Monachi qualiter pro mortuis habendi. 745.39
Monasteria, loco hæredum, in bonis personarum ipsa ingredientium, numerantur. 589.20
Monasterium, an ex persona sui religiosi, possit in bonis feudalibus succedere. 739.1
Monasterium quoque monialium, à seculari principe, feudum tenere potest. 740 9
Moneta solutionis annalium redituum, qualis esse debeat. 331.1
Mora contrahi dicitur, in destinatæ solutionis loco. 333.10
Mora non est, ubi nulla petitio. 407.21
Mors est certissima, & hora mortis incertissima. 351.7
Mos regionis, in qua contractus est celebratus, venit attendendus. 331.2.335.17
Mulier, ad secunda convolans vota, qualiter quibusque de bonis testari possit. 762.31
Mulier ad secunda vota transiens, proprietatem bonorum, ex antenuptiali contractu aliove titulo lucrativo acquisitorum perdit, solumque retinet usum fructum. 761.26
Mulier, alienationi donationis propter nuptias consentiens, non præjudicat sibi, sine lapsu biennij. 68.13
Mulier, beneficio Velleiani renuncians, an quandòve teneatur. 392.21
Mulier indota contemnitur à viro. 80.12
Mulier in dote creditoribus anterioribus etiam præfertur, licet habeant hypothecam tacitam, quando nẽpe dotans de evictione tenetur. 231.1
Mulier in extranei præjudicium de dote testari nequit. 469.5
Mulier legitimæ ætatis, non conjugata, de boni suis tam in ultima voluntate, quàm inter vivos maximè in remunerationem acceptorum beneficiorum, pro libitu potest disponere. 608 1
Muliérne de dote, in præjudicium extranei potestatem in illa habentis testari possit. 556.5
Mulier (non autem virgo) impediri potest, ne nubat, nisi ad secunda vota convolando legatum velit amittere. 71.32
Mulier omnibus alijs creditoribus, posterioribus & anterioribus, expressam non habentibus hypothecam præfertur. 681.14
Mulier, quæ ad legitimam ætatem pervenit, de bonis suis, instar masculi, pro libitu suæ voluntatis disponere potest. 105.1
Mulier quantũ marito suo secũdo possit relinquere, liberis è præcedenti matrimonio superstitibus. 464 29
Mulieres facilè minis, blanditijs & pollicitationibus seducuntur. 546.1
Mulieres, in contractibus principalibus, viris æquiparantur. 169.20
Mulieres rebus ijs, quæ servando servari queunt, annumerari solent. 653.14
Multa dicuntur esse notoria, quæ tamen non sunt. 128.48
Multa impediunt fienda, quæ jam facta non tollunt. 740.5
Multa tolerantur per patientiam, quæ si forent in judicium deducta, non tolerarentur. 206.51
Multum interest, an aliquid ipso jure sit nullm, an verò exceptionis ope. 692.16
Mutare non licet consilium in alterius detrimentum. 69.17
Mutatio voluntatis, seu consensus revocatio, per quatuor impeditur. 70.25
Mutuum sub quànam reddi debeat æstimatione. 407.22

N.

Natura copulæ qualisnam sit, in dispositionibus. 759.15
Natura feudi, per pactum, in investitura mutari potest. 323.1
Natura possessorij recuperandæ duo requirit ad victoriam, ut nempe constet actorem pridem possedisse, ipsumque per alium fuisse spoliatum. 72.1
Natura taxativæ dictionis est restringere & omne alud excludere. 643.6
Naturalia differunt à substantialibus 568.32
Natus ex uxorato & soluta. censeatùrne natus è coitu dãnato, vel adulterinus dici possit. 645.2
Natus ex uxorato solutaque, successionis paternæ non est capax, nec ipsi ultra alimenta relinqui naturalisve dici non potest. ibid.3
Negligentia in officiario & prolato, &c. 682.2
Necessitas legi non subjacet. 291.4
Negligentia petitoris, nõ excusat cõsci. &c 673.7
Nemo censetur adeo bonorũ in capax, &c 785.38

Nemo

Nemo censetur aut excommunicatus aut suspensus, antè quàm declaretur. 128.51
Nemo cogitur invitus ad communionem. 460.10
Nemo de perjurio culpandus, qui falsum, idque scienter dolo seque non juravit. 63.4.227.5
Nemo dixisse præsumitur, quod mente non cogitavit. 577.5
Nemo in semetipsum potest exercere juridictionem. 131.61
Nemo jure sine culpa privatur, nisi causa subsit. 534.1.535.5
Nemo juri, quod ignorat sibi competere, credēdus est renunciasse. 71.37 294.8.636.6
Nemo liberalis est in necessitatibus. 93 3
Nemo nisi diffematus, convictus, confessus, vel in crimine deprehēsus, respōdere tenetur. 513.11
Nemo nisi fiscus seu princeps, de indignitate vel inhabilitate potest opponere. 742.17
Nemo, per casum fortuitum, verbaque generalia, se obligare voluisse, præsumitur. 680.7
Nemo potest esse judex in causa propria. 444.9
Nemo potest facere, quò jura, certam formam solennitatèmve in actu requirentia, in suo actu locum non habeant. 715 9
Nemo potest in domo sua, contra voluntatem, vel verbaliter vel realiter citari. 124.22
Nemo potest plus juris in alium transferre, quàm ipse habet. 575.3
Nemo præsumitur extraneum posteritati præferre velle. 246 7
Nemo præsumitur hæredes semetipso plus dilexisse. 342.3
Nemo præsumitur ignorare factū propriū. 429.18
Nemo presumitur magis erga neptes, quam filias affectus esse. 180.11
Nemo præsumitur omni exceptione major esse. 99.13
Nemo, principem in bonis suis successorem constituere voluisse, præsumitur. 721.10
Nemo sibi causam possessionis mutare potest, nisi nova causa interveniat à domino. 527.38
Nemo potest sibi auctoritatem in re propria præstare. 177.10.725.4
Nemo sine actione experitur. 133.1.742.6.774.2
Nemo sine hærede moritur. 32.29
Nemo suum velle jactarre censetur. 431.6.712.14
Nemo tenetur divinare. 4 7.8. 595.12
Nemo velle præsumitur, quod non est consuetum, tametsi sit possibile. 276.6
Nemo videtur, in mandato generali, facultatem impugnandi, ea quæ per ipsum rectè sunt disposita, dedisse. 364 5
Nemo ultra id quod promisit, aut pro alia re, quàm promisit, tenetur. 46.19
Nihil actum censetur, quandiu aliquid ad agendū super est. 606.3
Nisi, sequens orationem negativam. 643.2
Nepotes è filio naturali, ecclesiam vel piam causam ipsi substitutam excludunt. 688.15
Nepotes è filio substitutum extraneum excludunt: quod in nepotibus è filio naturali procreatis observatur. 688.13.14
Nomina debitorum in legatò quoque generali nō veniunt, nisi specialiter illud exprimatur. 254.
Nomina debitorum non veniunt appellatione mobilium. 616.141
Nominatio appellativa, affectionem vulgarem notat. 33 32
Nominatio singularis & specifica, singularem quoque significata affectionem. ib.32
Non appellare, vel appellationem non prosequi, paria censetur. 143.4
Non entis nullæ sunt qualitates. 277.9
Non esse, & non apparere pro paribus habentur. 44.6.74.9.95.5.277.12. 639.7.730.8. &c.
Non residens in ecclesia, vel præbenda, qualiter puniatur 642.1
Nos ibi distinguere non debemus, ubi lex non distinguit. 629.17
Notarij possunt instrumenti adijcere clausulas, si quidem substantiam actus non immutent, sed illum potius illustrent. 138.7
Not. sunt veluti Pica vel Psittacus, qui in palatijs dominorū stātes, sine intellectu loquūtur. 137.4
Not. in clausularum præsumuntur ignorare. 138.11
Notarius illa duntaxat agere potest, quæ ad rei gestæ confirmationem faciunt, substantia dispositionis non immutata. ib.9
Notarius in dubio censetur esse rogatus, ut clausulas apponi solitas, apponat. 590.5
Notarius investigare non debet, an testator sanæ mētis fuerit, nec ne, id ille rogari potest. 678.11
Notarius substantialia supplere nō potest. 138 10
Notarietas juris præsumptionem tollit. 234.4
Notarium non relevat ab onere proponendi, sed probandi. 532 9
Notorium sufficit allegatum. 426.7
Notorius defectus juris petētis attentatorū revocationem facit ut attentata revocari nō possint. 328.12
Nullus, actioni non oblata, potest experiri. 1.1
Numerus in testamento codicillisve requisitus, quis sit. 531.6
Numerus testium in testamento minui potest consuetudine, multò vero magis in donatione mortis causa. 622-8
Numerus testium, in testamentis & more causa donationibus, de jure civili requisitus, per canones hodie sublatis censetur. 767.11

O.

Oblatio consignatioque pecuniæ debitæ legitima quid operetur. 401.1
Oblatio realia, cū numeratione nec nō ostensione totius summæ, congruo loco temporeq; requiritur ad pecuniæ debitæ consignationem. 606 1
Oblationes in ecclesijs debentur curato. 153 8
Oblationes inter episcopum nec non ecclesiam, qualiter dividantur. 755.14

Obli-

Obligatlo accefforia corruit deftructa prinicipali. 104c 35
Obligatio acceffotia non immutat naturam principalis obligationis, fed ab ea vires capit. 37.11
Obligatio bonorum generalis, tantùm regulariter operari intelligatur, quantum fpecialis. 39.18
Obligatio bonorum non inducitur, nifi in cafibus, qui funt in juribus expreffi. 198.23
Obligatio extinguitur, fi in eum cafum inciderit, à quo non poeftt incipere. 533.1.534.8
Oblig. interdum, extra id, quod agitur, nafcitur. 20.10
Oblig. matris paffiva trãfit in ejus hæredes. 641 12
Obligatio nullas nafcitur è pacto conditionali, prius quâm extet conditio, 708.12
Obligatio perfonalis ad intereffe, per fucceffionem vel hæreditatis aditionem, confunditur. 41.27
Obligatio perfonalis præfcriptione tollitur, hypotheca tamen immanente. ib.29
Obligatio principalis accefforiam per confufionem, fi nimirum fidejuffor creditori & contrà fuccedat, fublatam, non tollit. 37,12
Oblig. principalis creditori cõpetens cõtra debitorẽ, uno ex fidejufforibus creditori folet extingui, nõ ipfo quidem jure, fed exceptionis ope. 661.4
Obligatio principalis non fubfiftens, acceflorium quoque facit corruere. 582.5
Obligatio quoq; per nuncium cõtrahi poteft. 670,10
Obligatus obnoxium reftitutioni rem reftituere, fructus etiam poft inchoatum judicium perceptos, reftituere tenetur. 703.4
Obfervatio diuturna, eft optima legũ interpres, 110.15
Obftaculum duntaxat unum è duobus tollere, non fufficit. 606,2
Occulta non funt publicanda. 513.12
Odiofa alterique præjudicantia, non funt extendenda, 16 28
Offendens delinquere non dicitur, quando, qui fuit offenfus, offendi jure potuit. 125.28
Offenfio clericorum pertinet ad Deum, 197.20
Officium judicis, contra fingularem poffefforem, quando detur. 554.11
Officium judicis eft requirendum, verbis edicti ceffantibus. 12 37
Officium cujufq; fuum, nemini debet effe damnofum. 513 9
Officiarius juratus, fi quid de officio fuo afferat, id ita creditur, ut fi nuncius juratus de fua citatione quid affirmet, ufque dum contrarium perfpiciatur. 642.2
Omiffio folennitatis, quam jus ipfum requirit, actum vitiat eodem jure. 293,5.321.5.473,2.675.9
Omnes jura fcire tenentur. 81.33
Onera perfonarum ecclefiafticarum quænam fint. 156,22.197,21
Onera hæreditaria qualiter, divifione bonorum facta, transferantur in hæredes. 585.1
Onera rerum, ratione perfonæ impofita, perfonalia non realia cenfentur. 209.59
Opinio communis Doctorum debet in judicando diligẽter obfervari. 71,31,79.3.367,7.423,6.655,25
Opinio dubia favens teftamento præ reliquis opinionibus dubijs eft eligenda, 291.5
Opinio gloffæ, Doctorum auctoritate confirmata, retinenda venit in judicando. 439.5.746,41
Opinio religioni, favens in dubio eft fervãda. 159.29
Oppofitum idem operatur in oppofito, quod propofitum in propofito. 681.9
Oratio indefinita par eft univerfali, quæ fuam particularem indebitè infert. 364.1 712.13
Orationes & lacrymæ, arma debet effe clericorum. 197,18.739,4
Ordinarius vel officialis ejus excõmunicatum, exemptũ ab excõmunicatione, nõ poteft abfolvere. 248.5
Ofculari literas offerẽdas, quidnam fignificet. 248.25
Ofculum vel annuli datio, matrimonium non probat nifi verba matrimonia præcefferint. 484.20,

P.

PActa contra rei naturalia in contractum deductæ appofita valent. 568.37
Pacta contractufq; juris gentium propriè funt. 162.5
Pacta conventionefque, maximè antenuptiales, fervari debent. 516 6
Pacta illicita, quæ non funt contra fubftantiam contractus, cui apponuntur, non vitiant, fed vitiantur. 564,14:15:16.17.565,18
Pacta, in contractu antenuptiali inita, fervari debent, modò non fint contra leges. 252,1:6
Pacta in ecclefiarũ fundatione appofita, nõ tolluntur, nifi de illis fpecialis expreffaq; fiat mentio. 265.29
Pacta legibus privatam concernentibus utilitatem, derogant. 641.14
Pacta privatorum, juri publico, in Reipub. favorem introducto, derogare non poffunt. 404,10
Pacta per procuratorũ quibus quũdoq; profint. 563.10
Pacta ftatutaq; libertati naturali contraria, funt ftricti juris, & contra allegantem debent explicari. 571.11
Pacta ftatutaque recipiunt interpretationem fuam à jure fcripto. 134.7
Pactio liberam teftamenti factionem impediens, nulla eft. 36,5
Pactum ad jus cõmune reducens, favorabile dicitur. 708.10
Pactum contrariarum fubftantiæ contractus non vitia, fed vitiatur, 569.40
Pactũ contra fubftãtiam rei in contractũ deductæ, totam difpofitionẽ nullam reddit & inutilẽ. 568.34
Pactum de bonis ejus, qui vivit adhuc factum non valet, nifi viventis ipfius confenfu fiat. 441.2.442,4
Pactum de futura fucceffione cõfervanda valet. 487.4
Pactum de futura fucceffione perdenda. an & quando valeat. 388,2.390,8
Pactum de non redimendo infra certum tempus, an vitiet contractum. 562,2.565.21
Pactum de non folvendo decimam, in locatione appofitum, non valet. 656 4
Pactum de poft certum tempus redimendo, non facit ufurarium cenferi contractum, nifi plures concurrant conjecturæ. 555.22
Pactum, de propria re non alienanda nihil valet. 38.13

4R

Pactum de retrovendendo, contractui emptionis appositum, quid operetur. 567.30
Pactum de retrovendēdo, contractum non facit usurarium, nisi originalis causa fuerit mutuum. 562.4
Pactum de retrovendendo post certum tempus valet, non aliter ac pactum de non solvendo, nisi certo tempore decurso. 563.7
Pactum, de succedendo inter paganos, est nullum, nec donationis vim causa mortis vel ultimæ voluntatis habet. 766,5.767,8.769,24
Pactum de succedendo mutuaque omnium bonorum inter fratres concessio, cùm reservatione facultatis testandi, qualiter differant. 769,20:25
Pactum de successione futura, quomodo fiat licitum. 708.16
Pactum in alicujus favorem appositum, in ipsius odium retorqueri non debet. 571 47
Pactum inutile dispositioni utili prius perfectæ oppositum, vitiatur non vitiat. 570 44
Pactum in præservationem indemnitatis, circa tempus faciendæ solutionis, appositum valet. 566.26
Pactum juratum, patri per filiam, de eidem non succedendo, factum valet. 233.1
Pactum liberam testandi facultatem impediens, tanquam contra bonos mores factū repudiatur 766.3
Pactum, mortis captatæ votum inducens, de jure non valet. 766.4.768.17
Pactum, ne vendens ante quinquennium, rem venditam redimere possit, contractui bona fide appositum valet. 566.27
Pactum nudum geminatum, actionem gignit. 753.4
Pactum obscurum, sicuti quoque scriptura ambigua, contra eum solet explicari, qui eo nititur. 711.6
Pactum per quod dolus futurus existimatur, non est servandum. 152.2
Pactum quo res ad suam reducitur naturam, favorabile reputatur. 713.17
Pactum quod aufert liberā testandi facultatē, si morte paciscentis confirmatur, valet inter liberos. 487.3
Pactum sive bonorum maternorū renunciatio patre superstite, fratre non consentiente, facta non valet. 106.5
Pactum stipulatiove, revocationem voluntatis ultimæ non impediunt. 485.4
Pannus in textura nondum completus, appellatione vestis venire non solet. 449.12
Papa de adulterio nō potest accusari: quod mulieri cū ipso adulterium committenti solet accidere. 717.7
Papa in beneficial. obtinet potestatē maximā. 260.5.10
Papa, item princeps, vel per eos aliquis deputatus, Notarium creandi potestatem habet. 256.10
Papa juri patronorum laicorum voluisse præjudicare, nunquam præsumitur. 264.25
Papa laicis patronis præjudicare potest, sic, ut ipsis non auditis vocatisve, conferat beneficia. 260.6 262.19.264.24
Papa noluisse censetur, quod non expressit 212.3
Papa non præsumitur in præjudicium tertij quicquam facere voluisse. 188.2
Papa potestatem habet omnium amplissimam. 260.9
Papa quando non sit audiendus. 170.8
Papa quomodo legatum, quod ad unum usum pium fuit collatum, possit in alium convertere. 382.2
Papa sæpè circumvenitur. 271.49
Papa semper uti præsumitur ordinaria potestate, sed non absoluta, nisi exprimatur clausa ex certa scientia. 263 23
Papa solus ab irregularitate potest absolvere clericum. 248.2
Papa solus in commendam beneficia dare num possit. 277.13
Papa solus privilegia per se data, interpretatur. 599.7
Papa super ignoto facto dispēsasse non præsumitur. 269.42
Papa vel princeps nō præsumitur alicui in jure cōpetēte præjudicare voluisse, nisi illud exprimat. 464.1
Parentes liberos plus amant quàm semetipsos. 687.10
Parentes oligati sunt, spurijs alimenta relinquere. 780.3
Parentes tum demum tenentur liberos nutrire, quando sustentari non possunt aliunde. 704.14
Pars in dubio stans pro testamento, favorabilis est. 289.19
Particula, Neuter, est plurium distributiva, non exclusiva præcedentium. 27.10
Partitio per judicium famil. hercisc. semel facta, non est amplius facienda. 585.3.586.7
Pater ad filiam dotandam judicis officio compelli potest. 53.5
Pater ad filias in feudis succedendis spem transmittere non potest. 179.6
Pater ad inveniendum filiæ maritum, & ad eandem dotandam copulativè astringitur. 80 11.652.9
Pater alimentare filiam non tenetur, si aliunde habeat, unde vivat. 652.3
Pater donationem mortis causa, quam filius eo consentiente fecit, morteque postea confirmavit, revocare non potest. 147.8
Pater dotem filiæ viduæ pro secundo marito conservare tenetur. 80.13
Pater & filius, anne duo beneficia uniformia, in una ecclesia possint obtinere. 316.3
Pater & filius in testamento, ordine successivo, videntur vocari. 28.13
Pater exhæredare filiam non potest, nisi vel in suum corpus delinquat, vel servo nubat. 654 23.24
Pater filiam, sine ipsius cōsensu honestè, licet indigno cuipiam nubentem, dotare tenetur. 80.10 653.10
Pater filij bonorum legitimus est administrator. 7.13
Pater filio donans aliquid in vita, dedisse videtur, ut illud datæ dotis instar imputet in legitima. 391.13
Pater filios, in legitima ipsis naturali lege debita gravare non potest. 252.4
Pater filium suum præsentare potest, tametsi semetipsum præsentare non queat. 177.11
Pater illam donationem, quam filius è bonis paternis, patre consentiente, causa mortis alicui fecit, revocare potest. 86.7

Pater

Pater luxuriosè vivens, filiam meretricem tempore mortis exhæredare non potest. 164.17
Pater maternorum bonorum legitimus est administrator. 75.2
Pater pro bonis adventitijs liberorum, sine mandato, potest agere, in quibus bonis ipse possideat usumfructum. 417.5
Pater processum, qui per arrestum contra bona, filio suo obligata, fuit inchoatus, impedire potest. 416.3
Pater proprio nomine conventus & cōdemnatus, bona liberorū obligare vel distrahere non potest. 7.14
Pater quoad bona liberorum materna, administratorio saltem nomine, veluti legitimus tutor, actionem potest intentare. 75.3
Pater, qui conditionem, ut filiæ nuptiæ fiant, nō quærit, eas prohibere videtur. 81,16.653,13
Patronus, collationi de beneficio ad patronatum spectante, per alium factæ, consentire videtur, si infra tempus juris, alium non præsentet. 267.36
Pauperes domestici qui propriè dicantur. 383.8
Paupertas à periclitatione juris excusat. 143.5
Peccata tantò graviora fiunt, quantò diutius infelicem animam detinent alligatam. 657.18
Pecunia ad emptionem immobilium destinata, rebus immobilibus annumeratur. 90.8
Pendentia litis, inducitur per solam citationem. 437.8
Pendentia litis interrumpit præscriptionem. 535.3:7
Per se, vel relationem ad aliud, aliquid esse certum, paria sunt. 396.7
Percipiens fructus, onus quoque reale sustinere cogitur. 553.7.633.4
Perduratio qualitatis, efficientem causam concernentis, non requiritur. 308.3
Peregrinari competit omnibus hominibus 599.5
Perfectio codicillorum, quinque testium præsentia constituitur. 286,15
Periculum pecuniæ debitæ, prius quàm solvatur, est ipsius debitoris. 339.33
Peritia juris parva, periculosior est quàm nulla. 62.25
Perjurus licet emendaverit se, fide tamen indignus est existimandus. 45,10,482,8
Permissum censetur, quicquid prohibitum non censetur. 681.12
Permutatio beneficiorum, per episcopum facta, quādo retractetur. 184.13
Permutatio beneficiorum, per episcopum facta, quando valeat. 176.4
Permutatio per aliquem facta, de re non sua, nihil valet. 468.1
Persona domestica producens instrumentum cancellatum, probare tenetur, illud ad se creditoris voluntate pervenisse. 615,5 616,9
Persona patris, ejus liberis honesta sanctaque semper videri debet. 232.9
Persona religiosa metum inferre voluisse non præsumitur. 100.15
Personæ, quibus istæ qualitates competunt, ex quibus eas legator, cum eis aliquid legando neminem nominaret, intelligi vellet, admittendæ sunt 32.25
Pestis nulla tam efficax ad nocendum, quàm familiaris amicus. 616.11
Petere, petereque velle, sunt diversa. 730.6
Petitorium absorbet possessorium. 635.4
Petitorium, contra possessorem, potest utiliter intentari. 635.2
Petitorium excedit possessorium in executione: possessorium verò petitorium in cognitione. 637.16
Pietas erga pauperes domesticos magis quàm extraneos exerceri debet. 92.20
Pignus in re propria consistere non potest. 770,4. 772,15
Pignus ipso jure liberatur, quando tantum ex fructibus, ad quantum sors ascendit, perceptum fuit. 8,18
Pignus nuda conventione contrahitur. 95.6
Pignus remanet in dominio debitoris. 9,24
Plenitudo gratiæ non eget adjectione. 757,2
Pluralitas in singularitates resolvitur, quoties ad actus diversos ordinatur. 720.9
Pluralitas vinculorum non efficit, ut aliquis in propinquiore gradu esse censeatur. 213.2
Pluralitas vinculorum, non solet in patruelibus attendi. ibid.3
Pluralitas vinculorum ultra fratres fratrumque filios non attenditur. 213.1
Plus consuetudine potuit introduci, quàm fuit usitatum. 523.15
Plus non posset venire, ex tacita conjecturata voluntate sermonis generalis, quàm expressa. 246.11
Plus non venit in ex stipulatu actione, quam dictum fuit. 685,4
Plures rei debendi, qualiter teneantur. 189.2
Pœna correcta censetur, ubi vitium fuerit correctū. 652.8
Pœna juris adaugeri, sine causa non potest: quinimò judex faciens contrà, meretur infamiam. 443.6
Pœna, quæ testamento non valido fuit inserta, pro nulla censetur. 312.15
Pœna res ecclesiasticas alienantis. 321.8
Pœna specialis alicujus constitutionis, ut rectè constituatur, oportet, ut omnes ejus qualitates in casu de quo agitur, verificentur. 128.47
Pœnæ potius molliendæ sunt in dubijs, quàm exasperandæ. 303,4
Pœnæ. propter scandalum, delictique frequentiam solent adaugeri. 303.3
Pœnitentia ejus, qui semel consensit, alteri jus, ex illo consensu quæsitum non aufert. 284.5
Pontificis dignitati, ab omnibus etiam forensibus, est deferendum. 125.26
Portio substitutionis titulo venditionis & emptionis gravata, in substituti præjudicium, efficaciter transferri non potest. 723.23
Portus insulæ, pars insulæ reputatur. 111.17.
Possessio animo haberi, civiliterque retineri potest 636.8
Possessio ex contractu donatione, legato denique vel inutili, transferri potest. 522,19. 526,34. 527,40

Possessio existēs apud alium, per actus fictos non trāsfertur, nisi consensus factumve possidentis interveniat. 463.24.524.29
Possessio injusta, jus actionemve non tribui. 637.14
Possessio, in mixtæ naturæ possessorijs, absque titulo non concluditur, in quibus etiam possessorium dari non consuevit. 326.4
Possessio non transfertur aspectu vel verbis. si quis alius est in possessione. 463.25
Possessio quoq; trāsfertur ex titulo nō valido. 462.23
Possessio transfertur solo aspectu & verbi, ubi quis est in rei conspectu. 325.31
Possessor beneficij quando debeat ab executore Apostolico vocari. 445.4
Possess. bonæ fidei, fructus perceptos suos facit. 703,8
Possessor hæreditatis, qui bonæ fidei dicitur, illam restituere condemnatus retentionis bonorum jure potest uti, quoad sibi de dhebetis æreditarijs per ipsum dissolutis fuerit satisfa&cum. 379 1
Possessor mala fidei, fructus perceptos restituere tenetur. 635.3
Possessori est litis con testationem, constituitur in mala fide, fructusque suos facere non potest, multo magis post sententiam in petstorio latā. 637.12
Possessores, lite contestata, pares sunt omnes. ib. 13
Possidere in solidum, & pro indiviso, deferunt. 461 14
Potentia nocendi inhabitu, in actu & exercitio mulieribus reputantur. 101 27
Potestas alicui concessa, secundum juris ordinem, venit examinanda. 595.10
Potestas contra publicam utilitatem disponendi, in generali concessione non venit. 513.8
Potestas papæ disputando non excutienda. 272.55
Præcedentia per sequentia semper in dubio sunt declaranda, sicque contra. 186,21 443,4. &c.
Præceptum de non alienando, si non nudum, quid operetur. 541.4
Precium justum, præsumptionem contractus illiciti, nec non usurarij, cessare facit. 563.8
Precium ut injustum dicatur, tempus contractus inspicitur. 534.7
Præda restituendus est, si vim sibi verè factam fuisse, demonstrare possit, aliâs non. 10.28
Prælati ecclesiarum, quomodo procuratorem debeant constituere. 639.3
Prælati non temerè sunt accusandi. 59.4
Prælatus pensionem de re litigiosa cū conventu suo recipiens, eccesiæ præjudicat. 398.14
Præscriptio an & quando sine possessione procedat, 672 3
Præscriprio cōtra ea, quæ contra functiones publicas præstantum non currit. 15.21
Præscriptio contra fiscum in rebus inteorporandis, quadriennio completur. 692.12
Præscriptio dormire dicitur ætate pupillari. 592.3
Præscripti ibertatis, in contra servitutē, favorabilior est, quàm servitutis contra libertatem. 15.18
Præscriptio, non currit, agere non valenti. 592.4
Præscriptio semel ritè perfecta, propter alienæ rei scientiam postea supervenientem, in foro etiam conscientia non retractatur, 533.4
Præscriptio temporis, cujus initij memoria non extat, omne jus actionemqve tollit. 672.1
Præscriptum intelligitur tantum, quantum possessum. 14.15
Præsentatio vel nominatio jus in ad re non tribuit, sed ad rem. 186.12
Præsentia judicis, metus præsumptionem cessare facit, 102 98
Præsentia presbyteri parochialis, excludit præsumptionem fraudis. 531.7
Præsentia subscriptioque alicnjus, in actu præjudiciali plurimum valet. 54.12
Præstatio alimentorum pia est, ideoque facilius in illis, quam reliquis animus donādi præsumitur. 378.6
Præsumptio delicti exclusiva, in dubio capi solet. 129.38
Præsumptio donationis aut remissionis est nunquam capienda, ubi allia locum habere potest. 615 7
Præsumptio juris onus probandi, in contrarium dicentes, transfert. 14.14
Præsumptio malæ fidei, lapsu temporis, excedentis hominum memoriam, tollitur. 673.12
Præsumptio renuuciationis nunquam capitur quoties alia prætercam cadit. 112.24
Præsumptio validior elidit infirmiorem. 616.10
Prætor curabit sedulo, ut patres sint concordes. 609.7
Prætor non curat modica. 651.3
Primogenitus è consuetudine solus in regno succedens, ad recōpensam secundogenito tenetur. 247.12
Primus post vasalli, possessoris ultimi, mortem, feudum agnoscens, & à domino investituram accipiens, in possessionve potior est. 542.1.543.4
Princeps banniti bona in præjudicium illius, in quem translata sunt, restituere non potest. 8.23
Princeps in dubio, nunquam intelligitur velle tolleue jus tertio quæsitum. 268.39.270.44
Princeps, justiciæ fons, & lex animata, dicitur. 514.13
Princeps legibus merè positivis, est solutus, 166,25
Princeps obligatur etiam ex contractu. 108,2.157.26. 126 3.268,40
Princeps solus incapacitatis maculam tollit, idque in testatoris potestate non consistit. 630.27
Princeps subditos suos circumvenire, vel eisdem laqueum injicere velle non præsumitur, 407.20
Principale semper est considerandum. 147.7
Principalis, proprer injuriam, per procuratorem cuipiam illatam, conveniri non potest. 173.3
Principium inspiciendum est, cùm verbo, ordinationem & principium significanti, qualitas adiicitur. Secus autem fit, cum additur verbo, processum tēporis, effectum vel executionem declaranti. 29 19
Priori declarant posteriora, sicut hæc illa vicissim. 228.9
Privatio jure non inducitur nisi in casibus expressis in eodem jure. 439.7.440.10
Privatio lucri, in aliquam personam radicati, pro damno reputatur. 664.1

Privi-

Privilegia ecclesiæ quænam sint. 193.2
Privilegia piorum legatorum. 687 4
Privilegia regulariter uni dātur,ex gratia, sine causæ cognitione, contraque jus ipsum, quapropter ex causa possunt revocari. 373.17
Privilegiatus privato succedens,pro futuro tempore utitur jure proprio,nou jure privati, licet aliter eveniat de tempore præter to. 210 6 5
Privilegium ecclesiæ concessum,per ecclesiasticarum personarum contraventionem non amittitur. 112, 23
Privilegium principis, præcipuè verò quod in vim contractus transivit,semper omninò manebit.109.4
Privilegium quando amittatur. 166.23
Privilegium, quando ex privilegiantis mente comprehendi potest,ad casum quoque non expressum solet extendi. 165.21
Priivlegium quod alicui jure competit,ad hæredes ejus transit. 5.5
Privilegium subditis concessum,illis à principe, sine justa causa,non potest auferri. 166.26
Probatio actoris, aliâs etiam qualificati, dubia debilitataque non relevat. 678.12
Probatio contra factum principis non admittitur. 5,6.6'9.8,20
Probatio contra præsumptionem juris,& de jure directè contraria non admittitur, sed indirectè conria solet admitti. 547.9
Probatio copulæ carnalis, est difficilima. 358.10
Probatio dubia probantem non relevat.114.7.432,10
Probatione cōtra literas scabinales admittatur.546,8
Probatio per testes & confessionē,æquiparantur,quatenus concernit præjudicium confitentis. 579 3
Probatio plena,per semiplenam vel non concludentē probationem,debilitari vel elidi non potest,452,2
Probatio sola per famam,sufficit in antiquis 431.8
Probationes imperfectæ complures, ad plenam fidem faciendam conjungi debent. 358.8
Probationes, inquisitione super crimine jam facta, super fama locum non habent. 344.4
Probra convicinique prorsus in judicijs locum non habebunt. 373.2
Procedinē possit ad bonorum venditionem debitore comparente. 417.6
Processus edictum, contra clericum malitiosè latitantem,concessus est. 468.6
Procurator est,qui aliena negotia, domini mandato. solet administrare. 639,2
Procurator mandati fines excedēs nulliter agi.569.41
Procurator qui negligentet & dolosè domini causam defendit,teneur. 6.11
Procurator simpliciter ad finejubendum constitutus, an ordinis beneficio renunciare possit. 28.15
Prohibitio alienationis, in contractu inter vivos facta,non impedit dominij translationē.238,1.240,11
Prohibitio alienationis,inter coutrahentes, non imdedit validitatem actus in contrarium gesti, nec transactionem dominij,sed promittentem duntaxat obligat ad interesse. 36,8
Prohibitio personalis,non extenditur ad personam non prohibitam. 541,1
Prohibitus testari,favore alterius,ne quidem ad piam causam potest relinquere. 313.13
Proles legitima testatoris,an & quando conditionaliter substitutum soleat excludere. 722,20
Promissio à carcerato in incarcerantis vel etiam participantis favorem facta, pro nulla censetur,maximè quando incarceratio est injusta. 298.1
Promissio, amplius nihil petere,quomodo sit intelligenda. 696.13
Promissio de non alienando, non impedit alienationē, quæ fit in ultima voluntate. 35,2.40,24
Promisio de non vendendo, non includit hæredis institutionem,sicque testamenti factionem non impedit. 40.25
Promissio liberam testamenti factionem impediens, etiam jurata, ne quidem naturalem inducit obligationem. 146.4
Promissio obscura,secundum rei interpretationem, est intelligenda. 776 8
Promissor facti,si solvat interesse liberatur. 405,14
Promittens alicui,vel literarum latori solvere, per quosnam conveniri possit. 774 4
Promittens alienum factum,non obligatur. 433 1
Promittens, alium quempiam quid ratum habiturum, polliceri videtur,effecturum sese ut ita fiat 434.4
Promittens inter vivos non vendere,non donare,&c. cum obligatione bonorum, nihil agit. 34,1.37,10
Promittens verbo simplici creditoris super expensis, dammis & interesse stare velle,num teneatur. 418, 1:2,419.6
Proniores ad solvendum,quam condemnandum debemus esse. 611.21
Proponens actionem ineptam,debet succūbere.355.7
Propositum in proposito idem operatur, quod oppositum in opposito. 571.5
Proprietas[,] non usufructus, appellatione bonorum venit. 760.18
Proprietas fundi ad alimenta legati transit ad hæredem legatarij, quod de usufructu similiter accipiendum. ib.19
Proprietas fundi alicui ad alimenta assignari, cui debeatur. 771.9
Proprietas quando relicta vel translata censeatur. 587,14 588,15:18.27
Proscriptio,sine bona fide,non procedit. 143.6
Protestatio facto contraria. nihil in ijs quæ à mera voluntate protestantis non dependent, operatur. 104.32
Proventus spirituales omnes,ecclesiæ parochiali debentur. 154.10
Provisio hominis, legis provisionem cessare facit. 29.20.188.31.515,3.666,15,715,3.717,7. &c.
Provisio,quæ facta fuit in unum casum, ad aliumsibi similem solet extendi. 134 10
Provisiones & gratiæ sunt omnes odiosæ. 276.7
Proximior in gradu,mortis tēpore, succedit defūcto intestato:secus si quis testamēto facto decesserit:

tunc enim tempus destituti testamenti solet inspici. 30.21
Proximitas personæ, à qua feudum vacat, in ejusdem successione non solet attendi, sed ejus, à qua incepit. 323.4
Publicani, ultra antiquam consuetudinem exigentes, sunt exilio mulctandi. 16.29
Punctus in oratione habet vim copulæ, 341.40
Pupillus actione personali contra tutorem agendo succumbens, actionem realem contra possessorem potest intentare. 662.7
Pupillus ad consequendam indemnitatem, actionem personalem habet cōtra tutorem & realem vel hypothecariam contra rei alienatæ possessorē. 661.1
Pupillus & civitas æquiparantur. 419.8
Pupillus ex administratione tutorum læsus, quos & qualiter convenire possit. 374,2.376,6
Pupillus in quarta, quam habet in bonis arrogatoris, gravari non debet, perinde ac filius in legitima. 362.1
Puritas conscientiæ nihil prodest, judicio rationis deficiente. 364.5

Q.

QVæ ad transactionem super alimentis requirantur. 293,3
Quæ bona veniant appellatione **ambocht** vel **ambochts gebolch.** 625.1
Quæ certam semper habuerunt observationem. mutanda non erunt. 16,26.158,27,456,4
Quæ concomitantur sentētiam, eodem die, quo principale expeditur, expedientur. 730.3
Quæ contra jus fiunt pro infectis habentur. 159,6. 321,4.630,24
Quæ dicuntur in præfationibus, quando censeantur in fine fuisse repetita. 749.6
Quæ facti sunt vel in facto consistunt, non præsumuntur. 731.15
Quæ in beneficiorū resignatione requirantur. 278.14
Quæ in libello vel supplicatione porriguntur, pro confessis haberi possunt. 328.10
Quæ in specie verisimiliter non venirent, verbis generalibus non includuntur. 264.26
Quæ in testamento paterno requirantur, 84.30
Quæ locum habent in interpretante lege, ea locum similiter habent in interpretanda. 711.11
Quæ metum reverentialem cessare faciant. 393.24
Quæ moris consuetudinisque sunt, in judicijs bonæ fidei venire debent. 331.1
Quæ post litem contestatam obveniunt, in judicium non venisse judicantur. 34.41
Quæ requirantur ad cessationem à divinis rebus indicendam. 123.14
Quæ requirantur ad donationem perfectam. 621.15
Quæ requirantur ad introducendæ consuetudinis essentiam. 144.34
Quæ requirantur ad præscriptionem libertatis, contra servitutem urbani vel rustici prædij. 672.4
Quæ requirantur, ut aliquid notorium deprehendatur. 12745
Quæ requirantur, ut inhibitio legitima sit atque canonica. 174.2
Quæ requirantur, ut jus retractus habeat locū. 469.2
Quæ servanda veniant in electone. 411,6.412,8
Quæ speciali nota sunt digna, si subticeantur, videntur esse neglecta. 669.7
Quæ superabundant, scripturam vitiare non solent. 571.46
Quæ titulo oneroso per filios acquisita sunt, in collatione non veniunt. 629,21
Quæ tollunt facta, impediunt fienda. 123.19
Quæ veteres ecclesijs, earumque ministris soliti sunt tribuere, ea nullo modo eis auferri debent. 153.6
Quæstio de jure, ex ipsa re descendente secundū loci, ubi res est, consuetudinem terminari debet. 727.2
Quæstio feudalis per jura feudalia non satis clarè decisa, secundum jus commune scriptum determinari debet. 743.28
Quæstio feudi imperialis, Imperatoris arbitrio relinquitur, etiam inter clericos. 121.1
Quæstio feudi, per dominum feudi, terminanda venit. 122.8
Quæstio inter episcopum & capitulum exorta, per arbitros electos erit decidenda. 131.64
Quæstio possessoria beneficij reive spiritualis, per ecclesiasticum judicem, non aliter atque causa petitoria, transigi debet. 122.11
Quæstio, quæ dubitationem non admittit, est fatua. 61.19
Quæstio voluntatis defuncti, in boni judicis arbitrio consistit. 760.20
Quæstiones præjudiciales ante omnia sunt excutiendæ. 416,1.606,4
Quæstiones voluntatis semper sunt difficiles. 24.1
Qualitas ad actus præparationem necessaria, ab initio processus debet esse nota. 123.20
Qualitas adjecta verbo, secundum verbi tempus erit accipienda, 27.12 171,3.365,7.574,2
Qualitas in orationis una parte posita quando censeatur in alia repetita. 317.7
Qualitas personæ debet in acquisitionib. attēdi. 549.6
Qualitas personæ facit interdum, quòd præsumptio metus cesset. 129.54
Qualitas speciei præcedentis, in verbis sequentibus generalibus censetur esse repetita. 697.16
Qualitas verborum non est magnopere curanda, cum de mente loquentis apertè constat, 24.7
Qualitates novæ an intentatæ actioni possint addi. 596.13
Quanto tempore præscribatur annuæ præstationi. 673.15
Quasi, &, Quodammodo, dictiones, improprietatem designant 28.13
Qui cognoscit uxorem, post adulterium per eam commissum, licet id eam commisisse nesciat, bigamus efficitur, 467.7
Qui commodum sentire cupit, incommodum recusare debet, 205.48
Qui commorantur extra provinciam, vocandi non sunt

sunt ad electiones. 267.35
Qui consensit alienationi, minus sibi præjudicat, quàm qui alienat. 67.2
Qui contra fiscum respondet in dubijs rebus, delinquere non censetur. 692.13
Qui coram scabinis antea confessus est debitum, solutionem quoque probare potest. 547 11
Qui culpa vacat, puniendus non erit. 682.6
Qui damnum sentit sua culpa, sibi non alij debet illud imputare. 109,6.408,24
Qui dicantur in jure impediri. 600,1
Qui dicantur intestati decedere. 649,5
Qui dicit rem personámve debere servitutem, is tenetur illud probare. 13,4
Qui diminutionem patrimonij sui patitur, damnum sustinere dicitur. 63,2.226,1
Qui diu differt, debitum tamen remittere non videtur 766,4
Qui declarat aliquid, nihil novi facit. 61,17.601,7
Qui familiarium appellatione veniant intelligendi. 189,3
Qui fecit, quod licere sibi credidit, à dolo excusatur. 125.30
Qui fructus recipere debuit & potuit, eos recepisse censetur, licet non perceperit. 555,16
Qui fundum vicini jure familiaritatis ingreditur, eum possidere non dicitur. 525,32
Qui gerere non potest officiũ, vel impendere servitiũ, beneficium sive feudum non debet habere. 739,3
Qui gravatur in uno, meritò quidem sublevatur in alio. 93.4
Qui in publicum se exhibet, is latitare non videtur. 130,55
Qui instituit, idem privat & destituit. 468.5
Qui judicatæ rei exceptionem non opponit, eidem tacitè renunciasse præsumitur. 142.2
Qui juravit, aut promisit se testamentum revocare nolle, revocare potest. 343.7
Qui jure suo utitur, alteri non censetur injuriam facere. 374,18.594,5.663 12.&c.
Qui jus sibi competens abdicat à sese, ad id regressum habere non potest. 259,3
Qui leviter castigatur, castiganti exhibet reverentiam. 174,5
Qui matris vocem non exaudit, durus est. 559.4
Qui militem ignoravit, disciplinam contemnere non est dicendus. 126.39
Qui non facit id, quod facere debet, est in culpa. 63,3
Qui non prævidet quod prævidere debuit, est in culpa. 21,11
Qui opera malorum hominum utitur, culpæ reus est existimandus. 20,7
Qui patris vel avi hæreditatem non vult, ad collationem faciendam cogi nequit, etiamsi legatum sibi relictum retinere velit. 52,2
Qui personæ judex est, bonorum quoque judex esse censetur. 198,27
Qui pignus tenet, actione revocatoria non tenetur, modò fraus ex ipsius parte cesset. 736,4
Qui ponit aliquid, videtur illud confiteri. 523.24
Qui post fratres fratrumque filios in gradu proximior est, in feudo paterno remotiorem solet excludere: cùm contrarium fiat in feudo novo. 296.5
Qui potestatem instrumentorum producendorum ante sententiæ prolationem non habent, interdum habẽt post, præmissa nimirum cognitione. 5,7
Qui primò possessionem nanciscitur, potior est in re duobus simul donata 623,12
Qui quid auctoritate juris facit, injuriam facere non videtur. 178,16
Qui quondam Decurio fuit, ob pristinæ dignitatis memoriam, de jure neque torqueri, neque suspendi potest. 89,6
Qui rectè disposita vult in dubium vocare conditori legum facit injuriam. 61,16.519,6
Qui semel dominus extitit, dominus adhuc esse præsumitur, nisi de alienatione dominij cõstiterit. 228.10
Qui semel est liberatus, rursus impeti nõ debet 609,11
Qui semel est malus. semper in eodem mali genere, talis esse præsumitur. 631,30
Qui semel judicata rectéque disposita revolvere deq; novo disputare contendit, injuriam facere velle videtur. 74,40
Qui solem vult illustrare, superfluum laborem suscipit 3,2. & in alijs locis infinitis.
Qui solum lucrum amplectitur, onus autem subire non vult, ferendus non est. 700,4
Qui succedant in immortali feudo. 323,3
Qui tenet eroganda pauperibus, aliena rapere censetur. 383,6
Qui totum vult, sæpe totum perdit. 413,5.512,4
Qui vectigalia nova instituit, lege Iulia, de vi publica, tenetur. 13,7
Quicquid contra principis rescriptum fit. ipso jure est irritum & inane. 237,3
Quicquid in divinam committitur religionem, id in omnes commissum fuisse judicatur. 127,44
Quicquid in donationibus non reperitur verbis expressum, in illis contineri non censetur. 615,3
Quid debeatur ubi domus legata sit. 460,12
Quilibet alij sua bona post mortem donare potest, ita quòd exactio contra hæredem incipiat. 145.1
Quilibet de populo, potest agere pro dispositionis, ad pias causas, expletione. 687,1
Quilibet est rei suæ moderator & arbitor. 146,3. 166,24 526,34.708,11.733.3,&c.
Quilibet favori, sua causa introducto, renunciare potest. 177,13.355,5.568,35
Quilibet filios suos extraneis præferre voluisse præsumitur. 516,12.532,10
Quilibet in eo loco contraxisse, quo solvere promisit, intelligitur 332,5
Quilibet in fideicommissaria substitutione, propter electam fidem, separatim videtur rogatus. 721.14
Quilibet præsumitur voluisse, actum valere meliori modo, quo posset. 590,4
Qui dicatur in legem committere. 630,25
Quisnam dicatur possessionem suam defendere. 726,5

Quisnam ille sit, per quem preces offerantur principi, maximè in gratuitis. 57.21
Quispiam in re sua facere potest, quod sibi prosit, obsit alteri. 178.14
Quitatio generalis, post computum rationis facta, restringitur ad illa tantùm, de quibus est computatio. 696.14
Quod à bono viro factum fuit, bonum licitumque judicatur. 564 12
Quod à pluribus quæritur, invenitur facilius. 40.23
Quod à sensu contrario colligitur, pro expresso habetur. 346.2
Quod ab alijs audivimus, scire dicimur. 427.9 429.17
Quod ab eò qui jus dandi non habet, est datum, pro non dato reputatur. 185,17,311,11
Quod ab initio voluntatis est, id post consensum præstitum, necessitatis est. 645.9
Quod ab omnibus fieri consuevit, est diligenter ponderandum. 28.14
Quod ab unius voluntate dependet existimatur impossibile. 601.3
Quod ad aliud refertur, intelligirur secundum id, ad quodlsit relatio. 396.8
Quod ad centm tempus prohibetur, post illud permissum censetur. 714.2
Quod agitur principaliter, illud attendi solet. 642.4
Quod agitur plus valet, quàm quòd simulatè concipitur. 549.3
Quod agitur tacitè, quoad juris effectum, habetur pro expresso. 347.4
Quod alicui una via prohibetur, id alia via tentare prohibitus intelligitur. 177.9
Quod annis novissimis est factum fieri solitum dicitur. 164.16
Quod benè cœpit, ex eventu sinistro ruinam pati non debet. 409.27
Quod contra naturalem fit rationem, tolerandum non est. 574.6
Quod cum reliquis habeo commune, meum quoque dici potest. 150.6
Quod de jure non sortitur effectum, non præstat impedimentum. 692.15
Quod de lucro inter conjuges exprimitur, in damno quoque sibi locum vendicat. 699.3
Quod divini juris est, id nullius in bonis est. 72.4
Quod è conjectura colligi potest, pro expresso habetur. 666.14
Quod est in conditione, non est in obligatione, & ideò actio non oritur, antequam conditio in forma specifica sit impleta 754.8i
Quod est infra districtum, non est omne districtus subjectum. 536.9:10
Quod ex instrumenti serie constat, evidenter constare dicitur. 387 8
Quod ex mente legis & paciscentium venit, ex ipsa lege vel pacto venire dicitur. 516.10
Quod expressè prohibitum non est, licitum putatur. 768.16
Quod fieri debet, non id quod est factum, solet inspici. 167.29
Quod inæqualiter est factum, debet in melius emendari. 512.2
Quod in divinam committitur religionem, in omnium fit injuriam. 687.3
Quod inordinatè communiterque fit, illud non attenditur. 166.30
Quod jure communi conceditur, frustrà precibus imploratur. 275.2
Quod jure licitè commodeque possumus, posse censemur. 601 2
Quod legitimè fit, pœnam non meretur. 62,22 227,4.274,61 652,7
Quod lex dat, homo non potest auferre. 604,9
Quod meo nomine, voluntateque mea factum fuit, per me factum fuisse censetur. 299.4
Quod non probatur habitum, conservari non potest. 16.25
Quod omnes tanget, ab omnibus approbari debet. 198,22.383,7
Quod præsentiam, consensum, consiliúmve non nullorum requirit, id illis absentibus expeditum non valet. [illegible]6,6.148,15
Quod principaliter agitur, potius, quàm quod accessoriè sive secundariò venit, est considerandum. 332.6
Quod principi placet, animo condendi legem vigorem legis habet. 405,17
Quod propriũ conferentis est conferri dicitur. 628.7
Quodquis è sua persona consequi non potest, è persona tertij consequitur interdum. 456.1:5
Quod quis intus habet, frustra petit. 190.3,651,4
Quod satis est demunstratum, frustra demonstrarur amplies. 699.3
Quod sæpius iteratoque fit deliberatè fieri dicitur. 443.7
Quod secundum æquitatem licet, secundum honestatem decet, secundum utilitatem conducit, deprecanti non est denegandum. 689.18
Quod solite fit, factum fuisse præsumitur. 426 5
Quod verisimiliter dispositum fuisset, si disponens de eo fuisset interrogatus, habetur pro disposito. 347,6.448,9. 516.11.687,9
Quorum mentio facienda sit, in benificij impetratione. 281.22
Quot modis aliquis debitor efficiatur. 93.2

R.

RAptores, eorumque socij capite sunt plectendi. 98.6
Ratificatio non debet operari, nec intelligi in præjudiciũ tertij, vel juris tertio quæ siti facta. 277.11
Ratihabitio retrahitur & æquiparatur mãdato. 254.4
Ratihabitio retrahitur & per inde habetur, ac si quis ab initio consunsisset. 260.7
Ratio ab eo cujus coescientiæ aliquid relinquitur, exquiri nulla potest. 59,3.60.11
Ratio disponentem movens, ad extensionem dispositionis etiam potest adducì. 165.20

Ratio

Ratio eadem jus idem ſtatuit. 595.9
Ratio legis efficit, ut vel ſtrictè vel genaraliter intelligatur. 466.5
Ratio matrimonij benè tranſacti, conjecturam donationis inducit. 753 6
Ratio naturalis ad cauſarum decisionem licitè poteſt allegari. 338.31
Ratio naturalis vehementer eſt attendenda. 92 19
Ratio quæ moveret aliquem delegantem, legatum commiſſariùmve movere debet. 687.8
Ratio, quæ pro religione facit, eſt magna putāda. 91.11
Ratio, quæ quid contra naturam contractus eſſe factum demonſtret. 567.33
Recognitio donationis repetita, vim veræ diſpoſitionis habet. 670.12
Recognitio ſine expreſſione cauſæ facta, ſimulata præſumitur, neque valet. 546.5
Rectores eccleſiarum, ordinario loci, ſingulis annis de adminiſtratione ſuam rationem reddere tenentur. 152.1
Reddens debitori chirographum, debitum poſtea petere non poteſt. 476.4
Redditio rationis, reliquorumque conſignaio, tutori remitti nequit. 751.14
Reditus annuus ſuper eccleſiæ bonis conſtitui non poteſt, niſi forma juris obſervetur. 326.1
Reditus de ſui natura ſunt perpetui, & bonis immobilibus annumerantur. 567.32
Reditus unde fiat redimibilis. 557.31
Refectio pontium nec non viarum, pietatem concernit. 203.41
Regula juris communis obſervatur, niſi diſpoſitio vel exceptio ſpecialis appareat in contrariū. 278.15
Relatio acceſſorij ad principale, quando non admittatur. 167.28
Relatio falſa diſpoſitionem vitiare non debet. 255.8
Relatio ſemper ad præcedentia fieri debet, nedum quoad ſubſtantiam, ſed & quoad qualitatem. 211.2
Relatiuum ſubſtantiæ, in diverſis orationibus inducit orationem verbalem. 338.28
Relictum maritandis virginibus, in alios uſus converti nequit. 382.3
Religio in caſu dubio favorabilis ita debet eſſe, ut pro ea judicetur. 746.40
Religioſa ſunt, quæ religioſis adhærent. 199.26
Religioſus ante profeſſionem contrahens matrimonium, cenſuras potius ſuſtinebit, uxorique adhærebit, quam ut maneat in monaſterio. 466.1
Religioſus in judicio ſtandi, perſonam legitimam non habet. 236.2
Relinquens in teſtamento uxorem ſuam ommium bonorum dominam, cenſeaturne ipſi proprietatem reliquiſſe. 649.7.759.10.762.29
Relinquo, certæ rei vel quantitati adjectum, ad inſtitutionem non trahitur. 85.35
Remediū novi operis nūciationis, deſtructionisq; jus ei cujus ſolo quid extructū reperitur, cēpetit. 725.3
Remiſſio arreragiorum, propter quas cauſas fieri debeat. 402.3
Remiſſio debiti propter perſonarum conjunctionem præſumi ſolet. 448.8
Remiſſio penſionis, propter caſum fortuitum colono, qui decimam ſolvere non conſuevit, non eſt facienda: quòd ejus culpa fructus perijſſe præſumantur. 656.9
Remiſſio præſumi ſolet ex perſonarum qualitate, naturaliſque contrahentium affectione. 715.5
Remittens actionem ſuam, ad eum regreſſum non habet. 72,35.148,11.559,2.592,1
Rmittens debitū, diſtrahere, non contrahere dicitur. 470.4
Remittere, eſt dare. 632.29
Remuneratio decimam ſolventibus quanta promittatur, & contrà non ſolventibus quantæ pænæ ſint expectandæ. 656.10
Renuncians juri nondū delato, nihil agit. 487,2.728,7
Renuncians juris benificio, quando ſibi præjudicaſſe cenſeatur. 139.13
Renuncians omnibus juribus & bonis, quæ vel habet, vel habere ſperat, jure competeti ex cauſa præſenti renunciaſſe cenſetur. 72.39
Renuncians omni juri, ſibi in bonis in mortuaria domo repertis, competenti, an etiam fructibus perceptis renunciaſſe videatur. 703.3
Renuncians omni quod in alterius bonis aliquando ſibi competere poſſet, illi ſuccedere poteſt è teſtamento. 441.2
Renuncians ſucceſſioni paternæ, id quod ſibi à parentibus donatum fuerit, retinere poteſt. 629.16
Renunciatio ad ignorata, incognita vel non expreſſa, non ſolet extendi. 703.6
Renunciatio etiam expreſſa non extenditur ad ignorata, tacita vero multo minus. 592.6
Renunciatio hæreditatis, eius qui non conſenſit, nullius eſt momenti. 234,9.235,11
Renunciatio hæreditatis jurata, facta per liberos, anne valeat. 233.3
Renunciatio patris, filio venienti ex perſona propria, non præjudicat. 235.14
Renunciatio quibus de cauſis invalida reddatur. 650-1
Renunciatio ſe nunquā extēdit ultera expreſſa. 275.3
Repertus in loco ſuſpecto, an & quādo puniatur. 217.6
Repetitio conditionis præcedentis, quando præſumatur in ſubſequentibus. 244.3
Repetitio ſermonis, plurimū eſt attendenda. 587.12
Res alienæ quoque legari poſſunt. 282.1
Res cum onere ſuo tranſit. 171,2.209,60.633,5
Res de facili redit ad ſuam naturam. 240,9.523,26 559,9.679,2
Res eccleſiæ alienari prohibita, an pro captivorum redemptione poſſit alienari. 240.10
Res feudalis an legari poſſit. 543.2.
Res inter alios acta, non præjudicat alijs non vocatis, aut propter illorum intereſſe non venientibus. 372,13.437,9.456,3
Res legata, ſi legatarious ante teſtatorem moriatur, remanet apud hæredem teſtatoris. 361.1
Res non efficitur litigioſa, niſi de dominio agatur. 437.6

5R

437.6
Res quælibet conservationem sui naturaliter deside-
Res restitutioni subjecta, ex contractu inter vivos irrevocabiliter. 362.5.575,4
Res una diverso jure censeri non debet. 340 38
Rescripta principum sic intelligenda suntne tertius lædatur. 345.7
Rescripta, quæ tendunt in tertij præjudicum, sunt revocanda. 345.8
Rescriptum injustum contraque rationem factum, sine pœnæ metu contemni potest. 726.9
Rescriptum per inhabilem impetratum, censetur esse surreptitium. 263.21
Rescriptum principis, etiam contra legem divinam, causa subsistente procedit. 8.20
Reservare quid oportet. 254.3
Reservatio ab aliquo in tertij præjudicium facta, nihil valet. 354.3
Reservatio certorum cajuum, firmat regulam in casibus non reservatis, 773.20
Reservatio principis in pacti, ab illo prius jurati, præjudicium, nihil operatur. 167.27
Reservatio usus fructus expressa, in re donata, traditionem operatur. 623.18
Resiliréne liceat à consignatione semel facta. 408.5
Restitutio fieri non debet, si periculum & damnum irreparabile subsecuturum videatur. 10.29
Restitutio omnia reponit in statum pristiuum. 8.21
Retentio literarum rei donatæ quid operetur. 621.4
Retentio unius, cæterorum non exceptorum confessionem operatur. 473.3
Reverentia paternalis allegatur; frustrà, quando pater in renunciatione non fuit præsens. 651.2
Revocare quod quis malè locutus est, magnæ censetur esse sapientiæ, 131.63
Reus actore nihil probante venit absolvendus. 22.16 227,8.292,8.302,2.303,4.325,10.676,14.694,2
Reus est absolvendus, quando formalia verba, quæ in aliquo actu intervenisse articulantur, præcisè probari non queunt. 22.16
Reus possessor an & quando jus tertij, ad excludendam actoris intentionem possit allegare. 779.14
Robur testamenti ex alieno dependere non debet arbitrio. 749.8
Rogatus restituere, de eo non intelligitur rogatus, quòd ex dispositione inter vivos habet. 150.8
Rubrica est bona interpres nigri. 744.31

S.

Sacerdos etiam simplex, ab excommunicatione, per sententiam legis inflicta, potest obsolvere. 466 3
Sacerdos parochialis sive curatus, ad ecclesiasticam sepulturā propriè quēpiam dicitur admittere. 153.4
Sacrilegium in spolio rei ecclesiasticæ committitur. 583.3
Saisitio ejusdem efficaciæ videtur esse, cujus est aditio. 594.6
Satisdatio idonea in debito non liquido. eundem habet effectum, quem operatur solutio vel consignatio. 401,2
Satisfactum solutumve, quod modis dicatur. 454.9
Scientia cum taciturnitate in præjudicialibus habetur pro consensu. 624,21
Scripta quando censeantur esse surreptitia. 395.1
Scriptura debitoris. privata, contra ipsummet probat. non contra tertium. 735.17
Scriptura privata, alia juris habens adminicula etiam in tertij præjudicium fidem facit. 737.7
Scriptura privata, probat solùm contra scribentē. 95.4
Scriptura quævis. scripta patris manu propria publicataque testamenti loco inter liberos habetur. 578, 2, 579,7, 640,11
Securitas, quæ malefactori conceditur, ut veniat & se excuset, non est servanda. 172,4
Seductio non præsumitur, ubi plena intercessit deliberatio. 609.4
Seniores junioribus præferendi sunt. 324.8.574.5
Sensus in contractibus, legibus, & statutis contrarius, è mente contrahentium, legum statutorumve venire dicitur. 346,1:3
Sententia arbitralis, post decem dierum proximorum decursum, partium silentio roborata, exceptionem & actionem parit. 371.8
Sententia contra possidentem lata, cujusnam sit efficaciæ, 635.5
Sententia contra principalem lata, contra fidejubentem judicatum solus. executioni mandari potest. sine novo processu. 528,1.529,5
Sententia diffinitiva super illis, de quibus lis non est contestata, valide ferri non potest. 344,2
Sententia diffinitiva, absolutoriam condemnatoriamque continere debet. 116.1
Sententia diversos articulos continens, in uno valida, sed in alio poterit esse nulla. 144,9
Sententia habet auctoritatem majorem quàm juramentum. 391.17
Sententia in causa matrimoniali, nunquam transit in rem judicatam. 578.7
Sententia interlocutoria potest, adeoque debet, per judicem revocari. quando ipsi constat partem injustè gravari. 610.19
Sententia lata admittatne interpretationem. 611,20
Sententia lata contra jus scriptum, est ipso jure nulla. 380,1
Sententia lata contra usufructuarium proprietario, qui in causa non fuit, non præjudicat. 6.10
Sententia lata in petitorio, quibus obsit. 637.15
Sententia lata super appellatione ab interlocatoria est interlocutoria. 305,2.
Sententia manifestè iniqua, sententiæ nomen haud meretur. 380,6
Sententia petitioni cōformis esse debet. 113.7.294.10
Sententia potest etiam è sola violenta præsumptione ferri. 550,8
Sententia quæ in rem judicatam transivit. instrumentorum noviter inventorum vigore nequit retractari. 4,1 45,8
Sententia quam princeps partibus præsentibus, causaque cognita tulit, vim legis generalis habet. 519.7

Sententia

Sententia quòd appellans appellare non potuit, interlutoria cenſetur. 305.3
Sententia ſe referens ad acta probatoria nihil probantia, eſt ipſo jure nulla, 231.4
Sententia ſuper exceptione peremptoria lata, quando vim habeat diffinitivæ. 305.4
Separatio matrimonij quare fiat. 358,9
Sepelire quempiam, foſſam fodere, tametſi merè quidpiam ſpirituale nō ſit, pro tali tamen reputatur. 153.7
Sequentia declarant præcedentia, ſicque contrà viciſſim. 386,5
Sermo generalis omnia ſignificat intelligenda, niſi ſpecialiter aliquid excipiatur. 245,2
Serviens ab eo cui ſervit, expenſas licitè petere poteſt. 378,3
Sigillum ſine literis, aut ſcriptione, teſtis incertus eſt & mutus. 322,10
Signans alterius teſtamentum, non viſis vel cognitis ejus verbis, ſibi non præjudicat. 544,10
Significatio verborum ſtrictè ſervari debet, niſi teſtatorem diverſum ſenſiſſe pateat. 447.4.465.4
Silentiū annale præjudicat non petenti feudū, illudq; agnato in gradu remotiori videtur aperire. 551.6
Similitudo rerum differentiū qualitas eſt eadē. 163,12
Similit. veri, pro lege pactóve expreſſo habetur. 422.4
Simplicitas ſcriptoris, partibus non nocet. 772.16
Simulatio quomodo deprehendatur. 549,5
Simulatio ſententiam, juramentum, tranſactionem & laudum vitiat. 560.11
Singulares de populo, privilegio civitati conceſſo cōtravenientes, civitati non præjudicant. 112.21.22
Socius è ſocij delicto conveniri non poteſt, 682.1
Solennitas extrinſeca, non præſumitur interveniſſe matrimonio, 425,2
Solennitates extrinſecæ, non præſumuntur in antiquis interveniſſe. 435,2
Solennitates formalea in publicū favorem ſunt introductæ, quapropter eis renunciari non poteſt, 183.7
Solennitates in eccleſiaſticarum rerum abalienatione, qualiter interveniſſe doceantur. 320.2
Solvens alicujus ſtatuti vigore, quod alias de jure cōmuni non debetur, indebitum ſolviſſe non cenſetur. 406,19
Solvens creditori, contra prohibitionem judicis, qualiter puniatur. 555,18
Solvens, virtute repreſſaliarum propter factum tertij, ab illo tertio ſolutum recuperat, 20.4
Solutio fieri non poteſt in alia moneta, quàm cujus in obligatione mentio facta fuit. 403,7
Solutio in loco ſolutioni deſtinato, non alio, fieri debet. 339,34
Solutio legatorum fiet in moneta & valore, tempore conditi teſtamenti currente. 88,1.89,3
Speciale in uno caſu, denotat jus commune in contrarium. 41.30.652,5.683.9
Speciale in uno caſu non extenditur ad alium. 565,19
Specialia favore liberorum in jure quænam ſint introducta, 750.11
Specialia limitant præcedentia, reſtringunt declarantque ſequentia generalia. 695,10
Species derogat generi, ſed non econtrà ſpeciei genus. 371.12
Spiritualia ſine temporalibus, non diu ſubſiſtunt. 155 15.195,11
Spoliatus, cui præſumptio juris adverſatur, niſi doceat, ſe poſſeſſionem legitimè conſecutum, non eſt retuendus. 326.6.430.2
Spoliatus in poſſeſſorijs, cauſam proprietatis ſapientibus, non reſtituitur, niſi poſſeſſorium titulo coloret. 326.5
Sponſalia clandeſtina, tametſi punibilia ſint, omnem tamen operantur effectum, quem ſponſalia in eccleſiæ facie contracta habent. 546,7
Sponſalia de futuro per quæ verba cōtrahantur. 643.1
Sponſalia etiam non jurata, ut ad ſolennisationem perducantur, eccleſiaſtica cenſura poteſt adhiberi, niſi cauſa ſupervenerit vigenteſima. 645,7
Sponſalia nondum valida qualiter cōfirmentur. 644.4
Spōſalia quibus in caſib. remiſſivè diſſolvātur. 645,10
Sponſalia quibuſnam verbis contrahantur. 484,18
Sponſus in odioſa materia, mariti appellatione non venit. 106.2
Spurij, in his quæ juris ſunt naturalis, æqualis ſunt conditionis cum cæteris legitimè natis. 704,15
Statuens pœnam ſtatuti, ipſo facto, non incurrit. 131,60
Statuere, vel ſtatuta condere, juriſdictionis eſt proptium. 130.59
Status diſpoſitióque rerum præſentium, in ſtipulationibus & pactis inſpiciuntur, 165.18
Status hominis in matrimoniali cauſa ſolet ſpectari. 97.2
Status rei, cum perſonæ conditione mutata, ſimul immutatur. 198.28
Statuta civitatum quando valeant. 310.1
Statute cōſuetudinesq; ſunt ſtricti juris, & in forma qua jacent atq; diſponunt, intelligenda ſunt. 543,4
Statutas debent interpretationem ſuam à communi jure mutuari. 115.10 131,52.180,10,462,22 521,15.679,3 &c.
Statuta de contractibus loquentia, locum non habent in renunciationibus vel liberationibus. 470.8
Statuta humani, ſecundum temporum rationèm, ſine reprehenſione nonnunquam variantur, 60.7
Statuta in dubio ſecundum juris communi diſpoſitionem, ſunt intelligenda. ib.8
Statuta multa ſunt in jure ſpecialia, libertate fautore. 39,20
Statuta quæ ſcripta ſunt in rem, ligant etiam clericos nedum laicos. 311,14.
Statuta quando cenſeantur in rem ſcripta. 312.9
Statutum, conſuetudo vel pactum, quòd conjunx ſine conjugis licentia teſtamentum condere nequeat, de jure non valet. 750.9
Statutum civitatis Antverpienſis, de lucro conjugis ſuporvirentis, quidnam ſit. 683.1

Statutum Delfensis oppidi circa conventiones antenuptiales. 681.10
Statutum disponens, quòd hæres contra testamentum, à defuncto factum, venire non possit, intelligitur, nisi hæres fecerit inventarium. 610.14
Statutum laicorum, super clericorũ rebus disponẽs, è potestatis defectu non valet. 155,16.195,12.208.56
Statutum loquens in terminis juris communis, ab eodem jure recipit interpretationem. 375.5
Statutum puniens extrahentem sanguinem in platea, restringitur ad dolosè extrahentem. 609.13
Statutum puniens occidentem, qualiter sit intelligendum. 610.16
Statutum quando sublatum censeatur. 522.21
Statutum, quod in ecclesiasticæ libertatis, vel causæ piæ fraudem conditum fuisse cognoscitur, valere non debet. 311.6
Statutum, quòd immobilia bona non transferantur in extraneos, est validum. ib.4
Statutum sive consuetudo ecclesiæ, libertati contraria, nihil valet. 294.7.296.50
Statutum subditum extra territorium delinquentem ligat. 227.5.219.13
Statutum vires à statuentis potestate sumit, & secundum illam mensuratur. 522.20
Statutum volens stari dicto damnum passi, intelligitur validum, nisi contrarium probari possit. 418.3
Stipulatio annua, simpliciter facta; in dubio transit ad hæredes stipulatoris. 540.11
Stultitia potius, quàm donatio præsumitur. 275.4
Succedens in feudo, feudali jure, non hæreditario, debita sui prædecessoris solvere non tenetur. 375.6
Successio ab intestato locum non habet, quamdiu successioni ex testamento locus est. 777.2
Successio conjugum in Lovanio, Hollandia, Zelandia. 713.19
Successio quæ fit in feudis, agnationis communis stipitem, non alium, semper aspicit. 297.7
Successio solum vel ex testamento vel ab intestato defertur. 145.2
Successor singularis fructus obligatos percipiens, ex quasi contractu tenetur. 633.3
Successores eorum, qui gabellas à clericis exegerunt, eas illis restituere tenentur. 201.39
Succumbens ex eo, quòd articulata non probavit, novo judicio persequi poterit absolutum. 313.3
Subditi non sunt hodie servis comparandi. 162.6
Subjectio præscribi non potest. 15.22
Submissio tertiæ personæ, non minuit, sed potius auget fraudem. 299.5
Subreptio & obreptio, in beneficialibus provisionem reddunt ipso jure nullam. 261.17
Subscribens se veluti testem, nullum sibi facit præjudicium. 54.13
Substantia reditus in quo consistat. 568.38
Substantia veritatis, demonstratione falsa mutari nequit. 705.25
Substitutio compendiosa fieri potest incapaci, sicut & expressa vulgaris. 778.9
Substitutio duobus filijs impuberibus facta, locum habet, quando uterque decessit. 719.2.4
Substitutio duobus fratribus institutis sub conditione facta, quando locum habeat, utroque sine liberis decedente. 722.15
Substitutio, eodem modo, quo institutio, facta censetur. 666.13
Substitutio fideicommissaria facit, ut primo, testatori non instituto dicatur succedi. ib.10
Substitutio locum non habet, quandiu superest persona, quam testator substitutio verisimiliter prætulisset. 719,5.722,17
Substitutio sub cõditione facta, locũ sibi nõ vendicat, nisi cõditio in forma specifica fuerit impleta. 719.1
Substitutio vulgaris, hæreditate per institutum adita, expirat. 778.10
Substitutus incapaci, venientibus ab intestato præfertur. 778.6
Suffragium consentientis in illum, in quem major pars consentiret, est nullum. 410.1
Superior in ecclesia sua celebrare potest, canonicis à à re divina cessantibus. 129.53
Superstes è conjugibus, mortuariæ domus impensis vestem lugubrem habere debet. 705.19
Supplicatio contra sententiam quantum valeat. 379.5
Surreptio dolosa, literas gratiosas omnino viriat. 281.23
Surrogatum surrogati naturam sapit. 17,32.91,13.187,26.374,1.413,3.736,3.&c.
Suspectus semper ad juramentum faciendum cogi potest. 217.7
Suspicio fraudis, per alias fortiores conjecturas in contrarium facientes, eliditur. 737.8

T.

Tabellio non productus, instrumenti contenta probare non tenetur. 675.5
Tacitum plus operari non debet, quàm quod est expressum. 294.4.728,5.731.13
Tacitum siletur propter expressum. 641.17
Taciturnitas rationis inducit surreptionem. 694.3
Taciturnitas vitiat gratiam Pontificalem. 396,4. Sed fallit interdum, ut ib.6
Taxatio expensarum præsupponit sententiam, sicut habitum privatio. 729,1
Telonium publica functio non est: neque soli principi superioritatis significandæ gratia, sed alijs inferioribus etiam competere potest. 373.16
Theologi dicentes, hodie decimas non deberi, peccant & puniuntur. 657.2.14
Theorica communis in judicãdo servari debet. 38.16
Tempus, ad rescindendum contractum, quale spectandum sit. 533.1
Tempus an obligationis inducendæ tollendæve sit causa. 473.10
Tempus belli, cũ pestis tempore cõparari solet. 290.2
Tẽpus cõtractus est principaliter respiciendũ. 566.25
Tempus episcopi vel prælati eligendi quodnam sit. 187.28
Tempus morientis testatoris, in legatis universalibus:

bus : sed in particularibus, tempus facti testamenti spectatur. 423.5
Tempus mortis.illius de cujus agitur hæreditate, solet in collationibus inspici. 632.37
Tempus unum duntaxat habetur in consideratione, quando unum & idem est in obligatione & solutione. 423.9
Tenor investituræ,principaliter est attendēdus 323.2
Tentator securus est,ubi repræhensorem timore non habet. 60 6
Testamenta tot sunt,quot personæ , tametsi conjunctim testentur. 342,1.453.5.602,1.761,24.&c.
Testamentū inter liberos à patre conditū, licet minus solenniter id factum sit,tamen valet. 83.26 85.36
Testamentum inter liberos,ex causa præteritionis vel exhæredationis injustæ,nullum est. 140.18
Testamentum inter liberos quæ requirat. 579.7
Testamentum in quo filio nihil institutionis nomine relinquitur,si clausula codicillari destituatur. ipso jure pro nullo reputatur, 338.8
Testamentum militare,nisi per tres duósve testes approbetur,etiam non valet. 291.7
Testamentum postremum,prævalet prioribus. 579.5. 589.1
Testamentum , quod eo tempore,quo quia habilis ad testandum fuit;est conditum, valet tametsi tempore mortis testamenti factionem non habuerit. 308.1
Testamentum , repugnantiam vel incertudinem continens,non valet. 579.10
Testamentum,requisitis de jure substantialibus destitutum.fidem non facit. 289.6
Testamentum secundum loci consuetudinem conditum.porrigitur etiam ad bona alibi sita,licet ibi sit alia consuetudo. 665.8
Testamentum , sine judicis ordinarij auctoritate apertum.viribus non subsistit, 675.8
Testamentum viri nec non uxoris in una charta factum.à superstite pro sua parte revocari potest.67.6
Testatio bonis,alteri per legem delatis,nę quidem ad pias causas facta,valere potest. 312.10
Testator,alienas successiones proprijs anteponere voluisse non videtur. 710.5.720 6.758.9. &c.
Testator, è contutoris sui negligentia, vel administratione mala,conveniri potest,quando tutela divisa non est à testatore vel judice : quamvis tamen limitetur. 682.7,683.8
Testator, hæredem suum duplici onere gravare voluisse,non videtur, 93.1.422,3
Testator in testamento legem ponere non potest,à quo sibi resistere non liceat. 603 2
Testator quando primæ voluntatis suæ specialiter pœnitere dicatur. 605.16
Testator uxorem suam legato vel dote contentā esse debere, volens utrunque legasse censetur. 150.9
Testes criminosi,nec non eorum socij, fide digni non sunt existimandi. 98.7
Testes duo,de metu deponentes,vel centenis alijs,de voluntate spontanea deponentibus ; præferuntur. 100 14
Testes duo sufficiunt ad id, ut piam legatū debeatur. 675.6
Testes extra articulata deponentes,instar non juratorum,nihil probant. 97.3
Testes in causa matrimoniali, debent exceptione quavis esse majores, 99,12.482,10
Testes in dicto proprio sibi cōtrarij,impossibileq; vel imaginabile deponentes,fide digni nō sunt.524 28
Testes in matrimoniali causa debēt esse rogati.483.13
Testes in instrumento descripti,qualiter illud impugnare queam. 135.14
Testes minus specificè deponentes , per alios suos contestes supplentur. 732.12
Testes non reputantur singulares, quorum dicta tendunt ad contra finem , sicque in principali dicto concordant. 597.6
Testes numero plures digniores, verisimiliaq; deponentes,plus probant,quàm cæteri 428,12.432,11
Testes suspecti,non solum de tempore,sed & de tempore vestrumq; qualitate sunt interrogandi. 481.1
Testimonium ejus,qui parte adversa absente non citata,recipitur,nullius est valoris. 45.9
Testimonium minus ideorum , in casu,qui per alios difficulter probari potest,admittitur. 642.3
Testamentum unius, inducit semiplenam probationem. 597.5
Testis affirmans se temporis non recordari. suspectus efficitur. 381.4
Testis,de eo quod corporeo sensu percipi nō potest, deponenst,non est fide dignus. 427.10
Testis,de eo quod Judiciorationis & non immediatè per sensum corporis , perspicit , sine assignatione causa deponens,nihil probat. 523.22
Testis extra articulata deponens,nihil agit. 313 2
Testis singularis & negativus,an & quando probationem affirmativam debilitet. 674.3
Testis unus,in instrumento publico descriptus, si cōtradicat eidē instrumēto, illud vacillare facit.366.2
Textus à communibus juris regulis exorbitans,præcisè in casu,in quo loquitur, intelligitur. 39.17
Textus concordantes ad legis alicujus decisionem allegare non est inconveniens. 38.14
Textus varios habens intellectus,ad causæ decisionem validè non potest allegari. 159.31
Timor reverentialis, idem quod justus metus,operatur. 235,10,388.4
Titulus è decennali pēsionis solutione præsumitur. 698.2
Titulus justus præsumitur ex probatione tanti temporis,de cujus initio memoriæ non superfit. 331.5
Titulus non præsumitur. 327.7
Titulus successionis ab intestate de jure debitus est. 743.26
Traditio in donatione inter vivos an requiratur,763. 2
Traditio instrumentorum vel literarum rei donatæ, dominij translationem operatur. 621.5
Transactio inter fratres,per plures notabiles personas facta plurimum favoris meretur. 640.10

Tranſactio ſuper alimentis, quomodo confirmari debeat. 294.6
Tranſactio ſuper litigioſa, habetur loco victoriæ. 754.10
Tranſactio ſuper his quæ pendent è teſtamento, verbis teſtamenti non inſpectis cognitiſve, nihil valet. 293.4
Tranſitus per vias publicas, itemque per flumina mariaque liber eſt. 13.2
Tranſumptum, truncatum, nec plenè extenſum, nullam fidem facit 591.2
Tria copulativè requiruntur, ut aliquod debitum tacitè remiſſum cenſeatur. 377.5
Tria ſunt in omni negotio conſideranda, utrum expediat, liceat, & deceat. 536.11
Tutor contrahens pro pupillo, quò dicto juramentóve creditoris, ſtetur paciſci non poteſt. 419.7
Tutor dans extra territorium dantis, nullum adminiſtrationem habet. 665.3
Tutor debitum non liquidum poteſt remittere; cùm præjudicet interim pupillo. 433.2.ib.3
Tutor non gerens, ſi conveniatur ab adulto jam pupillo, beneficium ordinis habet, ut primo gerens conveniatur: item beneficium ceſſionis. 683.10
Tutores ante conteſtatam litem, procuratores alios conſtituere non poſſunt. 639.5
Tutores legitimi, prius quàm veniatur ad fidejuſſores & magiſtratum, conveniendi ſunt. 375.4
Tutores, rationem litigandi probabilem non habentes, pupillis actione tutelæ ſumptus & litis expenſas reſarcire tenentur. 667.20

V.

VAliditas inſtrumenti non è Notarij ſolum probitate, ſed & è numero teſtium dependet. 366.3
Validitas ſtatutorum, per cauſarum ad eandem requiſitarum interventum, probatur. 216.1
Valor bonorum, in impetratione licentiæ teſtandi, debeatne exprimi. 777.3
Valor communis, non ſingularis, qui ſæpius ex affectione procedit, eſt inſpiciendus. 632.38
Valor emptorum bladorum, in deſtinatæ ſolutionis, non autem contractus initi loco, ſpectatur. 333.3
Valor impetrati beneficij, ex ejuſdem loco venit æſtimandus. 334.14
Vaſa argētea, appellatione mobilium cōtinetur. 149.5
Vaſallus an per ſubſtitutum ſervire poſſit. 740.11
Vaſallus, cum domini ſui inimicis ligam faciens, domini ipſius metu adductus, excuſatur. 126.34
Vectigalia inter regalia numerantur. 14.8.15.23
Vectigalia nova, ſine principis conſenſu, in forenſium præjudicium imponi non poſſunt. 218.11
Vectigalia teloniaque quando debeantur. 13.6 370.3
Vendicatio rei competit uxori, pro re ſibi propter nuptias donata, tametſi nulla ſit facta traditio. 771.7
Venditio coram judice facta, prætextu læſionis ultra dimidium, reſcindi poſtea non poteſt. 391.18
Venditio ſi per expreſſionem menſurarum lugerúmve factus ſit, ita valet, ut venditor ea tradere teneatur. 46.17
Venditor, jus pignoris in re vendita, ſibi reſervare poteſt, donec ipſi ſatisfiat. 354.1
Venditor obligatur ad tradendum, non ad dandum. 476.7
Venditor quando præſumatur de precio fidem habuiſſe. 738.10
Veniens contra ſtatutum municipale præceptivum, peccatum mortaliter, licet in ſtatuto pœna corporalis alia ponatur. 218.9
Verba ambigua, contra proferentem, ſunt interpretanda. 246.8
Verba clara ſic ſervanda ſunt, ut ab illis non recedadatur. 715.4 748.2
Verba contractus ſervanda ſunt, nec ab illis recedendum. 300.2
Verba conſtitutionum ſunt intelligenda & gloſſanda, ut evitetur abſurditas. 60.9
Verba contrahentium, juxta diſpoſitionem, nec non intellectum juris, exponenda ſunt. 354.15
Verba contrahentium referenda ſunt ad tempus contractus. 249.1
Verba contrahentium teſtantumque ſemper aliquid ſignificabunt. 352.13.538.4 & paſſim.
Verba contrahentium recipitur interpretationem ab eo, quod contrahentes veriſimiliter facere intenderunt, maximè ſi quid abſurdi ſequeretur, ſi aliter intelligentur. 680.4
Verba, dono ad uſum: vel pro uſu: vel, uſufructu: transferunt in donatarium proprietatem. 544.9
Verba dubia, ſecundum perſonæ, ad quam diriguntur, qualitatem debent intelligi. 544.9
Verba dubitationis tollendæ cauſa prolata, nihil amplius operantur. 343.5
Verba enunciativa, ad liberandum prolata, diſpoſitionem inducunt. 609.8
Verba generalia, ad id quoad eſt rationis, reſtringi debent. 609.10:12.610.15
Verpa generalia reſtringenda ſunt, abſurdi vitandi cauſa. 660.15
Verba generalia ſemper intelligenda ſunt ſine præjudicio alterius. 465.5
Verba generalia ſignificant aliquem de jure ſuo recedere voluiſſe. 213.7
Verba impropriè accepta, faciunt, ut ſubſtitutio fideive commiſſum ſit efficax. 26.9
Verba in latino literalive ſermone prolata, quomodo veniunt intelligenda. 450.18
Verba in præfationibus poſita in ſequentibus repetita cenſentur. 163.9
Verba inter juris ignaros & ruſticos groſſo modo capi debent, etiam terminos impropriando. 228.11
Verba Iuriſconſultorum, ſecundum legalem interpretationem veniunt intelligenda. 448.10
Verba legis, vel ſtatuti vel ordinationis dubia, capiunt interpretionem à conſuetudine. 574.5
Verba mentis judicant qualitatem. 678.8
Verba narrativa, de facto antiquo, quadraginta annos excedente, ſunt credibilia. 589.19
Verba enunciativa nullam inducunt obligationem.

maxi-

maximè, si in magnum cujusdam tertij cessura essent præjudicium. 705. 20:24
Verba Narrativa regulariter non probant. 76,5.359. 2,270,46
Verba ne juri alterius præjudicium, impropriè, sunt accipienda. 269.41.464,2
Verba, non voluntas disponentis in fideicommisso spectanda sunt. 720.8
Verba pactorum sic intelligi debent, ut aliquid operentur. 245.5
Verba plenam potestatem, in testamento opposita, potentiam commodam denotant. 595,8
Verba pœnalia futuri temporis, non ipso jure, sed hominis ministerio pœnam faciunt infligi. 219.14
Verba potius impropriantur, quàm dispositio careat effectu. 601.5
Verba præcedētia declarātur per subsequentia. 574..1
Verba privilegiorum strictè capi debent. 188 1
Verba quæ sunt ad aliquam personam relata secundum personæ qualitatem debent accipi. 83.27. 450.17. 649,9
Verba, quæ sunt injuriosa, verbis repelli debēt. 443 3
Verba, quæ sunt in statutis ambigua, juxta communem loquendi usum debent explicari. 649.6
Verba, quæ sunt in ultima voluntate emissa, maxima fide sunt digna. 259.10
Verba quæ sunt in vulgari sermone prolata, secundū communem loquendi usum intelliguntur. 694.10
Verba quæ sunt prælata ad augmentationem, diminutionem non debeat operari. 592.5
Verba quæ sunt prolata in materia habente dispositionem ordinatam à jure, semper intelliguntur ordine successione. 364.4
Verba, quamdiu vixerit, quid importent. 770,2
Verba relativè posita, si non reperitur id, ad quod ipsa relatio, nihil operantur. 252,3.359,3
Verba rescriptorum, narrativa & enunciativa, nihil operantur. 270 46
Verba, secundum communem intellectum capienda sunt. 528.1.649,10
Verba, secūdum personarum, per quas & ad quas proferuntur, qualitatem sunt intelligēda. 450,17.650,9
Verba secundum subjectam materiam sunt accipienda. 772.13
Verba semper ita debent intelligi, ut aliquid operentur. 134,9.245,5.624,22.641,15,711,12.&c.
Verba sententiæ qualiter interpretanda sint. 610.17
Verba sententia, secundum qualitatem præcedentiam debent intelligi. 136.10
Verba simpliciter prolata, sunt in potiore significatione intelligendo, & per antonosimaam, non secun dum quid. 25.7
Verba stipulatoris & testis semper interpretanda sunt contra stipulantem & producentem. 484,19
Verba sunt impropriè capienda ne tertio cuipiam præjudicetur in jure quæsito. 364.2
Verba testatoris dubia referenda sunt ad tempus testamenti, 25,6,30,21.364,6
Verba testamentorum frustratoriè apposita esse, non censentur, 89.4
Verba testatoris secundum conditionem personæ, ad quam fit dispositio sunt intelligenda. 27.11
Verba testatoris, nisi de ipsius contra voluntate expressè constet, retineri debent. 760.17
Verba testamentorum dubia quomodo sint intelligenda. ib 21
Verba testamentorum largè sunt explicanda. 582.1
Verba textuum narrativa non ponderantur, 154.13. Fit autem cum super illis fundatur intentio. 195.9
Verbum, Debet, in statuti positum, importare solet necessitatem. 59.1
Verbum, Interpretatio, capitur in jure modo multiplici. 601.6
Verbum, Omne, nihil excludit. 628.11
Verbum, pervenisse, semper intelligitur cum effectu, deducti scilicet impensis & ære alieno. 249.2
Verbum, Redeat vel revertatur, in dispositionibus quid importet. 587.13
Veritas, ejus, quod multipliciter intelligitur ignorare censetur. 631.35
Veritasne magis, quàm fictio sit inspicienda. 338
Vestes multum preciosæ, propriæve videant uxoris esse, 149.1
Via minus periculosa semper in dubio fuerit eligenda. 170.9
Vicegerens dominum repræsentat. 272.56
Victus victori condemnatur in expensis nisi justa litigandi causa subsit, 731.11
Violentia non præsumitur in judice. 173.5
Vir uxori non succedit, nisi omni parentela cessante. 515.2
Virgo pudica maritum non quærit ipsa, sed id curæ paternæ relinquendum novit. 79.1
Virgo, quæ viri potens est, rebus mobilibus, quæ servando servari nequeunt, annumerari cōsuevit. 81,17
Unicuique creditur in foro conscientiæ, 64.2
Universale uni speciei in materia restringibili adjectum, non includit aliam. 697.18
Universitas diversæ, diverso jure cēseri possūt. 17.33
Unus patronus è plvribus præsentari potest. 177.12
Unusquisque favori, qui pro se fuit introductus, renunciare potest. 568.35
Unusquisque talis esse præsumitur, qualis ejus est habitus. 426.6
Unūsquisque tam inter vivos quàm in ultima voluntate in sua moderator & arbiter est. 768.15
Vocatus in judicium, ut se de crimine, cujus insimulatur, purget, comparere tenetur. 172 3
Vocula, Tamen, sine copula posita, tàm in jure, quàm facto debet adversari. 212.5
Volens hæreditatem parentum suorum, dotem tenetur conferre. 559.5
Volens petere quò restituatur adversus sententiam, illud facere tenendum infra quadriennium conticontinuum. 45.13
Voluntas æquene possit è literis quàm verbis colligi. 587.1,580.16
Voluntas captatoria dicit nequit, in qua quis animi sui desiderium perfectè significat. 285.12

Volun-

Voluntas contrahentium colligitur è verborum forma. 685.3
Voluntas contrahentium, quæ vel expreſsè vel ex aliqua conjectura colligitur, evidens dicitur. 516.8
Voluntas diſponentis, ex ipſius qualitate conditioneque elicitur. 754.11
Voluntas & poteſtas quemvis actum validum efficiunt, ideoque copulativè ad actum quemvis requiruntur. 262.18
Voluntas evidens liquidaque dicitur, quæ colligitur è conjecturis ipſis. 347.7
Voluntas hominis eſt ambulatoria, uſque ad mortem. 67.4
Voluntas mutata non præſumitur. 409.26
Voluntas non præſumitur eſſe mutata, niſi probetur. 416.4
Voluntas teſtatoris an etiam præſumpta conſiderari ſoleat in teſtamentis. 758.7
Voluntas teſtatoris magis eſt attendenda quàm verba. 24.2
Voluntas teſtatoris præſumpta, quid operetur. 386.6
Voluntas teſtatoris è verbis ejus colligitur. 447.3
Voluntas ultima ex alieno arbitrio de futuro dependere non poteſt, cùm de præſenti præteritóve ſtatuatur in contrarium. 285.11
Voluntas ultima pro lege ſervanda eſt. 91.15
Vox unius teſtis fide digni viva, plus certiuſq; probat quàm fama. 358.7
Uſufructuaria poſſitne actione perſonali conveniri bonorum obligatorum ratione. 239.2
Uſufructuarius de reſerviente diſponere non debet. 544.8
Uſufructuarius fructus collectos & à ſolo ſeparatos facit ſuos. 382.2
Uſufructuarius diſponendi facultatem non habet. 142,1.544,8
Uſufructuarius ſpeciem ſeu formam rei in qua uſumfructum habet, mutare, & ſic è lacu terram arabilem facere poteſt. 770,1
Vſusfructus è proviſione legis obveniens, in uſufructuarij præjudicium non poteſt obligari. 241.16
Uſusfructus morte uſufructuarij extinguitur. 650.12
Uſura eſt quicquid ſorti accedit, in contrarium mutui, non emptionis. 650.13
Uſuræ dotis non ſolutæ, mariti fiunt, etiamſi per ipſum non omnes in alimentis uxoris expendantur. 387.2
Uſus loquendi communis in ultimis voluntatibus in primis eſt attendendus. 255,6.383,9
Uſus loquendi communis omni conſtitutioni præfertur. 453.8
Uſus loquendi communis propriæ verborum ſignificationis præferendus eſt: quamvis non ſemper. 449,15.703,1.648,2:3
Uſus pij piæve cauſæ quæ dicantur. 780,1
Utens juriſdictione in parte, conſervat eam in univerſo. 15,24 17,34
Utens ſuo jure, nemini facit injuriam, liceat alius ex eo lædatur. 374,18
Utile per inutile non vitiatur in ſeparabilibus. 393,26,584,13
Utilitas evidens in novis rebus conſtituendis eſſe debet. 512,6.474,7
Uxor conjuncta domeſticaq; perſona dicitur. 615.2
Uxor, contra mariti ſui defuncti voluntatem ſecundò nubens, legata quæ maritus ipſi reliquerat, amittit. 243.1
Uxor donare legareve dicitur, quando maritus rem ipſius conſentientis legat vel donat. 68,10,71,26
Uxor in bonis propter nuptias donatis, an habeat dominium. 240,12
Vxor legatum capiens cautionem pe reſtituendo rem legatam cum fructibus, ſi ſecundò nubat, præſtare tenetur. 72.33
Vxor, matitum ad ſolutam accedentem, ex generali injuriarum capite poteſt accuſare. 646.5
Vxor propter nimiam viri ſævitiam ab eo ſeparatur. 763,1,764,3
Vxor uſufructuaria, ad debitorum, per maritum ſuum quodnam contractorum, ſolutionem non tenetur. 241.15
Vxoratus accedens ad ſolutam, judicis arbitrio puniri debet. 646,6
Vxores duorum fratrum inter ſe ſunt in ſecundo affinitatis genere. 243.4

Z.

Zelus qui ſecundum ſcientiam non fit, tametſi ſpiritualis profectus quæri videatur, ſalutis nihilominus affert diſpendium. 62,28

F I N I S.

005646737

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN